Rz-758

Kassai királyi jogakademia
Könyvtára
Szekrény szám II
Osztályzat g 2

9/35

Antoine

III d

THEOLOGIA
UNIVERSA
SPECULATIVA & DOGMATICA,

Omnia Dogmata, & ſingulas Quæſtiones
Theologicas, quæ in Scholis tractari ſolent,

AD USUM

THEOLOGIÆ CANDIDATORUM
ACCOMODATA.

AUTHORE

R. P. PAULO GABRIELE ANTOINE Societatis JESU
Presbytero, Sacræ Theologiæ Doctore, & Profeſſore.

TRACTATUS
DE FIDE DIVINA.

CASSOVIÆ,
Typis Academicis Soc. JESU, Anno 1754.

K.K.RECHTSAKAD.
BIBLIOTHEK
IN KASCHAU

Okresná ľudová knižnica - Košice
Prír. č. 13025/964
Sign. R2 - 758
Odb. zn. K
23

Rev. 1968

ADMONITIO.

HAnc Theologiam dogmaticam inſcripſi, quòd dogmata Fidei merè ſpeculativa complectatur, utque diſtingueretur a mea Theologia morali, Nanceii primum, deinde Pariſiis, poſtremo Venetiis typis impreſſa, quæ. Fidei quoque doctrinam, ſed ſolum practicam, & ad mores ſpectantem continet.

In hac Theologia dogmatica in lucem edenda propoſitum fuit omnia Fidei dogmata exponere, illuſtrare, explicare, ſtabilire, & propugnare adversus impios & hæreticos; atque Theologiæ ſtudioſos inſtituere ad perfectam doctrinæ Fidei notitiam ac defenſionem. Quare nihil quidquam ſive in probationibus, ſive in objectionibus, quod alicujus eſſet momenti, prætermiſi, aut certe prætermiſiſſe me puto, quamvis hoc totum opus non videatur adeo prolixum. Sed cum omnia, quæ ad praxim & mores ſpectant, ad meam Theologiam moralem explicanda, vel ſtabilienda rejecerim, eo pacto ſine tam multis, & amplis voluminibus omnia Fidei dogmata amplè, fusè, & copioſè tractare potui, ſcilicet quantum ad res omnes utiles. Utinam quod animo intendi, feliciter perfecerim ad DEI Gloriam, & Eccleſiæ utilitatem!

Cæterum me in omnibus, quæ tum in hac Theologia dogmatica, tum in altera morali continentur, ſubjicio Eccleſiæ judicio.

LICENTIA R. P. PROVINCIALIS.

EGo Præpoſitus Provincialis Provinciæ Campaniæ Societatis JESU, poteſtate ad id mihi à Reverendo admodum Patre Præpoſito Generali ejusdem Societatis tradita, facultatem concedo; ut Patris PAULI GABRIELIS ANTOINE ex eadem Societate liber, cujus titulus: *Theologia Univerſa Dogmatica & Speculativa, &c.* trium ejusdem Societatis Theologorum judicio approbatus, typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu mea ſubſcriptas, & ſigillo meo munitas dedi Muſſiponti die 13. Novembris 1729.

LUDOVICUS JACQUESSON.

INDEX.

TRACTATUS De Fide Divina.

SECTIO I. *De objecto materiali Fidei.* 5.

ARTICULUS I. *Utrùm objectum materiale Fidei sit infallibiliter verum?* 5.

ART. II. *Utrùm religio Christiana sit evidenter credibilis?* 8.

ART. III. *Utrùm evidens sit etiam evidentia simplici religionem Christianam esse veram?* 14.

ART. IV. *Utrùm ea, quæ deducuntur ex veritatibus revelatis, sint de objecto materiali Fidei, seu sint de Fide?* 23.

ART. V. *Utrùm objectum materiale Fidei successu temporis creverit?* 27.

ART. VI. *De Symbolis Fidei.* 28.

§. I. *De Symbolo Apostolorum.* 28.

§. II. *De Symbolo, quod vulgò dicitur S. Athanasii.* 30.

ART. VII. *Utrùm admittenda sit distinctio articulorum Fidei fundamentalium & non fundamentalium à recentioribus hæreticis inventa?* 31.

SECT. II. *De objecto formali Fidei.* 34.

ART. I. *Utrùm revelatio divina sit in objecto formali Fidei?* 34.

ART. II. *Utrùm veracitas divina sit in objecto formali Fidei?* 37.

ART. III. *Utrùm Deitas sit in objecto formali Fidei divinæ?* 40.

ART. IV. *Utrùm motiva credibilitatis sint in objecto formali Fidei?* 41.

ART. V. *Utrùm revelatio & veracitas divina debeant esse inevidentes & obscuræ, ut sint objectum formale Fidei divinæ?* 45.

ART. VI. *Utrùm revelatio & veracitas divina debeant esse saltem evidenter credibiles, ut sint objectum formale Fidei?* 47.

ART. VII. *Utrùm revelatio privata sufficiat ad objectum formale Fidei?* 50.

ART. VIII. *Utrùm Fides divina resolvatur tantùm in revelationem & veracitatem?* 50.

ART. IX. *Quinam in reddenda ratione suæ Fidei, vitiosum circulum admittant?* 51.

SECT. III. *De actu interno Fidei divinæ.* 53.

ART. I. *Utrùm actus Fidei sit super omnia certus?* 53.

ART. II. *Utrùm actus Fidei sit necessarius necessitate medii: & quarum rerum?* 57.

ART. III. *Expediuntur aliæ quæstiones ad actum Fidei pertinentes.* 62.

SECT. IV. *De Regulis Fidei.* 64.

CAPUT I. *De Scriptura Sacra.* 65.

ART. I. *Utrùm detur Scriptura Sacra seu Divina?* 65.

ART. II. *Quinam libri Scripturæ sint Canonici?* 65.

ART. III. *Utrùm libri omnes in Canonem nostrum relati sint certò Canonici, seu Divini?* 66.

ART. IV. *Utrùm omnes Libri sacri à Deo inspirati fuerint?* 73.

ART. V. *Utrùm sensus litteralis Scripturæ sit obscurus?* 79.

ART. VI. *Quanam lingua Libri Scripturæ sacræ ab Auctoribus sacris conscripti fuerint, & an postea depravati fuerint?* 83.

ART.

ART. VII. *Utrùm vulgata noſtra editio Latina ſit authentica?* 84.
CAP. II. *De Traditione.* 92.
ART. I. *Utrùm exiſtant Traditiones divinæ, & quam auctoritatem habeant?* 92
ART. II. *Quænam ſunt regulæ, quibus veræ Traditiones à falſis diſcerni poſſunt?* 98.
ART. III. *Utrùm extiterint Traditiones divinæ in lege naturæ, & in lege Moſaica?* 99.
CAP. III. *De Eccleſia.* 99.
ART. I. *Quinam ſint extra veram Chriſti Eccleſiam?* 100.
ART. II. *Quinam ſint de vera Chriſti Eccleſia?* 106.
ART. III. *Quid ſit Eccleſia?* 114.
ART. IV. *Utrùm Eccleſia ſit viſibilis.* 114.
ART. V. *Utrùm Eccleſia viſibilis ſit perpetua, ſeu poſſit deſinere eſſe viſibilis ante finem mundi?* 116.
ART. VI. *Utrùm Eccleſia viſibilis ſit ſemper infallibilis in rebus Fidei?* 118.
ART. VII. *Utrùm Eccleſia ſit infallibilis in decidenda Orthodoxia & Heterodoxia textuum dogmaticorum?* 123.
ART. VIII. *Utrùm ſit in Eccleſia Judex infallibilis controverſiarum Fidei?* 144.
ART. IX. *Utrùm Scriptura, vel ſenſus privatus, aut laici ſint Judices controverſiarum Fidei?* 145.
ART. X. *Quiſnam ſit verus & infallibilis Judex controverſiarum Fidei?* 152.
ART. XI. *Quænam ſint veræ Chriſti Eccleſiæ notæ?* 170.
ART. XII. *Utrùm Eccleſiæ Romanæ & quidem ſoli conveniant notæ veræ Chriſti Eccleſiæ?* 177.
CAP. IV. *De Conciliis generalibus.* 183.
ART. I. *Cujus ſit convocare Concilia generalia?* 184.
ART. II. *Quinam ad Concilium convocandi ſint?* 186.
ART. III. *Cujus ſit præſidere Concilio generali?* 187.
ART. IV. *Quænam ſit auctoritas Concilii generalis?* 191.
CAP. V. *De Summo Pontifice.* 194.
ART. I. *Utrùm S. Petrus acceperit à Chriſto primatum & jurisdictionem in univerſa Eccleſia?* 194.
ART. II. *Utrùm primatus totius Eccleſiæ Petro datus tranſeat ad omnes ejus ſucceſſores?* 205.
ART. III. *Utrùm S. Petrus fuerit Epiſcopus urbis Romæ, & ibi mortuus ſit.* 207.
ART. IV. *Utrùm Epiſcopus Romanus ſuccedat Petro in primatu?* 208.
ART. V. *Quæ & quanta ſit auctoritas Romani Pontificis, ſeu Sedis Apoſtolicæ, & particularis Eccleſiæ Romanæ?* 220.
ART. VI. *Utrùm Romanus Pontifex loquens ex Cathedra aliquando erraverit?* 221.
ART. VII. *Utrùm ad ſalutem neceſſaria ſit communio cum Apoſtolica Sede ſeu Eccleſia particulari Romana, & ejus Epiſcopo.* 223.
APPENDIX. *De Spe, & Charitate.* 228.
ART. UNICUS. *De Spe.* 228.
De Charitate. 231.
ART. I. *De Natura Charitatis.* 231.
ART. II. *De Præcepto Charitatis erga Deum.* 233.
ART. III. *De Præcepto Charitatis erga Proximum.* 237.
ART. IV. *De Ordine Charitatis.* 242.

THEO-



THEOLOGIA UNIVERSA SPECULATIVA, & DOGMATICA.

TRACTATUS DE FIDE DIVINA.

FIDES divina, actualis scilicet, est assensus supernaturalis, super omnia firmus, datus rebus à Deo revelatis, propter auctoritatem Dei revelantis. Fides autem habitualis est habitus supernaturalis infusus, actuum Fidei elicitivus cum auxilio gratiæ actualis: sive est virtus infusa, nos permanenter habiles reddens ad eliciendos actus Fidei cum auxilio gratiæ actualis. In hoc Tractatu agitur præsertim de actu Fidei.

SECTIO I.

De objecto materiali Fidei.

FIdei divinæ duplex est objectum, nempe materiale, & formale: objectum materiale Fidei sunt omnia à Deo revelata; formale est id, propter quod assentimur rebus à Deo revelatis.

ARTICULUS I.

Utrum objectum materiale Fidei sit infallibiliter verum?

NOta 1. Objectum materiale Fidei adæquatè sumptum est collectio omnium veritatum à Deo revelatarum. Dividitur velut totum in partes. 1. In Objectum attributionis, & attributum. Objectum attributionis est illud, ad quod cætera revelata primariò referuntur; & est Deus cum suis perfectionibus: nam cætera omnia ideo revelata sunt, & creduntur, ut Deus ejusque perfectiones meliùs cognoscantur, & magis amentur. Objectum attributum est illud omne, quod ad aliud refertur, & sunt cætera omnia revelata. 2. In veritates primarias, & secundarias. Veritates primariæ sunt illæ, quarum Fides explicita ad salutem necessaria est, & vocantur articuli Fidei: Veritates secundariæ sunt illæ, quarum Fides explicita

plicita neceſſaria non eſt ad ſalutem conſequendam, ſed ſatis eſt, ſi ſecundùm ſe non diſcredantur, nec in dubium revocentur, & credantur implicitè actu, quo generatim creduntur omnia à Deo revelata.

Nota 2. Inter res revelatas aliæ ſunt per ſe neceſſariæ, ut quòd Deus ſit unus in eſſentia & trinus in perſonis, omnipotens, immenſus, &c. Aliæ non ſunt abſolutè neceſſariæ, ſed contingentes, ut incarnatio, mors, miracula Chriſti, &c. De his quæritur, an quatenus ſunt revelatæ, ita ſint neceſſariò veræ, ut illas credens propter revelationem divinam falli abſolutè non poſſit.

Dico. Res à Deo revelatæ, etſi per ſe contingentes, ſunt infallibiliter veræ abſoluta infallibilitate ex hypoteſi revelationis divinæ.

Prob. Abſolutè repugnat ullam rem revelatam à Deo, eſſe falſam, ex hypotheſi quòd fuerit à Deo revelata. Ergo res omnes à Deo revelatæ ſunt infallibiliter veræ ex hypotheſi revelationis. *Prob. anteced.* Abſolutè repugnat Deum revelare falſum. Ergo abſolutè repugnat ullam rem à Deo revelatam eſſe falſam ex hypotheſi revelationis Divinæ. *Prob. anteced.* Abſolutè repugnat Deum vel poſſe judicare de rebus aliter quàm ſint, & ſic falli: vel loqui de rebus contra judicium ſuum, & ſic fallere. Nam Deus neceſſariò habet infinitam ac ſummam ſapientiam, bonitatem & veracitatem: alioqui non eſſet ens, quo nihil melius excogitari poteſt, ideoque non eſſet Deus: nam excogitari poteſt ens, quod nec falli, nec fallere poteſt. Item Deo non deberetur ſumma Fides: nam nemo poſſet eſſe certus, num Deus utens poteſtate falſum aſſerendi & mentiendi, re ipſa falſum revelârit. Item ſi Deus poſſet abſolutè falſum teſtari, poſſet ſe reddere contemptibilem, ideoque poſſet imperfectus evadere, excidendo ex illo gradu ſupremæ auctoritatis, qua ſummam meretur Fidem. Paulò aliter. Summa in dicendo auctoritas, & ſumma veracitas, cùm ſint perfectiones ſimpliciter ſimplices, neceſſariò inſunt Deo enti in omni ratione infinitè perfecto. At, ſi quod Deus revelavit, poſſet abſolutè eſſe falſum, Deus non haberet ſummam in dicendo auctoritatem, nec ſummam veracitatem, qua nempe major excogitari nequeat, ac proinde excogitari poſſet ens melius Deo, nempe ens quod ſummam haberet veracitatem, qua major eſſe non poteſt.

Denique ſi Deus poſſet falſum aſſerere, non deberetur Deo loquenti ſumma Fides: nam ſumma Fides eſt ea, qua firmior eſſe non poteſt. Sed ſi Deus poſſit falſum aſſerere, poteſt eſſe firmior aliqua Fides quàm ea, quæ debeatur Deo loquenti, ea nimirum, quæ daretur enti, quod nunquam falſum aſſerere poſſet.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Illud, lib. 3. Regum, c. 22. *Dedit Dominus ſpiritum mendacii in ore omnium Prophetarum tuorum.* Et illud, Ezechiel. c. 14. *Prophetа cùm erraverit, & locutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum.* Et illud, 2. Theſſal. c. 2. *Ideo mittet* (Deus) *illis operationem erroris, ut credant mendacio.* Ergo Deus poteſt decipere, ideoque revelare falſum.

Reſp. Diſt. conſeq. Deus poteſt decipere permiſſivè tantùm, permittendo ſcilicet propter peccata hominum, ut decipiantur, & hanc deceptionem ſibi tanquam non impedienti, & libere permittenti adſcribere, *conc. conſeq.* Poteſt decipere directè & propriè, falſum ſcilicet revelando, *nego conſeq.* Nam hoc evidenter repugnat enti ſummè veraci, & infinitè ſapienti ac bono.

Porro ideo deceptio tribuitur Deo ut eam permittenti, quia non accideret, ſi non vellet illam permittere.

Inſt. 1. Deus nulla lege tenetur ad non decipiendum, cùm careat ſuperiore. Ergo poteſt decipere propriè.

Reſp. Nego conſeq. Quia Deus ex ſe & ex natura ſua eſſentialiter determinatus eſt ad non faciendum id, quod alicui attributo, putà veracitati adverſatur, neque enim ſe ipſum negare poteſt, ut ait Apoſtolus; & in hoc ſenſu ſibi eſt lex ne decipiat: quemadmodum ex ſe eſſentialiter determinatus eſt ad non faciendum aliquid inordinatum & diſſentaneum ſanctitati ſuæ, & naturæ ſuæ infinitè perfectæ; & in hoc ſenſu eſt ipſe ſibi lex, ne peccet.

Inſt. 2. L. 3. Regum, c. 22. Deus dixit ſpiritui mendacii: *decipies & prævalebis, egredere, & fac*

& facita. Ergo Deus præcipit deceptionem, ergo decipere poteſt propriè.

Reſp. Nego conſeq. Nam hæ voces (*egredere & facita*, non ſignificant imperium, ſed meram permiſſionem.

Inſt. 3. Eodem c. Michæas Propheta ait: *vade proſperè, & tradet eam* (urbem Galaad) *in manus Regis.* Quod tamen falſum fuit.

Reſp. Michæas hæc dixit ironicè, quod ſatis ex modo dicendi & ex circumſtantiis patuit audienti, nam ſtatim ibi additur: *dixit autem rex ad eum: iterum atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi niſi quod verum eſt, in nomine Domini.*

Inſt. 4. Judicum c. 20. Deus re ipſa poſitivè decepit Iſraelitas, qui eum conſuluerant, num pugnarent contra Benjamitas.

Reſp. Neg. Sed Iſraelitæ à ſe ipſis duntaxat decepti ſunt, non à Deo. Nam conſuluerunt tantùm Deum, num deberent aſcendere Gabaa, & pugnare contra Benjamitas, & nullatenus de victoria ex præſumptione conſuluerunt. Quare Deus nihil de pugnæ ſucceſſu, de quo conſultus non fuerat, reſpondit, ſed tantum ut aſcenderent Gabaa, & pugnarent. Unde ſi ex reſponſo divino deceptionis occaſionem ſumpſerunt, & à Benjamitis bis cæſi ſunt, ſibi ſolis imputare debuerunt.

Obj. 2. Joan. c. 7. Chriſtus teſtatur ſe non aſcenſurum eſſe ad diem feſtum, & tamen aſcendit.

Reſp. Chriſtus rogatus ut aſcenderet Jeroſolymam ad diem feſtum palam & publicè, reſpondit ſe non aſcenſurum, palam ſcilicet & publicè. Quod re ipſa præſtitit. Nam v. 10. legitur: *ut autem aſcenderunt fratres ejus, tunc & ipſe aſcendit ad diem feſtum non manifeſtè, ſed quaſi in occulto.* Neque hic Chriſtus æquivocationem aut reſtrictionem mentalem admiſit: nam reſpondit ad mentem & ſecundùm ſenſum eorum, qui eum interrogaverant; rogatus enim fuerat à fratribus ſeu conſanguineis, ut aſcenderet ad diem feſtum palam & publicè.

Obj. 3. Multæ prædictiones & promiſſiones, quæ in Scriptura reperiuntur, non fuerunt impletæ.

Reſp. Prædictiones, comminationes, & promiſſiones divinæ, quæ non fuerunt impletæ fuerunt conditionatæ, & effectu caruerunt, quia non eſt poſita conditio, ſub qua Deus promiſit aut comminatus eſt. Sic illa prædictio & comminatio Jonæ (*adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur*) erat conditionata, nempe ſi Ninivitæ interea pœnitentiam non egerint.

Promiſſiones autem & comminationes divinæ ſæpe conditionatæ ſunt, licet conditio non exprimatur, quia ſæpe ſubintelligitur conditio aliqua, vel exceptio: quæ quidem cognoſcitur, vel ex ipſa Scriptura, vel ex Traditione, vel ex declaratione Eccleſiæ, vel ex gravi aliqua & evidenti ratione, vel ex ipſa propoſitione, qua promiſſio vel comminatio continetur.

Nota. In Scriptura ſæpe propoſitiones non ſunt univerſales niſi *in ſenſu morali*, in quo parum pro nihilo reputatur, & ſæpe vox omnes ſignificat plerosque aut ferè omnes.

Obj. 4. Multi in Scriptura inſtinctu Spiritus Sancti mentiti ſunt.

Reſp. Neg. Nam non omnia dicta vel facta quarumlibet perſonarum, etiam Patriarcharum, & aliorum Sanctorum virorum, quæ in Scripturis narrantur, poſſunt à mendacio vel alio peccato ſaltem materiali excuſari, nec proinde Deo inſpiranti attribui poſſunt. Sed in Scripturis inſtinctu Spiritus Sancti locuti ſunt Chriſtus, Moyſes, Prophetæ, Apoſtoli, Auctores ſeu Scriptores Librorum ſacrorum, item alii viri Sancti laudati à Scriptura, dum dogmata exponunt, & ex quorum dictis Eccleſia vel Patres argumenta depromunt. Unde quæ ab illis dicta referuntur in Scripturis, ſunt infallibiliter vera.

Inſt. 1. Abrahamus, & Jacob locuti ſunt Deo inſpirante, & tamen mentiti ſunt. Ergo.

Reſp. Cùm Abrahamus, Gen. cap. 22. dixit ſervis ſuis ſe reverſurum ex monte cum filio Iſaac, non eſt contra mentem locutus: nam ſperabat Iſaac brevi poſt immolationem ſuſcitatum iri, ut implerentur divinæ promiſſiones de illo factæ.

Quod ſpectat ad Jacob, qui, Gen. c. 27. dixit Patri ſuo: *Ego ſum primogenitus tuus Eſau*: alii cum S. Auguſt. eum excuſant à mendacio; alii cenſent mentitum quidem eſſe, ſed negant eum inſtinctu Spiritus Sancti hæc dixiſſe. Cùm autem, Gen. c. 32. Jacob dicit: *vidi Deum facie*

ad

ad faciem: loquitur de visione Dei sub specie externa & sensibili. Et cum Scriptura negat Deum videri ab homine in hac vita, hoc intelligitur de visione divinæ essentiæ in se ipsa, quæ justis non conceditur nisi in cœlo.

Inst. 2. L. 4. Regum, c. 8. Elisæus promittit sanitatem Benadad, qui tamen intra pauciſſimos dies mortuus est.

Resp. Elisæus sanitatem Benadad promittit, asserendo morbum, quo tenebatur, non esse lethalem, & simul prædicit eum ex alia causa moriturum esse; sic enim Elisæus de illius regis morbo interrogatus respondit: *Vade, dic ei, sanaberis. Porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur.* Hazael quippe mox Regem occisurus erat.

Obj. 5. In Scripturis multæ reperiuntur contradictiones. Sic Exod. c. 20. Deus dicitur visitare iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Et, Ezech. c. 18. dicitur: *Filius non portabit iniquitatem patris.* Paulus ad Rom. c. 3. ait: *Arbitramur justificari hominem per Fidem sine operibus legis.* Et, Jac. c. 2. dicitur: *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo.*

Resp. Eæ contradictiones sunt tantùm apparentes, & facilè à viris doctis conciliantur. Sed hæc conciliatio, utpote prolixior, non est nostri instituti, sed pertinet ad interpretes Scripturarum. Consule Tirinum, qui in fine commentarii habet indicem valde prolixum antilogiarum S. Scripturæ, seu apparentium contradictionum, quæ in hoc commentario componuntur & conciliantur. Sic in primo textu objecto agitur de pœna temporali, & in secundo de pœna spirituali & æterna. In tertio Paulus loquitur de operibus merè naturalibus seu sine Fide & gratia factis: & in quarto Jacobus de operibus ex Fide & gratia factis.

Nota. Quoad rem non est major auctoritas Dei jurantis, quàm simpliciter loquentis, cùm auctoritas Dei loquentis sit summa & infinita, qua proinde major esse nequit. Non ideo tamen inutile est juramentum Dei, nam valet 1. ad inculcanda Dei dicta, juramentum enim est quasi geminata locutio. 2. Ad significandam immobilitatem voluntatis Dei aliquid promittentis, & infallibilitatem absolutam promissionis, ut docet Apostolus, Hebr. 6. *Abundantiùs Deus volens ostendere pollicitationes hæredibus immobilitatem consilii sui, interposuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.*

ARTICULUS II.

Utrum religio Christiana sit evidenter credibilis?

Nota. Esse credibile hic est esse dignum fide firma, sive est non posse nisi imprudenter negari, aut in dubium revocari. Unde esse evidenter credibile est evidenter apparere dignum assensu firmo, sive est evidenter apparere non posse nisi imprudenter negari, aut in dubium revocari. Porro credibilitas potest esse tanta, ut faciat rem evidentem, saltem per reflexionem & discursum.

§. I.

Dico. Doctrina Christiana seu Catholica habet evidentiam credibilitatis maximam, ita ut major esse nequeat infra evidentiam simplicem.

Prob. Illud habet evidentiam credibilitatis maximam, quod evidenter apparet non posse nisi imprudentissimè & insanissimè negari, aut in dubium revocari. Atqui talis est veritas doctrinæ Christianæ seu Catholicæ. Ergo veritas doctrinæ Christianæ habet evidentiam credibilitatis maximam, *Prob. min.* Nam argumenta credibilitatis, quibus probatur veritas doctrinæ Christianæ, talia sunt, ut evidenter appareat non posse nisi imprudentissimè, & insanissimè negari, aut in dubium revocari, quòd Deus sit Auctor doctrinæ Christianæ, omniaque ejus dogmata revelârit. Ergo doctrina Christiana evidenter apparet non posse nisi imprudentissimè & insanissimè negari, aut in dubium vocari ut vera. *Prob. anteced.* Exponendo illa argumenta seu motiva credibilitatis, ex quibus apparet religionem Christianam habere Deum auctorem, ideoque veram esse. Hæc autem argumenta petuntur ex qualitate doctrinæ, ex modo, quo religio illa initium ac incrementum accepit, ex conditione testium, qui eidem religioni tanquam à Deo profectæ, attestentur; denique ex miraculis eandem confirmantibus. Ex quibus omnibus patebit illud: Psal.

92. *Te-*

92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.*

Primum motivum ſeu argumentum credibilitatis veritatis doctrinæ Chriſtianæ eſt ejus ſanctitas & efficacia: ſic exponitur. Evidens eſt evidentia credibilitatis maxima doctrinam illam eſſe à Deo auctore, non autem ab aliquo deceptore, quæ nullius falſitatis unquam convinci potuit: quæ nihil continet, quod rationi adverſetur, nihil præcipit, quod rationi non conſonet: quæ ideam Dei præſtantiſſimam, ac digniſſimam, modumque eum colendi perfectiſſimum tradit, ejus attributa omnia mirabiliter commendat: quæ ex omni parte ſancta eſt; quippe quæ omne malum, omne turpe ac inhoneſtum damnat, omnem vel leviſſimam inordinationem, & non ſolùm omnem actionem externam, ſed etiam omnem volitionem, omne deſiderium, & omnem complacentiam mali vetat, omne honeſtum ac bonum neceſſarium ad vivendum conformiter rectæ rationi & naturæ rationali ut rationali præcipit, omne optimum ac perfectiſſimum conſulit, omne vitium dehortatur, & ad continuum ac conſtans virtutum omnium exercitium adducit: vitium ac peccatum omne vitandi, pie ſanctèque vivendi, & omne opus bonum agendi, virtutesque omnes exercendi motiva efficaciſſima, mediaque aptiſſima ſuggerit: quæ demum divinam prorſus vim conjunctam habet in hominibus ad integritatem & ſanctitatem morum revocandis: quæ univerſum propè orbem ab idolorum ac dæmoniorum cultu ad unius Dei veri cultum convertit, innumeros homines à vitiis ad ſtudium virtutis ac ſanctitatis revocavit, hominibus luxuriæ deditis caſtitatem, ſuperbis humilitatem, iracundis manſuetudinem, avaris liberalitatem in pauperes, injuſtis æquitatem, &c. efficaciter perſuaſit: innumeros omnis ſexus, ætatis, conditionis homines omni virtutum genere claros, & Angelicæ planè vitæ ſectatores, rerum omnium creatarum & ſui ipſius contemptores fecit, & facit; ad Dei cultum & amorem perfectiſſimum adduxit, & adducit. Atqui talis eſt doctrina Chriſtiana. Ergo evidens eſt evidentia credibilitatis maxima doctrinam Chriſtianam eſſe à Deo Auctore, ideoque veriſſimam.

Præterea quod etiam valde mirum ac divinum eſt, omnes, qui mores & affectus ſuos ad doctrinæ Chriſtianæ præcepta & conſilia, quantumvis naturæ corruptæ moleſta, ſenſibus ingrata, cupiditatibus omnibus contraria conformant, non ſolum morum ſanctitatem aſſequuntur, ſed etiam pacatiſſima conſcientiæ ſecuritate perfruuntur, miraque perfunduntur animi voluptate, item qui terrenas omnes voluptates, & omnia hujus vitæ bona deſerunt ad ejus conſilia ſervanda, in ipſa rerum omnium abdicatione, in ſui contemptu, in ſenſuum, cupiditatum ac voluntatis propriæ continua mortificatione, atque in meditatione ac contemplatione dogmatum ejus percipiunt ſummas animi delicias, gaudium maximum. Quod ſanè ſupernaturale ac divinum eſt, cùm ex nulla re naturali, ſed ex voluptatum ſenſualium fuga, & rerum humanarum ac naturalium abdicatione, & rerum ſpiritualium ac mentem humanam excedentium contemplatione oriatur.

Secundum motivum credibilitatis petitur ex modo, quo doctrina Chriſtiana in orbem terrarum inducta, & propagata eſt. Nam Religio Chriſtiana, quæ omnes alias Religiones multis ſæculis ſtabilitas deſtruit: quæ dogmata per ſe incredibilia, humanæ menti impervia, & præcepta aſpera ſervatu difficillima, ſenſibus ingrata, cupiditatibus omnibus naturalibus contraria continet: quæ nil humanum, ſenſibile, temporale pollicetur, nullum motivum naturale proponit, imò omne motivum cupiditatum rejicit, fuit ab univerſo orbe recepta ope paucorum piſcatorum, natura timidorum, rudium, pauperum atque contemptibilium, abſque ullo humano ac naturali medio, ſubſidio, auxilio, imò toto conatu obſiſtentibus omnibus hominibus & dæmonibus, Imperatoribus, Principibus, Magiſtratibus, Populis, Oratoribus, Philoſophis, Ethnicis & Judæis, atque omni ſuppliciorum genere contra ejus ſectatores adhibito. Tamen inter tot & tanta impedimenta, hanc doctrinam creditu & ſervatu difficillimam, à paucis piſcatoribus prædicatam amplexi ſunt non ſolùm rudes, pauperes, ignobiles, ſed etiam homines ſua ætate doctiſſimi, ingenio præſtantiſſimi, viri & fœminæ genere clari, locupletiſſimi, urbium Magiſtratus, Præfecti Provinciarum, Milites, Tribuni, Duces,

ces, & tandem ipſimet Reges & Imperatores. Certè *à Domino factum illud eſt, & eſt mirabile in oculis noſtris*, Matth. c 21.

Ex quo jam ſic argumentor. Sane eſt evidens evidentia credibilitatis maxima, doctrinam illam habere Deum auctorem, quam evidens eſt evidentia maxima non poſſe niſi imprudentiſſimè negari in mundum introductam, & propagatam eſſe virtute divina. Atqui evidens eſt evidentia maxima, non niſi imprudentiſſimè negari poſſe doctrinam Chriſtianam in mundum introductam, & propagatam eſſe virtute divina. Ergo evidens eſt evidentia credibilitatis maxima doctrinam Chriſtianam habere Deum auctorem, ideoque veram eſſe. *Prob. min.* Nam evidens eſt evidentia maxima doctrinam creditu & ſervatu difficillimam, imò naturaliter impoſſibilem, naturæ corruptæ inimiciſſimam, vitia ac peccata omnia vel leviſſima atque affectus omnes inordinatos damnantem, imò ad horum fugam ad ſui odium ac contemptum adducentem, à paucis piſcatoribus, pauperibus, rudibus, omni præſidio ac auxilio humano deſtitutis prædicatam, toto interea conatu obſiſtentibus Philoſophis, Magiſtratibus, Præfectis Provinciarum, Regibus & Imperatoribus, atque ſectatores hujus doctrinæ exilio, bonorum proſcriptione, ſuppliciis & morte acerbiſſima mulctantibus, non potuiſſe niſi virtute divina recipi ab univerſo prope orbe, & ab ipſismet Philoſophis, Principibus & Imperatoribus, repudiato Paganiſmo, quamvis primis ſæculis vigente, & naturæ corruptæ ac cupiditatibus omnibus omnia concedente.

Tertium motivum ſeu argumentum petitur ex teſtibus, qui veritatem Religionis Chriſtianæ atteſtantur. Teſtes illi ſunt Chriſtus, Apoſtoli, Martyres, Doctores, & Prophetæ.

I. Quidem Chriſtus, Fidei Chriſtianæ auctor & conſummator, nec non ejuſdem teſtis maximè idoneus, qui ſcilicet fuit ea ſanctitate, ut non potuerit velle nos decipere. Quæ enim debuit eſſe ejus ſanctitas, qui auſus ſit etiam infenſiſſimis inimicis dicere; *quis ex vobis arguet me de peccato?* qua ſapientia præditus fuit? quam doctrinam tradidit? prorſus ſanè divinam. Nihil ea ſublimius, nihil præſtantius, nihil utilius hominibus: quæ quidem omnium quotquot extitere Philoſophorum ſapientiam ac doctrinam infinito intervallo ſuperat. Qua porro benignitate hanc doctrinam tradidit, qua fortitudine ac conſtantia defendit? pro ea graviſſimum crucis ſupplicium ſubire voluit.

II. Apoſtoli, antea indocti, rudes, ſemper inermes, omni humana ope deſtituti contra totum orbem inſurgunt, ſpretisque ſuppliciis fidem Chriſtianam ubique fortiter prædicant. An verò dici poſſunt ipſi decepti? at ea referunt, quæ oculis viderunt, auribus audierunt, manibus contrectarunt: an alios decipere velle? at qua ſpe? non opum, non honorum, non voluptatum, cùm non niſi opprobria, acerbiſſimos cruciatus, mortem ipſam viderent ſibi eſſe præparata. An fortè deſipuere? At ſapientiam planè mirabilem eorum ſcripta exhibent.

III. Martyres multitudine innumerabiles ex omni ſtatu, conditione, ſexu, ætate, qui à primis Eccleſiæ temporibus ad hæc uſque noſtra tempora perpetuo non defuerunt, qui diriſſima ſupplicia & mortem acerbiſſimam eximia patientia, fortitudine, conſtantia, animi alacritate, charitate erga ſuos perſecutores ac tortores perpeſſi ſunt pro doctrina Chriſtiana ſenſibus & cupiditatibus inimica, creditu ac ſervatu difficillima, nullo motivo humano ac naturali excitati & corroborati: quorum unicum crimen fuit illa ipſa Fidei noſtræ confeſſio, à qua, nec minis, nec promiſſis avocari potuerunt: à quibus omnem fanatici furoris ſuſpicionem removet probitas, modeſtia, humilitas, obedientia Eccleſiæ exhibita, & ſapientia, qua commendati fuêre. Et quod maximè mirabile eſt, poſt tot ac tantas hominum Chriſtianam Fidem profitentium ſtrages, poſt immaniſſimas perſecutiones tribus ſæculis toto orbe continuatas, aut pluries iteratas non modò non eſt extinctus vel imminutus Chriſtianiſmus, ſed e contra mirum in modum auctus & propagatus eſt, cum tamen unius aut paucarum gentium potentia potentiſſimis Regnis & Rebus publicis evertendis ſufficerit. Unde illud Tertulliani, Apolog. c. ult. *Exquiſtior quæque crudelitas veſtra illecebra eſt magis ſectæ. Plures efficimur, quoties à vobis metimur: ſemen eſt ſanguis Chriſtianorum.* Certè evidens eſt evidentia credibilitatis maxima id fieri non potu-

potuisse sine magna Dei virtute, cujus doctrinam tuerentur.

Porro Martyrum multitudinis & constantiæ, imo & prodigiorum in illorum morte, vel post illam factorum ita evidens & constans est relatio, ut nemo sanæ mentis eam repudiare possit.

IV. Ecclesiæ Doctores, quorum auctoritas quanti sit ponderis facilè patet. Nam fuerunt tum præstantissimo ingenio præditi, & omni doctrina eruditissimi, & mira sapientia ornati, quod ipsorum libri satis demonstrant: tum studio præsertim & intelligentia rerum divinarum insignes, toti enim erant in iis meditandis tractandisque: tum numero multi omnium ferè ætatum: quorum quidem sanctitas in tam publica luce posita est, tamque constantibus indiciis se prodidit, ut à nemine prudenti negari aut in dubium vocari queat. Tales fuêre Justinus, Athenagoras, Irenæus, Cyprianus, Basilius, Athanasius, Gregorius, Nazianzenus, Nyssenus, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Cyrillus, Leo magnus &c.

V. Prophetæ, qui longè ante Christum uno velut concentu licèt diversis ætatibus Christianæ Fidei mysteria tam claris oraculis prænunciavêre, ut fere magis historicos dicas quam Prophetas. Quorum quidem oraculorum ea vis est, ut subtilia quæque incredulorum effugia facile eludant. De quibus oraculis dici nequit, quòd fuerint à Christianis conficta; cum contineantur iis libris, qui ab infensissimis Christianismi hostibus verè ac certo divini habentur.

Certè Religio, cujus veritatem atteſtantur testes, cujusmodi sunt enumerati, non potest non evidenter apparere credibilis ut divina & vera.

Quartum motivum credibilitatis petitur ex miraculis in confirmationem doctrinæ Catholicæ patratis. Nam 1. Christus innumera miracula in confirmationem doctrinæ suæ fecit, ut testantur Apostoli & Evangelistæ oculati testes, aut oculatorum testium discipuli: omne quippe morborum genus sanavit, cæcis visum restituit, mortuos ad vitam revocavit. Quæ quidem miracula si vera & certa non fuissent, ea non credidissent Apostoli, nec aliis ea publicis scriptis narrâssent. Si enim falsa fuissent, facilè convinci potuissent falsitatis in tam recenti memoria: ac proinde Apostoli sua illa narratione Evangelio non feciſſent Fidem; sed detraxissent. Præterea si miracula non fecit Christus, quibus divinitatem suam probaret discipulis suis, quid discipulos habuit adeo Fideles, ut honori ducerent pro ipso contumeliam pati, & mortem acerbissimam libenter obirent? Quid tandem illos homini jam mortuo tam arctè devinciebat? Quid ab ipso sperabant? Quid timebant? Profectò illis omnino persuasum erat Christum esse Deum, quod fieri non potuit nisi miraculis ipsius Christi. 2. Apostoli ipsi innumera miracula in confirmationem doctrinæ Christianæ patrârunt, ut testatur Lucas, in actis Apostolorum; & Marc. c. ult. his verbis: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Certè si miracula non fecerunt Apostoli, quomodo orbem terrarum sua prædicatione converterunt, & ita persuadere potuerunt doctrinam per se incredibilem & naturæ molestissimam, ut infinitus numerus discipulorum pro ea bonorum jacturam, exilium, dirissima supplicia, & mortem crudelissimam constanter alacriterque perpessus fuerit? Sanè conversio mundi ad Christianissimum facta sine miraculis esset magnum ac maximum miraculum. Ergo Apostoli vel multa fecerunt miracula, vel hoc unum fecerunt multis æquivalens, aut etiam præstans, nempe quòd orbem ad Fidem Christianam sine miraculis converterint. Hinc illud S. Augustı. l. 22. de civ. c. 5. *Si ... ista miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quòd terrarum orbis sine miraculis credidit.* Et c. 8. sic rectè contra incredulos concludit: *Quisquis adhuc prodigia ut credat, inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.*

His adde innumera miracula, quæ à Sanctis Christianis per singulas ætates patrata sunt in confirmationem doctrinæ Christianæ, & quæ non nisi imprudentissimè, insanissimeque negari possunt.

Jam sic argumentor. Illa doctrina auctorem Deum habet, in cujus confirmationem facta sunt vera miracula. Nam cùm verum miraculum sit opus superans vires naturales omnium creaturarum, non potest esse nisi à Deo; & quod confirmatur miraculo, confirmatur testimonio

 Dei,

Dei, qui falsum testari nequit. Atqui evidens est evidentia credibilitatis maxima facta esse miracula in confirmationem doctrinæ Christianæ. Ergo evidens est evidentia credibilitatis maximæ Doctrinam Christianam habere Deum auctorem, ideoque veram esse. *Prob. min.* Nam miracula Christi ab oculatis testibus vitæ sanctitate, veritatis amore, gloriæ divinæ studio, rerum humanarum ac vitæ contemptu, castitate, humilitate, charitate in proximum conspicuis scripta sunt stilo simplici, & ab omni falsitatis vel adulationis suspicione alieno, quibus nihil proderat, imò plurimùm tùm in hac, tùm in altera vita nocuisset mentiri, & ab eis palam prædicata & evulgata coram infensissimis Judæis, qui ea miracula nunquam negare ausi sunt, atque hactenus ab innumeris hominibus, qui Christianissimum amplexi sunt, & inter quos quàm plurimi præstanti ingenio, eximia doctrina, sapientia, vitæ sanctitate floruerunt, firmissimè credita. Eam etiam habent evidentiam miracula ab Apostolis facta, cùm ea crediderit & nobis transmiserit orbis ab ipsis Apostolis conversus; qui sanè conversus non fuisset, nisi ea vera fuissent.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Non omnes Christiani sunt sancti. Ergo doctrina Christiana non est sancta.

Resp. Nego conseq. Nam ideo non omnes Christiani sunt sancti, quia non omnes fideliter servant doctrinam Christianam: quàm si observarent omnes, revera omnes sancti essent: nam qui omnia dogmata Religionis Christianæ credunt, & vitam doctrinæ Christianæ consentaneam agunt, ii profectò magnam vitæ sanctitatem assequuntur.

Obj. 2. Doctrina Christiana multa continet, quæ videntur rationi repugnare ac planè incredibilia esse, ut Mysteria Trinitatis, Incarnationis, &c.

Resp. neg. Continet quidem multa, quæ captum humanæ mentis superant, nihil tamen quod rationi repugnet; nec unquam in ullare falsitatis convinci potuit a subtilissimis & acerrimis suis hostibus, ut Porphyrio, Celso, Juliano Apostata, & hodiernis Antitrinitariis ac Socinianis, ut patet tum ex apologiis Patrum pro Religione Christiana adversùs prædictos Gentiles, Philosophos, tum ex Theologorum solidis responsionibus ad objectiones, quibus ex ratione humana impugnantur Fidei nostræ Mysteria. Imò ipsa ratio naturalis evidenter docet Deum esse ens infinitum ideoque incomprehensibile intellectui finito, & consequenter modum essendi Dei esse etiam incomprehensibilem, juxta illud axioma Philosophicum, modus essendi sequitur esse, id est, modus essendi est proportionatus ipsi esse: illum autem modum essendi Dei, quem ratio dictat debere esse incomprehensibilem sicut est ipse Deus, fides docet esse Mysterium Trinitatis, quod proinde incomprehensibile debet esse. Item ratio docet non esse de rebus divinis judicandum pro modo & conditione rerum creatarum, neque divina & humana iisdem omnino subjici legibus, cùm res divinæ infinitè res humanas & creatas superent. Docet ergo ipsa ratio aliqua esse profunda Dei, quæ humana ratio scrutari non valet: esse debere in Deo multa impervia menti humanæ, quæ in speciem habeant repugnantiam, quam nullus intellectus creatus clarè conciliare possit. Præterea si in rebus sensibilibus ac passim obviis tam multa occurrunt, circa quæ explicanda ac concilianda deficit humani ingenii vis, ipsa ratio docet minimè mirum esse debere, si id contingat circa res divinas, & mysteria Religionis, quæ in superiori quodam ordine posita sunt.

Obj. 3. Ex parvis initiis magna imperia venerunt, & Mahumetismus paucis annis propagatus est.

Resp. Id factum est mediis ac viis naturalibus & humanis, nimirum armis, deprædationibus, &c. Sic Mahumetismus vi, armis, spe prædæ & rerum temporalium, & Doctrina cupiditatibus ac naturæ corruptæ favente propagatus est. At Christianismus introductus ac amplificatus est sine ullo medio ac præsidio naturali & humano, imò repugnante natura corrupta, & omnium gentium opinione ac consuetudine, atque toto conatu reluctante omni potestate humana & infernali.

Obj. 4. Intra brevissimum tempus Lutheranismus & Calvinismus multum propagatus est.

Resp.

Resp. Nihil mirum est: nam hominum cupiditatibus favent, Clericis uxores permittunt, Religiosos à votis absolvunt, omnes à confessionis, jejuniorum, & aliarum rerum obligatione eximunt, Magistratibus & Principibus bona Ecclesiastica tradunt, & Jurisdictionem spiritualem concedunt, &c. Magnum e contra miraculum est, quod hæ sectæ totam Europam non invaserint, & quòd longè maxima ejus pars in Fide Catholica constanter steterit.

Obj. 5. Sunt hæreses, quæ etiam Martyres habuêre,

Resp. Ingens est discrimen inter Martyres erroris, & Martyres Catholicæ Fidei. Nam Martyres erroris pauciſſimi sunt, nec omnis ætatis, conditionis, aut sexus, nilque præferunt divinum. Et ea inflati erant superbia & arrogantia, vel ea pleni contumacia, vel ea morum pravitate detestabiles, ut ipsos malo aliquo spiritu agi, & eorum mortem, non ex prudenti persuasione, sed ex vesana ac superba pertinacia aut vanæ apud suos gloriæ studio prodiisse, facilè appareret. At Martyres veræ Fidei innumeri sunt: & omnis ætatis, sexus, conditionis, & aliquid divinum præferunt sive in modo patiendi, fortiter, alacriter, magna charitate, sapientia, & humilitate, sive in mirabili pœnarum multitudine, acerbitate vel diuturnitate, sive in miraculis illorum supplicia comitantibus vel sequentibus. Et verò in Martyribus veritatis Christianæ aliquid omnino divinum ac supernaturale elucere necessariò debuit, quando quidem nullo alio motivo innumeri ad Fidem Christianam adducebantur quàm tali Martyrum spectaculo, quorum sortem ambiebant.

Obj. 6. Sua etiam paganismo non defuêre oracula futurorum prænuntiativa, quorum veritatem comprobavit eventus.

Resp. Hujusmodi oracula nequaquam comparanda sunt cum oraculis Christi & Prophetarum. Nam 1. non sunt consignata monumentis æquè authenticis ac oracula Christianæ religionis. Nam referuntur plerumque ab authoribus, quos constat in multis fabulas consectatos esse. 2. Celeberrima quæque paganorum oracula ad miram ambiguitatem tuêre composita, ità ut quodcumque tandem eveniret, in illius significationem facilè trahi ac converti posset. 3. Multa ex illis oraculis, quæ feruntur eventu comprobata fuisse, non nisi distortis admodum interpretationibus post eventum rerum excogitatis verifica a fuisse reperiuntur: unde hujusmodi oracula à sapientissimis quibusque inter Ethnicos deridebantur. 4. Si quæ non ambigua oracula in paganismo fuêre, quæ eventu clarè comprobata sunt, ea in gratiam religionis Christianæ edita fuêre, qualia sunt ea, quæ Sibyllarum dicuntur oracula; vel hujusmodi oracula erant de rebus, quæ sunt in potestate dæmonum: vel quarum eventus ex quibusdam signis jam positis verisimiliter admodùm conjectari posset, & à Deo occultas ob causas permissus fuit; unde illa oracula non arguebant propheticum lumen, quod à solo Deo dari potuisset. 5. Gentilitatis oracula, quæ erant dæmonum responsa, penitus obmutuere, Christiana religione in illis locis in quibus edebantur prædicata.

Obj. 7. Miracula, quæ dicuntur facta in confirmationem Christianismi, sunt meræ præstigiæ, aut effectus magiæ, seu dæmonis.

Resp. Ea non nisi insanissimè virtuti dæmonis aut præstigiis tribui possunt. Nam 1. eorum miraculorum, effectus erant stabiles, permanentes, constantes, multis hominibus conspicui, non autem apparentes tantum. Ergo non sunt præstigiæ & illusiones. 2. Multa superant dæmonum potestatem, ut cognitio secretorum cordis; certa prædictio rerum liberè futurarum, mortuorum suscitatio permanens ac stabilis, & obviis quibusque conspicua. 3. Multa fiunt in contumeliam dæmonis, ut ipsius expulsio à corporibus, eversio idolorum, silentium oraculis impositum. Non est autem credibile dæmonem sibi contumeliosum esse. 4. Modus faciendi ea miracula nullatenus sapit auctorem Diabolum: nam ea ferè facta sunt inter preces & invocationes Dei, aliáve opera sancta. 5. Finis istorum miraculorum non potest esse finis Diaboli: ideo enim fiebant, ut confirmaretur doctrina, quæ cultum Dei unius excellentissimum ac perfectissimum præscribit, à cultu dæmonum avertit, & sanctitatem hominibus persuadet. 6. Denique illa miracula fiebant in iis circumstantiis, in quibus omnes prudentes fieri putabant à Deo in confirmationem Christianismi; unde eum, reluctante licet natura corrupta, &

omni opinione præjudicata ac motivo humano obſiſtente, amplectebantur. Ergo re ipſa in eum finem facta ſunt: alioqui fallacia, ſi qua ſubeſſet, Deo attribueretur.

Dices. Apollonius Thianæus magus ſtupenda prodigia feciſſe narratur à Philoſtrato.

Reſp. Nullam meretur fidem Philoſtratus, qui centum poſt Apollonium annis vixit, quique ſibi ſæpiſſimè adverſatur, & multa abſurda cum illis prætenſis miraculis narrat. Præterea portenta illa Apollonii meræ fuerunt artis magicæ incantationes, & dæmonis præſtigiæ, ut aſſerunt SS. Chryſoſtomus, Auguſtinus, & Hieronymus, nec dæmonum virtutem ſuperant.

Dices. Antichriſtus in fine mundi multa prodigia, quibus innumeros homines ſeducet, patrabit contra veritatem Chriſtianiſmi.

Reſp. Antichriſti prodigia erunt dæmonum præſtigiæ & artes: unde non ſuperabunt naturales vires angelicas; nec proinde erunt vera miracula, quæ ſunt opera omnes vires naturales tum humanas, tum angelicas ſuperantia; neque illa prodigia ullatenus tum quoad ſubſtantiam, tum quoad circumſtantias comparari poſſunt cum miraculis, quibus fundata & propagata eſt Religio Chriſtiana; neque eſſe à Deo, facilè ex illorum fine patebit. Præterea hæc Antichriſti prodigia longè ante à Chriſto prædicta ſunt, ne homines vana illorum ſpecie decipiantur: unde talium prodigiorum eventu ſimul & veritas prædictionis Chriſti, & illorum prodigiorum vanitas ac illuſio confirmabitur. At verò Chriſti miracula adimplevere Prophetias, quibus ipſius Chriſti ut veri Meſſiæ, & Salvatoris adventus prænuntiatus eſt.

ARTICULUS III.

Utrum evidens ſit etiam evidentia ſimplici religionem Chriſtianam eſſe veram?

§. I.

Præmoranda.

I. EVidentia ſimplex eſt ea, qua intellectus convincitur de veritate propoſitionis; qua proinde evidentia præſente intellectus evidenter & neceſſariò judicat propoſitionem eſſe veram: ità ut quamdiu hæc evidentia adeſt, intellectum determinet, & ab eo excludat omnem dubitationem ac formidinem etiam involuntariam circa veritatem propoſitionis. Unde evidentia ſimplex differt tũ ab evidentia probabilitatis, qua nempe intellectus convincitur de veriſimilitudine propoſitionis, proindeque evidenter & neceſſariò judicat propoſitionem eſſe dignam aliquo aſſenſu, ſed tamen poſſe eſſe falſam: tum ab evidentia credibilitatis, qua intellectus convincitur de credibilitate propoſitionis, proindeque evidenter & neceſſariò judicat propoſitionem eſſe dignam aſſenſu firmo, nec poſſe niſi imprudenter negari, aut in dubium revocari: quod non impedit, quin compati poſſit involuntariam aliquam dubitationem circa veritatem propoſitionis.

II. Evidentia ſimplex duplex eſt. Nam alia eſt evidentia propoſitionis in ſe ipſa, cùm nempe ſecundum ſe evidenter apparet convenientia ſeu identitas prædicati cum ſubjecto; alia verò evidentia propoſitionis in alio, cùm nempe intellectus per aliud convincitur de veritate propoſitionis, ſed non apparet evidenter quomodo prædicatum conveniat ſubjecto. Sic hæc propoſitio (*totum eſt majus ſua parte*) eſt ſimpliciter evidens in ſe ipſa: nam intellectus convenientiam prædicati cum ſubjecto evidenter ſecundùm ſe percipit. At hæc propoſitio (*ſol exiſtit*) eſt ſimpliciter evidens in alio tantum: nam per effectum convincitur intellectus de exiſtentia ſolis, ſed non cognoſcit evidenter, quid ſit ſol.

III. Evidentia ſimplex adhuc ſubdividitur in metaphyſicam, phyſicam, & moralem magnam. Metaphyſica eſt ea, quam abſolutè repugnat eſſe fallacem. Phyſica eſt ea, quæ non poteſt eſſe fallax ſecundùm naturalem rerum ordinem, ſed ſolùm per miraculum. Moralis magna eſt ea, quæ licèt abſolutè & ſine miraculo poſſit fallere: nunquam tamen contingit eam fallere: quare æquivalet Phyſicæ, & cum illa confunditur.

IV. Certum eſt, doctrinam Chriſtianam, ſeu myſteria Fidei Chriſtianæ non habere evidentiam rei in ſe per motiva credibilitatis. Nam ut patet, illa motiva non faciunt, ut myſteria videantur in ſe, aut evidenter cognoſcatur quomodo ſint. Quare agitur hic tantum de ſimplici evidentia rei in alio, utrùm nempe veritates re-

velatæ & revelationes divinæ ſint evidentes ſimpliciter in alio, nimirum in motivis credibilitatis, ita ut per illa motiva evidenter cognoſcatur vera eſſe myſteria Religionis noſtræ.

§. II.

Dico. Per motiva credibilitatis ſaltem ſimul ſumpta bene penetrata evidens eſt evidentia ſimplici Religionem ſeu doctrinam Catholicam eſſe veram & à Deo revelatam.

Prob. 1. Ex Scriptura, quæ dicit myſterium Verbi incarnati manifeſtatum eſſe, videri, ut Pſal. 97. *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum .... viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri.* Et Coloſſ. 1. *Myſterium* (Incarnationis) *quod abſconditum fuit à ſæculis & generationibus, nunc autem manifeſtatum eſt ſanctis ejus.* Et Joan. 1. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre.* Et c. 2. *Manifeſtavit gloriam ſuam.* Et 1. Joan. 1. *Vita manifeſtata eſt, & vidimus & teſtamur; & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Hæc verba (*videri, manifeſtatum eſſe, apparere*) ſignificant evidentiam ſimplicem. Nec aliter Scriptura exprimit evidentiam exiſtentiæ Dei, quæ ſanè eſt evidentia ſimplex; ſic enim, Sap. 13. ait: *A magnitudine ſpeciei & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri.* Et Rom. 1. *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis. Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Non poteſt autem eſſe evidens ſimpliciter Chriſtum eſſe Deum, quin etiam ſit ſimpliciter evidens doctrinam Chriſtianam eſſe divinam, ideoque veram, cùm Chriſtus ſit auctor doctrinæ Chriſtianæ.

Prob. 2. Ex Patribus: pro omnibus ſufficiat S. Auguſt. Epiſt. 3. ubi ait: *Num homine aſſumpto, alium mundum facere debuit, ut eum eſſe crederemus, per quem factus eſt mundus? Sed nec major mundus, nec iſti æqualis in hoc mundo fieri poſſet. Si autem minorem faceret intra iſtum, ſimiliter hoc quoque parum putaretur. Quia ergo non oportebat, ut novum faceret mundum, nova fecit in mundo. Homo enim de virgine procreatus, & à mortuis in æternam vitam reſuſcitatus, & ſuper cœlos exaltatus, potentius ejus fortaſſe opus eſt, quam mundus.* Ergo ex S. Doct. Chriſtus per miracula à ſe patrata non minus, imò fortaſſe magis oſtendit ſe Deum eſſe, quàm ſi alterum mundum creâſſet. Sed per creationem alterius mundi oſtendiſſet evidenter evidentia ſimplici ſe eſſe Deum. Ergo Chriſtus per miracula à ſe patrata ſuam divinitatem demonſtravit evidenter evidentia ſimplici. Item S. Aug. lib. 12. contr. Fauſtum, c. 43. motivis credibilitatis priùs expoſitis, ſic ait: *Quid ad hæc* (motiva credibilitatis) *reſpondetis inſani? nempe iſta manifeſtè ſunt: nempe omnes, non dico calumnias contradictionis, ſed etiam nebulas dubitationis expellunt.* His adde auctoritatem Cleri Gallicani, qui ann. 1700. damnavit duplicem propoſitionem, qua utraque aſſeritur Religionem Chriſtianam non eſſe evidenter veram evidentia propriè dicta.

Prob. 3. Ex ipſis motivis credibilitatis, Nam 1. ſimpliciter evidens eſt ſanctitate & efficacia Religionis Chriſtianæ prorſus ſupernaturali, bene perſpecta, Religionem Chriſtianam non eſſe ab aliquo impoſtore, ſed habere Deum Auctorem, ideoque eſſe veram, & conſequenter vera eſſe Fidei noſtræ myſteria: nam non poteſt eſſe vera religio, quæ falſa myſteria doceat. 2. Simpliciter evidens eſt ex modo, quo introducta, propagata & conſervata hactenus fuit Religio Catholica, eam ſic inſtitui, propagari, & conſervari non potuiſſe ſine ſpeciali Dei auxilio. Atqui ſimpliciter evidens eſt, Deum non poſſe ſpeciale auxilium præbere religioni falſæ, quæ omnem aliam religionem repudiat: alioqui Deus ſpecialiter ſua auctoritate averteret à vera Religione, à vero cultu ſibi exhibendo, & Religioni falſæ faveret, eámque promoveret: quod evidenter Deum dedecet, & ejus bonitati, ſanctitati, ſapientiæ, & fini creationis repugnat. Ergo ſimpliciter evidens eſt Religionem Chriſtianam non eſſe falſam Religionem, ſed veram. 3. Quamvis non videamus miracula à Chriſto & ab Apoſtolis in confirmationem Religionis Chriſtianæ facta; tamen habemus relationem teſtatiſſimam miraculo-

rum

rum illorum in ordine ad pariendam evidentiam, & convincendum intellectum visioni saltem æquivalentem, ita ut meritò potius diffiderem de visione mea quàm de illa relatione. Sed ex S. Thom. miraculum tribuit evidentiam simplicem rei per illud confirmatæ; nam, 2. 2. q. 5. art. 2. sic ait: *Si aliquis Propheta prænuntiaret in sermone Domini aliquid futurum, & adhiberet signum, mortuum suscitando: ex hoc signo convinceretur intellectus videntis, ut cognosceret manifestè, hoc dici à Deo, qui non mentitur.* 4. Cuilibet prudenti & perspicaci rerum æstimatori simpliciter evidens est absolutè fieri non posse, ut error sub talibus ac tantis motivis bene penetratis appareat: permissio enim talis erroris evidenter Deo repugnat ex parte ejus infinitæ bonitatis & sinceritatis: Deus quippe summè bonus, veritatis & gloriæ suæ studiosus permittere non potest, ut homines veritatem sincerè quærentes in materia tanti momenti ad ejus cultum & gloriam spectante, errent prudenter errore inevitabili, quomodo errarent si Doctrina Christiana falsa esset. Enim verò evidenter apparet repugnare divinæ providentiæ, quæ circa providendum divini Numinis cultum per veram Religionem speciatim invigilare debet, repugnare, inquam, quòd permittat tot támque insignia motiva credibilitatis, qualia habet Religio Christiana, in falsa Religione & in ea sola inveniri? Nam qua evidentia evidens est Deum existere, evidens est pariter existere aliquam Religionem, qua Deus ritè colatur.

Quàm meritò igitur Richardus à S. Victore, l. 1. de Trinit. c. 2. ait: *Domine, si error est, à te decepti sumus. Nam ista* (dogmata Fidei nostræ) *in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.*

Prob. Denique ex comparatione Religionis Catholicæ cum aliis omnibus Sectis: sic. Est simpliciter evidens 1. Deum existere, providere rebus humanis, velle coli ab hominibus vero cultu, & consequenter verum Dei cultum aliquem existere in mundo. 2. Verum illum Dei cultum, seu veram Religionem debere esse saltem prudenter credibilem: alioqui Deus non providisset sufficienter saluti hominum & suæ gloriæ, nec Deus vellet sincerè coli ab hominibus vero cultu, siquidem homines prudenter agendo non possunt veram illam Religionem discernere ab aliis. Atqui simpliciter evidens est nullam Religionem præter Christianam seu Catholicam esse prudenter credibilem. Ergo simpliciter evidens est veram Religionem, quæ existit, esse Religionem Catholicam.

Minor patet ex dictis, & adhuc probatur. Simpliciter evidens est doctrinam Catholicam esse saltem ita prudenter credibilem, ut excludat omne dubium prudens de ejus veritate, ut constat ex motivis credibilitatis. Hoc autem non potest esse evidens, si ulla alia Secta seu Religio esset prudenter credibilis. Nam cùm doctrina Catholica omnem aliam Religionem damnet ut falsam, si aliqua alia Religio esset prudenter credibilis, posset dubitari prudenter de veritate Doctrinæ Catholicæ eam damnantis, ut patet.

Eadem minor sic adhuc ostenditur inductione. Nam omnes Sectæ oppositæ Doctrinæ Catholicæ vel nullum, vel multiplicem, vel unicum Deum colunt. Sed quæ nullum vel multiplicem Deum colunt, non sunt prudenter credibiles, cùm sint evidenter falsæ, ut demonstratur in tractatu de Deo. Quæ verò unum Deum colunt sunt Sectæ Deistarum, Mahumetanorum, Judæorum, & Hæreticorum: quæ omnes non sunt prudenter credibiles, imò sunt prudenter incredibiles, ut ostendo; nam.

I. Deismus, quæ est Secta hominum docentium unum quidem Deum colendum esse, sed dumtaxat secundùm dictamen rationis naturalis, & rejicientium omnes divinas revelationes ut confictas, aut saltem non satis probatas, est prudenter incredibilis. Nam 1. sine ullo fundamento, & sine ulla ratione gravi asserunt Deum colendum esse dumtaxat secundùm dictamen rationis naturalis cujusque. 2. Non debuit Deus naturali cujuscunque hominis lumini determinationem sui cultus relinquere: quia in rebus divinis & cultu divino valde cæcutiunt homines sibi relicti, ut patet ex erroribus Philosophorum ingenio licet præstantissimo præditorum, putà Platonis, & aliorum. 3. Evidenter falsum est, revelationes omnes

divinas

divinas esse confictas aut non satis probatas, cùm evidens sit eas esse saltem maximè credibiles, ut constat ex dictis de motivis credibilitatis: quæ quidem motiva talia sunt, ut ne ipsi quidem Deistæ tot ac tanta postulare audeant ad statuendum de rebus vel gravissimi momenti. 4. Hæc Secta hactenus fuit paucorum hominum, & ut plurimùm flagitiosorum, quorum doctrina valet ad laxitatem & depravationem morum inducendam. Et verò in hoc corruptionis & cæcitatis naturalis statu quid potest in ordine ad mores & cultum divinum natura sibi relicta? Quare nullus est Deista, qui in omnibus rectæ rationis ductum sequatur, & qui non peccet graviter contra legem naturalem.

II. Mahumetismi falsitatem demonstrat ipsius doctrina in Alchorano contenta, à Mahumete homine imperitissimo & flagitiosissimo conficta, animalis, terrena, multa rectæ rationi dissentanea, & multas contradictiones atque absurditates complectens, fædas libidines permittens, & carnales voluptates in præmium beatitudinis promittens. Et si quam particulam rectæ doctrinæ habet, ea ex sacris libris Christianæ Religionis propriis subrepta, & intrusa est in Alchoranum. Fuit deinde Mahumetismi Secta vi potissimùm, armis, fraudibus introducta, & propagata est sine ullis miraculis, eo modo quo terrena imperia comparari, & amplificari solent: partim etiam ex eo, quòd cum vana quadam pietatis specie, quam profitetur erga unum supremum Numen cœli & terræ Dominum, laxet aliunde fræna cupiditatibus, & omni generi libidinum obscœnarum. Præterea cum Mahumetismi Religio supponat præexistentem veritatem Religionis Judaicæ, & Missionis Christi tanquam magni cujusdam Prophetæ, deberet talis Religio in libris Judaicæ Religionis, vel certè à JEsu Nazareno prænunciata fuisse cum missione Mahumetis tanquam majoris cujusdam Prophetæ, quemadmodum in libris illis veteris Testamenti continetur prænunciata Christi Missio, & innovatio seu perfectio divini Cultus ab eo facienda. Nullum tamen extat missionis Mahumetis prænunciatæ vestigium; sed potiùs extant prædictiones huic missioni contrariæ; nempe Religionis Christianæ perpetuitas & immutabilitas. Quo ergo titulo potuit Mahumetes se probare Prophetam à Deo missum? An fortè miraculis? At nulla prænunciata sunt ejus miracula, & nulla referuntur miracula à Mahumete edita, nisi ejus generis, & cum iis circumstantiis, ut meritò ac prudenter illusiones & præstigiæ aut fraudes censeri debeant. Denique ipse Mahumetes fatetur Christum fuisse Virum sanctum, verum Prophetam & miraculorum effectorem, ut ex antiquis refert Damascenus, lib. de hæres. circa finem, & agnoscunt ipsi Mahumetani. At si Christus fuit Vir sanctus, & Propheta, doctrinámque suam miraculis confirmavit, necesse est, ut Mahumetes fuerit impostor: nam Mahumetis doctrina in suo Alcorano contenta adversatur Evangelio. Neque dicant corruptum esse Evangelium: non enim corruptum fuit ante Mahumetis tempora; nam ipse illud quale tum habebatur, vocat librum vitæ: non post; nam evidens est Evangelium tale nunc esse, quale tunc erat, imò initio Christianismi fuit. Neque quempiam movere debet ampliſſima Mahumetanorum dominatio; nam paganismus, quem damnant Mahumetani, longè latiùs dominabatur, quàm nunc dominatur Mahumetismus. Quòd si Christianismus regiones aliquas Mahumetanorum invasione amisit, novarum gentium accessione præsertim in America plures acquisivit; & insuper in tota Mahumetanorum ditione plurimi sunt Christiani. Præterea Christianismus in omnibus orbis partibus diffusus est.

III. Judaismi, qualis nunc est, expectantis alium Messiam præter JEsum Filium Virginis Mariæ, falsitatem ostendunt. 1. Prophetiæ de Messia ejúsque Religione factæ, & in veteri Scriptura contentæ; quæ omnes JEsu Christo Filio Virginis Mariæ apprimè conveniunt, & in eo perfectissimè impletæ sunt. 2. Ipsa Christi & Apostolorum miracula. 3. Prædictiones Christi de excidio Judæorum, de Gentium conversione, de Ecclesiæ suæ institutione, propagatione, duratione, &c. quæ certissimè evenerunt. Quarum tamen omnium eventum non permisisset, nec permittere debuisset Deus, si Christus fuisset impostor,

poſtor, non verus Meſſias; & quarum eventus à libera innumerorum hominum voluntate pendebat. 4. Demum Danielis vaticinium de vaſtitate & calamitatibus Judaicæ gentis ob Chriſti necem inferendis, reipſa impletum eſt aliquot poſt Chriſti mortem annis. Et ab illo tempore Judæi licèt Idololatriæ crimine immunes, miraculis, prophetiis, templo, ſacrificiis, regno, ditione, & omni honore ſpoliati lugent, & ubique ſerviunt: in maximi ſcilicet ſceleris vindictam, quod non eſt aliud quàm Chriſti repulſa & mors ei ab illis illata. Interea dum Chriſtianiſmus à paucis piſcatoribus prædicatus, toto orbe floret, & Crux Chriſti in Regum & Imperatorum diademate fulget, Deo etiam nunc ejus veritatem variis miraculis non rarò in variis mundi partibus confirmante. Sanè ſatis eſſet inſpicere ſtatum, in quo nunc verſatur natio Judaica, olim populus Dei, & cui promiſſa fuerat temporalis felicitas quamdiu idololatriam vitaret, & divino cultui adhæreret; ſi enim illa natio ſit adhuc Dei populus, veram habens Religionem, cùm à Chriſti morte multò etiam firmiùs quàm anteà, tum unius Dei cultum, tum ſuæ legis cærimonias absque ullo idololatriæ crimine retinuerit, ubi, quæſo, illa felicitatis temporalis promiſſio in eo ſtatu abjectionis, diſperſionis, & oppreſſionis, in quo natio illa à tot ſæculis verſatur?

IV. Quamlibet hæreticorum Sectam non eſſe prudenter credibilem, ſed potiùs eſſe incredibilem, ſatis patet. 1. Quia doctrina Chriſti hactenus ſemper viguit in vera Chriſti Eccleſia juxta illud, Matt. 16. *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* At cujusque hæreſis notatur origo poſt Chriſtum, locus ubi orta eſt, & Auctor illius, à quo etiam ut plurimùm nomen accepit. Neque ullus hæreticus oſtendere poteſt aliquos ſemper extitiſſe à tempore Apoſtolorum, qui omnia ejus dogmata tenuerint, & Eccleſiam conſtituerint. 2. Quia hæreticorum Sectæ non habent notas veræ Chriſti Eccleſiæ, ſed ſola Catholica Eccleſia eas omnes habet, ut ſuo loco oſtenderur

Ex his omnibus ſic adhuc argumentor. Simpliciter evidens eſt, Deum non poſſe poſitivè inducere homines tota prudentia utentes in errorem inevitabilem circa Religionem & viam ſalutis: nam hoc eſt evidenter indignum Deo, & ejus bonitatem, ſanctitatem ac veracitatem evidenter dedecet. Atqui tamen Deus poſitivè induceret homines tota prudentia utentes in errorem inevitabilem circa Religionem & viam ſalutis, ſi Religio Catholica eſſet falſa: nam ſine ſpecialiſſima providentia fieri nequit, ut Religio Catholica tot ac tantos veritatis caracteres præ omnibus aliis Sanctis habeat. Ergo ſimpliciter evidens eſt Religionem Catholicam non eſſe falſam, ſed veram.

Paulò aliter. Ex dictis ſimpliciter evidens eſt, omnes poſſe prudentiſſimè amplecti Religionem Catholicam, eámque omnibus aliis præferre: ac proinde ſi Religio Catholica eſſet falſa, omnes poſſent prudentiſſimè amplecti falſam Religionem, eámque omnibus aliis anteponere, & nemo poſſet niſi imprudentiſſimè rejicere falſam Religionem. Atqui evidenter repugnat bonitati ac providentiæ Divinæ circa homines, ut permittat falſam Religionem tot ac tantos veritatis caracteres præ ſe ferre, ut oporteat homines prudenter agentes amplecti falſam Religionem, eámque omnibus ac proinde etiam veræ Religioni anteponere: nam evidenter repugnat bonitati & providentiæ divinæ circa homines, ut permittat eos, tota ſua prudentia utentes errare inevitabiliter circa Religionem & viam ſalutis. Ergo evidenter repugnat Religionem Catholicam eſſe falſam.

Porrò Religio, ut hic ſumitur, eſt diſciplina Dei colendi, ſaiuiſque humanæ procurandæ rationem præſcribens.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Si veritas doctrinæ Chriſtianæ habet evidentiam ſimplicem, neceſſaria non eſt illuſtratio ſupernaturalis ad credendum. Falſum conſeq. Ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Quia licèt veritas doctrinæ Chriſtianæ ſit evidens objectivè per motiva credibilitatis, tamen ſine illuſtratione ſupernaturali non eſt evidens formaliter ſeu reſpectu intellectus, ſive non cognoſcitur evidenter. Nam ſupernaturalis illuſtratio neceſſaria eſt ad penetranda & dignè æſtimanda moti-

motiva credibilitatis ſicut oportet, ut per illa ſeu in illis videatur veritas doctrinæ Catholicæ, & revelationum divinarum, ideoque ad percipiendam evidentiam credibilitatis, & ipſam evidentiam ſimplicem, quam habent revelationes divinæ à motivis credibilitatis benè perſpectis, ac condignè æſtimatis. Item illuſtratio ſupernaturalis neceſſaria eſt ad judicium practicè practicum, quo intellectus evidenter judicat veritates revelatas credendas eſſe ſuper omnia præcisè propter auctoritatem Dei revelantis.

Obj. 2. Non eſt tam evidens veram eſſe narrationem eorum, quæ in Evangelio continentur, quàm evidens eſt v. g. Romanum Imperium exſtitiſſe: nam hoc conſtat ex teſtimonio innumerabilium oculatorum. Ergo Religio Chriſtiana non eſt evidenter vera.

Reſp. 1. Equidem evidentia, quam facere poteſt revelatio dictorum, factorum & miraculorum Chriſti eſt minùs proportionata viribus naturalibus intellectus, quam evidentia relationis Imperii Romani olim exiſtentis: unde difficiliùs & à paucioribus percipitur, nec ſine ſupernaturali illuſtratione percipi poteſt quantùm requiritur ad plenam convictionem. Sed nihilominùs revelatio eorum, quæ in Scriptura narrantur, facere poteſt evidentiam ſimplicem tantam quantam, imò majorem quàm relatio Imperii Romani olim exiſtentis. Nam circumſtantia plurium teſtium oculatorum pro Imperio Romano olim exiſtente, abundè compenſatur imò ſuperatur per plures alias circumſtantias, quibus munitur revelatio eorum, quæ in Evangelio continentur. Nam pro veritate actionum, doctrinæ, & miraculorum Chriſti ſtat 1. teſtimonium Apoſtolorum & diſcipulorum Chriſti, qui ipſum & miracula ab eo patrata viderunt, & in quibus omnia ad plenam convictionem faciendam ſumma fuere, nimirum vitæ ſanctitas, rerum omnium contemptus, veritatis ſtudium, divinæ gloriæ zelus, humilitas, & cæteræ omnes virtutes cum poteſtate patrandi miracula conjunctæ. 2. Teſtimonium innumerabilium pene hominum partim Judæorum, partim Ethnicorum ab Apoſtolis ad Chriſtianam Fidem converſorum, qui veritate prædicationis Apoſtolorum convicti fuerunt, & miracula in prædicationis Evangelicæ confirmationem ab eis patrata viderunt. Nam primi illi Fideles præſertim in tanto numero, non obſtantibus tot, ac tantis impedimentis & periculis, nunquam ad Chriſti Fidem converſi fuiſſent ſine multis & magnis miraculis, & ſine plena convictione veritatis Evangelicæ. 3. Teſtimonium totius orbis Chriſtiani ab inſtituta Chriſti Eccleſia hucuſque continuatum per ſeptemdecim ſæcula, quibus exſtitere homines pene innumeri eximia ſapientia, doctrina ac ſanctitate conſpicui. Certè revelatio tot ac tantis teſtimoniis cum talibus circumſtantiis munita, non poteſt eſſe abſolutè falſa.

Reſp. 2. Omiſſo antecedente, nego conſeq. Nam evidentia ſimplex præſertim phyſica & moralis non conſiſtit in indiviſibili, ſed habet latitudinem, & poteſt eſſe major vel minor. Unde intellectus poteſt modò magis, modò minus convinci de veritate alicujus objecti, quamvis de illa ſimpliciter convincatur, & ad aſſenſum neceſſitari modò majore, modò minore neceſſitate.

Obj. 3. Non eſt tam evidens Religionem Chriſtianam eſſe veram Religionem, quàm urbem Romam exiſtere. Ergo non eſt ſimpliciter evidens Chriſtianiſmum eſſe veram Religionem.

Reſp. 1. Nego conſeq. Propter rationem modò allatam: quia nempe aliquid habere poteſt evidentiam ſimplicem magnam, etſi minorem quàm aliud, cùm evidentia ſimplex poſſit eſſe major vel minor, nec conſiſtat in indiviſibili.

Reſ. 2. Evidentia moralis propria Religionis Chriſtianæ eſt quidem maxima, tamen non eſt ejusdem planè conditionis atque evidentia propria urbis Romæ, quamvis huic non ſit inferior in vi momentorum, unde procedit. Nam motiva credibilitatis de exiſtentia urbis Romæ facilius ab intellectu noſtro capiuntur, utpote minùs remota à ſenſibus, nec pugnantia cum inclinatione naturæ, & cum multis mentis noſtræ præjudiciis, nec ullam objectionum difficultatem admittit. At evidentiam propriam Religionis Chriſtianæ oppugnant graviſſimæ circa ejus myſteria ac præcepta difficul-

ficultates, quas fovet, & auget horror naturæ noſtræ corruptæ adversùs tam arduam Religionem, creditu & ſervatu difficillimam, quas difficultates evidentia Chriſtianæ Religionis non niſi reflexè expungit. Quare mirùm non eſt, ſi ejuſmodi evidentia non anteverta-, nec impediat omnem indeliberatam formidinem, quemadmodum antevertit, & avertit evidentia de exiſtentia urbis Romæ. Præterea evidentia propria Religionis Chriſtianæ non ſubſiſtit niſi ſub actuali conſideratione, qua bene penetrentur motiva credibilitatis Chriſtianæ Religionis propria. Unde ſi paululum mens deficiat ab illa debita conſideratione, ſtatim ex naturæ corruptæ fundo erumpunt innumeræ objectiones adverſus Chriſtianam Religionem velut nebulæ.

Nihilominùs quis habere poteſt evidentiam Metaphyſicam reflexam de veritate Religionis Chriſtianæ, hoc ratiocinio lumine ſupernaturali adjuto partam? Deus ſummè bonus ac providus permittere non poteſt, ut ſocietati hominum veritatem ſincerè quærentium in re tam gravis momenti ad ejus cultum & ſalutem humanam ſpectante falſa Religio ſub tot ac tantis motivis appareat vera & evidenter credibilis. Atqui Chriſtiana Religio ſub tot ac tantis motivis credibilitatis apparet vera & evidenter credibilis. Ergo Chriſtiana Religio non poteſt eſſe falſa, ideoque eſt vera. Major conſtat ex idea Dei, qui vult vera Religione coli ab hominibus. Minor poteſt eſſe metaphyſicè certa ex intimo conſcientiæ teſtimonio. Ergo concluſio poteſt eſſe meraphyſicè certa.

Obj. 4. Si ſimpliciter evidens eſt doctrinam Chriſtianam eſſe veram, ea credi non poteſt Fide divina. Falſum conſeq. Ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Nam 1. plurimi non percipiunt ſimplicem illam evidentiam, quam habet Religio Chriſtiana à motivis credibilitatis; quia motiva illa iis non proponuntur ſufficienter ad hoc, ut ſimplicem illam evidentiam percipere poſſint, & plurimi etiam ex iis, quibus hæc motiva ſufficienter propo nuntur ad evidentiam illam percipiendam cum auxilio gratiæ, eam tamen non percipiunt, vel ob ingenii tarditatem, vel ex defectu ſufficientis conſiderationis, vel etiam ex defectu ſufficientis illuſtrationis ſupernaturalis: non enim omnes æqualiter illuſtrantur, neque perceptio talis evidentiæ ſimplicis requiritur ad credendum. 2. Qui evidentiam illam ſufficienter percipiunt, poſſunt adhuc credere Fide divina, quando illa evidentia ſimplex non adeſt, nec occurrit menti, ut ſæpe fit. Neque hæc evidentia avertit & tollit indeliberatam formidinem niſi per reflexam quamdam mentis applicationem: illa autem actualis reflexio & attentio non ſemper omnibus adeſt. Quod ſi illa evidentia ſimplex ſit aliquibus ita habitualiter præſens, ut facilè & toties occurrat, quoties de revelationibus divinis cogitant: tunc quidem ii, dum de divinis revelationibus cogitant evidenter & neceſſario judicant Deum revelaſſe myſteria Religionis noſtræ; & tamen poſſunt adhuc illa credere Fide divina, quia adhuc poſſunt ex pio & libero affectu ſe ſubmittendi auctoritati Dei revelantis velle credere, & credere aſſenſu ſuper omnia firmo propter auctoritatem Dei revelantis, non amplius attendendo ad evidentiam, ſed ſolùm ad ſummam infallibili atem ac dignitatem motivi Fidei. Qui aſſenſus, utpote ſummè firmus, eſt diverſus ab actu, quo propter evidentiam motivorum evidenter & neceſſario judicant Fidei myſteria eſſe à Deo revelata: nam hic actus non habet certitudinem appretiativè ſummam, cùm hæc ſit proportionata evidentiæ ſimplici motivorum, quæ ſolùm eſt magna moralis.

Nota. Etiam ſi revelatio & veracitas divina ſimpliciter evidentes per motiva credibilitatis evidentia magna morali, determinarent intellectum ad evidentem & neceſſarium aſſenſum rei revelatæ, ille aſſenſus eſſet proportiona us evidentiæ motivorum, ideoque inferior aſſenſu Fidei, qui eſt appretiativè ſummus, & conſequenter adhuc poſſet elici aſſenſus obſcurus ſuper omnia firmus, quo intellectus ex imperio voluntatis aſſentiretur veritati revelatæ præcisè propter revelationem & veracitatem divinam crediras propter ſe immediatè, qui ſolus aſſenſus eſt actus Fidei.

Obj. 5. Si revelatio & veracitas divina eſſent ſimpliciter evidentes ex motivis credibilitatis evidentia magna morali, non poſſent

eſſe

esse objectum formale Fidei. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam 1. non obstante illa simplici evidentia magna morali, quam habent ravelatio & veracitas divina per motiva credibilitatis, possumus adhuc generali, plena & absoluta voluntate nos submittendi auctoritati divinæ assentiri assensu super omnia firmo rebus revelatis præcisè propter revelationem & veracitatem divinam per se creditas, quamvis per se sint obscuræ. Nam evidentia Christianæ Religionis spectat veritatem ejus doctrinæ tantùm in genere spectatæ: unde illa evidentia non obstat quominus singula in particulari dogmata semper sub propria obscuritate remaneant. Præterea illa evidentia non est motivum assensus Fidei, 2. Apostoli habuerunt evidentiam simplicem saltem magnam moralem Incarnationis, quam tamen crediderunt Fide divina. Nam talem evidentiam non poterant non habere, qui Christum in omnibus ut hominem Deum decebat, se gerentem, tot & tanta miracula patrantem, mortuos suscitantem, redivivum ex mortuis in cœlos ascendentem suis oculis viderant; & ipsimet sola illius hominis invocatione mortuos suscitabant, & innumera alia miracula patrabant. Quæ quidem evidentia clarè significatur, 1. Joann. 1. his verbis: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ: & vita manifestata est, & vidimus, & testamur: & apparuit nobis.* 3. Actu Fidei non attinguntur motiva credibilitatis, & sic revelatio & veracitas divina manent inevidentes ut sunt in se, & secundum se obscurè tantùm ostendunt veritatem rei revelatæ.

Dices. Revelatio & veracitas divina simpliciter evidentes per motiva credibilitatis evidentia magna morali determinarent ad assensum evidentem & necessarium veritatis revelatæ.

Resp. Ille assensus evidens & necessarius non esset assensus Fidei divinæ, tum quia non esset super omnia firmus; nam esset proportionatus evidentiæ motivorum, quæ non est summa: & sic adhuc esset locus assensui super omnia firmo & obscuro, quo intellectus ex imperio voluntatis assentiretur veritati revelatæ præcisè propter revelationem & veracitatem divinam. Tum quia assensus Fidei terminatur intrinsecè ad revelationem divinam ut virtualiter supra se ipsam & veracitatem reflexam. sive non habet motivum proprium nisi revelationem & veracitatem divinam, ibique sistit; nec terminatur ad evidentiam motivorum credibilitatis, quæ pertinent ad alium actum prævium. Unde in actu Fidei revelatio remanet secundùm se & in se obscura, nec est evidens nisi in alio actu prævio actui Fidei. Nam Fides non attingit objectum ut evidens, sed prout est à Deo revelatum.

Obj. 6. Judaismus fuit olim vera Religio. Ergo etiam nunc talis est.

Resp. Idem Deus, qui Religionis Judæorum auctor fuit, prænuntiavit huic successuram Religionem adhuc perfectiorem, cujus judaica foret solùm umbra quædam. Quæ quidem divinæ prædictiones de illa futura Religione perfectiori continentur in ipsis Judaicæ Religionis monumentis, nempe oraculis Prophetarum, quæ consignata sunt in veteri testamento. Cur autem Deus perfectiori illi cultui Christianæ Religioni proprio præire voluerit alium imperfectiorem, rationes sunt penes ejus sapientissimam providentiam. Dici tamen potest Deus voluisse in majorem Christi honorem, ut is multò ante multiplici figurarum umbra, quæ adveniente illo sole justitiæ cessarent, præfiguraretur. Et decebat cultum à Christo ipso instituendum quolibet alio cultu, qui hujus figura esset, longè perfectiorem esse.

Dices. Judæi debuerunt stare judicio & auctoritati suorum Doctorum & Synagogæ, quam auctoritatem ipse Christus agnovit his verbis, Matth. 23. *Supra Cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate, & facite.* Ergo Judæi tenebantur in omnibus obedire suis Doctoribus. Ergo cum ab his reprobatus fuerit Jesus Filius Mariæ tanquam falsus Messias, Judæi non potuerunt non prudenter Jesum & ejus doctrinam repudiare.

Resp. Judæi debuerunt quidem obtemperare suis Doctoribus & Synagogæ usque ad

Meſſiam, quamdiu nempe ſtaret legis Moſaicæ ſtatus ac vigor, in iis ſcilicet quæ legis illius obſervationem ſpectarent. At verò longe plus debuerunt obedire & credere magno illi Prophetæ, quem Moyſes poſterioribus temporibus exoriendum eſſe prædixerat, & audiendum præceperat, Deuteronom. 18. his verbis: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies ... qui autem verba ejus, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exiſtam.* Cujus quidem magni Prophetæ miſſio & auctoritas in Jeſu Nazareno certiſſimis ac manifeſtis tum miraculorum argumentis, tum Prophetarum oraculis comprobata eſt. Huic autem Prophetæ, cui Deus per Moyſem parere juſſit, magis credere debuerunt Judæi quàm Synagogæ. Atque id ſatis intellexit innumera illa multitudo Judæorum, quæ Chriſti & Apoſtolorum prædicatione ac miraculis convicta in Jeſum credidit.

Dices. Scriptura veteris teſtamenti præcipit, ut in controverſiis de Lege & Propheta conſulatur ſummus Pontifex, ejuſque Concilium, ſeu Synagogæ Doctores, ad quos pertineat de talibus judicare, quorum proinde judicio parere debebant Judæi.

Reſp. Commendatur obedientia erga legis *Doctores in omnibus*, quæ ſunt legis Moſaicæ propria, quamdiu duraturus ſit ſtatus & vigor illius Legis. At tali tribunali non ſubdebatur Chriſtus ſeu Meſſias ipſo Moyſe longè ſuperior, & quem Moyſes præ omnibus aliis audiendum monuerat. Unde Chriſtus ut Miſſionis ſuæ veritatem comprobet, non remittit ad judicium Doctorum Synagogæ, ſed ad opera miraculorum, quæ patrabat, & ad prophetias in Scriptura contentas, quæ in illo apertè adimplebantur. Dubium autem illud de Propheta, in quo Scriptura ſignificat recurrendum eſſe ad judicium ſummi Pontificis, ſpectat Prophetam, cujus miſſio dubia foret, nec certis ac manifeſtis indiciis comprobata: vel ſumùm ad Prophetam, cujus auctoritas eſſet inferior auctoritate Moyſis & Synagogæ. Quæ duo non conveniunt Meſſiæ, cui parere debebat tota Synagoga.

Dices. Scriptura continet promiſſiones factas Synagogæ de perpetua ejus duratione.

Reſp. Promiſſiones illæ, quæ Religionis Iſraeliticæ durationem æternam ſignificare videntur, non ipſam ſpectant ſecundùm ſtatum illum figurativum Meſſiæ & Religionis ab eo inſtituendæ, nec ritum exteriorem, quem ſub veteri Teſtamento obtinebat. Nam aliæ in veteri Scriptura exſtant clariſſimæ prædictiones ac promiſſiones fœderis cujusdam novi, quod priori ſuccederet adveniente Meſſia, & priore illo longè melius ac perfectius foret, quodque ſpectaret Iſraelitas non jam ſecundùm carnem, ſed magis ſecundùm ſpiritum, nempe Iſraelitas Meſſiæ credituros, & obtemperaturos, & omnes homines illorum Fidem, & virtutes imitaturos: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael & domui Juda fœdus novum: non ſecundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum, pactum quod irritum fecerunt ..... ſed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum.* Jerem. c. 31. ubi lex gratiæ à Meſſia inſtituenda exprimitur.

Itaque Religio Chriſtiana non eſt ſubſtantialiter diverſa à vera Religione Iſraelitica, vel etiam ab ea, quæ ante Legem Moſaicam viguit in Patriarchis ab initio mundi. Nam eadem Fidei dogmata retinet, nec ab utraque differt niſi ut explicatior quædam Fidei doctrina à minùs explicita magísque obvoluta, & continens clarè ea, quæ ſuis ritibus ac ſacrificiis adumbrabat Religio Judaica; ut perfectior à minùs perfecta, atque ut vim ſanctificandi habens, qua carebat Judaica. Unde Apoſtolus dicit *nos habere* cum veteris Teſtamenti ſanctis eundem ſpiritum Fidei.

Addi poteſt, *quòd promiſſiones illæ*, quæ afferuntur quaſi ſignificantes fœdus Dei cum Judæis initum fore perpetuum, & Deum Judæos nunquam deſerturum, ſint conditionatæ, quæ non ſpectant *ipſum* ſtatum Religionis Judaicæ, ſed gentem Judæorum, ſi modò illa ſuis criminibus, & præſertim infidelitate erga Meſſiam ipſi mittendum, non ſe dignam exhibeat, quæ à Deo deſeratur, & repudietur.

Dices. Religio à Deo inſtituta non poteſt eſſe falſa. At Religio Judaica fuit à Deo inſtituta. Ergo non poteſt eſſe falſa. *Reſp.*

Resp. Religio Judaica bene intellecta in Fidei dogmatibus & in præceptis legis naturalis est vera, & Christiana Religio ea omnia credit, & servat: quoad præcepta verò cœremonialia & ritus externos fuit etiam bona pro omni tempore, quo instituta sunt à Deo, & Deus voluit vigere. Sed cùm illa essent figuræ Messiæ & ejus mysteriorum futurorum, adveniente Messia, & impletis mysteriis, ac Religione perfectiore ab eo jam instituta, illa præcepta & ritus externi à Deo abrogata sunt, nec Deus ea instituit & servari voluit nisi usq; ad Messiam & Religionem ab eo instituendam. Quare Religio Judaica est falsa, quia malè intelligit Prophetias circa Christum, & verum Messiam à Deo missum, atque Dei cultum ab eo institutum repudiat, sed alium Messiam exspectat, & cœremonias legales ac ritus externos à Deo abrogatos observat. Quæ omnia Dei voluntati & institutioni adversantur.

ARTICULUS IV.

Utrùm ea, quæ deducuntur ex veritatibus revelatis, sint de Objecto materiali Fidei, seu sint de Fide?

NOta. Aliquid potest esse revelatum tripliciter, nempe formaliter ac immediatè explicitè, formaliter & immediatè implicitè, & mediatè tantum. Illud est revelatum formaliter & immediatè explicitè, quod disertis verbis expressum est, & revelatum secundùm se. Illud est revelatum formaliter & immediatè sed implicitè, quod disertis verbis non est expressum, sed tamen continetur in revelatione, vel ut aliquid idem secundùm sensum cum explicitè revelato; sic Deus revelans Christum esse hominem, implicitè revelavit eum esse animal rationale: vel ut pars totius expresè revelati adæquatè sumpti secundùm sensum revelantis; sic Deus expresè revelans Christum esse hominem, revelat implicitè Christum habere animam rationalem: vel ut aliquid, quod est de pleno & integro conceptu rei explicitè revelatæ, seu ut propositio particularis contenta in generali expresè revelata. Denique illud est revelatum mediatè tantùm, quod non est revelatum in se & secundùm se, sed tantùm in alio, quo cum connexum est.

§. I.

Dico. 1. Propositio legitimè deducta ex duabus præmissis credibiliter revelatis, est de Fide secundùm se, & potest credi Fide divina.

Prob. Omnis propositio revelata formaliter, quamvis confusè & implicitè, est de Fide secundùm se, & si sit sufficienter proposita ut revelata, tunc credi potest Fide divina: nam omnis ejusmodi propositio est re vera revelata, & credi potest propter auctoritatem Dei revelantis. Atqui sic se habet propositio legitimè deducta ex duabus præmissis revelatis. Ergo talis propositio est de Fide secundùm se, & credi potest Fide divina. *Prob. min.* 1. Talis propositio est revelata formaliter, licèt confusè & implicitè. Nam conclusio continetur formaliter confusè & implicitè in præmissis, ex quibus deducitur, alioqui non posset ex iis deduci, & sic objectum conclusionis includitur, quamvis confusè & implicitè in objecto præmissarum. Ergo objectum conclusionis legitimè deductæ ex præmissis revelatis includitur in objecto adæquatè revelato, proindeque revelatum est. 2. Talis propositio est sufficienter proposita, ut revelata, ita ut credi possit Fide divina. Nam hoc ipso quòd conclusio legitimè deducitur ex duabus præmissis revelatis, certò, ideoque sufficienter ostenditur ejus objectum includi in objecto adæquato præmissarum revelatarum, proindeque esse revelatum formaliter, quamvis confusè & implicitè.

Hinc est de Fide, & credi potest conclusio hujus sylogismi: omnes Apostoli repleti sunt Spiritu sancto; atqui Matthæus fuit Apostolus; ergo Matthæus repletus est Spiritu sancto. Idem dic de conclusione hujus: Deus est bonus; at Christus est Deus; ergo Christus est bonus.

§. II.

Dico. 2. Propositio legitimè deducta ex majore universali revelata credibiliter, & minore non revelata, sed certa certitudine metaphysica vel physica, est de Fide, & credi potest Fide divina.

Prob. 1. Pars, nempe quòd sit de Fide. Omne quod est revelatum formaliter, etiam implici-

plicitè, eſt de Fide ſecundùm ſe, nam verè revelatum eſt. Atqui talis propoſitio eſt revelata formaliter implicitè, Ergo eſt de Fide quoad ſe. *Prob. min.* Propoſitio univerſalis continet in ſe formaliter implicitè omnes propoſitiones particulares, quæ ex illa legitimè deducuntur; & ſupponit pro omnibus propoſitionibus particularibus, quæ ſub illa continentur, & per illam verificantur. Ergo qui dicit explicitè propoſitionem univerſalem, ſimul dicit formaliter implicitè omnes propoſitiones particulares ſub illa contentas: & conſequenter hoc ipſo quòd major univerſalis eſt explicitè revelata, ſimul omnes concluſiones particulares, quæ ex illa per minorem particularem legitimè deducuntur, proindeque in in illa continentur, ſunt revelatæ formaliter implicitè.

Prob. 2. Pars, nempe quòd credi poſſit Fide divina. Nam hoc ipſo quòd concluſio legitimè deducitur ex majore univerſali revelata credibiliter, certò oſtenditur eſſe revelata formaliter implicitè: nam oſtenditur contineri ſub illa, & eſſe partiale objectum illius. Ergo hoc ipſo, quòd concluſio legitimè ex majore credibiliter revelata deducitur per minorem metaphyſicè vel phyſicè certam, certò oſtenditur certitudine metaphyſica vel phyſica eſſe revelata formaliter implicitè, proindeque poſſe prudenter credi aſſenſu ſuper omnia firmo propter auctoritatem Dei revelantis, accedente imperio voluntatis.

Hinc poteſt quis credere Fide divina infantem, quem legitimè baptizavit, & qui ante uſum rationis moritur, eſſe beatum. Quia hæc eſt concluſio ſyllogiſmi, cujus major eſt expreſsè revelata, nempe hæc: omnis infans legitimè baptizatus eſt in ſtatu gratiæ, & omnis homo moriens in ſtatu gratiæ eſt beatus, ſi nullum habeat reatum pœnæ perſolvendæ: minor verò particularis eſt evidens evidentia phyſica.

Item quilibet Fide divina credere poteſt ſe aliquando moriturum, ſic argumentando: omnis homo eſt aliquando moriturus; ſed ego ſum homo; ergo moriturus ſum aliquando. Cujus ſyllogiſmi major eſt univerſalis, & expreſsè revelata credibiliter, Heb. 9. *Statutum eſt hominibus ſemel mori*: minor verò eſt certa, ſaltem phyſicè.

Obj. 1. Concluſio ſequitur debiliorem præmiſſam. Ergo ſi minor ſyllogiſmi non poteſt credi Fide divina, nec ipſa concluſio ſic credi poteſt.

Reſp. Diſting. anteced. Si illa concluſio ſumatur formaliter, id eſt, ut eſt concluſio, & prout deducitur ex præmiſſis artificioſè diſpoſitis, quæ ſint motivum ei aſſentiendi, *conc. ant.* Si concluſio illa ſumatur materialiter tantùm, id eſt, non prout deducitur ex præmiſſis, & propter illas creditur, ſed ſolùm prout per illas ſufficienter oſtenditur eſſe revelata credibiliter, *nego antec.* Equidem concluſio ſumpta formaliter, nempe prout deducitur ex præmiſſis artificioſè diſpoſitis credi non poteſt Fide divina; quia ſic ſumpta creditur ſolùm propter præmiſſas *ipſas ut artificioſè diſpoſitas*: quæ diſpoſitio artificialis eſt opus naturale artis humanæ. At concluſio ſumpta materialiter, nempe prout certò per præmiſſas cognoſcitur eſſe revelata, ſeu prout eſt objectum partiale revelationis divinæ per præmiſſas certò cognitæ, credi poteſt Fide divina. Nam poteſt intellectus ex imperio voluntatis ei aſſentiri aſſenſu ſuper omnia firmo propter revelationem credibilem, in qua concluſio illa formaliter & immediatè contineri certò cognoſcitur per præmiſſas.

Inſt. In actu, quo creditur concluſio deducta ex præmiſſa revelata, illatio eſt motivum aſſentiendi. Ergo ille aſſenſus non eſt actus Fidei.

Reſp. Nego antec. Nam intellectus non aſſentitur veritati contentæ in concluſione, quia bene ſequitur ex præmiſſis inter ſe ſecundùm ſyllogiſmi regulas rectè ordinatis. Sed illatio eſt tantùm applicatio revelationis, ſeu id quod oſtendit veritatem concluſionis eſſe revelatam. Itaque concluſio non eſt de Fide, quatenus deducitur, & cognoſcitur vi naturalis illationis tanquam motivi & rationis aſſentiendi; ſed ſuppoſita illatione legitima credi poteſt propter divinam revelationem, in qua contineri certò cognoſcitur per illationem legitimam.

Obj. 2. Concluſio, de qua agitur, non deducitur per ſe, ſed tantùm per accidens ex majo-

majore revelata. Ergo non eſt magis revelata quàm ipſa minor, nec proinde magis credi poteſt Fide divina.

Reſp. Nego anteced. Nam quamvis concluſio illa non deducatur ex propoſitione revelata, niſi mediante minore non revelata: tamen deducitur per ſe, & continetur formaliter immediatè licèt implicitè in majore revelata; & hæc continentia evidenter apparet per minorem particularem, qua mediante concluſio ex majore revelata deducitur per ſe: & ſic per minorem particularem evidenter oſtenditur concluſio eſſe revelata formaliter implicitè in majore revelata.

Obj. 3. Cùm Deus revelavit v. g. hanc propoſitionem univerſalem, (*omnis homo moriturus eſt*,) non revelavit me eſſe hominem. Ergo Deus non revelavit, nequidem implicitè, me eſſe moriturum. Ergo.

Reſp. Nego conſeq. Nam ad hoc, ut Deus revelando omnem hominem eſſe moriturum, revelarit implicitè me eſſe moriturum, ſufficit, quòd ſim homo; quia hoc ipſo quòd ſum homo, hæc propoſitio (*ego ſum moriturus*) continetur formaliter in illa (*omnis homo eſt moriturus:*) ac proinde hoc ipſo quod ſum homo, qui dicit (*omnis homo eſt moriturus*) dicit æquivalenter & formaliter implicitè, quod ſim moriturus. Nam propoſitio univerſalis continet formaliter implicitè omnes propoſitiones particulares, per quarum inductionem explicatur, ac verificatur, atque pro illis ſupponit. Sic qui dicit (*omnis homo moriturus eſt*) dicit æquivalenter & implicitè, Petrus, Paulus, Joannes, &c. morituri ſunt.

Porrò contineri formaliter in propoſitione aliqua eſt contineri in illa ut proprium ſignificatum illius ſaltem partiale, ſive eſt eſſe objectum ſaltem partiale propoſitionis, vel eſt contineri in objecto per propoſitionem ſignificato.

§. III.

Dico. 3. Propoſitio legitimè deducta ex majore univerſali credibiliter revelata, & minore non revelata, ſed evidenti evidentia magna morali abſoluta & reſpectu omnium excludente omnem prudentem formidinem oppoſiti, eſt de Fide reſpectu omnium, & poteſt ab omnibus credi Fide divina.

Prob. Quia talis propoſitio eſt formaliter implicitè revelata in majore univerſali revelata credibiliter, ut conſtat ex aſſertione ſecunda, & ſufficienter cognoſcitur ab omnibus, ut revelata, cùm reſpectu omnium evidens ſit evidentia magna morali excludente omnem prudentem dubitationem & formidinem, quòd illa propoſitio ſit revelata.

Hinc omnes ſufficienter inſtructi credere poſſunt, & debent Fide divina Eccleſiam Romanam eſſe veram Chriſti Eccleſiam; quia credibiliter revelatum eſt Eccleſiam illam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, quæ eſt Una, Sancta, Catholica & Apoſtolica; & evidens eſt evidentia ſaltem magna morali ſolam Eccleſiam Romanam eſſe talem.

Item eſt de Fide, Conc. Trident. v. g. eſſe Concilium Oecumenicum; quia credibiliter revelatum eſt Eccleſiam eſſe infallibilem in agnoſcenda vera regula viſibili ſuæ Fidei: nam revelatum eſt Eccleſiam eſſe infallibilem circa omnia, quæ pertinent ad Fidem & bonos mores, cùm ſit columna & firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. in qua infallibilitate continetur infallibilitas in agnoſcenda vera regula viſibili Fidei, alioqui Eccleſia errare poſſet in ipſo Fidei fundamento. Et aliunde evidens eſt evidentia ſaltem magna morali Eccleſiam agnoſcere Concilium Tridentinum ut regulam ſuæ Fidei, ideoque ut legitimum Concilium generale.

§. IV.

Dico 4. Propoſitio legitimè deducta ex majore univerſali omninò certa, ſed non revelata, & ex minore credibiliter revelata, eſt de Fide, & credi poteſt Fide divina.

Prob. Quia talis propoſitio eſt ſufficienter revelata, & ſufficienter innoteſcit ut revelata à Deo. Ergo eſt de Fide, & credi poteſt Fide divina.

Prob. 1. Pars anteced. nempe quod ſit ſufficienter revelata à Deo 1. Sic: qui cognoſcit connexionem, quam habent duæ propoſitiones inter ſe, & revelat unam, revelat etiam alteram virtualiter & æquivalenter, ut creda-

tur propter ejus teſtimonium. Nam qui affirmat aliquid ſecundùm ſe, hoc ipſo cenſetur affirmare id omne, ſine quo illud eſſe non poteſt, & eſſe non poſſe probè ſcit affirmans. Ergo cùm Deus unam propoſitionem revelat, revelat etiam alias cum ea connexas, revelat, inquam, æquivalenter & ſufficienter, ut credantur propter ejus teſtimonium.

2. Illud eſt ſufficienter à Deo revelatum, quod Deus vult haberi verum vi ſui teſtimonii. Atqui Deus revelans aliquam propoſitionem, vult haberi veram vi ſui teſtimonii omnem aliam propoſitionem cum ea neceſſariò connexam. Ergo ſufficienter revelata eſt à Deo omnis propoſitio neceſſariò connexa cum alia expreſsè à Deo revelata, qualis eſt concluſio, de qua agitur. *Prob. min.* Nam Deus aliquid revelans vult haberi pro vi ſui teſtimonii id omne, cujus veritas connexa eſt cum veritate ſui teſtimonii: cùm non poſſit eſſe verum Dei teſtimonium, niſi ſit verum id omne, quod eſt connexum cùm veritate teſtimonii divini. Nec proinde Dei teſtimonium haberi poteſt verum, niſi etiam habeatur verum id omne, quod connexum eſt cum ejus veritate. Jam verò cùm Deus propoſitionem aliquam revelat, veritas teſtimonii ejus connexa eſt cum veritate propoſitionum connexarum cum illa propoſitione expreſsè revelata.

3. Illud eſt ſufficienter revelatum, quod ab Eccleſia proponi poteſt, & proponitur ut revelatum à Deo, & Fide credendum: nam Eccleſia non condit novas revelationes, quæ nempe antea factæ non ſint, ſed tantùm revelationes priùs factas explicat, applicat, & extendit ad ea omnia, quibus conveniunt. Atqui Eccleſia proponit ut revelatas & Fide credendas propoſitiones legitimè deductas ex propoſitione univerſali omninò certa, licèt non revelata, & ex minore revelata credibiliter. Ergo hujuſmodi propoſitiones ſunt ſufficienter revelatæ & credi poſſunt Fide divina. *Prob. min.* Nam Eccleſia proponit ut Fide divina credendum, ideoque ut revelatum à Deo, quòd omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria poſt diligens & debitum examen habetur, declarari debent in Sacramento Pœnitentiæ, ut patet ex Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 7. hoc autem proponit quia credibiliter revelatum eſt Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum fuiſſe à Chriſto ad modum judicii ritè exercendi; & aliunde lumine naturali certum eſt, incognita cauſa judicium ritè exerceri, & ſententiam proferri non poſſe, ut patet ex cap. 5. ejusdem ſeſſionis. Item Eccleſia proponit ut Fide credendum, quòd Confeſſio ſacramentalis facienda ſit Sacerdoti habenti jurisdictionem, & nullius momenti eam eſſe abſolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet jurisdictionem. Hoc autem proponit fide credendum, quia Deus credibiliter revelavit Sacramentum Pœnitentiæ inſtitutum eſſe ad modum judicii, & aliunde conſtat naturam & rationem judicii exigere, ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, ut patet ex Conc. Trident. ſeſſ. 14. can. 7. adjuncto cap. 5.

Secunda pars antecedentis patet. Nam propoſitio, de qua agitur, per principium omninò certum innoteſcit ut revelata mediatè à Deo, ideoq; ſufficienter innoteſcit, ut Fide divina credatur: ſiquidem certò innoteſcit, ita ut excludatur omnis formido prudens oppoſiti.

Obj. 1. Propoſitio, de qua agitur, v. g. hæc (*Chriſtus eſt riſibilis ſeu riſivus,*) quæ deducitur ex hac propoſitione univerſali omninò certa (*omnis homo eſt riſibilis*) & ex iſta propoſitione particulari revelata (*Chriſtus eſt homo.*) Hæc, inquam, concluſio non eſt revelata formaliter nequidem implicitè. Ergo non poteſt credi Fide divina.

Reſp. Nego conſeq. Quia ut propoſitio credatur Fide divina, ſufficit, quòd ſit revelata virtualiter & mediatè, mediante ſcilicet alia propoſitione revelata. Nam tunc talis propoſitio neceſſariam habet connexionem cum veritate alicujus revelationis credibilis. Quod autem habet neceſſariam connexionem cum veritate alicujus revelationis credibilis, tam eſt dignum aſſenſu ſuper omnia firmo propter revelationem illam, quàm ſi eſſet revelatum formaliter: nam tunc revelatum eſt virtualiter & æquivalenter, ſeu habet virtutem revelati formaliter & immediatè, eique æquivalet in ordine ad obtinendum aſſenſum ſuper omnia firmum propter teſtimonium Dei.

Inſt.

Inſt. Propoſitio, de qua agitur, v. g. hæc (*Chriſtus eſt viſibilis*) non eſt magis revelata, quàm hæc major, ex qua deducitur, nempe (*omnis homo eſt viſibilis.*) Ergo.

Reſp. Nego antec. Nam eſt revelata mediatè & virtualiter, ideoque ſufficienter, hoc ipſo quòd habet neceſſariam connexionem cum veritate minoris revelatæ. Unde talis concluſio per majorem non revelatam innoteſcit tantùm ut revelata, quatenus per illam evidenter innoteſcit, ut habens neceſſariam connexionem cum minore revelata.

Porrò præmiſſæ non ſunt motivum aſſentiendi tali concluſioni, ſed ſe habent tantùm reſpectu aſſenſus concluſioni dati ut ſufficiens revelationis applicatio ad illam; & aſſenſus ille Fidei habet pro motivo ſolam revelationem, cujus veritas cum veritate talis concluſionis neceſſariò connexa eſt.

Obj. 2. Aſſenſus datus propoſitioni, de qua agitur, fundatur in certitudine actus, quo creditur major *non* revelata. Ergo non habet certitudinem Fidei; nam ædificium non poteſt eſſe firmius ſuo fundamento.

Reſp. Nego antec. Nam aſſenſus ille fundatur in ſola auctoritate Dei revelantis, & ſolùm ſupponit aſſenſum majoris non revelatæ, ut ſufficientem applicationem revelationis ad concluſionem, ſine qua applicatione voluntas non poſſet imperare intellectui, ut firmiſſimè aſſentiatur concluſioni propter auctoritatem Dei revelantis.

Corollarium.

Ex dictis collige, omnem propoſitionem legitimè deductam ex una præmiſſa revelata credibiliter, & ex altera non revelata, ſed omninò certa, ideoque evidente evidentia, vel metaphyſica, vel phyſica, vel magna morali, eſſe de Fide, & credi poſſe Fide divina, imò debere, ſaltem accedente definitione vel præcepto Eccleſiæ; & ſecluſa definitione Eccleſiæ non poſſe negari, aut in dubium revocari, & credi debere implicitè, nempe actu quo creduntur omnia à Deo revelata. Nam (ut probatum eſt) omnis ejuſmodi propoſitio eſt revelata vel formaliter implicitè, vel ſaltem virtualiter, & eam eſſe revelatam certum eſt certitudine excludente omnem formidinem prudentem. Quare hoc ipſo quòd de Fide eſt unum è duobus contradictoriis vel contrariis eſſe verum, quia ſcilicet credibiliter revelatum eſt, ut verum, hoc ipſo etiam de Fide eſt alterum eſſe falſum, quia hujus falſitas habet neceſſariam & evidentem connexionem cum veritate revelationis, qua ejus contradictorium vel contrarium credibiliter revelatum eſt, ut verum: ac proinde Fide divina credi poteſt eſſe falſum propter eamdem revelationem, propter quam illud Fide divina creditur eſſe verum.

Quòd ſi præmiſſa non revelata ſit ſolùm probabilis, non verò certa, tunc concluſio eſt ſolùm probabiliter de Fide divina. Nam credi non poteſt aſſenſu ſuper omnia firmo propter revelationem præmiſſæ revelatæ, quia non conſtat ſufficienter eam eſſe revelatam.

ARTICULUS V.

Utrùm Objectum materiale Fidei ſucceſſu temporis creverit?

Nota 1. Quamvis Objectum materiale Fidei complectatur omnes omnino veritates revelatas; tamen hìc agitur tantùm de articulis Fidei, quæ ſunt veritates per ſe & ex primaria Dei intentione revelatæ, & veluti corpus ac ſubſtantiam Fidei noſtræ conſtituunt. Cæteræ veritates revelatæ dicuntur tantùm per accidens & ex ſecundaria Dei intentione revelatæ.

Nota 2. Objectum materiale Fidei creſcere poteſt ſimpliciter, vel ſecundùm quid. Creſcit ſimpliciter, dum aliquid de novo revelatur à Deo. Creſcit ſecundùm quid; vel cùm revelatio olim facta à Deo, ſed obſcura, explicatur per infallibilem interpretem, vel cùm revelatio olim à Deo facta, per legitimam auctoritatem extenditur, & applicatur ad ſingularia objecta, quæ in ea continentur ſive formaliter ſive virtualiter; vel etiam cùm olim à Deo facta revelatio, ſed controverſa, per infallibilem controverſiarum judicem certificatur. Hinc objectum materiale Fidei creſcere poteſt ſecundùm quid tribus modis, nimirùm; per majorem explicationem revelationis obſcuræ; per extenſionem, ſeu applicationem revelationis ad particularia ſub ea contenta; & per certificationem revelationis controverſæ.

Nota. 3. Certum eſt Eccleſiam habere poteſtatem explicandi, aplicandi, & certificandi revelationes omnes divinas ſcriptas & non ſcriptas. Tum quia Eccleſia ſæpe hac poteſtate uſa eſt in ſuis decretis & definitionibus. Tum quia hæc poteſtas neceſſaria eſt ad bonum Eccleſiæ; nam ſine illa dirimi non poſſunt controverſiæ, quæ circa res Fidei oriuntur, nec vitari errores, nec extingui ſchiſmata.

Nota. 4. Eccleſia nihil unquam definivit Fide divina credendum, quod in revelationibus olim à Deo factis aliqua ratione non contineretur ſecundùm verum illarum ſenſum, ut patet ex perpetua ipſius Eccleſiæ praxi.

Dico. 1. Objectum materiale Fidei noſtræ, etiam quoad articulos Fidei, ab Adamo uſque ad Chriſtum & Apoſtolos incluſivè, crevit ſimpliciter.

Prob. Quia Deus multa ſucceſſivè revelavit Adamo, Abrahamo, Moyſi, Davidi, & aliis Prophetis; & in novo Teſtamento multa ſucceſſivè revelata ſunt per Chriſtum & Apoſtolos. Atqui inter hæc ſucceſivè revelata, multa ſunt per ſe & ex primaria Dei intentione revelata: qualia ſunt *v. g.* ſacramenta & ſacrificia legis veteris & Evangelicæ, quædam præcepta merè poſitiva divina. Ergo.

Obj. S. Thomas, 2. 2. q. 1. art. 7. docet objectum materiale Fidei ab Adamo non creviſſe quoad ſubſtantiam articulorum Fidei, ſed ſolùm quoad explicationem.

Reſp. Solùm vult articulos Fidei non creviſſe ſecundùm ſubſtantiam confusè & genericè ſumptam. At non loquitur de ſubſtantia articulorum Fidei adæquatè unicuique propria & ſpeciatim revelata. Nec loquitur de mera & ſimplici explicatione, quæ ſit tantùm declaratio, vel extenſio & applicatio, ſed de explicatione, quæ ſit nova propoſitio & revelatio diſtincta ab omni alia propoſitione & revelatione priùs facta.

Dico. 2. Objectum materiale Fidei à tempore Chriſti & Apoſtolorum non crevit ſimpliciter quoad articulos Fidei.

Prob. Quia objectum materiale Fidei quoad articulos creſcere non potuit à tempore Apoſtolorum niſi per definitionem Eccleſiæ. Atqui per illam definitionem Eccleſiæ non crevit ſimpliciter. Nam Eccleſia non condit, nec proponit novas revelationes: & nihil definit niſi aut explicando revelationes olim factas, aut extendendo revelationes olim factas ad objecta particularia in illis formaliter, implicitè aut virtualiter contenta, aut certificando traditiones divinas.

Obj. Deus à tempore Apoſtolorum aliqua etiam publicè revelavit: ſic per miracula publicè facta atteſtatus eſt eximiam aliquorum ſanctitatem, &c. Ergo.

Reſp. Nego conſeq Nam veritates illæ de novo revelatæ aut non ſunt niſi extenſio articuli antea per Chriſtum vel Apoſtolos revelati, aut non pertinent ad corpus & ſubſtantiam Fidei.

Dico. 3. Ex tempore Apoſtolorum articuli Fidei creverunt ſecundùm quid, ſaltem reſpectu multorum Fidelium, qui articulos explicitè non credebant ante varias definitiones Eccleſiæ.

Prob. Quia ex tempore Apoſtolorum, occaſione hæreſum Eccleſia per varias definitiones explicuit, vel extendit revelationes ad aliqua objecta particularia, quæ pertinent ad corpus & ſubſtantiam Fidei, explicitè credenda Fide divina.

Obj. Eccleſia non condit novos articulos. Ergo nil definit de novo credendum.

Reſp. Eccleſia non condit quidem Fidei articulos novos ſimpliciter, & adæquatè diſtinctos ab articulis olim à Chriſto revelatis: at condit Fidei articulos novos ſecundùm quid, nimirum articulos priùs revelatos explicando, aut extendendo, aut certificando.

ARTICULUS VI.

De Symbolis Fidei.

§. I.

De Symbolo Apoſtolorum.

Nota. 1. Nomine Symboli Fidei intelligitur brevis ſumma continens explicitè præcipuos Fidei articulos; eſtque nota utilis ad dignoſcendos veros fideles ab aliis, ſi nempe rectè intelligatur. Quadruplex in Eccleſia Symbolum receptum eſt, ſcilicet Apoſtolicum, Nicænum, Conſtantinopolitanum, & Athanaſianum; nulla eſt controverſia circa Symbolum Nicænum, quod nempe à Concilio Nicæ-

Nicæno I. adversus Arianos conditum est; neque etiam circa Symbolum Constantinopolitanum, quod est ipsummet Symbolum Nicænum auctum contra Macedonianos.

Nota 2. Symbolum, quod Apostolicum dicitur, fuisse ab Apostolis conditum, negarunt Erasmus, Calvinus; & post eos passim Calvinistæ, quibus consentit Dupin. Non negant illi quidem Symbolum illud continere Doctrinam ab Apostolis viva voce vel scripto prædicatam: at nolunt formulam illam, sub qua articuli Symboli adornantur, ac summariè colliguntur, fuisse ab Apostolis compositam ac digestam.

Dico. Symbolum, quod dicitur Apostolorum, re vera ab ipsis Apostolis non solùm quoad Doctrinam in eo contentam, sed etiam quoad formulam, sub qua ordinatur, compositum est.

Prob. 1. Quia hic est, & semper fuit consensus omnium Fidelium, contra quem non nisi temerariè sentitur. Nec ante Erasmum & Calvinum reperitur inter authores Ecclesiasticos, qui vel minimum circa id dubium moverit.

Prob. 2. Ex Patribus, qui ante sæculum sextum floruere: nam non negant adversarii hanc post quintum sæculum communem fuisse Patrum & authorum Ecclesiasticorum sententiam. S. Irenæus, l. 1. adversus hæreses, c. 2. *Ecclesia per universum orbem usque ad fines terræ seminata est ab Apostolis & à Discipulis eorum accepit eam Fidem, quæ est in unum Deum Patrem omnipotentem.* Per posteriora verba manifestè intelligit Symbolum Apostolorum, quod iisdem verbis incipit, & patet etiam ex iis quæ subjicit Tertul. l. de velandis virgin. c. 1. *Regula Fidei una omnino est sola, immobilis & irreformabilis, credendi scilicet in unicum Deum omnipotentem, mundi conditorem & Filium ejus Jesum Christum, &c.* Per regulam Fidei intelligit sanè eam, quæ tradita est ab Apostolis. Nam, l. de præscript. c. 37. ait: *in ea regula incedimus, quam Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo tradidit.* Lucifer Calaritanus, l. 2. adversus Constantium Imp. loquens de Symbolo, appellat illud *formam disciplinæ & regulam Fidei per Apostolos traditam.* Non potuit autem sic tradi nisi sub quadam formula digesta in certos articulos. S. Ambr. l. 1. Ep. 7. ad Siricium Papam, ait: *credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & servat:* &, serm. ult. de jejunio Eliæ. *Ista autem ipsa clavis, quam Fidem dicimus, videamus quemadmodum solida sit. Arbitror illam duodecim artificum operatione conflatam. Duodecim enim Apostolorum Symbolo Fides sancta concepta est, qui veluti periti artifices in unum convenientes, clavem suo consilio conflaverunt. Clavem enim quandam ipsum Symbolum dixerim, per quam referantur diaboli tenebræ, ut lux Christi adveniat.* S. Hieron. Epist. 61. ad Pammach. *in Symbolo Fidei & Spei nostræ, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta & atramento, sed in tabulis cordis carnalibus, post confessionem Trinitatis & unitatem Ecclesiæ, omne Christiani dogmatis Sacramentum carnis resurrectione concluditur:* his ultimis verbis non excluditur, imò implicitè continetur vita æterna, utpote inseparabilis à beata resurrectione. Rufinus, in præfatione expositionis Symboli hanc veritatem clarè testatur, & asserit à majoribus traditam esse. S. Cælestinus I. in Epist. ad Nestorium hoc Symbolum vocat *Symbolum ab Apostolis traditum.*

Omitto multos authores quinti sæculi, ut Cassianum, Chrysologum, &c. Non prætermittam tamen S. Leonem Magnum, qui, Epist. 13. ad Pulcheriam Augustam ait: *ipsius Catholici Symboli brevis & perfecta Confessio, quæ duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis.*

Prob. 3. Ex hac regula à S. Aug. tradita, l. 4. de Bapt. c. 24. *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Atqui istud Symbolum universa à primis etiam sæculis tenet Ecclesia, nec ullum proferri potest Concilium, à quo institutum sit. Ergo meritò creditur ab Apostolis traditum esse.

Prob. 4. ratione. Incredibile est omnino, Ecclesiam trecentis annis extitisse absque aliqua compendiaria Fidei formula, cujus ope

& rudiores faciliùs instruerentur, eorumque memoria juvaretur in retinenda Fidei doctrina, & servaretur simulque demonstraretur Fidei unitas in omnibus Fidelibus longè latéque diffusis. Si autem prioribus Ecclesiæ sæculis fuit aliqua ejusmodi formula, certè ea solis Apostolis tribui potest. Nam 1. præter illos nullus ejus Author cùm fundamento assignari potest: 2. Irenæus, Author horum temporum meminit regulæ Fidei ab Apostolis traditæ, quo nomine nil aliud quàm Symbolum quoddam significari potuit, si quod suo tempore extabat. 3. Patres his temporibus proximi constanter attestantur alicui Symbolo ab Apostolis tradito, quod in universa Ecclesia receptum esset.

Obj. 1. Si Symbolum istud fuisset ab Apostolis compositum, 1. Lucas hoc retulisset in actis Apostolorum. 2. Symbolum illud esset pars scripturæ sacræ. 3. Patres priorum sæculorum hoc adhibuissent contra hæreticos. Quæ tamen omnia falsa sunt.

Resp. Nego sequel. Nam 1. ex S. Hier. Lucas *multa Historiographi licentia prætermisit*; nec omnia ab Apostolis facta & dicta scripsit: sic v. g. non meminit Evangelii à Matthæo scripti. 2. Symbolum Apostolorum non fuit ab Apostolis scripto conditum, sed solum viva voce, ut testantur Hieronymus & Rufinus, & S. Petrus Chrysologus, serm. 62. ac proinde reponi non potuit in canone sacræ Scripturæ. 3. Patres, in suis disputationibus cum hæreticis hoc Symbolum non omiserunt, dum dixerunt regulam Fidei, quam adversùs illos proferebant, fuisse ab Apostolis traditam. Præterea hæreticos impugnare solebant ex Scriptura, quam fere solam hæretici in probationem admittebant, & quæ Symboli articulos clarè continet, unde opus non erat hæreses confutare ex hoc Symbolo.

Obj. 2. Si Symbolum fuisset ab Apostolis conditum, eo ordine & ea forma quibus in Ecclesia recitatur, non fuisset tanta varietas in illo Symbolo, prout in usu fuit in variis Ecclesiis. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Varietas, quæ in variis Ecclesiis extitit, ea fere tota est quoad voces tantùm, eodem sensu retento; & in aliquibus Symbolis aliqua adjuncta sunt ad majorem explicationem propter novas hæreses, quæ exortæ sunt, & in aliis aliqua pauca prætermissa sunt, quæ tamen implicitè in aliis articulis continentur. Quod minimè mirum videri debet: nam cùm illud Symbolum primitùs in una lingua, puta Hebraica seu Syriaca, viva voce compositum, posteà fuerit à singulis Apostolis ad varias Ecclesias delatum, à quibus Ecclesiis diu sola orali traditione, non scripto, fuit asservatum, & postea in diversas linguas translatum; qui fieri potuisset, ut non aliquam mutationem passum sit. In Ecclesia verò Romana Symbolum Apostolicum ea forma & ordine & iis planè sententiis semper recitatum, & servatum fuit, quibus ab Apostolis conditum est, ut testantur S. Ambrosius & Rufinus locis suprà laudatis.

Obj. 3. In hoc Symbolo, ut nunc recitatur, Ecclesia appellatur Catholica, sed tempore Apostolorum sic appellari non potuit. Ergo.

Resp. Nego min. Nam cùm ex Christi præcepto Evangelium prædicandum esset omni creaturæ, & Apostoli scirent Christi Ecclesiam brevi per totum orbem diffundendam esse, rectè tunc poterant illam vocare Catholicam, cùm talis esset potentia proxima: quod enim tale est potentia proxima, sic vocari potest secundùm usum hominum, præsertim cum parum pro nihilo reputetur. Sic qui optimam hæreditatem brevi certò consecuturus est, jam tum dicitur opulentus.

§. II.

De Symbolo, quod vulgo dicitur S. Athanasii.

Quamvis Symbolum illud in Ecclesia recitetur sub nomine S. Athanasii, Conciliumq; Toletanum IV. anno 633. Fidei confessionem ediderit, in qua aliqua ex isto Symbolo descripta videntur, & Synodus Augustodunensis, anno 1170. celebrata, illud Symbolum Athanasio tribuat; quamvis graves aliquot authores, quorum aliqui decimo sæculo floruerunt imò S. Thomas & Theologi communiter illud S. Athanasio adscribant, imò licèt Eugenius IV. in decreto instructionis Armenorum idem Symbolum Athanasio tribuat, non desunt

sunt tamen viri eruditi, qui negent illud re vera a S. Athanasio scriptum aut editum esse, his adducti rationibus.

1. Quia neque Athanasius neque ulli authores coævi, aut qui ante septimum sæculum scripserunt, hujus Symboli meminerunt. Greg. Naz. asserit quidem Fidei confessionem fuisse ab Athanasio oblatam Joviniano Imperatori, sed contendit *illam confessionem nil aliud esse* nisi Epistolam synodicam ab Athanasio ad Jovinianum scriptam nomine omnium Episcoporum Ægypti, Thebaidos, & Lybiarum.

2. Quia si Symbolum illud à S. Athanasio conditum fuisset, S. Cyrillus Alexandrinus, Concilia Ephesinum, & Chalcedonense illud procul dubio laudassent, cùm hæresim Nestorianam & Eutichianam manifestè damnet, & S. Athanasii auctoritas semper apud Orientales plurimùm valuerit: item Latini illud statim adhibuissent contra Græcorum errorem de processione Spiritus Sancti, quod tamen nemo Latinus ante Gregorii IX. tempora præstitit.

3. Quia *illud* Symbolum desideratur inter opera Athanasii in antiquissimis & probatissimis codicibus manuscriptis.

4. Quia in hoc Symbolo hæreses post Athanasium ortæ, ut Nestoriana & Eutichiana ita diserte & expresè refutantur, ut ad illas non potuerit non intendisse *author hujus Symboli.*

5. Quia stylus hujus Symboli sapit authorem omnino latinum.

6. Quia S. Athan. in Epist. ad Antiochenses testatur se semper alienissimum fuisse à condenda nova professione seu formula Fidei, & contendit Symbolum Nicænum esse absolutissimum & pro illis temporibus sufficiens. Et verò id inter alia ab eodem Athanasio & aliis Fidei Catholicæ defensoribus exprobratum fuit Arianis, & Semi-Arianis, quòd novas ederent Fidei formulas præter Nicænam.

Ad argumenta seu testimonia in oppositum adducta respondent, prædictas Synodos & prædictos authores deceptos fuisse falsa inscriptione nominis Athanasii, quam habebat illud Symbolum in codicibus in quos inciderant; nec unquam suscepisse examinandum utrùm Symbolum illud revera Athanasii esset, præsertim cùm scirent doctrinam hujus Symboli in operibus Athanasii contineri, nec referre ad auctoritatem ejusdem Symboli communi Ecclesiæ consensu comprobati, sive dicatur habere Athanasium authorem, necne.

Jam verò qui sic sentiunt, inter se dissident de vero authore hujus Symboli. Multi ex illis existimant hoc Symbolum à Vigilio quodam Taplensi in Africa Episcopo, qui sub finem quinti sæculi floruit, editum fuisse sub nomine Athanasii, eò quod summam Athanasianæ Fidei verè contineret, & ne quisquam Africanorum Episcoporum de condito hoc Symbolo in suspicionem apud Arianos veniret, ac propterea sæviente tunc Vandalorum persecutione in certum vitæ discrimen adduceretur. Idem ipse Vigilius dialogum quendam adversus Arianos & alios hæreticos sub nomine ejusdem Athanasii composuit, ut testatur ipse Vigilius, in sua præfatione cujusdam dialogi, quem conscripserat.

Utut sit de Authore hujus Symboli, constat apud omnes. 1. Illud esse certissimam Fidei regulam, cùm illud Ecclesia approbaverit, & proposuerit omnibus Fdelibus credendum, suisque ministris præceperit, ut illud diebus Dominicis in officio diei recitarent: unde etsi constaret esse Athanasii, non ideo majorem haberet auctoritatem. 2. Doctrinam hujus Symboli totam quoad sensum contineri in operibus S. Athan. 3. Hanc quæstionem esse meri facti personalis, nullatenus cum Fidei dogmate connexi, nec ad Fidei doctrinam pertinentis.

ARTICULUS VII.

Utrùm admittenda sit distinctio articulorum Fidei fundamentalium & non fundamentalium à recentioribus hæreticis inventa?

NOta 1. Admitti quidem potest in sensu Catholico distinctio articulorum fundamentalium, & non fundamentalium, imò debet, si per articulos fundamentales intelligantur illæ veritates revelatæ, quarum Fides explicita necessaria est necessitate medii ad salutem, hoc est, quæ necessariò debent credi explicitè ad salutem consequendam: per articulos verò non fundamentales intelligantur veritates à Deo revelatæ, quarum Fides explicita non est neces-

necessaria necessitate medii ad salutem, quarum proinde ignorantia invincibilis non impediat salutis consecutionem. Nam revelata sunt aliquæ veritates à Deo revelatæ, quarum Fides explicita omnibus necessaria est necessitate medii ad salutem, qualia sunt Mysteria Trinitatis & Incarnationis; & sunt aliæ, quarum Fides explicita est tantùm necessaria necessitate præcepti, & aliæ, quas sufficit credere implicitè, nempe in Fide generali, qua creditur, quidquid Deus revelavit, & Ecclesia credit, qualia sunt quædam facta hominum & circumstantiæ illorum, quæ in Scripturis narrantur.

Verum recentiores hæretici per articulos fundamentales intelligunt certos quosdam articulos, quos credere necessarium sit, & sufficiat ad salutem consequendam, & ad tenendam Fidei atque Ecclesiæ Catholicæ unitatem: ita ut liberum sit ad salutem, & ad Fidei & Ecclesiæ unitatem aliis articulis dissentire, non obstante qualibet Ecclesiæ & Conciliorum generalium definitione cognita. Sed in assignandis illis articulis fundamentalibus inter se dissentiunt: nam hos alii ad pauciora Fidei dogmata restringunt, alii ad plura extendunt, nempe ad ea omnia, quæ in Symbolo Apostolorum & decalogo continentur.

Nota 2. E Secta Protestantium, Calvinistarum præsertim, hanc articulorum fundamentalium distinctionem admittentium prognati sunt Tolerantes, & Indifferentes. Tolerantes ii sunt, qui volunt in Fide quidvis tolerari debere, modò Reipublicæ bono & legi naturali non adversetur: quales plurimi nunc sunt in Hollandia & Anglia. Indifferentes ii sunt, qui docent unicuique in ea permanendum Religione & Fide, in qua natus est.

Tolerantium dux fuit quidam Episcopus Sectæ Calvinisticæ minister apud Trajectum: Indifferentium verò dux primarius fuit Spinosa Ethnico-Judæus apud Batavos. Tolerantium errorem passim nunc sectantur Sociniani, eò quòd sperent sub illius tolerantiæ præsidio faciliùs sectam suam propagatum iri.

Dico. Distinctio articulorum Fidei fundamentalium, & non fundamentalium à recentioribus hæreticis efficta, multiplici ex capite rejici debet.

Prob. 1. Quia ex Scriptura, quæ secundùm hæreticos est unica rerum credendarum regula, nulla enus probari potest hæc distinctio, ut objectionum solutione patebit.

2. Nemo salvari potest sine vera Fide, ex Marc. c ult. *qui non crediderit, condemnabitur*, &, Heb. 11. *sine Fide impossibile est placere Deo*, a qui ex Apostolo, Ephes. 4. vera Fides est una, sicut unus Deus est, *unus Dominus*, & unum Baptisma: *unus Dominus, una Fides, unum Baptisma:* & ea esse non potest in tot Sectis de Doctrina Fidei & de rebus revelatis dissidentibus. Ergo.

3. Ex Patribus, qui docent quoslibet hæreticos esse extra viam salutis. Pro omnibus sit S. Ignatius Martyr, Epist. ad Philadelph. ubi ait: *si quis hæreticos secutus fuerit, hæres regni cœlorum non erit.*

4. Si valeret hæc distinctio, homo eximeretur ab obligatione credendi multa, quæ Deus revelavit, ut crederentur: imò posset iis, etiam salva Fide ad salutem necessaria, dissentire; nam ad Fidem & salutem sufficeret credere solos articulos fundamentales, aliis contemptis; & sic multæ revelationes divinæ impunè contemni possent, quod est absurdum.

5. Si vera est hæc distinctio, vel homines salutem extra veram Christi Ecclesiam consequi possunt contra Scripturam & Traditionem, vel vera Christi Ecclesia coalescit ex Sectis omnino diversis in Fide, & quæ se mutuò anathematizant, quod omnino falsum est: nam vera Christi Ecclesia est una unitate Fidei & corporis moralis; & notoriè hæretici non sunt de corpore Ecclesiæ, ut suo loco probabitur.

6. Omnis hæreticus salvari non potest in sua hæresi. Nam ex Apostolo, *subversus est, & delinquit*, & si notorius sit, jam non est de vera Christi Ecclesia, cùm ab ipsis primis Pastoribus vitari debeat, juxta illud, ad Tit. c. 3. *hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita: sciens, quia subversus est & delinquit.* Idem docent Patres. Pro omnibus sit S. Aug. lib. contra Petilianum, c. 6. ubi ait: *nihil prodest hæreticis ad salutem, quod extra Ecclesiam verum Baptismum per ignoran-*

tiam

riam & tradunt & tenent; ſed qui diſſentit cuicumque veritati à Deo revelatæ, & ſufficienter propoſitæ ut revelatæ, eſt hæreticus. Ergo qui diſſentit cuicumque veritati à Deo revelatæ & ſufficienter propoſitæ, ſalvari non poteſt, quamdiu diſſentit. Ergo falſum eſt aliquas eſſe veritates à Deo revelatas, quæ credi non debent ad ſalutem conſequendam. Ergo falſa eſt diſtinctio articulorum fundamentalium, &c.

7. Romana Eccleſia, ſecundùm adverſarios, admittit omnes articulos Fidei fundamentales. Ergo in ea quiſque ſalutem conſequi poteſt. Ergo hæretici non potuerunt ſine gravi crimine ſe ab ea ſeparare, & tenentur in eam ingredi.

8. Qui Eccleſiæ definienti vel præcipienti non obtemperant, tanquam Ethnici habendi ſunt: ideoque ſunt extra ſalutis viam, juxta illud Chriſti, Matth. 18. *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus.*

9. Denique ſemper in vera Chriſti Eccleſia, nempe Catholica, omnes, qui quodcumque dogma Fidei à primis Eccleſiæ Paſtoribus definitum rejicerent, habiti ſunt extra viam ſalutis & veram Eccleſiam, & à Conciliis generalibus extra Eccleſiam ejecti ſunt.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Joan. 17. Chriſtus dicit: *hæc eſt autem vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Ergo Fides horum duorum articulorum ad ſalutem ſufficit, & ſic ſoli ſunt fundamentales.

Reſp. Nego conſeq. Nam etiam ad ſalutem neceſſaria eſt Fides in Spiritum Sanctum; neque hoc à Chriſtianis negari poteſt. Præterea Sociniani profitentur ſe hæc duo credere, nempe divinitatem Patris, & miſſionem Chriſti, & tamen juxta adverſarios ſaltem pleroſque non retinent omnes articulos Fidei fundamentales, ideoque ſunt extra viam ſalutis.

Obj. 2. Inter primos Chriſtianos fuit olim diſſenſio de quibuſdam articulis Fidei, v. g. circa obligationem legis Moſaicæ, & tamen nemo exiſtimavit eos, qui illam obligationem tenebant, ideo amiſiſſe Fidei eſſentiam, quæ ad ſalutem ſufficeret. Ergo tunc agnoſcebatur dari articulos non fundamentales in ſenſu Proteſtantium, nempe quos liberum eſſet credere, & quibus liceret ſalva Fidei eſſentia & ſpe ſalutis diſſentiri.

Reſp. Poſt Concilii Hieroſolymitani definitionem nemo primorum Fidelium exiſtimavit licere ſalva Fide & ſpe ſalutis obligationem cæremoniarum legalium tueri, aut cum iis, qui hanc obligationem pertinaciter tuerentur, communionem habere. Quare falſum eſt, tunc Fideles ſenſiſſe extare articulos Fidei, quibus diſſentire liceret non obſtante Eccleſiæ definitione.

Obj. 3. Omnis Chriſtianus in omni ſecta ſalvari poteſt, quamvis erret in multis articulis Fidei, modò tamen bona Fide in iis erret, & aliunde Chriſtum Redemptorem agnoſcat. Ergo revera dantur articuli Fidei fundamentales & non fundamentales.

Reſp. Nemo Chriſtianus adultus ſine Fide explicita Incarnationis & Trinitatis ſalvari poteſt; nam hæc Fides neceſſaria eſt neceſſitate medii, ut ſupra probatum eſt. Imò nemo Chriſtianus ſalutem conſequi poteſt, niſi credat ſaltem implicitè omnes alias veritates à Deo revelatas, & ſufficienter ab Eccleſia propoſitas ut revelatas, & credat quidquid Eccleſia credit, ita ut nulli dogmati ab Eccleſia definito ut vero ſcienter diſſentiat. Unde falſum eſt dari dogmata Fidei à vera Chriſti Eccleſia definita quibus liceat diſſentire ſalva ſpe ſalutis: nam, ut teſtatur Chriſtus, Matth. 18. qui Eccleſiam non audit, haberi debet tanquam Ethnicus, qui ſane eſt extra viam ſalutis.

Inſt. Catholicus non obſtante ignorantia vel errore circa multos Fidei articulos ſalvari poteſt. Ergo idem eſt de aliquo Sectario.

Reſp. Nego conſeq. Diſparitas eſt, quia Catholicus omnis, non obſtante errore circa multa dogmata, quæ non ſunt creditu neceſſaria neceſſitate medii, credit generatim, quidquid Eccleſia credit, & credendum proponit: & ſic credit totalem revelationem prout ab Eccleſia proponitur, & ſemper paratus eſt ſuos errores deponere, ubi Eccleſiæ ei Doctrina proponetur; unde vi illius diſpoſitionis animi habet Fidem quamdam implicitam do-

gmatum illorum, quæ ignorat. At Sectarius non credit, quidquid Ecclesia Catholica credit, & credendum proponit, nec eam gerit animi dispositionem, vi cujus verè dicatur habere Fidem implicitam eorum articulorum, quos ignorat, vel in quibus errat. Nam secundùm suæ sectæ principia omnem revelationem divinam ad trutinam proprii judicii & interpretationis exigit, nec agnoscit veram Christi Ecclesiam esse regulam credendorum.

Obj. 4. Inter res revelatas multæ sunt, quæ videntur parvi vel nihili referre, ut credantur, v. g^r. quòd Apostoli fuerint duodecim, &c. Ergo in ejusmodi rebus licet quidlibet sentire salva Fide & salute. Ergo, &c.

Resp. Nego anteced. Nam summa Dei revelantis auctoritas exigit, ut homines quaslibet res à Deo revelatas firmissimè credant: nec sine summa divinæ auctoritatis injuria dici potest parvi aut nihili referre, ut credantur, nec ne, quæ Deus revelavit, seu liberum esse iis assentire vel dissentire, quasi parvi vel nihili referat, quod Deus verum vel falsum locutus sit.

SECTIO II.

De Objecto formali Fidei

OBjectum formale virtutis est ratio movens & inducens ad virtutem illam exercendam, sive est motivum cujusque virtutis proprium. Igitur objectum formale Fidei est id, quod cognitum & quatenus cognitum movet nos ad assentiendum rebus à Deo revelatis: unde idem est quod motivum Fidei.

ARTICULUS I.

Utrùm Revelatio divina sit in objecto formali Fidei?

NOta 1. Revelatio sumi potest latè, & strictè. Revelatio latè sumpta est productio effectus cujusvis manifesti naturaliter ducentis in cognitionem alterius se se tali effectu demonstrantis. Talis est productio creaturarum, ex quibus existentia Dei demonstratur.

Revelatio propriè ac strictè sumpta, de qua sola hic agitur, est manifestatio rei occultæ facta per productionem signi alicujus, quo revelans vult significare aliis id, quod habet in mente. Quare revelatio plura importat, nempe actum intellectus, quo revelans cognoscit objectum; actum voluntatis, quo objectum & suam illius cognitionem vult signo aliquo manifestare; & manifestationem objecti & cognitionis ejus per signum aliquod factam, sive productionem signi manifestativi objecti & cognitionis ejus. Igitur revelatio Dei strictè sumpta, est actio Dei externa, seu Deo extrinseca, qua denunciat creaturis intellectivis ea, quæ habet in mente Quæ quidem revelatio est vera locutio: nam locutio propriè est actio, qua ens intellectivum actus suos internos mentis aut voluntatis manifestat alteri enti intelligenti.

Hinc revelatio divina dividitur velut totum in partes in internam, & externam. Revelatio interna sunt actus interni revelantis, nempe cognitio objecti, quod revelatur, & volitio manifestandi tale objectum ac cognitionem ejus. Revelatio externa est actuum internorum manifestatio per signum aliquod externum revelanti.

Nota 2. Itaque Deus propriè revelat, quando signum aliquod producit ex intentione manifestandi veritatem alicujus objecti, & cognitionem, quam habet de illa veritate. Hinc Deus propriè revelat & loquitur non solum cùm per se, vel per Angelum aut hominem vocibus humanis aut signis aliis externis institutis hominum significantibus utitur ad manifestandam veritatem aliquam, sed etiam cum per se mysterii alicujus cognitionem imprimit menti Prophetæ eo modo & cum iis characteribus, ut Propheta intelligat hanc sibi cognitionem à Deo impressam esse ad manifestandum mysterium & cognitionem, quam Deus habet de illo. Quare mundi productio non est propriè revelatio seu locutio Dei, quia non procedit à Deo ex intentione manifestandi ea, quæ habet in mente, & obligandi ad illa firmissimè credenda propter auctoritatem sui testimonii.

Dico. Revelatio divina adæquatè sumpta, nempe interna & externa, est in objecto formali Fidei, sive est objectum formale Fidei: supple partiale.

Prob.

Prob. 1. Ex Scriptura, Joan. 3. *qui accepit ejus teſtimonium, ſignavit, quia Deus verax eſt.* Unde ſic argumentor. Ex Scriptura qui credit Fide divina, dicitur accipere teſtimonium Dei. Atqui accipere teſtimonium Dei nihil aliud eſt, quam credere rebus à Deo revelatis propter teſtimonium Dei. Ergo qui credit Fide divina, aſſentitur rebus à Deo revelatis propter teſtimonium Dei. Ergo teſtimonium Dei eſt motivum ſeu objectum formale Fidei. Teſtimonium autem Dei eſt revelatio Dei adæquatè ſumpta, nempe interna & externa. Item, 1. Joan. c. 5. *ſi teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt.* Id eſt, ſi propter teſtimonium hominum credimus ea, quæ illi nobis teſtificantur, quantò magis nos propter teſtimonium Dei credere debemus ea, quæ ipſe nobis revelat? Ergo teſtimonium divinum ſeu revelatio divina adæquatè ſumpta eſt nobis motivum aſſentiendi per Fidem rebus à Deo revelatis.

Item, eodem cap. v. 10. dicitur: *qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe.* Habere autem teſtimonium Dei in ſe, eſt credere propter teſtimonium Dei, & ei interius adhærere e tanquam motivo aſſenſus. Ergo Dei teſtimonium, ſeu revelatio divina adæquatè ſumpta, eſt objectum formale Fidei.

Prob. 2. ratione. Quia Fides divina eſt actus, quo credimus Deo juxta illud Apoſtoli laudantis Fidem divinam Abrahæ, Rom. c. 4. *credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam.* Atqui credere Deo eſt aſſentiri alicui veritati propter teſtimonium ſeu revelationem Dei veritatem illam teſtificantis: ſicut credere alicui homini eſt aſſentiri alicui objecto propter teſtimonium illius hominis. Ergo Fides divina eſt actus, quo aſſentimur veritatibus à Deo revelatis propter ejus revelationem, & conſequenter revelatio eſt objectum formale, ſeu motivum Fidei divinæ; nam objectum formale ſeu motivum Fidei divinæ eſt id, propter quod aſſentimur rebus à Deo revelatis.

Præterea objectum formale Fidei humanæ eſt teſtimonium hominis, qui putatur verax. Ergo objectum formale Fidei divinæ eſt teſtimonium Dei veracis. Nam par eſt utriuſque ratio.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Actus quo creditur revelatio divina propter motiva credibilitatis, eſt actus Fidei divinæ. Sed revelatio divina non eſt motivũ talis actus. Ergo.

Reſp. Nego maj. Nam actus, quo creditur revelatio divina præcisè propter motiva credibilitatis, eſt tantùm actus prudentiæ ſupernaturalis, qui neceſſariò præſuponitur actui Fidei. At actus Fidei divinæ eſt is, quo creditur revelatio divina propter ſe ipſam prout eſt virtualis & implicita revelatio ſui ipſius, præſuppoſito judicio ſufficienti de credibilitate revelationis. Hic autem actus Fidei eſt longè certior & perfectior actu, quo revelatio divina creditur immediatè propter motiva credibilitatis.

Obj. 2. Credimus Fide divina Deum revelaſſe myſteria Fidei. At non credimus revelationem divinam propter aliam revelationem divinã alioqui daretur proceſſus in infinitum. Ergo.

Reſp. Diſting. min. Non credimus revelationem divinam propter aliam plerumque, *conc. min.* nunquam, *nego min.* aliquando credimus revelationem divinam propter aliam revelationem poſteriorem, qua Deus expreſsè revelat ſe aliquid revelaſſe. Sed tunc credimus illam poſteriorem revelationem propter ſe ipſam ut in ſe virtualiter reflexam: unde non eſt proceſſus in infinitum. Plerumque tamen credimus revelationem divinam propter ſe ipſam ſolam ut in ſe virtualiter reflexam, ſeu ut eſt virtualis & implicita ſui ipſius revelatio.

Omnis quippe revelatio eſt virtualis & implicita ſui ipſius revelatio. Nam cùm Deus aliquid revelat, ſimul & indiviſibiliter, virtualiter & implicitè revelat ſe revelare; & revelatione externa utitur ex intentione non ſolùm revelandi aliquid, ſed etiam teſtandi ſe illud revelare. Unde tenemur credere Fide divina & rem à Deo revelatam, & revelationem, qua revelat.

Hinc tam hæreticus eſſet, qui negaret Deum revelaſſe myſterium Trinitatis, quam qui negaret ipſam Trinitatem, quamvis ſupponatur revelatio hujus myſterii non eſſe expreſsè revelata per aliam ulteriorem revelationem quia nempe Deus revelando Trinitatem, hoc ipſo virtualiter revelavit ſe revelare.

Obj. 3. Revelatio divina est extrinseca rei revelatæ: ergo non potest esse motivum eam credendi.

Resp. Nego conseq. Nam ut revelatio divina possit esse motivum credendi rem revelatam, sufficit, quòd necessariam connexionem habeat cum veritate rei revelatæ: Sic effectus est motivum judicandi existentiam suæ causæ, quamvis sit ei extrinsecus, quia effectus existens necessariam habet connexionem cum existentia suæ causæ.

Obj. 4. Non credimus Deum existere propter revelationem divinam. Ergo. *nego antec. probabis.* Si crederemus Deum existere, quia revelavit se existere, crederemus Deum esse quia est. Nam Deum revelare importat Deum esse. Absurdum conseq. Ergo.

Resp. Dist. sequel. maj. Crederemus Deum existere, quia est revelans, *conc. sequel. maj.* Quia est simpliciter & sine addito. *neg. seq. maj.*

Dices. Hinc sequuntur multa absurda: nam,

I. Sequitur nos uno eodemque actu priùs cognoscere Deum esse, quàm cognoscamus Deum esse.

Resp. Sequitur tantùm nos eodem actu priùs cognoscere implicitè Deum esse, credendo illum revelare, quàm explicitè cognoscamus Deum esse. Quod non est absurdum: nam rectè quis judicat Petrum esse animal quia est homo, quamvis priùs implicitè cognoscat Petrum esse animal, judicando illum esse hominem, quàm explicitè cognoscat Petrum esse animal.

II. Sequitur idem per idem cognosci.

Resp. Cognoscitur idem per idem, sed non omnino: nam cognoscitur Deus esse, quia cognoscitur esse revelans. Deum autem esse, & esse revelantem, non sunt idem omnino: Deum enim esse revelantem plus dicit quàm Deum esse. Jam verò non est absurdum idem cognosci per idem, sed non omnino: nam non est absurdus actus, quo judico Petrum esse animal quia est homo; & tamen hoc actu cognosco idem per idem sed non omnino, quia esse hominem dicit aliquid plus quàm esse animal.

III. Sequitur nos saltem naturâ priùs cognoscere Deum revelare quàm Deum esse. Sed hoc repugnat nam priùs est Deum esse quam Deum revelare, proindeq, priùs cognosci debet Deus ut existens, quàm ut revelans. Ergo.

Resp. Nego min. Itaque non repugnat, quòd Deus priùs cognoscatur revelare, quàm explicitè cognoscatur esse; quia cognitio nostra non semper sequitur ordinem naturæ. Nam sæpe priùs naturâ cognoscimus id, quod naturâ posterius est: sæpe enim id, quod prius est, cognoscimus per id, quod posterius est, ut cum cognoscimus causam per effectum, v. g. existentiam Dei per creaturas.

IV. Sequitur idem eodem actu bis cognosci.

Resp. Equidem cùm credimus Deum esse, quia revelavit se esse, tum eodem actu idem bis credimus, sed diverso modo. Nam Dei existentiam semel credimus explicitè in objecto materiali, & semel implicitè in objecto formali: quod sanè non est absurdum. Sic non est absurdum, quòd quis judicet Petrum esse animal, quia est homo, licèt idem uno eodemque actu bis judicet, nempe Petrum esse animal, semel explicitè & semel implicitè: nam judicando Petrum esse hominem, simul implicitè judicat eum esse animal. Igitur non est absurdum credere Deum esse, quia dicit se esse: sicut non est absurdum homini Fide digno existenti in loco tenebricoso & dicenti se ibi esse, credere eum ibi esse, quia ipse dicit.

Obj. 5. Saltem sola revelatio interna, non externa, ingreditur objectum formale Fidei. Ergo revelatio adæquatè sumpta non est de tali objecto.

Resp. Nego anteced. Nam non solùm revelatio interna, sed etiam externa est motivum assentiendi Fide divina rebus à Deo revelatis. Motivum enim assentiendi per Fidem divinam rebus à Deo revelatis, est testimonium Dei, ut probatum est. Testimonium autem Dei est complexum ex revelatione interna & externa, sicut testimonium hominum est complexum ex utraque. Nam testimonium Dei de aliqua veritate, non est solùm cognitio divina illius veritatis, & volitio illam manifestandi; per hos enim solos actus Deus non testificatur, sed insuper requiritur signum manifestativum horum actuum, quod signum est ipsa revelatio externa. Et testimonium Dei necessariò cum

veri-

veritate rei revelatæ connexum est ratione externæ revelationis perinde ac ratione internæ, licèt non eodem modo.

Inst. 1. Ad actum Fidei *sufficit* revelatio interna. Ergo hæc sola est objectum formale Fidei.

Resp. Nego anteced. Sed utraque revelatio requiritur. Nam actus interni non possunt movere, *nisi manifestentur per signum aliquod* extrinsecum revelanti. Neque signum illud movere potest ad judicandam objecti veritatem, nisi fiat, & cognoscatur fieri à revelante ex intentione manifestandi veritatem objecti, & cognitionem quam revelans habet de illa veritate.

Inst. 2. Revelatio externa non movet ad actum Fidei, sed est tantùm conditio sine qua revelatio interna non moveret ad actum Fidei. Ergo revelatio externa non est ejus objectum formale.

Resp. Nego anteced. Nam id, sine quo præcognito non potest esse assensus, est motivum assensus; atqui sine revelatione externa priùs natura cognita per actum Fidei non potest esse actus Fidei: ergo est illius motivum. Item, quod necessariam habet connexionem cum veritate revelata, & cognitum potest movere & movet ad assensum Fidei, est motivum assensus Fidei. Sed talis est revelatio externa: ergo est motivum assensus Fidei.

Inst. 3. In testimonio Dei revelatio interna est id, quod est principale & primarium: revelatio verò externa est id, quod est minùs principale & secundarium: ergo hæc non est motivum Fidei.

Resp. Nego conseq. Nam ex eo quod revelatio interna sit in testimonio divino quid principale & primarium, sequitur tantùm illam movere principaliter, revelationem verò externam minùs principaliter ac secundariò, & prout annexa est revelationi internæ, & vi illius.

Inst. 4. Actus Fidei, cùm sit actus virtutis Theologicæ, non potest habere pro motivo aliquid creatum. Sed revelatio externa est aliquid creatum. Ergo actus Fidei non potest illam habere pro motivo.

Resp. Disting. maj. Actus Fidei non potest habere pro motivo totali aut principali aliquid creatum, *conc. maj.* pro motivo partiali & secundario, *neg. maj.* Si præfertim illud creatum *sit opus divinum.* Revelatio autem externa est opus divinum, Dei proprium, & dignum assensu super omnia firmo prout annexa est revelationi internæ. Itaque ad virtutem Theologicam sufficit, quòd habeat pro objecto *materiali principali* Deum, & pro objecto formali primario ac principali aliquid increatum seu aliquam Dei perfectionem. Fides autem divina habet pro objecto materiali principali Deum, & pro objecto formali principali *veritatem divinam*, & revelationem internam, quæ est aliquid increatum; sed admittit etiam pro objecto formali secundario revelationem externam, prout annexa est revelationi internæ.

Inst. 5. *Possibilis* est assensus habens pro motivo solam revelationem internam, ita ut revelatio externa se habeat tantùm ut conditio revelationem internam applicans.

Resp. Esto sit possibilis talis assensus. At non est assensus Fidei divinæ ad sensum Scripturæ & Patrum: nam ejusmodi assensus habet pro motivo testimonium Dei, quod est revelatio Dei tum interna, tum externa.

Obj. 6. Ineptum est credere hominem quempiam esse veracem, quia ipse dicit se esse veracem. Ergo à pari de Deo.

Resp. Esto anteced. nego conseq. Disparitas est, quia testimonium hominis attestantis se esse veracem, per se non ostendit eum revera esse veracem. At testimonium Dei utpote entis summè perfecti est semper testimonium entis summè veracis: & sic per se ostendit eum esse veracem.

ARTICULUS II.

Utrùm veracitas divina sit in objecto formali Fidei?

Nota 1. Veracitas est id, propter quod revelans Fide dignus est, hoc est propter quod dignus est, ut ei aliquid testificanti Fides adhibeatur. Quare veracitas est id, *quod constituit revelantis auctoritatem*, & est complexum ex duabus perfectionibus, nempe ex sapientia, qua concipiuntur res, ut sunt, & bonitate inclinante ad loquendum sincere, seu ad reve-

revelandum res prout concipiuntur. Nam ut quis sit Fide dignus, & habeat auctoritatem in testificando, necesse est. 1. Ut non fallatur, hoc est: ut id, quod revelat, concipiat si cuti est, quod pertinet ad sapientiam ac rectitudinem intellectus. 2. Ut non fallat, hoc est, ut non loquatur contra mentem, quod pertinet ad bonitatem ac rectitudinem voluntatis.

Hinc quo quis majorem habet sapientiam & bonitatem, eo magis est verax. Et consequenter Deus, qui habet tum infinitam sapientiam, tum infinitam bonitatem, est infinitè verax. Porro auctoritas loquentis est titulus, propter quem loquenti debetur Fides: qui titulus fundatur in veracitate, seu est realiter ipsa veracitas.

Nota 2. Cùm Deus dicitur veritas prima; per veritatem intelligitur veritas tum in cognoscendo, tum in dicendo, quæ est ipsamet veracitas. Unde sensus est, quod Deus sit veracitas prima. Deus autem est veracitas prima, quia est veracitas summa, perfectissima, & infinita simpliciter: sicut est & dicitur ens primum, quia est ens summum, perfectissimum, & infinitum simpliciter. Quare absolutè & summè repugnat Deum falli aut fallere, & sic Deus habet summam ac infinitam in testificando auctoritatem.

Hinc 1. Divini testimonii vis & auctoritas est supra quodcumque motivum scientificum, cùm sit summa & infinita. 2. Testimonium Dei meretur assensum super omnia firmum, ideoque firmiorem quolibet assensu naturali quantumlibet evidenti ac scientifico. 3. Testimonium Dei aptum est, & debet movere ad assensum super omnia firmum etiam in concursu cujusvis motivi contra veritatem rei revelatæ stantis, quamtumvis apparenter evidentis.

Dico. Veracitas divina est in objecto formali Fidei divinæ: sive est objectum formale Fidei divinæ partiale.

Prob. Illud est in objecto formali Fidei divinæ, quod est nobis motivum credendi Deo aliquid testificanti. Nam quod est motivum credendi Deo aliquid testificanti, est etiam motivum assentiendi Fide divina rebus à Deo revelatis propter revelationem divinam cùm credere Deo aliquid testificanti nil aliud sit, quam assentiri Fide divina rebus à Deo revelatis propter ejus revelationem. Atqui veracitas divina est nobis motivum credendi Deo aliquid testificanti: nam credimus Deo aliquid testificanti, quia credimus eum nec falli, nec fallere. Ergo veracitas divina est in objecto formali Fidei.

Paulo aliter. Illud est in objecto formali Fidei, propter quod credimus testimonio divino. Atqui credimus testimonio divino propter veracitatem divinam; nam credimus Deo aliquid testificanti, quia Deus nec falli, nec fallere potest. Ergo veracitas divina est in objecto formali Fidei.

Hinc illud Joan. c. 3. *qui accipit ejus testimonium, signavit, quia Deus verax est*, Id est, qui credit testimonio Christi, suo assensu significavit Deum esse veracem, quia nempe credit testimonio Christi propter divinam veracitatem.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Credimus Fide divina Deum esse veracem: nam Deus; Rom. c. 3. expresse revelavit se esse veracem: *est autem Deus verax.* Atqui non credimus Deum esse veracem propter ejus veracitatem. Ergo: *nego min. probabis.* Si creditur veracitas divina propter eandem veracitatem multa absurda sequuntur: nam,

1. Sequitur veracitatem divinam bis credi eodem actu.

Resp. Bis creditur veracitas divina, sed diverso modo, nempe semel in objecto materiali ut explicitè revelata, & semel in objecto formali ut implicitè revelata.

2. Sequitur veracitatem divinam esse in eodem actu simul objectum materiale, & formale.

Resp. Veracitas divina est quidem in actu illo simul objectum materiale, & objectum formale partiale sui ipsius, sed diverso modo sumpta: nam ut implicite revelata est una cum revelatione objectum formale seu motivum actus, quo creditur ipsamet veracitas ut expresse revelata. Quocirca observa, cùm Deus, Rom. 3. revelat se veracem esse; veracitas

citas divina bis revelatur, ſemel explicitè & in ſe ipſa, & ſemel virtualiter implicitè in ipſa revelatione. Nam Deus expreſſe revelando ſe eſſe veracem, ſimul virtualiter implicitè revelat ſe ens ſummè ſapiens & bonum, ideoq; ſummè verax, id revelare: revelatio enim externa eſt opus divinum, ſolius Dei proprium, ideoque opus entis ſummè perfecti, & conſequenter ſummè ſapientis ac boni, proindeque veracis.

3. Sequitur veracitatem priùs credi quàm credatur.

Reſp. Sequitur tantum veracitatem divinam priùs credi ut virtualiter & implicitè revelatam in ipſa revelatione virtualiter ſupra ſe ipſam reflexa, quam credatur eadem veracitas ut revelata expreſſe formaliter & in ſe ipſa.

Inſt. Non poſſumus credere Deum eſſe omnipotentem quia eſt omnipotens. Ergo nec credere poſſumus Deum eſſe veracem quia eſt verax.

Reſp. Nego conſeq. Quia revelatio divina non eſt per omnipotentiam ſed per veracitatem divinam immediate connexa cum veritate revelata. Quare non omnipotentia, ſed veracitas divina eſt motivum credendi rem revelatam propter revelationem divinam. Neque enim omnipotentia eſt attributum de ſe idoneum ad certificandum per modum motivi & reddendum dignum aſſenſu id omne, cui applicatum fuerit. At veracitas divina reddit dignum creditu id omne, ad quod ſuum extenderit teſtimonium, ſive de ſe, ſive de aliis teſtetur.

Obj. 2. Revelatio divina eſt objectum formale Fidei. Ergo non veracitas divina.

Reſp. Revelatio divina eſt objectum formale Fidei, ſed partiale tantùm. Objectum verò formale totale Fidei divinæ eſt teſtimonium Dei verax, ideoque revelatio & veracitas divina: vel ſi vis, eſt ſumma veracitas revelans.

Obj. 3. Veracitas divina non creditur actu Fidei, quo creditur res quælibet revelata, v.g. Myſterium Trinitatis: Ergo non eſt objectum formale talis actus; nam objectum formale creditur eodem actu quo creditur materiale propter illud.

Reſp. Nego anteced. Itaque actu, quo creditur Trinitas, quia Deus verax illam revelavit, hæc tria creduntur, nempe Myſterium Trinitatis, revelatio, & veracitas divina: Trinitas quidem propter revelationem & veracitatem divinam: revelatio verò & veracitas divina propter ipſam revelationem, quæ non ſolùm eſt explicita Trinitatis, ſed etiam virtualis ac implicita ſui ipſius, & veracitatis divinæ revelatio. Nam Deus explicitè revelando Trinitatem, ſimul virtualiter & implicitè revelat ſe revelare & veracem eſſe. Quare eodem actu creduntur Trinitas, revelatio Trinitatis, & veracitas divina, dum uno eodemque actu creditur Trinitas propter revelationem & veracitatem divinam natura prius creditas propter ipſam revelationem, ut eſt ſui ipſius & veracitatis divinæ implicita revelatio.

Inſt. Veracitas divina non cognoſcitur per quamlibet revelationem divinam: ergo non creditur quolibet actu Fidei.

Reſp. Nego anteced. Nam quælibet revelatio eſt per ſe virtualis & implicita revelatio veracitatis divinæ: quælibet enim revelatio divina eſt revelatio entis ſumme perfecti, ideoq; ſumme veracis. Unde cognoſci non poteſt revelatio ut divina, niſi cognoſcatur revelatio entis ſumme veracis, proindeque niſi cognoſcatur veracitas divina.

Item motiva credibilitatis, quæ credibiliter manifeſtant Deum revelaſſe, credibiliter etiam oſtendunt Deum revelantem eſſe ens ſumme verax. Nam cùm motiva credibilitatis ſint opera ſupernaturalia, per ſe valent ad oſtendendam revelationem divinam, ut teſtificationem entis ſumme perfecti, ideoque ſumme ſapientis & boni. Præterea quod oſtendit Deum locutum eſſe, hoc ipſo oſtendit ſummam veracitatem locutam eſſe, cùm ſumma veracitas reluceat in idea Dei.

Obſerva. Ad Fidem divinam non ſufficit, quòd veracitas divina ſolo lumine naturali certò & evidenter cognoſcatur, per argumenta ſcilicet naturalia, quibus certò & evidenter cognoſcimus Deum eſſe ens ſumme perfectum, ideoque ſumme ſapientem & bonum, proindeque veracem. Sed neceſſe eſt, ut veracitas divina altiori modo quàm per medium ſcientificum naturale cognoſcatur, eique adhæreamus

mus auxilio gratiæ elevantis & adjuvantis intellectum ad apprehendendam ſicut oportet ſummam bonitatem & ſapientiam Dei revelantis, digniſſimam, cui ſuper omnia aſſentiamur, & quidem multò firmiùs, quàm cuilibet alteri motivo etiam evidenti & neceſſario.

ARTICULUS III.

Utrùm Deitas ſit in objecto formali Fidei divinæ?

Nota. Non agitur hìc de Deitate realiter ſeu entitativè ſumpta; nam certum eſt entitatem Deitatis eſſe entitatem omnium perfectionum abſolutarum, ideoque & veracitatis, quæ eſt de objecto formali Fidei. Sed Deitas hìc ſumitur formaliter, nempe vel pro aſeitate, vel pro complexo omnium perfectionum.

Dico. Deitas ſumpta pro aſeitate vel pro complexo omnium perfectionum, vel pro qualibet alia perfectione virtualiter diſtincta à veracitate, non eſt in objecto formali Fidei divinæ.

Prob. Solum teſtimonium Dei cum veracitate divina eſt objectum formale Fidei divinæ. Ergo Deitas ſumpta pro qualibet alia perfectione diſtincta à veracitate non eſt in objecto formali Fidei. *Prob. ant.* Illud ſolum eſt objectum formale Fidei divinæ, quo præcisè poſito, ac intellecto, & præciſo per mentem quocumque alio, adhuc adeſt motivum ſufficiens ad aſſentiendum rebus revelatis aſſenſu ſuper omnia firmo: nam Fides divina eſt talis aſſenſus. Atqui præcisè poſito, ac intellecto teſtimonio Dei cum ejus veracitate, & præciſo per mentem quocumque alio, adhuc adeſt motivum ſufficiens ad aſſentiendum rebus à Deo revelatis aſſenſu ſuper omnia firmo. Ergo ſolum teſtimonium Dei cum ejus veracitate eſt objectum formale Fidei divinæ. *Prob. min.* Nam præciſo quocumque alio, etiam aſeitate, omnipotentia, & qualibet alia perfectione, adhuc teſtimonium Dei ſummè verax, eſt dignum aſſenſu ſuper omnia firmo. Teſtimonium enim ſummè verax ſummam cum veritate rei teſtificatæ connexionem habet. & ſummè repugnat illud eſſe fallax.

Obj. 1. Idem eſt objectum Fidei & viſionis beatificæ. At hujus objectum eſt divinitas. Ergo & illius.

Reſp. Diſting. maj. Idem eſt objectum materiale primarium, nempe Deus, *conc. maj.* Idem eſt objectum formale, *nego maj.* Fidei divinæ & viſionis beatificæ non eſt idem objectum formale, ſicut non eſt idem utriuſque modus tendendi in objectum. Nam viſio beatifica eſt clarus & immediatus intuitus Dei ut eſt in ſe: unde propriè loquendo non habet objectum formale ſeu motivum, non enim fertur in Deum mediante alio, quod ut præcognitum moveat, ſeu determinet ad Dei viſionem. At Fides divina eſt aſſenſus mediatus, nempe mediante motivo datus, qui in Deum obſcurè propoſitum fertur propter Dei teſtimonium ſummè verax.

Item aſſenſus Theologicus & Fides divina habent idem objectum materiale primarium, nempe Deum: at non habent idem objectum formale. Nam aſſenſus Thologicus datur concluſioni propter connexionem, quam habet cum duabus præmiſſis artificioſè ſecundùm regulas Logicæ diſpoſitis, quarum ambæ ſunt revelatæ, vel quarum una revelata eſt, & altera naturaliter evidens: aſſenſus verò Fidei datur rei revelatæ propter immediatam connexionem, quam habet cum revelatione divina.

Obj. 2. Deus quà prima veritas eſt objectum formale Fidei. Sed Deus quà Deus eſt prima veritas. Ergo Deus quà Deus eſt objectum formale Fidei.

Reſp. 1. Hic ſyllogiſmus vitioſus eſt, quia mutatur acceptio vocis *quà*. Nam in majore vox *quà* denotat rationem formalem, ſub qua Deus eſt objectum formale Fidei: in minore autem cauſam virtualem, ob quam prima veritas ſeu veracitas ineſt Deo: alioqui minor eſt falſa.

Reſp. 2. Nego min. Nam ſenſus ejus eſt: Deus quatenus eſt ens à ſe, eſt prima veritas: quod falſum eſt, quamvis verum ſit Deum, quia eſt ens à ſe, habere infinitam veracitatem, & quamlibet aliam perfectionem. Deus autem eſt prima veritas ſeu ſumma veracitas, quatenus eſt ſummè ſapiens & bonus.

Obj. 3. Illud eſt in objecto formali Fidei, in quod Fides ultimo reſolvitur. At Fides divina

vina ultimò resolvitur in Deitatem sumptam pro aseitate. Ergo Deitas sumpta pro aseitate est objectum formale Fidei divinæ.

Resp. Disting. maj. In quod Fides resolvitur tanquam in rationem formalem ultimam, propter quam assentimur, seu tanquam in motivum assentiendi, *conc. maj.* Tanquam in rationem, propter quam Deus est summa veritas seu veracitas, *neg. maj.* Fides divina resolvitur quidem ultimò in Deitatem tanquam in rationem, propter quam Deus est summa veracitas. Nam v. g. credo Incarnationem, quia Deus, *qui est summa veracitas*, revelavit. Deus autem est summa veracitas, quia est ens à se. Unde quærenti à me, cur credam Incarnationem, respondeo, quia summa veracitas revelavit: & ulteriùs quærenti à me quare Deus est summa veracitas, respondeo, quia est ens à se. At Fides divina non resolvitur ultimò in Deitatem tanquam in rationem formalem seu motivum assentiendi propter summam veracitatem. Nam summa veracitas revelans per se ipsam necessariò connexa est cum veritate rei revelatæ, ac proinde per se ipsam solam movet ad credendum firmissimè rem revelatam, etiamsi per impossibile summa veracitas non conveniret Deo ratione aseitatis, sed ratione alterius, putà immutabilis decreti nunquam mentiendi.

Hinc quærenti à me quare credam Incarnationem, respondeo me credere propter revelationem Dei summè veracis. Sed si ulteriùs quærat, quare credam propter revelationem Dei ex eo, quòd sit summè verax. Ibi hæreo, & nihil respondere possum, quod sit mihi motivum proprium credendi revelationi divinæ propter summam veracitatem. Igitur actus Fidei resolvitur in revelationem divinam & summam veraciratem tanquam in rationem formalem totalem, seu motivum totale assentiendi: ac proinde revelatio & veracitas divina sunt objectum formale totale Fidei divinæ.

ARTICULUS IV.

Utrùm motiva credibilitatis sint in objecto formali Fidei?

Nota. Motiva credibilitatis sunt argumenta, quæ evidenter evidentia saltem mo-

rali magna ostendunt intellectum propter illa prudenter judicare credi posse, & honestum esse credere assensu super omnia firmo, quòd Deus revelaverit, & verax sit: sive sunt argumenta, vi quorum mens evidenter judicat non posse nisi imprudentissimè negari revelationem & veracitatem divinam.

Dico. Motiva credibilitatis non sunt in objecto formali Fidei.

Prob. 1. Motiva credibilitatis non sunt ratio formalis seu motivum credendi Fide divina revelationem & veracitatem divinam, *propter quas* eodem actu creditur res à Deo revelata. Ergo motiva credibilitatis nullatenus sunt in objecto formali Fidei. Consequentia patet: *nam objectum formale Fidei est motivum* credendi Fide divina vel rem revelatam, vel revelationem & veracitatem divinam: nihil enim præterea creditur Fide divina. Atqui certum est motiva credibilitatis non esse motivum immediatum credendi Fide divina res à Deo revelatas: nam tale motivum est summa veracitas revelans, seu testimonium Dei summè verax; & rebus revelatis assentimur immediatè propter necessariam connexionem, quam habent cum summa veracitate revelante, seu testimonio divino summè veraci. Ergo motiva credibilitatis non possunt esse objectum formale Fidei, nisi quatenus essent motivum credendi Fide divina revelationem & veracitatem divinam.

Prob. itaque antec. 1. Quia actu Fidei divinæ creditur res revelata propter revelationem & veracitatem divinam creditas propter ipsam revelationem ut virtualiter reflexam supra se & veracitatem, seu prout est virtualis ac implicita revelatio sui ipsius & veracitatis. 2. Quia si motiva credibilitatis essent in actu Fidei divinæ motivum credendi revelationem, tota certitudo actus Fidei divinæ fundaretur in motivis credibilitatis. Falsum conseq. Ergo. *Prob. min.* Si certitudo actus Fidei divinæ fundaretur in motivis credibilitatis, actus Fidei non esset super omnia certus, nec proinde certior omni assensu naturali evidenti. Falsum conseq. Ergo. Major patet: nam motiva credibilitatis non possunt fundare ex parte motivi assensum firmiorem omni assensu naturali evidenti &

necessario: Non enim possumus esse certiores de motivis credibilitatis quàm v. g. de existentia maris, solis, terræ, &c. Igitur tota certitudo Fidei divinæ fundatur in revelatione & veracitate divina, in quas ultimo resolvitur.

Præterea cùm actus Fidei divinæ sit actus virtutis Theologicæ, debet ultimò resolvi in aliquid divinum, Deo intrinsecum, vel ex toto, vel saltem ex parte. Si autem motiva credibilitatis essent in actu Fidei motivum credendi revelationem & veracitatem, Fides divina non resolveretur in aliquid increatum, Deo intrinsecum, sed in illa motiva, quæ sunt aliquid Deo extrinsecum.

Prob. 2. assertio. Quia revelatio & veracitas divina sunt motivum planè sufficiens & proportionatum ad assentiendum per Fidem divinam rebus à Deo revelatis. Nam posito & intellecto, quòd Deus aliquid revelaverit, & sit infinitè verax, qui in revelando nec falli, nec fallere potest, hoc ipso præcisè testimonium ejus summam habet infallibilitatem & connexionem cum veritate rei revelatæ, & dignum est assensu super omnia firmo, qualis est assensus Fidei divinæ. Ergo revelatio & veracitas divina sunt objectum formale adæquatum Fidei divinæ: ideoque motiva credibilitatis non sunt in tali objecto.

Solvuntur objectiones.

Obj 1. Fides divina resolvitur ultimò in motiva credibilitatis. Ergo hæc sunt de objecto formali Fidei. *Nego antecen. probabis.* Quærenti, quare credo Incarnationem, respondeo: quia Deus summè verax revelavit. Ulteriùs verò quærenti, quare credo Deum esse summè veracem, & revelasse, respondere debeo: quia hoc mihi evidenter apparet credibile per motiva credibilitatis. Ergo.

Resp. Nego hanc ultimam responsionem. Itaque quærenti à me, quare credo Fide divina Deum veracem esse, & revelasse Incarnationem, respondere debeo: credo utrumq; propter revelationem divinam ut virtualiter reflexam supra seipsam & veracitatem, seu propter revelationem divinam ut est virtualis ac implicita sui ipsius & veracitatis revelatio, ibi sistendo. Unde actus Fidei divinæ sistit in revelatione divina ut virtualiter supra seipsam & veracitatem reflexa. Nec possum respondere, credo Fide divina revelationem & veracitatem propter motiva credibilitatis: aliqui actus Fidei resolveretur in aliquid creatum ac extrinsecum Deo; & actus Fidei non esset super omnia certus, nec proinde certior omni assensu naturali evidenti ex parte motivi.

Inst. 1. Saltem adversarii respondent se credere revelationem & veracitatem propter motiva credibilitatis, seu quia apparent credibiles.

Resp. Cum sic respondent, non afferunt verum motivum intrinsecum, propter quod creduntur actu Fidei divinæ revelatio & veracitas divina; sed afferunt duntaxat conditionem sufficienter applicantem intellectui existentiam revelationis & veracitatis divinæ ad hoc, ut intellectus ex imperio voluntatis credat actu Fidei Incarnationem propter revelationem & veracitatem divinam; revelationem verò & veracitatem propter ipsam revelationem prout est virtualis & implicita sui ipsius & veracitatis divinæ revelatio.

Inst. 2. Non cognosco revelationem nisi per motiva credibilitatis. Ergo non credo illam Fide divina nisi propter hæc motiva.

Resp. Nego consequentiam. Equidem per motiva credibilitatis cognosco revelationem divinam, & propter illa sufficienter judico revelationem existere, ita ut prudenter possim imperare intellectui, ut firmissimè assentiatur revelationi & veracitati divinæ. Sed ille actus qui habet pro objecto formali motiva credibilitatis, est actus prævius & prærequisitus Fidei divinæ, non autem actus ipse Fidei. Quare motiva credibilitatis nullarenus sunt motivum intrinsecum actus Fidei, nec mediatum quidem, nec actu Fidei attinguntur, sed ei præsuponuntur.

Dices. Cùm revelatio divina sit per se obscura, voluntas non potest prudenter imperare assensum rebus revelatis propter revelationem.

Resp. Non potest quidem sine præsupposito judicio, quo sufficienter constet Deum revelasse. At tali judicio præsuppositio, voluntas prudenter potest, & debet applicare intellectum

lectum ad assentiendum firmissimè rebus revelatis propter revelationem & veracitatem divinam, revelationi verò propter se ut virtualiter supra se ipsam & veracitatem reflexæ, modò utraque potentia auxilio supernaturali adjuvetur.

Porro revelatio divina virtualiter supra se ipsam & supra veracitatem reflexa, est revelatio considerata ut est revelatio non solùm mysterii revelati, sed etiam sui ipsius & veracitatis divinæ. Deus quippe aliquid revelando, simul virtualiter revelat se revelare, & summè veracem esse; & hoc ipso quòd cognoscitur esse revelatio divina, cognoscitur esse revelatio entis summè perfecti, ideoq; sumè veracis.

Obj. 2. Ad actum Fidei requiruntur motiva credibilitatis. Ergo sunt de illius objecto formali.

Resp. Disting. anteced. Requiruntur ut motivum actus prærequisiti ad actum Fidei, *conc. anteced.* requiruntur ut motivum Fidei, *nego ant.* Motiva credibilitatis sunt motivum judicii prudentis de credibilitate revelationis, de honestate & obligatione credendi revelationem & rem revelatam propter revelationem & veracitatem divinam. Quod judicium prærequiritur ad actum Fidei.

Obj. 3. Omnis assensus mediatus ultimò resolvitur in aliquam veritatem per se notam. Ergo actus Fidei terminatur in evidentem credibilitatem revelationis.

Resp. Nego anteced. Nam aliquis assensus mediatus resolvitur in veritatem per se obscuram, sed cui immediatè assentimur propter se ipsam, supposita sufficienti persuasione prævia de ejus existentia. Talis quippe est assensus Fidei, quo creditur Incarnatio v. g. nam resolvitur ultimò in hanc propositionem per se obscuram. Summa veracitas revelavit Incarnationem creditam propter revelationem, ut illa est virtualis & implicita sui ipsius ac veracitatis revelatio.

Obj. 4. Objectum secundùm se obscurum non est secundùm se proportionatum assensui certo intellectus. At revelatio divina secundùm se est obscura & incredibilis. Ergo revelatio divina secundùm se non est objectum proportionatum assensui intellectus. Ergo non potest credi nisi propter motiva credibilitatis. Ergo, &c.

Resp. Disting. maj. Objectum obscurum non est proportionatum assensui certo, naturali, necessario & evidenti, *conc. maj.* Assensui supernaturali, libero, & imperato à voluntate *subdist.* Sine præsuppositio judicio de evidenti credibilitate illius objecti obscuri, quo judicio intellectus disponatur ad firmissimè assentiendum objecto obscuro ex imperio voluntatis, *conc iterum maj.* Præsuppositio tali judicio, *nego maj.* Revelatio autem divina, quamvis sit secundùm se obscura, tamen apparet evidenter credibilis per actum prævium actui Fidei, quo firmissimè creditur ex imperio voluntatis propter se ipsam virtualiter supra se reflexam: & sic per actum illum prævium intellectus sufficienter disponitur ad ei firmissimè assentiendum ex imperio voluntatis.

Dices. Intellectus non potest ferri in rem planè obscuram; nam quod obscurum est, planè ignotum est, & assensus intellectus ferri non potest in rem planè ignotam.

Resp. Intellectus quidem ferri non potest in rem secundùm se obscuram & ignotam assensu naturali, necessario & evidenti. At potest ferri in rem secundùm se obscuram & ignotam assensu supernaturali, imperato prudenter à voluntate, & ad quem assensum intellectus fit sufficienter dispositus per judicium prævium de evidenti credibilitate talis rei secundùm se obscuræ. Nam supposita persuasione de credibilitate alicujus veritatis per se obscuræ & ignotæ, voluntas potest determinare intellectum ad assentiendum illi veritati immediatè & præcisè propter se, & quidem firmissimè, si voluntas & intellectus speciali Dei auxilio adjuventur, ut contingit in Fide divina. Nam intellectus judicat se determinari prudenter à voluntate ad talem assensum; cognitio quippe prævia credibilitatis revelationis semper remanet in memoria; quamvis sæpe imperceptibiliter.

Obj. 5. Revelatio divina non potest esse motivum assentiendi rei revelatæ, nisi notior sit veritate revelata. Sed revelatio non est notior veritate revelata, nisi ut colluſtrata motivis credibilitatis, & credita propter illa. Ergo.

Resp. Nego maj. Nam ut revelatio divina sit motivum credendi actu Fidei rem revelatam, sufficit, quòd immediatiùs & per se credita sit. Quia in actu Fidei divinæ intellectus non attendit ad evidentiam, sed ad solam infallibilitatem motivi; neque assentitur rei revelatæ propter aliquam evidentiam revelationis, sed propter necessariam connexionem, quam habet revelatio cum re revelata.

Porro revelatio divina potest per judicium prævium de credibilitate esse veritate revelata notior in aliquo sensu, nempe quatenus revelatio directiùs & immediatiùs innotescit per motiva credibilitatis. Nam motiva credibilitatis per se primò tendunt & valent ad convincendum intellectum de existentia revelationis ac veracitatis divinæ, & obligatione credendi assensu super omnia firmo utramque, & propter illas rem revelatam.

Obj. 6. Omnis actus intellectus terminatur etiam intrinsecè ad aliquam evidentiam. Ergo actus Fidei terminatur ad evidentiam credibilitatis. Ergo, &c.

Resp. Distinguo. antec. Omnis actus intellectus naturalis, evidens & necessarius terminatur intrinsecè ad aliquam evidentiam, *conc. ant.* Omnis actus intellectus etiam supernaturalis, obscurus, liber, & à voluntate imperatus terminatur ad aliquam evidentiam, *nego antec.* Actus autem Fidei divinæ est actus supernaturalis, obscurus, liber, & indigens imperio voluntatis, quo determinetur intellectus ad assensum super omnia firmum.

Equidem actus Fidei divinæ præsupponit evidentiam credibilitatis. Nam necessariò præsupponit actum prævium de credibilitate evidenti revelationis, quo intellectus evidenter & necessariò judicat credibilitatem revelationis & veracitatis divinæ, & honestatem ac obligationem credendi propter illas rem revelatam. Præsupposita autem persuasione de credibilitate revelationis per se obscuræ, voluntas cum auxilio gratiæ potest determinare intellectum ad assentiendum firmissimè illi revelationi immediatè & præcisè propter se.

Inst. Voluntas non potest efficaciter imperare intellectui, ut immediatè etsi opinativè assentiatur huic propositioni (*numerus arenarum maris est par*,) quia nempe hoc est per se obscurum. Ergo nec voluntas potest imperare intellectui, ut assentiatur revelationi per se obscuræ. Ergo, &c.

Resp. Nego conseq. Ratio disparitatis est, quia nulla sunt motiva etiam probabilitatis, quibus intellectus disponatur ad assentiendum, etiam ex imperio voluntatis illi propositioni. At extant motiva credibilitatis, quibus intellectus sufficienter disponi potest ad assentiendum firmissimè ex imperio voluntatis propositioni revelatæ propter summam auctoritatem Dei revelantis, cujus revelatio actu prævio per motiva credibilitatis cognoscitur.

Obj. 7. Intellectus non potest per actum Fidei assentiri firmiùs veritati revelatæ propter revelationem divinam, quam ipsi revelationi assentiatur propter motiva credibilitatis.

Resp. Nego. Nam intellectus assentiens rei revelatæ propter revelationem divinam, potest, & debet illi assentiri modo appretiativè proportionato infallibilitati revelationis divinæ: Ac proinde potest, & debet ei firmiùs assentiri propter revelationem divinam, quam cùm assentitur ipsi revelationi divinæ propter motiva credibilitatis. Quia infallibilitas revelationis divinæ, utpotè summa, longè superat infallibilitatem evidentiæ motivorum credibilitatis etiam collectivè sumptorum.

Inst. 1. Excessus ille firmitatis supra meritum motivorum erit imprudens, nam carebit motivo credibilitatis.

Resp. Nego. Quia hoc ipso, quòd motiva credibilitatis evidenter ostendunt rem aliquam esse credibilem ut revelatam à Deo, simul & indivisibiliter ostendunt posse prudenter & debere credi cum firmitate appretiativè summa, utpote proportionata infallibilitati revelationis entis summè veracis, ideoque firmitate majore quàm mereantur motiva credibilitatis. Quare excessus firmitatis, quem habet actus Fidei supra meritum motivorum credibilitatis, habet eadem motiva credibilitatis, quæ habet res revelata.

Inst. 2. Ædificium non potest esse firmius suo fundamento. Sed motiva credibilitatis sunt fundamentum actus Fidei. Ergo actus

Fidei

Fidei non poteſt eſſe firmior, quàm mereantur moriva credibilitatis.

Reſp. Nego min. Nam fundamentum intrinſecum actus Fidei eſt ejus motivum, nempe teſtimonium Dei ſummè verax. Motiva verò credibilitatis non ſunt motivum niſi actus prævii & prærequiſiti ad Fidem, nempe actus prudentiæ ſupernaturalis de evidenti credibilitate revelationis.

Obj. 8. Illud Joan. c. 10. *Si mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Et, c. 4. *Multi crediderunt in eum Samaritanorum propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis; quia dixit mihi omnia quæcumq; feci.* Ergo opera miraculoſa ſunt motivum Fidei.

Reſp. Nego conſeq. Ad 1. ſenſus eſt: Si non vultis credere me eſſe Meſſiam & Deum propter teſtimonium meum, credite miracula, quæ ego facio, eſſe opera divina teſtantia veritatem mei teſtimonii, ut per hæc cognoſcatis meum teſtimonium eſſe divinum, & hæc cognitio vos diſponat ad credendum Fide divina me eſſe Deum propter teſtimonium divinum. Unde hæ voces (*operibus credite*) non ſignificant actum Fidei divinæ, ſed actum prudentiæ diſponentem ad actum Fidei divinæ.

Reſp. Ad 2. Hæ voces (*crediderunt in eum propter verbum mulieris, &c.*) ſignificant actum prudentiæ ſupernaturalis, quo Samaritani illi prudenter judicarunt Chriſtum eſſe Meſſiam propter cognitionem occultorum affirmatam à muliere; per quem actum diſpoſiti ſunt ad credendum Fide divina. Nam credere Chriſtum eſſe Meſſiam propter teſtimonium mulieris affirmantis eum ſecreta pandiſſe, non eſt actus Fidei divinæ, cùm non habeat pro motivo teſtimonium divinum.

Quòd ſi quis velit voces iſtas (*crediderunt in eum*) ſignificare Fidem divinam, tunc teſtimonium illius mulieris non eſt motivum immediatum & intrinſecum illius actus, ſed eſt duntaxat motivum remotum & extrinſecum actus Fidei, id eſt, motivum actus præſuppoſiti ad actum Fidei, ita ut ſenſus ſit: Multi crediderunt eum eſſe Meſſiam propter revelationem divinam, quam ſufficienter cognorunt per teſtimonium mulieris teſtantis eum ſibi occulta & ſoli Deo nota manifeſtaſſe.

Obſerva. Hæc eſt œconomia Fidei divinæ, ſive hic eſt ordo actuum præſuppoſitorum & prærequiſitorum ad actum Fidei divinæ. 1. Perceptio motivorum credibilitatis, & motivorum illorum attenta conſideratio. 2. Prudens ac firmum judicium de honeſtate & obligatione credendi: cujus judicii objectum formale ſunt motiva credibilitatis exiſtentiam revelationis credibiliter ſaltem ſuadentia. 3. Pia credulitas, ſeu pia ac libera motio voluntatis efficaciter applicantis ſeu determinantis intellectum ad aſſentiendum firmiſſimè veritati revelatæ propter revelationem ac veracitatem divinam, & revelationi ac veracitati divinæ propter ipſam revelationem, ut eſt virtualis & implicita revelatio ſui ipſius & veracitatis divinæ. Denique ſequitur actus Fidei divinæ, qui eſt mentis aſſenſus ſuper omnia firmus, ex imperio voluntatis datus rebus à Deo revelatis propter revelationem & veracitatem divinam, creditas propter ipſam revelationem ut virtualiter reflexam ſupra ſe ipſam & veracitatem, ſeu prout eſt virtualis ac implicita ſui ipſius & veracitatis divinæ revelatio.

ARTICULUS V.

Utrùm revelatio & veracitas divina debeant eſſe inevidentes & obſcuræ, ut ſint objectum formale Fidei divinæ?

Nota 1. Obſcuritas opponitur claritati cognitionis. Claritas cognitionis eſt objecti repræſentatio talis, ut mens poſſit facile explicare & evolvere, quid ſit illud, quod percipit. Obſcuritas cognitionis eſt objecti repræſentatio talis, ut mens non poſſit facilè explicare ac ſibimet ipſi evolvere, quid ſit illud, quod percipit.

Nota. 2. Fidem eſſe obſcuram, conſentiunt omnes, & hoc per ſe patet. Nam cùm credendi motivum ſit ſola auctoritas Dei revelantis, & illa non manifeſtet per argumentum intrinſecum veritatem, aut eſſentiam, aut proprietates rei credendæ, certè non facit, ut rei illius habeatur cognitio clara.

Dico 1. ut revelatio & veracitas divina ſint objectum formale Fidei divinæ, neceſſe eſt,

ut obſcurè tantùm oſtendant rem revelatam, ideoque ut ſint obſcuræ ſecundùm ſe.

Prob. Si revelatio & veracitas divina evidenter oſtenderent rem revelatam, non moverent ad actum Fidei, ſed ad alium ab eo ſpecificè diverſum. Ergo ut revelatio & veracitas divina moveant ad actum Fidei, ideoque ut ſint motivum ſeu objectum formale Fidei, non debent evidenter oſtendere rem revelatam, *prob. anteced.* Si revelatio & veracitas divina evidenter oſtenderent rem revelatam, non moverent ad actum inevidentem & liberum, ſed ad actum evidentem & neceſſarium: Nam intellectus evidenter & neceſſariò aſſentitur omni veritati evidenti, etiamſi ſit tantùm evidens per aliud, quocum connexa eſt, ut patet in demonſtratione cauſæ per effectum. Atqui actus Fidei divinæ eſt eſſentialiter actus inevidens & obſcurus etiam poſitivè. Ergo ſi revelatio & veracitas divina evidenter oſtenderent rem revelatam, non moverent ad actum Fidei.

Prob. min. 1. Ex Scriptura, Heb. c. 11. ubi Fides dicitur *argumentum non apparentium*, id eſt, quo veritates revelatæ certiſſimè quidem, ſed obſcurè cognoſcuntur.

2. Ex Patribus. Pro omnibus ſit S. Auguſtinus, qui, tract. 40. in Joan. ait; *quid eſt Fides, niſi credere quod non vides?*

3. Ratione. Quia actus Fidei eſt actus liber, ex imperio ſeu applicatione voluntatis elicitus ab intellectu. Atqui actus Fidei non eſſet liber ſed neceſſarius, ſi eſſet evidens: nam intellectus neceſſitatur, & determinatur per evidentiam. Ergo actus Fidei non eſt evidens, ſed inevidens & obſcurus. Major conſtat, tum quia actus Fidei eſt actus meritorius, juxta illud, Rom. c. 4. *credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad Juſtitiam.* Ideoque eſt eſſentialiter liber. Tum quia Fides divina eſt aſſenſus, quo mens propter Dei teſtimonium ſummè verax firmiſſimè rei revelatæ adhæret, non quocumque modo, ſed ex pio & libero affectu ſe ſubmittendi auctoritati divinæ: ac proinde eſt aſſenſus poſitivè liber.

Præterea ſecundùm omnes Fides divina eſt actus quaſi medius inter ſcientiam, quæ eſt clara rei cognitio, & opinionem, quæ eſt aſſenſus formidoloſus: Quia nempe Fides divina eſt actus obſcurus, ſed certiſſimus.

Hinc ut revelatio & veracitas divina ſint objectum formale Fidei, non debent eſſe ſimpliciter evidentes ſecundùm ſe & immediatè: nam alioqui non obſcurè ſed evidenter oſtenderent rem revelatam, cùm veritatis revelatæ connexio cum revelatione & veritate divina ſit evidens.

Dices. In illa hypotheſi per actum Fidei veritas revelata non cognoſceretur evidenter in ſe ipſa, ſed tantùm in alio, nempe in revelatione & veracitate.

Reſp. Nihilominus actus Fidei eſſet actus evidens & neceſſarius. Nam adhuc cognoſceretur evidenter veritas revelata in alio evidenti cùm ea evidenter connexo, & per eumdem actum cognito. Sic demonſtratio cauſæ per effectum eſt actus evidens & neceſſarius, quamvis cauſæ exiſtentia non cognoſcatur evidenter in ſeipſa, ſed in alio, nempe in effectu. At Fidei divinæ repugnat eſſe actum evidentem & neceſſarium.

Dico 2. Revelatio & veracitas divina inevidentes in ſe, poſſunt eſſe objectum formale Fidei divinæ, quamvis ſimpliciter evidentes ſint in motivis credibilitatis evidentia magna morali.

Prob. Nam (ut, c. 1. art. 3. probatum eſt) per motiva credibilitatis ſimpliciter evidens eſt evidentia magna morali Religionem Chriſtianam eſſe veram, ideoque ejus dogmata revelata eſſe à Deo, & nihilominus veritas Religionis Chriſtianæ & ejus dogmatum poteſt, & debet credi Fide divina propter revelationem & veracitatem divinam.

Præterea ex S. Th. 2. 2. q. 5. a. 2. qui videret mortuum ſuſcitari in confirmationem alicujus revelationis divinæ, cognoſceret manifeſtè hanc revelationem eſſe à Deo. At is nihilominus poſſet & deberet credere Fide divina. Alioqui Judæi videntes Chriſtum mortuos ſuſcitantem, ut probaret ſe eſſe Meſſiam & Deum, non potuiſſent credere Fide divina ipſum eſſe Meſſiam & Deum.

Obj. Si revelatio & veracitas divina eſſent ſecundùm ſe evidentes, actus Fidei eſſet actus evidens & neceſſarius. Ergo idem dici debet,

bet, ſi revelatio & veracitas ſint evidentes in motivis credibilitatis.

Reſp. Nego conſeq. Diſparitas eſt, quia revelatio & veracitas divina attinguntur ſeu cognoſcuntur per actum Fidei, ſuntque ejus motivum intrinſecum & proportionatum certitudini ejus appretiativè ſummæ. Unde ſi ſecundùm ſe evidentes eſſent, evidenter oſtenderent rem revelatam. At evidentia motivorum credibilitatis, in quibus ſolùm revelatio & veracitas eſſent evidentes, non attingitur ſeu conſideratur per actum Fidei, nec motiva credibilitatis ſunt de ejus objecto formali; ſed revelatio & veracitas ſecundùm ſe ſumptæ, ſunt motivum totale actus Fidei. Unde cùm ſint ſecundùm ſe inevidentes, non oſtendunt niſi obſcurè licèt certiſſimè rem revelatam.

ARTICULUS VI.

Utrùm revelatio & veracitas divina debeant eſſe ſaltem evidenter credibiles, ut ſint objectum formale Fidei?

NOta 1. Objectum formale eſt id, quod cognitum & quatenus cognitum movet ad aſſentiendum vel diſſentiendum: ac proinde non movet niſi cognitum, & debet eſſe ſaltem priùs natura cognitum quam cognoſcatur veritas, ad cujus aſſenſum movet. Hinc ut aliquid per modum objecti formalis moveat nos ad aſſentiendum alicui veritati aſſenſu firmo, debet eſſe ſaltem priùs natura cognitum actu firmo. Et conſequenter ut aliquid per modum objecti formalis moveat nos ad aſſentiendum alicui veritati aſſenſu ſuper omnia firmo, debet eſſe ſaltem priùs natura cognitum actu ſuper omnia firmo, id eſt, actu Fidei divinæ, qui ſolus eſt in viatoribus de lege ordinaria aſſenſus ſuper omnia firmus.

Nota 2. Actus Fidei divinæ eſt actus eſſentialiter prudens, nam eſt eſſentialiter actus certus. Actus autem certus eſt actus eſſentialiter prudens & firmus. Nam certitudo duo dicit ſeu includit, nempe prudentiam & firmitatem: Firmitas enim ſine prudentia non eſt certitudo, ſed pertinacia. Unde nihil credi poteſt Fide divina, niſi prudenter credi poſſit. Enim verò actus Fidei divinæ eſt actus elicitus ex gratiæ auxilio ſeu ex ſpeciali Spiritus Sancti inſpiratione. Repugnat autem Spiritum Sanctum ſpecialiter movere & adjuvare ad actum imprudentem: ac proinde repugnat actum Fidei divinæ eſſe imprudentem, ſeu aliquid credi imprudenter Fide divina.

Dico 1. Ut revelatio & veracitas divina ſint objectum formale Fidei divinæ, debent eſſe evidenter credibiles.

Prob. 1. Ut revelatio & veracitas divina ſint objectum formale Fidei divinæ, credi debent Fide divina. Nam objectum formale Fidei non poteſt movere ad aſſenſum ſuper omnia certum, niſi ſaltem priùs natura cognitum ſit actu ſuper omnia certo, ut conſtat ex not. 1. Atqui revelatio & veracitas divina credi non poſſunt Fide divina, niſi ſaltem appareant credibiles per motiva credibilitatis. Ergo ut revelatio & veracitas divina ſint objectum formale Fidei divinæ, debent eſſe evidenter credibiles. *Prob. min.* Ut revelatio & veracitas divina, credi poſſint Fide divina, debent poſſe credi prudenter cum firmitate appretiativè ſumma propter ſe. Atqui non poſſunt credi prudenter cum firmitate appretiativè ſumma propter ſe, niſi appareant credibiles per motiva credibilitatis: nam non poſſunt ſic credi, niſi priùs ex motivis credibilitatis evidenter appareat illarum exiſtentiam non poſſe niſi imprudenter negari, aut in dubium revocari, quod eſt eſſe evidenter credibile. Ergo revelatio & veracitas divina credi non poſſunt Fide divina, niſi ſaltem appareant credibiles per motiva credibilitatis. Major conſtat. Nam actus Fidei divinæ eſt actus prudens & firmus firmitate proportionata auctoritati Dei loquentis, quæ ſumma eſt: ac proinde nihil credi poteſt Fide divina propter ſe, niſi credatur prudenter cum firmitate ſumma propter ſe.

Prob. 2. Ad credendum Fide divina, neceſſe eſt, ut prudenter à voluntate imperetur aſſenſus ſuper omnia firmus & excluſivus omnis formidinis ſaltem deliberatæ. Atqui talis aſſenſus non poteſt prudenter imperari, niſi prælucente evidenti credibilitate. Sola enim hujuſmodi credibilitas ſufficientem habet proportionem cum aſſenſu ſuper omnia firmo, quandoquidem probabilis duntaxat credi-

credibilitas relinquit locum formidini deliberatæ & dubio.

Confirm. Quia Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Assensus Fidei supernaturalis & utilis ad salutem stat cum notitia solùm probabili revelationis, imò cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.*

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Si revelatio & veracitas divina debent esse evidenter credibiles, vel debent esse credibiles Fide supernaturali, vel naturali tantùm. Neutrum dici potest. Ergo.

Resp. Nego seq. maj. Nam debent esse evidenter credibiles præcisè; sufficit enim, quòd evidenter appareat non posse nisi imprudenter illarum existentiam negari aut in dubium revocari: seu ut illarum existentia appareat digna assensu firmo. Nam hoc ipso evidens est intellectui per gratiam illustrato voluntatem posse prudenter imperare ipsi, ut assentiatur rei revelatæ propter revelationem & veracitatem divinam, & revelationi ac veracitati divinæ propter ipsam revelationem, ut est virtualis ac implicita sui ipsius & veracitatis revelatio, & quidem assensu super omnia firmo, utpote proportionato summæ auctoritati Dei loquentis.

Obj. 2. Si revelatio & veracitas deberent esse evidenter credibiles, evidentia credibilitatis caderet sub actum Fidei. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam evidentia credibilitatis requisita ut revelatio & veracitas sint objectum formale Fidei, cadit tantùm sub actum evidentem & necessarium, quo intellectus judicat existentiam utriusque dignam esse assensu firmo, nec posse nisi imprudenter negari, aut in dubium revocari. Qui quidem actus prævius est, & præsupponitur actui Fidei.

Obj. 3. Omnis evidentia necessitat intellectum ad assensum. Ergo evidentia credibilitatis necessitat ad actum Fidei, & sic actus Fidei non est liber.

Resp. Nego conseq. Quia evidentia credibilitatis necessitat tantùm intellectum ad judicandum, existentiam revelationis & veracitatis divinæ non posse nisi imprudenter negari aut in dubium revocari. At non necessitat intellectum ad credendam cum firmitate appretiativè summa existentiam utriusque. Quare evidentia credibilitatis revelationis divinæ præsupponitur tantùm actui Fidei tanquam objectum formale judicii facem præferentis obscuro actui Fidei.

Obj. 4. Si ad actum Fidei necesse sit, ut revelatio & veracitas divina sint evidenter credibiles, pueri & homines rudes non possunt elicere actum Fidei. Falsum consf. Ergo.

Resp. Dist. maj. Si necesse sit, ut sint evidenter credibiles evidentia credibilitatis solùm absoluta & perfecta, *conc. maj.* Evidentia credibilitatis vel absoluta vel perfecta, vel imperfecta secundùm se & relativa seu proportionata uniuscujusque captui, *neg. maj.* Ad actum Fidei non requiritur respectu omnium evidentia credibilitatis perfecta & absoluta, hoc est, evidentia, quæ ad prudens ac firmum judicium de existentia revelationis ac veracitatis divinæ sufficiat respectu omnium etiam Doctorum & perspicacium: alioqui soli viri doctrina & ingenio præstantes possent elicere actum Fidei. Igitur sufficit respectu rudium evidentia credibilitatis imperfecta secundùm se & relativa seu proportionata eorum captui, qua evidenter cognoscant se posse prudenter & firmiter judicare Deum revelasse, nec id nisi imprudenter negari aut in dubium revocari posse. Qualis evidentia potest esse respectu rustici ab auctoritate Parochi, & respectu pueri ab auctoritate Parentum. Nam auctoritas Parochi respectu rustici, qui eum probum ac eruditum existimat, potest esse tanti ponderis, ut pariat illi moralem evidentiam ac certitudinem de existentia revelationis & veracitatis divinæ, non quidem perfectam & absolutam, sed imperfectam & relativam, ejus captui proportionatam, & verè sufficientem rustico ut disponatur ad actum Fidei divinæ. Quia evidentia illa sufficit respectu rustici ad judicium prudens de credibilitate revelationis & veracitatis divinæ: quo scilicet rusticus evidenter judicet voluntatem posse hic & nunc prudenter imperare intellectui, ut assentiatur revelationi & veracitati divinæ, & propter ipsas rei revelatæ assensu super omnia firmo.

Nam

Nam ruſticus audiens Parochum probum & doctum exiſtimatum, inter concionandum aſſerentem Deum revelaſſe Myſterium Trinitatis, non poteſt prudenter dubitare de veritate revelationis. Idem dic de auctoritate Parentis reſpectu pueri; præſertim cùm Parochi & Parentes nomine ac auctoritate Eccleſiæ Catholicæ res revelatas proponant.

Nota. Igitur diſtinguenda ſunt duplicis generis motiva credibilitatis. Primi generis ſunt motiva credibilitatis perfectæ & abſolutæ, quæ abſolutè & reſpectu omnium, etiam doctiſſimorum & perſpicaciſſimorum, ſufficiunt ad diſponendum ad actum Fidei, illis pariendo eviden iam credibilitatis revelationis: & quæ ſola intelliguntur nomine motivorum credibilitatis ſimpliciter dictorum: talia ſunt motiva credibilitatis ſupra recenſita. Secundi generis ſunt motiva credibilitatis imperfectæ ſecundùm ſe, & relativæ, quæ reſpectu aliquorum tantùm ſufficiunt ad Fidem; talis eſt auctoritas Parochi reſpectu ruſtici, qui eum probum ac doctum exiſtimat.

Inſt. 1. Ad actum Fidei requiritur ſumma certitudo de exiſtentia revelationis. Sed ruſticus per illam evidentiam credibilitatis imperfectæ & relativæ non poteſt habere ſummam certitudinem de exiſtentia revelationis. Ergo.

Reſp. Diſting. maj. Ad actum Fidei requiritur ſumma certitudo de exiſtentia revelationis in actu ipſo Fidei, *conc. maj.* In actu prudentiæ præſuppoſito ac prærequiſito ad actum Fidei, *nego maj.* Ruſticus ille eliciens actum Fidei, habet duplicem certitudinem de exiſtentia revelationis divinæ: unam ſcilicet moralem & imperfectam, ſed captui ſuo proportionatam, petitam ab auctoritate Parochi, qua evidenter judicat ſe non poſſe niſi imprudenter dubitare de exiſtentia revelationis: & alteram ſummam petitam ab actu Fidei, quo ex pia motione voluntatis credit rem revelatam propter revelationem. Nam eodem actu firmiſſimè credit priùs ratione exiſtentiam revelationis, propter quam credit rem revelatam. Quæ certitudo ſumma præſupponit quidem in ruſtico evidentiam credibilitatis imperfectam ac relativam de exiſtentia revelationis, fundantem certitudinem moralem imperfectam ac relativam; ſed ipſa ſumma certitudo fundatur tantùm in divinæ revelationis excellentia.

Inſt. 2. Evidentia credibilitatis non poteſt cadere in falſum. Sed evidentia illa imperfecta ac relativa, petita ab auctoritate Parochi poteſt cadere in falſum: nam Parochus poteſt proponere falſam revelationem. Ergo evidentia illa imperfecta non eſt vera evidentia credibilitatis.

Reſp. Diſting. maj. Evidentia credibilitatis perfecta & abſoluta, quæ ſufficiat reſpectu omnium etiam Doctorum, & qualem habet Doctrina Chriſtiana à motivis ſuperiùs recenſitis, non poteſt cadere in falſum, *conc. maj.* Evidentia credibilitatis imperfecta ac relativa, & qualis ſufficit reſpectu ſolorum rudium, non poteſt cadere in falſum, *neg. maj.* Si autem cadit in falſum, tunc ruſticus non poteſt credere Fide divina, tum quia Fides divina habet eſſentialiter veram revelationem pro motivo, tum quia actus Fidei elici non poteſt ſine gratia Spiritus Sancti: Spiritus autem Sanctus non poteſt ſpecialiter movere & adjuvare ad actum falſum; hoc enim ipſum poſitivè dedecet. Quare falſa revelatio nunquam credi poteſt aſſenſu ſuper omnia firmo, etiam ab habente habitum Fidei; nam habitus infuſi nunquam agunt ſine prævia motione Spiritus Sancti.

Inſt. 3. Actus Fidei ſemel elicitus nunquam poteſt prudenter revocari. At ſi auctoritas Parochi ſufficit ruſtico ad Fidem, actus Fidei ab illo ruſtico elicitus poterit ab eo prudenter revocari, ſi nempe Epiſcopus ei oppoſitum affirmet.

Reſp. Diſting. maj. Actus Fidei nunquam poteſt prudenter revocari, ſi fuerit elicitus ex revelatione evidenter credibili evidentia credibilitatis perfecta & abſoluta, *conc. maj.* Si fuerit elicitus ex revelatione evidenter credibili evidentia imperfecta, & relativa, *ſubdiſting.* Non poteſt revocari per ſe & ratione motivi, *conc. iterum maj.* Nam actus Fidei eſt eſſentialiter verus, & nititur motivo abſolutè infallibili, & abſoluta infallibilitate connexo cum veritate rei revelatæ. Actus Fidei non poteſt prudenter revocari per accidens & ratione ſubjecti, ſeu elicientis illum, *nego maj.* quia ad cre-

ad credendum Fide divina potest alicui sufficere evidentia credibilitatis imperfecta, quæ proinde elidi ac superari potest per aliam evidentiam majorem.

Porro nunquam revocari potest meritoriè actus Fidei, qui prudenter per accidens revocaretur; quia talis revocatio est materialiter seu in se mala. Actus autem materialiter malus non potest esse meritorius, quia non potest esse ex speciali motione Spiritus Sancti.

Dico 2. Ut revelatio & veracitas divina sint objectum formale Fidei, sufficit quòd sint evidenter credibiles.

Prob. Quia hoc ipso quòd ex motivis credibilitatis intelligitur non posse nisi imprudenter negari, aut in dubium revocari existentiam revelationis & veracitatis divinæ, sed existentiam utriusque esse dignam assensu firmo & prudenti, reverentia Deo loquenti debita postulat, ut homo planè & absolutè se subjiciat summæ Dei loquentis auctoritati, credendo cum firmitate appretiativè summa existentiam revelationis & veracitatis divinæ, & propter illas rem revelatam: ac proinde tunc homo gratiæ auxilio adjutus potest prudenter velle ex pleno & absoluto affectu se subjiciendi summæ auctoritati seu veracitati Dei loquentis assentiri revelationi ac veracitati divinæ, & propter illas rei revelatæ assensu super omnia certo: Et consequenter tunc potest credere Fide divina revelationem & veracitatem divinam: Quod sufficit, ut sint objectum formale Fidei.

ARTICULUS VII.

Utrùm revelatio privata sufficiat ad objectum formale Fidei?

Nota. Duplex distinguitur revelatio, nempe publica, & privata. Publica est ea, quæ Prophetis & Apostolis facta est pro tota Ecclesia, & postea per totum orbem divulgata est. Item revelatio, quæ à Deo fieret alicui, ut Ecclesiæ per eum traderetur, esset publica revelatio. Privata revelatio est ea, quæ alicui vel aliquibus fit non pro tota Ecclesia, sed pro illis solis: ut, v. g. cùm Deus alicui Sancto revelat eum vel alium esse prædestinatum. Hinc revelatio privata differt à Spiritu privato hæreticorum, qui est proprius cujusque sensus, quo pertinaciter adhæret proprio judicio. Revelatio verò privata est revelatio à Deo facta credibiliter, sed non pro tota Ecclesia.

Dico. Revelatio privata sufficit ad objectum formale Fidei divinæ.

Prob. Nam revelatio divina facta privato, licèt non pro tota Ecclesia, tam est digna assensu super omnia firmo quàm publica, modò sit evidenter credibilis, cùm sit verè divina. Et verò revelatio divina non est objectum formale Fidei quatenus est revelatio publica, sed præcisè quatenus est revelatio Dei summè veracis.

ARTICULUS VIII.

Utrùm Fides divina resolvatur tantùm in revelationem & veracitatem?

Dico. Fides divina variis modis resolvi potest. Nam resolvere actum Fidei est illum reducere in sua principia, vel formalia, vel efficientia, sive in ea, quæ ad illum aliquo modo concurrunt. Atqui varia variè concurrunt ad productionem actus Fidei. Ergo actus Fidei variè resolvi potest.

Itaque actus Fidei divinæ. 1. Resolvi potest in revelationem & veracitatem divinam, tanquam in motivum intrinsecum. Sic resolvo Fidem meam, dum quærenti, v. g. quare credam mysterium Trinitatis, respondeo me credere, quia Deus summè verax illud revelavit.

2. Resolvi potest in motiva credibilitatis tanquam in dispositiones ad actum Fidei, seu tanquam in ea, quibus intellectus ad credendum disponitur, vel etiam tanquam in conditionem sine qua non crederet intellectus. Sic resolvo Fidem meam, dum quærenti, v. g. quare credam veram esse Religionem Christianam, respondeo me credere, quia per multa & magna argumenta evidenter saltem credibile est Religionem Christianam esse veram Religionem, seu habere Deum auctorem.

3. Resolvi potest in honestatem & obligationem credendi tanquam in motiva volendi credere. Sic resolvo Fidem meam, dum quærenti quare credam omnia à Deo revelata, respondeo, quia honestum est, & debeo me in omnibus submittere auctoritati Dei loquentis.

4. Re-

4. Reſolvi poteſt in voluntatem tanquam in cauſam applicantem & determinantem intellectum. Sic reſolvo Fidem meam, dum quærenti, v. g. quare credam Incarnationem, reſpondeo me credere, quia volo ſummæ auctoritati divinæ ſupremum cultum exhibere, aſſentiendo firmiſſimè rebus obſcuris & captum humanum fugientibus propter ejus auctoritatem.

5. Reſolvi poteſt in Deum tanquam in principium effectivum. Sic Fidem meam reſolvo, dum quærenti, quare credam myſteria tam incomprehenſibilia, reſpondeo, quia Deus me ſua gratia prævenit & adjuvat ad credendum.

6. Reſolvi poteſt tanquam in cauſam dirigentem, in Eccleſiam habentem auctoritatem infallibilem, fundatam in argumentis, quibus ejus doctrina apparet evidenter credibilis, aut etiam evidenter vera evidentia magna morali. Sic Fidem meam reſolvo, dum quærenti, v. g. quare credam tot libros continere verbum Dei, reſpondeo me credere, quia id tenet Eccleſia.

7. Reſolvi poteſt tanquam in cauſam proponentem, in Eccleſiam habentem auctoritatem fundatam in ſpeciali aſſiſtentia Spiritus Sancti à Chriſto promiſſa. Sic Fidem meam reſolvo, dum quærenti, v. g. quare credam ſeptem eſſe Sacramenta novæ Legis, reſpondeo, quia hoc Eccleſia in Concilio Tridentino definivit.

ARTICULUS IX.

Quinam in reddenda ratione ſuæ Fidei, vitioſum circulum admittant?

Nota. Admittere vitioſum circulum eſt hoc per illud, & illud per hoc eodem modo ſpectatum, ſive mediatè ſive immediatè probare in eodem progreſſu, & apud eundem qui æquè utrumque negat. Ut ſi Ethnico æqualiter Scripturam & Eccleſiam neganti probares Scripturam per Eccleſiam, & Eccleſiam per Scripturam, ibi ſiſtendo. At ſine vitioſo circulo probatur hoc per illud, & illud per hoc in diverſo progreſſu, & reſpectu diverſorum hominum, quando nempe hoc ignotum eſt uni, & notum alteri. Nam ſine vitioſo circulo probatur cauſa per effectum ei, cui effectus notior eſt quam cauſa: & viciſſim probatur effectus per cauſam alteri, cui cauſa notior eſt quam effectus.

Item ſine vitioſo circulo probatur Judæis novum Teſtamentum ex veteri, quod admittunt. Et viciſſim vetus Teſtamentum Manichæis ex novo, quod admittunt. Hinc etiam ſine vitioſa circulatione Catholici Eccleſiæ infallibilitatem probant ex Scriptura contra hæreticos Scripturam admittentes; & viciſſim Scripturam ex infallibilitate Eccleſiæ contra alios, qui hanc infallibilitatem agnoſcerent. Item non eſt vitioſa circulatio, quando idem probatur per idem, non præcisè, ſed diverſo modo ſpectatum.

Dico 1. Catholici in reddenda ratione ſuæ Fidei non admittunt vitioſum circulum.

Prob. Ille vitioſum circulum non admittit, qui ſiſtit in aliquo, quod eſt ultimum ſimpliciter in progreſſu à ſe facto, & per ſe notum, ut patet. Atqui Catholicus in reddenda ratione ſuæ Fidei ſiſtit in aliquo, quod eſt per ſe notum, & ultimum ſimpliciter in progreſſu, quem facit: Ergo in reddenda ratione ſuæ Fidei non admittit vitioſum circulum. Minor patet hoc exemplo, quod aliis Fidei articulis æquè applicari poteſt. Quærenti à me quare credam realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia, reſpondeo; quia hoc Scriptura, quæ eſt verbum Dei, docet his Chriſti Verbis: *Hoc eſt Corpus meum.* Quærenti quare credam hunc eſſe ſenſum verborum Chriſti, reſpondeo, quia ita definivit Eccleſia, quæ in definitionibus Fidei infallibilis eſt. Quærenti quare credam Eccleſiam eſſe infallibilem in definitionibus Fidei, reſpondeo, quia hoc docet clarè Scriptura his Chriſti verbis: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam:* & iſtis: *docete... & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Quibus verbis ſpecialis aſſiſtentia Spiritus Sancti in rebus Fidei definiendis Eccleſiæ promittitur. Quærenti unde habeam, quod hæc Scriptura ſit verbum Dei, reſpondeo me habere ex eo, quod hanc Scripturam eſſe verbum Dei, ſit unus ex articulis doctrinæ Chriſtianæ, quam veram & à Deo traditam eſſe evidenter credibile, imò ſimpliciter evidens eſt evidentia magna mo-

rali per motiva credibilitatis, seu argumenta, quibus ostenditur doctrinam Christianam habere Deum auctorem. Ibique sisto, in motivis scilicet credibilitatis, quæ per se hanc evidentiam menti ingerunt, si bene penetrentur seu percipiantur; unde in hoc progressu sisto in aliquo, quod est per se notum.

Breviùs sic reddi potest ratio Fidei nostræ sine vitioso circulo. Credo omnia dogmata Religionis Catholicæ, quia Deus summè verax ea *revelavit*; & *Deum ea omnia revelasse* certò scio per Ecclesiam, cujus infallibilitas non solùm clarè continetur in Scriptura, sed etiam evidenter credibilis, imò simpliciter evidens est evidentia magna morali per motiva credibilitatis: quæ per se habent evidentiam credibilitatis, imò evidentiam simplicem magnam moralem, quòd sint opera divina.

Obj. In hoc progressu probatur idem per idem: nempe probatur infallibilitas Ecclesiæ per ipsam infallibilitatem Ecclesiæ. Ergo fit circulus vitiosus.

Resp. 1. Disting. anteced. Probatur idem per idem, non præcisè nec eodem modo spectatum, esto. Probatur idem per idem præcisè & eodem modo, *nego anteced.* Nam probatur infallibilitas Ecclesiæ ut expressa in verbo Dei, per eamdem infallibilitatem Ecclesiæ ut evidenter saltem credibilem per motiva credibilitatis. Unde:

Resp. 2. Nego anteced. Nam infallibilitas Ecclesiæ in definiendis rebus Fidei ut expressa verbo Dei, probatur mediatè per argumenta credibilitatis, quæ sunt veluti primum & universalissimum principium cognoscendi Deum revelasse omnia Fidei dogmata.

Inst. Ergo Catholicus non potest credere Fide divina infallibilitatem Ecclesiæ, si quidem non credit illam nisi propter motiva credibilitatis.

Resp. Nego illatum. Itaque credo infallibilitatem Ecclesiæ in definiendis rebus Fidei, quia Deus summè verax hanc revelavit, & sic illam credo Fide divina. Quòd si quæras, quare credam Deum revelasse hanc infallibilitatem Ecclesiæ, respondeo, quia hæc infallibilitas continetur in verbo Dei scripto & non scripto, seu in Scriptura & Traditione. Quærenti ulterius unde habeam, quòd textus hanc infallibilitatem exprimens, & Traditio illam docens sint verbum Dei, respondeo, quia ita tenet Ecclesiæ doctrina, quam veram & divinam esse evidenter credibile, imò evidens est evidentia magna morali per motiva credibilitatis, quibus nititur doctrina Catholica, quatenus evidenter credibile, imò evidens est evidentia magna morali motiva illa credibilitatis, quibus insignitur Religio Christiana, esse opera divina.

Porro quærenti cur credam aliquid in sola Traditione contentum, v. gr. tot libros, & hos, non illos, esse verum Dei verbum, respondeo, quia Deus summè verax revelavit. Quærenti autem unde habeam Deum id revelasse, respondeo habere ex eo, quod sit unum ex dogmatibus Doctrinæ Christianæ, quam veram esse & à Deo traditam evidenter credibile, imo simpliciter evidens est evidentia magna morali per motiva credibilitatis, quibus nititur Religio Christiana seu Catholica. Si verò à me quæratur, quare credam Fide divina Deum hoc vel illud dogma revelasse, respondeo, quia Deus revelando hoc dogma, simul indivisibiliter revelavit se illud revelasse, cùm omnis revelatio divina sit virtualis ac implicita sui ipsius revelatio.

Dico 2. Hæretici necessario admittunt vitiosam *circulationem in reddenda ratione* suæ Fidei. Nam quærenti unde habeant hanc esse Scripturam divinam, & hunc esse illius sensum, respondent se habere ex privato Spiritu, quem dicunt esse Spiritus Sancti testimonium. Et quærenti unde habeant, quòd Spiritus ille privatus sit testimonium Spiritus Sancti; respondent se habere ex Scriptura, vel quia Spiritus ille privatus est conformis Scripturæ. Unde divinitatem Scripturæ & ejus sensum probant per Spiritum privatum, & Spiritus privati veritatem prærentam probant per Scripturam: sicque divinitatem Scripturæ probant per ipsam Scripturam præcisè. Nec aliter respondere possunt; nam sentiunt nihil esse credendum nisi quod continetur in Scriptura juxta privatum eorum Spiritum intellecta, & rejiciunt infallibilem Ecclesiæ auctoritatem.

SE-

SECTIO III.

De actu interno Fidei divinæ.

ARTICULUS I.

Utrùm actus Fidei sit super omnia certus?

Nota 1. Dupl'ex distinguitur certitudo, objectiva scilicet & formalis. Certitudo objectiva est infallibilitas objecti. Certitudo formalis, de qua hic agitur, est certitudo actus, seu assensus, quæ includit tum infallibilitatem tum firmitatem actus assecurantis intellectum de veritate objecti. Infallibilitas autem actus est ejus necessaria conformitas cum objecto. Firmitas verò est adhæsio objecto excludens omnem actualem dubitationem & formidinem circa illud, & consistit in eo, quòd actus saltem virtualiter ac exercitè affirmet objectum non posse aliter se habere. Unde actus certus est actus necessario conformis objecto, & ita adhærens illi, ut excludat omnem actualem dubitationem ac formidinem circa illud. Hinc actus erroneus vel opinativus non est certus.

Nota 2. Certitudo objectiva & formalis triplex distinguitur, nempe moralis, physica, & metaphysica. Certitudo objectiva moralis est ea, qua objectum non potest esse aliter secundùm communem hominum æstimationem ac consuetudinem, atque ordinarium rerum cursum, quamvis possit esse aliter sine miraculo. Certitudo physica est ea, qua objectum non potest esse aliter sine miraculo, sed per illud aliter est. Certitudo metaphysica est ea, qua objectum aliter esse non potest absolutè etiam per miraculum, ita ut ne omnipotentia quidem divina possit facere, ut aliter sit.

Certitudo formalis moralis est prudens mentis adhæsio objecto tam firma, ut nullum errandi periculum formidet nisi violatis hominum moribus. Certitudo formalis physica est prudens adhæsio mentis objecto tam firma, ut nullum errandi periculum formidet, nisi naturæ legibus per miraculum violatis. Denique certitudo formalis metaphysica est prudens mentis adhæsio objecto tam firma, ut nullum errandi periculum formidet vel ab omnipotentia ipsa divina. Sic metaphysicè certus sum me existere, dum cogito.

Nota 3. Certitudo formalis moralis diversos gradus suscipit, nempe summum, infimum, & medium, qui ipse in alios plures dividi potest. Certitudo moralis summa non solùm dubitationem & omnem oppositi probabilitatem excludit, sed etiam mentem moraliter necessitat ad assensum. Sic certus sum certitudine morali summa existere urbem Romam, quam homines innumeri ex diversis nationibus ac diversis temporibus testantur. Certitudo moralis media excludit omnem dubitationem actualem, non tamen potentiam saltem imprudenter dubitandi. Certitudo denique moralis infima excludit solùm dubitationem actualem, non tamen potentiam prudenter dubitandi.

Item firma adhæsio mentis objecto potest esse major vel minor, non solùm intensivè, sed etiam appretiativè. Eò major est appretiativè, quo veritas judicata pluribus aliis veritatibus etiam certis præfertur; & est appretiativè summa, cùm veritas judicata omnibus aliis veritatibus etiam certis præfertur, ita ut virtualiter saltem & exercitè judicemus alias veritates omnes quantumvis certas & evidentes, potiùs negandas aut in dubium revocandas esse, quàm veritatem judicatam, si cum ea pugnare viderentur.

Nota 4. Firma adhæsio objecto duplex est, nempe necessaria, & libera. Necessaria oritur ex evidentia objecti per se noti rectè apprehensi; & excludit tum dubitationem ac formidinem omnem actualem, tum etiam omnem potentiam dubitandi & formidandi. Libera oritur saltem ex parte è libera motione voluntatis prudenter applicantis & determinantis intellectum ad assentiendum objecto ut verò, ita ut per actum suum *virtualiter* saltem & exercitè judicet illud posse aliter se habere: quæ quidem adhæsio utpote libera, quamvis omnem dubitationem actualem excludat, relinquit tamen potentiam dubitandi antecedentem: nam relinquit in voluntate potentiam antecedentem non applicandi & determinandi intellectum ad actum incompossibilem cum dubitatione actuali. Quod si voluntas imprudenter seu ex levi fundamento applicet ac determinet intellectum ad firmiter assentiendum alicui

cui objecto tunc non erit certitudo, ſed pertinacia, ut contingit in hæreticis.

§. I.

Dico 1. Actus Fidei divinæ eſt ſuper omnia certus, ſeu habet certitudinem formalem appretiativè ſummam ex merito objecti formalis ſeu motivi.

Prob. Ille actus ex merito objecti formalis habet certitudinem appretiativè ſummam, qui ex vi ſui motivi habet ſummam infallibilitatem & firmitatem adhæſionis ad objectum. Atqui talis eſt actus Fidei divinæ: Ergo habet certitudinem appretiativè ſummam. *Prob. min.* 1. Habet ſummam infallibilitatem. Nam actus Fidei tanta neceſſitate verus eſt, quanta neceſſitate ex hypotheſi revelationis divinæ objectum revelatum tale eſt, quale à Deo revelatur: Et objectum revelatum ex hypotheſi revelationis divinæ ſumma neceſſitate tale eſt, quale à Deo revelatur; cùm ſummè repugnet Deum revelantem falli aut fallere. Ergo actus Fidei ſumma neceſſitate verus eſt, ſicque ſummam infallibilitatem habet.

2. Habet etiam firmitatem adhæſionis appretiativè ſummam. Nam cùm infallibilitas ac proinde auctoritas revelationis divinæ ſit ſumma, exigit adhæſionem objecto appretiativè ſummam. Ergo actus Fidei, qui eſt actus prudens ac rectus, ideoque talis, qualem eum eſſe exigit motivum ejus, habet adhæſionem appretiativè ſummam. Quare actus Fidei, ſaltem virtualiter & exercitè, affirmat ex merito ſui motivi omnes alias veritates potius negandas, vel in dubium revocandas eſſe quam veritatem per illum creditam. Hinc illud, Gal. 1. *Licèt nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.*

§. II.

Dico 2. Actus Fidei divinæ eſt ex merito objecti formalis ſeu motivi certior omni aſſenſu naturali quantumvis evidenti; ideoque omni actu ſcientifico.

Prob. 1. Ex Patribus. Pro omnibus ſint S. Chryſoſt. Homil. 21. in Epiſt. ad Hebr. *Si de iis, quæ non cadunt ſub aſpectum, non apertiùs fuerit quiſpiam perſuaſus, quam de iis quæ videntur, non poteſt eſſe Fides*, S. Baſilius, in Pſalm. 115. *Fides animam invitans, imò & perſuadens ad conſenſionem præ cunctis rationalibus methodis.* Et S. Auguſt l. 7. Confeſſ. c. 10. *Audivi ſicut auditur in corde, & non erat prorſus unde dubitarem: faciliuſque dubitarem vivere me, quàm non eſſe veritatem, quæ per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpicitur*, id eſt; quæ per miracula & alia opera ſupernaturalia, in confirmationem veritatis Religionis Chriſtianæ facta quaſi oculis percipitur. Nam ibi loquitur de evidentia credibilitatis, aut etiam evidentia ſimplici, quam habent myſteria Fidei ex motivis credibilitatis.

Prob. 2. Ratione. Actus Fidei habet certitudinem appretiativè ſummam ex merito motivi, ut probatum eſt; & nullus aſſenſus naturalis quantumvis evidens habet ex merito motivi ſummam certitudinem. Ergo actus Fidei divinæ eſt ex merito objecti formalis certior omni aſſenſu naturali quantumvis evidenti. *Prob.* 2. *pars anteced.* Nam nullus aſſenſus naturalis habet ex parte motivi ſummam infallibilitatem; quamvis enim inter aſſenſus naturales aliqui ſint ſummè infallibiles, quales ſunt aſſenſus de exiſtentia & perfectionibus Dei, tamen nullus habet motivum ſummè infallibile. Nam nullum motivum eſt in ſtatu præſentis vitæ, quod habeat ſummam infallibilitatem præter revelationem ſummæ veracitatis. Et conſequenter in ſtatu præſentis vitæ præter revelationes ſummæ veracitatis nullum eſt aliud motivum, quòd merito fundare poſſit firmitatem adhæſionis appretiativè ſummam, & ſic nullus alius actus præter Fidem divinam habet ex merito objecti formalis ſummam infallibilitatem & firmitatem adhæſionis, nec proinde certitudinem ſummam.

Hinc Petrus; 2. Epiſt. cap. 1. de *Viſione* magnitudinis gloriæ Chriſti in Monte Thabor loquens, ait: *Habemus firmiorem propheticum ſermonem*: hoc eſt, certius credimus gloriam Chriſti, quia hæc Prophetis revelata eſt, quam quia ipſam propriis oculis vidimus.

Obj. 1. In ſummo ſicut in infinito non datur majus & minus. Atqui certitudo ſcientiæ eſt ſumma in ſuo genere: Ergo non eſt minor certitudine Fidei.

Reſp.

Resp. Distinguo maj. In summo, quod est summum in omni genere & secundùm omnem considerationem, non datur majus & minus *concedo maj.* In summo, quod est summum secundùm unam considerationem, sed non secundùm aliam, non datur majus & minus, *nego maj.* In genere autem certitudinis metaphysicæ certitudo naturalis scientiæ non est sua comparate ad certitudinem Fidei, quæ major est.

Obj. 2. Assensus merè naturalis potest esse appretiativè summus. Ergo potest esse tam certus quam actus Fidei.

Resp. Nullus potest esse talis ex merito objecti seu motivi: ac proinde nullus assensus naturalis habet certitudinem appretiativè summam. Nam ad veram certitudinem appretiativè summam requiritur summa firmitas, quæ sit rationabilis & *proportionata motivo*, sicut ad veram certitudinem requiritur actus firmitas rationabilis & fundata in merito objecti motivi. Quare etiamsi actus, quo hæreticus errori suo adhæret esset summè firmus ex imprudenti voluntatis imperio, non tamen esset summè certus.

Obj. 3. Actus naturalis, quo experior me vivere, est summè infallibilis: nam summè repugnat me non vivere, ex hypothesi quòd experiar me vivere. Ergo actus naturalis potest esse summè certus.

Resp. Nego anteced. Equidem actus quo experior me vivere, est absolutè infallibilis: at non est summè infallibilis; nam non est tam infallibilis, quam actus quo credo rem revelatam propter *testimonium* Dei summè verax. Item licèt absolutè repugnet me non vivere, ex hypothesi quod experiar me vivere, tamen id non summè repugnat: nam hoc minus repugnat, quam repugnet Deum revelantem falli aut fallere.

Obj. 4. Per actum Fidei non sum certior de existentia revelationis, quam certus sim me vivere per actum quo experior me existere. Ergo actus Fidei non est certior omni assensu naturali evidenti.

Resp. Nego anteced. Non possum quidem esse certior de existentia revelationis per actum, quo illam existere judico propter motiva credibilitatis, quam de existentia mea: quia hic actus non est actus Fidei divinæ, sed actus prudentiæ supernaturalis ad Fidem prærequisitus. At sum certior de existentia revelationis per actum Fidei, quo judico existere revelationem divinam propter ipsam revelationem ut in se virtualiter reflexam, & propter summam ejus infallibilitatem in ipsam virtualiter reflexam. Divina revelatio est virtualis ac implicita revelatio sui ipsius & summæ infallibilitatis ejus. Nam Deus aliquid revelando, hoc ipso virtualiter & implicitè revelat se Ens summè verax revelare, ideoque aliquid revelando, simul indivisibiliter revelat suam revelationem & hujus summam infallibilitatem.

Obj. 5. Actus Fidei non excludit omnem dubitationem involuntariam, sicut scientia excludit. Ergo minùs certus est quam scientia.

Resp. Nego anteced. Itaque actus Fidei divinæ excludit omnes dubitationes tum voluntarias, tum etiam involuntarias. Nam actus Fidei saltem virtualiter affirmat veritatem revelatam non posse aliter se habere; *si enim* naturalis evidentia demonstrationis sufficit ut intellectus affirmet objectum demonstratum non posse se aliter habere, à fortiori summa infallibilitas revelationis (suppositâ sufficienti evidentia credibilitatis) sufficit, ut intellectus ex imperio voluntatis supernaturali affirmet veritatem revelatam aliter se habere non posse. Ergo actus Fidei excludit omnes dubitationes etiam involuntarias perinde ac scientia, si quidem actus scientificus illas non excludit, nisi quia saltem virtualiter affirmat objectum non posse se aliter habere.

Inst. Interdùm Fideles in ipso actu Fidei experiuntur dubitationes involuntarias. Ergo actus Fidei illas non excludit.

Resp. Nego anteced. Et dico dubitationes involuntarias, quas Fideles experiri videntur in ipso actu Fidei, succedere tantum actui Fidei, non illi coexistere, sed quia *sine* mora perceptibili ei succedunt, videntur ei coexistere. Coexistere quidem possunt actui Fidei apprehensiones, seu actus, quibus intellectus percipit species judiciorum formidolosorum in phantasia excitatas ab aliqua causa naturali vel à Dæmone, & hæ apprehensiones confunduntur cum dubitationibus & judiciis formidolosis. At nunquam actibus Fidei coexistunt judi-

judicia formidoloſa, quibus intellectus licèt involuntarie judicet rem revelatam fortaſſe aliter ſe habere, quæ judicia dicuntur dubitationes involuntariæ.

Obj. 6. Actus quo evidenter judico me exiſtere, magis removet omnem dubitationem involuntariam, quam actus Fidei divinæ; Ergo certior eſt.

Reſp. Nego ant. Imò Fides divina omnem dubitationem etiam involuntariam magis removet quam actus ille evidens: nam eſt appretiativè firmior, proindeque firmius affirmat rem revelatam non poſſe ſe aliter habere. Unde S. Auguſt. meritò aſſerit ſe potiùs dubitaturum de ſua exiſtentia quam de veritate revelata.

Inſt. 1. Nullam unquam experior dubitationem involuntariam circa meam exiſtentiam & tamen aliquam interdum experior circa veritatem revelationis & rei revelatæ. Ergo actus, quo experior me vivere, magis removet omnem dubitationem, &c.

Reſp. Nego conſeq. Nam ideo præcisè nullam experimur dubitationem etiam involuntariam circa exiſtentiam noſtram, quia evidentia illa magna, qua evidenter cognoſcimus nos exiſtere, intellectui noſtro facilè & toties occurrit, quoties cogitamus de illa: & occurrendo determinat ad evidens judicium de exiſtentia noſtra. Patimur autem interdùm dubitationes involuntarias circa res Fidei, quia quoties cogitamus de veritatibus Fidei, non ſemper habemus actum Fidei, aut evidentiam aliquam cum omni dubitatione etiam involuntaria incompoſſibilem.

Inſt. 2. Actus, qui excludit non ſolùm omnem actualem formidinem, ſed etiam potentiam antecedentem formidandi, firmior eſt actu excludente tantùm formidinem actualem. Atqui actus, quo evidenter judico me exiſtere, excludit non ſolùm formidinem actualem, ſed etiam potentiam formidandi, & actus Fidei hanc potentiam non excludit: Ergo actus ille naturalis eſt firmior actu Fidei.

Reſp. Nego maj. Nam quamvis actus Fidei non excludit potentiam antecedentem formidandi: eo quòd ſit obſcurus & liber, tamen firmior eſt actu evidenti talem potentiam excludente: nam longè magis excludit formidinem actualem quam quivis actus evidens, cùm longè firmior ſit appretiativè. Major enim firmitas ſpectatur potiùs ſecundùm majorem exclusionem formidinis actualis, quàm ſecundùm exclusionem potentiæ formidandi.

Porro. Ideo aſſenſus evidens excludit potentiam antecedentem formidandi, quia evidens & neceſſarius eſt, ſeu quia verſatur circa objectum, cujus evidentia antecedenter ſeu independenter à libera motione voluntatis neceſſitat intellectum ad aſſenſum.

Inſt. 3. Intellectus minùs poteſt dimoveri ab actu, quo evidenter judico me exiſtere, ut oppoſito aſſentiatur, quam ab actu Fidei. Ergo actus ille evidens firmior eſt actu Fidei.

Reſp. Nego conſeq. Nam ex eo, quod intellectus minùs poſſit dimoveri ab aliquo actu, ut aſſentiatur oppoſito, non ideo ille actus eſt firmior, ſed ſequitur tantùm illum actum eſſe magis neceſſarium, eſſe clariorem & habere objectum evidens ex evidentia, quæ facilè occurrit intellectui.

Inſt. 4. Actus, à quo intellectus minùs dimoveri poteſt, ut aſſentiatur oppoſito, magis removet à diſſenſu objecti: Ergo firmior eſt.

Reſp. Nego anteced. Sed ſolùm magis neceſſariò removet à diſſenſu; & ſolùm facit, ut ſit minùs in poteſtate cognoſcentis diſſentiri objecto.

Obj. 7. Actus ſcientificus vel exprimentalis ſummè removet à diſſenſu objecti: Ergo ſummè firmus eſt, ideoque tam firmus quam actus Fidei.

Reſp. Nego anteced. Nam actus Fidei magis removet à diſſenſu, quam quivis alius aſſenſus etiam evidens; quia actus Fidei ſaltem virtualiter & exercitè affirmat, præ teſtimonio divino, propter quod veritati revelatæ aſſentitur, contemnendum eſſe aliud quodcumque motivum in oppoſitum, & omnem evidentiam, quæ ei repugnare videretur. In qua virtuali & exercita affirmatione conſiſtit ſumma appretiatio Fidei, fundata in ſumma infallibilitate teſtimonii divini. At nullus aſſenſus naturalis quamtumvis evidens, ne quidem virtualiter & exercitè ex meritò objecti affirmat, omnem aliam evidentiam, quæ repu-

repugnare videretur, contemnendam esse præ evidentia talis assensus.

Obj. 8. Certitudo necessaria major est quàm libera. At certitudo actus scientiæ est necessaria, certitudo verò Fidei libera. Ergo illa hac major est.

Resp. Nego maj. Quia certitudo libera est major appretiativè quam necessaria. Fidei autem certitudo major est appretiativè, ideoq; major simpliciter quam certitudo scientiæ.

Obj. 9. S. Thomas, 2. 2. q. 4. a. 8. docet Fidem ex parte subjecti esse minùs certam quàm sit scientia.

Resp. Solùm intelligit Fidem esse minùs certam secundùm quid & quoad nos, quatenus mens propter obscuritatem Fidei minùs clarè percipit ejus infallibilitatem quàm scientiæ: unde fit, ut certitudo Fidei sit magis libera. At S. Doctor ibidem asserit Fidem esse simpliciter certiorem.

ARTICULUS II.

Utrùm actus Fidei sit necessarius necessitate medii, & quarum rerum?

Nota 1. Duplex est necessitas respectu salutis, scilicet necessitas medii, & præcepti. Illud est necessarium necessitate medii ad salutem, sine quo etiam inculpabiliter omisso non potest obtineri salus secundùm legem Dei ordinariam, seu præsens decretum: talis est Baptismus in re respectu infantium, qui non occiduntur in odium Fidei Christianæ. Illud est necessarium necessitate præcepti, quod est præceptum, & sine quo salus obtineri nequit, si culpabiliter omittatur, & hæc omissio per Pœnitentiam non remittatur. Si tamen sit necessarium hac sola necessitate, ejus omissio inculpabilis non impedit salutem.

Porro quidquid est necessarium necessitate medii, est etiam necessarium necessitate præcepti, si illud sit in nostra potestate. Quia ex præcepto charitatis Dei & propriæ tenemur nobis salutem æternam comparare, & consequenter adhibere media ad salutem necessaria. Dico, *si sit in nostra potestate*: nam prima gratia actualis est necessaria tantùm necessitate medii, eò quòd non sit in nostra potestate.

Nota 2. Aliquid credi potest vel explicitè, hoc est, distinctè & in se ac secundùm proprium conceptum: vel implicitè, hoc est, non distinctè, nec in se, sed confusè & in alio, in quo continetur: ut cum creditur quidquid Ecclesia credit, tunc creduntur implicitè omnia Fidei dogmata.

Nota 3. Agitur hìc tantùm de adultis. Nam certum est nullum actum necessarium esse parvulis ad salutem, cùm nullius actus liberi sint capaces, & tamen salvari possint, & re ipsa salventur, dum post Baptismum ante usum rationis moriuntur. Aliud est de habitibus Fidei Spei & Charitatis, sine quorum infusione nemo unquam justificatur, ut constat ex Conc. Trident.

§. I.

Dico 1. Actus Fidei necessarius est in re ad salutem necessitate medii omnibus adultis in peccato mortali existentibus, etiam post Baptismum.

Prob. Quia nullus adultus existens in peccato mortali justificari potest secundùm legem à Deo statutam, sine aliquo actu Fidei re ipsa elicito. Ergo nec sine tali actu salvari potest: nemo enim salvatur, nisi in statu justitiæ moriatur. Ergo adultus existens in statu peccati mortalis non potest salutem obtinere sine aliquo actu Fidei, etiamsi inculpabiliter omittatur, & consequenter actus Fidei necessarius est ad salutem necessitate medii, &c. *Prob. ant.* 1. ex Script. Heb. c. 11. *sine Fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum,* &c. 2. ex Conc. Trident. sess. 6. cap. 8. *Fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.*

Ratio à priori est voluntas Dei, qui ad conferendam adulto peccatori justificationis gratiam exigit, ut sibi priùs supremum intellectus cultum exhibeat, captivando intellectum in obsequium Fidei.

Hæc autem Fides necessaria ad salutem est Fides supernaturalis nixa testimonio Dei summè veracis, de qua sola loquuntur Scriptura & Patres. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Fides latè dicta ex testimonio*

creaturarum, ſimilive motivo, ad juſtificationem ſufficit.

Obj. Scriptura, Patres & Concilia poſſunt in hac materia intelligi de neceſſitate actus Fidei vel in re vel in voto, ſicut cùm loquuntur de Baptiſmo & Pœnitentiæ Sacramento. Ergo actus Fidei in ſe non eſt medium ſimpliciter neceſſarium.

Reſp. Nego anteced. Nam nullibi Scriptura, Patres & Concilia docent ad juſtificationem & ſalutem adulti peccatoris ſufficere votum Fidei divinæ ſeu propoſitum credendi. At ſufficienter docent ad juſtificationem ſufficere votum Baptiſmi & Pœnitentiæ in actu charitatis perfectæ incluſum, dum docent peccatorem actu charitatis & contritionis perfectæ juſtificari.

His adde unanimem conſenſum Theologorum negantium votum Fidei ſufficere ad juſtificationem adulti peccatoris.

Inſt. Si adultus peccator eliceret actum perfectæ contritionis, omiſſo actu Fidei, ſtatim juſtificaretur. Ergo.

Reſp. Antecedens falſum ſupponit. Nam nemo peccator excitatur à Deo ad perfectam contritionem vel charitatem, niſi priùs ſupremum intellectus cultum Deo exhibuerit per actum Fidei divinæ.

§. II.

Dico 2. Omnibus adultis peccatoribus quovis tempore neceſſarium fuit, & nunc eſt ad ſalutem neceſſitate medii credere explicitè actu Fidei divinæ Deum exiſtere, eſſe primum principium rerum omnium, & noſtrum finem ultimum ſupernaturalem, remunerari vita æterna ſibi fideliter ſervientes uſque ad finem vitæ, ſeu morientes in ſtatu gratiæ, & providere ſaluti hominum.

Conſtat ex Scriptura, Heb. c. 11. *ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Ubi Apoſtolus loquitur de Fide explicita, qua Deus ut exiſtens creditur ut Deus, ideoque ut primum principium rerum omnium; & per has voces (*remunerator ſit*) loquitur de remuneratione ſupernaturali alterius vitæ, ut conſtat ex contextu, & conſenſu Doctorum; & quia ſola illa remuneratio promiſſa eſt à Deo. Quæ quidem remuneratio involvit providentiam Dei erga ſalutem hominum. Hinc Innocentius XI. damnavit hanc propoſitionem: *Non niſi Fides unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita remuneratoris.*

Porro Fides explicita Dei ut providentis ſaluti hominum eſt implicita Fides myſterii Incarnationis, quæ proinde quovis tempore neceſſaria fuit ad ſalutem.

§. III.

Dico 3. Fides explicita Incarnationis quoad Divinitatem, Humanitatem, Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti, non fuit neceſſaria neceſſitate medii ad juſtificationem & ſalutem adulti peccatoris in lege naturæ, & Moſaica. Ita communiter Doctores.

Prob. Quia medium ad ſalutem neceſſarium debet publicè promulgari & prædicari, ita ut multitudini, & non aliquibus ſolum ſanctioribus & doctioribus innoteſcat: alioqui Deus non provideret ſufficienter ſaluti omnium, quod repugnat ejus ſinceræ voluntati ſalvandi omnes homines omnium temporum. Atqui in lege naturæ & Moſaica Fides explicita myſterii Incarnationis quoad Divinitatem, Humanitatem, Paſſionem & Reſurrectionem Chriſti non fuit ſic promulgata: ergo non fuit in utraque medium neceſſarium ad ſalutem. *Prob. min.* ex Gal. c. 3. *Priùs autem quàm veniret Fides, ſub lege cuſtodiebamur concluſi in eam Fidem, quæ revelanda erat.* Atqui Fides illa, quæ in lege gratiæ revelanda erat, & quæ proinde ante legem gratiæ non fuerat revelata, ſeu publicè manifeſtata, & ad quam reſervabantur Judæi ad Chriſtum convertendi, eſt Fides explicita Divinitatis, Humanitatis, Paſſionis, Mortis & Reſurrectionis Chriſti: nam de hac Fide perpetuò loquitur Apoſtolus. Ergo ante legem gratiæ Fides Incarnationis quoad Divinitatem, &c. non fuit publicè prædicata & promulgata multitudini.

Obj. 1. S. Auguſtinum.

Reſp. S. Doctor, textibus qui objici poſſunt, ſolùm intendit, quòd ante adventum Chriſti neceſſaria fuerit Fides explicita Incarnationis quoad munus Redemptoris & Mediatoris Dei ac hominum, quæ multitudini ſufficien-

ficienter prædicata & promulgata fuit in lege naturæ & Mosaica hoc ipso, quòd in utraque lege publicè propositum fuit Ecclesiæ divinum decretum dandi hominibus Redemptorem & Mediatorem, per quem homines salvari possent & deberent. Nam ipsemet, l. 19. contra Faustum, c. 14. hæc ait de Fide eorum, qui tempore legis Mosaicæ vixerunt: *tunc & occulta erat Fides: nam & eadem credebant* (implicitè,) *eademque sperabant omnes justi & Sancti etiam temporum illorum; & promissiva erant illa omnia Sacramenta, omnisque ritus ille Sacrorum. Nunc autem revelata est Fides, in quam conclusus erat populus, quando sub lege custodiebatur.*

Inst. S. Augustinus, l. de natura & gratia, cap. 44. ait: *ea quippe Fides justos sanavit antiquos, quæ sanat & nos, id est, mediatoris Dei & hominum hominis Jesu Christi, Fides sanguinis ejus, Fides Crucis ejus, Fides mortis & Resurrectionis ejus, habentes ergo eundem Spiritum Fidei, & nos credimus, propter quod & loquimur.* Et l. de peccato originali, cap. 24. *sine Fide ergo Incarnationis, & Mortis, & Resurrectionis Christi, nec antiquos justos, ut justi essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratia justificari, veritas Christiana non dubitat, sive in eis justis, quos Scriptura Sancta commemorat, sive in eis justis, quos quidem illa non commemorat, sed tamen fuisse credendi sunt vel ante diluvium, vel inde usque ad datam legem, vel ipsius legis tempore non solum in filiis Israel, sicut fuerunt Prophetæ, sed etiam extra eundem populum, sicut fuit Job.*

Resp. Ibi S. Doctor intelligi debet de Fide explicita Divinitatis, Passionis, Mortis & Resurrectionis Christi pro sanctioribus & doctioribus tantum, qui tempore legis naturæ & scriptæ explicitam illorum omnium cognitionem habuerunt: pro multitudine verò de sola Fide implicita quam habuit in Fide, qua explicitè credebat Christum mediatorem Dei & hominum venturum ad redimendum genus humanum per ea media, quibus Deus decreverat ab eo homines redimi, & quæ explicitè credebat adumbrari per Sacrificia, quæ tum offerebantur, & per ritus sacros qui observabantur. Et verò S. Augustinus, l. 19. contra Faustum, c. 14. citato, Fidem temporum illorum occultam vocat, id est, implicitam eorum, quæ tempore legis gratiæ distinctè omnibus prædicanda erant.

Obj. 2. S. Thomas, 2. 2. q. 2. a. 7. ait: *post peccatum autem fuit explicitè creditum mysterium Incarnationis Christi, non solum quantùm ad Incarnationem, sed etiam quantùm ad Passionem & Resurrectionem, quibus humanum genus à peccato & morte liberatur. Aliter enim non præfigurassent Christi Passionem quibusdam sacrificiis, & ante legem, & sub lege.*

Resp. Ibi loquitur tantùm de aliquibus sanctioribus & doctioribus, seu majoribus, ut loquitur, non autem de multitudine seu minoribus. Nam sic prosequitur: *quorum quidem sacrificiorum significatum explicitè majores cognoscebant: minores autem sub velamine illorum Sacrificiorum, credentes ea divinitùs esse dispositа de Christo venturo, quodam modo habebant velatam cognitionem... post tempus autem gratiæ revelatæ tam majores quàm minores tenentur habere Fidem explicitam de mysteriis Christi, præcipuè quantùm ad ea, quæ communiter in Ecclesia solemnizantur & publicè proponuntur, &c.*

§. IV.

Dico 4. Nunc ab Evangelii promulgatione omnibus adultis peccatoribus necessaria est necessitate medii ad justificationem & salutem Fides explicita Incarnationis quoad Divinitatem, Humanitatem, Passionem, Mortem & Resurrectionem Christi Salvatoris hominum.

Prob. 1. Ex Scriptura, Joan. 17. *hæc est autem vita æterna* (id est, medium vitæ æternæ assequendæ necessarium,) *ut cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Et, Gal. c. 2. *scientes, quòd non justificatur homo ex operibus legis, nisi per Fidem Jesu Christi; & nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex Fide Christi.* Et, Rom. c. 3. *justitia Dei per Fidem Jesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum.* Idem docent Patres, nempe neminem in lege gratiæ justificari, & salvari nisi per Fidem Jesu Christi. Per illam autem Fidem Jesu Christi, sine qua nemo justificatur, & quæ proinde

neceſſaria eſt ad ſalutem neceſſitate medii, intelligitur ab Apoſtolo, ideoque & à Patribus Fides explicita Chriſti ut veri Dei & hominis pro ſalute noſtra mortui, & ſuſcitati, &c. Nam loquitur Apoſtolus de Fide Chriſti, qua ipſe credebat in eum, & quam aliis prædicabat, & ad quem, Gal. c. 3. dicit homines in lege nova reſervatos eſſe.

2. Ex S. Auguſtino, l. de correptione & gratia, c. 7. *ab hac damnatione non ſe liberabunt, qui poterunt dicere, non ſe audiſſe Evangelium Chriſti.* Et infra. *Quicumque ergo ab illa originali damnatione, iſta divinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt, non eſt dubium, quod & procuratur eis audiendum Evangelium; & cùm audiunt credunt.* Ergo ex S. Doctore nemo ſalvatur, qui non credit Evangelio. Atqui credere Evangelio eſt credere Chriſtum eſſe Deum & hominem, paſſum ac mortuum eſſe, ac reſurrexiſſe. Ergo.

3. Ex Symbolo Athanaſiano infra citando.

Ratio eſt; quia homines debent noſſe viam ſalutis pro ratione ſtatus in quo ſalvantur. Sed Chriſtus eſt via ſalutis noſtræ, ut ipſe teſtatur Joan. c. 14. *Ego ſum via, & veritas, & vita.* Ergo homines debent illum cognoſcere explicitè quoad Divinitatem, Humanitatem & ejus myſteria in ſtatu, in quo illa myſteria peracta ſunt, & publicè omnibus promulgata. Et verò non eſt credibile Deum voluiſſe Fidem explicitam Chriſti pro ejus gloria & ſalute noſtra mortui & redivivi non eſſe magis neceſſariam poſt ejus adventum & exhibita ejus merita, quàm fuerat antea, præſertim cùm hæc Fides explicita Chriſti ad honorem ipſius Chriſti multùm conferat, & illa myſteria ab Apoſtolis toto orbe promulgata ſint, ita ut nemo illa ignoret niſi ex propria culpa, vel aliorum hominum.

§. V.

Dico 5. In lege nova à promulgatione Evangelii neceſſaria eſt neceſſitate medii ad ſalutem adultorum exiſtentium in peccato mortali Fides explicita Sanctiſſimæ Trinitatis.

Prob. 1. Quia Fides explicita Incarnationis quoad divinitatem, quæ eſt neceſſaria neceſſitate medii, non poteſt haberi ſine Fide explicita Trinitatis.

2. Quia Fides Trinitatis, quæ eſt objectum primarium Fidei noſtræ, ad fundamentum ſalutis noſtræ pertinet; & Baptiſmus, qui eſt Sacramentum Fidei ad ſalutem neceſſarium, conferri neceſſariò debet in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ergo ſi aliquod objectum creditu neceſſarium eſt neceſſitate medii ad ſalutem, certè myſterium Trinitatis ſic neceſſarium eſſe debet.

3. Ex Symbolo Athanaſiano ab Eccleſia uſu recepto & approbato. *Fides autem Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate & Trinitatem in unitate veneremur, &c. Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, ut Incarnationem quoque Domini noſtri Jeſu Chriſti fideliter credat. Eſt ergo Fides recta, ut credamus, & confiteamur, quia Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius, Deus & homo eſt, &c. qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit à mortuis, &c. Hæc eſt Fides Catholica, quam niſi quiſq; fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.*

Solvuntur Objectiones contra utramque aſſertionem.

Obj. 1. Illud, Heb. c. 11. *ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Ergo Fides explicita Incarnationis & Trinitatis non eſt neceſſaria ad ſalutem, &c.

Reſp. Nego conſeq. Quia textus ille ſolùm ſignificat Fidem explicitam unius Dei exiſtentis, & remuneratoris eſſe neceſſariam ad ſalutem, non autem ſufficere: ſicut hic textus, Gal. c. 2. *non juſtificatur homo ex operibus, niſi per Fidem Jeſu Chriſti:* ſolùm ſignificat Fidem explicitam Chriſti eſſe neceſſariam ad ſalutem, non autem ſufficere.

Obj. 2. Cornelius Centurio juſtificatus fuit ſine Fide explicita Chriſti & Trinitatis: nam antequam hanc Fidem haberet, dicitur, Act. c. 10. *Religioſus ac timens Deum.* Ergo.

Reſp. 1. Multi negant anteced. Cum S. Auguſtino, l. de prædeſt. Sanctorum, c. 7. Cùm autem Religioſus ac timens Deum dicitur, volunt hinc tantùm ſequi eum habuiſſe aliquem

Dei

Dei amorem inchoatum ex Fide unius Dei remuneratoris, & ex illo amore inchoato aliqua pietatis opera feciſſe, quibus prædicationis Evangelicæ gratiam impetravit. Cùm verò ab his, quos ad Petrum miſerat, juſtus dicitur, per hanc vocem intelligi volunt virum bonum, non autem juſtificatum.

Reſp. 2. Eſto anteced. Nego conſeq. Quia ſi juſtificatus fuit antequam explicitam Chriſti Fidem haberet, fuit juſtificatus ante ſufficientem Evangelii promulgationem & divulgationem, per Fidem explicitam Dei unius remuneratoris, & Chriſti ut Redemptoris & Mediatoris Dei ac hominum: quam Fidem à Judæis acceperat.

Obj. 3. In lege naturæ & Moſaica neceſſaria non fuit Fides explicita Trinitatis, & Chriſti ut Dei & hominis, &c. Ergo nec in lege gratiæ neceſſaria eſt.

Reſp. Nego conſ. Diſparitas eſt, quia in lege naturæ, & Moſaica myſteria illa non fuerunt ita publicè promulgata & propoſita, ut multitudini innoteſcerent. Unde communiter & abſque culpa ignorabantur à Fidelibus utriuſque legis, & conſequenter illorum explicita Fides non potuit eſſe medium ad ſalutem neceſſarium in utraque lege. At in lege Evangelica utrumque hoc myſterium ita publicè proponitur & divulgatur, ut multitudini Fidelium innoteſcat: vel ſi qui ignorent, ignorant propter aliquam culpam perſonalem vel ſuam, vel aliorum, quorum curæ commiſſi ſunt. Quare cognitio utriuſque myſterii poteſt eſſe nunc medium omnibus ad ſalutem neceſſarium.

Obj. 4. Amor Dei ſuper omnia propter ſe, & contritio perfecta poſſunt haberi ſine Fide explicita Chriſti & Trinitatis: nam ad hoc ſufficit Fides explicita Dei ut remuneratoris. Ergo.

Reſp. Nego anteced. Quia Deus decrevit neminem à promulgatione Evangelii per gratiam excitare ad actum charitatis vel contritionis perfectæ, niſi priùs myſteria Trinitatis & Incarnationis explicitè crediderit. Sine autem gratia præveniente nullus elici poteſt actus ſalutaris.

Inſt. Hoc decretum gratis aſſeritur.

Reſp. Nego. Nam nobis innoteſcit per Scripturam & Traditionem, quæ docent ſine Fide explicita utriuſque myſterii neminem adultum Juſtificari, & ſimul quemlibet peccatorem per actum charitatis & contritionis perfectæ juſtificari.

Obj. 5. Scriptura & Patres intelligi poſſunt de Fide illorum myſteriorum explicita vel implicita, in re vel in voto.

Reſp. Nego. Nam Scriptura & Patres, cùm loquuntur de Fide Chriſti ſimpliciter, intelligi debent in ſenſu proprio, cùm nulla ſit neceſſitas ad ſenſum improprium recurrendi. Fides autem implicita & Fides in voto non ſunt Fides Chriſti ſimpliciter & in ſenſu proprio. Et *nullibi* docent *Fidem Chriſti implicitam* aut in voto ſufficere ad juſtificationem: ſicut docent Baptiſmum & Pœnitentiam in voto ſufficere, *hoc ipſo quòd doceant* actum charitatis aut contritionis perfectæ interdum ſine illis Sacramentis haberi, & juſtificare per modum ultimæ diſpoſitionis, quamvis non ſine voto Sacramenti, quod in illo actu includitur.

Obj. 6. Suppoſita noſtra ſententia, ſalus eſt multis impoſſibilis. Sic impoſſibilis eſt catechumeno jam jam morituro, & habenti Fidem explicitam Dei remuneratoris tantùm, nec ſine miraculo valentis habere explicitam cognitionem Incarnationis.

Reſp. Salus eſt ei impoſſibilis impoſſibilitate conſequente, non antecedente. Nam in illam impoſſibilitatem incidiſſet vel ob malitiam, vel ob negligentiam ſuam culpabilem præteritam.

Inſt. 1. Salus eſſet etiam antecedenter impoſſibilis barbaris vel aliis in ſylvis educatis, qui nihil unquam audierunt de myſterio Incarnationis.

Reſp. Nego. Nam ſi illi legem naturalem ſervarent, nec graviter peccarent, ut poſſunt per gratias iis à Deo gratis collatas, Deus eis Evangelii prædicationem procuraret, aut eos per ſe vel per Angelos inſtrueret, ut docet S. Thomas. *Præterea barbaris illis tam* impoſſibilis eſt Fides explicita Dei ut remuneratoris remuneratione ſupernaturali, ſeu ut largitoris gratiæ & gloriæ: quam tamen Fidem omnibus neceſſariam eſſe conſtat apud omnes.

Inſt. 2. Secluſo miraculo, peccatoribus

ſurdis & mutis à nativitate impoſſibilis eſt cognitio Incarnationis & Trinitatis: Ergo & ſalus, ſi hæc cognitio ſit neceſſaria abſolutè ad ſalutem.

Reſp. Retorquendo. Nam ſine Fide explicita Dei ut remuneratoris ſeu ut gratiæ & gloriæ largitoris ſalvari nequeunt. Unde ſalus eſſet iis impoſſibilis, niſi cum ſpeciali aſſiſtentia Spiritus Sancti poſſent Fidem illam habere. Itaque nego anteced. Quia illi cum ſpeciali aſſiſtentia Spiritus Sancti, & ſine miraculo extraordinario habere poſſunt Fidem explicitam Incarnationis & Trinitatis perinde ac Fidem explicitam unius Dei ut remuneratoris remuneratione ſupernaturali, Deo hominibus illos per ſigna vel picturas inſtruentibus cooperante, & interiùs illuſtrante, & per ſe ipſum vel Angelum quod inſtructioni deeſt, ſupplente, niſi tamen ſurdi illi ac muti liberè impedimentum apponant.

Inſt. 3. Multi fideles rudes nequeunt intelligere quomodo tres Perſonæ unam & eandem naturam habeant. Ergo non poſſunt ſalvari, ſi &c.

Reſp. Nego conſeq. Quia ad credendum myſterium Trinitatis ſufficit, quòd propter revelationem Dei ſummè veracis credatur Trinitas Perſonarum in una eademque natura ac divinitate. Ad hoc autem credendum requiritur ſolùm, ut intellectus poſſit terminos & eorum ſignificationem apprehendere, & percipere evidentiam credibilitatis revelationis, & propter revelationem ac veracitatem divinam firmiſſimè aſſentiri myſterio Trinitatis. Quæ omnia cum auxilio gratiæ præſtare poſſunt rudiores & ingenio tardiores. Hinc illud S. Auguſtini, lib. contra Epiſtolam fundamenti, c. 4. *turbam non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit.*

§. VI.

Dico 6. Ad juſtificationem & ſalutem adulti peccatoris neceſſaria eſt neceſſitate medii Fides, qua generatim credat vera eſſe omnia, quæ à Deo revelata & promiſſa ſunt. Conſtat ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. ubi ait: *diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera eſſe quæ divinitùs revelata & promiſſa ſunt: atque illud in primis, à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per Redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Ac proinde neceſſaria eſt neceſſitate medii ad ſalutem Fides implicita omnium omnino veritatum à Deo revelatarum pro tota Eccleſia.

Item neceſſaria eſt neceſſitate medii omnium omnino articulorum in Symbolo contentorum Fides, non quidem in re, ſed in voto ſeu propoſito credendi eos omnes articulos. Quia nullus adultus juſtificari poteſt ſine propoſito ſaltem virtuali ſervandi omnia præcepta. Præceptum eſt autem credendi explicitè omnes Symboli articulos.

ARTICULUS III.

Expediuntur aliæ quæſtiones ad actum Fidei pertinentes.

Quæres 1. *Utrùm actus Fidei ſit actus intellectus?*

Reſp. Affirm. *Prob.* 1. Ex Script. Heb. c. 11. *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula verbo Dei.* Intelligere autem eſt actus intellectus, non voluntatis. 2. Ex S. Auguſtino, l. de prædeſt. Sanctorum, c. 2. *credere nihil aliud eſt, quàm cum aſſenſione cogitare.* Cogitare autem eſt actus intellectus. 3. Quia Fides divina eſt actus, quo credens firmiſſimè aſſentitur rei revelatæ propter auctoritatem Dei revelantis. Aſſentiri autem eſt actus intellectus.

Obj. 1. Illud, Rom. c. 4. *non hæſitavit diffidentia, ſed confortatur ex Fide.* Et illud c. 10. *corde creditur ad juſtitiam.*

Reſp. Ad 1. diffidentia ibi ſignificat incredulitatem. Unde non ſumitur propriè, & prout opponitur fiduciæ.

Reſp. Ad 2 Cor ibi ſignificat intellectum, non voluntatem, ſicut ſignificat, Matth. c. 9. ubi Chriſtus ait: *quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Quare hæc vox *cor* in Scriptura interdum ſumitur pro intellectu ut his locis, & interdum pro voluntate, ut, Matth. c. 22. *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Hinc illius vocis ſenſus determinari debet pro materia ſubjecta. Præterea ſi vox *cor* ſumeretur ibi pro voluntate, tunc ſumeretur cauſaliter,

ter, non formaliter, & sensus esset: ex pia ac libera voluntatis motione creditur actu intellectus, & idcirco Fides imputatur ad justitiam.

Obj. 2. Per Fidem adhæremus veritatibus revelatis. At adhærere voluntatis est. Ergo.

Resp. Per Fidem adhæremus veritatibus revelatis, assentiendo & judicando. At voluntatis est adhærere objecto suo, illud amando.

Quæres 2. *Utrùm actus Fidei sit simplex, & unicus realiter?*

Resp. Affirm. Quia uno & eodem actu realiter simplici, quamvis virtualiter duplici, creditur objectum materiale & formale: materiale quidem propter formale, formale verò propter se ipsum ut virtualiter supra se reflexum.

Quæres 3. *Utrùm actus Fidei sit formaliter discursivus?*

Resp. Neg. Quia assensus discursivus est ille, qui habet pro motivo partiali bonitatem consequentiæ seu illationis: nam assensus discursivus est actus, quo intellectus assentitur conclusioni, quia bene sequitur ex præmissis. Sed actus Fidei divinæ non habet pro motivo etiam partiali bonitatem consequentiæ. Ergo non est formaliter discursivus. *Prob. min.* Tum quia motivum adæquatum Fidei divinæ est revelatio & veracitas divina. Tum quia illa bonitas consequentiæ est aliquid merè naturale: Tum quia alioqui rudes & mulieres non possent credere Fide divina: nam non cognoscunt evidenter conclusionem bene sequi ex præmissis: non enim cognoscunt syllogismum esse in bona forma & secundùm regulas Logicæ, cùm illas regulas ignorent.

Nota. Qui credit Fide divina, non discurrit, nec infert veritatem revelatam ex revelatione & veracitate divina; sed rei revelatæ assentitur solùm propter simplicem & immediatam connexionem quam habet cum revelatione & veracitate divina: sive ideo assentitur veritati revelatæ, quia Deus summè verax revelavit. Actus autem, quo credens dicit apud se, (*quia Deus hoc dixit, verum est*) non est discursus, sed judicium simplex de connexione immediata veritatis revelatæ cum revelatione & veracitate divina, sive est actus, quo existentia veritatis revelatæ cognoscitur assertivè, seu judicatur per existentiam revelationis & veracitatis divinæ etiam assertivè cognitam. Et tunc credens cognoscit unum per aliud ut immediatè se ipso connexum cum illo, sed non ut connexum cum illo per bonam consequentiam.

Quæres 4. *Utrùm actus Fidei habeat specialem honestatem objectivam intrinsecam?*

Resp. Affirmativè. Quia actus Fidei est per se laudabilis, per se consentaneus rectæ rationi approbanti, & per se honorificus Deo. Nam homo per actum Fidei adhæret cum firmitate appretiativè summa veritati revelatæ præcisè propter revelationem & veracitatem divinam, ideoque generalissimè & plenissimè se se submittit auctoritati divinæ. Quod est sanè per se laudabile, honestum, &c.

Actus Fidei habet etiam honestatem formalem seu imputabilem ad laudem & præmium, sed extrinsecam, petitam scilicet ab actu libero voluntatis imperante actum Fidei, seu determinante intellectum ad assensum Fidei.

Quæres 5. *Utrùm actus Fidei sit positivè voluntarius & liber?*

Resp. Affirm. *Prob.* 1. Ex Script. Marc. cap. ult. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et, Rom. c. 4. *credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Ergo actus Fidei est meritorius, & ejus omissio est demeritoria. Quidquid autem est meritorium & demeritorium est liberum & voluntarium, ut Fide constat. 2. ex Conc. Trident. sess. 6. c. 6. *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia & adjuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt.* 3. Ratione. Quia actus Fidei fit ex libero voluntatis imperio, quo intellectus determinatur ad assentiendum super omnia rebus à Deo revelatis præcisè propter auctoritatem Dei revelantis.

Quæres 6. *Quinam actus ad actum Fidei prærequiruntur?*

Resp. Ad actum Fidei prærequiruntur hi tres actus, nempe judicium de prudenti credibilitate revelationis; judicium de honestate & obligatione credendi; & imperium voluntatis,

tatis, quod est actus, quo voluntas positivè determinat intellectum ad credendum.

Prob. Quia ad actum Fidei prærequiritur imperium voluntatis, seu actus voluntatis determinans intellectum ad credendum: & talis actus prærequirit judicium de honestate vel obligatione credendi: quod judicium præ requirit aliud de prudenti credibilitate revelationis. Ergo ad actum Fidei prærequiritur actus voluntatis prærequirens alios duos actus: & consequenter ad actum Fidei tres actus suprà dicti prærequiruntur.

Prob. ant. Nam 1. ad actum Fidei prærequiritur imperium voluntatis. *Prob.* 1. Ex Rom. c. 10. *Non omnes obediunt Evangelio. Isaias enim dicit: Domine quis credidit auditui nostro.* Hoc est non omnes habent actum voluntatis se submittentis testimonio divino sufficienter proposito, & determinantis intellectum ad credendum Nam obedientia illa, qua carent increduli, nil aliud esse potest quàm talis actus voluntatis. 2. Ex S. August. l. de Spiritu & littera, c 33. *Consequens est paulum quærere, utrùm voluntas illa, qua credimus, etiam ipsa Dei donum sit.* 3. Ex Conc. Arausicano II. can. 5. definiente ipsum credulitatis affectum nobis inesse per gratiam Ille autem credulitatis affectus, quem supponit Concilium ad Fidem prærequiri, nihil aliud est quam imperium voluntatis, de quo agitur. 4. Quia ex Scriptura & ex Conc. Trid. suprà laudatis, actus Fidei est actus liber. Non potest autem esse liber nisi ab actu voluntatis libero illum imperante; cùm sola voluntas sit facultas libera. 5. Ratione. Quia intellectus non potest assentiri veritati revelatæ, nisi ad hunc assensum determinetur vel ab objecto, vel à voluntate: nam caret facultate se ipsum determinandi. Sed intellectus ad assensum illum non determinatur ab objecto neque materiali, nam res revelata per se non apparet vera ut revelata; neque ab objecto formali, seu motivo, nempe revelatione Dei summè veracis: nam revela io divina ut est motivum Fidei, est per se obscura: revelatio enim divina ut est motivum Fidei, est revelatio divina præcisè sumpta, cùm actus Fidei divinæ sit actus, quo intellectus firmissimè assentitur rei revelatæ præcisè propter revelationem Dei summè veracis. Revelatio autem divina præcisè sumpta est obscura: nam præcisè sumpta non magis apparet esse, quàm non esse. Ergo superest, ut intellectus ad actum Fidei determinetur ab actu voluntatis.

2. Imperium illud voluntatis ad actum Fidei prærequisitum prærequirit judicium de honestate vel etiam obligatione credendi. Quia actus voluntatis prærequirit motivum cognitum, propter quod eliciatur. Nam voluntas non fertur in incognitum, nec potest velle sine motivo volendi. Tale autem motivum est honestas vel etiam obligatio credendi cum firmitate summa propter testimonium Dei summè verax.

3. Judicium de honestate vel etiam obligatione credendi prærequirit judicium de prudenti credibilitate revelationis: quia est actus, quo intellectus evidenter judicat non posse nisi imprudenter negari existentiam revelationis. Nam sine tali actu judicium de honestate vel obligatione credendi summa firmitate propter revelationem divinam, non esset prudens.

Cæterum illi tres actus ad Fidem prærequisiti debent esse supernaturales, seu elici ex auxilio gratiæ. Quia omnis actus conducens ad salutem est supernaturalis, & sine gratia elici non potest, ut Fide constat. Sed illi tres actus supradicti conducunt ad salutem, saltem remotè. nam conducunt ad fidem, quæ est fundamentum salutis. Ergo.

Nota. Cæteræ quæstiones, cùm ad p axim pertineant, continentur in mea Theologia morali, de Fide.

SECTIO IV.

De Regulis Fidei.

REgula Fidei est id, quod continet, vel proponit infallibiliter veritates à Deo revelatas, ad Fidem Catholicam pertinentes.

Secundùm omnes Catholicos quatuor sunt ejusmodi Regulæ, nimirum duæ inanimatæ, nempe Scriptura & Traditio: & duæ animatæ, nempe Ecclesia, & Concilium Generale, quibus plerique addunt tertiam, nempe Sedem Apostolicam.

CAPUT

CAPUT I.

De Scriptura Sacra.

ARTICULUS I.

Utrùm detur Scriptura Sacra ſeu Divina?

Dico. Exiſtit Scriptura Sacra, hoc eſt, Scriptura, quæ infallibiliter continet verbum Dei, ſeu res à Deo revelatas. Eſt de Fide.

Prob. 1. Quia omnia dogmata Religionis Chriſtianæ ſunt vera. Nam (ut ſuprà probatum eſt) certum & evidens eſt evidentia credibilitatis perfecta & abſoluta, imò & evidentia ſimplici Religionem Chriſtianam eſſe veram. Atqui unum è præcipuis dogmatibus Religionis Chriſtianæ eſt, quòd extet Scriptura, quæ infallibiliter Dei verbum continet. Ergo revera extat talis Scriptura.

2. Id oſtenditur tum ex ſanctitate & ſublimitate doctrinæ, quam continet Scriptura ſacra: tum ex divina planè efficacia, quam ad hominum animos ad amorem Dei & virtutum omnium ſtudium convertendos habet cum auxilio ſupernaturali ei adjuncto: tum ex ſumma erga illam veneratione, & perſuaſione omnium quotquot à ſeptemdecim ſæculis ſanctitate, doctrina, ſapientia, & rerum divinarum ſcientia exſtiterunt in toto terrarum orbe: tum ex eo quòd in tanta multitudine rerum divinarum, humanarum, moralium, naturalium, quas continet, nunquam potuit ullius falſitatis convinci.

Sacra Scriptura dividitur tanquam totum in partes, in vetus & novum Teſtamentum. Vetus Teſtamentum complectitur libros Sacros ante Adventum Chriſti in lege Moſaica à Deo inſpiratos: Novum verò Libros Sacros poſt Aſcenſionem Chriſti in lege gratiæ ſcriptos ab Auctoribus Spiritu divino afflatis.

ARTICULUS II.

Quinam Libri Scripturæ ſint Canonici?

Nota 1. Vox *Canon* duo ſignificat, nempe regulam, & catalogum ſeu numerum aliquarum rerum. Quamvis autem Scripturæ Sacræ regulam Fidei & morum contineant, ideoque poſſint in primo ſenſu dici libri Canonici, tamen vox *Canonici* ſumitur in poſteriori ſignificatione. Nam quæritur, quinam libri ſint in catalogo Librorum Sacrorum, ſeu à Deo inſpiratorum: ſive quinam libri ab Eccleſia habeantur ut vere Divini, ut vera Scriptura, quæ verbum Dei ſeu revelationes divinas contineat.

Nota 2. Libri Canonici dividuntur in Protocanonicos, & Deuterocanonicos. Protocanonici ſunt ii, qui Fidelium omnium conſenſu in Eccleſia ſemper ab omnibus recepti ſunt ut divina Scriptura. Deuterocanonici ſunt libri verè Divini, qui tamen non ſemper ab omnibus Fidelibus & Eccleſiis particularibus recepti & habiti ſunt ut verè Divini, ſeu ut verum Dei verbum continentes; ſed tandem ab omnibus Fidelibus ut verè Divini recepti ſunt, ita ut nunc eandem apud omnes Fideles auctoritatem obtineant, quam Libri Protocanonici.

Dico 1. Libri Protocanonici ex veteri Teſtamento ſunt: Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Liber Joſue, Liber Judicum, Ruth, Regum Libri quatuor, Paralipomenon duo, Eſdræ Libri duo primus & ſecundus, Job, Liber Pſalmorum 150. Proverbia, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Iſaias, Jeremias, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores.

Libri verò Protocanonici ex novo Teſtamento ſunt: Evangeliorum Libri quatuor, Matthæi ſcilicet, Marci, Lucæ & Joannis; Acta Apoſtolorum; Epiſtolæ Pauli tredecim, ad Romanos una, ad Corinthios duæ, ad Galatas una, ad Epheſios una, ad Philippenſes una, ad Coloſſenſes una, ad Theſſalonicenſes duæ, ad Timotheum duæ, ad Titum una, ad Philemonem una: Epiſtolæ Canonicæ duæ, nempe prima Petri, & prima Joannis.

Prob. Quia illi omnes Libri ſemper ab omnibus omnino Catholicis recepti ſunt ut Divini, & verum Dei verbum continens. Nam 1. qui divinitatem alicujus ex illis libris negarunt, aut in dubium revocarunt, ſemper in Eccleſia ut hæretici habiti ſunt. 2. Omnes Patres, omnia Concilia, & Summi Pontifices omnes, qui Librorum Divinorum catalogum texuerunt, in eum Libros omnes modo recenſitos retulerunt, nimirum Origenes apud Euſebium, l. 6. hiſtor. c. 18. S. Athanaſius in Synopſi.

nopsi. Gregorius Nazianz. carmine de Genuinis Scripturis. Cyrillus Hierosol. Catechesi 4. Concilium Leodicense can. ult. Conc. Cartaginense III. c. 47. S. Augustinus, l. 2. de doctrina Christiana, c. 8. Innocentius I. Epist. ad Exuperium. & Gelasius in Concilio Romano. S. Isidorus Hispal. l. 6. Etimolog. c. 1. S. Damascenus, l. 4. de Fide, c. 18. Denique Concil. Tridentinum, sess. 4. in Decreto de Scripturis canonicis. 3. Omnes alii Patres Libros illos omnes passim citant ut Divinos.

Dico 2. Libri Deuterocanonici ex veteri Testamento sunt: Esther, Baruc, Danielis capita continentia Hymnum trium puerorum, Susannæ historiam, & historiam Draconis à Daniele occisi, Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, Libri Machabæorum duo, nempe primus & secundus.

Libri verò Deuterocanonici ex novo Testamento sunt: Epistola ad Hebræos, Epistola Jacobi, secunda Petri, secunda & tertia Joannis, Epistola Judæ, & Apocalypsis: quibus adde Caput ultimum Marci, & historiam Sudoris sanguinis, & Apparitionis ac Consolationis Angelicæ in Evangelio Lucæ.

Prob. Quia aliqui ex Catholicis has Scripturas ante definitionem Ecclesiæ non receperunt ut divinas & verum Dei verbum continentes; nec tamen ideo habiti sunt hæretici, ut constat ex Eusebio, S. Hieronymo, & ex scriptis aliquorum Patrum. Sed tamen hæ omnes Scripturæ semper à majore parte Ecclesiæ Catholicæ, & præsertim ab Ecclesia particulari Romana, cæterarum omnium matre & magistra habitæ sunt ut divinæ, & tandem à Concilio Tridentino ut tales declaratæ ac confirmatæ sunt.

Dico 3. Canon Scripturarum Sacrarum, quæ scilicet nunc ab Ecclesia tota receptæ & declaratæ sunt divinæ, complectitur omnes Scripturas tum Protocanonicas, tum Deuterocanonicas, supra recensitas, cum omnibus earum partibus, quæ extant in editione seu versione latina vulgata.

Patet ex Conc. Trid. sess. 4. in Decreto de Canonicis Scripturis, ubi ait: *Sacrorum verò Librorum indicem huic Decreto adscribendum censuit* (Synodus,) *ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt verò infra scripti: Testamenti veteris quinque Moysi, id est, Geneseos, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ primus & secundus, qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Ester, Job, Psalterium Davidicum* 150. *Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Hieremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ minores, id est, Osee, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Abachuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum, primus & secundus. Testamenti novi, quatuor Evangelia secundum Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem, Actus Apostolorum à Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, & Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem Libros ipsos integros cum omnibus suis partibus prout ab Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata latina editione habentur, pro Sacris & Canonicis non susceperit .... anathema sit.*

ARTICULUS III.

Utrùm libri omnes in Canonem nostrum relati sint certo Canonici, seu Divini?

Nota. Ex nostro Canone rejiciuntur à Calvinistis Libri sex ex veteri Testamento, nempe Tobias, Judith, Sapientia, Ecclesiasticus, & duo Libri Machabæorum: à Lutheranis verò iidem sex Libri, & in super quatuor ex novo Testamento, nimirùm Epistola ad Hebræos, Epistola Jacobi, Epistola Judæ, & Apocalypsis.

Dico. Scripturæ omnes tum Protocanonicæ, tum Deuterocanonicæ, quæ in Canone Concilii Tridentini continentur, sunt certò Divinæ.

Prob. Et 1. quidem Libri Protocanonici in Canone nostro recensiti sunt certò Divini. Nam

Nam eos omnes esse Divinos est unum è præcipuis Christianismi dogmatibus, illudque ut tale à tempore Apostolorum huc usque ab omnibus Fidelibus receptum. Atqui evidens est evidentia credibilitatis maxima, imò & evidentia simplici Christianam Religionem veram esse, proindeque omnia ejus dogmata vera esse, ut supra ostensum est. Ergo supra dicti Libri sunt certò divini.

2. Idem probatur de Libris Deuterocanonicis. Illæ Scripturæ sunt certò Divinæ, quas ut tales recipit, & esse definit Ecclesia Catholica: nam hanc esse infallibilem in definitionibus Fidei, constat ex Libris Protocanonicis, ut suo loco ostendetur. Atqui Ecclesia Catholica Scripturas, quæ dicuntur Deuterocanonicæ esse Divinas definit in Concilio Tridentino. Ergo Scripturæ illæ sunt certò Divinæ.

Item evidens est evidentia credibilitatis maxima imò evidentia simplici veram Christi Ecclesiam habere Deum auctorem, ideoque omnia ejus dogmata vera esse, cùm Deus non possit esse auctor falsitatis. Atqui unum è præcipuis veræ Christi Ecclesiæ dogmatibus est, quod Scripturæ non solùm Protocanon. sed etiam Deuterocanonicæ sint Divinæ: nam hoc definit in Concilio Tridentino Ecclesia Romana, quæ sola est vera Christi Ecclesia, ut infra ostendetur ex Libris Protocanonicis & ex notis veræ Christi Ecclesiæ. Ergo.

Obj. 1. Scripturæ Divinæ non nobis certò innotescunt per definitionem Ecclesiæ. Ergo.

Resp. Nego anteced. Nam judicium Ecclesiæ Catholicæ in rebus Fidei & morum esse infallibile, constat ex Libris Protocanonicis, quos ipsimet hæretici admittunt, & hoc alidibile est, imò & evidens evidentia simplici unde ex motivis credibilitatis evidenter credimagna morali.

Inst. 1. Scripturæ Divinæ non habent suam certitudinem ab Ecclesia. Ergo non nobis certò innotescunt per judicium Ecclesiæ.

Resp. Disting. anteced. Non habent suam certitudinem absolutam & intrinsecam ab Ecclesia, *conc. anteced.* Certitudinem extrinsecam & relativam seu relatè ad nos, *nego ant.* Scripturæ Divinæ hoc ipso quod revelatæ sunt, habent summam infallibilitatem absolutam & intrinsecam, sed nobis non innotescunt, ut certò à Deo inspiratæ nisi per judicium Ecclesiæ, saltem si sumantur integrè, nempe quoad omnes libros & omnes eorum partes: ideoq; non habent suam certitudinem relativam nisi ab Ecclesia, saltem si sumantur integrè, nempe quoad omnes libros & omnes singulorum librorum partes. *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ Catholicæ commoveret auctoritas*, ait S. Augustinus, l. contra Epistolam Fundamenti, c. 8.

Inst. 2. Non pertinet ad Ecclesiam ferre judicium de Scripturis Divinis; nam Ecclesia non est superior illis. Ergo.

Resp. Disting. anteced. Non pertinet ad Ecclesiam de Scripturis Divinis ferre judicium auctoritatis, quo Scripturæ verè Divinæ damnentur vel emendentur, *conc. ant.* Ferre judicium discretionis, *nego ant.* Duplex est judicium, unum scilicet discretionis, quo unum ab altero discernitur: & aliud auctoritatis, quo aliquis damnatur vel absolvitur, vel obligatur ad aliquid. Ad hoc judicium, non ad aliud, requiritur superioritas. Ecclesia autem cùm de Scripturis judicat, fert tantum judicium discretionis circa illas, quo nempe cum assistentia speciali Spiritus Sancti discernit infallibiliter Scripturas Divinas à non Divinis; & circa solos Fideles fert judicium auctoritatis, illos obligando ad accipiendas Scripturas ut Divinas, quas tales esse judicat. Quod jure potest, cùm habeat superioritatem seu auctoritatem in omnes baptizatos.

Ecclesia autem ad has omnes alias controversias dirimendas & ad definiendum veritates à Deo revelatas, semper à Spiritu Sancto dirigitur & adjuvatur secundùm promissionem Christi: *Docete. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matth. c. ult. Unde Ecclesiæ definitiones in rebus Fidei & morum sunt semper infallibiles.

Inst. 3. Ecclesia non est regula Scripturæ Divinæ; sed contrà Scriptura est regula, quam Ecclesia sequi debet. Ergo Ecclesia non potest ferre judicium discretionis circa Scripturam Divinam.

Resp. Nego conseq. Nam ex eo, quòd Ec-

cleſia poſſit ferre judicium diſcretionis circa Scripturas Divinas, ſequitur tantùm, quòd Eccleſia ſit nobis regula ad certo cognoſcendum Scripturam Divinam, & verum ejus ſenſum. Sed nihilominus ipſa Scriptura Divina, & verus ſenſus illius per infallibilem aſſiſtentiam Spiritus Sancti certò cognitus, eſt regula, quam Eccleſia ſequi debet in dirimendis Fidei controverſiis. Nam Spiritus Sanctus, ſine cujus aſſiſtentia non poteſt Eccleſia dirimere infallibiliter controverſias Fidei, docet Eccleſiam per Scripturas & Traditiones divinas.

Obj. 2. Eccleſia à tempore Apoſtolorum non accipit novas revelationes à Deo. Atqui non poteſt cognoſcere Libros, qui dicuntur Deuterocanonici, eſſe divinos, niſi per aliquam novam revelationem factam. Ergo.

Reſp. Nego min. Itaque Libros Deuterocanonicos cum omnibus ſuis partibus eſſe Divinos ſeu à Deo inſpiratos cognoſcit certò Eccleſia, non per novam revelationem, ſed per Traditionem Apoſtolicam ſemper & integrè ſervatam in Eccleſia Romana particulari, & nobis infallibiliter propoſitam per judicium Eccleſiæ. Eccleſiam autem Romanam ſemper ut divinos habuiſſe omnes Libros etiam Deuterocanonicos in Canone noſtro contentos, vel ex eo patet, quod eos omnes ut tales haberet tempore Innocentii I. qui eos omnes inter divinos recenſet, Epiſt. ad Exuperium. Ergo antea ſemper ut tales habuerat Eccleſia Romana; alioqui oſtendatur tempus, & auctor, & occaſio mutationis ſeu novitatis.

Nota. Deus Eccleſiæ per Apoſtolos revelavit omnes Libros in Canone noſtro contentos cum omnibus ſuis partibus eſſe divinos. Hæc divina revelatio primis Chriſtianis ab Apoſtolis declarata eſt non ſcripto ſed viva voce: unde dicitur Traditio Apoſtolica de libris Canonicis: Quæ quidem Traditio ad nos uſq; absque ulla inter Fideles controverſia continuata eſt quoad Libros, qui Protocanonici vocantur. Quoad aliquos verò paucos non eſt continuata ſine aliqua de illis inter Fideles controverſia vel dubitatione. Nam ſucceſſu temporis propter oblivionem irrepſit inter aliquos Fideles ignorantia & dubitatio circa aliquos ex Libris, quos divinos eſſe docuerant Apoſtoli; ſic tamen ut Eccleſia Romana omnium Eccleſiarum mater & magiſtra hanc Traditionem Apoſtolicam ſicut omnes alias Traditiones ſemper integrè ſervaverit, & multò plures Epiſcopi eidem Traditioni conſenſerit.

Igitur Libros omnes in Canone noſtro contentos cum omnibus ſuis partibus eſſe divinos ſeu continere verum Dei verbum, eſt dogma Fidei certò nobis propoſitum per Traditionem Apoſtolicam, nobis declaratam quoad Libros Protocanonicos per unanimem & conſtantem Fidelium omnium ætatum conſenſum, & per judicium Eccleſiæ infallibile: quoad Libros verò Deuterocanonicos per Eccleſiæ judicium, cujus infallibilitas in rebus Fidei & morum clarè exprimitur in Libris Protocanonicis.

Dices. Admittitur hic à nobis circulus vitioſus: nam juxta nos cognoſcitur Scriptura divina per infallibile judicium Eccleſiæ, & infallibile judicium Eccleſiæ cognoſcitur per Scripturam divinam.

Reſp. Neg. cùm probamus Scripturam Deuterocanonicam per judicium infallibile Eccleſiæ, probamus infallibilitatem judicii Eccleſiæ in rebus Fidei per Scripturam Protocanonicam ab adverſariis admiſſam: unde non probamus idem per idem omnino, nec hæremus in vitioſo circulo. Quando verò probamus Scripturas Protocanonicas per infallibile judicium Eccleſiæ, tunc probamus infallibilitatem judicii Eccleſiæ per motiva credibilitatis, per quæ evidenter credibile imò ſimpliciter evidens eſt evidentia magna morali Eccleſiam eſſe opus divinum, ſeu habere Deum auctorem, & conſequenter talem eſſe qualem ſe profitetur, proindeque infallibilem in diſcernendis Scripturis divinis à non divinis.

Obſerv. Motiva credibilitatis, per quæ credibiliter imò evidenter apparet Eccleſiam eſſe opus divinum, ſeu habere Deum auctorem, ideoque ejus Doctrinam eſſe veram, ſunt nobis ratio cognoſcendi Scripturam ut divinam, quam Eccleſia nobis proponit ut divinam, & quæ ſic propoſita, eſt nobis ratio diſtinctè cognoſcendi de Eccleſia ea omnia, quæ re ipſa diſtinctè cognoſcimus de illa per lectionem Scripturæ. Igitur multa diſtinctè cognoſcimus

ſcimus de Eccleſia per Scripturam divinam cognitam ut divinam per Eccleſiam cognitam ut opus divinum per motiva credibilitatis, in quo nullus eſt vitioſus circulus. Nam ſicut ſine vitioſo circulo multa diſtinctè cognoſcimus de legato Principis, & poteſtate illi à Principe conceſſa per diploma Principis ab ipſo legato *nobis oblatum*, & ut *Principis* diploma ab eodem legato probatum per ea ſigna, quibus ſe legatum Principis ſufficienter probavit: ita ſine *vitioſo circulo multa* diſtinctè cognoſcere poſſumus de Eccleſia per Scripturam divinam ab Eccleſia nobis oblatam, & ut divinam nobis ſufficienter ab eadem Eccleſia probatam per motiva credibilitatis, quibus credibiliter, imò evidenter apparet Eccleſiam eſſe opus divinum, ideoque ejus Doctrinam totam eſſe veram, cum falſitas non poſſit eſſe à Deo authore.

Dices. Ergo multa illa, quæ diſtinctè cognoſcimus in Scriptura cognita ut divina per Eccleſiam munitam argumentis credibilitatis, non poſſunt credi Fide divina.

Reſp. Neg. Nam multa illa de dotibus & prærogativis Eccleſiæ diſtinctè ſcripta creduntur propter revelationem divinam in illis Libris expreſſam, quæ creditur propter ſe; præſuppoſito prudenti judicio de ejus credibilitate, elicito propter motiva credibilitatis Eccleſiæ.

Obj. 3. Catalogus Scripturarum divinarum à Conc. Trid. conditus, eſt novus: & Patres rejiciunt ut divinos aliquos Libros in eo contentos.

Reſp. Neg. Nam idem catalogus jam olim traditus fuit à Concilio Carthag. III. anno 397. can. 47. ab Innocentio I. Epiſt. ad Exup. à S. Auguſt. l. 2. de Doctr. Chriſt. c. 8. à Gelaſio Papa, in Conc. Rom. & à S. Iſidoro Hiſp. l. 6. de Etimol. cap. 1. cum hoc ſolo diſcrimine, quòd pro more illorum temporum Innocentius, Patres Africani, & Gelaſius, Baruch à Jeremia non diſtinguant, & Gelaſius Libros duos Eſdræ, & duos Machabæorum pro uno habeat. Item Libri in Canone Concil. Trid. contenti citantur à Patribus Græcis & Latinis ſaltem pleriſque ut divini.

Obj. 4. Scriptura divina ſe ipsâ proprio ſapore diſcernitur. **Ergo non diſcernitur per judicium Eccleſiæ.**

Reſp. Nego anteced. Nam ſi Scriptura divina ſe ipsâ proprio ſapore diſcerneretur, nunquam fuiſſet controverſia inter Patres, nec nunc eſſet Catholicos inter & Hæreticos, imò nec inter Lutheranos & Calviniſtas, qui jactitant ſe habere ſaporem Scripturarum, & tamen inter ſe diſſident de aliquibus Libris divinis: nam Lutherani rejiciunt Epiſtolam ad Hebræos, Epiſtolas Jacobi & Judæ, & Apocalypſim, quas Calviniſtæ admittunt, ut Scripturas divinas.

Obj. 5. Per privatum ſpiritum ſeu per internam inſpirationem ſingulis à Spiritu Sancto immiſſam diſcernitur Scriptura divina à non divina.

Reſp. Neg. Nam illa interna perſuaſio, quam à Spiritu Sancto habere ſe jactitant hæretici, eſt omnino fallax & vana; *ii* enim qui eam prætendunt, ſibi invicem contradicunt. Nam Lutherani rejiciunt Libros ut apocryphos, quos Calviniſtæ ut *divinos* recipiunt, quamvis utrique recurrant ad internam perſuaſionem à Spiritu Sancto profectam; ac proinde perſuaſio illa *interna non* poteſt eſſe à Spiritu Sancto, qui ſibi adverſari non poteſt. Præterea ſi per internam perſuaſionem à Spiritu Sancto profectam, divina Scriptura à non divina diſcernitur, hanc potius habuerunt SS. Patres, Conc. Carth. S. Innocentius I. S. Auguſtinus, & Eccleſia Catholica, à quibus recipiuntur ut divini Libri, quos rejiciunt novatores illi. *Eccleſiæ nolle primas dare, vel ſummæ profecto impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ*, inquit S. Auguſtin. l. de utilitate credendi, c. 17.

Porro Eccleſia in condendo ſuo divinarum Scripturarum catalogo, non via inſpirationis procedit, ſed mera Spiritus Sancti aſſiſtentia dirigitur in detegenda Traditione Apoſtolica, per quam veras Scripturas divinas à falſis diſcernit. Quæ aſſiſtentia *infallibilis promiſſa* eſt Eccleſiæ à Chriſto, ideoque ei nunquam deeſt.

Obj. 6. Libri Tobiæ, Judith, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum non fuerunt

in Hebræorum Canone. Ergo illi Libri non ſunt divini.

Reſp. Nego conſeq. Quia habemus Traditionem Apoſtolicam ab Eccleſia nobis propoſitam, quæ nobis eſt certa regula diſcernendi Libros divinos à non divinis, quam quidem Traditionem Apoſtolicam ſemper tenuit, & ſervavit Eccleſia Romana ab Apoſtolorum Principe fundata, & cæterarum omnium Eccleſiarum mater ac magiſtra.

Porro ideò Libri prædicti in Hebræorum Canone poſiti non fuerunt; quia unicus fuit Canon apud Hebræos ab Eſdra confectus, & à magna Synagoga, ſeu Judæorum Concilio, quod Sanhedrin vocatur, approbatus; & tempore quo confectus fuit, nondum extabant illi Libri, qui non fuerunt ſcripti niſi poſt mortem Artaxerxis. Poſtquam autem illi Libri conſcripti ſunt, ſtatim magno in pretio fuerunt apud Hebræos, ab iis tamen in Librorum divinorum Canonem relati non fuerunt, quia apud eos incertum fuit, utrùm poſt mortem Artaxerxis fuerint aliqui Prophetæ, hoc eſt, aliqui homines à Deo ad ſcribendum inſpirati: ideoque non ita erat univerſaliter perſpecta illorum Librorum inſpiratio. *Ab Artaxerxe verò uſque ad noſtrum tempus ſingula quidem conſcripta, non tamen priori ſimili Fide ſunt habita, eò quod non fuerit certa ſucceſſio Prophetarum*, inquit Joſephus, lib. 1. contra Appionem, num. 29. Apoſtolis verò revelata fuit, & per Apoſtolos Eccleſiæ tradita eſt illorum Librorum inſpiratio.

Inſt. Libros prædictos inter Canonicos non recenſent aliqui Patres, ut Origenes, Gregorius Nazianz. Hilarius, Concilium Laodicenum, imò eos excludit Synopſis S. Athan. Ergo.

Reſp. Nego conſ. Nam inde ſequitur tantùm illos Libros non eſſe Protocanonicos. Ideò autem Libri illi omiſſi ſunt à Patribus citatis vel rejecti ab aliquibus, quia tum temporis Librorum illorum divinitas non erat explorata & certa apud omnes Fideles, eò quòd aliqui Traditionem Apoſtolicam circa illos ignorarent, & Eccleſia nondum hanc Apoſtolicam Traditionem omnibus credendam propoſuiſſet. Alii verò Patres hos omnes Libros ut divinos admittunt.

Dices. S. Hieronymus, præfat. in Libros Salomonis ait: *ſicut ergo Judith, & Tobiæ, & Machabæorum Libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas Scripturas non recipit: ſic & hæc duo volumina* (Sapientiam, & Eccleſiaſticum) *legat ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam.*

Reſp. S. Doctor hæc ſcripſit, cùm adhuc de Librorum illorum inſpiratione eſſet inter Fideles controverſia; quæ quidem etiam multis ſæculis ante Concilium Tridentinum ſublata fuit per judicium Eccleſiæ Romanæ, ubi primum ubique innotuit. Eccleſia autem juſtas ob cauſas potuit definitionem circa Libros Canonicos ſuſpendere & differre aliquandiu, v.g. dum Fideles omnes plenius de illis inſtruerentur.

Obj 7. Liber Baruch non reperitur in Canone, quem texuerunt Patres aliqui.

Reſp. Ideò non poſuerunt Baruch nominatim in Canone, quia hunc Librum partem eſſe judicabant Vaticinorum Jeremiæ, eò quod Baruch Notarius & Diſcipulus fuerit Jeremiæ, ut conſtat ex Jerem. c. 36. At omnes hunc Librum quoad res quas continet, habuerunt ut Divinum ſeu à Deo inſpiratum, & ejus loca paſſim adducunt multi Patres nomine Jeremiæ, ut videre eſt apud Bellarminum, l. 1. de verbo Dei, c. 8.

Obj. 8. Contra Librum Eſther. 1. Septem poſtrema capita Libri Eſther non habentur apud Hebræos licèt hic Liber Hebraico ſermone ſcriptus ſit. Ergo ſaltem illa ſeptem capita non ſunt Canonica.

Reſp. Nego conſeq. Quia vel illa capita aliquando in textu Hebraico fuerunt, ut docet Origenes, ſed poſtea caſu aliquo exciderunt. Et verò Joſephus, l. 11. antiquit. c. 6. dum hiſtoriam Eſther narrat, duas Aſſueri Epiſtolas & Orationem Mardochæi refert, cum tamen iſta non ſint in Hebræorum Codicibus, & ipſe Joſephus, l. 10. c. 12. expreſsè teſtatur ſe Libros Hebraicos translaturum in ſermonem Græcum ſine ulla additione. Vel ſumma tantùm hiſtoriæ Eſther primùm ſcripta fuit Hebraicè, deinde alio tempore copioſius ab aliquo ſcripta fuit, & in Græcum à Ly-

ſima-

ſimacho translata, cujus quidem Libri translatio tantùm ad nos pervenit.

2. Poſtrema iſta capita non cohærent cum prioribus. Nam, c. 2. duo Eunuchi dicuntur ſtruxiſſe inſidias Aſſuero Regi anno Regni ejus ſeptimo. Eædem verò inſidiæ narrantur c. 11. & 12. & dicuntur contigiſſe anno ſecundo Aſſueri, & Mardochæus narratur accepiſſe mercedem pro eorum delatione, qui tamen, c. 6. dicitur nihil accepiſſe mercedis.

Reſp. Nulla eſt in illo Libro contradictio; quia ſeptem illa capita, quæ ſunt poſtrema in vulgata noſtra editione, non ſunt reipſa poſtrema, ſed quædam eorum pertinent ad initium Libri, ut capita 11. & 12. quædam ad medium, ut capita 13. 14. 15. & 16. quædam ad finem, ut caput 10. quod patet ex Græcis codicibus. Sed S. Hietonymus ſeptem illa capita ad finem libri collocavit, quia illa non reperit in Hebræo codice, ſed ex vulgata editione Græca deprompſit, ut ipſe teſtatur in ſuis annotationibus. Eccleſia verò capita illa ſic permanere patitur, ut intelligamus quid hujus Libri ſit, & quid non ſit in codicibus Hebræorum.

Igitur inſidiæ quæ, c. 12. in latina editione narrantur, quod ad initium Libri pertinet, narrantur ibi per anticipationem, & poſtea ſuo loco narrantur, cap. 2. Item per anticipationem, eodem cap. 12. dicitur Mardochæus mercedem pro delatione accepiſſe. Hæ autem voces capitis 11. (*Anno ſecundo regnante Artaxerxe maximo*) pertinent tantùm ad ſomnium Mardochæi, quod ibi narratur, non verò ad ea, quæ cap. 12. referuntur.

3. Dici non poteſt, quiſnam fuerit ille Aſſuerus Perſarum Rex, ſub quo dicitur contigiſſe hæc hiſtoria.

Reſp. Neg. Nam ex Joſepho, l. 11. Antiquit. Judaic. c. 6. ille Aſſuerus, qui à ſeptuaginta Interpretibus Artaxerxes nominatur, fuit Artaxerxes cognomento longi-manus, qui Eſtherem ſeptimo Regni ſui anno duxit uxorem.

4. Ex cap. 2. Libri Eſther Mardochæus à Nabuchodonoſore magno Babylonem captivus abductus fuit cum Jechonia Rege. Ergo Mardochæus pervenire non potuit uſque ad ſeptimum Regni Artaxerxis annum, alioqui 160. annos vixiſſet.

Reſp. 1. Rectè dici poteſt Mardochæus cum Jechonia abductus fuiſſe, non in ſe, ſed in parentibus: ſicut, Geneſ. c. 46. dicuntur in Ægyptum ingreſſæ eſſe ſeptuaginta animæ cum Patriarcha Jacob, in quo numero comprehenduntur duo filii Joſeph, qui tamen in Ægypto nati ſunt, ac proinde cum Jacob Ægyptum non ſunt ingreſſi in ſe, ſed ſolùm in Parente.

Reſp. 2. Cum Bellarmino. Nego conſeq. Nam non eſt incredibile eo tempore Mardochæum ſuperaſſe annum circiter 165. cum ex Hiſtoria Eccleſiaſtica conſtet aliquos Sanctos diu poſtea perveniſſe ad annum 120. & 130.

Obj. 9. Contra Librum Danielis 1. cap. 13. Daniel dicitur fuiſſe puer, cum Suſannam liberavit; & cap. 1. dicitur Daniel puer cum Joachimo Rege Babylonem adductus fuiſſe à Nabuchodonoſore.

Reſp. Caput 13 pertinet ad initium Libri exceptis poſtremis verbis: *& Rex Aſtiages appoſitus eſt ad Patres ſuos, &c.* Ut patet ex codicibus Græcis, in quibus ſervatur ordo, & initio Libri narratur Suſannæ hiſtoria, quam tamen in fine libri collocavit S. Hieronymus, qui eam non legit in Hebræo volumine, ſed ex Theodotionis editione tranſtulit, ut conſtat ex ejus annotatione ad caput 13.

2. Capite 6. Daniel dicitur ſolum fuiſſe una nocte in lacu Leonum, &, cap. 14. dicitur fuiſſe ſex diebus. Ergo hæc capita inter ſe pugnant.

Reſp. Nego conſeq. Quia Daniel bis miſſus eſt in lacum Leonum: prima vice Babylone eò quòd Idolum Bel deſtruxiſſet, & Draconem, quem ut Deum colebant Babylonii, interfeciſſet; & hac vice in lacu Leonum manſit ſex dies, ut narratur, c. 14. idque contigit ſub Evilmerodacho, filio Nabuchodonoſoris magni. Secunda verò vice ſub Dario Medo, eò quòd Deum oraſſet pro more ſuo contra edictum Darii, & in lacu Leonum una tantùm nocte relictus eſt, quod refertur, cap. 6. vide Salianum.

Obj. 10. Contra librum Tobiæ. C. 3. Dicitur Sara, quam ducturus erat uxorem Tobias

bias junior, habitaſſe in Reges Civitate Medorum, ubi etiam Gabelus fuiſſe dicitur, c. 4. & tamen, c. 9. cum Tobias junior perveniſſet ad locum, ubi erat Sara, inde miſit Angelum ad Gabelum in Rages.

Reſp. Vel duæ fuerunt Rages in Media: vel, c. 3. vocatur Rages, non ipſa Civitas, ſed Civitatis ager: ſic aliquando dicitur eſſe Romæ, qui in agro Romano verſatur.

Obj. 11. Contra librum Sapientiæ. Hic liber non habet auctorem Sacrum, ſed ſcriptus fuit à Philone Judæo.

Reſp. Sententiæ hujus libri ſunt Salomonis, ut conſtat tum ex omnibus Scriptoribus Eccleſiaſticis trium priorum ſæculorum, qui hunc librum Salomonis eſſe dixerunt: *hic ipſe* (Egeſippus) *& Ireneus, & omnis antiquorum Chorus, librum, qui adtitulatur Sapientia, Salomonis eſſe dixerunt.* Inquit Euſebius, l. 4. hiſtor. cap. 22. Tum ex S. Hilario, Concilio Carthaginenſi III. Innocentio I. & aliis: tum ex hujus libri c. 9. *Tu elegiſti me Regem populo tuo, & Judicem filiorum tuorum & filiarum: & dixiſti me ædificare Templum in monte Sancto tuo.* Sententiæ autem illæ Græco ſermone collectæ fuerunt ex inſpiratione divina ab alio aliquo, qui exiſtimatur eſſe Philo quidam longè antiquior illo alio Philone, qui poſt Chriſtum vixit.

Obj. 12. Contra librum 1. Machabæorum. Multa ſunt in libro falſa. Nam 1. c. 1. Alexander magnus dicitur primus regnaſſe in Græcia, cum tamen ante illum fuerint multi Reges in Græcia. 2. Ibidem dicitur Antiochus illuſtris regnaſſe anno 137. Regni Græcorum, & tamen regnavit anno 156. 3. Cap 8. Romani dicuntur ſingulis annis commitere uni homini Magiſtratum ſuum, & omnes uni obedire, cum tamen eo tempore duo Conſules crearentur.

Reſp. ad 1. Scriptura ibi loquitur, non de Regno quocumque ſed de Monarchia Græcorum, quam revera primus obtinuit Alexander.

Reſp. ad 2. Scriptura ſecuta Aſianorum conſuetudinem, non ab Alexandro, ſed à Seleuco, qui primus regnavit in Syria, Regni Græcorum initium ducit. Antiochus autem regnavit anno 137. à Seleuco, & anno 156. ab Alexandro.

Reſp. ad 3. Sic loquitur Scriptura, quia alternis menſibus, vel (ut volunt alii) diebus imperabant Conſules, vel quia unus præcipua auctoritate potiebatur.

Obj. 13. Contra Librum 2. Machabæorum. C. 1. dicitur Antiochus Epiphanes cecidiſſe in Templo Naneæ; & tamen l. 1. c. 6. dicitur mortuus eſſe in lecto ſuo. Item, eodem c. 1. Judas dicitur ſcripſiſſe Epiſt. anno 188. & tamen l. 1. c. 9. dicitur occiſus eſſe anno 152. Item, l. 2. c. 2. Jeremias occultaſſe dicitur Tabernaculum & Arcam fœderis in ſpelunca; & tamen Jeremias fuit in carcere toto tempore, quo dirutum ac ſpoliatum eſt Templum.

Reſp. ad 1. Scriptura, l. 2. c. 1. loquitur de Antiocho, non Epiphane, ſed Sotere, ut à Joſepho cognominatur, qui re vera lapidibus obrutus eſt in fano Naneæ. At, l. 1. c. 6. Scriptura loquitur de Antiocho Epiphane, qui mortuus eſt, cùm Babylonem, cæſo à Perſepolitanis ejus exercitu, reverteretur.

Reſp. ad 2. Scriptura, l. 2. c. 1 loquitur de Juda, non Machabæo, ſed alio, quem Joſephus, l. 13. Antiquit. Judaic. c. 19. narrat fuiſſe prædictionibus celebrem, quique cùm magna apud Judæos auctoritate valeret, cum Senatu ſubſcripſit Epiſtolam, quam Judæi Hieroſolymitani anno 188. ſcripſerunt Judæis in Ægypto verſantibus. At, l. 1. c. 9. Scriptura loquitur de Juda Machabæo Duce fortiſſimo, qui anno 152. in prælio cum Bacchide commiſſo occiſus eſt.

Reſp. ad 3. Jeremias futurorum præſcius Tabernaculum & Arcam fœderis occultavit tempore Joachimi, cui Sedecias ſucceſſit; quo tempore Jeremias liber erat, & magna apud Joachimum auctoritate pollebat.

Obj. 14. Contra Epiſtolam ad Hebræos. Hæc Epiſtola non præfert nomen Pauli ſicut aliæ omnes. Item ſtylus diverſus eſt à ſtylo aliarum Epiſtolarum, quæ certò ſunt Pauli.

Reſp. ad 1. Ideò Paulus nomen ſuum non addidit Epiſtolæ ad Hebræos, quia ſciebat nomen ſuum non eſſe gratum Hebræis, quamvis ad Fidem converſis, eò quòd ipſe præ cæteris Apoſtolis legis veteris abrogationē prædicaret.

Reſp.

Resp. ad 2. Hæc ſtili diverſitas oritur ex eo, quòd Paulus hanc Epiſtolam Hebræo ſermone, quem apprimè callebat, ideoque eleganter ſcripſerit: alias verò Epiſtolas Græco ſermone, cujus non multum peritus erat, ideoque ineleganter ſcripſerit: & Epiſtolam ad Hebræos ſic eleganter à Paulo ſcriptam, alius in Græcum ſermonem eleganter convertit. Ita fere S. Hieronymus.

Obj. 15. Contra Epiſtolam Judæ. In illa Epiſtola citatur liber Enoch tanquam propheticus, qui tamen apocryphus eſt.

Reſp. Neg. Sed citatur tantum aliqua prophetia ab Enoch facta, quæ fortè fuerit inſerta multis fabuloſis in libro apocrypho nomini Enoch inſcripto. Et verò Paulus in ſuis Epiſtolis citat teſtimonia ex ipſis etiam gentilibus Poëtis, non quidem ut à Deo revelata, ſed ut vera, quorum veritas Paulo à Spiritu ſancto revelata eſt.

Quoad cæteras difficultates vide Bellarminum, alios Controverſiſtas, & Scripturæ interpretes.

Obſerva. Certum eſt certitudine Fidei libros omnes Canone noſtro contentos, conſcriptos fuiſſe ab auctoribus ſacris ſeu à Deo inſpiratis & edoctis: eosdem verò libros eſſe eorum auctorum, quibus vulgò attribuuntur, certum eſt certitudine morali, tanta ſaltem, quanta certum eſt, v. g. Ariſtotelis, Ciceronis, Virgilii opera eſſe revera illorum auctorum; idque ſaltem ſine maxima temeritate & imprudentia negari non poteſt.

ARTICULUS IV.

Utrum omnes Libri ſacri à Deo inſpirati fuerint?

NOta. Tria ſunt in Libris ſacris diſtinguenda, nimirum verba, ſtilus ſeu verborum conſtructio, & ſenſus ſeu res verbis expreſſæ. Hæc tria fuiſſe à Deo inſpirata contendunt multi. Alii res & ſententias omnes verbis expreſsas inſpirationi divinæ, verba verò, & ſtilum ingenio, & induſtriæ Scriptoris attribuunt. Alii ſententias partim Deo afflanti, partim Scriptorum induſtriæ adſcribunt. Imò ſunt, qui docuêre, ne quidem res & ſententias fuiſſe à Deo inſpiratas; ſed hæc opinio eſt impia, & ſaltem temeraria, ac erronea: nam apertè adverſatur Scripturæ, ex qua conſtat, ſaltem aliquas res, & ſententias fuiſſe à Deo inſpiratas.

§. I.

Dico 1. Libri ſacri à Deo inſpirati fuerunt quoad omnes res, & ſententias; ſive (quod idem eſt) res, & ſententiæ omnes in Libris ſacris expreſſæ, à Deo Scriptoribus ſacris inſpiratæ fuerunt. Ita communiter Catholici Doctores.

Prob. 1. Ex Script. Hebr. c. 1. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.*

2. Petri, c. 1. *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* In quibus textibus per Prophetas, & ſanctos Dei homines intelliguntur ſacri Scriptores: nam apud Judæos, ad quos hæ Epiſtolæ ſcriptæ ſunt, Prophetæ vocabantur non ſolùm ii, qui futura prædicebant, ſed etiam ii, qui ex inſpiratione divina præterita, vel præſentia narrabant, vel ſermonem de rebus divinis habebant. Unde per omnem prophetiam Scripturæ ibi intelligitur omnis Scriptura ſacra; & ſenſus eſt: nulla Scriptura ſacra ingenio humano, & voluntate humana facta eſt; ſed omnis omnino Scriptura à Deo eſt inſpirante, illuſtrante, & impellente ad ſcribendum. Breviùs: Scriptores ſacri vocantur Prophetæ; Propheta autem eſt is, qui loquitur ex inſpiratione divina.

Præterea Libri ſacri vocantur eloquia Dei, Rom. c. 3. *credita ſunt illis* (Judæis) *eloquia Dei.* Atqui eloquium, ſeu verbum Dei eſt res revelata, ſeu inſpirata à Deo. Ergo.

Item, 2. Tim. c. 3. *& quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto JEſu. Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Ergo ex Apoſtolo ſacræ litteræ, quas Timotheus ab infantia legerat, poſſunt inſtruere ad ſalutem, quia omnis Scriptura divinitus in-

inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in juſtitia. Ergo omnes ſacræ litteræ, quas Timotheus ab infantia legerat, ſunt divinitus inſpiratæ, ſaltem quoad ſenſum. Atqui ſacræ litteræ, quas Timotheus ab infantia legerat, non ſunt ſolùm illæ, quæ prædictiones futurorum, ſed etiam & maximè eæ, quæ hiſtorias, præcepta morum, piaque conſilia continent: nam harum lectio juventuti accomodatior eſt. Ergo. Jam vero ſi omnes Scripturæ veteris Teſtamenti à Deo inſpiratæ fuerunt, certè & omnes Scripturæ novi Teſtamenti inſpiratæ quoque fuerunt à Deo: nam in novo Teſtamento Apoſtoli, & alii Scrptores ſacri non minus à Deo inſpirati fuerunt, & adjuti in conſcribendis libris novi Teſtamenti, quàm olim fuêre Scriptores ſacri in veteri Teſtamento: unde Scripturæ novi Teſtamenti non minus ſunt verbum Dei, nec minorem auctoritatem habent quàm Scripturæ veteris Teſtamenti.

Prob. 2. ex Traditione, cujus teſtes ſunt Patres. Pro omnibus ſint S. Irenæus, l. 2. adversùs hæreſes, c. 47. *Scripturæ quidem perfectæ ſunt, quippe à verbo Dei & ſpiritu ejus dictæ.* Tertulianus l. de habitu muliebri, *c. 3. legimus omnem Scripturam ædificationi habilem, divinitus inſpirari.* S. Athanaſius, Epiſt. ad Marcellin. *Omnis quidem apud nos ſive nova, ſive vetus Scriptura, Numinis afflatu prodiit.* S. Baſilius, in Proœmio in Pſalmos. *Scriptura omnis divinitus inſpirata & utilis, hac una ratione à Spiritu ſancto conſcripta aſtruitur, ut ex ea haud ſecus atque è communi quapiam curandarum animarum officina, medelam ſuo quiſque morbo ſalutarem & accommodam queat ſeligere.* Sanct. Chryſoſt. homil. 21. in cap. 5. Geneſ. *Nihil hic ſciptum eſt, quod non multas habeat ſenſuum divitias; quandoquidem divino Spiritu afflati Prophetæ locuti ſunt: ideo uti à Spiritu ſancto ſcriptæ, ingentem in ſe continent theſaurum.*

Hæc traditio conſtat etiam ex conſtanti perſuaſione, quæ circa id ſemper fuit, tum apud Judæos quoad libros veteris Teſtamenti, ut patet ex Philone & Joſepho; tum apud Chriſtianos quoad omnes libros ſacros; nam nomine Scripturæ ſacræ ſemper intellexerunt Libros divinitus inſpiratos.

Prob. 3. Ratione. Quia omnes Libri ſacræ Scripturæ ſunt propriè Dei verbum, ut conſtat ex ſenſu omnium Fidelium, & ex Apoſtolo, qui eos vocat *eloquia Dei.* Atqui non ſunt verbum Dei, niſi quia Deus per illorum Scriptores locutus eſt; nec per illos Deus locutus eſt, niſi quia Deo inſpirante, illuſtrante, adjuvante hos Libros ſcripſerunt, ſive niſi quia Deus per illuſtrationem dictavit ea, quæ habet in mente ex intentione manifeſtandi mentem ſuam hominibus: nam loqui eſt communicare id, quod habetur in mente. Ergo Deus Libros omnes ſacræ Scripturæ inſpiravit, ſeu per illuſtrationem dictavit ſaltem quoad ſenſum, ſeu res, & ſententias.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Explicari non poteſt inſpiratio illa divina quoad res in Scripturis Sacris expreſſas. Ergo non debet aſſeri.

Reſp. 1. Nego conſeq.

Reſp. 2. Nego antec. Itaque divina inſpiratio rerum, atque ſententiarum in Scripturis ſacris expreſſarum conſiſtebat tum in ſpeciali quadam interiore, & immediata motione voluntatis, qua Scriptor ſacer impellebatur ad ſcribendum: tum in interna illuſtratione, qua Deus vel pia monita, præcepta, conſilia, piasque adhortationes Scriptori ſacro ſuggerebat; vel veritates antea ei ignotas manifeſtabat; vel res priùs cognitas in memoriam revocabat; vel quid ex multis, quæ Scriptoris ſacri memoriæ occurrebant, ſcribendum eſſet, oſtendebat; & memoriam ejus ita regebat, adjuvabatque, ut ne in leviſſimis quidem factorum circumſtantiis labi poſſet. Unde Deus ſic impellendo, & illuſtrando Scriptores ſacros, per illos veluti per inſtrumenta quædam moralia ſcribebat res, & ſententias in ſacris litteris expreſſas. Iis tamen Deus libertatem, & rationis uſum non adimebat; hic enim fuit Cataphrygarum, ſeu Montaniſtarum error, Prophetas inſanorum, & amentium more prophetâſſe.

Obj. 2. Scriptores ſacri multa cognoſcebant ex Traditione certa, vel à teſtibus fide di-

dignis acceperant, vel ipsi viderant. Ergo inutilis fuit illustratio divina, &c.

Resp. Nego conseq. Quia hæc illustratio interna specialis necessaria fuit ad conciliandam Historicorum sacrorum scriptis auctoritatem divinam, qua sanè caruissent, si in scribendo industriæ propriæ relicti fuissent. Item necessaria fuit, ut eorum scripta essent propriè, ac formaliter verbum Dei: nam non essent verbum Dei, nisi Deus per Historicos sacros ea scribentes loqueretur, & Deus per illos non loqueretur, nisi ea, quæ habet in mente, iis per illustrationem dictaret ex intentione manifestandi mentem suam hominibus. Præterea hæc illustratio necessaria adhuc fuit tum ad recordationem eorum, quæ è memoria exciderant: tum ad delectum eorum, quæ Deus volebat ab iis scribi; neque enim Deus voluit omnia ab Historicis sacris referri, sed aliqua voluit scribi, alia omitti juxta fines à se intentos: tum ad directionem memoriæ, ut ne vel in levissima circumstantia laberentur, & sic Historia sacra esset ex omni parte vera.

Inst. Aliqui Scriptores sacri, ut Lucas, auctoritatem suæ narrationi, non ab illustratione divina, sed à labore, cura, testibus oculatis, vel ab experientia sensuum, aurium scilicet, & oculorum petunt. Ergo.

Resp. Nego conseq. Quia aliqui Scriptores sacri, cùm primùm scriberent, ignorare potuerunt se ad scribendum specialiter illustrari à Deo. Postea tamen ex sensu totius Ecclesiæ, vel ex aliqua revelatione cognoverunt se scripsisse ex speciali inspiratione, & illustratione divina, sicque Scripturam suam esse verè verbum Dei. Alii verò Scriptores sacri scribendo sibi conscii fuerunt inspirationis divinæ.

Porro quamvis Fideles Joannem ad scribendum Evangelium adduxerint, hæc postulatio non impedit motionem divinam in Joanne.

Obj. 3. Si omnia quoad res, & sententias in Scripturis sacris à Deo inspirata sunt, nullus fuit Scriptori sacro locus curæ, labori, diligentiæ in scribendo. Falsum conseq. ex Luca, & Scriptore l. 2. Machabæorum. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Quia non omnis, sed aliqua tantùm inspiratio divina excludit Scriptoris sacri laborem, curam, diligentiam, meditationem. Nam Deus non uno eodemque modo Scriptores sacros inspiravit; nempe aliquibus, Deo in illis operante, sese ultrò offerebant sententiæ, verba, & verborum compositio: unde illi nulla meditatione, & conquisitione ad scribendum egebant. Aliquos verò Deus afflavit, eos ad omnem diligentiam, ac curam adhibendam excitando, & simul res ignotas revelando, vel oblivione deletas in memoriam revocando, vel quænam scribenda, aut omittenda essent, docendo; & intellectum, ac memoriam eorum speciali illustratione regendo, ne in ulla re vel levissima errarent.

Obj. 4. Si Deus revelaret aliquem librum industria merè humana scriptum, nullam falsitatem continere, hoc ipso esset verbum Dei. Ergo Libri sacri sunt verbum Dei sine ulla inspiratione divina.

Resp. Talis liber non esset propriè ac strictè verbum Dei, sicut sunt Scripturæ sacræ; sed ad summum esset verbum Dei latè & cum addito diminuente, per adoptionem: unde tantùm à Scripturis sacris, quæ sunt verbum Dei propriè, differret, quantùm filii naturales legitimi à filiis adoptivis differunt; nec per se dignus esset ea veneratione, & fide, quam per se merentur libri à Deo inspirati.

Inst. Liber ille haberet auctoritatem divinam. Ergo esset propriè verbum Dei.

Resp. Ille liber per se non haberet summam, & divinam auctoritatem, sed tantùm hanc haberet per & propter revelationem divinam, qua Deus illum ex omni parte verum esse revelasset credibiliter. Illud autem solùm est propriè, ac simpliciter verbum Dei, quod per se habet summam, & divinam auctoritatem, sicque per se dignum est assensu super omnia firmo, ita ut veritas, quam exprimit, firmissimè credi possit propter ipsum, eodem actu Fidei per se immediatè creditum.

Obj. 5. Multa sunt in Scripturis sacris, quæ repugnant præceptis divinis, quales sunt diræ imprecationes, quæ in Psalmis continentur, & quale est illud convicium, quo Paulus

Act. c. 23. Summum Sacerdotem vocat parietem dealbatum.

Resp. ad 1. Illæ imprecationes, quæ in Scriptura continentur, non sunt imprecationes propriè dictæ: nam non significant optationem, & postulationem vindictæ. sed tantùm prædictionem pœnarum justè à Deo infligendarum, ut docet S. August. in Psal. 78. ubi in hæc verba *(effunde iram in gentes, quæ te non noverunt)* sic ait: *etiam ista prophetatio est, non optatio. Non malevolentiæ voto ista dicuntur, sed Spiritu prævisa prædicuntur.* Et inferiùs in hæc verba: *(redde vicinis nostris septies tantùm in sinus eorum)* sic habet: *Non mala optat, sed justa prænuntiat, & futura prophetat.*

Resp. ad 2. Paulus cùm summum Sacerdotem vocavit parietem dealbatum, non ex inspiratione divina, sed ex merè humana determinatione locutus est, ignorans quis esset: unde monitus quòd esset summus Pontifex, dictum excusat. At Lucas ex inspiratione divina scripsit ea, quæ Paulus dixit.

Porro sacras Scripturas à Deo inspiratas fuisse dicimus, non eo sensu, quòd omnia, quæ in illis narrantur facta vel dicta, fuerint ex inspiratione divina, sed hoc sensu, quòd omnia, quæ in Scripturis continentur, narrentur ex inspiratione divina, sive etiam facta vel dicta fuerint ex inspiratione divina, sive non.

Obj. 6. Matth. c. 27. v. 9. Jeremias ponitur pro Zacharia, apud quem solùm textus citatus reperitur.

Resp. Vel nomen Jeremiæ non fuit appositum à Matthæo, ut re ipsa deest in multis codicibus: vel citatur Jeremiæ locus, qui perierit: vel implicitè apud Jeremiam continentur, quæ à Matthæo citantur.

Obj. 7. In Scripturis reperiuntur aliqua inutilia: ut quod refertur, 2. Tim. c. 4. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer recum.* Ergo non omnes inspiratæ fuerunt à Deo.

Resp. Nego antec. Omnia quidem, quæ in sacris Scripturis continentur, non æqualiter utilia sunt; sed tamen nihil est in illis inutile. Nam illa, quæ dicuntur inutilia, conducunt vel ad nostram instructionem, vel ad Providentiæ divinæ, aut alterius perfectionis commendationem, vel ad integritatem, aut ornatum, seu gratiam narrationis, vel ad narrationis ingenuitatem, ac simplicitatem, qua veritas mirè elucet.

Illa autem Pauli verba conducunt ad nostram instructionem, nempe ut intelligamus, nos posse laudabiliter, & meritoriè providere corporis necessitatibus, modò id cum debita moderatione, & propter Dei gloriam fiat. Quare S. Hieronymus, procemio in Epist. ad Philemon ait: *Quæcunque in Scriptura levia & parva videntur, non minùs esse à Deo* (inspirante) *quàm creaturæ vilissimæ sint à Conditore Cœli & Terræ.*

Obj. 8. Aliqua in sacris Scripturis narrantur incerta & dubia: ut quod narratur Joan. c. 2. *Hydriæ ... capientes singulæ metretas binas vel ternas.* Et Luc. c. 3. *Ipse JEsus erat incipiens quasi annorum triginta.*

Resp. Neg. Itaque in Scriptura nulla est vel minima res, aut circumstantia, quæ non sit omnino certa. Sunt tamen in illa circumstantiæ aliquæ minùs determinatæ, quia Spiritus Sanctus noluit aliqua per sacrum Scriptorem magis determinari, volens se se accommodare usitatæ apud homines narrandi rationi. Ad 1. sensus est: Hydriæ, quarum aliæ duas, aliæ tres merretas capiebant. Ad 2. sensus est, quòd Christus haberet tunc circiter 30. annos.

Porro. *Ibi si quid velut absurdum moverit: non licet dicere, auctor hujus libri non tenuit veritatem: sed aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis*, ait S. August. l. 11. contra Faustum, c. 5.

Obj. 9. Auctor Libri 2. Machabæorum, c. ult. petit veniam erratorum.

Resp. Nego. Sed petit duntaxat veniam orationis minùs politæ, seu stili minùs ornati, sic enim ait: *& si quidem bene, & ut historiæ competit, hoc & ipse velim: sin autem minùs dignè, concedendum est mihi.* Præterea ille auctor ignorare poterat, se Deo inspirante, & dirigente scribere, & ex humilitate non sibi attribuere opus ab omni omnino errore immune.

Obj. 10. Si res omnes in sacris litteris expressæ, sunt à Deo inspirante, nullum fuit

quoad

quoad inſpirationem divinam diſcrimen inter Chriſtum, & Scriptores ſacros. Falſum conſeq Ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Nam Chriſtus inſpiratus fuit toto vitæ ſuæ curriculo, & ex jure proprio, ita ut humanitas Chriſti propter unionem hypoſtaticam infruſtrabiliter exigeret auxilia, quibus ſemper, & in omnibus veritatem aſſequeretur. At Scriptores ſacri non ſemper, nec propter ullam exigentiam inſpirationis divinæ, ſed ex mero, & gratuito Dei beneplacito inſpirati fuerunt, tunc ſolùm cùm Libros ſacros ſcriberent, & tanquam Dei legati loquerentur hominibus.

Nota. Scriptura ſacra tota divina eſt quoad ſcriptionem: nam nihil in Scriptura continetur, quod non fuerit Deo inſpirante conſcriptum; & in hoc ſenſu tota Scriptura fuit à Deo inſpirata. At non omnia, quæ in Scriptura narrantur dicta vel facta, fuerunt Deo inſpirante dicta vel facta. Nam in Scriptura leguntur multa ſcelera, multæ actiones merè humanæ, multa ab hominibus inſtinctu merè humano dicta. Quæ tamen omnia à Deo inſpirata fuerunt ut ſcriberentur, & re vera contigerunt, ſicut narrantur. Item omnia, quæ ab ipſo ſcriptore ſacro dicuntur, ſive monita, conſilia, ſive orationes ac laudes Dei, ſive inſtructiones, hæc omnia ſunt à Deo inſpirante.

§. II.

Dico 2. Scripturæ ſacræ videntur non fuiſſe à Deo inſpiratæ quoad omnes & ſingulas voces, ſed tantùm quoad aliquas, quibus Myſteria exprimuntur: ſive (quod idem eſt) non omnia & ſingula verba Scripturæ ſacræ à Deo inſpirata ſunt, ſed tantùm aliqua.

Prob. 1. Ex S. Hieron. qui variis locis clarè ſupponit non omnia verba à Deo inſpirata fuiſſe ſacris Scriptoribus, ut, v. g. Epiſt. ad Algaſiam, qu. 10. ubi de Paulo Apoſtolo hæc ait: *illud quod crebrò diximus*: etſi imperitus ſermone, non tamen ſcientia: *nequaquam Paulum de humilitate, ſed de conſcientiæ veritate dixiſſe, etiam nunc approbamus: Profundos enim & reconditos ſenſus lingua non explicat; & cùm ipſe ſentiat quid loquatur, in alienas aures puro non poteſt transferre ſermone: quem cùm in vernaculâ linguâ habeat diſertiſſimum... Se ipſum interpretari cupiens involvitur.* Quibus verbis S. Hieronymus apertè ſignificat Paulum Apoſtolum quoad verba & ſtilum propriæ induſtriæ relictum fuiſſe ſaltem in multis.

Prob. 2. Ex S. Auguſtino, l. 2. de conſenſu Evangeliſtarum, c. 12. ubi ait: *Si ergo quæritur, quæ verba potiùs Joannes Baptiſta dixerit, utrùm quæ Matthæus, an quæ Lucas, eum dixiſſe commemorat, &c. nullo modo hic laborandum eſſe judicat, qui prudenter intelligit ipſas ſententias eſſe neceſſarias cognoſcendæ veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatæ. Quod enim alius alium verborum ordinem tenet, non eſt utique contrarium... Ut enim quiſque meminerat, & ut cuique cordi erat vel brevius vel prolixius, eandem tamen explicare ſententiam, ita eos explicaſſe manifeſtum eſt, &c.* Ubi clarè indicat Evangeliſtas quoad verba ſuo cujuſque ingenio relictos eſſe. Quod etiam patet ex reliquo toto capite.

Prob. 3. Ex S. Agobardo Lugdunenſi Epiſcopo, qui in lib. contra Fredegiſum, tom. 14. Bibl. Patrum edit. Lugdun. multis argumentis probat omnia & ſingula verba Scriptoribus ſacris à Spiritu ſancto non fuiſſe dictata.

Prob. 4. Ex Patribus, ſcilicet Dionyſio Alexandrino, Origene, Baſilio, Gregorio Nazianz. & Hieronymo: in Scriptura reperiuntur barbariſmi & ſolœciſm. At barbariſmi & ſolœciſmi non ſunt certè à Deo inſpirati, nec dici poſſunt habere Spiritum ſanctum auctorem. Ergo non omnia Scripturæ verba à Deo inſpirata ſunt.

Prob. 5. ratione. Tum quia nullum eſt ſufficiens fundamentum aſſerendi omnia Scripturæ verba inſpirata fuiſſe à Deo, ut objectionum ſolutione probabitur. Tum quia ut ſacræ Scripturæ ſint verè & propriè verbum Dei, non neceſſe eſt, ut omnia & ſingula verba fuerint à Deo inſpirata: nam ad hoc ſufficit, ut Deus res & ſententias ſcribendas inſpiraverit, & dictaverit per illuſtrationem

ex intentione mentem ſuam manifeſtandi hominibus: quamvis Deus Scriptoribus ſacris verborum delectum, & conſtructionem reliquerit, ſpecialiter tamen invigilando, ut non niſi idoneis vocibus uterentur, atque cùm opus erat, voces ipſas ſuggerendo. Enim verò vulgata noſtra editio Latina eſt verè, ac propriè verbum Dei, præcisè quia continet ſenſus olim à Deo revelatos; nam ejus verba non fuerunt inſpirata.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Noſtra ſententia imminuit auctoritatem Scripturæ ſacræ. Ergo rejicienda eſt.

Reſp. Nego anteced. Nam hoc ipſo quòd Scriptura ſacra à Deo inſpirata eſt quoad ſenſum verborum, ſeu quoad res, ac ſententias verbis expreſſas, illa eſt verè divina, & habet ſummam, ac divinam auctoritatem, qua proinde major eſſe nequit. Et verò vulgata noſtra editio Latina ſummam, ac divinam auctoritatem habet, præcisè, quia continet ſenſus à Deo inſpiratos.

Obj. 2. Illud Pſal. 44. *lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis.* Ergo Spiritus ſanctus uſus eſt Scriptoribus ſacris tanquam calamo, & organo. Ergo, &c.

Reſp. Re vera Scriptores ſacri fuerunt inſtrumenta, & organa Spiritus ſancti, ſed moralia, activa, & libera, ſuo ingenio, ac libertate utentia, non verò inanimata, & neceſſaria. Item dici poſſunt amanuenſes Spiritus ſancti, quales dici poſſunt amanuenſes ii, qui loquentis ſententias excipiunt, & proprio ingenio liberè exprimunt: non verò quales ipſa ſingula verba ex ore loquentis ſerviliter accipiunt, & ſcribunt. Enim verò Evangeliſtæ eadem Chriſti dicta non iisdem planè verbis, ſed ex parte diverſis referunt; ſic Matthæus, & Marcus referunt, Chriſtum in Cœna dixiſſe: *Hic eſt Sanguis meus novi Teſtamenti:* Lucas verò ſcribit, tunc dixiſſe: *Hic Calix novum Teſtamentum eſt in Sanguine meo.* Chriſtus tamen non utroque modo locutus eſt.

Deus tamen aliquas voces myſteria exprimentes, & aliquas phraſes, ac figuras ad movendum aptiores inſpiravit, & interdum verborum ubertatem ſubminiſtravit. Sed ut plurimùm verborum delectum, & conſtructionem permiſit ingenio, ac libertati Scriptorum ſacrorum, ſemper invigilando, ne quid contra ſenſum à Deo inſpiratum exprimerent, & ut vocibus idoneis uterentur.

Obj. 3. Judæi omnes ante Chriſtum ſenſerunt, omnes, & ſingulas voces Scripturæ fuiſſe à Deo revelatas; & poſt Chriſtum idem ſemper ſenſerunt Judæi. Ergo.

Reſp. Diſting. ant. Senſerunt à Deo inſpiratas fuiſſe Scripturæ voces omnes ſumptas formaliter, ſeu quoad ſenſus per illas expreſſos, *conc. antec.* Sumptas materialiter, ſeu ſecundùm ſonum & ſyllabas, *nego ant.* Quod ſi Judæi poſt Chriſtum ſentiant, omnia verba Scripturæ, etiam quoad ſonum & ſyllabas fuiſſe à Deo inſpirata, eorum auctoritatem non invideo adverſariis.

Obj. 4. Multos Patres.

Reſp. Nobis non adverſantur. Et quamvis eorum textus magis viderentur favere adverſariis, tamen facilè explicantur de vocibus, non materialiter, nempe quoad ſonum & ſyllabas, ſed formaliter, nempe quoad earum ſenſum ſumptis. Itaque ſingulos objici ſolitos expono.

1. S. Baſilius, in Proœmio libri de Spiritu ſancto gratulatur Amphilochio, quòd ſentiret, nullam vocem Scripturæ ſacræ, *oportere indiſcuſſam relinquere.* Deinde hæc addit: *nam haud oſcitanter audire ſermonem de rebus divinis diſſerentem, ſed conari, quid in quaque dictione, quid in quaque ſyllaba recondiri ſenſus lateat perſcrutari, non eſt eorum, qui ſegnes ſunt ad pietatem; ſed qui intelligunt ſcopum noſtræ vocationis... Si ex lege nec unum jota, nec apex unus præteribit, quomodo nobis tutum fuerit, vel minutiſſima tranſiliiſſe.*

Reſp. Loquitur, non de omnibus vocibus Scripturæ, ſed de iis tantùm, quibus aliquid de Deo, Myſteriisve divinis exprimitur, quæ quidem à Deo inſpiratæ ſunt: ſed S. Doctor ne id quidem dicit; ſed ibi ſolùm aſſerit, omnia verba Scripturæ de rebus divinis ita expendenda eſſe ad inveſtigandos ſenſus à Deo inſpiratos, ut nulla vox prætermittatur tanquam

quam minuta, quæ tamen divinum aliquem ſenſum reconditum habeat.

2. S. Chryſoſtomus, Homil. 18. c. 4. Gen. ait: *nihil enim temerè, vel fortuitò loquitur divina Scriptura, ſed & ſyllaba, & apiculus unicus reconditum habet theſaurum; nam in hunc modum ſe habent Spiritualia omnia.*

Reſp. Ut Scriptura ſacra nihil temerè, & fortuitò loquatur, ſufficit, quòd Deus omnes ſententias, & res conſcribendas inſpiraverit, & Scriptores ſacros ſpecialiter direxerit, ut omnes accuratè verbis ſuis exprimerent. Cùm autem addit Sanctus Doctor, unam ſyllabam, & apiculum unum habere theſaurum reconditum, ſolùm vult, unam ſyllabam, & unum apiculum poſſe habere, & quandoque habere divinum aliquem ſenſum reconditum, id eſt, ſignificare myſterium aliquod divinum. Neque enim cum cabaliſtis cenſet, myſteria recondita eſſe in omnibus Scripturæ vocibus, ſyllabis, &apicibus. Et verò quis dicat, myſterium aliquod reconditum eſſe in ſingulis vocibus, ſyllabis & apicibus, v. g. textus Tobiæ c. 11. *Tunc præcurrit canis, qui ſimul fuerat in via: & quaſi nuntius adveniens, blandimento ſuæ caudæ gaudebat.*

3. S. Auguſtinus, tract. 120. in Joan. in hæc verba (*unus militum lancea latus ejus aperuit*) ſic ait: *vigilanti verbo Evangeliſta uſus eſt, ut non diceret, latus ejus percuſſit, aut vulnerarit, aut quid aliud, ſed aperuit: ut illic quodam modo vitæ oſtium panderetur, unde Sacramenta Eccleſiæ manaverunt, ſine quibus ad vitam, quæ vera vita eſt, non intratur.*

Reſp. Ad ſummum cenſuit ſanctus Doctor, hanc vocem (*aperuit*) à Deo inſpiratam fuiſſe Evangeliſtæ. Cui ſanè ultrò conſentimus, cùm fateamur, multa vocabula à Deo inſpirata fuiſſe, præſertim ea, quibus exprimuntur, vel præfigurantur myſteria Religionis noſtræ. At nego, omnia omnino verba ſacræ Scripturæ fuiſſe à Deo inſpirata: in quo S. Auguſtinum nobis conſentire, ſatis ipſe indicat, l. 2. de conſenſu Evangeliſtarum, c. 12. ubi ait: *ad doctrinam fidelem maximè pertinere, non tam verborum, quàm rerum quærendam, vel amplectendam eſſe veritatem, quando eos, qui non eadem locutione utuntur, cùm rebus, ſententiisque non diſcrepant, in eadem veritate conſtitiſſe approbamus... Ita enim ſalubriter diſcimus, nihil aliud eſſe quærendum, quàm quid velit ille, qui loquitur.* Et c. 28. ubi de nimiùm ſcrupuloſis vocum obſervatoribus hæc ait: *neque miſeri aucupes vocum, apicibus quodam modo literarum putant ligandam eſſe veritatem; cùm utique non in verbis tantùm, ſed etiam in cæteris omnibus ſignis animorum, non ſit niſi ipſe animus inquirendus.*

4. S. Bernardus, ſerm. 72. in cantic. aſſerit, in Scriptura non fortuitò ſed conſultò poſitum eſſe (*donec aſpiret dies*) & addit: *ego enim, ut verum fatear, jam olim mihi perſuaſi in ſacri pretioſique eloquii textu, nec modicam vacare particulam. Solemus autem hac voce* (aſpirare) *uti, cùm aliquid vehementer deſideramus.*

Reſp. Inde tantùm ſequitur S. Bernardum ſenſiſſe aliquas voces à Deo inſpiratas fuiſſe, & nullam eſſe vocem, ne modicam quidem, quæ ſit inutilis ad exprimendos ſenſus à Deo inſpiratos, Deo dirigente Scriptores ſacros, ne ullam vocem inutilem vel minùs aptam ad ſenſus à Deo inſpiratos exprimendos adhiberent: quod verum eſt.

ARTICULUS V.

Utrùm ſenſus literalis Scripturæ ſit obſcurus?

NOta. 1. Senſus Scripturæ duplex eſt, nempe Literalis, & Myſticus ſeu ſpiritualis. Senſus Literalis eſt ille, quem ex Spiritus S. intentione ſignificant verba ſive propriè ſive metaphoricè accepta. Senſus Myſticus eſt ille, qui immediatè ſignificatur per rem verbis expreſſam: unde ſenſus Myſticus ſemper præſupponit Literalem. Sic illud, quod Exodi c. 12. de Agno Paſchali dicitur (*nec os illius confringetis*) à Joanne, c. 19. ſumitur in ſenſu Myſtico de Chriſto.

Senſus Myſticus ſubdividitur in Allegoricũ, qui eſt de re aliqua ad myſteria Fidei vel Eccleſiam militantem pertinente: in Anagogicum, qui eſt de re ad beatitudinem æternam ſeu Eccleſiam triumphantem pertinente: & in Tropologicum ſeu mortalem, qui eſt de re ad mores pertinente. Igitur quatuor ſunt

Scri-

Scripturæ ſacræ ſenſus, ſcilicet Literalis, Allegoricus, Anagogicus, & Tropologicus. Qui omnes ſenſus in hac voce *Hieruſalem* reperiuntur: nam hæc vox in Scriptura ſignificat literaliter Paleſtinæ urbem, allegoricè Eccleſiam militantem, anagogicè Eccleſiam triumphantem, & tropologicè animam hominis.

Porro ex ſenſu myſtico nihil poteſt efficaciter elici ad confirmandum Fidei dogmata, niſi quatenus illum à Spiritu ſancto intentum fuiſſe aliunde conſtat, putà ex eo quòd in aliquo Libro Scripturæ ſacræ traditus fuerit, vel ab Eccleſia, aut communi Patrum conſenſu expoſitus ſit. Quare ſeclusa certitudine de vero ſenſu myſtico, ex ſolo ſenſu literali firma depromi poſſunt argumenta ad confirmandam Fidei doctrinam.

Nota. 2. His quatuor ſenſibus additur alius, qui dicitur ſenſus Accommodatitius, & eſt ille, qui Scripturæ verbis neque mediatè neque immediatè ex Spiritus ſancti intentione ſignificatur; & tamen verbis Scripturæ attribuitur, ea ad aliquid præter auctoris ſacri mentem propter quandam analogiam & ſimilitudinem applicando, & accommodando. Sic ſanctis confeſſoribus accommodatur id, quod Eccli. c. 44. de Noë dicitur: *inventus eſt juſtus, & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio*: item illud, quod Chriſtus, Luc. 10. de Maria ſorore Marthæ dixit: *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea:* per accommodationem attribuitur Deiparæ Virgini. Senſus autem ille accommodatitius minimè valet ad quidquam probandum, cùm nullatenus intentus fuerit à Spiritu ſancto.

Nota. 3. Interdum unus idemque locus plures ſenſus literales admittit, ut docet S. Auguſtinus, l. 12. confeſſ. c. 31. & patet in hoc textu, Pſalm. 2. *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Nam de æterna generatione intelligitur, Heb. c. 1. his verbis: *cui dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te:* & de reſurrectione Chriſti, Act. c. 13. his verbis: *hanc* (promiſſionem) *Deus adimplevit filiis noſtris, reſuſcitans Jeſum, ſicut & in Pſal. 2. ſcriptum eſt: filius meus es tu, ego hodie genuite.* Ratio eſt, quia Deus poteſt unica phraſi multa ſignificare, & ad ejus verbi fecunditatem pertinet, ut multa ſignificet.

Dico. Scripturæ ſacræ ſenſus etiam literalis ſæpe obſcurus eſt. Fide conſtat contra Lutheranos & alios Hæreticos.

Prob. 1. Ex Scriptura. Pſal. 118. *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Luc. c. 18. *& ipſi nihil eorum intellexerunt.* Et c. ult. *tunc aperuit* (Chriſtus) *illis ſenſus, ut intelligerent Scripturas.* Certè ſi Scriptura ſacra eſſet intellectu facilis, Apoſtoli Chriſti eam intellexiſſent. Item 2. Petri, c. 3. Petrus de Epiſtolis Pauli Apoſtoli hæc ait: *in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perniciem.* Ut faciunt hæretici.

Prob. 2. Ex unanimi Patrum conſenſu apud Bellarmin. pro omnibus ſint S. Hieron. Epiſt. ad Algaſiam de veteri Scriptura ait: *quæ tantis obſcuritatibus obvoluta eſt.* Et S. Auguſtin. Epiſt. 119. ad Januar. *Miror, quia hoc te latet, quòd non ſolùm in aliis innumerabilibus rebus multa me latent, ſed etiam in ipſis Sanctis Scripturis multò neſciam plura, quàm ſciam.* Et Epiſt. 19. ad Hieron. *qui Scripturas ediſſerendo pertractant, quos neceſſe eſt, etiamſi rectæ, atque unius fidei fuerint, varias parere in multorum locorum obſcuritate ſententias.*

Prob. 3. Experientia, & conſenſu unanimi Interpretum. Idem patet ex innumeris commentariis à tempore Apoſtolorum ad hæc uſque tempora factis. Item ex omnibus hæreticis, qui ſua erronea dogmata ex Scriptura confirmare conantur.

Refelluntur Reſponſiones Hæreticorum.

Dices 1. Scriptura quidem obſcura eſt impiis, & incredulis: at clara eſt piis, & Fidelibus.

Reſp. Nego. Nam SS. Patres, ut Hieronymus, & Auguſtinus fuerunt fideles, & tamen Scriptura fuit illis obſcura, & intellectu difficilis; nec ſenſum ejus etiam cum auxilio gratiæ ſibi collato aſſecuti ſunt in omnibus: S. Auguſt. fatetur, ſe in ſacris Scripturis plura ignorare, quàm ſcire. Item Eunuchus Reginæ Æthiopum nec impius, nec incredulus,

nec

nec voluntariè cœcus erat, & tamen Philippo interroganti, utrum intelligeret Isaiam Prophetam, quem legebat, respondit, Act. cap. 8. *quomodo possum, si non aliquis ostenderit mihi?* Ergo Scriptura non est omnibus clara: ac proinde per se solam non est clara, nec sufficit ad manifestationem rerum credendarum.

Denique Calviniſtæ circa realem Christi in Euchariſtia præſentiam diſſident à Lutheranis, quem Calvinus laudat ut verum Christi Apoſtolum, & à Lutheranis, quos Calviniſtæ in Synodo nationali ut fratres & fideles admiſere. Ergo Calviniſtæ non ſunt fideles, cùm non intelligant verum ſenſum *hujus* textus: *Hoc eſt Corpus meum.*

Dices 2. Si Scriptura ſit alicubi obſcura, alibi ſe ipſam clarè explicat.

Reſp. Nego. Nam Patres, & alii Interpretes doctiſſimi, quamvis omnes textus legerent, & inter ſe conferrent; tamen non potuerunt verum Scripturæ ſenſum in omnibus aſſequi, ut dicunt ipſi hæretici, & S. Auguſt. de ſe ipſo fatetur. Præterea experientia quotidiana conſtat locorum variorum collationem non ſufficere ad controverſias de ipſo ſenſu Scripturæ dirimendas, nempe propter obſcuritatem locorum variorum, ad quam tollendam non ſufficit ejusmodi collatio. Denique ſæpè controverſia eſt de textu per ſe claro, an ſcilicet in ſenſu figurato, an proprio ſumi debeat. Sic Calviniſtæ locum iſtum (*hoc eſt Corpus meum*) intelligi figuratè volunt contra Lutheranos.

Dices 3. Saltem omnia, quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, continentur clarè in Scriptura.

Reſp. Nego. Equidem Scriptura multis in locis clara eſt, at in aliis multis non ita clara eſt, ut per ſe absque ſubſidio Traditionis & auctoritatis Eccleſiæ ſufficiat ad controverſias Fidei, quæ exoriri poſſunt, dirimendas: nec per ſe ſolam cuivis certò manifeſtat omnia, quæ neceſſe ſit credere ad ſalutem: alioqui tot diverſi generis hæretici, qui ab initio naſcentis Eccleſiæ exierunt, re ipſa credidiſſent, quæ ad ſalutem ſufficerent, ideoque potuiſſent in ſua hæreſi ſalvari.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Illud, Deut. c. 30. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt.*

Reſp. Ibi ſignificatur poſſibilitas intelligendi, & ſervandi mandata cum auxilio gratiæ. Sed quamvis multa loca Scripturæ, & Decalogi præcepta ſint clara, multa alia ſunt per ſe obſcura.

Obj. 2. Illud, Prov. c. 6. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux.* Et Pſalm. 18. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.*

Reſp. Senſus eſt, quòd præcepta Dei benè intellecta mentem illuminent, & voluntatem in agendo dirigant: non autem quòd tota Scriptura clara ſit.

Obj. 3. Illud 2. Cor. c. 4. *Quod ſi opertum eſt Evangelium noſtrum, in iis, qui pereunt, eſt opertum.*

Reſp. Ibi per Evangelium intelligitur, non Scriptura univerſa, ſed doctrina Incarnationis, Paſſionis, & Reſurrectionis Chriſti, quam Paulus clarè prædicaverat, & explicuerat.

Obj. 4. Illud, Matth. c. 5. *Vos eſtis lux mundi.*

Reſp. Ideo Apoſtoli dicuntur lux mundi, quia illorum præclara virtutum exempla, & doctrina bene intellecta homines de rebus omnibus ad morum Sanctitatem, & beatitudinem æternam aſſequendam neceſſariis erant eruditura, & errorum omnium tenebras diſpulſura.

Obj. 5. S. Chryſoſtomum, Hom. 3. de Lazaro.

Reſp. Ibi loquitur de Libris Scripturæ ſecundùm aliquas partes ſumptis, & tribuit toti, quod majori parti convenit, & ſolùm intendit Scripturam in multis locis eſſe claram. Enim verò S. Doctor ibidem ait: *quæ obſcura ſunt, parumque manifeſta* (in Scripturis) *frequenter percurre.* Ergo ex S. Chryſoſtomo aliqua ſunt obſcura in Scriptura: ideoque tota Scriptura clara non eſt.

Obj. 6. S. Auguſt. l. 2. de doctrina Chriſtiana, c. 6. ait: *Magnificè igitur, & ſalubriter Spiritus ſanctus ita Scripturas ſacras modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, ob-*

obſcuritatibus autem faſtidia detergeret. Nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur.

Reſp. Doctoris verba cum aliqua reſtrictione intelligi debent, ut patet ex particula *ferè*, & aliis locis. Cùm autem dicit, nihil ferè eſſe in Scripturis obſcurum, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur, hoc intelligit dependenter ab inſtructione, & explicatione, quæ in Eccleſia Catholica traditur, & de dogmatibus Fidei, & præceptis morum, quæ quisque Fidelis diſtinctè noſſe debet, & quæ omnes in Eccleſia docentur. Alioqui ſecum pugnaret, cum Epiſt. ad Januarium fateatur ſe in Scripturis ſacris multò plura neſcire, quàm ſcire, & eodem cap. objecto aſſerat multas, & multiplices eſſe in Scripturis obſcuritates, & ambiguitatem, quibus decipiuntur, qui temerè legunt, & quæ non ſemper explanari poſſunt per alios textus, ſaltem facilè; nam addit: *hoc totum divinitus prævisum eſſe ad edomandam labore ſuperbiam.* Certè ſi Scripturæ obſcuritates facilè per alios textus claros diſpellerentur, non eſſet locus edomandi labore ſuperbiam humanam. *Multis*, inquit, *& multiplicibus* (Scripturarum) *ambiguitatibus decipiuntur, qui temerè legunt, aliud pro alio ſentientes; quibusdam autem locis quid vel falſo ſuſpicentur, non inveniunt. ita obſcurè quædam dicta denſiſſimam caliginem obducunt. Quod totum proviſum divinitus eſſe non dubito, ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio revocandum; cui facilè inveſtigata plerumque vileſcunt.*

Inſt. S. Auguſtinus, Epiſt. ad Voluſian. aſſerit, non eſſe difficile in Scripturis invenire neceſſaria ad ſalutem.

Reſp. Hoc intelligit dependenter ab inſtructione, quæ in Eccleſia Catholica traditur, & loquitur de iis, quæ neceſſe eſt agere ad ſalutem, non verò de iis omnibus, quæ neceſſarium eſt credere. Nam re vera Scriptura in iis, quæ morum doctrinam ſpectant, ſatis clara eſt, præſertim Catholicis, qui morum præcepta ſecundùm doctrinam Eccleſiæ à Paſtoribus docentur. At S. Doctor probè ſciebat, plura eſſe Fidei dogmata ab hæreticis impugnata, quæ jubemur credere, & circa quæ de vero Scripturæ ſenſu cum hæreticis pugnetur, & conſequenter circa quæ Scriptura non habeat eam claritatem, qua per ſe ipſam, & independenter ab Eccleſiæ explicatione, & auctoritate cuicuique pateat.

Obj 7. Patres communiter ad Scripturæ lectionem hortantur homines etiam illiteratos. Ergo ſupponunt, eam claram eſſe

Reſp. Cùm Patres generatim hortantur Fideles ad legendam Scripturam ſacram, ſemper hoc intelligunt cum ſubordinatione ad Paſtores Eccleſiæ. Ut autem hæc Lectio ſit fidelibus utilis, ſufficit, quòd plurima clarè in Scriptura contineantur, quorum lectione poſſit quivis Fidelis inſtrui, & ad virtutis ſtudium, ac Dei amorem accendi, & quòd cætera loca obſcura intelligi poſſint ex doctrina Eccleſiæ, & inſtructione Paſtorum, ad quos Patres volunt Fideles recurrere circa ea, quæ in Scripturis obſcura ſunt.

Cùm autem aliqui Patres videntur aſſerere, Scripturam eſſe claram, ſolùm volunt: eam eſſe claram in multis locis, & in aliis locis obſcuris facilè intelligi poſſe ex doctrina Eccleſiæ, & inſtructione Paſtorum, ſaltem quoad res omnes factu, & creditu neceſſarias, & utiliores.

Obj. 8. Deus per Scripturam ſacram nobis locutus eſt. Ergo non debuit ſermonem ſuum ita obſcurum reddere, ut ab iis, ad quos dirigitur, intelligi non poſſit.

Reſp. Sic Deus per Scripturam hominibus loqui, eosque inſtruere voluit, ut tamen illud Divinæ locutionis depoſitum immediatè ipſi Eccleſiæ commiſerit, per quam homines in ejusdem notitiam, & intelligentiam pervenirent. Item ſic Deus per Scripturas hominibus locutus eſt, ut ab iisdem hominibus intelligi voluerit cum ſubordinatione ad primos Paſtores Eccleſiæ, quos, ut ait Apoſtolus, Epheſ. c. 4. *Dedit ad conſummationem Sanctorum in opus Miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in affluentia ad circumventionem erroris.*

Equidem in novo Teſtamento omnia Myſteria, ac dogmata Fidei explicitè credenda, clarè

clarè proponuntur omnibus Fidelibus, ſed per Eccleſiæ Paſtores, ita ut jam Fidelis quisque explicitè, ac diſtinctè noverit, & intelligat, quæ populus Judaicus non niſi ſub figurarum velo credebat.

Obj. 9. Non convenit, ut Scriptura ſacra ſit obſcura. Ergo talis non eſt.

Reſp. Nego anteced. Itaque Deus convenientiſſimè voluit, ut Scriptura in multis eſſet obſcura, tum ad deprimendam mentis humanæ ſuperbiam, & ut nemo de ſuo ſenſu præſumeret: tum ad ſervandam inter Fideles communicationem, & ſubordinationem, dum eorum alii eſſent Paſtores & Doctores, qui alios docerent, & alii docerentur; illi zelum, & charitatem docendo, iſti humilitatem & docilitatem diſcendo, exercerent. Item Scripturæ obſcuritas valet ad commendandam ejus dignitatem, & excitandam Fidelium diligentiam & orationem.

Obj. 10. Dici non poteſt, quænam ſint cauſæ obſcuritatis Scripturæ ſacræ. Ergo illa non eſt obſcura.

Reſp. Nego antec. Nam hujus obſcuritatis cauſæ ſunt tum res, de quibus loquitur Scriptura, & quæ ſæpè altiſſimæ ſunt, & humanæ mentis captum longè ſuperant, nec ullam habent cum rebus humanis & creatis ſimilitudinem: tum etiam & ſæpiùs modus loquendi per ænigmata, parabolas, tropos, ellypſes, metaphoras, allegorias, hebraiſmos. Quibus adde apparentes contradictiones, quas non facile eſt cuilibet conciliare.

ARTICULUS VI.

Quanam lingua Libri Scripturæ ſacræ ab Auctoribus ſacris conſcripti fuerint, & an poſtea depravati fuerint?

Dico 1. Libri omnes Protocanonici veteris Teſtamenti, nempe ii, qui in Canone Hebræorum continentur, hebraicè conſcripti fuerunt à ſuis Auctoribus, præter Libros Eſdræ & Danielis, qui lingua mixta ex Hebraica & Chaldaica ſcripti ſunt, vel (ut docet S. Hier. Hebraicis literis, ſed Chaldaico ſermone.

Eo dem autem Libros Protocanonicos veteris Teſtamenti in excidio Hieroſolymæ diſſipatos reparavit poſtea Eſdras, Libros illos variis in locis repertos colligendo, & in unum corpus redigendo, atque emendando ea, quæ Scribarum negligentia, vel imperitia depravata fuerant, ut docent Hilarius, Chryſoſtomus, & Theodoretus.

Dico 2. Editio Hebraica non fuit à Judæis ſtudioſè depravata.

Prob. 1. Ex S. Hier. qui in c. 6. Iſaiæ, ſic ait: *Si aliquis dixerit, Hebræos Libros poſtea à Judæis eſſe falſatos, audiat Origenem, quid in octavo volumine explanationum Eſaiæ huic reſpondeat quæſtiunculæ: quòd nunquam Dominus & Apoſtoli, qui cætera crimina arguunt in Scribis & Phariſæis, de hoc crimine, quod erat maximum, reticuiſſent. Sin autem dixerint, poſt Adventum Domini Salvatoris, & prædicationem Apoſtolorum, Libros Hebræos fuiſſe falſatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator, & Evangeliſtæ, & Apoſtoli ita teſtimonia protulerint, ut Judæi poſtea falſaturi erant.*

Prob. 2. Ex S. Auguſtino, l. 15. de Civitate Dei, c. 13. Item ex Joſepho, l. 1. contra Appion. n. 29. & 30. & ex Philone, apud Euſebium, l. 8. de præparatione Evangel. c. 2. Qui duo Judæi expreſsè teſtantur, Judæos pro ſua ſumma in Scripturam ſacram obſervantia, ac religione nihil ei addere, vel ex ea detrahere, aut in ea immutare unquam præſumpſiſſe, imò pro ea ſervanda paratos fuiſſe vitam profundere. Judæi verò moderni non minori obſervantia, ac religione Scripturam divinam proſequuntur.

Prob. 3. Quia Scripturarum ſacrarum depravatio ſtudioſè facta repugnat conſilio divino, & ſpeciali Providentiæ Dei circa veram Chriſti Eccleſiam. Nam (ut docet S. Auguſtinus, l. 18. de Civit. c. 46.) Deus voluit Judæos per totum terrarum orbem diſpergi, ut illis per totum terrarum orbem Scripturas ſacras circumferentibus, etiam ab ipſis infenſiſſimis inimicis veritas Chriſtiana teſtimonium acciperet, & prædictiones de Chriſto, & Eccleſia in Scripturis ſacris contentæ, dici non poſſent, fuiſſe à Chriſtianis confictæ. Audiamus S. Doctorem, loco cit. *Quando quidem ubique non dejunt* (Judæi, *per ſcripturas*

ſuas teſtimonio ſunt, Prophetias nos non finxiſſe de Chriſto. Et infra. *Nobis quidem illæ ſufficiunt* (Prophetiæ) *quæ de noſtrorum inimicorum codicibus proferuntur, quos agnoſcimus, propter hoc teſtimonium, quod nobis inviti perhibent, eosdem codices habendo, atque ſervando, per omnes gentes etiam ipſos eſſe diſperſos, quaqua versùm Chriſti Eccleſia dilatatur.* Addit ideo Pſalmiſtam dixiſſe, *ne occideris eos... diſperge illos.* Et revera hic eſt verus ſenſus Pſalmiſtæ.

Prob. 4. Si Judæi textum Hebræum ſtudiosè depravaſſent, certè hoc feciſſent in odium Chriſtianiſmi. Sed hoc dici non poteſt: nam in Hebræo textu præcipuæ prædictiones de Chriſto minimè depravatæ ſunt; & ea, in quibus textus Hebraicus à Græco, & Latino diſcrepat, ſæpè nullius ſunt momenti, quantum pertinet ad Fidei dogmata & Religionem: imò ſæpè textus Hebræus magis urget, quàm Græcus & Latinus, ut teſtantur Bellarminus, & alii Hebraicæ linguæ periti. Denique nunquam à Judæis depravari potuerunt exemplaria, quæ extabant in manibus Judæorum ad Fidem converſorum.

Nota ex Bellarmino. Textus tamen Hebræus, qualis nunc extat, non eſt omnino purus; ſed aliquos continet errores, qui non ſunt magni momenti: nam textus ille purus & integer eſt in iis, quæ ad fidem & mores pertinent; ac plerumque tota diſcrepantia variarum lectionum in quibusdam dictionibus, quæ aut parum, aut nihil ſenſum mutant, conſiſtit. Addit Bellarminus, errores, qui additione punctorum acciderunt ſive ex inſcitia, vel ex malitia Rabinorum, nihil omnino veritati officere: cùm extrinſecus addita ſint, & ſic textum non mutent: unde detrahi facile poſſunt, & aliter legi textus Hebræus. Hæc autem punctorum vocalium inventio poſterior eſt tempore Chriſti, & Apoſtolorum, ut monet S. Hieronymus.

Dico 3. Libri novi Teſtamenti ab Evangeliſtis vel Apoſtolis, quorum nomina præferunt, Græco ſermone ſcripti ſunt, excepto Evangelio Matthæi, quod Hebraicè, ſeu Syriacè editum fuit, quodque vel à Jacobo Apoſtolo, qui frater Domini dictus fuit; ut docet ſynopſis Athanaſiana, vel à Joanne Apoſtolo; ut volunt alii, in linguam Græcam translatum eſt. Excipitur etiam Epiſtola ad Hebræos, quam Hebraicè ſcriptam fuiſſe non obſcurè docet S. Hieronymus, ſive Syriaco idiomate, in quod tunc temporis deflectebat vulgare idioma Hebraicum.

Dico 4. Editio Græca novi Teſtamenti non eſt omnino pura; ſed aliqui errores in eam irrepſerunt, ſaltem Librariorum negligentia, vel inſcitia. Ita Bellarminus, l. 2. de verbo Dei, c. 7. qui addit, in plurimis Græcis codicibus multas veræ Scripturæ partes deeſſe, & quædam eſſe in omnibus codicibus Græcis, quæ non ſunt partes veræ Scripturæ, ut illa verba: *Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſæcula*, quæ orationi Dominicæ adduntur, Matth. c. 6.

ARTICULUS VII.

Utrum vulgata noſtra editio Latina ſit authentica?

§. I.

Prænotanda.

I. LIbri omnes veteris Teſtamenti Canone Hebræorum comprehenſi, in linguam Græcam primùm translati ſunt à 70. ſeu potiùs à 72. Senioribus Judæis, juſſu, ſeu poſtulatione Ptolomæi Philadelphi Regis Ægypti: ſed uſus obtinuit, ut numeri rotundioris gratia non dicerentur niſi ſeptuaginta. Hæc translatio à 72. Interpretibus Hebraicæ & Græcæ linguæ peritiſſimis, 72. diebus, mirabili inter ſe conſenſione confecta fuit in Pharo inſula. Addunt Juſtinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, & Cyrillus Hieroſol. ſingulos in ſingulis cellulis incluſos fuiſſe, & ita ſingulos ſeorſim totam Scripturam iisdem planè verbis Græcè reddidiſſe. Sed hanc cellularum circumſtantiam ut fabulam rejicit S. Hieronymus præfat. in Pentateuchum, & aſſerit, 72. Seniores in eadem Baſilica ſedentes, & inter ſe conferentes, Scripturam tranſtuliſſe. Cui conſentiunt Bellarminus, & recentiores plurimi.

Porro certum eſt 72. Seniores Scripturam optimè in Græcum ſermonem vertiſſe, & ad hoc

hoc ſpecialiter à Deo adjutos fuiſſe, nec in ulla re ſaltem gravi erraſſe. Hac verſione utebantur Apoſtoli in citandis Scripturæ teſtimoniis, nec eorum tempore ulla alia erat Scripturarum Græca verſio. Quæ quidem juxta Bellarminum & alios nunc adeò corrupta eſt & vitiata, ut omnino alia eſſe videatur. Neque eam Sixtus V. ut ſinceram approbavit; ſed ſolùm vetuit, ne quis de nova Græca editione 70. Interpretum ſtudio Cardinalis Carafæ Apoſtolici Bibliothecarii anno 1588. facta audeat quidquam immutare; atque ſancivit, ut illa ab omnibus reciperetur, ac retineretur, ſcilicet præ aliis exemplaribus.

II. Præter hanc verſionem Græcam veteris Teſtamenti, octo aliæ numerantur. *Prima* poſt verſionem ſeptuaginta eſt Aquilæ ſub Adriano Imperatore: qui quidem Aquila fuit primùm Gentilis, deinde Chriſtianus, demum Judæus. *Secunda* eſt Theodotionis imperante Commodo, qui Theodotio ex hæretico Marcionita factus eſt Judæus. *Tertia* eſt Symmachi imperante Severo, qui Symmachus ex Ebionita, vel Samaritano factus eſt Judæus. *Quarta* eſt anonymi, & inventa in urbe Palæſtinæ ſub Imperatore Antonino Caracalla. *Quinta* eſt etiam Auctoris innominati, & reperta Nicopoli ſub Alexandro Severo. *Sexta* eſt Origenis. *Septima* eſt S. Luciani Presbyteri, & ſub Diocletiano Martyris. *Octava* denique eſt Heſychii, qui 70. Interpretum verſionem ſucceſſu temporis depravatam emendavit.

III. S. Hieronymus bis vetus Teſtamentum in Latinum tranſtulit, primùm ex verſione Græca 70. Interpretum, & rursùs ex Hebræo. Novum verò Teſtamentum de Græco in Latinum non convertit, ſed ſolùm errores multos, qui in eo irrepſerant, emendavit. Vulgata autem noſtra editio Latina quoad omnes novi Teſtamenti partes eſt ex antiqua verſione Itala, quam emendavit S. Hieronymus: quoad vetus Teſtamentum eſt ex verſione S. Hieronymi ex Hebræo facta, exceptis tum Pſalterio, quod S. Hieronymus emendavit translatum ab antiquo Interprete ex editione Græca S. Luciani: tum Libris Sapientiæ, Eccleſiaſtici, & Machabæorum, qui ſunt ex antiqua verſione Latina, cujus auctor ignoratur. Ita Bellarminus. Hanc vulgatam ex omnibus quæ tum circumferrentur Latinis verſionibus optimam fuiſſe nemo negare poteſt. Porro editio hic idem eſt, quod verſio alicujus Scripturæ originalis.

IV. Verſio authentica eſt ea, quæ auctoritatem habet, & meretur fidem. Sic dicitur à voce Græca *authentia*, quæ auctoritatem ſignificat. Authentia autem verſionis duplex eſt: nempe intrinſeca & extrinſeca. Authentia intrinſeca eſt verſionis conformitas cum Scriptura originali quoad res & ſententias à Scriptore ſacro expreſſas. Authentia extrinſeca eſt legitima & infallibilis declaratio conformitatis verſionis cum Scriptura originali. Intrinſeca poteſt eſſe ſine extrinſeca, ſed non viciſſim. Nam conformitas verſionis cum originali Scriptura poteſt eſſe, & tamen non declarari per infallibilem auctoritatem: at infallibilis declaratio talis conformitatis non poteſt eſſe ſine tali conformitate. Hinc verſio per authentiam intrinſecam eſt authentica quoad ſe, per intrinſecam eſt authentica quoad nos.

§. II.

Dico 1. Vulgata noſtra editio Latina eſt authentica tum intrinſecè, tum extrinſecè.

Prob. 1. *Pars*, nempe quod ſit authentica intrinſecè, ſeu conformis cum originali Scriptura. Quia à mille annis & ampliùs Eccleſia Latina univerſa hac una editione uſa eſt, ut conſtat ex Patrum & Doctorum, qui poſt Gregorium Magnum floruerunt, expoſitionibus, Epiſtolis, Homiliis, aliiſve operibus, & ex omnibus Conciliis. Ergo vulgata noſtra editio eſt conformis Scripturæ originali, ſaltem quoad Fidei dogmata, & mores. Nam fieri non potuit, ut Eccleſia Latina univerſa, quæ apud ſe totius Eccleſiæ capitis & ſupremi Chriſti Vicarii ſedem habet, & quæ ſaltem à multis ſæculis longè majorem partem Eccleſiæ Catholicæ conſtituit, à totis mille annis careret vera Scriptura, ut ejus Paſtores & Concionatores omnes adulterinam Scripturam proponerent & explanarent populis, ut Concilia omnia falſam Scripturam adhiberent ad con-

firmanda, & declaranda Fidei dogmata, & ad Fidem ac mores explicandum. Alioquin enim Ecclesia Catholica non esset infallibilis in rebus Fidei & morum: nam major pars Ecclesiæ cum capite errasset in re gravissima ad Fidem, imo ad Fidei fundamentum pertinente, sumendo falsum Dei verbum pro vero ac sincero.

Prob. 2. *Pars*, nempe quod sit authentica extrinsecè. Nam originali Scripturæ conformis declarata est per legitimam, & infallibilem Ecclesiæ auctoritatem, ut patet ex Decreto Concilii Tridentini, sess. 4. *Insuper eadem sacro-sancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotesceat: statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est in publicis lectionibus, prædicationibus & expositionibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.*

Ex hoc autem Decreto constat vulgatam nostram editionem non solùm intrinsecè sed etiam extrinsecè authenticam esse saltem eo sensu, quod Scripturæ originali quoad res & sententias expressas sit planè conformis in rebus omnibus, quæ ad Fidem & bonos mores pertinent, & quæ non sunt levissimi momenti: ut communiter docent Catholici Doctores. Nam Concil. Trident. ibi statuit, ut vulgata nostra editio & quidem sola ex omnibus versionibus latinis habeat authoritatem veri verbi Dei in publicis lectionibus, prædicationibus & expositionibus, & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat. At sine magna imprudentia & errore pernicioſissimo hæc statui non possunt de editione, quæ originali Scripturæ non esset planè conformis saltem quoad res, quæ ad Fidei dogmata & mores pertinent, vel quæ sunt alicujus momenti.

Igitur vulgata nostra editio vel ubique Scripturæ originali consentit: vel si aliquando dissentit, hæc difformitas non est nisi in rebus leviſſimi momenti, & nullatenus ad Fidem & mores pertinentibus. Et verò talis esse debet editio, quæ sola ab universa Ecclesia Latina totis mille annis ante Conc. Trident. usurpata est, aliis omnibus latinis editionibus, quæ teste S. Hieronymo innumerabiles erant, rejectis, aut neglectis.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Conc. Trident. non potuit declarare vulgatam editionem authenticam: nam nullam sufficientem rationem habuit eam anteponendi aliis editionibus latinis. Ergo vulgata editio non est verè authentica.

Resp. Nego anteced. Nam sufficiens fundamentum id declarandi fuit Ecclesiæ usus per totos mille annos, & approbatio per hunc usum tamdiu declarata. A tempore enim Gregorii Magni huc usque tota Ecclesia Latina solam versionem illam vulgatam adhibuit in lectionibus, expositionibus, & definitionibus suis, ut constat ex Libris ab eo tempore editis, & ex actis Conciliorum. Præterea vulgata nostra editio fuit à Doctore sanctissimo, doctissimo, perspicacissimo, trium linguarum peritissimo, diligentissimo, & fidelissimo, nempe Hieronymo, partim facta & partim emendata: à S. Aug. laudata, & à Doctoribus Judæis, teste Augustino approbata, atque omnium aliarum editionum optima à Doctoribus omnibus Catholicis judicata.

Obj. 2. Vulgata nostra editio plurimos errores continet.

Resp. Nego. Nam nullius hactenus erroris convinci potuit ab hæreticis illam temerè calumniantibus, quos jam pridem confutarunt Doctores Catholici, Bellarminus, Gretserus, & alii. Quodsi quædam errata Librariorum sensim irrepserunt, jussu Concilii Tridentini & Summorum Pontificum cura, maxima ex parte correcta sunt, ita ut pauca supersint & in rebus leviſſimi momenti, ex quibus nullum Fidei, & moribus periculum timendum est. Imò illa pauca errata non consistunt in substantia rerum, sed solùm in ambiguitate, vel obscuritate aliquarum vocum. At nullum unquam fuit in vulgata nostra, qualis ab Hieronymo partim edita partim emendata fuit, erratum interpretis, in eo posi-

poſitum quod ſermonis, quem vertit, ſenſum malè reddat. Conc. Trident. autem approbavit editionem vulgatam præcisè ut eſt in ſe. & qualis prodiit è manibus Interpretis & emendatoris Hieronymi.

Inſt. 1. Non potuerunt tempore Conc. Trident. emendari errata Librariorum.

Reſp. Neg. Nam non fuerunt omnia errata in omnibus exemplaribus, ſed alia in aliis: ita ut potuerint omnia, exemplaribus diligenter inter ſe collatis, & inſpectis tum veterum Patrum ſcriptis, tum fontibus Hebraicis & Græcis, tum etiam antecedentibus & conſequentibus, eruditorum & piorum virorum cura corrigi. Unde ante Bibliorum emendationem ſaltem ſpecies editionis vulgatæ erat pura & integra moraliter loquendo, quamvis ipſa editionis exemplaria aliqua menda habuerint. Nam propter bonum Eccleſiæ Providentia divina impedivit, ne eadem exemplaria eoſdem errores haberent, ut notat Valentia. Præterea etiamſi menda fuiſſent eadem in omnibus exemplaribus, potuerunt adhuc ex antecedentibus & conſequentibus, vel ex veteribus Patrum ſcriptis, vel ex inſpectione ipſorum fontium Hebræorum & Græcorum, vel ex his omnibus ſimul ſumptis emendari.

Porro errata Librariorum *in eo conſiſtunt*, quòd Interpretis autographum vel aliud exemplar purum non accuratè exſcribant, ſed vel aliquas voces mutent, vel omittant, vel tranſponant, ſive ex imperitia, ſive ex negligentia, ſive ex malitia, ſive ex quavis alia cauſa.

Inſt. 2. Conc. Trid. non potuit vulgatam editionem approbare, quin ſimul approbaret errata, quæ extant in omnibus exemplaribus.

Reſp. Neg. Nam Concilium non approbavit omnia exemplaria, qualia tunc erant, ſed tantùm verſionem vulgatam, quæ in ſe non erat vitioſa, nec habebat errata interpretis vel emendatoris. Quamvis autem vitioſa fuiſſet in exemplaribus etiam omnibus, qualia tunc erant, & illa habuiſſent errata Librariorum, tamen potuit approbari ſine approbatione exemplarium vitioſorum. Nam errata illa potuerunt emendari, ut dixi, & ſic potuit haberi verſio pura ac integra ab omni errato interpretis aut emendatoris ſaltem in omnibus rebus alicujus momenti. Quòd autem Conc. Trid. vulgatam noſtram approbet præcisè ut eſt in ſe & ſecundùm ſe, patet ex eo, quòd eam declarando authenticam, ſimul jubeat, *ut quàm emendatiſſimè imprimatur.* Quare non affigit authentiam niſi exemplaribus expurgatis à mendis.

Obj. 3. Vulgata noſtra editio in multis à textu originali Scripturæ diſcrepat. Ergo nullatenus eſt authentica.

Reſp. Nego anteced. Nam 1. vulgata noſtra editio cum fontibus Hebræis & Græcis quales nunc extant, conſentit in omnibus, quæ ad Fidem & mores pertinent: imò & in aliis ferè ubique conſentit quantum ad rerum expreſſarum ſubſtantiam. 2. In iis, quibus noſtra vulgata verſio diſſidet à fontibus Hæbraicis & Græcis, quales nunc extant, vel non diſidet niſi apparenter; vel ſi reipſa diſſentit, aut error eſt Librariorum, non verſoris ſeu interpetis, ideoque error non verſioni, ſed exemplaribus particularibus adſcribendus eſt: aut in illis locis ipſa exemplaria Hebræa & Græca adulterata ſunt; certum eſt enim ea in multis locis eſſe depravata.

Porro *donec contrarium oſtendatur*, ſemper præſumendum eſt pro noſtra vulgata contra fontes Hebræos & Græcos, quales nunc extant, tum quia verſor & emendator vulgatæ habuit meliora & puriora exemplaria Hebræa & Græca, quam ii qui poſt eum vixerunt: tum quia ſæpius vulgatæ noſtræ lectiones, quæ apertè diſſident à fontibus Hebræis & Græcis quales nunc extant, in antiquiſſimis PP. de verbo ferè ad verbum reperiuntur.

Obj. 4. In vulgata noſtra editione ſeu verſione multa ſunt obſcura. Ergo non debuit declarari authentica.

Reſp. Nego conſeq. Equidem in verſione illa quædam ſunt obſcura, ſicut etiam aliqua, imò multa ſunt obſcura in ipſis fontibus Hebræis quales nunc extant; ſed inde tantùm ſequitur, quòd aliqua potuerint clariùs ac meliùs verti, proindeque quòd verſio vulgata poſſit eſſe clarior & perfectior. Nam ut verſio

sio sit, & declaretur authentica, sufficit quòd sit bona, id est quòd ubique Scripturæ originali consentiat quantùm ad sensum, & rerum expressarum sententiam: imò sufficit, quòd Scripturæ originali consentiat in iis omnibus, quæ ad Fidei dogmata & mores pertinent: & in cæteris nullius dissonantiæ, falsitatis, & contradictionis convinci possit, quamvis aliunde non habeat omnem claritatem, omnem elegantiam, omnem vim, quam habet originalis Scriptura.

Obj. 5. Decretum Concil. Trid. iniquum est; nam editionem latinam, quæ mera est versio, ipsis fontibus Hebræis & Græcis anteponit.

Resp. Nego. Nam Concilium Tridentinum nullam mentionem facit fontium Hebræorum vel Græcorum: imò comparationem, quam facit, ad solas alias latinas editiones expresse restringit. Sic enim ait: *Sacrosancta Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, Sacrorum Librorum, quænam pro authentica habenda sit, innotescat, statuit & declarat, &c.* Ex quibus verbis patet, versionem vulgatam aliis solis latinis versionibus anteponi, & solam præ aliis omnibus authenticam declarari. Quare Concil. Trident. fontibus Hebræis & Græcis eandem authoritatem relinquit, quam ante ejus Decretum habebant.

Hinc fontes Hebræi & Græci adhuc utiles sunt ad investigandum sensum verborum ambiguorum, ad verborum aliorum vim & energiam meliùs perspiciendam, ad corrigendos errores librariorum, & ad indagandum quænam ex variis lectionibus variorum exemplarium latinorum sit germana vulgatæ editionis versio. Verùm sicut fontes Hebræi & Græci utiles esse possunt ad emendandos errores, qui librariorum inscitia vel incuria vel malitia irrepserunt in vulgatæ nostræ versionis exemplaria: ita viciſſim vulgata nostra editio multùm prodesse potest ad corrigenda menda, quæ ex librariorum imperitia aut incuria vel malitia irrepserunt in ipsos fontes Hebræos & Græcos.

Inst. Conc. Trident. prohibendo, ne quovis prætextu vulgata nostra rejicia ur, vulgatam nostram fontibus Hebræis & Græcis anteponit. Nam nisi majorem auctoritatem habeat quàm ipsi fontes quales nunc extant, poterit aliquando prætextu aliquo rejici, nempe prætextu quòd nullatenus aut minùs bene assequatur Scripturam qualis est in fontibus.

Resp. Equidem Conc. Trid. vetando, ne quovis prætexu vulgata nostra rejiciatur, vulgatam nostram, ut est in se, anteponit, sed indirectè & consecutivè fontibus quatenus depravati sunt: seu potiùs vulgatam nostram anteponit non ipsis fontibus puris: sed mendis, quæ in fontes irrepserunt. Nihilominùs relinquit fontibus quales nunc extant, eandem auctoritatem, quam ante ejus Decretum habebant. Nam ante Conc. Ttid. jam constabat fontes illos esse corruptos, & vulgatam nostram editionem, utpote Ecclesiæ usu approbatam, non posse in rebus ad Fidem & mores pertinentibus errare, nec proinde in illis rebus rejici posse prætextu quòd minus consentiret fontibus.

Nota. Si lectio aliqua vulgatæ nostræ sit obscura, & fontis lectio clarior, per fontem explicari debet, non rejici. Si utriusque lectionis sensus sit omninò diversus, nec fons sit ibi corruptus, tunc duplex est sensus Literalis à Spiritu Sancto intentus. Si verò utriusque lectiones secum pugnent, nec inter se conciliari possint, tunc fons ibi corruptus est, proinde sola lectio vulgatæ retinenda. Et verò ipsimet hæretici, qui tantopere Hebraico textui tribuunt, nonnunquam *in suis versionibus* ab eo discedunt, & lectionem nostræ vulgatæ amplectuntur.

§. III.

Dico 2. Vulgata nostra editio est authentica etiam in hoc sensu, quòd non solùm in rebus omnibus ad Fidem & mores pertinentibus, & in iis, quæ sunt alicujus momenti, Scripturæ originali consentiat, sed etiam quòd nullius falsitatis, vel contradictionis in ullis aliis rebus vel leviſſimi momenti convinci possit. Ita Cardinalis Pallavicinus, qui docet, vulgatam dici debere immunem ab omni

erra

errato pertinente ad præcipuam rei, quæ ſignificari intenditur, ſententiam.

Prob. Tum quia hoc videtur requiri ad authentiam non limitatam nec reſtrictam, qualem habet vulgata noſtra. Tum quia reipſa nullius falſitatis vel in leviſſima re, aut circumſtantia convinci hactenus potuit.

Dico 3. Probabiliſſimum eſt, vulgatam noſtram editionem Scripturæ originali ubique, & in omnibus rebus conſentire: ita ut ne in una quidem leviſſima re, aut circumſtantia à Scriptura originali quoad ſenſum diſſentiat. Sicque vulgata noſtra verſio habet authentiam intrinſecam perfectiſſimam. Ita multi Doctores, qui volunt illam in hoc ſenſu declaratam fuiſſe à Concilio Trident. authenticam.

Prob. 1. Quia in S. Hierony. qui vulgatæ noſtræ partim auctor partim emendator eſt, ſumma omnia fuerunt ad vitandum omnem omnino errorem vel leviſſimum neceſſaria. Nam & linguarum Hebraicæ, Græcæ, ac Latinæ peritiſſimus, & ingenio præſtantiſſimus, & in ſcientiis tum humanis, tum divinis verſatiſſimus fuit, & exemplaria Hebraica, ac Græca emendatiſſima habuit, & maxima in vertendo, atque emendando tum diligentia, tum fidelitate uſus eſt. Et verò (ſicut omnes Catholici fatentur.) S. Hieronymus vulgatam noſtram editionem Scripturæ originali conformem reddidit in rebus omnibus ad Fidem, & mores pertinentibus, atque in rebus aliis, quæ ſint alicujus momenti: quidni etiam talem reddiderit in rebus omnibus vel leviſſimis? Nam ſi S. Hieronymus dicatur in rebus leviſſimis erâſſe ut homo, hæc ratio æquè valet pro gravioribus, ac pro levioribus rebus: ſi à Spiritu Sancto ſpecialiter adjutus fuiſſe dicatur, ne erraret in gravioribus, quare Deus non ſpecialiter adjuviſſet etiam in omnibus aliis, cùm æque facere potuerit, & Eccleſiæ bono id quoque expediret?

Prob. 2. Quia ad ſpecialem Dei providentiam circa Eccleſiam pertinebat, ut Deus, qui prævidebat Scripturam originalem corruptum iri vel incuria, aut imperitia librariorum, vel malitia aut præjudiciis falſis hæreticorum, & aliorum Eccleſiæ hoſtium, vel injuria temporum, provideret Eccleſiæ Latinæ latinam verſionem Scripturæ ſacræ in omnibus rebus etiam leviſſimis conformem Scripturæ originali, ſaltem quoad res, & ſententias expreſſas: ne ſcilicet verbum olim ab ipſo inſpiratum excideret, ſed integrum conſervaretur in ea Eccleſia, quæ univerſalis Eccleſiæ pars præcipua, & longè major eſt, & quæ apud ſe capitis ſui viſibilis, & Chriſti Vicarii Sedem habet, & Fidem ſemper conſervatura eſt.

Conf. Quia vulgata noſtra verſio nullius erroris vel in leviſſimis rebus hactenus convinci potuit. Nihil enim contra illam objicitur, quod non facilè, & ſufficienter ſolvatur.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Auctor præfationis in Biblia juſſu Clementis VIII. edita ſic ait: *Accipe igitur Chriſtiane Lector, eodem Clemente Summo Pontifice annuente, ex Vaticana Typographia veterem, ac vulgatam Sacræ Scripturæ editionem, quanta potuit fieri diligentia caſtigatam. Quam quidem ſicut omnibus numeris abſolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile eſt; ita cæteris omnibus, quæ ad hanc uſque diem prodierunt, emendatiorem, purioremque eſſe minimè dubitandum... In hac pervulgata lectione, ſicut nonnulla conſultò mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, conſultò immutata relicta ſunt.* Ergo vulgata editio adhuc habet aliqua menda.

Reſp. Diſting. conſeq. Habet aliqua menda librariorum, quæ non repugnant ſenſui originalis Scripturæ, ſed ſolùm conſiſtunt in ambiguitate, aut obſcuritate vocum, vel phraſis, *conc. conſeq.* Habet aliqua menda ſenſui Scripturæ originalis contraria, & à S. Hieronymo admiſſa, *nego conſeq.* In noſtra vulgata editione latina ſuperſunt adhuc quidem aliqua menda librariorum, ſed illa non ſpectant ſubſtantiam rerum, ac ſententiarum expreſſarum, nec repugnant ſenſui ſcripturæ originalis; ſed ſolùm conſiſtunt in obſcuritate, vel ambiguitate vocum, aut phraſis: quare fieri poteſt verſio, quæ majorem claritatem, & ſermonis puritatem habeat.

Obj. 2. Franciſcus Lucas Brugenſis, in ſuo libello de emendatione vulgatæ ad calcem

Bibliorum Plantini edito asserit esse loca ad quatuor millia & amplius, in quibus vulgata nostra emendanda est.

Resp. Pleraque ex illis tot erratis sunt tantum vel contra regulas grammaticæ, vel perspicuitatem & elegantiam sermonis, vel exactam correspondentiam constructionis verborum interpretationis cum constructione verborum Scripturæ originalis : pauca verò loca ad sensum, seu res ac sententias expressas pertinent : in quibus locis nisi demonstretur revera vulgatam nostram à librariis, vel exscriptoribus depravatam fuisse, retinenda est lectio vulgatæ nostræ, qualis nunc extat, non obstantibus Lucæ Brugensis annotationibus & suspicionibus, quæ fallaces esse possunt, & reipsa falsæ sunt, si sint de vocibus ad sensum Scripturæ originalis spectantibus.

Obj. 3. S. Hieronym. in vertendis, vel emendandis Scripturis Sacris non fuit infallibilis. Ergo erravit saltem in rebus levioribus.

Resp. Nego conseq. Nam sicut ex eo, quod non fuerit infallibilis, non sequitur, eum erasse in rebus gravioris momenti, ita etiam inde non sequitur, erasse in levioribus. Igitur quamvis S. Hieron. non fuerit infallibilis, tamen nullum in opere suo reliquit errorem contra verum sensum Scripturæ originalis. Nam præter dotes naturales eximias, habuit speciale auxilium ad non errandum, ut sentit Ecclesia, quæ in oratione ejus Officii sic habet : *Deus, qui Ecclesiæ tuæ in exponendis Sacris Scripturis B. Hieronymum Confessorem tuum Doctorem maximum providere dignatus es.* Unde Correctores Romani in præfatione ad Biblia, jussu Clementis VIII. impressa, hæc ajunt : *Non immerito Catholica Ecclesia S. Hieronymum Doctorem maximum, atque ad Scripturas Sacras interpretandas divinitus excitatum, ita celebrat, ut jam difficile non sit illorum omnium damnare judicium, qui vel tam eximii Doctoris lucubrationibus non acquiescunt, vel etiam meliora, aut certè paria præstare se posse confidunt.*

Inst. 1. Gratis dicitur S. Hieronymus speciali auxilio adjutus fuisse in interpretandis Scripturis Sacris.

Resp. Nego. Nam cùm Deus singulari erga Ecclesiam suam providentia voluerit ei sanam, ac integram Scripturarum à se inspiratarum interpretationem procurare, quæ una ei sufficere possit pro sacris Codicibus, quorum depravationem permissurus erat, & ad hanc interpretationem usus sit S. Hieronymo, is rectè creditur ad hoc divinum consilium perficiendum fuisse speciali auxilio adjutus, ne erraret. Quod etiam unanimis Ecclesiæ in ea versione recipienda, solemnique decreto approbanda consensus satis ostendit.

Inst. 2. S. Hieronymus cum illo speciali auxilio poterat adhuc errare. Ergo hoc non probat, eum revera non erasse.

Resp. Disting. antec. Poterat errare potentia reducibili tantùm, *conc. antec.* Potentia reducenda ad actum, *nego antec.* Sic qui gratiam efficacem accipit ad non peccandum, habet speciale auxilium, quo cum non est impeccabilis, sed potest adhuc peccare, potentia scilicet reducibili tantùm, non reducenda ad actum, *nam infallibiliter non peccat.*

Porro S. Hieronymi versio, ac emendatio omni errore non caruit, nisi postquam extremam ei manum imposuit, unde speciale auxilium tam copiosum & efficax non accepit, ut statim omnia bene verteret, sed ei opus fuit diligentia, ac labore, & debuit opus absolutum recognoscere, & aliqua emendare.

Inst. 3. Sanctus Augustinus, Epist. 10. ad S. Hieronymum non agnoscit eum specialiter à Deo adjutum fuisse ad Scripturam ex Hebræo in Latinum convertendam, imò aliquem errorem in translatione Libri Job agnoscit. Ergo S. Hieronymus non habuit hoc speciale auxilium.

Resp. Nego conseq. Quia S. Augustinus facilè potuit ignorare, S. Hieronymum fuisse specialiter à Deo excitatum & adjutum in interpretandis, & emendandis Scripturis sacris. Nam non viderat omnium Ecclesiarum particularium consensionem in illa interpretatione recipienda, nec auctoritatem, quam illa interpretatio ex usu totius Ecclesiæ Latinæ à mille annis obtinet, nec decretum Concilii Generalis illam versionem præ omnibus

aliis

aliis Latinis editionibus authenticam declarantis. Quæ si vidisset, nobis facilè consentiret.

Præterea, S. Augustinus longè aliter sensit de interpretatione Hieronymiana, in l. 18. de civit. c. 43. ubi ait: *Quamvis non defuerit temporibus nostris Presbyter Hieronymus, homo doctissimus, & omnium trium linguarum peritus, qui non ex Græco, sed ex Hebræo in Latinum eloquium easdem Scripturas converterit. Sed ejus tam literatum laborem, quamvis Judæi fateantur esse veracem, septuaginta verò interpretes in multis erravisse contendant, &c.* Addit autem interpretationi septuaginta Seniorum non esse anteponendam Hieronymianam ex Hebræo interpretationem, non quia negat hanc esse veracem, sed quia putat 70. Interpretes ex divina inspiratione interpretatos esse, & addidisse, vel mutasse, quæ addiderunt, vel mutarunt.

Inst. 4. Ipse Hieronymus judicavit aliqua loca suæ versionis esse mendosa, quæ adhuc supersunt in vulgata.

Resp. Ecclesia aliter judicavit, & ex ejus correctionibus aliquas admisit, aliquas non admisit, quia non necessarias esse judicavit.

Obj. 4. Ex nostra sententia sequitur, nullum esse discrimen inter auctores, qui Libros sacros scripserunt, & S. Hieronymum. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego maj. Nam Scriptores sacri scripserunt, Spiritu Sancto dictante omnia, quæ erant scribenda, & sic infallibiles erant in scribendo; nam sicut Spiritus sanctus errare non potest dictando, ita nec auctores sacri dictata excipiendo, & scribendo. At sanctus Hieronymus Libros sacros in Latinum convertit, & emendavit, Spiritu Sancto non dictante translationem, aut emendationem, sed solùm specialiter adjuvante ne malè interpretaretur, & emendaret. Unde Hieronymus in sua versione, & emendatione errare potuit, quamvis re ipsa non erraverit.

Obj. 5. S. Hieronymus re ipsa erravit in vertendis aliquibus nominibus aliquarum rerum, ut animalium, arborum, plantarum, gemmarum. Nam 1. Eandem vocem Hebraicam in diversis locis variè vertit: sic quam in uno loco cete, in alio vertit dracones, in alio sirenes. 2. Eandem vocem aliter vertit atque Septuaginta. Sic hanc vocem *Kikaion*, Jon. c. 4. quam Septuaginta verterunt *cucurbitam*, ipse vertit *hederam*. 3. Hanc vocem *Mikkedem*, Genes. c. 2. quam Interpretes verterunt *ab Oriente*, Hieronymus vertit *à principio*. 4. Eandem vocem Hebraicam cum aliis vocalibus legit quàm Septuaginta. Sic, Genes. c. 47. v. ult. legit. *mitta*, quod lectum significat, & Septuaginta legunt *matte*, quod virgam significat.

Resp. ad 1. Eandem vocem in diversis locis variè quoque verterunt Septuaginta, retento semper sensu à Spiritu Sancto intento. Nam (ut docet Bonfrerius) apùd Hebræos animantium, arborum, plantarum, & gemmarum nomina ut plurimum generica sunt, & multas sub se species continentia, aut etiam æquivoca: pauca verò ejusmodi nomina habent, quæ ad unam speciem determinata sint. Sic hæc vox *tannin*, de qua hìc agitur, & quam variè verterunt Septuaginta, & post eos Hieronymus, instituta fuit, non ad significandam aliquam speciem animantis tantùm, sed ad significandum, quidquid in omni genere monstruosum, & mirum est, præsertim magnitudine. Unde in Scriptura modo significat belluam terrestrem deserta loca incolentem, modo belluam marinam, modo struthionem: quod dignoscitur ex adjunctis, vel materia subjecta. Item hæc vox *ela*, seu *elon* secundùm se præcisè, & in genere significat arborem glandiferam, vel quid glandibus aliquo modo simile proferentem. Unde S. Hieronymus cum Septuaginta illam modo quercum, modo terebinthum vertit, & tunc ponitur species pro genere.

Resp. ad 2. *Diversitas non est in sensu à* Spiritu Sancto intento: quia quando eandem vocem Septuaginta verterunt per vocem Græcam significantem unam plantæ, vel animalis speciem, Hieronymus verò vertit per vocem Latinam significantem aliam speciem, non debet hæc vox versa sumi in significatione omnino determinata & stricta, sed sumitur pro re affini, seu simili, vel communem ali-

quam proprietatem habente: eò quòd arbor, vel animal ſignificatum per vocem Hebræam non habeat nomen Græcum, vel Latinum proprium. Sic hanc vocem *ſchittа*, vel *ſchittim*, quæ ſignificat arborem, quæ tantùm in Arabiæ ſolitudine naſcitur, nec proinde nomen proprium in lingua Græca, & Latina habebat, Septuaginta verterunt *ξυxum*, & *lentiſcum*, quia arbor illa buxi incorruptionem & lentiſci lenitatem imitatur, vel quandam aliam proprietatem cum illis communem habet: Hieronymus verò vertit *ſpinam*, quia arbor illa ſpinæ albæ colore, & foliis ſimilis eſt. Item vocem *kikaim*, cujus ſignificatum neque hedera, neque cucurbita eſt, ſed arbuſcula quædam, quæ tantùm in Syria & Palæſtina creſcit, ſiéque Græco, & Latino proprio nomine caret, Hieronymus vertit *hederam*, Septuaginta verò verterunt *cucurbitam*, eò quòd arbuſcula illa proprietatem aliquam hederæ, & cucurbitæ communem habeat; & cùm verterunt, nihil aliud ſignificare voluerunt, quam plantam aliquam hederæ, vel cucurbitæ ſimilem, ſeu affinem.

Reſp. ad 3. Vox *mikkedem* utramque in Hebræo ſignificationem habet, & utraque à Spiritu Sancto intenta fuit; unde neutra verſio repugnat ſenſui Scripturæ originalis. Nam (ut notat Bonfrerius) in Hebraica lingua una & eadem vox varias habet ſignificationes: & ideo illa lingua à Spiritu Sancto electa fuit, ut una eademque voce ſignificare plura poſſet. Unde fit, ut una verſione exhauriri ne queat vocis Hebrææ ſignificatio à Spiritu Sancto intenta, & ejuſdem vocis Hebrææ verſiones diverſæ, ſint bonæ, ac Scripturæ originali conformes. In hac autem unius & ejuſdem vocis ſignificationum à Spiritu Sancto intentarum varietate conſiſtit magna ex parte profunditas Scripturæ ſacræ, quæ à nemine facilè exhauriri poteſt.

Reſp. ad 4. Hæc eſt linguæ Hebraicæ proprietas, & ad ejus fœcunditatem pertinet, ut una dictio cum diverſis vocalibus diversè legi poſſit, & diversè lecta diverſas habeat ſignificationes, quæ æquè intenduntur à Spiritu Sancto, ut notant Doctores.

CAPUT II.

De Traditione.

ARTICULUS I.

Utrum exiſtant Traditiones divinæ, & quam auctoritatem habeant?

§. I.

Prænotanda.

I. TRaditio ſumi poteſt latè, vel ſtrictè. Traditio latè ſumpta, eſt omnis doctrina ab uno alteri communicata, ſive ſcripto, ſive voce, ut patet ex illo Apoſtoli, 2. Theſſ. c. 2. *Tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram.*

Traditio ſtrictè ſumpta, & de qua agitur, eſt doctrina ad Religionem pertinens ſola voce tradita ab ejus auctore, ſive poſtea ſcripto ab alio mandata fuerit, ſive non. Per auctorem hìc intelligitur is, cui Deus primùm hanc doctrinam revelavit, vel qui primus ſua auctoritate aliquid ſtatuit.

II. Traditiones dividuntur in divinas, & humanas. Traditiones divinæ ſunt eæ, quarum Deus eſt auctor: humanæ, quarum homines ſunt auctores. Traditiones divinæ ratione diverſorum ſtatuum dividuntur in Traditiones legis Naturæ, legis Moſaicæ, & legis Evangelicæ. Traditiones legis Naturæ ſunt illæ, quas homines ante legem Moſaicam, à Deo acceperunt per Adamum, Noe, Abrahamum, aliosque Patriarchas. Traditiones legis Moſaicæ ſunt illæ, quas Iſraelitæ à Deo per Moyſem, aliosve Prophetas acceperunt, nec inveniuntur in veteri Teſtamento ſcriptæ. Traditiones legis Evangelicæ ſunt illæ, quas Chriſti Eccleſia à Deo per Apoſtolos accepit, nec inveniuntur ſcriptæ in novo Teſtamento: ex his Traditionibus alias ex ipſo ore Chriſti exceperunt Apoſtoli, qualia ſunt omnia, quæ ſpectant ad regimen Eccleſiæ, & ad materiam, & formam Sacramentorum, nec in Libro aliquo Canonico ſcripta ſunt: alias verò Apoſtoli per revelationem Spiritus Sancti acceperunt, & primis Fidelibus ſolùm viva voce tradiderunt; Traditiones autem illæ divinæ dicuntur etiam Apoſtolicæ, quia eas per Apoſtolos accepit Chriſti Eccleſia.

III. Tra-

III. Traditiones Apoſtolicæ duplicis ſunt generis, nempe divinæ, & humanæ. Traditiones Apoſtolicæ divinæ ſunt eæ, quas Eccleſia à Deo per Apoſtolos accepit, & quæ ſunt immediatè à Deo ut auctore. Traditiones Apoſtolicæ humanæ ſunt ea omnia, quæ Apoſtoli immediatè propria auctoritate licèt à Deo accepta, & Spiritu Sancto dirigente conſtituerunt ſervanda: cujusmodi ſunt mixtio aquæ cum vino in Calice, jejunium quadrageſimale, obſervatio magnorum quorumdam Feſtorum, ut Paſchatis, Pentecoſtes, &c.

Ex his autem Traditionibus Apoſtolicis humanis aliæ ſunt perpetuæ, quæ nempe ab Apoſtolis inſtitutæ ſunt, ut ſemper, & uſque ad finem mundi ſervarentur, qualia ſunt modò dicta. Aliæ temporales, quæ nempe ab Apoſtolis ad certum duntaxat tempus inſtitutæ ſunt: ut abſtinentia à ſuffocato, & ſanguine, ſervanda uſque ad plenam Evangelii promulgationem; quod tamen non eſt ſtrictè Traditio niſi quoad durationem, nam hoc quoad ſubſtantiam ſcriptum eſt in Actis Apoſtolorum. Aliæ ſunt univerſales, quæ nempe pro univerſa Eccleſia inſtitutæ ſunt: ut jejunium quadrageſimale, &c. Et aliæ particulares, quæ nempe inſtitutæ ſunt pro una tantùm Eccleſia, vel aliquibus Eccleſiis particularibus: quale fuit etiam tempore S. Auguſtini jejunium Sabbati à Petro Apoſtolo pro Eccleſia Romana particulari ſtatutum, quod etiam ab aliquibus Eccleſiis particularibus ſervabatur. Item aliæ ſunt neceſſariæ, ſeu obligatoriæ, quæ nempe inſtitutæ ſunt per modum præcepti, & cum obligatione eas ſervandi, ut jejunium quadrageſimale, mixtio aquæ in Calice, &c. Et aliæ liberæ, quæ nempe inſtitutæ ſunt per modum conſilii, ut aſperſio aquæ benedictæ reſpectu ſingulorum Fidelium, &c.

IV. Traditiones Eccleſiaſticæ, quæ ſcilicet ſunt ab Eccleſia directa à Spiritu Sancto: diviuntur in ſpeculativas, & practicas. Speculativæ ſunt eæ, quæ veritatem aliquam ſpectant: & nihil aliud ſunt, quàm veritatum ſpeculativarum olim à Deo revelatarum applicationes, vel extenſiones ad quædam particularia ſub illis verè contenta, factæ ab Eccleſia directa à Spiritu Sancto: ut quòd Concilium Nicænum fuerit œcumenicum: quòd Leo Magnus fuerit legitimum Eccleſiæ caput, & verus Chriſti Vicarius, &c.

Traditiones verò Eccleſiaſticæ practicæ ſunt illæ, quæ continent veritatem aliquam practicam Fidelibus traditam ab Eccleſia: & nihil aliud ſunt, quàm veritatum practicarum in Scriptura ſacra, vel Traditionibus Apoſtolicis contentarum applicationes, vel extenſiones factæ ab Eccleſia: ut quòd celebrandum ſit Feſtum S. Laurentii Martyris, &c. Item ſunt quælibet antiquæ conſuetudines Eccleſiaſticæ.

Porro Traditiones ab Apoſtolis propria auctoritate inſtitutæ vocantur interdum Traditiones Eccleſiaſticæ, quia auctoritate Eccleſiaſtica, ſeu ſpirituali fuerunt inſtitutæ.

V. Lutherani, & Calviniſtæ, Arianos, Macedonium, Eutychianos, Pelagianos, & Donatiſtas ſecuti, rejiciunt omnes Traditiones divinas, quæ parem cum Scriptura auctoritatem habeant; & in controverſiis dirimendis ad ſolam Scripturam provocant, qua impunè abuti ſe poſſe confidunt.

§. II.

Dico. In lege Evangelica præter Scripturas divinas exiſtunt divinæ Traditiones: quæ æqualem Scripturæ auctoritatem habent. Eſt de Fide contra Lutherum & Calvinum.

Prob. prima pars, nempe quòd exiſtant Traditiones divinæ. 1. ex Scriptura. 2. Theſſ. c. 2. *Itaque Fratres ſtate, & tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Ubi clarè Apoſtolus diſtinguit duplicem doctrinam à Deo revelatam, unam communicatam ſine ſcripto, ſed ſolùm viva voce, & alteram ſcriptam; & Fideles hortatur, ut utramque firmiter teneant.

2. Ex Concilio Trident. ſeſſ. 14. in Decreto de Canonicis Scripturis.

3. Ex Patribus apud Bellarminum, & alios. Hìc ſufficiant S. Irenæus, l. 3. c. 3. *Hac ordinatione, & ſucceſſione* (Pontificum) *ea quæ*

eſt ab Apoſtolis Traditio, & veritatis præconiatio pervenit uſque ad nos. Et c. 4. *Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem Scripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi Traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes barbarorum eorum, qui in Chriſtum credunt, ſine charta, & attramento ſcriptam habentes per Spiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem Traditionem diligenter cuſtodientes .... Hanc fidem qui ſine literis crediderunt, quantùm ad ſermonem noſtrum barbari ſunt, quantùm autem ad ſententiam, & conſuetudinem, & converſationem, propter Fidem, perquam ſapientiſſimi ſunt, & placent Deo, converſantes in omni juſtitia, & caſtitate, & ſapientia.* Rurſus S. Baſilius de Spiritu Sancto, c. 27. *Dogmata, quæ in Eccleſia ſervantur, ac prædicantur, partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum Traditione ad nos delata recipimus: quæ utraque eandem ad pietatem vim habent. Et nemo his contradicit, qui vel mediocrem ſaltem Eccleſiaſticorum jurium experientiam habet.* S. Epiphanius hæreſi 61. *Traditione quoque opus eſt; neque enim ex Scriptura peti poſſunt omnia; idcirco alia ſcripto, Traditione alia ſanctiſſimi Apoſtoli reliquerunt.* S. Chryſoſtomus, hom. 4. in Ep. 2. ad Theſſal. *Patet, quòd non omnia per Epiſtolam tradiderunt* (Apoſtoli) *ſed multa etiam ſine ſcriptis: & ea quoque ſunt fide digna: eſt Traditio: nihil quæras ampliùs.* S. Auguſt. l. 5. de Baptiſmo, c. 23. *Conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab eorum* (Apoſtolorum) *Traditione exordium ſumpſiſſe, credenda eſt: ſicut ſunt multa, quæ univerſa tenet Eccleſia, & ob hoc ab Apoſtolis præcepta bene creduntur, quamquam ſcripta non reperiantur.*

4. Quia Traditiones divinæ ſunt revelationes divinæ non ſcriptæ ab ullo auctore Canonico, ſeu à Deo inſpirato, ſed ſolùm Eccleſiæ ab Apoſtolis viva voce traditæ. Atqui multæ extant ejusmodi revelationes: nam multa ſunt de fide, ideoque à Deo revelata, quæ tamen in ſacris Scripturis non reperiuntur: ut quod Baptiſmus infantium ſit validus & efficax: quòd Baptiſmus ab hæreticis in materia, & forma debitis collatus valeat: quòd Maria Dei Mater poſt partum Virgo perpetuò permanſerit: quòd ſint quatuor Evangelia, nec plura, nec pauciora, quæ verum Dei verbum contineant: quòd tales Epiſtolæ Pauli ſint verum Dei verbum, &c. quæ omnia credunt Lutherani, & Calviniſtæ.

Item quòd omnes Libri Canone noſtro comprehenſi cum omnibus ſuis partibus, & verſiculis ſint divini: quòd ſanè nobis non innoteſcit, niſi per Traditionem Apoſtolicam, nam nulla Scriptura dicit, omnes illos Libros cum omnibus ſuis partibus eſſe divinos: nec dicit, ſingulos pro ſe ſufficere, ut credi poſſint eſſe divini. Nam multi, ſaltem Hiſtorici, & multi ſingulorum Librorum verſiculi nil habent, ſecluſa Traditione, per quod certò conſtet, eos Deo inſpirante ſcriptos eſſe.

Item evidenter neceſſaria eſt Traditio divina ad credendum hos in particulari Libros, qui in manibus ſunt, & leguntur in Eccleſia, re ipſa eſſe Libros illos divinos, quos Auctores ſacri Deo inſpirante ſcripſerunt. Nam nulla Scriptura id nobis poteſt certò certificare, ſed ſola Traditio divina his Libris in particulari per infallibilem Eccleſiæ auctoritatem applicata.

Prob. Secunda pars aſſertionis: nempe quòd Traditiones divinæ æqualem Scripturæ ſacræ auctoritatem habeant, 1. Ex textu Apoſtoli citato, ubi Theſſalonicenſes adhortatur, ut ſtent firmi in Fide, ideoque conſtanter & æqualiter adhæreant verbo Dei, quod acceperunt, ſive ſcripto, ſive non ſcripto.

2. Ex SS. Baſilio & Chryſoſtomo modò laudatis.

3. Ex Concilio Trident. ſeſſ. 4. in Decreto de Canonicis Scripturis, ubi ait: *Perſpiciens* (Synodus) *hanc veritatem, & diſciplinam contineri in Libris ſcriptis, & ſine ſcripto Traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu Sancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla ſecuta, omnes Libros tam veteris, quàm novi Teſtamenti, cùm utriusque unus Deus ſit auctor, nec non Traditiones ipſas tum ad Fidem,*

Fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu Sancto dictatas, & continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu, ac reverentia suscipit, & veneratur. Et inferiùs: *Si quis Traditiones prædictas sciens, & prudens contempserit, anathema sit.*

4. Ratione. Quia Traditiones divinæ tam sunt verbum Dei, seu revelatio divina, quàm sacra Scriptura, ut ex ejus notione liquet. Atqui verbum Dei non scriptum ab Auctore sacro tantam habet auctoritatem, & infallibilitatem, quantam verbum Dei scriptum: nam verbum Dei, hoc ipso quòd est verbum Dei, summam habet auctoritatem, & infallibilitatem. Ergo Traditiones divinæ tantam habent auctoritatem, quantam Scripturæ sacræ, ideoque æqualem.

Ex dictis collige, admitti debere Traditionem divinam tum ad dignoscendos Libros Canonicos à non Canonicis, tum ad verum Scripturæ sensum in locis saltem obscuris intelligendum, tum denique ad aliquas veritates credendas præter eas, quæ in Scriptura continentur.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Illud, Deut. c. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.*

Resp. Ibi solùm prohibetur falsa, ac prava præceptorum explicatio, & præscribitur integra eorum observatio, qualia imponuntur, nil addendo, vel minuendo, ut patet ex altera parte versiculi: *Custodite mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis.* Præterea ibi Moyses loquitur de ipsa Traditione: nam non dicit, quod vobis scribo, sed, *quod vobis loquor*, id est, viva voce trado.

Obj. 2. Illud, Matth. c. 15. *Irritum fecistis mandatum Dei propter Traditionem vestram.*

Resp. Ibi Christus damnat tantùm Traditiones merè humanas, quarum aliæ erant malæ, aliæ verò inutiles; ut patet ex his verbis, quæ paulò post addit: *Sine causa colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum*: Et ex eodem capite, ubi hæ Pharisaicæ Traditiones exponuntur: scilicet, quòd liberi non tenerentur Parentibus in necessitate opitulari, modò aliqua munera Deo offerrent: & quòd manus ante cibi sumptionem lavandæ essent. At Christus non damnat Traditiones divinas, quæ erant in lege Mosaica.

Obj. 3. Illud, Gal. c. 1. *Licet nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus, anathema sit.*

Resp. Hìc Apostolus anathematizat quemcunque, qui aliquid contrarium doctrinæ à se Galatis prædicatæ docuerit: nam vox *præter* ibi significat *contra*. At Traditio divina, cùm sit verum Dei verbum, nunquam potest esse contraria doctrinæ Apostolicæ, imò in ea continetur.

Obj. 4. Illud, 2. Tim. c. 3. *Omnis Scriptura divinitùs inspirata utilis est ad docendum, ad erudiendum in justitia, &c.* Ergo Scriptura sufficit, nec proinde extant Traditiones divinæ.

Resp. Nego conseq. Nam ex eo, quòd aliquid sit utile, non sequitur, quòd sufficiat: sic potus utilis est ad nutritionem, non tamen sufficit. Nam sine Traditione divina non innotescunt multa Fidei dogmata, & quinam sint veræ Scripturæ Libri, vel versiculi, nec quinam sit germanus eorum omnium sensus. Nihilominùs Scriptura bene intellecta sufficienter erudit, & perficit hominem Dei ad omnem virtutem, quia multa in se continet, & alia, quæ non continet, ostendit, unde petenda sint; nempe Traditiones ût verbum Dei commendando.

Inst. Si Scriptura sufficienter nos erudit, ergo inutilis est Traditio divina.

Resp. Nego sequel. Tum quia Scriptura nos non erudit, nisi cerò cognita ût verum Dei verbum, & bene intellecta; at certò non cognoscitur esse verum Dei verbum, nisi per Traditionem, nec ejus sensus saltem in multis intelligitur, nisi per eandem Traditionem. Tum quia Scriptura nos non erudit sufficienter, nisi quia commendat Traditiones divinas, quas firmissimè teneamus ût veras Dei revelationes.

Obj. 5. Illud, Apoc. cap. 22. *Si quis appo-*

posuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in Libro isto.

Resp. Sensus est: Si quis apposuerit aliquid ad Prophetias in illo Libro Apocalypsis contentas tanquam earum partem, cùm tamen non sit earum pars, punietur à Deo. Unde ibi solùm prohibetur depravatio Prophetiarum in Apocalypsi contentarum per additionem falsæ Prophetiæ tanquam Joanni Apostolo revelatæ.

Obj. 6. S. Irenæus, lib. 3. cap. 1. ait: *Non enim per alios dispositionem salutis nostræ cognovimus, quàm per eos, per quos Evangelium pervenit ad nos: quod quidem tunc præconiaverunt, postea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam Fidei nostræ futurum.*

Resp. Ibi solùm dicit, Apostolos Evangelium populis primùm prædicasse, deinde scripto tradidisse; & Evangelium scriptum esse fundamentum, & columnam Fidei nostræ. Quæ omnia non excludunt Traditiones divinas, quas ipse multis locis commendat. Sic cùm Apostolus dicit, Ecclesiam esse columnam, & fundamentum veritatis, non excludit Scripturas, nec inde sequitur, illas non esse etiam columnam, & fundamentum veritatis.

Porro Irenæus non dicit, Apostolos scripsisse omnia omninò, quæ cuilibet homini prædicaverant.

Obj. 7. Cyprianum, Epist. ad Pompejum.

Resp. Ibi solùm rejicit unam Traditionem Apostolicam de valore Baptismi ab hæreticis collati, & de non rebaptizandis hæreticis, qui ad Ecclesiam redeunt. Sed in hoc erravit; nec hanc veram Traditionem rejiciebat, quòd nullas Traditiones divinas agnosceret, sed quia hanc fictitiam esse putabat. Unde non mirum, si pro more malam causam malè defendentium ipse ad solam Scripturam, quàm in alienum sensum detorquet, provocat.

Obj. 8. S. Hieronym. in Ps. 86. *Videte, quid dicat*, qui fuerunt, *non*, qui sunt, *ut exceptis Apostolis, quidquid postea aliud dicitur, abscindatur, & non habeat auctoritatem.* Et, in c. 1. Aggæi: *Quæ absque auctoritate, & testimoniis Scripturarum, quasi Traditione Apostolica sponte reperiunt, atque confingunt, percutit gladius Dei.*

Resp. S. Doctor in primo loco rejicit solùm falsas Scripturas & Apostolis suppositas: in secundo autem dicit, à Deo puniendos, qui Traditiones confictas tanquam Apostolicas prædicant.

Obj. 9. S. Augustinus, l. 2. de Doctrina Christiana, c. 9. ait: *In his, quæ apertè posita sunt in Scriptura, inveniuntur illa omnia, quæ continent Fidem, moresque vivendi.*

Resp. Hìc loquitur tantùm de iis, quorum Fides explicita necessaria est necessitate medii ad salutem, cujusmodi sunt ea, quæ in Apostolorum Symbolo continentur, & de principiis, ac præceptis generalibus morum. Sed multa alia sunt, quorum explicita Fides non est omnibus sic necessaria, quæ Apostoli viva voce Prælatis Ecclesiæ tradiderunt: putà de Sacramentorum natura, & effectu: de ratione gubernandæ Ecclesiæ: de vero sensu Scripturarum: de ipsis veris Scripturis divinis.

Porro ad bonum Ecclesiæ expediebat, ut Apostoli ista & similia, & verum sensum Scripturarum solis Prælatis viva voce commendarent, nec scripto mandarent: nimirum ut essent in Ecclesia, qui instruerent, & instruerentur, atque ita arctior esset membrorum Ecclesiæ inter se colligatio: ut Fideles cogerentur de Scripturarum sensu, & aliis rebus ad Fidem pertinentibus Prælatos Ecclesiæ consulere, ac audire, ficque Ecclesiæ Prælatorum auctoritas magis commendaretur, atque Fideles obedientiam, ac humilitatem exercerent. Præterea etiamsi omnia credenda, & facienda clarè continerentur in Scripturis sacris, adhuc opus esset Traditione ad dignoscendas veras Scripturas divinas à non divinis, seu inspiratis à Deo.

Obj. 10. Aliqui Patres non semel provocant ad Scripturam sacram, ejusque solo testimonio standum esse volunt.

Resp. Loquuntur de aliquo casu particulari, in quo Scriptura clara est, & evidenter repugnat erroribus adversariorum, qui tunc Traditiones divinas pro se citare non possunt, quippe quæ Scripturis divinis contrariæ non sunt; ut Tertull. l. adv. Hermog. c. 22. Vel agi-

agitur de aliquo casu, in quo hinc inde Traditiones, seu consuetudines particularium Ecclesiarum contrariæ afferuntur, ut in Epistola Basilii ad Eustachium.

Obj. 11. Atqui Patres docent, Scripturas sacras sufficere. Ergo inutiles sunt Traditiones, proindeque non extant.

Resp. Nemo Patrum dicit, Scripturas sacras sufficere toti Ecclesiæ, & quoad omnia, cæteris exclusis. Sed aliqui dicunt tantùm Scripturam sufficere ad confirmanda quædam dogmata, de quibus disputant: vel ad institutionem veritatis, de qua agunt: vel sufficere quoad præcepta generalia, aut remedia vitiorum generalia, aut virtutum incitamenta: & illi Patres in his locis loquuntur de Scriptura intellecta secundùm expositionem Patrum, & sensum Ecclesiæ, sicque supponunt Traditionem veri sensus Scripturæ. Scripturæ sacræ dici etiam possunt sufficere in hoc sensu, quòd verbum Dei scriptum contineant, & non scriptum commendent: sicque omnes veritates revelatas contineant partim explicitè & speciatim, partim implicitè, & generatim, quatenus nempe Traditiones divinas ut verum Dei verbum commendant.

Nota. Patres rejiciunt tantùm Traditiones falsò suppositas ut divinas, seu Apostolicas, vel excogitatas à privatis hominibus, vel Fidei, aut bonis moribus contrarias. Cæterùm cætera loca, quæ ex Patribus objiciunt hæretici, vel ad rem nihil pertinent, vel depravata sunt. Vide Bellarminum.

Obj. 12. Scriptura est regula Fidei. Ergo non extant Traditiones.

Resp. Nego conseq. Quia Scriptura est regula Fidei, non totalis; sed partialis tantùm, etiam ut regula inanimata, & ut verbum Dei. Nam totalis regula Fidei inanimata est verbum Dei, quod duplex est, nempe scriptum, & non scriptum. Verbum Dei scriptum in Libris sacris: non scriptum in Traditionibus Apostolicis continetur. Unde regula totalis inanimata, & in ratione verbi Dei sunt tum Scripturæ sacræ, tum Traditiones divinæ.

Porro Fidei regula totalis, & completa simpliciter est verbum Dei certò, & infallibiliter cognitum, ac intellectum per Ecclesiam: per Ecclesiam verò ab omnibus Catholicis intelligitur sive Ecclesia dispersa, seu Episcopi in sua sede docentes, sive Ecclesia in Concilio generali congregata.

Obj. 13. Admittendo Traditiones aperitur via introducendi in Ecclesia falsa dogmata sub nomine Traditionis.

Resp. Neg. Nam extat in Ecclesia regula certissima discernendi veras Traditiones sicut & Scripturas à falsis, nempe infallibile judicium Ecclesiæ, quæ semper à Spiritu Sancto specialiter dirigitur, & adjuvatur, ne in hac re, sicut & in alia qualibet ad Fidem, & mores pertinente erret.

Obj. 14. Etiamsi aliquæ fuerint Traditiones divinæ, tamen eæ non potuerunt huc usque puræ, ac integræ conservari.

Resp. Neg. Nam Deus veras Traditiones suas in Ecclesia hactenus conservavit, & usque ad finem mundi conservabit: sicut Scripturas veras à se inspiratas in Ecclesia, & ipsam Ecclesiam, non obstantibus quibuslibet impedimentis, hactenus conservavit, & usque ad finem mundi conservaturus est. Promisit enim se fore cum primis Pastoribus Ecclesiæ omnibus diebus usque ad consumationem sæculi, eos docendo omnem vetitatem, & impediendo, ne in ulla re ad Fidem & mores pertinente errent. Et verò in lege naturæ per plura sæcula Fides in Patriarchis, & eorum familia conservata fuit sola Traditione oris. Cur ergo non potuerit in lege nova sic aliqua doctrinæ Fidei portio ad nos usque propagari? Maximè cùm in Ecclesia viguerit continuata Pastorum successio, qua mediante Traditionis doctrina potuit facilè ad nos usque transmitti.

Porro Bellarminus, l. 4. de verbo Dei, c. 12. hæc quatuor recenset media, quæ divina Providentia adhibuit ad conservandas Traditiones Apostolicas. *Primum* sunt scripta Patrum, & Doctorum Ecclesiæ, in quibus continentur Traditiones Apostolicæ. *Secundum* est usus continuus; pleræque enim Traditiones Apostolicæ sunt in continua observatione: ut celebratio Missæ, ritus Sacramentorum, dies Festi, jejuniorum tempora, &c. *Tertium* sunt monumenta quædam, quæ ad longissimum tempus durant: ut templa, al-

taria, ſacri fontes, memoriæ Sanctorum, cruces, imagines, libri Eccleſiaſtici, & ſimilia. *Quartum* ſunt hæreſes, quibus mirabiliter uſus eſt Deus ad conſervandam Eccleſiæ doctrinam. Nam quia ſingulis ætatibus orti ſunt novi hæretici, qui diverſa dogmata Eccleſiæ oppugnarunt; ſingulis ætatibus extiterunt viri docti, qui, ut hæreticos refellerent, doctrinam Eccleſiæ diligenter inveſtigarunt, ſcriptis defenderunt, & poſteritati commendarunt. Præterea Eccleſia in damnandis hæreſibus ſemper confugit ad Traditiones Apoſtolicas, in quibus ſemper inveſtigavit verum ſenſum Scripturæ, quæ ſæpè obſcura eſt.

His adde tum acta Conciliorum ſingulis ætatibus celebratorum, tum perpetuam, ac continuam prædicationem, & explanationem oralem Symboli Apoſtolorum, mandatorum Dei, & Sacramentorum factam à Paſtoribus, & Concionatoribus: tum etiam & quidem maximè integram & continuam Romanorum Pontificum à Petro Apoſtolo, quæ hactenus perſeveravit, ſemperque perſeveratura eſt in Eccleſia Romana, ſucceſſionem.

Obſerva. Apoſtoli multa ad Sacramenta, ad alia myſteria, ad veram Scripturarum intelligentiam pertinentia, ſolùm viva voce tradiderunt Epiſcopis, quos particularibus Eccleſiis præficiebant: & hi viris idoneis futuris ſuis ſucceſſoribus eadem ore ſimiliter tradebant, quæ poſtea per ſucceſſionem continuam poſteris uſque ad nos in Eccleſia Romana tranſmiſſa ſunt: ut etiam conſtat ex illo, 2. Tim. c. 2. *Quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.*

ARTICULUS II.

Quænam ſunt regulæ, quibus veræ Traditiones à falſis diſcerni poſſunt?

Dico. Rectè à Bellarmino aſſignantur quinque.

Prima regula. Quod univerſa Eccleſia tanquam Fidei dogma tenet, nec tamen in ſacra Scriptura invenitur, illud eſt ex Traditione Apoſtolica. Quia quidquid Eccleſia credit de Fide, re ipſa de Fide eſt: nam univerſa Eccleſia errare non poteſt in rebus Fidei. Nihil autem eſt de Fide, niſi aliquo modo revelatum à Deo; & quidquid eſt à Deo revelatum, quod non invenitur in Scriptura, continetur in Traditionibus Apoſtolicis: Eccleſia enim à Spiritu Sancto, non novis, ſed antiquis per Prophetas & Apoſtolos factis revelationibus gubernatur. Hinc Epheſ. c. 2. Eccleſia dicitur ſuperædificata *ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum.* Hac regula oſtenditur, Libros omnes in Canone noſtro contentos, divinos & à Deo inſpiratos eſſe, & B. Virginem ſemper fuiſſe Virginem.

Secunda regula. Quod à ſolo Deo inſtitui & ſtatui poteſt, & tamen univerſa Eccleſia ſervat, quamvis in nulla Scriptura Canonica reperiatur, à Deo per Apoſtolos viva voce certò traditum eſt. Nam Eccleſia errare non poteſt circa cultum divinum, & ſacros ritus: cùm hoc pertineat ad virturem Religionis, proindeque ad mores. Ergo id quod Eccleſia obſervat, quod rectè obſervare nequit, niſi à Deo fuerit inſtitutum, illud re ipſa à Deo inſtitutum eſt; & cùm in Scriptura ſacra nuſquam reperiatur, neceſſe eſt, ut ex Traditione Apoſtolica habeatur. Juxta hanc regulam, ex conſuetudine baptizandi parvulos certò ſcimus, baptiſmum infantium eſſe validum, & ratum.

Tertia regula. Illud ab Apoſtolis certò traditum eſt, quod tale eſſe aſſerunt Patres omnes Eccleſiæ, qui ſeorſim ſcripſerunt. Nam conſenſus Patrum exhibet doctrinam, ac fidem Eccleſiæ ſui temporis: cujus quidem doctrinæ, ac Fidei teſtes ſunt ſanè idonei, & quàm minimè ignorare potuerunt. Doctrina autem Eccleſiæ cujusvis temporis eſt ſemper infallibilis: nam Eccleſia tota nunquam errare poteſt in doctrina Fidei & morum.

Imò meritò creditur, ab Apoſtolis traditum eſſe, quod tale eſſe expreſsè aſſerunt aliquot Doctores Eccleſiæ ex antiquioribus, modò qui poſtea ſcripſerunt, non contradicant, licèt de eadem re mentionem fecerint. Nam tunc iſti meritò creduntur idem ſentire, quod priores illi; quando enim aliquis veterum Patrum in

re

re gravi erravit, nunquam deſunt multi alii, qui contradicant.

Quarta regula à S. Irenæo, l. 3. c. 3. tradita. Traditio Apoſtolica certò innoteſcit ex teſtimonio Eccleſiæ particularis, in qua integra, & continuata eſt ſucceſſio Epiſcoporum ab aliquo Apoſtolo: hoc eſt, in qua aſcendendo per Epiſcopos ſibi ſuccedentes pervenitur ad aliquem Apoſtolum, à quo illa Eccleſia immediatè fundata eſt; nec probari poteſt, quòd aliquis Epiſcoporum illorum novam doctrinam introduxerit. Ratio eſt, quia tunc ſufficienter conſtat, Traditiones Apoſtolicas in tali Eccleſia puras, ac integras conſervari.

Quinta regula. Quod ab univerſa Eccleſia ſemper obſervatum fuit, illud ab Apoſtolis traditum eſſe meritò creditur, quamvis ab Eccleſia inſtitui potuerit. Ita docet S. Auguſt. l. 4. de Baptiſmo, c. 24. his verbis: *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec à Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi auctoritate Apoſtolica traditum, rectiſſimè creditur.* Juxta hanc regulam jejunium quadrageſimale, obſervatio Feſtorum Nativitatis, Reſurrectionis, Aſcenſionis Chriſti, & Pentecoſtes, cæremoniæ in Baptiſmo adhiberi ſolitæ, Signum Crucis, & alia ejuſmodi certò ſunt ex Traditione Apoſtolica, ſed humana.

ARTICULUS III.

Utrum extiterint Traditiones divinæ in lege Naturæ, & in lege Moſaica?

Dico 1. In lege naturæ extiterunt Traditiones divinæ absque Scriptura ſacra.

Prob. In lege naturæ homines æternam ſalutem conſequi poterant; & re ipſa multi in illa lege Sancti, & Deo grati fuerunt. Ergo in illa lege fuit Fides divina, ac ſupernaturalis: nam, ex Apoſtolo, Heb. c. 11. *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, ac proinde ſalutem conſequi. Ergo in lege naturæ fuerunt revelationes divinæ, ſine quibus non poteſt eſſe Fides divina: at illæ revelationes ſolùm viva voce traditæ, & conſervatæ fuerunt, nec ab ullo auctore à Deo inſpirato ſcriptæ: nam Moyſes fuit primus omnium auctorum ſacrorum, ſeu à Deo inſpiratorum.

Per Traditiones autem illas divinas homines horum temporum docebantur ſaltem exiſtentiam Dei unius remuneratoris, immortalitatem animæ, pœnam æternam impiis, & beatitudinem æternam juſtis in altera vita deſtinatam, peccatum originale & ejus remedium, venturum Meſſiam Redemptorem generis humani, ritus ſacrificiorum Deo offerendorum, actus Fidei, Spei, Charitatis, contritionis perfectæ, & alia præcepta, &c. Hæc omnia & alia plura ſibi à Deo revelata Adamus, non ſcripto, ſed viva voce tradidit filiis, ac nepotibus ſuis, qui ea ſimiliter liberos ac nepotes ſuos viva voce docuerunt.

Dico 2. In lege Moſaica præter Scripturam ſacram extiterunt variæ Traditiones divinæ. Nam Iſraelitæ Fide divina credebant Libros omnes in Canonem relatos eſſe à Deo inſpiratos: peccatum originale condonari per remedium aliquod à Deo inſtitutum, quod pro maſculis ante diem octavum morientibus, & pro fœminis omnibus non invenitur in Scriptura, &c.

CAPUT III.

De Eccleſia.

ECcleſia Græcè idem eſt, quod Latinè convocatio, ſeu cœtus convocatorum; nam oritur à voce Græca ἐκκαλέω, quæ ſonat evoco, & congrego. Variè in Scriptura accipitur. Et 1. quidem pro impiorum ſocietate, ut Pſal. 25. *Odivi Eccleſiam malignantium*: & pro Ethnicorum cœtu, ut Act. cap. 19. ubi de populo Epheſino dicitur: *erat enim Eccleſia confuſa.* 2. Pro cœtu Fidelium, ut Act. c. 12. *oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.* 3. Pro locis ſacris & Templis, in quæ Fideles conveniunt, ut 1. Cor. c. 11. *convenientibus vobis in Eccleſiam, audio ſciſſuras eſſe inter vos.* 4. Pro Prælatis Eccleſiæ, ſeu Epiſcopis, ut Matth. cap. 18. *dic Eccleſiæ. Si autem Eccleſiam non audieris, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus* 5. Pro cœtu aliquorum duntaxat fidelium, ut 1. Cor. c. 1. *Paulus .... Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, ſanctificatis*

in Christo JEsu. 6. Pro cœtu fidelium omnium, ut Matth. c. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.*

Ecclesia à Theologis dividitur in Ecclesiam Triumphantem, Patientem, & Militantem. Ecclesia Triumphans est cœtus Beatorum. Ecclesia Patiens est cœtus Fidelium justorum defunctorum in Purgatorio degentium. Ecclesia Militans est cœtus Fidelium in terris sub Christi vexillo militantium: sive est societas fidelium Religionem à Christo institutam, seu potius ad perfectiorem statum perductam professentium in terris. De hac sola hìc agitur, & subdividitur in Universalem, de qua mox, & in Particularem, quæ est cœtus hominum Christi fidem professentium sub Romano Pontifice, & sub uno, vel pluribus Episcopis, ut Ecclesia Tullensis, Ecclesia Gallicana.

ARTICULUS I.

Quinam sint extra veram Christi Ecclesiam?

§. I.

Dico 1. Infideles non baptizati nullam Religionem, vel diversam à Christiana Religione Sectam professentes, ut Pagani, Mahumetani, Judæi, sunt extra Christi Ecclesiam. Constat ex Apostolo, 1. Cor. c. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?*

§. II.

Dico 2. Catechumeni non sunt actu, & propriè de Ecclesia, seu de Ecclesiæ corpore.

Prob. 1. Ex Script. Act. c. 2. *qui ergo receperunt sermonem ejus, baptizati sunt: & appositæ sunt die illa animæ circiter tria millia.* Ergo illi etiam, postquam crediderunt, non erant in Ecclesia, sed tantùm in ea fuerunt, postquam baptizati sunt.

2. Ex Concil. Florentino, in decreto pro Armenis, ubi Eugenius IV. sic loquitur: *Primum omnium Sacramentorum locum tenet sanctum Baptisma, quod vitæ spiritualis janua est: per ipsum enim membra Christi, ac de corpore efficimur Ecclesiæ.* Ergo Catechumeni, cùm baptizantur, efficiuntur de corpore Ecclesiæ: & consequenter ante Baptismum non sunt de corpore Ecclesiæ.

3. Ex Patribus apud Bellarm. Pro omnibus sint Tertullianus, qui lib. de præscriptionibus reprehendit in Hæreticis, quòd Catechumenos à Fidelibus non distinguerent; Greg. Naz. qui orat. in S. Lavacrum dicit, Catechumenum esse in vestibulo pietatis, nec adhuc posse vocari fidelem, nisi intus ingrediatur per Baptismum: & Chrysostomus, qui Homil, 24. in Joan. dicit, Catechumenum alienum esse à Fideli, & nihil habere cum illo commune, non civitatem, non mensam.

4. Denique, quia Catechumeni nulla exteriori Sacramentorum Communione cum membris Ecclesiæ conjuncti sunt: nam carent omni Sacramento.

Obj. 1. S. August. tract. 4. in Joann. dicit, Catechumenos esse in Ecclesia.

Resp. Solùm vult, Catechumenos esse in Ecclesia, non actu, sed potentia proxima. Nam l. 2. de Symbolo, docet, Catechumenos esse in utero Sanctæ Matris Ecclesiæ conceptos, & nondum natos. Ergo ex S. Doctore Catechumeni sunt partes Ecclesiæ in potentia tantùm, non actu, quemadmodum homines concepti, & nondum nati, sunt partes, & membra Reipublicæ potentia tantùm, non actu. Catechumeni autem sunt de Ecclesia in potentia, quatenus per fidem, & alios actus disponuntur proximè ad recipiendum Baptismum, per quem fiunt membra Ecclesiæ. Dici tamen possunt esse de anima Ecclesiæ, quando habent Fidem, Spem, & Charitatem perfectam, quæ animam Ecclesiæ constituunt.

Obj. 2. Catechumeni salvari possunt sine Baptismo in re susceptо, nempe per actus Fidei, Spei, & Charitatis perfectæ. At nemo salvari potest, nisi sit in Ecclesia, ut definit Concil. Later. IV. c. 1. his verbis: *una est Fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur.* Ergo Catechumeni sunt de Ecclesia.

Resp. Nemo quidem salvari potest, nisi in Ecclesia sit vel in re, vel in voto. At salvari potest, qui in Ecclesia est voto, seu desiderio contento in actu Charitatis perfectæ præsupponente Fidem: sicut salvari quis potest cum solo Baptismo in voto, qui in prædicto actu consistit. Catechumeni autem sunt de

Eccle-

Ecclesia in voto, aut saltem possunt esse cum auxilio gratiæ, unde salvari possunt.

Inst. Ex S. Hieron. Epist. ad Damasum Papam; sicut nemo salvari poterat extra Arcam Noë tempore diluvii, ita extra Ecclesiam Romanam nemo salvari potest. Sed non poterat salvari quoad vitam scilicet temporalem, nisi actu, & re ipsa esset in Arca Noë: Ergo nemo etiam salvari potest quoad animam, nisi sit de Ecclesia re ipsa, & actu.

Resp. Illa similitudo Arcæ non convenit Ecclesiæ in omnibus; & à S. Hieron. solùm assumitur, ut ostendat, neminem salvari posse, si sit extra Ecclesiam Romanam, tum re, tum voto. Sic 1. Petri c. 3. Baptismus comparatur Arcæ & Noë, & tamen certum est, posse obtineri salutem sine Baptismo in re.

Porro membra Ecclesiæ propriè dicuntur respectivè ad corpus, non ad animam Ecclesiæ.

§. III.

Dico 3. Publici ac manifesti hæretici non sunt de Ecclesia.

Prob. 1. Ex Script. ad Tit cap. 3. *hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita: sciens, quia subversus est, & delinquit, cùm sit proprio judicio condemnatus.* Sed Pastor vitare non debet eos, qui sunt de ovili suo, imò eos curare debet. Ibi autem agi de hæretico manifesto probant ultima verba, quæ juxta S. Hieron. significant illum se ab Ecclesia ejecisse, Episcopi judicium præveniens. 1. Joann. cap. 2. de hæreticis manifestis dicitur: *ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Ergo hæretici manifesti non permanserunt in Ecclesia, sed ex ea foras prodierunt per manifestam hæresim. At eadem est ratio pro omnibus aliis hæreticis manifestis. Porro horum verborum (*sed non erant ex nobis*) sensus non est, quòd antea non essent in Ecclesia, siquidem dicuntur ex ea prodivisse; sed sensus est: quòd non erant Ecclesiæ membra secundùm divinam electionem, ut exponit S. August. l. de dono persever. c. 8. sive non erant solidi Christiani.

2. Ex Patribus. Hic sufficiant S. Augustinus, l. contra Petilian. c. 6. ubi ait: *nihil prodest hæreticis ad salutem, quòd extra Ecclesiam verum Baptismum per ignorantiam & traduntur & tenent.* Et l. de unitate Ecclesiæ, c. 4. *qui non credunt Christum in carne venisse de Virgine Maria.... etiamsi per omnes terras inveniantur, per quas est Ecclesia, non utique sunt in Ecclesia.* Eadem est ratio pro omnibus aliis hæreticis manifestis. Et S. Hieronymus, in dialogo contra Luciferianos, ubi dicit: hæreticos, *ut putà Marcionitas, Valentinianos, Montenses scito non Ecclesiam Christi, sed Anti-Christi esse Synagogam.* His adde Irenæum & Tertullianum, qui dicunt hæreticos errorem ejurantes, ad Ecclesiam reverti: ergo ab illa aversi erant.

3. Ex Conc. Nicæno I. Quod cap. 8. & 19. dicit, hæreticos posse recipi in Ecclesiam: ergo ab ea per hæresim egressi sunt. Et ex Conc. Lateranensi IV. c. 1. ubi dicit: *una est fidelium universalis Ecclesia*, id est, unica est universalis Ecclesia constans ex Fidelibus. Hæretici autem notorii desinunt esse Fideles etiam exteriùs.

4. Ratione. Quia qui sunt de vera Christi Ecclesia, debent profiteri saltem exteriùs eandem fidem: nam Ecclesia Christi est cœtus hominum eandem Christianam fidem profitentium; necesse enim est eos, qui veram Christi Ecclesiam constituunt, consociari per aliquod commune vinculum Religionis, cujus fundamentum est Fides. Atqui hæretici notorii ne exterius quidem eandem Fidem profitentur: ergo non sunt de Ecclesia.

Obj. 1. Math. c. 13. in parabola zizaniorum dicuntur tria in eodem agro inveniri, nempe granum, paleæ, & zizania. Sed per agrum Ecclesia, per granum boni Christiani, per paleam mali, per zizania hæretici designantur. Ergo omnes hæretici sunt in Ecclesia.

Resp. Nego min. Saltem quoad 1. Partem. Nam per agrum significatur mundus, non Ecclesia, ut exponit Christus ipse: *ager autem*, inquit, *est mundus.* Præterea per zizania ibi significantur omnes peccatores in genere: *zizania autem Filii sunt nequam*, ait

Chriſtus, qui nullam ſignificationem tribuit paleæ. Scopus enim parabolæ eſt oſtendere, futuros ſemper eſſe in mundo multos malos, nec poſſe ulla humana diligentia mundum purgari ante diem judicii.

Obj. 2. Verba illa, 2. Tim. c. 2. *in magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed lignea & fictilia.*

Reſp. Per vaſa lignea & fictilia ſignificantur Fideles infirmi, qui facilè ſeduci poſſunt, vel reprobi.

Obj. 3. Eccleſia poteſt punire Hæreticos, & non poteſt punire eos, qui foris ſunt. Ergo hæretici omnes ſunt intùs.

Reſp. Eccleſia poteſt punire eos, qui foris ſunt, quando illi ſubjecti fuerunt, & ſunt, cujusmodi ſunt hæretici. Igitur Eccleſia poteſt judicare & punire hæreticos manifeſtos, non quia ſunt de Eccleſia, ſed quia per Baptiſmum illi ſubjecti ſunt, & propter caracterem baptiſmalem pertinent ad eam, ut oves ad ovile, unde fugerunt, vel ex quo aberrant: & ut deſertor militiæ pertinet ad Principem, qui poteſt illum punire, & vi cogere ad ſua caſtra. Enim verò per crimen aliorum Eccleſia non privatur ſua poteſtate in illos, ſed eam ſemper retinet, ſicut Princeps retinet ſuam poteſtatem in milites rebelles, & transfugas.

Inſt. 1. Cor. c. 5. Paulus ait: *quid mihi de iis, qui foris ſunt, judicare?*

Reſp. Loquitur de iis, qui ita foris ſunt, ut nunquam fuerint intùs, & qui non pertinent ad Eccleſiam.

Obj. 4. Hæretici manifeſti retinent caracterem baptiſmalem. Ergo ſunt de Eccleſia.

Reſp. Nego conſeq. Nam damnati retinent etiam caracterem baptiſmalem, & tamen non ſunt de Eccleſia. Igitur caracter baptiſmalis ſufficit quidem, ut quis pertineat ad Eccleſiam, non autem ut ſit de Eccleſia.

Obj. 5. Aliqui Patres dicunt, hæreticos eſſe in Eccleſia.

Reſp. Vel loquuntur de hæreticis materialiter tantùm; hoc eſt, de iis, qui errant per ignorantiam doctrinæ Eccleſiæ, ideo ſine contumacia: vel de hæreticis occultis: vel ſumunt Eccleſiam latè, nempe pro multitudine eorum omnium, qui quoquo modo Chriſtiani vocantur.

Porro Sadducæi inter Judæos fuerunt quidem hæretici, ſed tolerati à Judæis certas ob cauſas, putà ut faciliùs ad veram Fidem adduci poſſent, nec aliqua excommunicationis ſententia à corpore Synagogæ præciſi ſunt. Unde ſe habebant inter Judæos velut hæretici quidam occulti.

§. IV.

Dico 4. Schiſmatici ſunt extra Eccleſiam, etiamſi ſupponantur retinere veram Fidem.

Prob. 1. Tum ex Pelagio Papa, q. 24. can. 1. *Pudenda*, & canone *Schiſma.* Tum ex ſenſu, & praxi Eccleſiæ, quæ die Paraſceves orat pro Hæreticis, & Schiſmaticis, ut eos Deus ad Eccleſiam Catholicam revocare dignetur.

2. Ex Patribus pro omnibus ſint S. Auguſtinus, qui l. de Fide & Symbolo, cap. 10. ait: *Hæretici de Deo falſa ſentiendo, ipſam Fidem violant: Schiſmatici autem diſciſſionibus iniquis à fraterna charitate diſſiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad Eccleſiam Catholicam ... Nec Schiſmatici.* Et S. Chryſoſtomus, qui Hom. 11. in Epiſt. ad Epheſ. docet, Schiſmaticos ſimiles eſſe manui præciſæ à corpore, quæ ex illa præciſione deſinit eſſe membrum corporis; & ibidem aſſerit, eos eſſe in altera Eccleſia, licèt in Fide conſentiant cum vera Eccleſia. Et S. Hieronymus, qui in cap. 3. Epiſt. ad Tit dicit ſchiſma propter Epiſcopalem diſſenſionem ab Eccleſia ſeparare.

3. Ratione. Quia Eccleſia eſt una unione membrorum inter ſe, & cum capite. Nam Eccleſia eſt unum corpus morale, juxta illud, Rom. c. 12. *Multi unum corpus ſumus in Chriſto.* Sicut autem corpus phyſicum conſtituitur per unionem phyſicam membrorum phyſicorum inter ſe, & cum capite phyſico, ita corpus morale conſtituitur per unionem moralem membrorum moralium inter ſe, & cum capite morali, quod eſt totius unitatis nexus, ac centrum. At Eccleſia non eſſet una unione membrorum inter ſe, & cum capi-

capite, ſi Schiſmaticus eſſet de Eccleſia: nam Schiſmaticus non eſt unitus cum aliis membris inter ſe, & cum capite; ſiquidem à communione, ſeu communicatione aliorum membrorum, vel à capite ſe ſeparat. Unio quippe moralis membrorum inter ſe, & cum capite requiſita ad unitatem individualem Eccleſiæ conſiſtit indiviſibiliter tum in externa profeſſione ejusdem Fidei: tum in externa participatione eorundem Religionis actuum, quorum præcipui ſunt Sacrificium Miſſæ, & receptio eorundem Sacramentorum: tum in debita ſubjectione capiti Eccleſiæ, & proprio Epiſcopo unito, ac ſubjecto capiti Eccleſiæ.

Obj. 1. Eccleſia eſt Catholicorum congregatio, ut docet Nicolaus I. diſt. 1. can. *Eccleſia.* Ubi ait: *Eccleſia, id eſt, Catholicorum collectio, quomodo ſine Apoſtolicæ Sedis inſtituetur nutu?* Item eſt cœtus Fidelium ex Conc. Later. IV. c. 1. ubi dicitur: *una eſt Fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur.* At Schiſmatici ſunt Catholici & Fideles: nam eandem Fidem confitentur, quam tenet Eccleſia Catholica. Ergo.

Reſp. Vox *Catholicorum* à Nicolao Papa, & vox *Fidelium* à Concilio Lateranenſi ſumitur ſecundùm vulgarem harum vocum acceptationem, juxta quam Catholici, & Fideles dicuntur ii omnes & ſoli, qui non ſolùm veram Fidem profitentur, ſed etiam cæteris Eccleſiæ membris communicant, & ejus capiti ſubjecti ſunt. Enim verò is ſolus propriè loquendo Catholicus eſt, qui Fidem Catholicam in Eccleſia profitetur tum per externam participationem eorundem Sacramentorum, & aliorum Religionis actuum, tum per debitam ſubjectionem ad caput Eccleſiæ.

Obj. 2. Schiſmatici puri habent veram Fidem, & eam exteriùs profitentur.

Reſp. Exterior Fidei profeſſio non ſufficit ad unionem moralem membrorum Eccleſiæ; ſed ad hanc requiritur inſuper ſubjectio capiti Eccleſiæ, & proprio Epiſcopo ei unito, atque externa cum aliis membris Eccleſiæ participatio in Sacramentis, & Sacrificio.

Obj. 3. Schiſmatici quantumvis nolint ſubeſſe Summo Pontifici, tamen volunt ſubeſſe Chriſto ſupremo capiti Eccleſiæ. Ergo ſunt de Eccleſia.

Reſp. Nego antec. Nam is non vult, nec poteſt velle ſubeſſe Chriſto, qui non vult ejus præcepto obtemperare, ideoque contra Chriſtum rebellat. Sed qui non vult ſubeſſe Romano Pontifici, contra Chriſtum rebellat: nam hoc ipſo non vult Chriſti præcepto obtemperare; Chriſtus enim ſuum in terris Vicarium conſtituit Romanum Pontificem, cui vult, ut Fideles ſubjiciantur, & obediant in rebus ad ſalutem, & Religionem pertinentibus; ita ut qui hunc ſpernit, Chriſtum ipſum ſpernat, juxta illud, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Quæ verba conveniunt præſertim Petri Succeſſoribus Romanis Pontificibus, qui Petro in officio regendi univerſalem Eccleſiam cum ſuprema poteſtate ſuccedunt.

Inſt. Meletius Epiſcopus Antiochenus non communicavit cum Romano Pontifice: & tamen ſemper fuit de Eccleſia; nam interfuit Concilio Conſtantinopolitano, maximis laudibus à multis Patribus celebratur, & ut Sanctus ab Eccleſia colitur. Ergo qui non communicat cum Romano Pontifice, nec proinde ei paret, nihilominus eſt de Eccleſia.

Reſp. Nego ant. Nam Meletius ſemper cum Romano Pontifice communicavit ea communicatione, quæ unitati Eccleſiæ eſſentialis eſt: ſemper enim Romanum Pontificem ut univerſæ Eccleſiæ caput agnovit, & ut tali debitam reverentiam, & obedientiam præſtare paratus fuit. Imò qualibet alia communicatione unitati Eccleſiaſticæ accidentali cum eo communicavit affectu, & in præparatione animi: hac tamen communicatione accidentali non communicavit actu, ſed ſine ſua culpa, & quia Summus Pontifex ex errore facti noluit cum eo ut Epiſcopo communicare, eò quòd Ariani eum ab Imperatore Conſtantino ad Epiſcopatum Antiochenum poſtulaſſent, & ignoraret omnes Epiſcopos Catholicos, qui aderant, in ejus electionem conſenſiſſe.

Dices. Meletius ut Epiſcopus litteras pacificas ad Romanum Pontificem non ſcripſit, nec ab eo recepit.

Reſp.

Resp. Ejusmodi litteras, quibus inter se communicabant Episcopi, ad Romanum Pontificem mittere, & ab eo recipere semper paratus fuit. Interea semper communicavit cum Ecclesiis, & Episcopis Orientalibus cum Romano Pontifice communione conjunctis: cum Occidentalibus verò Ecclesiis communionem etiam Episcopalem, litteris pacificis datis & acceptis, habere semper paratus fuit; & quominus actu haberet, non per ipsum stetit, sed per Occidentales Episcopos, qui (ut scribit S. Basilius Epist. 349.) *Ex ignorantia veritatis Episcopatu abdicabant virum Dei, admirabilem Meletium.*

Nunquam tamen Meletius fuit à Romano Pontifice, & Occidentalibus Episcopis excommunicatus; sed solùm interrupta fuere officia quædam solita, quibus foveretur communio inter Orientales, & Occidentales.

Quæres 1. *An qui non vult subesse Episcopo suo particulari verè Catholico, & Summo Pontifici unito & subjecto: vel non vult communicare cum Ecclesia particulari, quæ illi Episcopo subest, sit verè Schismaticus, proindeque extra Ecclesiam?*

Resp. affirm. Ita Bellarmin. hocque expressè docet S. Cyprianus lib. 4. Epist. 9. ad Florentinum Papianum, ubi ait: *Scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si qui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse; & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdam communicare se credunt; cùm Ecclesia, quæ Catholica una est, scissa non sit, neque divisa; sed sit utique connexa, & cohærentium sibi invicem Sacerdotum glutino copulata.* Ratio est, quia omnes Episcopi inter se communione conjuncti, & subjecti Romano Pontifici sunt unum corpus morale, cujus caput est Romanus Pontifex. Similiter omnes particulares Ecclesiæ inter se communione conjunctæ, & subjectæ Romano Pontifici, sunt una moraliter Ecclesia, unum corpus morale: sicut membra humana inter se physicè conjuncta, sunt unum corpus humanum. Unde qui se separat à suo Episcopo, eo ipso se separat à toto corpore primorum Pastorum. Item qui se separat à sua Ecclesia particulari, hoc ipso se separat ab omnibus aliis: sicut membrum cùm separatur ab alio, v. g. manus à brachio, eo ipso separatur à toto corpore humano.

Nec obstat, quòd is velit adhuc subesse Romano Pontifici ut capiti universalis Ecclesiæ, & adhuc communicare cum universali Ecclesia. Nam qui se separat à proprio suo Episcopo, separat se à toto corpore primorum Pastorum, ideoque à Romano Pontifice ut capite corporis illius. Item qui se separat à particulari sua Ecclesia, separat se ab omnibus aliis particularibus Ecclesiis, quæ cum illa sunt una moraliter Ecclesia, quæ universalis dicitur, ideoque separat se ab universali Ecclesia: sicut unum membrum, quod separatur ab alio, hoc ipso separatur à toto corpore. Sed qui se separat à Romano Pontifice ut capite corporis Pastoralis, is sanè non vult verè subesse Romano Pontifici ut capiti universalis Ecclesiæ, saltem quantùm requiritur ad unitatem Ecclesiæ servandam. Item qui se separat quovis modo ab Ecclesia universali, non vult seriò cum illa communicare, saltem quantùm requiritur ad unitatem Ecclesiæ servandam, & ad vitandum schisma. Ergo.

Quæres 2. *An sint Schismatici, qui licèt in Summum Pontificem rebelles, cui subesse renuunt, & ab ipso verè separati, Episcopo suo particulari subsunt, & cum aliis Episcopis Papæ subjectis communicant.*

Resp. Sunt verè Schismatici. Unitatem enim Ecclesiæ prorsùs disrumpit, qui per inobedientiam in re ad fidem, mores, vel Religionem pertinente à Summo Pontifice recedit; quia se separat à totius corporis capite, totiusque unitatis nexu, ac centro. Nam nulla esse potest membrorum inter se unitas, & connexio vera, nisi à totius corporis capite, totiusque unitatis nexu, ac centro. Summus autem Pontifex est totius Ecclesiæ caput, & totius unitatis nexus, ac centrum, ut Fide constat. Præterea ad unitatem Ecclesiæ requiritur unio membrorum inter se, & cum capite. Unio autem cum capite esse non potest sine debita subjectione. Et verò si quis ab

Epi-

Episcopo suo particulari summo Pontifici subdito, ac unito sese disjungit, est Schismaticus, quamvis velit summo Pontifici subesse: Ergo à fortiori, &c.

§. V.

Dico. 5. Excommunicati non tolerati, seu nominatim publicè denuntiati, non sunt de Ecclesia. Ita Theologi, & Catechismus Romanus, cujus non est exigua auctoritas in Ecclesia Dei, inquit Bellarminus.

Prob. 1. Ex Scriptura, Matth. c. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus:* Id est, propter contumaciam excommunicetur. Nam Christus ibi loquitur de potestate obligandi, puniendi, & excommunicandi, ut patet ex his verbis immediatè sequentibus: *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo.* Ergo excommunicati nominatim denuntiati sunt in ordine ad Ecclesiam ut Ethnici. Sed Ethnici non sunt de Ecclesia; ergo nec excommunicati illi.

2. Ex Patribus apud Bellarminum. Hìc sufficiat S. Augustinus, qui l. de vera Religione, c. 6. ait: *Alios invitat* (Ecclesia) *alios excludit* (per excommunicationem) *exclusi autem aut pœnitendo redeunt* (ad Ecclesiam) *aut in nequitiam male liberi defluunt.* Et l. de unitate Ecclesiæ, c. ult. *Tunc quisque præciditur* (à corpore Ecclesiæ) *cùm visibiliter excommunicatur.*

3. Ex Can. *Canonica.* 11. q. 3. Ubi continetur formula excommunicationis. *Canonica institutа, & Sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores auctoritate Dei, & judicio Sancti Spiritus, à gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, & consortio totius Christianitatis eliminamus.*

4. Ex Patribus, qui quando significare volunt aliquem excommunicari, dicunt illum ab Ecclesia ejici, segregari, Satanæ tradi, extra Ecclesiam propelli: ita Cyprianus, Eusebius, Epiphanius, Hilarius, Chrysostomus, & Augustinus.

5. Ex formula absolutionis ab excommunicatione, quæ habetur in Rituali Romano: *Absolvo te à vinculo excommunicationis, & restituo te communioni, & unitati Fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ*, &c.

Ratio est, quia excommunicati à communione exteriori Ecclesiæ præcisi sunt auctoritate legitima à Christo accepta.

Obj. 1. S. Augustinus, l. contra Donatistas, post collat. c. 20. ait: *Neque enim à populo Dei separamus, quos .... excommunicando ad humiliorem pœnitendi locum redigimus.*

Resp. S. Doctor hic per populum Dei intelligit numerum, seu collectionem omnium in genere salvandorum, & solùm vult, Episcopos non intendere per excommunicationem spem omnem salutis excommunicatis auferre, sed potiùs eos ad pœnitentiam, qua salventur, inducere.

Obj. 2. Excommunicatus salvari potest, quamvis moriatur in excommunicatione: nam potest sibi comparare statum gratiæ per actum contritionis perfectæ, antequam absolvatur. At nemo potest salvari extra Ecclesiam. Ergo excommunicatus non est extra Ecclesiam.

Resp. Excommunicatus, qui per contritionem perfectam justificatur, est animo & voto, seu desiderio de Ecclesia visibili: quod ei sufficit ad salutem, sicut sufficit Catechumeno, qui moreretur, antequam baptizari posset.

Inst. Excommunicatus ille justificatus, est membrum Christi; ergo est etiam membrum Ecclesiæ.

Resp. Nego conseq. Quia ad membrum Christi vivum sufficit unio cum Christo per charitatem, & gratiam sanctificantem, quæ unio est interior, & invisibilis. At ad membrum Ecclesiæ requiritur exterior conjunctio cum cæteris Ecclesiæ membris. Et verò membra Ecclesiæ propriè dicuntur respectivè ad corpus, non ad animam Ecclesiæ. Nam conjunctio membrorum Ecclesiæ est exterior; cùm Ecclesia sit corpus morale, ac visibile.

Obj. 3. Ergo etiam excommunicati tolerati non sunt de Ecclesia.

Resp. De Ecclesia non sunt jure, sed tantùm facto, idque ex indulgentia Ecclesiæ. Itaque excommunicati tolerati privantur jure manendi in Ecclesia, habendi jurisdictionem,

Sacramenta participandi, & communicandi cum Fidelibus præter casus exceptos, item suffragiis communibus. Quod sufficit, ut valeat forma excommunicandi, contenta can. *Canonica* 11. q. 3. Non tamen hoc ipso privantur jurisdictione actuali, ut constat ex Bulla Martini V. *Ad evitanda.*

ARTICULUS II.

Quinam sint de vera Christi Ecclesia?

Nota. Hæretici circa Ecclesiam variè erarunt. Nam Novatiani docuerunt eos omnes & solos Fideles, qui nunquam lapsi essent circa Fidei confessionem, esse de Ecclesia: Pelagiani verò solos perfectos, & nullo peccato inquinatos. Donatistæ ab Ecclesia excludebant aliquos tantùm insigniores peccatores, quales asserebant esse Catholicos, eò quòd (ut ipsi calumniabantur) Scripturarum divinarum Traditoribus consensissent. Wicleffus, & Joannes Hus solos prædestinatos: Lutherus verò solos Sanctos, seu Justos ad Dei Ecclesiam pertinere contenderunt. Calvinus autem docuit, Ecclesiam constare ex solis justis Prædestinatis, id est, ex solis credentibus. Nam juxta Calvinum sola Fides justificat, & semel obtenta non potest amitti. Præter hanc Ecclesiam, quæ juxta illum sola est vera Christi Ecclesia, aliam quamdam externam, & impropriè dictam, in qua sint boni & mali, admittit. Unde Pelagiani, Wicleffistæ, Hussitæ, Lutherani, & Calviniistæ consequenter docent, veram Christi Ecclesiam esse invisibilem.

§. I.

Dico. 1. Non solùm Prædestinati, sed etiam reprobi sunt de vera Christi Ecclesia.

Prob. 1. Ex Script. Matth. c. 3. *Permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Ubi per aream vera Christi Ecclesia, per triticum Electi, & per paleas igne æterno comburendas reprobi significantur. Idem significatur per parabolam sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congregantis, quorum boni in vasa, mali autem foras mittuntur, per quos intelliguntur mali homines in caminum ignis mittendi. Matth. c. 13. Item, 2. Tim. c. 2. *In magna autem domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia. Et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* Ubi per magnam domum certè intelligitur vera Christi Ecclesia, per vasa aurea & argentea Electi, per lignea & fictilia, aut saltem per ea, quæ in contumeliam adhibentur, reprobi significantur. Præterea nonne Judas erat de Ecclesia Christi, cùm esset Apostolus.

2. Ex Patribus. Hic sufficiat S. Augustin. qui tract. 45. in Joan. ait: *Secundùm præscientiam Dei, & prædestinationem quàm multæ oves foris! quàm multi lupi intùs!* Ubi dicit, multos Prædestinatos esse extra Ecclesiam, qui postea Ecclesiæ membra futuri sunt, & reprobos multos esse intra Ecclesiam.

3. Ex Conc. Constantiensi, quod hunc errorem, quòd soli Prædestinati comprehendantur in Ecclesia, damnavit in Wicleffo.

4. Ratione. Si Ecclesia ex solis Prædestinatis constaret, nemo posset certò cognoscere veram Christi Ecclesiam; nam nemo potest in hac vita scire, quinam sint Prædestinati. Falsum conseq. ergo. *Prob. min.* Nam si nemo potest veram Christi Ecclesiam certò cognoscere, nemo potest certò cognoscere, quænam sit vera Scriptura, vera Sacramenta, vera Fides. Ista enim omnia cognosci nequeunt sine testimonio veræ Christi Ecclesiæ certò cognitæ. Unde S. Augustinus dicit, se non crediturum Evangelio, nisi eum ad illud credendum commoverèt auctoritas Ecclesiæ Catholicæ. Item Pastores Ecclesiæ oves suas nec cognoscerent, nec cognoscerentur ab iis: ac proinde Pastores non possent oves suas pascere, & nemo teneretur obedire Pastoribus Ecclesiæ, quippe qui cognosci non possent.

Obj. 1. Arca Noë, in qua fuerunt soli salvandi ex aquis, figura fuit Ecclesiæ. Ergo Ecclesia solos Prædestinatos continet.

Resp. Similitudines in omnibus non conveniunt; alioqui omnis baptizatus esset etiam Prædestinatus, nam 1. Petri c. 3. Baptismus com-

comparatur cum Arca Noë. Ecclesia autem in eo convenit cum Arca Noë, quòd sicut nemo re ipsa extra Arcam salvari poterat, ita nec salvari potest, qui non est re, vel voto in vera Ecclesia.

Obj. 2. Ex Joan. c. 10. Ecclesia est unum ovile, ideoque in Ecclesia non sunt nisi oves Christi. At soli Prædestinati sunt oves Christi. Ergo.

Resp. Nego min. Nam in Scriptura vox *ovis* interdum significat omnes tum bonos, tum malos, qui sunt in Ecclesia, ut Joan. c. ult. *Pasce oves meas.* Et Psal. 73. *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ.* Et Ezech. c. 34. describuntur oves, quæ misere pereunt, de quarum interitu judicium requiritur à Pastoribus.

Obj. 3. S. Augustinus, tract. 45. in Joannem dicit, solos Prædestinatos esse oves Christi, reprobos verò etiam fideles & justos, esse lupos, non oves: sic enim ibi ait: *Secundùm istam præscientiam Dei, & Prædestinationem, quàm multæ oves foris! quàm multi lupi intùs! Quid est, quod dixi, quàm multæ oves foris! Quàm multi modò luxuriantur casti futuri! Quàm multi blasphemant Christum credituri in Christum! ... Et hi oves ... Item quàm multi intùs laudant blasphematuri! Casti sunt, fornicaturi! ... Stant, casuri! Et non sunt oves; de Prædestinatis enim loquimur.*

Resp. Solùm intendit, quòd soli Prædestinati sunt oves Christi uno speciali modo, nempe secundùm prædestinationem, qua infallibiliter fiet, ut in æternum Christo uniti permansuri sint. Reprobi verò lupi, non actu, sed potentia ad actum reducenda: nec sunt oves illo speciali modo, nempe secundùm prædestinationem, licet sint oves secundùm præsentem justitiam. Nam S. Doctor in illo textu nomen ovis accipit duplici modo, uno secundùm prædestinationem, & altero secundùm præsentem justitiam. Qui ovis est secundùm prædestinationem tantùm, ut sunt aliqui infideles, est actu lupus, & ovis potentia: qui autem ovis est secundùm præsentem justitiam tantùm, est actu ovis, & potentia lupus. Unde cùm in loco objecto S. Augustinus dicit, multas oves esse foris, loquitur de ovibus potentia tantùm, non actu; cùm autem dicit, multos lupos esse intùs, loquitur de lupis potentia, non actu. Et ibi solùm vult, multos, qui inter fideles, & hæreticos educati sunt, fore fideles & justos, & in sanctitate perseveraturos: alios verò, qui sunt membra Ecclesiæ & justi, vel ab Ecclesia recessuros, vel gratiam amissuros, nunquam postea convertendos. Hos autem lupos vocat, quia non sunt oves permansuri, sicuti qui sunt oves secundùm prædestinationem, ut patet ex his verbis: *De Prædestinatis enim loquimur.* Nam nullibi negat, reprobos in vero aliquo proprio sensu esse oves Christi, quamdiu fideles sunt, imò oves sic esse docet hoc ipso, quod dicit, eos esse intùs, seu intra Ecclesiam, quæ est ovile Christi.

Inst. S. Augustinus variis locis dicit, reprobos etiam fideles & justos non esse verè filios Dei: ergo nec sunt oves in ullo vero sensu.

Resp. Solùm vult, eos non esse filios Dei eo speciali modo, quo sunt prædestinati, nempe quo re ipsa hæreditatem filiorum Dei nempe beatitudinem æternam, quæ est finis filiationis divinæ, consequantur. At non negat, reprobos justos esse verè filios Dei veritate formæ, seu esse verè filios Dei per veram formam positam in gratia sanctificante iis inhærente, per quam constituantur filii Dei adoptivi, & hæredes vitæ æternæ, ut patet ex l. de correptione & gratia, c. 9. ubi postquam de justis non prædestinatis dixit: *Non erant filii, etiam quando videbantur in professione, & nomine filiorum:* hæc immediatè subjicit: *non quia justitiam simulaverunt, sed quia in ea non permanserunt.*

§. II.

Dico. 2. De vera Christi Ecclesia sunt non solùm perfecti, sed etiam imperfecti, id est, qui venialiter peccant.

Prob. Quia si non essent de Ecclesia, nisi ii, qui omni culpa veniali, & imperfectione carent, nulla esset Ecclesia in terris. Nam nulli sunt in hac vita quamvis sanctissimi, qui in aliqua peccata venialia non labantur, juxta illud, Jacob. c. 3. *in multis offendimus omnes.* Et 1. Joan. c. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum*

catum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. Idem etiam docent Patres, & Concilia.

Obj. Illud, Ephes. 5. *ut exhiberet ipse* (Christus) *sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta & immaculata.*

Resp. Hoc dicitur de Ecclesia ratione partis potioris, & melioris, qui sunt justi. Itaque Ecclesia dicitur ab Apostolo sancta & immaculata propter justos, qui in ea semper sunt magno numero, & qui dicuntur 1. esse glorioli propter gratiam sanctificantem, quæ est excellentissima divinæ naturæ participatio, reddens illos verè magnos coram Deo, decoros, amabiles, & gratos Deo, & quæ est semen, & mensura gloriæ cœlestis. 2. Non habere maculam, qua scilicet sint ingrati & odibiles Deo, quia nullo mortali peccato inquinati sunt. 3. Non habere rugam, quia sunt pulchri, & formosi per gratiam sanctificantem, quæ est maxima, ac divina quædam pulchritudo animæ. Unde Apostolus per synecdochen Scripturæ familiarem, toti Ecclesiæ tribuit, quod uni parti convenit, & quidem nobiliori.

Porro sicut Redemptio Christi erga Ecclesiam non perficitur planè nisi in statu futuræ gloriæ, ita tunc duntaxat perficietur plena immunitas Ecclesiæ in suis membris ab omni ruga & macula etiam levi.

Quare aliqui hunc textum exponunt de Ecclesia, qualis post Resurrectionem futura est, ut S. Augustinus, l. Retract. c. 20.

§. III.

Dico. 3. De vera Christi Ecclesia sunt etiam magni peccatores sive occulti, sive manifesti.

Prob. 1. Ex Scriptura, Matth. c. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum ... Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos. ... Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Hìc Christus loquitur de sua Ecclesia, in qua inveniuntur graves peccatores, & tales ut digni sint, qui ab Ecclesia expellantur, si se non emendaverint: & tamen in Ecclesia manent, donec ab Ecclesiæ Prælatis ejiciantur. Idem constat ex variis Christi Parabolis, ut ex Parabola Convivii, in quo inveniuntur non habentes vestem nuptialem, id est, gratiam sanctificantem, Matth. c. 22. & Parabola Virginum, quarum quinque erant fatuæ, carentes oleo, hoc est, gratia sanctificante & charitate.

Item ex 1. Cor. c. 5. *omnino auditur inter vos fornicatio: & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Certè incestuosus ille Corinthius erat gravissimus peccator, & quidem manifestus: & tamen post crimen suum admissum adhuc erat de Ecclesia, ut patet tum ex verbis immediatè sequentibus: *& vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* Tum ex eo, quòd Apostolus jubet incestuosum illum à corpore Ecclesiæ abscindi per excommunicationem: *judicavi ut præsens*, inquit. *eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis, & meo Spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu, tradere hujusmodi Satanæ, in interitum carnis.*

Prob. 2. Ex Patribus, qui tanquam dogma Catholicum contra Novatianos, & Donatistas tuentur nostram assertionem. Hìc sufficiat S. Augustin. l. 3. contra litteras Petiliani, c. 12. ubi ait: *Homo sum de area Christi: palea, si malus: granum, si bonus.* Esse de area Christi est esse de Ecclesia: & dicit, hominem malum esse de area Christi. Et l. 7. de Baptismo c. 51. *nam & istos* (graves peccatores) *esse in domo*: hoc est, in Ecclesia) *negare non possumus, dicente Apostolo: in magna autem domo non solùm aurea & argentea vasa, sed & lignea & fictilia*, &c. Et Tract. 6. in Jo. *Si Arca figurabat Ecclesiam, videtis utique; quia necesse est, ut in isto diluvio sæculi utrumque genus contineat Ecclesia, & corvum & columbam. Qui sunt corvi? Qui sua quærunt. Qui columbæ? Qui ea, quæ Christi, quærunt ... Mali & boni sunt in Ecclesia Catholica.* Et S. Hieronymus, in dialogo contra Lucif. ubi ait: *Arca Noë Ecclesiæ*

typus

typus fuit ... Ut ibi pardus, & hædi, & lupus, & agni; ita & hìc (in Eccleſia) *juſti & peccatores, id eſt, vaſa aurea, & argentea cum ligneis & fictilibus commorantur.*

Præterea docet, hæreticos occultos eſſe intus in Eccleſia, & eos portari ab Eccleſia, ut §. 4. oſtendetur: ergo ſentit, peccatores eſſe de corpore Eccleſiæ.

Prob. 3. Ratione. Quia alioqui maxima incommoda inde ſequerentur, ſi nempe peccatores non eſſent de Eccleſia. Nam incertum eſſet, quinam eſſent de Eccleſia; incertum eſt enim, qui revera ſint juſti. Item fruſtra eſſet Sacramentum Pœnitentiæ, quod non poteſt adminiſtrari niſi iis, qui ſunt de Eccleſia. Item Prælati Eccleſiæ per grave peccatum deſinerent eſſe de Eccleſia, proindeque deſinerent eſſe Prælati Eccleſiæ, unde jam eis obtemperandum non eſſet: ex quo ſanè magna ſcandala & mala, & graves perturbationes orirentur. Hinc Conc. Conſtantienſe, ſeſſ. 15. damnavit hanc Joannis Hus propoſitionem: *Nullus eſt Dominus civilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.*

Confirm. Ex Conſtitutione Clementis XI. *Unigenitus Dei Filius;* ab Eccleſia Catholica recepta, in qua damnantur multæ Queſnelli propoſitiones, quibus ab Eccleſia peccatores excluduntur.

Obj. 1. In Symbolo Eccleſia dicitur ſancta: ergo non conſtat niſi ex ſanctis.

Reſp. Nego conſ. Nam Eccleſia dicitur, & eſt verè ſancta; quia (ut ait Bellarm.) omnia, quæ eam conſtituunt, ſunt ſancta, nimirum 1. Baptiſma, quod ſanè ſanctum eſt. 2. Profeſſio Doctrinæ Chriſtianæ: quæ profeſſio profectò ſancta eſt, & quidem ſola, cùm aliarum Sectarum profeſſio non ſit ſancta. 3. Unio membrorum inter ſe, & cum capite ſaltem externa, & quoad ea, quæ ad Religionem pertinent: quæ unio eſt procul dubio etiam ſancta.

Præterea Chriſti Eccleſia dicitur etiam ſancta propter Sanctos, quos habet, & facit per ſua Sacramenta, doctrinam ſuam ſanctam cum auxilio Gratiæ: & quidem ſola habet, & eſſentialiter habet, & facit. Denique Eccleſia dici etiam poteſt ſancta, quia tota conſecrata eſt Deo, & quia Caput ejus Chriſtus eſt Sanctus Sanctorum, & omnis Sanctitatis Auctor.

Dices. Eccleſia habet peccatores: ergo debet etiam dici ſcelerata.

Reſp. Nego conſeq. Tum quia Eccleſia non habet peccatores ex ſe, ex ſuo conſtitutivo, ſed tantùm per accidens, nempe per culpam, & malitiam ipſorum peccatorum, nec eos tales facit: at eſſentialiter habet, & facit Sanctos, & per ſe tendit tantùm ad efficiendos Sanctos per doctrinam ſuam, per Sacramenta, & gratias ipſis annexas. Tum quia habere Sanctos eſt proprium, & eſſentiale Chriſti Eccleſiæ: ipſa enim ſola habet, & facit Sanctos. At habere malos non eſt proprium Eccleſiæ; id enim etiam aliis cœtibus convenit. Tum quia denominatio fit à meliori parte: in Eccleſia autem ſemper ſunt magno numero fideles juſti, à quibus denominari debet.

Porro in vera Chriſti Eccleſia continentur omnes juſti & electi. Nam nemo eſt ſanctus, niſi qui veram Chriſti doctrinam profitetur, & ejus Sacramenta ſuſcipit, & legitimis ſuis ſuperioribus obtemperat: ſed præter juſtos electos ſunt etiam in Eccleſia reprobi, & peccatores.

Obj. 2. S. Pacianus, Epiſt. 3. ad Sempronianum, ait: *cæterùm peccator & pœnitens non eſt Eccleſiæ macula; quia quamdiu peccat & non pœnitet, extra Eccleſiam conſtitutus eſt.*

Reſp. Nomine peccatoris ibi ſolùm intelligit reum alicujus gravis criminis, & propter illud notoriè excommunicatum. Nam hæc epiſtola ſcripta eſt contra Novatianos, qui homines graviſſimi alicujus peccati reos, quamvis poſtea pœnitentes, ab Eccleſia abſolvi non poſſe docebant. Et in eadem Epiſtola proximè ante verba objecta dicit, Eccleſiæ eſſe prolem innumeram, qua totus orbis impletur. In prole autem innumera, qua totus mundus impletur, profectò ſunt multi peccatores. Unde addit inter innumeros Eccleſiæ filios caſtigari ſuperbos, curari ægrotos, & plurimos ex indulgentia Matris retineri.

Obj. 3. Ex Patribus Deum Patrem habere non poteſt, qui Eccleſiam non habet Matrem. Ergo ſimiliter Eccleſiam Matrem habere non poteſt, qui Deum non habet Patrem, ſicuti non habent peccatores.

Reſp. Nego conſequentiam. Nam ſenſus Patrum eſt, eum non poſſe eſſe juſtum, Dei adoptivum filium & amicum, qui non eſt in Eccleſia ſaltem voto: quod verum eſt. Sed non inde ſequitur, eum non poſſe eſſe de Eccleſia, qui non eſt juſtus & Dei amicus; quia plus requiritur, ut quis ſit juſtus & Deo gratus, quàm ut ſit membrum Eccleſiæ.

Obj. 4. S. Chryſoſt, Hom. 3. in c. 2. Ep. ad Tim. Illud Apoſtoli (*in magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia*) exponens dicit, per magnam domum intelligi, non Eccleſiam, ſed mundum. Ergo ſenſit in Eccleſia non eſſe vaſa lignea & fictilia, per quæ peccatores ſignificantur.

Reſp. Nego conſeq. Quia hunc textum intelligit de mundo, non de Eccleſia, eò quòd hanc ſimilitudinem accipiat quoad omnia: nempe etiam quoad neceſſitatem; nam in magna domo neceſſaria ſunt vaſa lignea & fictilia. Unde ſolùm vult, non neceſſe eſſe, ut ſint in Eccleſia vaſa lignea & fictilia, per quæ ſignificantur peccatores. Quod patet ex ejus verbis: *Paulus... dum dicit: in magna domo eſſe vaſa non modò aurea & argentea, ſed etiam lignea & fictilia, ac ſi dicat: quemadmodum in majori domo neceſſaria eſt magna differentia vaſorum, ita & in orbe toto. Non, enim eam ſimilitudinem ad Eccleſiam refert verùm ad univerſum mundum. Quippe in Eccleſia nullum vult eſſe vas ligneum aut fictile, ſed argentea omnia & aurea. Ibi enim eſt Corpus Chriſti, ibi Virgo caſta, non habens maculam, neque rugam:* id eſt, Eccleſia eſt Corpus Chriſti, & Virgo caſta, & ſancta per ſe, & ex intrinſecis, ſeu ſecundùm *ea*, quæ eam conſtituunt, ſecundùm finem, propter quem inſtituta eſt, & ad quem per ſe tendit, & ſecundùm media, quæ ſuis membris ſuppeditat.

Obj. 5. S. Hieronym. in c. 5. Ep. ad Epheſ. ait: *Eccleſia Chriſti glorioſa eſt: non habens maculam, neque rugam, aut quid iſtiusmodi. Qui ergo peccator eſt, & aliqua ſorde maculatus, de Eccleſia Chriſti non poteſt appellari, nec Chriſto ſubjectus dici ... peccator currat ad medicum ... & fiat de Eccleſia, quæ Corpus eſt Chriſti.*

Reſp. Ex S. Doctore peccator non eſt de Eccleſia ſumpta quoad animam, & quoad partem, quæ glorioſa & ſancta eſt, nempe quæ juſtos complectitur. Nam ipſe multis locis clarè docet, in Eccleſia eſſe bonos & malos, ut in dialogo contra Luciferianos.

Obj. 6. S. Auguſt. variis locis docet, peccatores non eſſe de Eccleſia, non pertinere ad Eccleſiam, ut l. 2. cont. litteras Petiliani, c. 108. ubi de magnis peccatoribus ait: *Nec ideo putandi ſunt, eſſe in Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, quia Sacramentorum ejus corporaliter participes fiunt.* Et l. 6. de Baptiſmo, c. 3. *quos non pertinere ad ſanctam Eccleſiam Dei, quamvis intùs eſſe videantur, ex hoc apertiſſimè apparet: quia iſti ſunt avari, raptores, fœneratores, invidi, malevoli, & cætera hujusmodi. Illa autem columba, unica, pudica, & caſta, ſponſa ſine macula & ruga, quod non intelligitur, niſi in bonis, & ſanctis & juſtis.* Et l. 7. c. 52. dicit, bonos eſſe in Eccleſia & de Eccleſia; malos verò eſſe quidem in Eccleſia; ſed non eſſe de Eccleſia.

Reſp. Solùm vult, malos non pertinere ad Eccleſiam, non eſſe de Eccleſia, ut eſt Corpus vivum per Charitatem & gratiam ſanctificantem, quamvis ſint de Eccleſia conſiderata ut corpus morale, & ſenſibile. Sive ſolùm vult, malos non eſſe de Eccleſia ut membra viva, quamvis ſint de Eccleſia ut membra arida & mortua, ſicque ſint pars Eccleſiæ, ſicut membrum mortuum non deſinit eſſe pars corporis vivi, donec ab eo abſcindatur. Unde S. Doctor, l. 7. de Baptiſmo, c. 51. dicit, Hæreticos & Schiſmaticos eſſe magis ſeparatos, quàm peccatores; quia illi ſunt ſpiritualiter & corporaliter ſeparati, hi verò tantùm *ſpiritualiter ſeparati ſunt*, id eſt, ſunt ſeparati ab anima Eccleſiæ per peccatum, ſed non à corpore: *ſeparatiores enim ſunt* (Hæretici, & Schiſmatici) inquit, *jam etiam*

corporaliter ſegregati, quàm illi, qui in terris carnaliter & animaliter vivunt, & ſpiritualiter ſeparati ſunt. Et tract. 61. in Joan. dicit, malos eſſe, & non eſſe in Eccleſia: eſſe ſecundùm communionem Sacramentorum, & non eſſe ſecundùm ſuorum proprietatem criminum. *Utrumque verum eſt*, inquit, *& ex nobis, & non ex nobis: ſecundùm aliud ex nobis, ſecundùm aliud non ex nobis. Secundùm communionem Sacramentorum ex nobis: ſecundùm ſuorum proprietatem criminum, non ex nobis.* Itaque mali ſunt de corpore Eccleſiæ propter communionem Sacramentorum, & externam Fidei profeſſionem ſub legitimis Paſtoribus, propter quam habent unionem moralem cum bonis: ſed non ſunt de Eccleſia quoad animam: ſive non ſunt ex anima Eccleſiæ Chriſti niſi inchoatè: non ſunt de Eccleſia ſumpta inadæquatè, nempe ſecundùm animam, quia propter ſua crimina charitate & gratia ſanctificante privantur. Peccatores tamen ſunt etiam interiùs de Eccleſia, cùm ei uniantur internis vinculis, nempe habitibus Fidei & Spei, atque jurisdictione ſpirituali, donec ab ea abſcindantur.

Eodem ſenſu explicabis aliquos alios Patres, qui objici poſſent, & ſpeciatim S. Hieronymum, in cap. 9. Epiſt. ad Galatas.

Inſt. S. Auguſtinus Tract. 3. in Epiſt. Joannis, dicit, malos eſſe in Eccleſia ſicut ſunt in corpore humores mali, qui certè non ſunt membra corporis humani.

Reſp. Solùm vult, malos non eſſe membra viva corporis Eccleſiæ, nec eſſe de anima Eccleſiæ, ſicut ſunt boni, non eſſe membra conſtituentia Eccleſiæ corpus vivum. Porro S. Doctor non dicit, malos, aut hæreticos occultos eſſe in Eccleſia tantùm ut humores malos; ſed dicit, malos eſſe in corpore Eccleſiæ ut humores malos, qui nempe ſunt membra mortua & putrida. Membra autem mortua participant totam rationem generícam membri Eccleſiæ. Nam eandem Fidem exteriùs profitentur, eadem Sacramenta participant, & ſubſunt eidem capiti perinde ac membra viva.

Igitur hoc eſt diſcrimen inter bonos & malos quoad Eccleſiam, quòd boni ſint de Eccleſia, tanquam membra viva: ſint de corpore & anima Eccleſiæ; mali verò ſint tantùm de corpore Eccleſiæ, tanquam membra mortua & imperfecta, nec ſint de ejus anima niſi inchoatè, nempe per Fidem, & Spem. Item eadem Sacramenta licitè, & utiliter participare non poſſunt, niſi ſeſe convertant, & emendent.

Obj. 7. Omnes mali pertinent ad regnum diaboli: ergo non pertinent ad veram Eccleſiam, quæ eſt regnum Chriſti.

Reſp. Nego conſeq. Nam mali ad utrumque regnum, Chriſti ſcilicet & diaboli pertinent. Quatenus enim in externa Fidei Catholicæ profeſſione, & conjunctione cum cæteris Fidelibus, & ſubjectione legitimis Paſtoribus debita perſeverant, ad Chriſti regnum pertinent: quatenus verò mali ſunt, ad regnum diaboli pertinent.

Obj. 8. Eccleſia eſt corpus vivum, ut dicit S. Auguſtinus. Ergo omnia ejus membra ſunt viva.

Reſp. Nego conſeq. Nam corpus vivum poteſt habere, & ſæpè habet vera membra, quæ ſunt mortua, & quæ tamdiu ſunt ejus membra, quamdiu ab eo non abſcinduntur.

Imò exinde confirmatur noſtra aſſertio. Itaque Eccleſia eſt corpus vivum: ac proinde in Eccleſia eſt corpus, & anima. Animam conſtituunt virtutes, præſertim Theologicæ, Fides, Spes, & Charitas, atque gratia ſanctificans: Corpus verò Eccleſiæ conſtituunt externa veræ Fidei profeſſio, Sacramentorum, atque eorundem actuum Religionis communio, & legitimis Paſtoribus ſubjectio exterior. Unde in multitudine illa hominum, qui ſunt Eccleſia Chriſti, aliqui ſunt de corpore, & anima Eccleſiæ, ut Fideles juſti, qui ſunt membra viva: aliqui de corpore tantùm, ut infideles occulti: aliqui ſunt de corpore integrè, & de anima inchoatè, ſeu diſpoſitivè, nempe peccatores, qui ſolam Fidem, vel Fidem cum ſola Spe habent: aliqui denique ſunt de anima tantùm, ut Catechumeni, & excommunicati non tolerati, qui habent Fidem, Spem, & Charitatem realiter diſtinctam à gratia ſanctificante, aut ſaltem ab ea inſeparabilem: & qui proinde ſunt de corpore Eccleſiæ in voto.

Por-

Porro gratia ſanctificans ſeu habitualis, & virtutes Chriſtianæ, præſertim Theologicæ, ſunt proprietates eſſentiales veræ Eccleſiæ, ab ea in multis ejus membris inſeparabiles ex ſuppoſitione promiſſionum divinarum, & Providentiæ ſupernaturalis.

Inſt. Membra mortua nil agunt, nec ſunt organa corporis vivi. Ergo peccatores non ſunt membra Eccleſiæ, ſi ipſa ſit corpus vivum.

Reſp. Nego conſeq. Diſparitas eſt, quia anima vitales actiones exercere nequit, niſi per membra viva, & animata. At Eccleſia functiones ſuas exequi poteſt per membra mortua, ſeu vita ſpirituali privata. Nam ad functiones Eccleſiæ validè obeundas ſufficit poteſtas *ordinis*, quæ poteſt eſſe ſine Charitate, in qua conſiſtit vita animæ.

Dices. Membrum mortuum non eſt membrum niſi æquivocè. Ergo.

Reſp. Nego anteced. Nam ratio generica membri Eccleſiæ tota participatur à bonis & malis Chriſtianis. Boni quippe & mali eandem Fidem profitentur, eadem Sacramenta participant, & eidem capiti, ac legitimis Paſtoribus Eccleſiæ ſubjecti ſunt.

§. IV.

Dico. 4. Infideles occulti, id eſt, ii, qui carent Fide interna, proindeque carent omni alia virtute Chriſtiana, & tamen Chriſtianam Fidem exteriùs profitentur, & in communione Sacramentorum veris Fidelibus commiſcentur cum exteriori ſubjectione Paſtoribus Eccleſiæ, ſunt de Eccleſia, ſed tantùm quoad partem viſibilem & exteriorem, & ut membra mortua & arida.

Prob. 1. Ex Script. 1. Joan. cap. 2. *& nunc Anti-Chriſti multi facti ſunt ... ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis.* Hic Joannes per Anti-Chriſtos intelligit hæreticos notorios, & dicit, eos exiviſſe ab Eccleſia per publicam ſcilicet hæreſis profeſſionem. Ergo ante illam profeſſionem publicam erant in Eccleſia: nam repugnat aliquem exire è loco, in quo non eſt. Ergo infideles occulti, quamdiu eandem Fidem exteriùs profitentur, & communionem habent cum Fidelibus, nec abſcinduntur, ſunt de corpore Eccleſiæ. Nec obſtant hæ voces *(non erant ex nobis)* quia ſolùm ſignificant, eos non fuiſſe de Eccleſia animo & voluntate, neque tanquam membra viva, vel ſecundùm prædeſtinationem.

2. Ex Patribus. Pro omnibus ſit S. Auguſtinus, qui l. de geſtis cum Emerito, ſic ait: *Quidam adhuc corde poſiti in parte Donati, præſentiam nobis exhibent corporalem, ſive viri, ſive fœminæ, carne intus, ſpiritu foris.* Ergo Donatiſta occultus, & proinde quilibet alius hæreticus occultus, eſt intra Eccleſiam, licèt non animo, nec voluntate. Et l. 4. de Baptiſmo, c. 10. *Magna quidem quæſtio eſt, utrum pejor fuerit Nicolaus exterior jam, quàm Simon adhuc interior, quia ille hæreticus* (manifeſtus) *iſte magus*, & infidelis occultus. Et l. de catechizandis rudibus, c. 17. *Sunt, qui propterea volunt eſſe Chriſtiani, ut aut promereantur homines, à quibus temporalia commoda expectant, aut quia offendere nolunt, quos timent. Sed iſti reprobi ſunt; etſi ad tempus eos portat Eccleſia, ſicut area uſque ad tempus ventilationis paleam ſuſtinet: ſi non ſe correxerint, & propter futuram ſempiternam requiem Chriſtiani* (animo & voluntate) *eſſe cœperint, in fine ſeparabuntur .. ſunt etiam alii meliori quidem ſpe, ſed tamen non minore periculo, qui jam Deum timent, & non irrident Chriſtianum nomen, nec ſimulato corde intrant Eccleſiam Dei, ſed in iſta vita expectant felicitatem, &c.* Ergo ex S. Doctore, qui fictè & apparenter tantùm Fideles ſunt, ſunt in Eccleſia, donec ſeparentur, ideoque ſunt de corpore Eccleſiæ, & ejus membra, licèt arida & mortua.

3. Ratione. Quia alioqui nemo ſcire poſſet, ſuum Epiſcopum & Paſtorem eſſe de Eccleſia: nam certò ſcire non poſſumus eum in aliquam occultam hæreſim lapſum non eſſe.

Obj. 1. S. Auguſt. l. 2. de Bapt. c. 19. loquens de hæreticis occultis, ait: *inventis occaſionibus, foras exeunt ... ſed etiamſi occaſiones deſint, cùm intus videntur, ab illa inviſibili Charitatis compage ſeparati ſunt. Unde Joannes dicit: ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis.*

Reſp.

Resp. S. Doctor solùm vult, hæreticos occultos non esse de Ecclesia secundùm animam sumpta, & per unionem spiritualem, ac internam: sive non esse de Ecclesia, tanquam membra viva, & eo modo quo sunt justi, ut patet ex his verbis: *ab illa invisibili Charitatis compage separati sunt:* quia nempe sunt separati ab anima Ecclesiæ. Unde non sunt de Ecclesia quoad animam sumpta, quamvis sint de corpore Ecclesiæ, seu de Ecclesia quantum ad corpus. Igitur occulti hæretici non sunt in Ecclesia per unionem spiritualem, ac internam, sed per communicationem corporalem, & exteriorem.

Inst. S. August. Tract. 3. in Epist. Joannis, sic ait: *Omnes Hæretici, omnes Schismatici ex nobis exierunt: id est, de Ecclesia exeunt; sed non exirent, si ex nobis essent: antequam exirent ergo, non erant ex nobis.*

Resp. Solùm vult, occultos hæreticos non esse de Ecclesia quoad animam spectata, non esse de Ecclesia ut membra viva, non esse membra viva Ecclesiæ, & constituentia Ecclesiam in esse corporis vivi, seu ut corpus vivum. Nam ibidem dicit, hæreticos occultos esse in Ecclesia, scilicet ut membra mortua & arida, sic enim prosequitur: *si antequam exirent, non erant ex nobis; multi intus sunt, non exierunt, & tamen Anti-Christi sunt: audemus hoc dicere: ut quid, nisi ut unusquisque, cùm intus est, non sit Anti-Christus?*

Item, cùm S. Doctor dicit, hæreticos occultos jam præcisos esse, intelligit interiùs ab anima Ecclesiæ, non verò exteriùs ab ejus corpore.

Obj. 2. Concil. Lateranense IV. c. 1. ait: *Una est Fidelium universalis Ecclesia, extra quam nemo salvatur.*

Resp. Hic nomine Fidelium intelliguntur ii omnes, qui veram Fidem exteriùs profitentur, & interiùs habere præsumuntur. Nam id intelligitur nomine Fidelium, quod communiter intelligi ur nomine Catholicorum, & Christianorum: Catholici autem nomine communiter intelligi ur is, qui Fidem Catholicam exteriùs profitetur sub regimine legitimorum Pasto.um, & intùs habere præsumitur.

Obj. 3. Aliqui Patres dicunt, Hæreticos non esse Christianos.

Resp. Illi Patres loquuntur de hæreticis manifestis, qui nempe Fidem Christianam totalem neque in corde tenent, neque exteriùs profitentur. Hi autem non sunt Christiani: nam nomen Christiani est nomen professionis; & Christianus dicitur ille omnis & solus, qui Christianam Fidem profitetur. Quòd si quandoque Patres de hæreticis etiam occultis loquuntur, volunt solùm, eos non esse Christianos Fide interna, & moribus, seu non esse bonos Christianos. Igitur occulti hæretici sunt mali Christiani, sed tamen Christiani exteriùs, & quoad professionem externam.

Obj. 4. Fides est forma Ecclesiæ. Ergo non sunt de Ecclesia, qui Fidem intus non habent.

Resp. Fides externa, sive externa professio Fidei Christianæ cum participatione Sacramentorum, & subordinatione ad legitimos Pastores est forma, seu constitutivum corporis Ecclesiæ. Fides autem interna ut Charitate formata, seu Charitas cum suis comitibus Fide & Spe habitualibus constituit animam Ecclesiæ.

Obj. 5. Infideles occulti non sunt uniti Christo capiti primario Ecclesiæ: ergo non sunt de Ecclesia.

Resp. Infideles occulti sunt uniti Christo exteriùs tantùm, non interiùs: unde Christus non influit in illos tanquam caput, sicut influit in Fideles Fidem internam habentes, nec illi sunt de anima Ecclesiæ, ne inchoatè quidem, sed tantùm de corpore Ecclesiæ.

Corollarium.

Ex dictis inferes, aliquem hoc ipso esse de Ecclesia, quòd Fidem Catholicam exteriùs profitetur, & Sacramentis Ecclesiæ communicat, cum debita subjectione legitimis Ecclesiæ Pastoribus, & præsertim ejus capiti; quamvis Ecclesia non vivat in illo, nec ipse sit vivum membrum Ecclesiæ defectu Charitatis & gratiæ sanctificantis. Nam hìc agitur de notione Ecclesiæ prout est communis bonis & malis, & prout est corpus morale, proindeque sensibile.

Dices. Ergo homo non baptizatus poteſt eſſe de corpore Eccleſiæ : nam poteſt ſupradicta præſtare.

Reſp. Homo non baptizatus, quem non conſtat eſſe privatum Baptiſmo, ſi Fidem Catholicam profitetur, & Fidelibus communicat in Sacramentis, & Sacrificio Miſſæ cum debita ſubjectione Paſtoribus Eccleſiæ, eſt de Eccleſia. Nam Innocentius III. c. *Apoſtolicam*, de Presbytero non baptizato : interrogatus de Presbytero ſine Baptiſmo defuncto, reſpondet illum ; *quia in Sanctæ Matris Eccleſiæ Fide, & Chriſti nominis confeſſione perſeveravit, ab originali peccato ſolutum, & cœleſtis patriæ gaudium eſſe adeptum, aſſerimus incunctanter.* Et ſic concludit : *in Eccleſia tua juges preces, hoſtiasque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato.* Ergo Presbyter ille non baptizatus, erat de Eccleſia : nam Sacrificia offerri non poſſunt pro iis, qui extra Eccleſiam moriuntur.

ARTICULUS III.

Quid ſit Eccleſia?

Dico. Eccleſia Chriſti Militans, & univerſalis, eſt cœtus hominum inter ſe conjunctorum ejuſdem Fidei Chriſtianæ profeſſione, & eorundem Sacramentorum communione ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipuè unius in terris Chriſti Vicarii, ſupremi Romani Pontificis. Ita Bellarminus.

Bonitas hujus notionis patet ex eo, quòd conveniat omni & ſoli, qui eſt de Eccleſia Chriſti. Nam (ut modò probatum eſt) in hac definitione includuntur omnes, qui ſunt de Eccleſia Chriſti, etiamſi impii, ac reprobi ſint ; & ab ea excluduntur omnes, qui ſunt extra Eccleſiam Chriſti, ut Catechumeni, Infideles manifeſti, Schiſmatici, & excommunicati non tolerati.

Igitur ut quis ſit de Eccleſia, tria requiruntur ; nimirum 1. Ejuſdem Fidei Chriſtianæ profeſſio. Nam infideles, qui hanc Fidem nunquam profeſſi ſunt, manifeſti hæretici, & apoſtatæ, qui ejusmodi Fidei profeſſionem abjecerunt, non ſunt de Eccleſia. 2. Eorundem Sacramentorum communio. Nam Catechumeni, qui nondum ad Sacramentorum participationem admiſſi ſunt, & excommunicati non tolerati, qui ab hac participatione repulſi ſunt, non ſunt in Eccleſia. 3. Subjectio legitimis Paſtoribus, ac præcipuè Romano Pontifici totius Eccleſiæ Capiti viſibili.

Hæ autem tres conditiones ſufficiunt, ut quis ſit de Eccleſia. Nam quicunque eandem Fidem Chriſtianam profitetur, & eadem Sacramenta participat, ſub regimine legitimorum Paſtorum, & præcipuè Romani Pontificis, eſt verè de Eccleſia : quamvis ſit gravis peccator, reprobus, & hæreticus occultus, ut modò probatum eſt.

ARTICULUS IV.

Utrum Eccleſia ſit viſibilis?

Nota. Ex dictis conſtat, Eccleſiam in ſuo eſſe Eccleſiæ conſtitui per hoc, quòd ſit cœtus hominum Fidem Chriſtianam totalem profitentium, & eadem Sacramenta participantium ſub regimine legitimorum Paſtorum, & præcipuè Romani Pontificis viſibilis Capitis Eccleſiæ. Ex quo ſequitur, Eccleſiam eſſe omninò viſibilem, ſicuti viſibile eſt Regnum Galliæ, Germanicum Imperium. Juvat tamen eandem veritatem adhuc probare contra Lutherum & Calvinum docentes, veram Chriſti Eccleſiam eſſe inviſibilem.

Dico. Vera Chriſti Eccleſia eſt viſibilis. Eſt de Fide.

Prob. 1. Ex Script. Iſai. c. 2. de Eccleſia Chriſti ait : *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium : & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, &c.* Matth. c. 18. *Dic Eccleſiæ : ſi autem Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus.* Ergo in vera Chriſti Eccleſia homo debet fratrem peccantem corripere, & reſipiſcere nolentem deferre Prælatis Eccleſiæ, qui illum corripere, & contumacem ab Eccleſia expellere debent : & conſequenter ipſe delinquens tenetur Prælatos Eccleſiæ audire, eisque parere. Hæc autem omnia fieri nequeunt, niſi vera Chriſti Eccleſia ſit viſibilis, ut per ſe patet. Item Act. c. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus San-*

Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ergo in vera Christi Ecclesia Pastores debent gubernare subditos suos, eos docere, hortari, iis Sacramenta administrare: proindeque subditi debent observare Pastores suos, eos audire, eis obedire, juxta illud, Heb. c. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis.* Atqui hoc fieri evidenter nequit, si vera Christi Ecclesia, quæ nihil aliud est, quàm Pastores & Oves Christi, sit invisibilis. Ergo.

Item 1. Tim. c. 3. *Hæc tibi scribo ... Ut scias, quomodo oportet te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.* At Timotheus non potuerat in Ecclesia Dei conversari, nisi sciret, quænam esset. Ergo.

Paulò aliter. Ex Scriptura Ecclesia instituta est per modum montis, ad quem gentes omnes undequaque confluere debent, juxta Isai. c. 2. cit. Ergo Ecclesia ex vi suæ constitutionis à Christo ordinatæ visibilis est etiam ipsis extraneis. Item, Ecclesia Christi instituta est ut societas constans ex Pastoribus & Doctoribus, qui alios docerent, juxta illud, Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam Apostolos, alios autem Pastores & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii in ædificationem Corporis Christi.* Quæ quidem societas necessariò exigit aliquod exterioris communionis vinculum inter Pastores, docentes verbum Dei, & administrantes Sacramenta, & cæteros Fideles, quibus prædicetur verbum Dei, & administrentur Sacramenta. Item sic instituta est Ecclesia, ut haberet Tribunal publicum, ad quod deferri possent causæ privatorum, juxta illud Christi, Matth. c. 18. *Si non audierit eos, dic Ecclesiæ, &c.* Quod Tribunal publicum non habet locum in invisibili societate.

Prob. 2. Ex unanimi Patrum consensu. Hic sufficiat S. August. qui Epist. 106. sic ait: *Ipsa est Ecclesia in Sole posita, hoc est, in manifestatione omnibus nota usque ad terminos terræ.* Et Tract. 1. in Epist. Joan. *nunquid digito ostendimus istum montem?* (veram Christi Ecclesiam) ... *Nonne aperta est* (Ecclesia) *non ne manifesta? Ecce civitas, de qua dictum est: non potest civitas abscondi super montem constituta ... Erit in novissimis diebus manifestus mons Domini, paratus in cacumine montium. Quid tam manifestum, quàm mons?*

Prob. 3. Ratione multiplici. 1. Ecclesia Christi (ut ex dictis constat) est cœtus hominum inter se conjunctorum externa Fidei Christianæ professione, & eorundem Sacramentorum perceptione, sub regimine legitimorum Pastorum, & præcipuè summi Pontificis. Atqui talis cœtus est planè visibilis, cùm sit signis externis, ac visibilibus colligatus. Ergo vera Christi Ecclesia est visibilis.

2. Vera Christi Ecclesia in terris existens (de qua hìc agitur) est societas hominum, non Angelorum, aut solarum animarum. Sed omnis societas humana est visibilis: nam non est societas humana, nisi socii se invicem agnoscant, & idcircò nulla societas inter homines sine signis sensibilibus perficitur: ergo vera Christi Ecclesia est visibilis.

3. Si vera Christi Ecclesia sit invisibilis, nemo poterit scire, quænam sit vera Ecclesia, & sic non poterit ei se adjungere; & in ea perseverare, ejus Capiti, & Prælatis obedire, & cæteris membris communicare. Quæ tamen omnia præstare tenentur omnes sub pœna mortis æternæ, ut docent Scripturæ & Patres. Item neme poterit certò cognoscere, quænam sit vera Fides, & verus Dei cultus, quænam sint veræ Scripturæ divinæ, vera Sacramenta, &c. Nam ista certò cognosci nequeunt nisi ex testimonio veræ Christi Ecclesiæ certò cognitæ.

4. Ecclesia Christi necessariò debet plurimos actus visibiles exercere, scilicet Evangelii prædicationem, Sacrificii oblationem, Sacramentorum administrationem, &c. Item essentialiter constat ex Pastoribus, qui doceant, & ovibus, quæ audiant, & sequantur.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Illud, Jerem. c. 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.*

Resp. Hìc tantùm prædicitur copia gratiarum Christianis danda, & eximia eorum mul-

multorum ſanctitas, qua Deo amabiles, & chari ſunt.

Obj. 2. Illud, 1. Petri, c. 2. *& ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini domus ſpiritualis... Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta.*

Reſp. Hi textus ſolùm ſignificant Chriſti Eccleſiam, non ex lapidibus & lignis, ſed ex hominibus Deo ſpecialiter conſecratis, & ad ſpiritualem cultum Deo exhibendum, atque ad ſanctitatem aſſequendam deſtinatis eſſe conſtructam: ſive ſignificant Chriſtianos profeſſione, & vocatione ſua eſſe ſanctos, multosque re ipſa tales eſſe.

Obj. 3. Illud, Luc. 17. *Regnum Dei intra vos eſt.*

Reſp. Per Regnum Dei ibi intelligitur gratia, vel ipſe Chriſtus Auctor gratiæ, & veri Regni Dei; & tunc ſenſus eſt: ipſe Meſſias jam advenit, & inter vos verſatur.

Obj. 4. Illud, Joan. c. 4. *venit hora, & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate.*

Reſp. Senſus eſt, Chriſtianos exhibituros eſſe Deo cultum non merè externum, ut faciebant Samaritani, & Judæi plerique, ſed cum cultu externo conjuncturos cultum internum, & verum affectum placendi Deo.

Obj. 5. Illud, Hebr. c. 12. *Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem, & accenſibilem ignem.... Sed acceſſiſtis ad Sion montem, Civitatem Dei viventis, cœleſtem Jeruſalem.*

Reſp. Apoſtolus vocat Chriſti Eccleſiam montem Sion, ſeu montem ſpiritualem, quia ſpiritualem cultum Deo exhibet, & ei à Chriſto propoſita eſt merces ſpiritualis, ac æterna, non terrena & temporalis, qualis propoſita fuit Judæis. Item appellat Eccleſiam civitatem Dei viventis, quia non ab homine, ſed à Deo vivo & vero condita eſt, gubernatur, conſervatur. Demum Chriſti Eccleſiam vocat Cœleſtem Jeruſalem, quia non ſolùm homines viatores, ſed etiam comprehenſores cum ſanctis Angelis complectitur, & quia Cœlum eſt Chriſtianorum patria, & hæreditas.

Obj. 6. Illud Symboli, *Credo Sanctam Eccleſiam.* Sed ſi Eccleſia eſſet viſibilis, non crederemus eam: Ergo non eſt viſibilis.

Reſp. Nego min. Nam videmus & credimus. Videmus hanc hominum multitudinem, quæ eſt Sancta & vera Eccleſia: & hanc multitudinem eſſe Sanctam, ac veram Chriſti Eccleſiam credimus Fide divina propter revelationem divinam credibiliter propoſitam per motiva credibilitatis. At oculis non videmus, nec ullo ſenſu percipimus, eam hominum multitudinem eſſe veram Chriſti Eccleſiam. Præterea idem ſub diverſa ratione & ex diverſo motivo poteſt credi, & evidenter cognoſci: ſic Dei exiſtentiam cognoſcimus evidenter per creaturas, & credimus Fide divina propter ejus revelationem evidenter credibilem per motiva credibilitatis.

ARTICULUS V.

Utrum Eccleſia viſibilis ſit perpetua, ſeu poſſit deſinere eſſe viſibilis ante finem mundi?

NOta. Donatiſtæ olim docuerunt, totam Eccleſiam viſibilem interiiſſe, & in ſolis quibusdam juſtis, Donatiſtis ſcilicet, remanſiſſe in Africa. Lutherus verò & Calvinus docuerunt, Eccleſiam viſibilem poſt quingentos circiter annos defeciſſe uſque ad ſua tempora, & ſolam Eccleſiam inviſibilem eſſe perpetuam. Neque id mirum videri debet. Nam ſi vera Dei Eccleſia perpetuò viſibilis eſt, hoc ipſo convincuntur à vera Dei Eccleſia defeciſſe, ideoque jam non eſſe Fideles, ſed Schiſmatici, & Hæretici. Nulla enim Chriſtiana Eccleſia præter Romanam, à qua receſſerunt, & damnati ſunt, aſſignari poteſt, quæ à tempore Apoſtolorum uſque ad Lutheri, & Calvini tempora viſibilis perdurarit.

Dico. Vera Chriſti Eccleſia perpetuò viſibilis eſt: ita ut à tempore Apoſtolorum ſemper viſibilis fuerit, & futura ſit uſque ad finem mundi. Sive Eccleſia viſibilis, nempe ſumpta ſecundùm externam Fidei profeſſionem, Sacramentorum adminiſtrationem, & primorum Paſtorum regimen eſt indefectibilis. Eſt de Fide.

Prob. 1. Ex Script. Iſa. c. 61. *Fœdus perpetuum feriam eis... germen eorum in medio populorum, omnes, qui viderint eos, cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen, cui benepixit Dominus.*

minus. In hoc capite loquitur Deus de Ecclesia à Christo instituenda, ut constat ex Luceæ, c. 4. ubi Christus initium hujus capitis de adventu suo exponit, & aliunde satis per se patet; significaturque, hanc Ecclesiam fore tum visibilem, ut ex his verbis liquet: *omnes, qui viderint eos, cognoscent illos*: tum perpetuam ut patet ex illis: *Fœdus perpetuum feriam eis.* Item, Matth. c. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Ibi Christus loquitur de Ecclesia sua visibili: nam loquitur de Ecclesia, cujus caput visibile à se constitutum iri Petrum promittit; & testatur, portas inferi nunquam prævalituras esse adversùs hanc suam Ecclesiam, ideoque hanc suam Ecclesiam nunquam defecturam esse; nam prævalerent, si Ecclesia aliquando deficeret.

Item, Matth. c. ult. *Docete... & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Ibi Christus alloquitur Apostolos, & in eorum persona eorum successores, cùm Apostoli non essent permansuri, & docturi in terris usque ad finem mundi. Ergo alloquitur homines visibiles, Pastores legitimos suæ Ecclesiæ, qui habent oves visibiles, quas docere, regere, & pascere debent; qui proinde Ecclesiam docentem visibilem constituunt: & Ecclesiæ illi promittit specialem assistentiam usque ad finem mundi, ne erret in doctrina Fidei, & morum. Ergo Ecclesia visibilis non est defectura in terris usque ad finem mundi.

Prob. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. August. qui in Psal. 101. serm. 2. contra Donatistas sic ait: *Sed illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium, jam non est, periit. Hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem! Illa non est, quia tu in illa non es? Vide, ne tu ideò non sis: nam illa erit, etsi tu non sis. Hanc vocem abominabilem, & detestabilem... prævidit Spiritus Dei, & tam quam contra illos cùm annuntiaret unitatem: in conveniendo populos in unum & Regna, ut serviant Domino.* Quæ postrema verba Scripturæ clarè significant Ecclesiam visibilem; nam Ecclesiæ invisibili convenire non possunt. Et infrà, Ecclesiam sic loquentem inducit: *Quamdiu ero in isto sæculo, annuntia mihi, propter illos, qui dicunt: fuit, & jam non est... Quid est hoc, exiguitatem dierum meorum annuntia mihi? Et annuntiavit, nec vacua fuit vox ista. Quis annuntiavit mihi, nisi ipsa via? Quando annuntiavit? Ecce ego vobiscum sum usque in consumationem sæculi.... Ergo usque in finem sæculi Ecclesia in omnibus gentibus, & ipsa est exiguitas dierum, quia exiguum est omne, quod finitur, ut jam in æternitatem ab ista exiguitate transeatur.* Certè ibi S. Doctor loquitur de Ecclesia visibili, cui dictum est: *docete, & ecce ego vobiscum sum*, &c. De Ecclesia, quæ congregavit populos in unum: *audite* (inquit, ibidem) *quid dicat Ecclesia. Quæ Ecclesia? Quæ congregavit populos in unum*, &c. Loquitur de Ecclesia, quam Epist. 106. contra Donatistas dicit esse *Ecclesiam in Sole positam, hoc est, in manifestatione omnibus notam usque ad terminos terræ.* Adde S. Damascenum, l. 2. Parallelorum, c. 14. ubi ait: *nunquam senex est Ecclesia, sed semper viget, everti non potest; labefactari & corrumpi nequit.*

Prob. 3. Ratione multiplici. 1. Vera Christi Ecclesia nunquam potest perire, seu desinere in terris. Sed vera Christi Ecclesia est visibilis, ut suprà ostensum est. Ergo vera Christi Ecclesia, quæ est visibilis, nunquam potest perire in terris.

2. Omnes omnino homines omnium ætatum tenentur ingredi Ecclesiam, & in ea perseverare, si eam jam ingressi sunt, ut salutem consequantur. Ergo cùm Deus velit salvare omnes homines omnium ætatum, non debuit permittere, ut non possent ingredi ejus Ecclesiam, & ut mandatum ejus fieret impossibile: & consequenter nunquam debet permittere, ut Ecclesia sit aliquando invisibilis; quia tunc homines non possent illam ingredi, aut velle in ea perseverare, cùm non possent illam cognoscere.

3. Ecclesia visibilis nunquam potest à vera Fide deficere, ut sequenti articulo ostendetur. Ergo nunquam perire potest: nam perire non potest, nisi deficiendo à vera Fide.

4. Occulti illi homines, qui Ecclesiam constituunt, vel Fidem suam exteriùs profitentur: vel non. Si primùm, ergo visibilem Ecclesiam constituunt. Si secundùm, ergo non constituunt veram Ecclesiam: nam vera non potest esse Ecclesia Dei, in qua omnes sunt mali, & nemo salvatur. In illa autem multitudine hominum omnes sunt mali, & nemo salvatur, in qua nulli Fidem exteriùs confitentur, sed omnes, Fide intùs retenta, infidelitatem exteriùs profitentur, juxta illud, Rom. c. 10. *corde enim creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ergo vel Ecclesia est semper visibilis, vel nulla est; nam repugnat vera Christi Ecclesia, quæ sit invisibilis.

5. Si Ecceſia visibilis aliquando defuit, seu desiit esse vera Christi Ecclesia, quia (ut volunt adversarii) à vera Fide recessit, desiit quoque esse Ecclesia invisibilis, constans ex justis, & prædestinatis. Nam omnes omnino Christiani Fidem Romanæ Ecclesiæ semper exteriùs professi sunt, præter hæreticos, à quibus Lutherani & Calviniſtæ in multis dissentiunt, quique proinde non habuerunt veram Fidem. Ergo si Ecclesia Romana à vera Fide recessit, omnes omnino, qui Christiani vocantur, falsam Fidem exteriùs professi sunt. Ergo nullus fuit per multa sæcula justus, nec proinde prædestinatus: nam ille non est justus, qui vera Fide intùs retenta, infidelitatem, & mendacium pernicioſum exteriùs profitetur. Et consequenter si Ecclesia visibilis aliquando à vera Fide recessit, per multa sæcula nulla extitit in terris vera Christi Ecclesia.

Obj. 1. S. Hilarius lib. contra Auxentium dicit, Ecclesiam tunc temporis non fuisse in tectis, & exteriore pompa quærendam, sed potiùs in carceribus, & speluncis, quia tunc latebat Ecclesia.

Resp. Ibi loquitur de particulari Ecclesia Mediolanensi, in qua multi simplices venerabantur Auxentium ut Catholicum, qui tamen erat Arianus. Quare solùm vult Hilarius non esse credendum Auxentio, etsi Episcopus videretur, & in Templo concionaretur; & meliùs esse manere in carceribus, & spelunciscum recta Fide, quàm in Templo Dei cum hæreticis.

Porro licèt quandoque Ecclesia multitudine scandalorum obscurari videatur, tamen semper satis per se splendet omnibus, qui veritatem sincerè quærunt.

Obj. 2. S. Chrysost. Hom. 49. in Matth. docet, aliquando nullum esse visibile signum, quo vera Ecclesia cognoscatur, sed tunc solas Scripturas consulendas esse.

Resp. Hæc verba excerpta sunt ex opere imperfecto, cujus auctor non est Chrysostomus, sed aliquis hæreticus. Vel opus illud ab hæreticis corruptum fuit. Ita Bellarm.

ARTICULUS VI.

Utrum Ecclesia visibilis sit semper infallibilis in rebus Fidei?

Dico 1. Ecclesia visibilis sumpta pro universitate Fidelium nunquam errare potest in rebus Fidei, id est, in rebus, quas Deus revelavit esse credendas, vel faciendas, vel omittendas: ita ut quidquid fideles omnes tenent de Fide, sit necessariò de Fide, & revelatum à Deo. Est de Fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. 1. Tim. c. 3. *ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis.* Ibi Apostolus loquitur de Ecclesia visibili, nam loquitur de Ecclesia, in qua Timotheus conversari poterat: non poterat autem in ea conversari, nisi sciret, quænam esset, nec sciret, quænam esset, nisi esset visibilis, & conspicua. Ergo ex Apostolo Ecclesia visibilis est columna, & firmamentum veritatis: & consequenter nullum potest falsum dogma pro vero, aut verum pro falso admittere. Et Matth. c. 16. Christus de Ecclesia visibili ait: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Prævalerent autem, si unquam erraret in Fide.

Item ex Scriptura. Ecclesia gubernatur à Christo tanquam à capite, & Sponso suo, & Spiritu Sancto, juxta illud, Ephes. c. 1. *Ipsum* (Christum) *dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et illud c. 4. *unum corpus, & unus spiritus.* Ergo Christus, & Spiritus Sanctus permittere non possunt, ut Ecclesia erret in Fide; nam permittere non possunt,

ſunt, ut Eccleſia Deum colat cultu falſo, ac proinde falſa Fide, credendo aliquod falſum dogma: alioqui nec Chriſtus officio Capitis, nec Spiritus Sanctus officio Rectoris erga Eccleſiam fungeretur.

2. Ex Patribus. Hîc ſufficiat S. Auguſtinus, qui l. 1. de Symb. c. 5. ait: *Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia una, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans: pugnare poteſt, expugnari non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquam ſarmenta inutilia de vite præciſa: ipſa autem manet in radice ſua, in vite ſua, in charitate ſua. Portæ inferorum non vincent eam.* De Eccleſia viſibili loqui S. Doctorem, patet præſertim ex illis verbis: *hæreſes omnes de illa exierunt.* Nam hæreſes omnes non exeunt de Eccleſia inviſibili, ut docent ipſimet hæretici. Item lib. contra Epiſtolam Fundamenti, c. 5. ait: *Ego verò Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas.* Ergo credebat Eccleſiam viſibilem, & infallibilem in rebus Fidei; nam ibi loquitur de Eccleſia, cujus auctoritate commovebatur; nemo autem commoveri poteſt auctoritate Eccleſiæ, quam non videt. Hinc Ep. 118. ſic ait: *ſi quid tota per orbem frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.*

3. Ratione. Ex Scriptura, & Symbolis Fidei conſtat, Eccleſiam eſſe ſanctam. Ergo nihil niſi ſanctum admittit, & docet, hoc eſt, nihil niſi verum quoad doctrinam, & nihil niſi bonum quoad præcepta & conſilia. Ergo Eccleſia nullum falſum dogma admittit: quod eſt proprietas veræ Chriſti Eccleſiæ; nam ex omnibus omnino Sectis Philoſophorum, hæreticorum, infidelium nulla eſt, quæ aliquod falſum dogma non teneat.

Præterea omnes homines ingredi debent Eccleſiam Chriſti, & habere cum ea unitatem Fidei. Ergo Eccleſia debet eſſe infallibilis: alioqui Fideles deberent ſequi errores, ſi Eccleſia eos doceret.

Dico 2. Eccleſia ſumpta pro univerſitate etiam morali primorum Paſtorum, nunquam errare poteſt in rebus ad Fidem, & mores pertinentibus. Eſt de Fide.

Pro 1. Ex Scriptura, Matth. c. ult. *Docete omnes gentes ... docentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et ecce, ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Chriſtus his verbis alloquitur Apoſtolos, & in eorum perſona Epiſcopos, qui eis in Eccleſia viſibili uſque ad finem mundi ſucceſſuri ſunt: nam Apoſtoli non erant permanſuri in terris uſque in finem mundi; & Epiſcopis, ſeu Corpori Epiſcoporum omnium temporum promittit ſpecialem & continuam, ac perpetuam aſſiſtentiam, ne quid falſum doceant.

Eandem infallibilitatem in rebus Fidei promittit etiam Chriſtus, Joann. c. 14. *Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis.* Et c. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Item Epheſ. c. 4. dicitur de Paſtoribus Eccleſiæ, quòd dati ſint in ædificationem Corporis Chriſti, ut non circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum in aſtutia ad circumventionem erroris. Hoc autem falſum eſſet, ſi Corpus primorum Paſtorum poſſet nos errorem docere.

2. Univerſa Eccleſia ſumpta pro multitudine omnium Fidelium, Paſtorum ſcilicet, & ovium, errare non poteſt in rebus Fidei & morũ, ut conſtat ex 1. aſſertione. Sed univerſa Eccleſia poſſet errare in rebus Fidei & morum, ſi univerſalitas moralis Paſtorum poſſet errare. Nam oves tenentur ſequi doctrinam primorum Paſtorum, juxta illud Chriſti, Luc. 10. *qui vos audit, me audit, &c.* Item univerſa Eccleſia docet, & decernit per primos Paſtores, ſeu Epiſcopos: neque docet, vel decernit quidquam in rebus Fidei, & morum, niſi per Paſtores. Neque hoc munus ullatenus pertinet ad oves. Ergo quod Corpus primorum Paſtorum docet, & decernit, cenſetur eſſe doctrina Eccleſiæ. Et conſequenter ſi Corpus Paſtorum erret docendo, vel decernendo, cenſebitur univerſa Eccleſia errare, & ſic portæ inferi adversùs Eccleſiam prævalebunt: quod repugnat abſolutæ Chriſti promiſſioni.

Nec obſtat, quòd particularis Eccleſia non teneatur ſequi Epiſcopum ſuum errantem. Nam ideo non tenetur ſequi, quia omnes Eccleſiæ par-

particulares tenentur adhærere Corpori Paſtorum ſuo capiti ſubjectorum, à quo deviat Epiſcopus ille particularis: & ſic errante Epiſcopo ſuo particulari, non ideo ipſa errabit. At ſi Epiſcoporum univerſitas erraret, & falſum doceret, neceſſe eſſet omnes Fideles errare. Nam præter Corpus Paſtorum, ſeu Epiſcoporum ſuo Capiti Romano Pontifici unitorum, non ſunt alii Paſtores, quos audire, & ſequi poſſint fideles.

3. Si corpus primorum Paſtorum nempe Epiſcoporum errare poteſt in rebus Fidei & morum, univerſa Eccleſia poſſet errare in aliquo dogmate, vel ſcindi in duas partes, ideoque diſſolvi. Falſum conſeq. Ergo. *Minor* conſtat; nam univerſalis Eccleſia non poteſt errare in Fide: neque etiam poteſt in duas partes ſcindi; nam vera Chriſti Eccleſia eſt collectio Paſtorum & ovium inter ſe per ejuſdem Chriſtianæ Fidei profeſſionem conjunctorum. *Prob. ſequel. maj.* Si corpus Epiſcoporum errare poteſt in Fide, poſſibilis eſt ſuppoſitio, in qua re ipſa erret in aliquo dogmate: in hac autem ſuppoſitione univerſitas ovium, vel ſequetur corpus Epiſcoporum, ei conſentiendo: & tunc errabit cum illo in aliquo articulo Fidei, ſicque univerſa Eccleſia errabit in Fide: vel non ſequetur, ei diſſentiendo: & tunc univerſa Eccleſia ſcindetur in duas partes, ſicque jam nulla erit Eccleſia, quæ conſtat ex Paſtoribus & ovibus per ejuſdem Fidei profeſſionem conjunctis.

Porro nomine morum, circa quos Eccleſia errare non poteſt, comprehenditur etiam diſciplina generalis. Unde Facultas Pariſienſiis, anno 1644. declaravit, *eſſe hæreticum damnare diſciplinam, & conſuetudinem ab omnibus Eccleſiis receptam, tanquam abuſivam, & inſtitutioni Chriſti, atque Evangelicæ doctrinæ contrariam.*

Solvuntur objectiones.

Obj 1. Tota Eccleſia initio mundi conſiſtebat in Adamo & Eva. Sed uterque Fidem amiſit. Ergo tota Eccleſia amiſit, ideoque amittere poteſt Fidem. Ergo & errare in Fide.

Reſp. 1. Si primos parentes peccaſſe eſt Eccleſiam defeciſſe, tunc non ſolùm viſibilis, ſed etiam inviſibilis Eccleſia defecit: quod eſt contra adverſarios.

Reſp. 2. Nego majorem, quæ ſupponit falſum: nam tunc nondum erat Eccleſia; duo quippe homines non ſunt Eccleſia, ſed ſolùm initium Eccleſiæ. Porro Adam cùm poſtea fuit caput & rector Eccleſiæ Dei, tunc nunquam malè docuit.

Obj. 2. Synagoga Judæorum defecit à Fide, 1. Tempore Moyſis, quando Aaron cum toto populo adoravit vitulum, & totus populus clamavit, Exod. c. 32. *hi ſunt Dii tui Iſrael.* 2. Tempore Eliæ, quando Elias ſolus permanſit Fidelis, ut ipſe teſtatur, l. 3. Regum, cap. 19. *derelictus ſum ego ſolus.* 3. Tempore Iſaiæ, juxta illud, Iſai. c. 1. *cognovit bos poſſeſſorem ſuum ... Iſrael autem me non cognovit.* Item tempore Jeremiæ, ex Jerem. c. 2. Ergo etiam Chriſti Eccleſia viſibilis deficere poteſt.

Reſp. 1. Nego conſeq Nam magnum eſt diſcrimen inter Synagogam Judæorum, & viſibilem Eccleſiam Chriſti. Nam Synagoga Judæorum non erat Eccleſia univerſalis, ſed tantùm illius pars: unde ea errante, & deficiente, non idcirco univerſa Eccleſia erraſſet, & defeciſſet. At viſibilis Eccleſia Chriſti eſt Eccleſia univerſalis, proindeque ea errante & deficiente erraret & deficeret univerſa Dei Eccleſia, & conſequenter jam nulla eſſet Dei Eccleſia in terris, quod promiſſionibus divinis repugnat. Præterea viſibilis Eccleſia Chriſti expreſſas habet de ſua infallibilitate & indefectibilitate promiſſiones, quas nunquam habuit Synagoga; nuſquam enim de Synagoga dictum eſt: eſt *columna & firmamentum veritatis: portæ inferi non prævalebunt adversùs eam: ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.*

Reſp. 2. Nego anteced. Nam 1. Cùm Aaron & populus Iſraeliticus in cultu vituli aurei peccavit, tunc neque caput, neque totum corpus Synagogæ defecit à Fide. Nam caput erat ſolus Moyſes; Aaron enim nondum ad ſummum Pontificatum evectus erat;

neque Levitæ defecerunt, ut patet ex Exodi cap. 32. ubi Moyſes ait: *ſi quis eſt Domini, jungatur mihi; congregatique ſunt ad eum omnes filii Levi.* 2. Elias non loquitur de toto populo Iſraëlitarum, ſed ſolùm de illa parte, quæ ſubjecta erat Regi Samariæ, & dicebatur Iſrael, eò quod decem Tribus complecteretur, non vero etiam de illa parte conſtante ex duabus Tribubus Juda & Beniamin, quæ Regi Jeruſalem parebant, & vocabantur Juda, & quibus ſe adjunxit Tribus Levitarum. Nam Eliæ tempore regnarunt in Hieruſalem Aſa, & poſt eum Joſaphat ambo religioſi Principes, ſub quibus veram religionem ſtetiſſe certum eſt.

3. Id quod dicunt Iſaias & Jeremias ſumi debet moraliter, nempe pro magno numero, non pro toto populo. Nam, (ut notat S. Auguſtinus) Prophetæ interdum univerſum populum reprehendunt, quaſi nemo ſit bonus, cùm tamen multi ſint boni; & interdum conſolantur omnes, quaſi omnes ſint boni, cùm tamen multi ſint mali: quod etiam Concionatores faciunt.

Porro hæc verba, lib. 2. Paralip. c. 15. *tranſibunt autem multi dies in Iſrael absque Deo vero, absque Sacerdote, & Doctore, & absque lege*: intelligi debent vel de regno Iſrael, non de regno Juda: vel de tempore poſt Meſſiæ adventum.

Dices. Tota Synagoga defecit à Fide in Paſſione Chriſti, judicando illum eſſe reum mortis, & clamando, *crucifige.*

Reſp. Nego. Nam non omnes Judæi conſenſerunt Sacerdotibus & Senioribus populi, qui Chriſtum condemnarunt; nec omnes, ſed ſolùm aliqui clamaverunt, *crucifige.* Multi enim extra urbem Hieruſalem in tota Judæa, & per totum terrarum orbem erant Judæi plurimi diſperſi, qui ignorabant mortem Chriſti: proindeque in vera Fide & Religione permanebant. Imò multi intra Hieruſalem Sacerdotum & Magiſtratuum factum non approbabant.

Dices. Saltem Synagoga defecit tota poſt plenam Evangelii promulgationem. Ergo idem contingere poteſt toti Eccleſiæ.

Reſp. Tota quidem Synagoga defecit, non quia receſſit à Fide, quam anteà profitebatur; ſed quia cum omnibus ſuis ſacrificiis, & cæremoniis repudiata eſt ut ancilla, & in ejus locum ſucceſſit Eccleſia Chriſtiana ut ſponſa nunquam dimittenda, juxta illud, Oſee, c. 2. *ſponſabo te mihi in ſempiternum.* Et illud, Iſai. c. 61. *fœdus perpetuum feriam eis.* Et illud Chriſti: *ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, &c.* Præterea multi Judæi etiam ex Sacerdotibus Chriſti Fidem amplexi ſunt.

Obj. 3. In Paſſione Chriſti Summus Sacerdos, & Sacerdotes omnes cum Senioribus populi defecerunt à Fide: eodem tempore Apoſtoli Fidem amiſerunt. Ergo omnes Paſtores Eccleſiæ tunc defecerunt à Fide. Ergo.

Reſp. ad 1. In lege Moſaica ſummus Sacerdos & alii Sacerdotes non habuerunt privilegium infallibilitatis circa Fidem niſi uſque ad Chriſti prædicationem: nam præſente docente Chriſto, illorum errores parum obeſſe poterant veritatem ſincerè quærentibus. At in lege gratiæ corpus primorum Paſtorum accepit privilegium nunquam errandi in docendo, juxta illud Chriſti, Matt. c. ult. *docete ... & ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.*

Reſp. ad 2. Tempore Paſſionis Chriſti Apoſtoli non erant Epiſcopi re, ſed tantùm deſignatione, ſive nondum erant Epiſcopi creati, ſed ſolùm deſignati proindeque tunc non erant primi Paſtores Eccleſiæ, ſed tantùm ejus partes ut ſunt alii, qui errare poſſunt: neque ſoli Apoſtoli conſtituebant univerſam Eccleſiam, ſed ſolùm erant pars illius exigua, unde etiamſi omnes à Fide defeciſſent, nihilominus permanſiſſet vera Eccleſia. Tunc quippe vigebant adhuc lex naturæ & lex ſcripta, & viguerunt uſque ad diem Pentecoſtes; quo, peractis omnibus redemptionis noſtræ Myſteriis, cœperunt Apoſtoli in urbe Hieruſalem Fidem Chriſti & Baptiſmi neceſſitatem publice promulgare. Quare uſque ad hanc diem univerſalis Eccleſia ex legis naturæ & legis Moſaicæ cultoribus conſtitit: die vero Pentecoſtes conſtare cœpit ex ſolis legis Evangelicæ cultoribus.

ribus, qui ſimul legis naturæ præcepta & Fidem veteris Teſtamenti conſervabant. Deinde Apoſtoli tunc temporis nullum docuere errorem contra Fidem.

Denique probabile non eſt, Apoſtolos unquam Fidem amiſiſſe. Nam ſcriptura ſolùm dicit, eos non habuiſſe Fidem Paſſionis & Reſurrectionis futuræ Chriſti, quia nempe putabant Chriſtum figuratè loqui, quando de his myſteriis loquebatur. Unde non intelligebant verum ſenſum Chriſti verborum, ut patet ex his verbis, Luc. c. 18. *& ipſi nihil horum intellexerunt, & erat verbum iſtud abſconditum ab eis, & non intelligebant, quæ dicebantur* à Chriſto de Paſſione & Reſurrectione ſua. Et, ex Joann. c. 20 *nondum enim ſciebant Scripturam, quia oportebat eum à mortuis reſurgere.* Igitur Apoſtoli nunquam Fidem amiſerunt, quam antea habuerunt. Imò Petrum Fidem in corde retinuiſſe, etiam tum cùm Chriſtum ore negavit, conſtat ex his Chriſti vetbis, Luc. c. 22. *rogavi pro te*, Petre, *ut non deficiat Fides tua.*

Dices Marc. c. ult. Chriſtus *exprobravit incredulitatem eorum.*

Reſp. Juxta Bellarminum hæc verba ſignificant tantum Apoſtolos tardos fuiſſe ad credendum quod nondum crediderant, ita ut incredulitas illa ſit tarditas ad credendum, quod quidem aliquod peccatum fuit, ſed non propriè infidelitatis. Juxta Maldonatum verò hæc verba de ſolo Thoma intelligi debent, ut colligitur ex verbis ſubſequentibus: *quia iis, qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt.* Et Evangeliſta in plurali numero pro ſingulari utitur per Synecdochen ſatis uſitatam in Scripturis.

Obj. 4. Tota Chriſti Eccleſia viſibilis deficiet à Fide tempore Anti-Chriſti, juxta illud Chriſti, Luc. 18. *Filius hominis veniens, putas inveniet Fidem in terra.* Et illud, 2. Theſſal. c. 2. *niſi venerit diſceſſio primùm, & revelatus fuerit homo peccati.* Ergo.

Reſp. Nego anteced. Multi quidem tempore Anti-Chriſti à vera Fide deficient, ſed non omnes, ita ut ſemper remanſuri ſint ſatis multi ad conflandam Eccleſiam viſibilem.

Ad 1. *Reſp.* Chriſtus ibi ſolùm ſignificat paucos futuros fideles tempore Anti-Chriſti, non tamen tam paucos, ut non faciant Eccleſiam. Vel Chriſtus ibi loquitur, non de fide ſimpliciter, ſed de eximia quadam Fide, qualis in paucis reperitur, & in pauciſſimis reperietur tempore Anti-Chriſti.

Ad 2. *Reſp.* Diſceſſionis nomine intelligitur defectio populorum à ſuis Principibus; & ab Imperio Romano. Vel ſi intelligitur defectio à Fide, illa defectio erit multorum quidem, ſed non omnium, nec ita multorum, ut reliqui fideles non ſufficiant ad conſtituendam Eccleſiam viſibilem.

Porro hæc verba Daniel. cap. 9. *deficiet hoſtia, & ſacrificium: & erit in Templo abominatio deſolationis, & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio.* Intelliguntur de ceſſatione ſacrificii Judæorum, & deſolatione Templi Hieroſolymitani, ut ſatis patet ex contextu, & exponunt Chryſoſt. Hieron. Auguſtin. & alii Patres, qui merito præferendi ſunt Hilario, & Hyppolito locum illum contra ſenſum literalem explicantibus de tempore Anti-Chriſti.

Obj. 5. Chryſoſtomum Hom. 49. in Matth. ubi dicit interdum nullum eſſe viſibile ſignum, quo vera Eccleſia cognoſcatur.

Reſp. Homiliæ illæ in Matthæum ex opere imperfecto deſumptæ, ab aliquo hæretico ſcriptæ, aut depravatæ ſunt: nam v. gr. Homil. 48. *Omooufiani* vocantur hæretici.

Obj. 6. S. Baſilium, epiſt. 69. & 70. & S. Gregorium Nazianz. orat. 21.

Reſp. Baſilius ibi loquitur tantùm contra Epiſcopos Arianos. Gregorius verò Nazianz. loquitur tantùm de Epiſcopis Orientalibus decem Provinciarum, qui tamen in Arianam hæreſim minimè lapſi ſunt.

Similiter S. Auguſtinus, epiſt. ad Vincentium loquitur de decem Provinciis Aſiæ: & dicit firmiſſimos ac conſtantes viros in defendenda Fide paucos fuiſſe comparatione alio

liorum Catholicorum, qui non ita splendide ac publicè Nicænam Fidem prædicabant.

Obj. 7. S. Bernardum, serm. 33. in Canticum.

Resp. Ibi reprehendit mores, non doctrinam Episcoporum. Potest autem major numerus Episcoporum male vivere, non tamen male docere propter absolutam Christi promissionem dandi semper corpori Pastorum speciale auxilium ad bene docendum fideles.

Obj. 8. Conc. Basileense generale deposuit Eugenium quartum tanquam hæreticum, qui tamen soluto Concilio in sedem iterum irrepsit sine ulla canonica electione, & ab hoc nati sunt quotquot fuerunt postea Papæ, Cardinales & Episcopi. Ergo saltem ab eo tempore Ecclesia Romana non fuit vera Christi Ecclesia: ac proinde cum nulla alia fuerit visibilis, saltem ab eo tempore desiit vera Ecclesia visibilis. ita Calvinus, in præfat. Instit.

Resp. Eugenii IV. depositio à Concilio Basileensi facta, illegitima & nulla certo fuit: Nam Conc. Basileense, cum Eugenium deposuit, non fuit Concilium generale, sed ad summum particulare. Quia tunc nullus aderat Legatus summi Pontificis, cùm Eugenius esset unicus ac legitimus Pontifex, & ut talis ab universa Ecclesia receptus; & aderant solùm septem Episcopi, quorum unus erat Cardinalis Ludovicus Arelatensis Archiepiscopus, cùm plerique Episcopi Basilea discessissent. Legitimum autem summum Pontificem ab universa Ecclesia receptum deponi non potuisse à Synodo particulari, constat apud omnes. Præterea Basileensem Synodum non fuisse nec potuisse esse generale Concilium, tum, cùm Eugenium deposuit, vel ex eo constat, quòd eodem tempore celebrabatur Florentiæ Concilium, cui præsidebat ipse summus Pontifex, & intererant ex Latinis Cardinales octo, Hierosolymitanus Patriarcha Latinus, Gradensis Patriarcha, Archiepiscopi cum aliis 50. saltem Episcopis: ex Græcis verò septemdecim Metropolitæ, quorum duo duarum Sedium Patriarchalium, nimirum Alexandrinæ & Antiochenæ vices agebant, & Constantinopolitanus Patriarcha. Aderant etiam Imperator Græcorum, & Legatus Imperatoris Latinorum. Quod quidem Concilium ab universa Ecclesia ut legitimum & generale habitum & receptum est. Quomodo igitur synodus Basileensis ex septem tantùm Episcopis constans tunc posset esse Concilium generale; præsertim cum Eugenius de plurimorum Cardinalium consilio, antequam Basileenses ipsius deposionem molirentur Basileense Conventum dissolverit, & Concilium Basilea Ferrariam transtulerit ob legitimas causas, inter quas erat Ecclesiæ Latinæ cum Græca unio procuranda. Quæ translatio approbata fuit à Concilio Ferrariensi, quod ob pestem Ferrariæ grassantem translatum est Florentiam: & ibi continuatum & absolutum, ideoque Florentinum appellatum.

His adde, quod Synodus Basileensis Lausannæ continuata, & Amadeus Sabaudiæ Dux, quem Basileenses anti-Papam creaverant, se subjecere Nicolao V. Eugenii successori, cui alii Pontifices successerunt.

ARTICULUS VII.

Utrùm Ecclesia sit infallibilis in decidenda Orthodoxia, & Heterodoxia textuum dogmaticorum?

Quædam præsupponenda.

§. I.

I. TExtus dogmaticus est ille, qui exprimit aliquod dogma, sive verum, sive falsum: seu qui exprimit aliquid revelationi divinæ consentaneum, vel dissentaneum. Unde duplex est, nempe Orthodoxus, & Heteredoxus. Textus Orthodoxus est ille, qui verum dogma exprimit, seu qui revelationi divinæ consentaneus est. Heterodoxus est ille, qui falsum dogma exprimit, seu qui revelationi divinæ dissentaneus est.

II. Inesse Ecclesiæ potestatem decidendi de Orthodoxia, & Heterodoxia textuum dogmaticorum, constat 1. Ex praxi ipsius Ecclesi

cleſiæ, quæ ſæpiſſimè judicavit de ejuſmodi textibus, alios ſcilicet approbando ut orthodoxos, alios damnando ut heterodoxos. 2. Quia hæc poteſtas maximè expedit, imò neceſſaria eſt bono Eccleſiæ. Nam alioqui à pravis vel indoctis hominibus & hæreticis libri orthodoxi tanquam heterodoxi traducerentur, heterodoxi verò tanquam orthodoxi ſpargerentur in vulgus cum certo periculo ſubverſionis quamplurimorum; nec tantum malum impediri poſſet, ſicque paulatim graſſaretur lues per gregem, eumque inficeret. 3. Quia ad Paſtores Eccleſiæ pertinet poteſtas indicandi ovibus paſcua bona & mala, ut hæc fugiant, & illa ſola frequentent. 4. Quia Orthodoxia & Heterodoxia textuum dogmaticorum eſt aliquid pertinens ad Fidem, cùm ſit aliquid divinæ revelationi conſentaneum vel diſſentaneum. Unde ſequitur poteſtatem de utraque judicandi eſſe ſupremam in Eccleſia, cùm Eccleſia in rebus ad Fidem & religionem pertinentibus non habeat ſuperiorem in terris.

III. Hæc ſuprema poteſtas decidendi Orthodoxiam & Heterodoxiam textuum dogmaticorum reſidet in corpore Paſtorali: nam clarum eſt, primos Eccleſiæ Paſtores habere poteſtatem docendi fideles, ideoque eos inſtruendi de Orthodoxia & Heterodoxia textuum dogmaticorum. Et verò hæc poteſtas non reſidet in multitudine Fidelium ovium: nam Fidelium ovium non eſt docere, ſed doceri. Ergo reſidet in ſolis Paſtoribus, quorum eſt docere in Eccleſia, quæ nil unquam definivit niſi per Epiſcopos, vel Summum Pontificem.

§. II.

Dico. Eccleſia eſt infallibilis in decidenda Orthodoxia & Heterodoxia quorumlibet textuum dogmaticorum.

Prob. 1. Ex Scriptura. Matth. c. ult. *docete omnes gentes.... Et ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Quibus verbis ſecundùm omnes Catholicos, & ſatis per ſe patet, Chriſtus continuam, ac ſpecialem aſſiſtentiam corpori Paſtorum promittit, ut ſemper recte doceat Fideles in rebus ad Fidem & mores pertinentibus: & conſequenter corpus Paſtorum non poteſt malè docere Fideles in re Fidem ſpectante. Sed ſi corpus Paſtorum non eſſet infallibile in decidenda Orthodoxia & Heterodoxia textuum dogmaticorum, poſſet malè docere populum, & eum in errorem inducere. Ergo Eccleſia docens, ſeu corpus Paſtorum eſt infallibile in decidenda Orthodoxia, &c. *Minor* patet. Nam corpus Paſtorum malè judicando de textu dogmatico, malè doceret. Nam textum revelationi divinæ conſentaneum proponeret ut repugnantem ipſi revelationi, vel è contra textum revelationi repugnantem proponeret ut ei conſentaneum: & ſic quantùm in ſe eſſet, Fideles in errorem induceret; Fideles enim Paſtorum definitioni adhærentes, vel verum dogma repudiarent, vel falſum amplecterentur: nam Fideles rejiciendo textum, rejiciunt ſenſum per eum expreſſum, & approbando textum, ejus ſenſum approbant.

Paulo aliter. Eccleſia docet Fideles tradendo vel approbando textus ut orthodoxos, rejiciendo, ſeu damnando textus ut heterodoxos. Ergo non docet benè, niſi tradendo aut approbando textus orthodoxos qui re vera ſunt orthodoxi; & rejiciendo vel damnando textus heterodoxos qui re vera ſunt heterodoxi. Ergo ſi Eccleſia eſt infallibilis in benè docendo, eſt quoque infallibilis in tradendis vel approbandis textibus ut orthodoxis, & in rejiciendis ac damnandis textibus ut heterodoxis.

Joann. c. 14. *Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis.* Et c. 16. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Quæ Chriſti verba ſignificant ſpecialem Sancti Spiritus aſſiſtentiam ſemper corpori Paſtorum affuturam ad cognoſcendam infallibiliter omnem veritatem ad Fidem & Religionem ſpectantem. Orthodoxia autem & Heterodoxia textuum dogmaticorum eſt aliquid ad Fidem ſpectans, cùm textus dogmaticus exprimat veritatem Fidei conſentaneam, vel falſitatem Fidei repugnantem.

Item

Item, 2. Tim. c. 1. *Formam habe ſanorum verborum,* Et 1. Tim. c. 6. *O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates.* Quæ Apoſtoli verba ſignificant duo requiri, ut Paſtores bene doceant alios, nimirum ut teneant formam ſanorum verborum, & profanas vocum novitates vitent. Atqui tenere formam ſanorum verborum eſt adhibere textus orthodoxos, & profanas vocum novitates vitare eſt textus heterodoxos rejicere. Ergo ex Apoſtolo, ut Paſtores bene doceant, neceſſe eſt, ut & textus orthodoxos adhibeant, & heterodoxos rejiciant. Ergo ut corpus Paſtorum ſit infallibile in docendo, neceſſe eſt, ut ſit infallibile in adhibendis textibus orthodoxis, & rejiciendis heterodoxis. Atqui corpus Paſtorum eſt infallibile in bene docendo, ut Fide conſtat. Ergo eſt etiam infallibile in adhibendis textibus orthodoxis, & rejiciendis heterodoxis: & conſequenter eſt infallibile in cognoſcenda, & declaranda Orthodoxia & Heterodoxia textuum dogmaticorum.

Prob. 2. Ex Symbolis Fidei, quæ Eccleſia approbat, vel damnat. Eccleſia infallibilis eſt in declaranda Orthodoxia, & Heterodoxia Symbolorum Fidei. Atqui Symbola Fidei ſunt textus dogmatici, & quidem ſatis prolixi, ut per ſe patet. Ergo Eccleſia infallibilis eſt in declaranda Orthodoxia & Heterodoxia textuum dogmaticorum, ſaltem aliquorum, & quidem longorum. Ergo & omnium: nam non eſt potior ratio pro aliquibus, quàm pro omnibus, ſed eadem eſt ratio pro omnibus.

Prob. maj. Si Eccleſia errare poteſt in declaranda Orthodoxia & Heterodoxia Symbolorum Fidei, fieri poteſt, ut approbet Symbolum hæreticum, illudque Fidelibus ut regulam Fidei credendam proponat, & contrà damnet Catholicum Symbolum, illudque Fidelibus proponat rejiciendum: unde neceſſariò ſequitur Fidelium ſubverſio. Item Fideles non poſſent, nec deberent Symbolo ab Eccleſia propoſito ut Catholico adhærere firmiſſimè tanquam regulæ Fidei; ſed ad ſummum tenerentur ad obſequioſum ſilentium circa illud. Nam Fideles non haberent, nec habere poſſent ſummam certitudinem de Orthodoxia talis Symboli, ſi Eccleſia circa illam eſſet fallibilis. Idem dic de Canonibus Conciliorum Generalium.

Prob. 3. Ex Conciliis Generalibus. Ac 1. quidem ex Concilio Epheſino. Nam in hoc Concilio ſeſſ. 1. lecto Symbolo Nicæno, lecta eſt Epiſtola S. Cyrilli ad Neſtorium longa: & hanc epiſtolam Epiſcopi omnes Symbolo Nicæno quoad omnia conſentire, ſeque illi conſentire declarant. Deinde lecta eſt epiſtola Neſtorii ad Cyrillum ſatis longa: & poſtquam multi epiſtolam hanc ſingillatim Symbolo nullatenus conſonam, & ab orthodoxa Fide alienam declararunt, omnes ſimul exclamant; *Omnes Neſtorii Epiſtolam, & dogma anathematizamus. Omnes hæreticum Neſtorium anathematizamus. Totus terrarum orbis impiam Religionem anathematizat, &c.* Poſtea leguntur ſeptendecim variorum Patrum teſtimonia pleraque longa, & poſt illa leguntur quoque plurimi textus Neſtorii: denique Neſtorii doctrinâ ſic cum Patrum doctrina collatâ, depoſitionis ſententia à Concilio contra Neſtorium pronuntiatur.

Ex quo ſic argumentor: Concilium Generale Fidei controverſiam dirimit, præcisè declarando textum Epiſtolæ Cyrilli orthodoxum, textum verò Neſtorii heterodoxum eſſe. Ergo tanta infallibilitate declarat Orthodoxiam textus Cyrilli, & Heterodoxiam textus Neſtorii, quanta infallibilitate dirimit controverſiam Fidei. Ergo ſi infallibiliter controverſiam Fidei dirimit, infallibiliter etiam declarat Orthodoxiam textus Cyrilli, & Heterodoxiam textus Neſtorii. Ergo Concilium Generale eſt infallibile in declaranda Orthodoxia, & Heterodoxia textuum dogmaticorum.

Idem Concilium Generale, ut Fidei controverſiam dirimat, textus dogmaticos Cyrilli, & Neſtorii confert cum Symbolo Nicæno; & in hac collatione fundat deciſionem controverſiæ, ut patet. Ergo ſicut Concilium illud Generale eſt infallibile in decidenda Fidei controverſia, debet quoque eſſe infallibile in conferendis textibus dogmaticis Cyrilli, & Neſtorii cum Symbolo Nycæno; & conſequenter eſt infallibile in interpretatione illorum textuum, & in judicanda eorum conformitate, vel difformitate cum regula Fidei.

Idem peti potest argumentum ex Concilio Chalcedonensi. Sed hìc sufficiat addere Concilium quintum Generale Constantinopoli coactum. Hoc Concilium ab universa Ecclesia receptum ut œcumenicum, tres textus valde longos, qui tria Capitula vocantur, ut hæreticos damnavit: nimirum scripta Theodori Mopsuesteni Episcopi: scripta Theodoreti contra anathematismos S. Cyrilli, ac Synodum Ephesinam: & Epist. Ibæ Edesseni Episcopi ad Marim Persam. Hæc, inquam, scripta ut hæretica damnavit, & eorum defensores anathematizavit. Damnavit autem nixum promissionibus à Christo Ecclesiæ factis per hæc verba: *Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam:* & per illa, Osee c. 2. *sponsabo te mihi in Fide.* Nam Concilium immediatè ante Canones, quibus & hæreses à prioribus Conciliis damnatæ, & tria Capitula damnantur, sic loquitur: *in memoria tenentes promissiones de sancta Ecclesia factas, & qui dixit, quod portæ inferi non prævalebunt adversùs eam, id est, hæreticorum mortiferæ linguæ: recordantes autem & quæ per Oseam de ea prophetata sunt, in quibus dicit: & sponsabo te mihi in Fide, & cognosces dominum ... nos autem mandatum habentes per doctrinam rectam exhortari populum .... necessarium esse putavimus capitulis comprehendere & prædicationem veritatis, & hæreticorum, nec non eorum impietatis condemnationem.* Deinde Canones statuit, in quorum tribus damnat textus dogmaticos, & eorum defensores anathematizat; nam sic ait c. 12. *si quis igitur defendit prædictam impium Theodorum* (Mopsuestenum) *& impia ejus conscripta ... & non anathematizat eum & impia ejus conscripta & omnes, qui suscipiunt vel defendunt eum, & dicunt orthodoxè eum exposuisse, vel scribunt pro eo, vel impiis ejus conscriptis ... talis anathema sit.* Can. 13. *si quis defendit impia Theodoreti conscripta, quæ contra rectam Fidem, & sanctum Cyrillum & duodecim ejus capitula exposuit, & omnia quæ conscripsit pro Theodoro, &c. talis anathema sit.* Can. 14. *si quis defendit epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam hæreticum scripsisse ... si quis igitur memoratam impiam epistolam defendit, & non anathematizat eam, & defensores ejus, & eos, qui dicunt, eam rectam esse, vel partem ejus .. talis anathema sit.*

Itaque Concilium generale se profitetur infallibile in damnandis textibus longis ut heterodoxis, ut patet ex his verbis: *in memoria tenentes promissiones de sancta Ecclesia factas, &c.* Nam idem est, ac si diceret, probè scientes infallibilitatem Ecclesiæ promissam esse non solùm circa dogmata, sed etiam circa textus dogmaticos, & præceptum habentes docendi Fideles doctrinam rectam, necessarium esse putavimus aliquot capitulis, & dogma Fidei exponere, & textus Fidei repugnantes damnare. Igitur Concilium generale judicavit per hæc verba Christi (*& portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*) promissam esse infallibilitatem tum circa dogmata Fidei, tum circa textus dogmaticos.

Idem Concilium generale confidens promissionibus à Christo factis de infallibilitate, damnat textus dogmaticos. Ergo Concilio persuasum fuit, se habere infallibilitatem in damnandis textibus dogmaticis etiam longis. Ergo revera illam habet. Denique Concilium hoc generale se gessit ut infallibile in decidendis factis dogmaticis: ergo est tale; alioqui erraret circa jus ipsum, cùm ejus infallibilitas ad dogma spectet.

Dices. Concilium illud Constantinopolitanum II. constabat ex solis Episcopis Orientalibus, nec ei præsidere voluit Vigilius Papa tunc Constantinopoli degens. Ergo non est Concilium generale.

Resp. Hoc Concilium habet auctoritatem Concilii generalis, & re vera tale est. Nam quamvis ex solis Episcopis Orientalibus constaret, & Vigilius Papa ei enixè ab illis Episcopis rogatus præsidere noluerit, tamen ipse Vigilius Concilii celebrationi consensit, & suam voluntatem, ac assensum pollicitus est rebus omnibus, quæ sacro approbante Concilio legitimè definita forent, illudque confirmavit. Et post ejus confirmationem ab universa Ecclesia ut œcumenicum Concilium habitum, ac receptum est.

Dices. Vigilius nunquam confirmavit quin-

tæ Synodi ſententiam adversùs tria capitula.

Reſp. Neg. Nam hanc confirmâſſe teſtantur Evagrius, l. 4. Hiſt. c. 34. & Photius, l. de ſeptem Synodis. Et patet ex Vigilii epiſtola decretali ad Eutychium pro confirmatione quintæ Synodi œcumenicæ, quam Labbæus ex manuſcripto Codice Bibliothecæ Regiæ depromptam tomo 5. Conciliorum inſeruit.

Dices. Multi Epiſcopi hanc Synodum ut œcumenicam rejecerunt. Ergo talis non eſt.

Reſp. Nego conſeq. Nam illi Epiſcopi, qui ex ignorantia facti illam Synodum rejecerunt, ſchismatici habiti ſunt. Hoc autem Concilium eſſe ab Eccleſia ut œcumenicum receptum, & habere auctoritatem Concilii generalis, conſtat 1. Ex conſenſu omnium Theologorum Catholicorum. 2. Ex Summis Pontificibus, qui poſt Vigilium Eccleſiam rexerunt, præſertim ex S. Gregorio Magno, qui lib. 1. epiſt. 24. profitetur, ſe quinium Concilium eadem veneratione recipere, qua quatuor priora Concilia recipiebat. 3. Ex aliis Conciliis generalibus, nempe ſexto, ſeptimo, & reliquis. Sextum Concilium generale, actione 18. in Profeſſione Fidei profitetur, ſe adhærere *ſanctis & univerſalibus quinque Synodis*, inter quas hoc Concilium numerat, ſic enim ait: *hoc ſanctum noſtrum univerſale Concilium ... ſanctis & univerſalibus quinque Synodis piè in omnibus conſonuit.* Deinde poſtquam quatuor priores Synodos generales recenſuit, ſic proſequitur: *ſuper has & ultimæ harum quintæ ſanctæ Synodo, quæ hìc congregata eſt adverùs Theodorum Mopſueſtenum, Origenem, Didimum, & Evagrium, & ſcripta Theodoreti adversùm duodecim capitula laudabilis Cyrilli, & epiſtolam, quæ dicitur Ibæ, ad Marim Perſam ſcriptam.* 4. Ex formula profeſſionis Fidei à Romano Pontifice mox eligendo facienda, quæ à Concilio Conſtantienſi edita eſt, ſeſſ. 39. ubi ſic dicitur: *corde & ore profiteor, me firmiter credere, & tenere ſanctam Fidem Catholicam, ſecundum Traditiones Apoſtolorum, generalium Conciliorum, & aliorum ſanctorum Patrum, maximè autem ſanctorum octo Conciliorum univerſalium, videlicet primi Nicæni, ſecundi Conſtantinopolitani, tertii Epheſini, quarti Chalcedonenſis, quinti, & ſexti Conſtantinopolitanorum, ſeptimi item Nicæni, &c.*

Prob. 4. Eccleſia infallibilis eſt in verificandis, & declarandis Traditionibus Apoſtolicis per Symbola, Canones Conciliorum generalium, Decreta Summorum Pontificum, & Scripta Patrum, ut conſtat apud omnes Catholicos: alioqui enim Eccleſia non poſſet multas Fidei controverſias infallibiliter dirimere. Nam multæ Fidei controverſiæ, præſertim circa verum ſenſum Scripturæ non poſſunt niſi per Traditionum Apoſtolicarum verificationem, & declarationem dirimi. Ergo Eccleſia eſt infallibilis in interpretando ſenſu Symbolorum, Canonum, Decretorum, & Scriptorum Patrum, ut per ſe patet, alioqui quomodo poſſet infallibiliter per iſta omnia verificare Traditiones Apoſtolicas? Atqui Symbola, Canones, Decreta Summorum Pontificum, & Scripta Patrum ſunt textus dogmatici, & quidem prolixi. Ergo Eccleſia eſt infallibilis in interpretando ſenſu textuum dogmaticorum, etiam prolixorum.

Confirm. Quia Eccleſia damnavit quinque famoſas Janſenii Iprenſis Epiſcopi propoſitiones in ſenſu libri ejusdem Janſenii, & jubet Clericos in Gallia ad Gradus Theologicos, & ad Beneficia promovendos, jurare ſe illas in ſenſu libri Janſenii ſincero animo damnare; & declaravit huic præcepto Eccleſiæ, & damnationi factæ non ſatisfieri per obſequioſum ſilentium, ſed requiri ſubmiſſionem judicii internam de hæreticitate textuum dogmaticorum à ſe judicata; ut conſtat ex Bullis Alexandri VII., & Clementis XI. ab Eccleſia receptis. Quod ſanè oſtendit, Eccleſiæ perſuaſum eſſe de ſua circa textus dogmaticos infallibilitate.

Præterea Clerus Gallicanus, in Epiſt. ad Sum. Pontificem, anno 1656. ſcripta, teſtatur, Eccleſiam declaraſſe hæreticitatem libri Janſenii eadem infallibilitate, qua judicat de dogmatibus Fidei, ideoque ſumma.

Confirmatur denique ex communi Traditionis ſenſu circa hanc infallibilitatem Eccleſiæ, quam quidem invictè demonſtrat Illuſtriſs. & Doctiſs. de Fenelon Camerac. Archiepiſc.

epiſc. in 3. parte inſtructionis Paſtoralis, ubi longam ſeriem authorum Eccleſiaſticorum per ſingulas ætates atteſtantium prædictæ infallibilitati exhibet.

§. III.

Solvuntur Objectiones peritæ ab auctoritate.

Obj. 1. Concil. Antiochenum proſcripſit vocem *omoouſios*, id eſt, conſubſtantialis: & tamen hanc poſtea approbavit Conc. Nicænum I. Ergo Eccleſia erravit circa ſenſum hujus vocis. Ergo, &c.

Reſp. Nego conſeq. Quia 1. Conc. Antiochenum non fuit generale, ſed particulare Concilium: quod quidem ab univerſa Eccleſia approbatum fuit, ſed quoad damnationem errorum Pauli Samoſateni. 2. Concil. Antiochenum non reprobavit vocem illam in ſe, & abſolutè ſumptam, ſeu ſumptam ſecundùm ſenſum proprium, & receptum in Eccleſia, ſecundùm quem ſolùm approbata fuit à Concilio Nicæno, ſed duntaxat ſecundùm ſenſum pravum, & ab Eccleſiaſtico ſenſu alienum ei à Paulo Samoſateno adſcriptum. Vide dicta in Tract. de Trinitate, art. 3.

Obj. 2. Conc. Sardicenſe, & Julius I. erraruntcirca ſenſum litteralem libri Marcelli Ancyrani, & ejusdem profeſſionis Fidei. Nam hunc apud ſe erroris accuſatum abſolverunt ex errore, ut conſtat tum ex S. Baſilio, qui Ep. 52. ad S. Athanaſium conqueritur, Marcellum ad Eccleſiæ communionem admiſſum fuiſſe ex veritatis ignoratione: tum ex S. Athanaſio, qui aliquantò poſt Marcellum à ſua communione ſeparavit. Ergo.

Reſp. Nego conſeq. Nam Fidei profeſſio Julio à Marcello oblata, ſecundùm quam judicatus fuit, erat orthodoxa in ſenſu obvio, & litterali, ut teſtantur S. Athanaſius, & Epiphanius: ejus verò liber ad Concilium Sardicenſe ab Euſebianis delatus, teſte Hilario erat purus: & Concilium Sardicenſe in ſua ad omnes Epiſcopos epiſtola declarat errores, quibus Marcellus accuſatus fuerat, propoſitos eſſe in ejus libro per modum quæſtionum, non ut proprias ejus ſententias, quas tueretur. Qui quidem liber non fuit poſitivè ſecundùm ſe approbatus, ſed ſolùm non fuit damnatus.

Inſt. S. Baſilius epiſt. 52. ad S. Athan. conqueritur, Marcellum ad Eccleſiæ communionem admiſſum fuiſſe ex veritatis ignoratione.

Reſp. S. Baſilius intelligit ignorantiam circa ſenſum perſonalem, non litteralem. Nempe putavit Baſilius, quòd ſi Concilium ſtudioſiùs Marcellum interrogaſſet, & ejus mentem diligentiùs expendiſſet, fortaſſe ex ejus reſponſis deprehendiſſet venenum, quod in pectore fovebat, & poſtea prodidit. Vel etiam loquitur Baſilius de alio libro Marcelli. Athanaſius verò Marcellum poſtea à ſua communione ſemovit, quia Marcellus, poſtquam abſolutus eſt, doctrinam ſuam adulteravit, & quæ per modum quæſtionum propoſuerat, cœpit tanquam proprias ſententias tueri. Unde ſequitur, Concilium Sardicenſe deceptum fuiſſe quoad ſenſum Marcelli perſonalem, non verò quoad litteralem, & naturalem ejus libri ſenſum, de quo judicium non tulit.

Obj. 3. Concilium Epheſinum repudiavit vocem *Chriſtotocos*, id eſt, Chriſti genitrix, quam prædicabat Neſtorius, & tamen eſt Catholica.

Reſp. Concilium hanc vocem non repudiavit abſolutè, & in ſenſu in Eccleſia uſitato, ſed ſumptam in ſenſu excluſivo, ut uſurpabat Neſtorius, nempe ita, ut excludatur vox *Theotocos*, ſeu Dei genitrix. Sicut Eccleſia vocem *Omioouſios*, id eſt, ſimilis ſubſtantiæ, rejiciebat in ſenſu excluſivo, in quo eam ſumebant Ariani, quamvis eam admitteret ſecundùm ſe, & in ſenſu non excluſivo.

Obj. 4. Hormiſdas Papa damnavit hanc propoſitionem: *Unus ex Trinitate paſſus eſt*: quam orthodoxam eſſe contendebant quidam Scythiæ Monachi, volebantque ab eo approbari.

Reſp. Neg. Nam Hormiſdas nunquam damnavit abſolutè hanc propoſitionem; ſed noluit eam poſitivè approbare, quia erat nova, nec in Eccleſia uſitata, & poterat ab hæreticis in pravum ſenſum detorqueri. Præterea etiamſi eam damnaſſet, non eam damnaſſet abſolutè, & in ſe ſumptam, ſed ſumptam tantùm ſecundùm ſenſum pravum ei ab hæreticis affictum.

Obj. 5. Conc. Chalcedonenſe epiſtolam Ibæ ad Marim Perſam approbavit ut Catholicam, & tamen

tamen poſtea à Concilio quinto damnata eſt ut hæretica. Ergo alterutrum Concilium erravit circa Heterodoxiam illius epiſtolæ. Ergo Eccleſia non eſt infallibilis in decidenda Orthodoxia, vel Heterodoxia textuum dogmaticorum. *Nego 1. partem antecedentis. Probabis.* Actione 10. dicitur: *Paſchaſinus & Lucentius Revereudiſſimi Epiſcopi, & Bonifacius Presbyter, tenentes locum ſedis Apoſtolicæ, per Paſchaſinum dixerunt: relectis chartis agnovimus ex ſententia Reverendiſſimorum Epiſcoporum, Ibam Reverendiſſimum innoxium approbari; relecta enim ejus epiſtola, agnovimus eum eſſe orthodoxum; & ob hoc decernimus & honorem Epiſcopatus, & Eccleſiam, &c.... Anatholius Conſtantinopolitanus dixit: Epiſcoporum, qui cauſam judicaverant, fides, & lectio omnium horum, quæ ſunt ſubſecuta demonſtrant innoxium Ibam Reverendiſſimum ab accuſationibus, quæ illatæ ſunt in eum, &c.... Maximus Reverend. Epiſcopus Antiochenus dixit: ex iis, quæ modo relecta ſunt, manifeſtum eſt, quia ab omnibus ei illatis Rev. Ibas innocens eſt repertus, & ex relecto quoque reſcripto epiſtolæ, quæ prolata eſt ab eo, qui adverſarius ejus exiſtit, orthodoxa ejus declarata eſt dictatio.* Ergo Conc. Chalcedonenſe approbavit epiſtolam Ibæ ut orthodoxam.

Reſp. Nego conſeq. Quia ex ducentis, & ampliùs Epiſcopis, qui Concilio Chalcedonenſi aderant, ſoli Legati Romani ex propria mente, non ex inſtructione Summi Pontificis, & duo alii Epiſcopi epiſtolam Ibæ ad ſummum videntur approbare; cæteri verò in ferenda ſententia ſua, Ibam à ſe idcircò abſolvi aſſerunt, quia epiſtolæ S. Leonis & definitioni Concilii conſentiebat, & hæreticos anathematizabat, nulla ejus epiſtolæ mentione facta niſi à duobus, qui in hoc ſolùm Ibam laudant, quòd ea ipſe improbat, quæ in hac epiſtola contra S. Cyrillum malè ſcripſerat. Nam Juvenalis Jeroſolymitanorum Epiſcopus dixit: *qui convertuntur, hos divina ſcriptura ſuſcipi jubet. Quapropter & eos, qui ab hæreticis revertuntur ſuſcipimus. Unde æquum eſſe cenſeo Reverendiſſimum Ibam impetrare clementiam, quia & ſenex eſt, ut habeat Epiſcopatus gradum, orthodoxus exiſtens.* Eunomius verò Epiſcopus Nicomediæ dixit: *jam quidem ex iis, quæ relecta ſunt, innoxius approbatus eſt Reverendiſſimus Ibas, in quibus etiam dicendo malè, culpare viſus eſt beatiſſimum Cyrillum, in poſtremis rectè confeſſus, illa, in quibus culpaverat, refutavit. Unde & ego anathematizantem eum Neſtorium & Eutichem, & impia eorum dogmata, & conſentientem iis, quæ à ſanctiſſimo Epiſcopo Leone ſcripta ſunt, & huic univerſali Concilio, dignum eſſe Epiſcopatu decerno.* Legati autem Summi Pontificis, non ejus ſententiam, ſed ſolam ſuam propriam referentes, & aliqui pauci Epiſcopi non conſtituunt Concilium generale. *In Conciliis non unius, aut alterius interlocutionem attendi debere, ſed quæ ab omnibus, vel à majori parte definiuntur,* ajunt Patres quinti Concilii, collat. 6.

Imò ne Legati quidem S. Leonis, & illi alii duo Epiſcopi Ibæ epiſtolam abſolutè, & ſecundùm ſe ipſam approbarunt, ſed ad ſummum comparatè ad ultimam partem epiſtolæ, in qua approbat pacem inter S. Cyrillum & Joannem Antiochenum initam, cujus cauſa ac fundamentum fuit veræ Fidei profeſſio ab utroque approbata, & oppoſita hæreſis damnata: item relatè ad orthodoxam Ibæ confeſſionem, qua ipſe Ibas poſt lectam ſuam epiſtolam aſſeruit, ſe poſt pacem Eccleſiarum Orientalium cum S. Cyrillo initam, habuiſſe S. Cyrillum orthodoxũ,& qua epiſtolæ S. Leonis, ac Concilii Chalcedonenſis definitioni conſentiebat, ut oſtendit Vigilius Papa in ſuo Conſtituto.

His adde, quòd hæc actio 10. ſicut & aliæ præter ſex priores non fuerunt à S. Leone approbatæ, & confirmatæ. Imò S. Leo noluit, ut ea, quæ poſt actionem ſextam geſta ſunt, auctoritatem haberent Concilii generalis.

Obj. 6. Vigilius Papa aliquando tria capitula defendit: imò ne damnarentur, Conſtitutum edidit, quod poſtea retractavit.

Reſp. Vigilius nunquam etiam in ſuo Conſtituto tria capitula quoad ſcripta in ſe ipſis ſpectata defendit. Imò plura Theodori Mopſueſteni loca anathematizat, & quidquid in

capitulis Neſtorianæ hæreſi favet, diſertis verbis damnat. Tantum contendebat, illa non eſſe damnanda una cum Auctorum nomine, ne ſcilicet Concilii Chalcedonenſis auctoritas lædi aliquibus videretur, quod illa capitula expreſsè non damnarat, & quod abſolverat Theodoretum & Ibam.

Jam verò cùm tria illa capitula implicitè à Conciliis Epheſino, & Chalcedonenſi damnata fuiſſent hoc ipſo, quòd Neſtorianam hæreſim damnarunt, ea explicitè damnare, vel non damnare pertinebat ad diſciplinam quamdam, ſeu prudentem œconomiam. Unde poſtea Vigilius, ut Orientalium ſchiſma averteret, tria capitula expreſsè damnavit, & Concilium quintum confirmavit, probè ſciens Concilii Chalcedonenſis auctoritatem hac damnatione minimè lædi, modò perſonæ Theodoreti, & Ibæ non damnarentur.

Nota. Trium capitulorum damnatio complectitur ſcripta Theodori Mopſueſteni: ſcripta Theodoreti contra S. Cyrillum, ac Synodum Epheſinam: & epiſtolam Ibæ ad Marim Perſam, atque etiam damnationem perſonæ Theodori Mopſueſteni, qui jam diu è vivis exceſſerat, cum fama pertinaciæ in ſuis hæreſibus: non verò damnationem perſonarum Theodoreti & Ibæ. Porro antequam Vigilius quintum Concilium approbaret, non erat œcumenicum: nam conſtabat tantùm ex Epiſcopis Orientalibus.

Obj. 7. Pelagius Papa I. in Epiſt. ad Regem Galliæ aſſerit, tria capitula eſſe extra Fidem.

Reſp. Solùm intelligit trium capitulorum damnationem non eſſe deciſionem novi dogmatis circa Incarnationem, quod priùs jam definitum non eſſet: vel quæſtionem de expreſſa trium capitulorum damnatione facienda, necne, pertinere ſolùm ad prudentem œconomiam Eccleſiæ, & ad diſciplinam.

Obj. 8. Pelagius II. in epiſt. ad Iſtriæ Epiſcopos ait: *Specialis Synodalium Conciliorum cauſa eſt Fides. Quidquid ergo præter Fidem agitur, Leone docente oſtenditur, quia nihil obſtat, ſi ad judicium revocetur.* Quare ibidem loquens de epiſtola Ibæ ſubjicit: *licenter tamen unusquisque eam reprehenderet, etiamſi Epiſcopi in eodem Concilio reſidentes ſuis illam ſubſcriptionibus approbaſſent.*

Reſp. Ibi per Fidem intelligit id omne, quod ad Fidem pertinet, & cum dogmate vero, vel falſo connexum eſt, quales ſunt textus dogmatici. Dicit autem cætera præter Fidem ad judicium revocari poſſe, quia ibidem aſſerit, & ſupponit cætera omnia, quæ poſt actionem ſextam in Concilio Chalcedonenſi geſta ſunt, non fuiſſe recepta, & confirmata à S. Leone, imò ab eo expreſsè rejecta ut auctoritatem Concilii generalis habentia. Jam verò ideò ibidem addit, unicuiq; licere reprehendere epiſtolam Ibæ, etiamſi ab Epiſcopis Concilii Chalcedonenſis approbata fuiſſet, quia S. Leo id permittebat, qui omnia, quæ poſt actionem ſextam geſta erant, non approbarat, & novo judicio ſubjiciebat; ſic enim immediatè poſt verba ultima objecta proſequitur: *quia poſtquam beato Leone ſcribente, jus retractandi, & dijudicandi conceditur, etiam ſiqua eſſe poterat eorum, qui interfuerant, in privatis negotiis auctoritas, evacuatur.* Per privata autem negotia hìc Pelagius intelligit cauſas perſonales Ibæ & Theodoreti: an ſcilicet ipſi reſtituendi eſſent in ſuas ſedes, non obſtantibus eorum ſcriptis: vel an damnanda eſſent expreſsè eorum ſcripta ſub eorum nomine.

Inſt. Pelagius in epiſt. 2. Epiſcopis Iſtriæ exprobrat, quòd in ſchiſmate remaneant propter ſuperfluas quæſtiones.

Reſp. Addit, & propter hæreticorum defenſionem capitulorum, nam ibi ſic ait: *facilè ſentientes, quantum ſit periculum pro ſuperfluis quæſtionibus, & hæreticorum defenſione capitulorum, tamdiu ab univerſa Eccleſia ſegregari.*

Porro cum illi Epiſcopi ſchiſmatici omnia dogmata ab Eccleſia damnata damnarent, approbata reciperent, Eccleſiæ infallibilitatem circa textus dogmaticos agnoſcerent, ſanè ſuperfluum reſpectu illorum erat pro textibus lingua ſibi ignota ſcriptis diſputare, qui nunquam approbati fuerant à Concilio Chalcedonenſi, ut ipſi putabant. Unde cauſa ſchiſmatis erat imaginaria, & ſuperflua: quam ideirco S. Gregorius Magnus vocat ſcrupulum, hoc eſt cauſam

inani,

inani, & nullo fundamento nixam, magna tamen mala parientem.

Dices. Idem Pelagius II. & S. Gregorius dicunt in trium capitulorum controverſia, non de Fide, ſed de perſonis tantùm agi.

Reſp. Solùm volunt in quæſtione trium capitulorum non agi de novo dogmate circa Incarnationem, nec de Fide Chalcedonenſis Concilii, ut loquitur Pelagius, ſed de textibus aliquorum auctorum. Nam per perſonas intelligunt ſcripta perſonarum, quæ de ſuis ſcriptis ſpondent, & tenentur. Igitur non loquuntur de perſonis abſolutè ſumptis, ſed de perſonis ſumptis relatè ad ſua ſcripta.

Obj. 9. S. Gregorius Magnus approbavit factum Epiſcopi Mediolanenſis, qui Theodelindæ Longobardorum Reginæ non reddiderat ejus epiſtolam, in qua mentionem quinti Concilii faciebat; & aliam miſit, in qua quatuor duntaxat priora Concilia commemorat.

Reſp. Ideò S. Gregorius hac indulgentia erga illam Reginam uſus eſt, quia illa à Schiſmaticis decepta, putabat à Concilio Chalcedonenſi approbata fuiſſe ſcripta, (quæ quintum Concilium damnaverat: unde priùs veritatem facti edocenda erat. Sed inde non ſequitur, S. Gregorium non judicaſſe, omnes teneri obſequi quintæ Synodo: nam ipſemet palam confitetur, ſe quintum Concilium eadem veneratione recipere, qua quatuor priora Concilia recipiebat, nempe ſumma, ſic enim lib. 1. epiſt. 24. ait: *Sicut ſancti Evangelii quatuor Libros, ſic quatuor Concilia ſcipere, & venerari me fateor, Nicænum, &c. Quintum quoque Concilium pariter veneror, in quo epiſtola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur, in quo Theodorus ad impietatis perfidiam cecidiſſe convincitur, & in quo ſcripta quoque Theodoreti refutantur. Cunctas verò, quas præfata veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo.... Quisquis ergo aliud ſapit, anathema ſit.*

Obj. 10. Multi Epiſcopi in variis locis diu quinto Concilio reſtiterunt, & damnationem trium capitulorum rejecerunt. Ergo illi Epiſcopi non ſenſerunt Eccleſiam infallibilem eſſe in decidendis textibus dogmaticis.

Reſp. 1. Eccleſia Epiſcopos illos tanquam Schiſmaticos habuit, nec eos in ſuam communionem reſtituit, niſi poſtquam Concilium illud quintum ut legitimum, & generale ſuſceperunt, & ei ſe ſubjecerunt, atque tria capitula damnarunt.

Reſp. 2. Nego conſeq. Imò verò idcircò illi Epiſcopi quinto Concilio reſtiterunt, & tria capitula defendebant, quia falsò putabant, tria illa capitula ſeu ſcripta approbata fuiſſe à Concilio Chalcedonenſi, cujus judicium de illorum Orthodoxia reſcindi non poſſe contendebant, eò quòd Concilium generale ſit infallibile in declaranda Orthodoxia textuum dogmaticorum. Quare Concilium quintum non ut legitimum, & generale habebant. Igitur errabant tantùm, putando tria capitula à Concilio Chalcedonenſi approbata fuiſſe, & Concilium quintum, à quo damnantur, non eſſe Concilium generale.

Obj. 11. Aliqui Cardinales, & Theologi, qui ante Janſenium ſcripſerunt, docent, vel ſupponunt, Eccleſiam non eſſe infallibilem circa textus dogmaticos. Ergo Eccleſia non eſt infallibilis circa illos.

Reſp. 1. Nego conſeq. Nam etiamſi aliqui Doctores Catholici infallibilitatem Eccleſiæ in declaranda Orthodoxia, & Heterodoxia textuum dogmaticorum negaſſent, antequam hæc materia agitata, & expenſa eſſet, id non officeret veritati Catholicæ ſufficientiſſimè à nobis oſtenſæ, & ſtabiliæ: ſicut opinio S. Cypriani, Firmiliani, & multorum tum Africæ, tum Aſiæ Epiſcoporum de rebaptizatione hæreticorum nullarenùs unquam officere potuit veritati Catholicæ in oppoſitum, quæ tamen ante diſſidium, & expreſſam Eccleſiæ definitionem jam ſubſiſtebat. Ratio eſt, quia infallibilitas in rebus Fidei & morum, non privatis hominibus quantumvis ſanctis, & doctis, ſed corpori primorum Paſtorum, & Sedi Apoſtolicæ promiſſa eſt.

Reſp. 2. Illi Theologi, qui objiciuntur, admiſerunt principium infallibilitatis Eccleſiæ circa textus dogmaticos, nempe infallibilitatem Eccleſiæ in condendis Symbolis, & Canonibus, & in rectè docendis Fidelibus, eisque in vera Fide continendis. Unde ſi ex inadvertentia quadam, vel ex occaſione alicujus

cujus alterius quæstionis, quæ eorum mentem unicè detinebat, negassent infallibilitatem Ecclesiæ circa textus dogmaticos, inconsequenter locuti sunt; & potiùs adhærendum est illorum principio certo, quàm propositioni inconsideratè assertæ contra illud principium ab illis, & omnibus Catholicis admissum.

Resp. 3. Nego anteced. Nam nullibi dixerunt, Ecclesiam esse fallibilem circa textus dogmaticos absolutè, ac secundùm se, seu secundùm sensum litteralem spectatos, de quo hìc agitur, sed tantùm circa textus relatè ad auctorem, & secundùm sensum personalem consideratos.

Nota. Aliqua Concilia aliquando judicarunt de textu dogmatico duntaxat relatè ad ejus auctorem, & secundùm sensum personalem, in quo decipi potuere ab ipsis auctoribus, eos catholicè exponentibus, ut patet in Pelagio, qui absolutus fuit à Concilio Diospolitano. At nullum Concilium generale, nullus Summus Pontifex hactenus erravit in judicio textus dogmatici secundùm suum sensum litteralem spectati, & decisi.

Obj. 12. Bellarm. l. 4. de Rom. Pontifice c. 11. ait: *Quòd si aliquis non possit adduci, ut credat, corruptam esse sextam Synodum; is accipiat alteram solutionem, quæ est Joannis à Turrecremata l. 2. de Ecclesia cap. 93. qui docet, Patres sextæ Synodi damnasse quidem Honorium, sed ex falsa informatione, ac proinde in eo judicio errasse. Quamvis enim generale Concilium legitimum non possit errare, ut neque erravit hoc sextum, in dogmatibus Fidei definiendis, tamen errare potest in quæstionibus de facto. Itaque tutò dicere possumus, hos Patres deceptos ex falsis rumoribus, & non intellectis Honorii epistolis, immeritò cum hæreticis connumerasse Honorium:* Ergo Bellarminus sensit, Ecclesiam errare posse circa textus dogmaticos.

Resp. Nego conseq. Nam solùm vult, sextam Synodum errasse in judicio epistolæ Honorii intellectæ, non absolutè, & secundùm se, seu secundùm sensum litteralem, sed secundùm sensum personalem Honorii, vel secundùm sensum ei tunc à Monothelitis attributum, ut patet ex his verbis: *damnasse quidem Honorium, sed ex falsa informatione, ac proinde in eo judicio errasse.* Ubi vox *proinde* significat, falsam informationem fuisse causam erroris. Damnatio autem epistolæ Honorii facta ex falsa informatione est damnatio epistolæ secundùm sensum personalem auctoris, non litteralem: nam judicium de sensu literali textus, qui præ oculis habetur, non fit ex informatione, sed expensione, & consideratione significationis vocum, & propositionum. Idem etiam patet ex istis verbis: *hos Patres deceptos ex falsis rumoribus*, quibus scilicet Monothelitæ jactitabant Honorium sibi consentire. Absurdum enim est judicare secundùm rumores de sensu litterali textus, qui ob oculos versatur: Falsi autem rumores sunt falsa relatio, & accusatio, qua pravus sensus tribuebatur Honorii litteris secundùm ejus mentem intellectis. Quare liquet Bellarminum velle, Concilium sextum judicasse de epistolis Honorii non secundùm se, & sensum litteralem illarum, sed illas epistolas intellexisse, & damnasse secundùm sensum personalem Honorio falsis rumoribus, & falsa informatione attributum; siquidem vult, falsam informationem, & falsos rumores fuisse causam judicii erronei sextæ Synodi.

Præterea etiamsi Bellarminus sensisset, Honorii epistolas damnatas fuisse secundùm sensum litteralem, non ideo negaret, Ecclesiam esse infallibilem in cognoscenda, & decidenda Orthodoxia, & Heterodoxia textuum dogmaticorum secundùm se, & sensum litteralem spectatorum. Quia ipse docet, Concilium generale separatim à Summo Pontifice posse errare in definiendis Fidei dogmatibus, eò quòd Concilium generale sine summo Pontifice idem viva voce, vel scripto definiente non repræsentet sufficienter Ecclesiam in ordine ad definitionem infallibilem: & Concilium Episcoporum sine summo Pontifice non sit perfectè œcumenicum. Hujus ratio est, quia Ecclesia universalis est corpus morale perfectum: & sine capite nullum est corpus perfectum.

Nec dic, Bellarminum loco subjecto docere, Concilium Generale errare non posse. Quia, cùm hoc dicit, loquitur de Concilio gene-

generali vel definiente ſecundùm ſententiam, ſeu definitionem Summi Pontificis, vel ab eo confirmato. Nam lib. 2. de Conciliorum auctoritate, cap. 11. ex profeſſo probat, *Concilia ante confirmationem Summi Pontificis errare poſſe, niſi Patres in definiendo ſequantur Pontificis inſtructionem.*

Dices. Ibidem Bellarminus dicit, Concilium generale errare poſſe in quæſtionibus de facto.

Reſp. Per quæſtiones de facto intelligit quæſtiones particulares facti perſonalis, quarum deciſio pendet principaliter ab informatione, & teſtimonio hominum: & ſecluſa ſpeciali aſſiſtentia Spiritus Sancti promiſſa, ut ipſe loquitur. Et verò ipſe docet, Eccleſiam eſſe infallibilem in declarando, quænam Concilia ſint legitima; ſic enim lib. 2. de Sacramentis, cap. 25. ait, *Omnium Conciliorum veterum, & omnium dogmatum firmitas pendet ab auctoritate præſentis Eccleſiæ. Non enim habemus teſtimonium infallibile, quòd Concilia illa fuerint, & hoc aut illud definierint, niſi quia Eccleſia, quæ nunc eſt, & errare non poteſt, ita ſentit, & docet. Quod enim Hiſtorici quidam meminerint eorum Conciliorum, non poteſt parere Fidem niſi humanam, cui poteſt ſubeſſe falſum.* Præterea idem Bellarminus, lib. 3. de Eccleſia Militante cap. 14. ſic ait: *Noſtra igitur ſententia eſt, Eccleſiam abſolutè non poſſe errare, nec in rebus abſolutè neceſſariis; nec in aliis, quæ credenda, vel facienda nobis proponit, ſive habeantur expreſsè in Scripturis, ſive non.* Deinde inter argumenta hoc quidem tertio loco affert. *Tertiò*, inquit, *obligamur ſub anathematis pœna credere Eccleſiæ in omnibus, ut patet*, Matth cap. 18. *quòd ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus: & Concilia omnia dicunt anathema non aſſentientibus Eccleſiæ decretis. At iniquum eſſet ſub tam gravi pœna obligari ad aſſentiendum rebus incertis, & interdum falſis.*

Nota. Quod ſpectat ad alios Theologos, qui opponuntur, eos omnes ab hoc errore ſolidè vindicat Illuſtriſſ. & Doctiſſimus, atque de Eccleſia optimè meritus DD. de Fenelon Archi-Epiſcopus Cameracenſis, in ſua eximia inſtitutione Paſtorali circa damnationem deciſionis caſus conſcientiæ de obſequioſo ſilentio; & oſtendit, eos locutos eſſe tantùm de ſenſu perſonali auctorum. Et revera Catholici, qui auctores ab Eccleſia damnatos defenderunt, eos defenderunt non ſecundùm textum eorum dogmaticum abſolutè, ac in ſe ſpectatum, ſed duntaxat ſecundùm ſenſum perſonalem.

Obj. 13. Epiſtolæ Honorii I. ad Sergium à Concilio ſexto, actione 13. damnatæ ſunt ut heterodoxæ, & tamen illas Honorii Epiſtolas ut orthodoxas defendunt omnes Theologi. Ergo omnes ſentiunt, Eccleſiam errare poſſe circa textus dogmaticos.

Reſp. Eſto anteced. nego conſeq. Nam Theologi, qui dicunt epiſtolas Honorii eſſe orthodoxas, non obſtante earum damnatione, quæ dicitur facta à ſexto Concilio generali, ſimul aſſerunt, vel damnationem illam eſſe ſuppoſititiam, & corrupta fuiſſe ab hæreticis acta: vel Concilium in hac damnatione non habere auctoritatem Concilii generalis infallibilem, eò quòd quoad hanc damnationem non fuerit confirmatum à ſummo Pontifice: vel epiſtolas Honorii damnatas fuiſſe ut heterodoxas, non dogmate, ſed favore, & quoad œconomiam, quæ in illis ſervanda præſcribitur. Unde nullus Catholicus docet, epiſtolas Honorii verè damnatas fuiſſe ut hæreticas dogmate à Concilio generali habente totam auctoritatem Eccleſiæ, & tamen eſſe orthodoxas dogmate.

Dixi, *eſto antecedens*, quia epiſtolæ Honorii non fuerunt damnatæ ut heterodoxæ dogmate, quod in iis contineretur, ſed tantùm ut heterodoxæ favore, & quoad œconomiam in ea contentam circa ſilentium geminæ voluntatis perinde ac unius, ut in Tract. de Incarnat. probatum eſt.

§. IV.

Solvuntur objectiones petitæ ex ratione.

Obj. 1. Nulla eſt certa regula judicii, quo Eccleſia judicet de librorum Orthodoxia, vel Heterodoxia. Ergo tale judicium non eſt infallibile.

Reſp. Nego anteced. Nam regula talis judi-

dicii est Scriptura, & Traditio, ad quam utramque certò intelligendam, & declarandam promissa est Ecclesiæ specialis Spiritus Sancti assistentia. Ecclesia quippe in Scriptura, & Traditione reperit veritates certò tenendas: ac proinde ibidem reperit doctrinam iisdem veritatibus consentaneam esse orthodoxam, dissentaneam verò esse heterodoxam.

Obj. 2. Si Ecclesia sit infallibilis circa textus dogmaticos, illa infallibilitas vel est certa certitudine Fidei, vel non. Neutrum dici potest. Ergo.

Resp. Nego min. Et dico, hanc infallibilitatem esse certam certitudine Fidei, tum quia implicitè saltem & æquivalenter revelata est in Scripturæ locis suprà allatis, ut istis: *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Docete.... & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Nam his, aliisque similibus locis clarè promittitur Ecclesiæ infallibilitas omnis necessaria ad semper Fideles omnes benè docendos, & depositum Fidei servandum usque ad finem mundi: qualis est infallibilitas in interpretandis, & decidendis textibus dogmaticis. Tum quia Ecclesia in Conciliis Ephesino, Chalcedonensi, & aliis sibi exercitè, seu praxi & usu attribuit hanc infallibilitatem. Imò Ecclesia in Concilio generali quinto expressè, ac dissertè se infallibilem circa textus dogmaticos profitetur, ut patet ex dictis. Ecclesia autem non potest errare, malè explicando textum Scripturæ, & in re ad Fidem pertinente sibi falsò attribuendo prærogativam aliquam, quam certò non acceperit à Christo.

Nota. Infallibilitas illa Ecclesiæ circa textus dogmaticos fundatur in speciali assistentia Spiritus S. media partim naturalia, partim supernaturalia suppeditantis Ecclesiæ, quibus Ecclesia textus dogmaticos infallibiliter intelligit, & illorum Orthodoxiam vel Heterodoxiam decidit. Quare hæc infallibilitas est saltē virtualiter duplex, una scilicet in interpretandis textibus: & altera in qualificandis, seu proponendis textibus dogmaticis, quales esse novit Ecclesia: nam utraque necessaria est ad bene docendos Fideles.

Porro assistentia Spiritus Sancti conferenda est Ecclesiæ per viam directionis: & infallibilitas promissa complectitur in sua latitudine *usum mediorum, per quæ consecutio finis* promissa fuit.

Inst. 1. Illud non est de Fide, quod Ecclesia *non definivit* expressè ut Fide divina credendum. At Ecclesia non definivit expressè infallibilitatem circa textus dogmaticos: ergo hæc infallibilitas non est de Fide.

Resp. Nego maj. Nam ante Concilium Nicænum Verbi divinitas erat de Fide, & ante Ephesinum erat de Fide, Christum esse Deum, & in ipso unicam esse personam, eamque divinam, quamvis hæ veritates ante illa Concilia definitæ non fuissent ab Ecclesia. Item: est de Fide, Ecclesiam esse infallibilem circa Fidei dogmata: & tamen hæc infallibilitas nondum definita est ab Ecclesia. Ratio est, quia ut aliquid sit de Fide, sufficit, quòd id ab Ecclesia sufficienter proponatur Fidelibus tanquam Fidei dogma: quod fieri potest absque definitione Concilii generalis, vel summi Pontificis. Sicut ergo est de Fide, Ecclesiam esse infallibilem circa Fidei dogmata, quamvis hæc infallibilitas nondum sit expressè definita ab Ecclesia: ita etiam est de Fide, Ecclesiam esse infallibilem circa textus dogmaticos, quamvis hæc infallibilitas non fuerit expressè definita ab Ecclesia. Nam ut utrumque Fide constet, satis est, quòd Ecclesia utramque infallibilitatem usu ipso continuo demonstret, anathematizando scilicet eos, qui suis decretis non adhærent. Quæ quidem agendi ratio constans est, ac perpetua suæ infallibilitatis declaratio: alioquin enim iniquum esset, Fideles sub anathemate obligare ad assentiendum firmiter decretis, quibus falsum subesse posset.

Porro Conciliorum, vel Summorum Pontificum definitiones non eduntur solùm ad proponendum Fidei veritates nondum sufficienter propositas, sed etiam ad Fidei veritates jam sufficienter propositas, sed impugnatas ab hæreticis, confirmandas magis, atque ad hæreticorum temeritatem coercendam.

Inst. 2. Infallibilitas Ecclesiæ circa textus dogmaticos non potest esse sufficienter proposita ut dogma Fidei, sine expressa definitione Ecclesiæ. Ergo.

Resp.

Resp. Nego anteced. Nam Ecclesia suam circa textus dogmaticos infallibilitatem sufficienter Fidelibus proponit ad credendum hoc ipso, quòd eis sufficienter proponit ut divinas eas Scripturas, quibus clarè continetur hæc infallibilitas: sic sufficienter suam circa Fidei dogmata infallibilitatem semper Fidelibus ad credendum proposuit, proponendo ut divinas eas Scripturas, quibus clarè continetur hæc infallibilitas. In Scripturis autem, quas Ecclesia sufficienter ut divinas Fidelibus proponit, clarè, & quidem eadem claritate continetur non solùm infallibilitas circa dogmata, sed etiam infallibilitas circa textus dogmaticos, v. g. his Christi verbis, Matth. c. ult. *docete omnes gentes ... & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Nam hoc textu clarè continetur omnis infallibilitas ad semper benè docendum Fideles necessaria, qualis est infallibilitas non solùm circa dogmata, sed etiam circa textus dogmaticos. Et Concilium quintum generale clarè significat utramque infallibilitatem, nempe tum circa Fidei dogmata, tum circa textus dogmaticos iisdem promissionibus niti, & iisdem Scripturæ textibus contineri.

Præterea Ecclesia suam circa textus dogmaticos infallibilitatem Fidelibus sufficienter proposuit per continuum usum hujus infallibilitatis, videlicet textus dogmaticos in Canonibus anathematizando, & eos proponendo Fidelibus ut hæreticos: Symbola, vel decreta Fidei à privatis hominibus composita approbando, & ut Fidei regulam Fidelibus proponendo: epistolas vel libros, seu scripta approbando ut orthodoxa, vel damnando ut heterodoxa. Sic in Concilio Nicæno I. Symbolum ab Osio editum approbavit, & Fidelibus omnibus ut Fidei regulam proposuit: in Constantinopolitano I. Symbolum Nicænum confirmavit, & aliud ab aliquo privato compositum approbavit, & proposuit ut Fidei regulam: in Ephesino Nestorii hæresim proscripsit, epistolam Cyrilli Nicæno Symbolo consentaneam, Nestorii verò epistolam dissentaneam esse declarando: in Chalcedonensi Eutichetis hæresim profligavit, Fidei expositionem à paucis Episcopis editam recipiendo, & subscribendo: in Constantinopolitano II. textus dogmaticos Theodori Mopsuesteni, Theodoreti, & & Ibæ longos cum eorum defensoribus anathematizavit, &c. Per quem usum Ecclesia si non expressè & signatè, saltem virtualiter, æquivalenter, & exercitè declaravit se infallibilem esse circa textus dogmaticos. Unde constans illa Ecclesiæ circa textus dogmaticos praxis æquivalet definitioni expressæ: quæ proinde non requiritur ad hoc, ut infallibilitas Ecclesiæ circa textus dogmaticos sit Fidelibus sufficienter proposita tanquam Fidei dogma.

Inst. 3. Infallibilitas Ecclesiæ circa textus dogmaticos à multis post Jansenii damnationem impugnatur. Ergo si esset revelata, Ecclesia eam expressè definivisset.

Resp. Nego conseq. Nam Ecclesiæ circa Fidei dogmata infallibilitas ab hæreticis impugnata fuit, & nunc etiam à Calvinistis & Lutheranis impugnatur, & tamen Ecclesia hanc nondum expressè definivit; quia judicavit constantem hujus infallibilitatis usum sufficere & æquivalere expressæ definitioni. Similiter Ecclesia expressè non definit suam circa textus dogmaticos infallibilitatem, quia judicat constantem hujus infallibilitatis usum sufficere, & expressæ definitionis locum tenere. Igitur Ecclesia neutram infallibilitatem expressè definit, quia suum de utraque infallibilitate sensum exprimit per praxim suam circa dogmata Fidei & textus dogmaticos.

Quare infallibilitatem Ecclesiæ circa textus dogmaticos negando, contradicitur sensui Ecclesiæ sufficientissimè significato per suam circa textus dogmaticos praxim, & per quintum Concilium generale. Item contradicitur Scripturæ textibus ut divinis ab Ecclesia propositis, quibus hæc infallibilitas clarè continetur.

Obj. 3. Dici non potest, quali actu judicari debet Orthodoxia & Heterodoxia textus dogmatici ab Ecclesia decisa, v. g. Heterodoxia epistolæ Nestorii ad Cyrillum, vel libri Jansenii qui inscribitur, *Augustinus.*

Resp. Nego, & *Dico.* 1. Orthodoxia vel Heterodoxia textus dogmatici ab Ecclesia decisa potest firmissimè judicari saltem assensu

ſenſu theologico. Nam aſſenſus theologicus eſt aſſenſus datus concluſioni propter præmiſſas, quarum una eſt revelata, & altera planè certa. Atqui Heterodoxia textus dogmatici, v. g. libri Janſenii ab Eccleſia deciſa judicari poteſt propter præmiſſas, quarum una eſt revelata, nempe iſta: *Eccleſia eſt infallibilis in decidenda Orthodoxia & Heterodoxia textuum dogmaticorum;* & altera omninò certa, nempe iſta: *Eccleſia declaravit Heterodoxiam talis textus, v. gr. libri Janſenii.*

Dico 2. Orthodoxia & Heterodoxia textus dogmatici ab Eccleſia deciſa debet ſaltem judicari firmiſſimè Fide Eccleſiaſtica. Triplex quippe diſtinguitur Fides, nempe divina, quæ immediatè nititur auctoritate divina: humana, quæ nititur auctoritate humana: & Eccleſiaſtica, quaſi intermedia, quæ nititur auctoritate infallibili Eccleſiæ aliquid definientis cum ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia, quacum errare nequit: quæ quidem Fides eſt firmiſſima, utpote nixa auctoritate infallibili.

Itaque Heterodoxiam textus dogmatici ab Eccleſia damnati ut heterodoxi firmiſſimè judicare debemus, ſaltem propter auctoritatem Eccleſiæ, quæ textum illum ut heterodoxum damnavit cum ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia, quacum errare non potuit. Qui actus ſic exprimitur: *firmiſſimè credo talem textum ſeu librum eſſe heterodoxum, quia Eccleſia hoc infallibiliter declaravit.* Eſtque Fides Eccleſiaſtica non merè humana, quia eſt aſſenſus firmiſſimus datus propter infallibilem Eccleſiæ auctoritatem, qua tanquam motivo intrinſeco nititur & in qua ſiſtit: qui autem ei contradiceret, eſſet protervus, temerarius, inobediens, ſuperbus, & mortalis peccati reus.

Dices. Hic actus eſt ſimul Fides divina, & non merè Eccleſiaſtica.

Reſp. Nego. Quia habet pro motivo immediato auctoritatem infallibilem Eccleſiæ; nam per hunc actum credo talem textum eſſe heterodoxum, quia Eccleſia, quæ heterodoxum eſſe declaravit, infallibilis eſt in declaranda Orthodoxia & Heterodoxia textuum dogmaticorum. Quare hic actus infallibili Eccleſiæ declaratione tanquam motivo intrinſeco nititur & in ea ſiſtit.

Quòd ſi crederem talem textum, quem Eccleſia ut hæreticum damnavit, reipſa hæreticum eſſe, quia Deus ſummè verax olim revelavit Eccleſiam eſſe infallibilem circa textus dogmaticos approbandos vel damnandos: tunc eſſet actus Fidei divinæ, quia habet pro objecto formali immediato auctoritatem Dei revelantis. Si verò utrumque motivum jungerem, credendo talem textum, quem Eccleſia ut hæreticum damnavit, eſſe verè hæreticum, quia Eccleſia eſt infallibilis circa textus dogmaticos, & eodem actu credendo ulterius Eccleſiam eſſe ſic infallibilem, quia Deus ſummè verax id revelavit, talis actus eſt ſimul Fides divina & Eccleſiaſtica.

Dico 3. Juxta Doctores non paucos Heterodoxia textus dogmatici ab Eccleſia damnati credi poteſt, ideoque debet actu Fidei divinæ. Idem dic de Orthodoxia textus dogmatici ab Eccleſia approbati. *Sic probant.* Illud credi poteſt Fide Divina, quod à Deo revelatum eſt ſaltem implicitè. Nam quod à Deo etſi implicitè revelatum eſt, credi poteſt propter revelationem divinam: revelatio enim eſt ſufficiens motivum aſſentiendi objecto quovis modo revelato: ac proinde objectum etſi implicitè revelatum credi poteſt aſſenſu firmiſſimo propter revelationem Dei ſummè veracis, qui aſſenſus eſt actus Fidei divinæ. Atqui Heterodoxia textus dogmatici ab Eccleſia damnati eſt revelata à Deo implicitè & quidem formaliter. Ergo Heterodoxia textus dogmatici ab Eccleſia damnati credi poteſt actu Fidei divinæ. *Prob. min.* Heterodoxia textus dogmatici ab Eccleſia damnati continetur in propoſitione univerſali revelata; ergo eſt revelata implicitè etiam formaliter. *Prob. anteced.* Heterodoxia textus dogmatici ab Eccleſia damnati continetur in hac propoſitione univerſali: *omnis textus dogmaticus ab Eccleſia declaratus ut orthodoxus vel heterodoxus, revera talis eſt.* Atqui hæc propoſitio univerſalis eſt revelata: nam æquivalenter & quoad ſenſum eſt eadem ac iſta. *Eccleſia eſt infallibilis in de-*

cla-

claranda orthodoxia & heterodoxia textuum dogmaticorum; quæ propositio est formaliter revelata, ut constat ex probationibus allatis.

Præterea nonne de Fide est, textum Arii, Nestorii, Pelagii in suis scriptis contentum, esse hæreticum?

Actus autem ille Fidei divinæ sic exprimitur: *credo hunc textum, v. gr. librum Jansenii, quem Ecclesia ut hæreticum damnavit, revera hæreticum esse, quia Deus summè verax revelavit Ecclesiam semper infallibilem esse in qualificandis textibus dogmaticis, seu* (quod idem est) *quia Deus summè verax revelavit omnem textum dogmaticum, quem Ecclesia declaravit esse heterodoxum vel orthodoxum, revera talem esse.*

Dices. Factum sæculi decimi septimi non est revelatum. At hæreticitas, v. gr. libri Jansenii est factum sæculi decimi septimi: ergo non est revelata: ergo credi non potest Fide divina.

Respondent, hæreticitatem libri Jansenii revelatam esse à Deo implicitè, nempe in hac propositione universali, in qua continetur formaliter: *omnis textus dogmaticus, qui ab Ecclesia damnabitur ut hæreticus, revera hæreticus est*: quæ propositio est æquivalenter & quoad sensum ista: *Ecclesia est infallibilis in declaranda orthodoxia & heterodoxia textuum dogmaticorum.* Et verò num possum credere Fide divina, hunc infantem à me legitimè baptizatum esse in statu gratiæ? Et tamen quòd hic infans sit in statu gratiæ, est factum decimi octavi sæculi, quod quidem non est revelatum expresè, sed implicitè tantum, nempe in ista propositione universali in qua continetur: *omnis infans validè baptizatus est justificatus.* Alii dicunt hujusmodi factum esse revelatum æquivalenter, quia post Ecclesiæ definitionem habet necessariam connexionem cum aliqua revelatione divina, propter quam Fide divina credi potest perinde ac si formaliter revelatum esset.

Dices. Hæreticitas libri Jansenii antequam ab Ecclesia damnaretur, non poterat credi Fide divina: ergo nec sic credi potest, postquam damnatus est.

Respondent 1. Credi poterat ab eo, qui omnia dogmata Fidei & Doctrinam Ecclesiæ calleret.

Respondent 2. negando conseq. Disparitatis ratio est, quia hæreticitas libri Jansenii, antequam ab Ecclesia declararetur, non erat declarata auctoritate infallibili. At postquam declarata est ab Ecclesia, jam continetur in ista propositione universali revelata: *omnis textus dogmaticus declaratus ab Ecclesia heterodoxus, reipsa talis est, qualis declaratur ab Ecclesia:* vel saltem est revelata æquivalenter, quatenus necessariam connexionem habet cum revelatione infallibilitatis Ecclesiæ circa textus dogmaticos. Quare definitio Ecclesiæ se habet ut conditio, qua posita factum aliquod jam incipit habere necessariam connexionem cum revelatione olim facta.

Dices. Ergo postquam Ecclesia damnavit librum aliquem ut heterodoxum, Heterodoxia illius libri est novus articulus Fidei.

Respondent, esse articulum Fidei novum secundùm quid, sed non simpliciter; quia Ecclesia non condit articulos Fidei novos simpliciter, cùm Deus nihil de novo revelet simpliciter, & secundùm se per Ecclesiam: at Ecclesia condit articulos Fidei novos secundùm quid, quatenus Spiritus Sanctus revelationes olim factas de novo applicat & extendit per Ecclesiam ad objecta particularia. Quæ applicatio & extensio infallibiliter facta per Ecclesiam, est veritas Fide divina credibilis propter revelationem olim à Deo factam, in qua jam continetur, posita declaratione Ecclesiæ.

Porro per articulum Fidei hìc solùm intelligitur dogma Fidei, seu veritas Fidei.

Dices. Revelationis generalis olim factæ extensio seu applicatio ad objectum particulare ab Ecclesia facta, non sufficit, ut illud objectum credi possit Fide divina.

Resp. Neg. Nam v. g. quòd Concilium Nicænum (idem dic de aliis Conciliis generalibus) sit legitimum Concilium Ecclesiæ, est factum quarti sæculi: item quod Concilium Tridentinum sit œcumenicum & legitimum Concilium, est factum decimi sexti sæculi: & tamen

men quòd sint legitima, & œcumenica Concilia, credi potest, & debet Fide divina; nam sunt regulæ Fidei nostræ, ac proinde credi debent assensu super omnia firmo, qualis est in statu viæ sola Fides divina. At credi non possunt Fide divina nisi propter aliquam propositionem olim factam, quæ ab Ecclesia extendatur, & applicetur illis Conciliis. Præterea revelatio generalis, seu propositio generalis revelata continet omnes conclusiones particulares, ideoque omnes conclusiones sunt revelatæ formaliter saltem implicitè in propositione generali revelata.

Dices. Qui negaret, librum Jansenii v. g. esse hæreticum, is non esset hæreticus. Ergo non est de Fide, librum illum esse hæreticum.

Respondent. Qui negaret hæreticitatem libri Jansenii ab Ecclesia declaratam, hoc ipso esset hæreticus; quia nollet se divinæ auctoritati sufficienter circa aliquod objectum propositæ submittere. Nam saltem virtualiter negaret Ecclesiæ infallibilitatem circa textus dogmaticos sufficienter propositam ut revelatam: & sic virtualiter saltem negaret divinam revelationem sufficienter ab Ecclesia propositam tum per usum continuum hujus infallibilitatis, tum per textus Scripturæ hanc infallibilitatem exprimentes. Præterea ille est hæreticus; qui resistit Ecclesiæ sufficienter proponenti veritatem aliquam ut Fide credendam: At negans hæreticitatem libri Jansenii, perinde ac negans hæreticitatem textus Nestorii à Concilio Ephesino damnati, resistit Ecclesiæ sufficienter proponenti hæreticitatem talis textus dogmatici ut Fide credendam: nam Ecclesia Fideles compellit ad rejiciendum ut hæreticum textum Jansenii addito etiam juramento, & ad ejus hæreticitatem in Fidei formula credendam. Ergo negans hæreticitatem libri Jansenii, perinde ac negans hæreticitatem textus Nestorii à Concilio Ephesino damnati est hæreticus. Quare Clerus Gallicanus anno 1660. vult hæreticum haberi, quicunque renuit credere hæreticitatem textus Jansenii, ut testatur Illustr. Fenelonius Cameracensis Archiepiscopus. Denique ille est hæreticus, qui admittit doctrinam ab Ecclesia damnatam ut hæreticam. Sed qui admittit doctrinam libri Jansenii, admittit doctrinam ab Ecclesia damnatam ut hæreticam. Ergo qui admittit doctrinam in libro Jansenii contentam, is est hæreticus.

Nota. Quidquid sit de actu, quo judicare debemus Heterodoxiam textus dogmatici ab Ecclesia damnati, an scilicet dici debeat actus Fidei divinæ, an actus Fidei Ecclesiasticæ, an assensus Theologicus: hæc apud omnes Catholicos constant, vel saltem constare debent. 1. Actus, quo assentire debemus Heterodoxiæ textus dogmatici ab Ecclesia damnati, vel Orthodoxiæ textus dogmatici ab ea approbati, debet esse firmissimus. Quia judicio Ecclesiæ circa textus dogmaticos acquiescere debemus actu proportionato infallibilitati Ecclesiæ circa textus dogmaticos. At talis actus est firmissimus, & cum omni dubitatione saltem voluntaria incompossibilis: quia Ecclesia circa textus dogmaticos habet infallibilitatem à Deo promissam, & divinam, vi cujus absolutè repugnat, eam errare circa textus dogmaticos, & tam repugnat, quàm repugnat Deum non esse fidelem in promissis. Præterea debemus assentire firmissimè objecto infallibiliter vero. At Heterodoxia textus dogmatici ab Ecclesia damnati est objectum infallibiliter verum: nam tam repugnat, textum illum esse orthodoxum, quàm repugnat, Ecclesiam errare in qualificando textu dogmatico: & tam implicat, Ecclesiam errare in qualificando textu dogmatico, quàm implicat, Deum esse infidelem in promissis; siquidem Deus Ecclesiæ promisit infallibilitatem circa textus dogmaticos, promittendo illi infallibilitatem omnem necessariam ad semper bene docendum Fideles.

2. Heterodoxia textus dogmatici ab Ecclesia damnati est saltem concluſi o Theologica, cùm deduci possit ex duabus præmissis, quarum una revelata est, & altera planè certa. Conclusio autem Theologica secundùm omnes Catholicos digna est assensu firmissimo.

3. Propositio conclusioni Theologicæ contradictoria, cujus assensus ab Ecclesia exigitur, si non est hæresis, est saltem hæresi proxima. Is verò hæreticus est, qui illi adhæret, quia negat præmissam revelatam, ex qua conclusio Theologica deducitur, vel admittit doctrinam ab Ecclesia damnatam ut hæreticam.

4. Sub

4. Sub peccato mortali firmiſſimè tenenda eſt Heterodoxia textus dogmatici ab Eccleſia damnati, & quælibet concluſio Theologica, quando Eccleſia aſſenſum illius exigit; quia & aſſenſum firmiſſimum meretur, & Eccleſia jus habet aſſenſus illius à Fidelibus exigendi, quando id bono Eccleſiæ expedire judicat. Exigit autem expreſsè, dum diſertè, & directè præcipit externam illius confeſſionem, vel ſubſcriptionem. Imò præſcindendo ab omni infallibilitate Eccleſiæ ſuper ea re, cùm Eccleſia de textibus dogmaticis pronuntiat, jus habet exigendi ab omnibus interiorem animi aſſenſum circa veritatem rei, de qua pronuntiat, propter ſcilicet eminentem Eccleſiæ auctoritatem, quæ prævalere debet omni particulari evidentiæ, quæ in tali concurſu meritò ac prudenter debet merè apparens cenſeri. Ideoque eſt peccatum mortale temeritatis, ſuperbiæ & inobedientiæ præferre ſuum judicium judicio Eccleſiæ. *Eccleſiæ nolle primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ*, ait S. Auguſtin. l. de util. cred. c. 17.

5. Qui librum, v. g. Janſenii, quem Eccleſia ut hæreticum damnavit per Bullas Summorum Pontificum ab Eccleſia receptas, negat eſſe hæreticum, is mortaliter peccat peccato ſuperbiæ temeritatis, judicium ſuum præferendo judicio Eccleſiæ in re gravi, de qua Eccleſia jus habet judicandi: idque etiamſi non eſſet de Fide, Eccleſiam infallibilem eſſe circa textus dogmaticos. Imò certum eſt, eum peccare mortaliter peccato inobedientiæ, qui non firmiſſimè judicat illum librum eſſe hæreticum, & continere quoad ſenſum quinque famoſas hæreſes; quia non obedit præcepto Eccleſiæ in re gravi: item eſſe etiam ſchiſmaticum, quia ex contumaci ſuperbia renuit obedire Eccleſiæ: nam Clemens XI. in Bulla *Vineam Domini Sabaoth*, ab Eccleſia recepta decernit, *damnatum in quinque Propoſitionibus Janſeniani libri ſenſum, quem illarum verba præferunt, ut præfertur, ab omnibus Chriſti Fidelibus, ut hæreticum, non ore ſolùm, ſed & corde rejici, ac damnari debere.* Eum verò, qui exte iùs rega, illum librum Janſenii continere quinque famoſas hæreſes illi per Bullas Alexandri VII. & Clementis XI. attributas, incurre-

re excommunicationem etiam in Gallia, cùm Bullæ illæ promulgatæ fuerint in toto Galliarum regno.

Imò videtur eſſe hæreticus, qui in hac re non obedit Eccleſiæ. Quia agitur de quæſtione juris, in qua ſecundùm omnes Catholicos Eccleſia eſt infallibilis: nempe agitur, an talis doctrina ſit conſentanea, vel diſſentanea revelationi divinæ.

Obj. 4. Si Eccleſia eſt infallibilis circa textus dogmaticos, eſt etiam infallibilis circa regulas Grammaticæ. Falſum conſeq. Ergo.

Reſp. Eccleſia eſt ſolùm infallibilis circa regulas Grammaticæ, quantùm requiritur, ut textus dogmaticos benè interpretetur. Nam Eccleſia non eſt infallibilis circa regulas Grammaticæ niſi quantùm opus eſt ut Fideles benè doceat, & depoſitum Fidei ſervet. Unde poteſt barbariſmos, ſolleciſmos & alia hujusmodi errata admittere.

Obj. 5. Dici non poteſt quænam ſit illa infallibilitas Eccleſiæ circa textus dogmaticos.

Reſp. Nego. Et dico illam infallibilitatem eſſe divinam & ſupernaturalem, fundatam in ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia, à Chriſto promiſſa, ideoque eſſe ſummam. Nam ſuppoſita promiſſione divina tam implicat Eccleſiam errare in interpretandis & qualificandis textibus dogmaticis, quàm repugnat Deum eſſe infidelem in promiſſis, & Spiritum Sanctum falli in ordinamdis mediis, quibuscum Eccleſia infallibiliter interpretari & qualificare poſſit textus dogmaticos.

Itaque Eccleſia infallibilis eſt circa textus dogmaticos approbandos vel damnandos, quatenus vi promiſſionis Chriſti nunquam ei deſunt media tum naturalia tum ſupernaturalia, quibus ex ſpeciali directione Spiritus Sancti adhibitis, textus dogmaticos infallibiliter interpretatur, & qualificat.

Obj. 6. Eccleſia non eſt infallibilis circa ſenſum auctorum, qui textus dogmaticos componunt: ergo nec circa ſenſum illorum textuum.

Reſp. Diſting. antecod. Eccleſia non eſt

infallibilis circa ſenſum auctorum perſonalem, *conc. anteced.* Litteralem, *nego antec. & conſ.* Duplex eſt ſenſus auctorum, qui libros dogmaticos componunt, nempe perſonalis ſeu internus, & litteralis ſeu externus. Senſus perſonalis eſt ille, quem auctor habet in mente, quando ſcribit. Senſus litteralis eſt ille, qui exprimitur verbis libri, ſeu textus ſcripti, ſecundùm communem, & in Eccleſia receptam ſignificationem acceptus. Quamvis autem Eccleſia non poſſit infallibiliter cognoſcere, quem ſenſum auctor libri dogmatici habuerit in mente, tamen poteſt infallibiliter cognoſcere ſenſum, quem auctor libri dogmatici verbis ſuis expreſſit, ſeu quem verba auctoris ſignificant, & præferunt.

Porro Eccleſia quandoque ad utrumque ſenſum attendit, nempe cùm & librum auctoris, & ipſum auctorem anathematizat, ut fecit Concilium Epheſinum his verbis: *Omnes Neſtorii Epiſtolam anathematizamus. Omnes hæreticum Neſtorium anathematizamus.* Quandoque verò ad ſolum ſenſum literalem attendit, eumque ſolum damnat: ſic librum Janſenii, non ipſum Janſenium Eccleſia damnavit ut hæreticum.

Inſt. 1. Senſus litteralis, & perſonalis non poſſunt eſſe diverſi. Ergo nulla illa diſtinctio.

Reſp. Nego anteced. Nam fieri poteſt, & interdum fit, ut quis habeat in mente ſenſum orthodoxum, & tamen adhibeat verba ſenſum heterodoxum exprimentia. Nam (ut ait S. Thomas 1. p. q. 31. art. 2.) *Ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis.* At poteſt quis catholicè ſentiens, verba inordinatè proferre.

Inſt. 2. Si Eccleſia eſt infallibilis circa ſenſum literalem auctorum, debet quoque eſſe infallibilis circa perſonalem.

Reſp. Nego ſequel. Quia Eccleſia non habet infallibilitatem à Deo promiſſam niſi eam, quæ requiritur ad rectè docendum populos res Fidei, morum, ac Religionis, ad Fideles in recta Fide, ac Religione continendos, ad certò ac finaliter dirimendas Fidei controverſias, ad conſervandas, & declarandas revelationes, ac Traditiones divinas: ad quod ſufficit infallibilitas circa Fidei dogmata, ac mores, & circa textus dogmaticos, ſeu circa ſenſum literalem auctorum, qui de rebus ad Fidem, Religionem, vel mores pertinentibus ſcribunt. Nam ſenſus perſonalis auctorum, cùm lateat in mente, veram Fidem, ac bonos mores nec adjuvare, nec depravare poteſt in aliis, & pertinet ad cordis ſecreta, quorum cognitio ad ſolum Deum, utpote ſolum ſcrutatorem cordium, pertinet. Senſus verò literalis ad veram Fidem, ac mores aliorum juvandum, inſtruendum, vel depravandum multum valet, cum ab omnibus legi, ac percipi poſſit. Quare nulla eſt ratio attribuendi Eccleſiæ infallibilitatem circa ſenſum perſonalem auctorum: graviſſima autem ſubeſt ei attribuendi infallibilitatem circa ſenſum literalem auctorum dogmaticorum.

Inſt. 3. Eccleſia ſæpè anathematizavit & textus dogmaticos, & eorum auctores: Ergo non eſt magis infallibilis circa ſenſum literalem, quàm circa perſonalem.

Reſp. Nego conſeq. Quia Eccleſia anathematizando textum dogmaticum, execratur, & damnat illum ut heterodoxum: unde ſi eſſet fallibilis circa ſenſum literalem, poſſet textum orthodoxum execrari & damnare tanquam heterodoxum, illumque ut heterodoxum Fidelibus proponere, ſicque poſſet malè docere fideles, eosque in errorem inducere: quod Chriſti promiſſionibus repugnat. Quare Eccleſia debet eſſe infallibilis circa ſenſum literalem textus dogmatici. At Eccleſia anathematizando auctorem textus dogmatici, execratur illum ut hominem hæreticum: in quo ſi quando erraret, hic error meri facti non noceret puritati doctrinæ, nec fideles ad falſum aliquod dogma ſuſcipiendum induceret.

Porro ut Eccleſia juſtè damnet aliquem auctorem ut hæreticum, requiritur ſolùm, ut notorium ſit, illum hominem eſſe auctorem textus dogmatici hæretici, illumque pertinaciter tueri, contra Eccleſiæ judicium. Quod ſi auctor textus hæretici mortuus ſit, ut ab Eccleſia tanquam hæreticus meri ò damnetur, ſufficit præſumptio, quòd textum illum hæretico animo ſcripſerit, & in mente habuerit ſenſum verbis ſuis expreſſum, nec reſipuerit, aut ſcripta ſua judicio Eccleſiæ ſincerè ſubjecerit.

Inſt. 4. Eccleſia æqualiter decidit Ortho-

do-

doxiam, vel Heterodoxiam ſenſus perſonalis, & ſenſus literalis. Ergo eſt æquè fallibilis circa utrumque ſenſum.

Reſp. Nego anteced. Nam Eccleſia anathematizando textum dogmaticum, pronuntiat ſenſum illius literalem eſſe heterodoxum: anathematizando verò auctorem textus dogmatici. ſolùm declarat, ſe illum habere ut hæreticum, & ab omnibus Catholicis habendum, ac vitandum eſſe ut hæreticum. Igitur Eccleſia textum aliquem damnando, damnat ſenſum illius litteralem: nam non damnat præcisè verba, ſed potiſſimùm ſenſum per verba expreſſum. Anathematizando verò auctorem, damnat ipſam perſonam auctoris propter ſenſum perſonalem, qui ex ſufficientibus indiciis cognoſcitur eſſe conformis ſenſui litterali heterodoxo. In quo Eccleſia poteſt abſolutè errare, licèt prudenter judicet, & hic modus cognoſcendi ſufficiat ad damnandum, & execrandum auctorem ut hæreticum.

Inſt. 5. Aliquando Eccleſia & textum auctoris, & ipſum auctorem indiſcriminatim anathematizat ſub nomine ipſius auctoris. Ergo tunc indiſcriminatim decidit Heterodoxiam ſenſus perſonalis, & litteralis.

Reſp. Nego conſeq. Nam quando Eccleſia textum auctoris, & ipſum auctorem indiſcriminatim anathematizat ſub nomine ipſius auctoris, tunc decidit Heterodoxiam textus per nomen auctoris, & execratur ipſum auctorem ut hæreticum: & ſic execrando, implicitè declarat, ſe illum habere ut hominem hæreticum, & ut talem ab omnibus Fidelibus habendum eſſe: quia nempe ſufficienter conſtat, eum hæretico animo textum hæreticum ſcripſiſſe, & hæreticum animum retinere, ſi vivit: vel ſi mortuus eſt, uſque ad mortem retinuiſſe.

Inſt. 6. Quinque famoſæ Janſenii propoſitiones damnantur in ſenſu ab auctore intento. Ergo Eccleſia æquè decidit Heterodoxiam ſenſus perſonalis.

Reſp. Nego conſeq. Quia hæ voces *(in ſenſu ab auctore intento)* ſignificant ſenſum ab auctore intentum per librum ejus, ſeu ſenſum ab auctore expreſſum; ita ut ſenſus ſit: propoſitiones damnari in ſenſu doctrinæ libri Janſenii, ſeu in ſenſu expreſſo ab auctore in libro ſuo, ut explicat Clemens XI. in Bulla *Vineam Domini Sabaoth*, dum dicit: *damnatum in quinque propoſitionibus Janſeniani libri ſenſum ab omnibus Chriſti fidelibus, non ore ſolùm, ſed & corde rejici, ac damnari debere.* Quare Eccleſia ſolum ſenſum literalem operis Janſenii attendit, & damnavit.

Obj. 7. Eccleſia non eſt infallibilis circa facta. At Orthodoxia & Heterodoxia textus dogmatici ſunt facta. Ergo Eccleſia non eſt circa illas infallibilis.

Reſp. 1. Diſting. maj. Eccleſia non eſt infallibilis circa facta perſonalia, ad Fidem, mores, cultum divinum nullatenus pertinentia; ut cùm agitur de aliquo homine accuſato damnando, vel abſolvendo, de promovendo aliquo ad Epiſcopatum, &c *conc. maj.* Nam infallibilitas circa hujusmodi facta non eſt neceſſaria ad doctrinam Fidei, ac verum Dei cultum in Eccleſia conſervandum, ad Fideles benè res Fidei, & morum docendos, & ad eorum perverſionem impediendam. Neque etiam illa ex Scriptura, vel Traditione, aut uſu Eccleſiæ colligi poteſt. Eccleſia non eſt infallibilis circa facta dogmatica, facta ad Fidem, mores, vel cultum divinum pertinentia, *nego maj.* Nam infallibilitas circa hujusmodi facta neceſſaria eſt Eccleſiæ ad *morum doctrinam* ſervandam, ad Fideles in recta Fide continendos, aut inſtruendos, & ad cultum Eccleſiæ publicum verum, ac Deo dignum exhibendum, certoque conſtat ex Scriptura, & uſu Eccleſiæ. Orthodoxia autem, & Heterodoxia textus dogmatici, ſi eſſet factum, eſſet factum dogmaticum, i. e. cum dogmate conjunctum, eſſet factum ad Fidem pertinens; nam textus dogmaticus eſt ille, qui dogma verum vel falſum exprimit, cujus proinde affirmatio, vel negatio eſt affirmatio, vel negatio veri dogmatis Fidei.

Reſp. 2. Nego min. Nam Orthodoxia, vel Heterodoxia textus dogmatici non eſt factum, ſed eſt jus, ſeu aliquid ſpectans jus divinum, ſupponens aliquod factum, quod non eſt controverſum, nempe talem textum extare, & tribui tali ut auctori. Nam illud ſpectat jus divinum, & eſt quæſtio juris, quod deciditur per revelationem divinam, nempe per Scripturam,

vel Traditionem. Sed Orthodoxia, vel Heterodoxia textus dogmatici ſic deciditur, nempe expenditur, an doctrina, per illum textum expreſſa, ſit conſentanea, vel diſſentanea revelationi divinæ, ſeu dogmati Fidei. Judicium autem de doctrina Fidei conſentanea, vel diſſentanea ſpectat jus divinum, & eſt verè judicium de doctrina conſentanea, vel diſſentanea revelationi divinæ. Quare Clerus Gallicanus anno 1655. dicit, Innocentium X. declarando doctrinam Janſenii à ſe damnatam eſſe ſua conſtitutione, reſtrinxiſſe authoritatem deciſionis ad quæſtionem juris.

Inſt. 1. Quòd textus aliquis dogmaticus ſit orthodoxus, vel heterodoxus, eſt factum.

Reſp. Neg. Sed (ut dixi) eſt jus, ſeu aliquid ſpectans jus divinum: nam hoc deciditur per revelationem divinâ contentam in Scriptura, & Traditione: & in hoc agitur de doctrina conſentanea, vel diſſentanea revelationi divinæ.

Præterea, eſto, ſit factum. At eſt factum dogmaticum, cùm verum vel falſum dogma contineat. Non eſt merum factum: nam ſi eſt factum, eſt factum ita affine juri, ut ex ejus negatione ſequatur negatio juris: ſi enim v. g. falſum eſt, epiſtolam Cyrilli ad Neſtorium eſſe orthodoxam, hoc ipſo falſum eſt, Chriſtum eſſe DEUM: è contrà ſi falſum eſt, epiſtolam Neſtorii ad Cyrillum eſſe hæreticam, hoc ipſo falſum eſt, Chriſti divinitatem eſſe, & ſemper fuiſſe Fidei dogma.

Inſt. 2. S. Thomas, & poſt eum omnes ferè Theologi docent, Eccleſiam errare poſſe circa facta.

Reſp. Loquuntur non de factis dogmaticis, ſed de factis perſonalibus, de meris factis, quæ ad Fidem, mores, & cultum generalem non pertinent, ut patet ex iſtis S. Thomæ verbis, quæ objectionem fundant, nempe quodlib. 9. a. 16. ubi ait: *Certum eſt, quòd judicium Eccleſiæ univerſalis errare in his, quæ ad Fidem pertinent, impoſſibile ſit ... in aliis vero ſententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cùm agitur de poſſeſſionibus, vel de criminibus, vel de hujusmodi, poſſibile eſt, judicium Eccleſiæ errare propter falſos teſtes. Canonizatio verò Sanctorum medium eſt inter hæc duo. Quia tamen honor, quem Sanctis exhibemus, quædam profeſſio Fidei eſt, qua Sanctorum gloriam credimus, piè credendum eſt, quòd nec etiam in his judicium Eccleſiæ errare poſſit.* Et ad 2. loquens de Canonizatione Sanctorum ſic ait: *Divina providentia præſervat Eccleſiam, ne in talibus per fallibile teſtimonium hominum fallatur.* Ubi S. Doctor admittit infallibilitatem Eccleſiæ in Canonizatione Sanctorum, quia eſt factum aliquo modo pertinens ad cultum divinum publicum.

Inſt. 3. Eccleſia non eſt infallibilis niſi circa facta revelata. At quòd textus aliquis dogmaticus, v. g. liber Janſenii ſit hæreticus, non eſt res à Deo revelata. Ergo circa hoc Eccleſia non eſt infallibilis.

Reſp. Diſting. maj. Eccleſia non eſt infallibilis niſi circa facta revelata vel explicitè, vel implicitè, vel virtualiter, *eſto maj.* Niſi circa facta revelata explicitè, *negò maj.* Et verò Janſeniſtæ fatentur, Eccleſiam eſſe infallibilem circa aliqua, quæ negant eſſe revelata; ut circa Orthodoxiam Scriptorum S. Aug. contra Pelagianos: nempe ipſimet docent, Eccleſiam errare non potuiſſe, approbando libros S. Auguſtini contra Pelagianos ſcriptos. Jam verò Eccleſiam eſſe infallibilem circa multa, quæ non ſunt revelata expreſsè, & ſecundùm ſe, omnino conſtat. Nam 1. Eccleſia eſt infallibilis, dum affirmat, talia Scripta talium Patrum, v. g. Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, &c. continere veram Traditionem, illosque Patres eſſe teſtes Traditionis Apoſtolicæ in talibus textibus: alioquin non eſſet infallibilis in colligendis Traditionibus divinis ex communi Patrum conſenſu, nec in diſcernendis ex illorum conſenſu veris Traditionibus à falſis. 2. Eccleſia eſt infallibilis, dum declarat, vulgatam noſtram editionem continere verum Dei verbum. 3. Quòd Concilia Nicænum, Epheſinum, & alia ſint legitima, & generalia, eſt factum ad Fidem ſpectans, cùm ſint regula Fidei: & tamen non eſt revelatum expreſsè, & ſecundùm ſe, & Eccleſia infallibiliter agnoſcit, ac docet, illa eſſe legitima, & generalia Concilia, & talia dogmata definiviſſe. Igitur Eccleſia eſt infalli-

bilis

bilis circa illa omnia, quæ neceſſaria ſunt ad Fidei, & doctrinæ revelatæ conſervationem.

Obj. 8. Orthodoxia, vel Heterodoxia propoſitionum dogmaticarum ſeorſim ſumptarum, ſeu textuum dogmaticorum brevium, v. g. quinque famoſarum propoſitionum eſt quidem quæſtio juris, ideoque Eccleſia eſt infallibilis judicando de illis: at hoc falſum eſt de textibus prolixis, v. g. de libro Janſenii, quod pertinet ad quæſtionem meri facti.

Reſp. Strictè loquendo, cùm quæritur de aliquo textu dogmatico ſive brevi, ſive longo, utrùm ſit orthodoxus, eſt quæſtio juris. Nam cùm de aliquo textu dogmatico quæritur, utrùm ſit orthodoxus, an heterodoxus, perinde eſt, ac ſi quæratur, utrùm dogma, quod illo textu exprimitur, ſit orthodoxum, an heterodoxum: manifeſtum eſt autem, eſſe quæſtionem juris, cùm de dogmate, quod aliquo textu exprimitur, quæritur, utrùm ſit orthodoxum, an heterodoxum: præterea illud eſt quæſtio juris, quod deciditur per Scripturam, & Traditionem: At quæſtio de textu dogmatico ſive longo, ſive brevi, an ſit orthodoxus, nec ne, deciditur per Scripturam & Traditionem: nempe expenditur, an ſit conſentaneus, vel diſſentaneus verbo Dei, ſeu veritatibus à Deo revelatis: circa quam deciſionem Eccleſia eſt ſanè infallibilis: Ergo. Denique ſi quando quæritur, an aliquæ propoſitiones, v. g. quinque famoſæ Janſenii ſint orthodoxæ, vel heterodoxæ, eſt quæſtio juris, debet quoque eſſe quæſtio juris, quando idem quæritur de quibuscunque aliis textibus dogmaticis etiam longiſſimis. Nam non eſt potior ratio pro brevibus, quàm pro longis. Ratio enim, cur aliquæ propoſitiones pertineant ad quæſtionem juris, eſt, quia ſunt textus dogmatici, ſeu quia exprimunt verum, vel falſum dogma. Et verò cùm quæritur, utrum liber Janſenii ſit orthodoxus, an heterodoxus, & cùm quæritur, utrùm quinque famoſæ propoſitiones Janſenii ſint orthodoxæ, an heterodoxæ, nonne clarum eſt, quæſtiones eſſe ejusdem naturæ, & æquè poſſe decidi ex Scriptura, & Traditione; ac proinde, in illis decidendis Eccleſiam eſſe æquè infallibilem?

Porro ne ſit diſputatio de voce, quæſtio facti dogmatici (ſi quis velit ita vocare) eſt ſaltem inſeparabilis à quæſtione juris, ſaltem relatè ad definitionem Eccleſiæ approbantis, vel damnantis textum dogmaticum.

Obj. 9. Eccleſia non eſt ſaltem infallibilis circa textus dogmaticos longos, ſed tantùm circa breves.

Reſp. Nego. Nam 1. promiſſio Chriſti de danda ſpeciali aſſiſtentia Eccleſiæ ad ſemper bene docendum, eſt abſoluta, indefinita, ideoque univerſalis, non limitata ad textus breves, ut patet ex his Chriſti verbis: *docete omnes gentes.... & ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi. Portæ inferi non prævalebunt adversùs eam... Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* 2. Concilium quintum Generale intellexit verba Chriſti de infallibilitate circa quoscunque textus etiam longiſſimos promiſſa, & illa promiſſione confidens damnavit textus longiſſimos, nempe Scripta Theodori Mopſueſteni, Scripta aliqua Theodoreti, & epiſtolam Ibæ. 3. Abſurdum eſt dicere, Chriſtum numerum verborum, & periodorum definiviſſe, ultra quem Eccleſia non ſit ampliùs infallibilis in intelligendis textibus dogmaticis. 4. Concilia Epheſinum, Chalcedonenſe, & quintum ſe profitentur infallibilia circa textus longiſſimos, quos approbarunt, vel damnarunt. 5. Si Eccleſia fallibilis eſt circa textus prolixos, errare potuit Concilium Epheſinum, epiſtolam Neſtorii ut hæreticam damnando, & epiſtolam Cyrilli ad Neſtorium ut orthodoxam approbando: errare quoque potuit Concilium V. damnando Scripta Theodori, & epiſtolam Ibæ: nam hi textus prolixi ſunt. Conſequens repugnat Fidei, ut conſtat ex dictis. Similiter Eccleſia potuit errare approbando libros S. Auguſtini contra Pelagianos, quod tamen negant Janſeniſtæ. 6. Ad bene docendos Fideles, eosque in recta Fide continendos, ad impediendam ſubverſionem Fidelium, ad depoſitum Fidei ſervandum, tam, imò magis neceſſaria eſt Eccleſiæ infallibilitas circa textus longos, quàm circa breves. Nam ſicut Fideles ordinariè meliùs inſtruuntur, magisque in Fide confirmantur per orthoxum textum lon-

longiorem, quàm per breviorem: ita ordinariè faciliùs pervertuntur, & in errorem inducuntur per heterodoxum textum longiorem, quàm per breviorem. Unde eadem, imò potior est ratio pro infallibilitate circa textus dogmaticos longiores, quàm circa breviores.

Obj. 10. Ecclesia damnavit aliquas propositiones, quæ reperiuntur in aliquibus Patribus. Ergo tunc erravit: ergo non est infallibilis, &c.

Resp. Ecclesia potest damnare, & interdum damnavit propositiones sumptas in se, absolutè, & secundùm sensum proprium, ac obvium verborum, quibus constant, quamvis eædem propositiones quoad ipsa verba reperiantur in aliquibus sanctis Patribus, sed quæ in eorum scriptis spectata relatè ad doctrinam in illis scriptis contentam, & ad antecedentia, & consequentia, ad scopum libri, habent sensum catholicum. Unde Ecclesia non damnat has propositiones secundùm sensum Patrum, sed secundùm sensum, quem habent ex usu nunc recepto in Ecclesia, quando scorsim, & absolutè sumuntur: vel quem habent in scriptis aliorum auctorum, præsertim suspectorum.

Obj. 11. Saltem Ecclesia non potest infalliblliter judicare de libris lingua extranea, v. g. Tartarica scriptis.

Resp. Neg. Nam si libri illi sunt dogmatici, & in illa regione multi sint Christiani, quorum fidem corrumpere possint, tunc Ecclesia infallibiliter judicabit de illis in latinum sermonem conversis, & Deus vi suæ promissionis factæ Ecclesiæ providebit, ut libri illi secundùm suum verum sensum in latinum convertantur.

Nota. Divina assistentia ad rectè judicandum, & pronuntiandum de textibus dogmaticis promissa confertur Ecclesiæ, non per viam inspirationis, seu novæ revelationis, sed per viam directionis moderantis diligentiam quamdam ab Ecclesia adhibendam in inquirenda veritate. Hinc fit, ut Ecclesia ad examen hujusmodi textuum adhibeat consultationes, ac suffragia virorum doctorum, quorum diligentia textus illi sic præparantur, ac disponuntur, ut ex propria deinde illorum inspectione, qua oculis Episcoporum subjiciuntur, promptiùs illi, ac faciliùs de illis textibus judicare possint. Unde in judicio de textibus dogmaticis semper Ecclesia judicat proximè ex propria rei, de qua agitur secundùm se inspectione, non autem merè ex alieno testimonio. Quare in judicio de textu dogmatico testimonium hominum non est proximum fundamentum, quo nititur hujusmodi judicium. Præterea potest aliquod judicium Ecclesiæ inniti hominum testimoniis de se fallibilibus, & tamen esse infallibile ex speciali divinæ assistentiæ directione, ut contingit in Canonizatione Sanctorum.

ARTICULUS VIII.

Utrum sit in Ecclesia Judex infallibilis controversiarum Fidei?

Dico. Extat in Ecclesia *visibili infallibilis* Judex controversiarum in materia Fidei, & Religionis.

Prob. Extat in Ecclesia, quidquid necessarium est ad ejus conservationem usque ad finem mundi. Nam Christus vult Ecclesiam suam visibilem esse perpetuam, ut suprà probatum est: ideoque ei suppeditavit omnia ad hanc perpetuitatem necessaria. Atqui infallibilis Judex controversiarum Fidei est necessarius ad conservationem Ecclesiæ Christi. Ergo extat in Ecclesia. *Prob. min.* Nam Fidei unitas, quæ omnino necessaria est Ecclesiæ, ut constat ex dicendis de notis veræ Ecclesiæ, conservari nequit sine infallibili judice controversiarum: cùm enim sæpè etiam graves in materia Fidei oriantur, & oriri possint controversiæ, vel propter obscuritatem rerum, vel propter oblivionem, ac ignorantiam hominum, vel propter dæmonum, aut hominum malitiam, si non sit in Ecclesia visibili infallibilis controversiarum Judex, cujus sententiæ Fideles omnes teneantur acquiescere, Fideles sequentur vel judicium proprium, vel aliquorum privatorum Doctorum, & sic diversa sentient circa res Fidei, proindeque tolletur unitas Fidei.

Dixi *infallibilis.* Nam si Judex est fallibilis, fieri potest, ut ferat falsum judicium in materia Fidei, & sic fieri potest, ut tota Ecclesia erret in Fide contra expressam Christi promissionem,

nem, cùm Fideles omnes teneantur Judicis controversiarum judicio acquiescere. Præterea si non esset in Ecclesia infallibilis Judex controversiarum, nunquam finirentur controversiæ in materia Fidei, nunquam finaliter damnari possent prava hæreticorum dogmata, post latam sententiam adhuc essemus parvuli fluctuantes, ignari quid credere Fide divina debeamus, &c. & sic Christus non providisset sufficienter bono Ecclesiæ, & unitati Fidei ad ejus conservationem necessariæ.

Obj. Ad credendum omnia, quæ Fide divina credenda sunt, sufficiunt revelationes divinæ per motiva credibilitatis propositæ. Ergo ad servandam unitatem Fidei non requiritur controversiarum Judex.

Resp. Revelationes divinæ per motiva credibilitatis propositæ sufficiunt quidem ad credendum, quæ per eas clarè exprimuntur, non autem ad credendum ea, quæ per eas confusè aut obscurè, seu non clarè exprimuntur, ità ut relinquatur locus dubitationi & controversiæ de germano earum sensu. Nam tunc requiritur sententia judicis controversiarum Fidei, qua infallibiliter dubitatio tollatur, & controversia dirimatur: alioqui privati revelationes divinas in diverso sensu intelligent, & sic diversa credent ut revelata: & consequenter tolletur unitas Fidei.

ARTICULUS IX.

Utrùm Scriptura, vel sensus privatus, aut Laici sint Judices controversiarum Fidei.

NOta. Lutherani & Calviniste docent Scripturam sacram vel solam, vel privato cujusque spiritu, seu per Spiritum Sanctum privatis hominibus communicatum intellectam esse Judicem controversiarum Fidei, seclusis Traditionibus & definitionibus Ecclesiæ. Hæretici Angli volunt Principes sæculares esse ejusmodi controversiarum Judices. Catholici verò docent Ecclesiam docentem, seu primos Pastores, nempe Episcopos cum suo Capite esse Judicem infallibilem harum controversiarum: Dei autem verbum scriptum & non scriptum esse regulam secundùm quam ferri debet & fertur sententia, adjuvante semper Spiritu Sancto Ecclesiæ Pastoribus promisso.

R. P. Antoine Tract. Theol. de Fide.

§. I.

Dico. 1. Scriptura Sacra non est Judex controversiarum Fidei.

Prob. 1. Quia Scriptura non potest esse judex controversiarum Fidei nisi secundum verum sensum seu res per verba significatas, non autem secundùm litteram. Nam littera nihil est nisi propter sensum à Spiritu Sancto intentum: & aliunde est hominibus propter eorum infirmitatem, ignorantiam & malitiam occasio errandi, ut patet exemplo omnium hæreticorum, qui falsa sua dogmata Scripturarum testimoniis probare conati sunt. *Non enim natæ sunt hæreses, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non bene*, ait S. Augustinus, tract. 18. in Joann. Præterea solus sensus à Spiritu Sancto intentus continet res à Deo revelatas, & verbum Dei nihil aliud est quàm res à Deo revelatæ. Atqui Scriptura sacra nequidem secundùm sensum spectata potest esse Judex controversiarum Fidei. Ergo Scriptura nullatenus est ejusmodi Judex. *Prob. min.* Ad judicem controversiarum requiritur, ut semper possit pronuntiare clarè sententiam, ita ut à litigantibus intelligatur: alioqui frustra pronuntiaret sententiam & nihil efficere posset. At Scriptura secundùm sensum spectata non potest semper pronuntiare clarè sententiam: nam legitimus Scripturæ sensus sæpe obscurus est, ut probatum est suo loco, & de eo plerumque controversia est.

Prob. 2. Judex controversiarum debet posse omnes Fidei controversias dirimere: nam de hoc Judice agitur, alioqui insufficiens esset. Atqui Scriptura non potest omnes Fidei controversias dirimere. Nam 1. controversia de divinitate certorum Librorum, *v. gr.* Tobiæ, Judith, Apocalypsis, &c. non potest dirimi per Scripturam; cum nullus in Scriptura extet Canon seu catalogus omnium Librorum divinorum. 2. Controversiæ de Sacramentorum numero, de validitate Baptismi infantium, de perpetua virginitate Matris Dei, & aliæ similes decidi non possunt à Scriptura, cùm ista non inveniantur in Scriptura. 3. Omnibus Ecclesiæ ætatibus

tibus graves controverſiæ exortæ ſunt de vero ac legitimo ſenſu Scripturæ ſive Catholicos inter & hæreticos, ſive inter ipſos hæreticos. At Scriptura per ſe ſolam non poteſt has controverſias dirimere, ut conſtat experientia ætatum omnium: vel quia Scriptura nullam poteſt ferre ſententiam in ejuſmodi controverſiis: vel ſi quam poteſt ferre, non fert niſi obſcuram, quam utraque pars litigantium ad ſuum ſenſum trahere poteſt: unde etiam hæretici perpetuo inter ſe de multis Scripturæ locis diſputant.

Dices. 1. Scriptura ſeipſa quaſi ſuo ſapore diſcernitur à falſa; & ejus ſenſus à Spiritu Sancto manifeſtatur omnibus piis ac Fidelibus.

Reſp. Contra eſt, nam 1. controverſia de Libris à Deo inſpiratis & de eorum ſenſu à Spiritu Sancto intento non poteſt per hoc dirimi. Quique enim litigantes impune dicere poſſunt & ſibi facile perſvadent ſe habere ſaporem veræ Scripturæ, & doceri à Spiritu Sancto verum ejus ſenſum. Sic Calviniſtæ & Lutherani, qui ſolam Scripturam ut ſupremum Judicem controverſiarum admittunt, ſemper inter ſe diſſident de multis Scripturæ libris: puta de Epiſtola Jacobi, de Epiſtola Pauli ad Hebræos & Apocalypſi, quas admittunt Calviniſtæ & rejiciunt Lutherani: item de vero ſenſu horum Chriſti verborum (*Hoc eſt corpus meum*) quæ Lutherani in ſenſu proprio, Calviniſtæ in ſenſu figurato intelligi debere contendunt. Nec unquam has controverſias dirimere potuerunt, licet Calviniſtæ in Synodo Nationali Lutheranos ut Fideles & fratres agnoverint: quos proinde à Spiritu Sancto doceri negare nequeunt. 2. Lumen illud Spiritus Sancti ad quod confugiunt hæretici, debet potiùs communicari Paſtoribus Eccleſiæ à Deo deſtinatis ad alios docendos quam privatis. 3. Priùs eſt cognoſcere res credendas, ideoque certam regulam Fidei, quam eſſe Fidelem. 4. Hæc reſponſio recidit in Spiritum privatum, quem multi recentiores hæretici rejiciunt. Nam ſi regula diſcernendi Scripturam veram & verum ejus ſenſum ſit Scriptura ipſa, quatenus à Spiritu Sancto manifeſtatur, certe nemini conſtare poteſt de vera Scriptura & vero ejus ſenſu, niſi quatenus certam habet perſuaſionem ſe doceri à Spiritu Sancto; ac proinde interna Spiritus Sancti perſuaſio, qua privatus quisque diſcernit veritatem in controverſiis Fidei, erit ſupremus Judex controverſiarum. Hæc autem perſuaſio eſt ipſemet ſpiritus privatus. Quare hæc reſponſio eodem argumento refellitur ſic. Verus Judex controverſiarum debet pronuntiare clarè ſententiam inter duas partes litigantes, ita ut clarè appareat, cui parti cauſa adjudicetur: alioqui non poteſt dirimere controverſias inter partes litigantes, & ſic inutilis eſſet talis Judex. At Scriptura per Spiritum Sanctum privatis communicatum id non præſtat: nam nunquam clarè apparet, aut ſaltem nunquam infallibiliter cognoſcitur quis ex duobus de aliquo Fidei dogmate diſceptantibus doceatur à Spiritu Sancto, & ſemper utraque pars litigans poterit impunè prætendere Spiritus Sancti illuſtrationem, per quam ſibi cauſa adjudicatur: ac proinde talis illuſtratio nunquam controverſias dirimere poteſt.

Dices. 2. Scriptura & ejus ſenſus quoad veritates ad ſalutem neceſſarias à Spiritu Sancto manifeſtatur electis omnibus.

Reſp. Sed contra eſt 1. Hæc reſponſio coincidit cum priore, & eodem argumento refellitur. 2. *non manifeſtatur electis niſi* per regulam Fidei communem omnibus Fidelibus, nempe veram Chriſti Eccleſiam. 3. Nemo ſcit quinam ſint electi. Ergo nemo ſcit ubi ſit vera Scriptura, verus ſenſus Scripturæ, vera Fides; & quiſque impunè aſſerere poteſt ſe eſſe electum præ ſuis adverſariis: ac proinde hæc regula prorſus inutilis eſt ad controverſias dirimendas. Quomodo ergo Ariani, & alii hæretici, qui errant circa res ad ſalutem neceſſarias neceſſitate medii convinci poterunt? Certè tam prætendunt ſe illuſtrari à Spiritu Sancto quàm Lutherani & Calviniſtæ. Denique quidquid Lutherani & Calviniſtæ dicere poſſunt ad tuendos ſuos errores, id omne pariter, & æquo jure dicere poſſunt Sociniani, & alii hæretici, quos ipſi damnant.

Dices.

Dices. 3. Sensus Scripturæ qui obscurus est in uno loco, clarus est in alio.

Resp. Contra est. Nam 1. sæpe locus alius, qui ab una parte litigantium clarus esse dicitur, ab aliis dicitur obscurus; & textus, qui ab una parte sumitur in sensu proprio, dicitur ab altera parte sumi debere in sensu figurato. Item textus, per quem una pars vult explicare alium, dicitur ab altera parte debere potiùs exponi per istum alterum. Et sic nova exoritur controversia de claritate alterius loci, de sensu legitimo, proprio vel figurato, & de textibus, per quos alii explicari debent. Sic Sociniani contra Calvinistas & Lutheranos perinde ac contra nos explicant in sensu figurato textus exprimentes divinitatem Christi, voluntque illos explicari debere per alios textus, quos Ariani Catholicis objiciebant. Quomodo igitur refelli poterunt? Item ipsi Lutherani, & Calvinistæ idem faciunt circa hunc textum *(Hoc est Corpus meum)* & inter se disputant, utrum in sensu proprio, an in figurato accipi debeat. 2. Sæpè alius locus clarior non invenitur, ut experientia constat. 3. Multa sunt Scripturæ loca, quorum verus sensus haberi nequit sine Traditione Apostolica, & Auctoritate Ecclesiæ. Imò ad dirimendam quamlibet controversiam de vero sensu Scripturæ, & de vera Scriptura divina, opus est auctoritate Ecclesiæ Scripturam, & ejus sensum infallibiliter proponentis.

Obj. 1. Christus in illa controversia, quam Judæi habebant circa ejus Divinitatem, dixit eis: *Scrutamini Scripturas*, Joan. c. 5. Ergo Scripturæ sufficiunt ad omnes controversias.

Resp. Nego conseq. Nam 1. Christus non remisit Judæos ad solas Scripturas, sed etiam ad testimonium Joannis, miraculorum suorum, & sui Patris. 3. Scriptura sola non potest omnes controversias dirimere, præsertim de vero ejus sensu. 3. Non valet à particulari conclusio.

Obj. 2. Regula Fidei nostræ est verbum Dei.

Resp. Revera regula Fidei est verbum Dei, sed infallibiliter declaratum, & explicatum per auctoritatem infallibilem Ecclesiæ, cui Christus continuam assistentiam promisit ad docendum omnes Fidei veritates, Matth. cap. ult. *Docete, & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* At regula Fidei non est verbum Dei expositum à privatis, quibus Christus infallibiliter assistentiam non promisit.

§. II.

Dico. 2. Spiritus privatus non est Judex controversiarum in rebus Fidei.

Prob. Quia spiritus ille privatus, quem hæretici ut supremum Judicem controversiarum Fidei agnoscunt, est interna Spiritus Sancti persuasio, qua privatus quisque discernit veritatem in controversiis Fidei, ut docent hæretici. Et verò non possunt dicere, spiritum illum privatum esse cujusque privati naturale judicium: nam tale judicium est erroni obnoxium juxta illud, Rom. c. 3. *Omnis homo mendax;* estque principium divisionis, non unitatis; quot enim capita, tot sensus. At interna illa Spiritus Sancti persuasio, seu illustratio, quam hæretici prætendunt, non potest esse Judex controversiarum Fidei. Ergo Spiritus privatus non est hujusmodi Judex. *Prob. min.* Verus Judex controversiarum debet pronuntiare clarè sententiam inter duas partes litigantes, ita ut clarè appareat, cui parti causa adjudicetur: alioqui non poterit dirimere controversias inter partes litigantes: & sic inutilis esset talis Judex, nec per illum Christus unitati Ecclesiæ providisset. Atqui interna Spiritus Sancti persuasio, vel illustratio non pronuntiat sic clarè sententiam inter partes litigantes: nam nunquam clarè apparet, aut saltem infallibiliter cognoscitur, quis ex duobus de aliquo Fidei dogmate altercantibus habeat internam illam persuasionem, seu illustrationem veram: & semper utraque pars poterit impunè illam prætendere, & impunè contendere per illam sibi adjudicari causam. Ideoque sententia à spiritu privato lata, vana & inutilis erit: & consequenter si talis spiritus privatus esset Judex controversiarum, nunquam controversiæ dirimi possent, nec silentium litigantibus imponi, nec cœtus Fidelium posset manere in unitate Fidei, sicque Christus malè providisset Ecclesiæ.

Præterea Spiritus ille privatus est seminarium omnium hæresum, ut patet in omnibus

hæreticis, qui illum ſuis erroribus prætexunt. Et verò quisque ſibi facilè perſuadet, ſenſum ſuum proprium eſſe à Spiritu Sancto; & dæmon ſæpè ſuggerit, ſuas operationes eſſe Spiritus Sancti inſpirationes, ita ut ſæpè diſcerni non poſſint: *Ipſe enim Satanas transfigurat ſe in Angelum Lucis.* 2. Cor. c. 11. Denique ſpiritus ille privatus ineptus eſt ad dirimendas Fidei controverſias: nam ſpiritus privatus unius partis litigantis non poteſt certò innoteſcere alteri parti litiganti. Idque experientia docet in hæreticis, qui illum ſpiritum prætendunt, & inter ſe de rebus Fidei altercandi finem non faciunt, & contraria docent. Sic Lutherani & Calviniſtæ in rebus Fidei contraria tenent, v. g. circa realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia: & Calviniſtæ admittunt ut divinos, & à Deo inſpiratos Libros, putà Epiſtolam ad Hæbræos, Apocalypſim, &c. quos rejiciunt Lutherani. Et tamen utrique jactitant ſe à Spiritu Sancto doceri. Quare licèt primi Calviniſtæ in confeſſione ſuæ fidei perſuaſionem illam internam pro regula Fidei ſtatuiſſent, poſteriores Miniſtri hanc repudiarunt ut abſurdam. Hinc fateri debent authores & Doctores ſuæ Sectæ graviter erraſſe, & caruiſſe vera Fide, ſiquidem caruerunt vera regula Fidei, ſine qua vera Fides eſſe nequit. Sed nihilominus hæretici in ſpiritum illum privatum recidunt, dum ad Scripturam lumine interno cuique dato intellectam recurrunt, & iisdem argumentis refelluntur.

Obj. 1. Illud, Iſai. c. 54. *ponam ... univerſos filios tuos doctos à Domino.*

Reſp. Senſus eſt, Deum Fidelibus datutum gratiam internam, qua intelligant, & credant ea, quæ ipſis proponentur per Apoſtolos, & primos Paſtores eorum ſucceſſores. At ſenſus non eſt, omnes Chriſtianos per ſolam inſpirationem internam doctum iri omnes Fidei veritates. Igitur Deus docet Fideles, non ſe ſolo, ſaltem ſecundùm legem ordinariam, ſed mediante inſtructione ſuorum Miniſtrorum, quos Paſtores & Doctores aliorum inſtituit; quamvis ſe ſolo det lumen internum, & inſpirationem, qua intelligant, & credant, quæ ipſe nobis proponit per primos Paſtores.

Obj. 2. Illud, Joann. c. 7. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoſcet de doctrina, utrùm ex Deo ſit.*

Reſp. Chriſtus ibi ſolùm ſignificat, eos, qui Dei præcepta ſervant, carere impedimentis quibusdam, propter quæ alii multi nec per ſe, nec per alios veram Fidei doctrinam cognoſcere poſſunt ad illam credendam: cupiditas enim vanæ gloriæ, divitiarum, voluptatum, excœcat oculos. Porro Fideles diſcernunt veram Dei doctrinam, non ex privato ſpiritu, ſed ope regularum Fidei à Deo inſtitutarum, adjuvante Spiritu Sancto.

Obj. 3. Illud, Joann. cap. 10. *oves meæ vocem meam audiunt ... & ſequuntur me.*

Reſp. Senſus eſt, electos omnes obſecuturos vocationi Chriſti uſque ad mortem: nec ibi agitur de difficultatibus Scripturarum. Præterea vox primorum Paſtorum Eccleſiæ eſt vox Chriſti, qui ſuis ovibus loquitur non ſolùm per Scripturam, & inſpirationem internam, ſed etiam per os primorum Paſtorum, juxta illud, Luc. 10. *qui vos audit, me audit.* Quare Chriſtus per hæc verba (*oves meæ vocem meam audiunt.*) non excludit Miniſtros, ac Vicarios ſuos, ſed hoſtes ſuos nempe hæreticos.

Obj. 4. Illud, 1. Cor. c. 2. *Spiritualis autem judicat omnia: & ipſe à nemine judicatur.* Ergo ad ſpirituales homines pertinet judicium controverſiarum Fidei.

Reſp. Nego conſeq. Nam ſenſus eſt, quòd ſpiritualis homo per Fidei lumen & doctrinam Eccleſiæ, quæ eſt columna ac firmamentum veritatis, diſcernit & intelligit omnia, hoc eſt, tum res divinas ad ſalutem neceſſarias, tum etiam *res terrenas*: nam ſpiritualis homo ibi opponitur homini animali, qui dicitur non percipere res divinas & ſalutares, ideoque poſſe intelligere tantùm res terrenas. Quare tò *omnia* ibi non ſignificat omnes omnino res divinas & à Deo revelatas, ſed omnes Fidei veritates ad ſalutem neceſſarias, quæ Fidelibus per Apoſtolos vel eorum ſucceſſores proponuntur. Nam quis neget multos ſanctos Patres fuiſſe ſpirituales, & tamen quædam Fidei dogmata vel Scripturæ locorum aliquorum verum

rum ſenſum ignoraſſe, imò erraſſe in aliquibus?

Itaque ſpiritualis homo omnia judicat hoc ſenſu, quòd à Spiritu Sancto illuſtratus res divinas & terrenas judicat, ac diſcernit ſecundùm regulas Fidei, & doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, quæ ſemper à Spiritu Sancto regitur. Ipſe autem à nemine judicatur, id eſt, juſtè redarguitur, condemnatur. Quia nempe judicat & agit ſecundum veras Fidei regulas infallibiliter per Eccleſiæ Paſtores propoſitas & explicatas.

Nota ex Bellarmino. Nemo Catholicus negat fuiſſe & eſſe in Eccleſia homines ſpirituales & perfectos, qui rectè intelligant Scripturas, imò etiam futura perſpiciant & cordium ſecreta cognoſcant. Sed non ideo ad eos pertinet judicium definitivum controverſiarum Fidei: tum quia non ſumus certi certitudine Fidei quinam ſint illi ſpirituales, ſicut certi ſumus Papam & corpus Paſtorum eſſe ſpirituales, regi videlicet à Spiritu Sancto: tum quia ſcimus etiam maximè ſpirituales ac ſanctos non ſemper in omnibus illuſtrari à Deo interius, & quædam interdum ignorare.

Obj. 5. Illud, 1. Theſſal. c. 5. *omnia autem probate: quod bonum eſt, tenete.* Et illd, 1. Joann. c. 4. *nolite omni Spitirui credere: ſed probate Spiritus, ſi ex Deo ſint.*

Reſp. Cùm dicitur, *omnia probate*, ſubintelligitur, quæ dubia, & incerta ſunt: nam quæ certò bona vel mala ſunt, qualia certò ſcimus eſſe, quæ Eccleſia approbat vel damnat, non indigent probatione. Quæ autem dubia & incerta ſunt, probare & dijudicare debemus per doctrinam Eccleſiæ, ſeu per revelationes divinas nobis infallibiliter propoſitas & explicatas per Eccleſiam, quæ eſt judex infallibilis, cùm ſit columna & firmamentum veritatis.

Imò verò ex hoc textu Joannis ſpiritus privatus judicandus eſt, ideoque non eſt ſupremus controverſiarum judex; ejuſque ſenſus eſt, nolite credere omni ſuaſioni aut ſuggeſtioni ſeu doctrinæ, quæ vobis ſuggeritur, ſed omnem examinate & dijudicate per doctrinam ab Eccleſiæ Paſtoribus traditam.

Obj. 6. Illud 1. Joann. cap. 2. *non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos: ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt.*

Reſp. Senſus eſt: non neceſſe habetis, ut aliquis doceat vos dogmata Fidei, quia jam ea didiciſtis à Paſtoribus Eccleſiæ, & Spiritus Sanctus dat vobis intelligentiam ac piam credulitatem ad credendum conſtanter omnia Eccleſiæ dogmata, vobis à Paſtoribus Eccleſiæ tradita. Unde jam vobis non eſt opus novo Doctore. At inde non ſequitur gratiam internam ſufficere ſine inſtructione Paſtorum quam ſupponit. Alioqui cur Deus in Eccleſia conſtituiſſet Paſtores & Doctores, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes? Et cur ipſe Joannes alios docebat, inſtruebat, e piſtolam ſuam ſcribebat, ut notat S. Auguſtinus, Tract. 33. in epiſt. Joann. Itaque S. Joannes ibi loquitur de dogmatibus, quæ jam Fideles illi ab Apoſtolis acceperant, & per unctionem Spiritus Sancti intellexerant & crediderant: Unde eos ſolum monet, ut in Fide permaneant, & non audiant pſeudo-Apoſtolos contraria docentes.

Porro in nova lege promittuntur gratiæ uberiores ad credendum res Fidei, & ſervanda præcepta quam datæ fuerint in lege veteri.

Obj. 7. Lumen Spiritus Sancti eſt infallibile. Ergo per illud habetur infallibilis regula Fidei in quibuslibet privatis.

Reſp. Nego conſeq. Quia regula Fidei debet certò innoteſcere ubi ſit: Sed nemo poteſt certò ſcire ſe illuſtrari à Spiritu Sancto, multò minus aliis oſtendere ſe illam illuſtrationem habere, quod requiritur ad judicem controverſiarum, qui debet omnibus innoteſcere, ut omnes in unitate Fidei contineat. Quæro igitur ab hæreticis: per quid certo ſciunt ſe habere lumen Spiritus Sancti? An per Scripturam, quæ de hoc facto prorſus ſilet? Deinde labuntur in vitioſum circulum: nempe per Scripturam ſciunt ſe habere verum lumen Spiritus Sancti,

cti, & tamen non ſciunt ſe habere veram Scripturam & verum ejus ſenſum niſi per lumen Spiritus Sancti. An dicent ſe cognoſcere lumen Spiritus Sancti per ipſum & lumen? Sed hæc eſt quæſtio facti, in quo fatentur omnem hominem errare poſſe. Præterea ſi lumen Spiritus Sancti per ſe ſemper cuilibet certò innoteſceret, & eſſet ultima Fidei regula, abſurdum eſſet illud monitum Scripturæ, 1. Joann. cap. 4. *nolite omni Spiritui credere: ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.* Nam abſurdum eſt dicere aliquid debere probari, quod per ſe ipſum tale certò innoteſcit. Sic abſurdum eſt dicere: probate lucem meridianam, an ſit lumen ſolis. Si ergo probare debemus an lumen, quod habemus, ſit lumen Spiritus Sancti, requiritur alia regula, per quam hoc lumen verum à falſo diſcernamus. Hæc autem regula eſt infallibilis auctoritas Eccleſiæ. Præterea ſi quiſque privatus habet lumen Spiritus Sancti ad cognoſcendam omnem Fidei veritatem, cur Eccleſia ipſa, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, cur primi Paſtores Eccleſiæ à Chriſto inſtituti ad docendum alios, illud non haberent? Denique ſupremus judex controverſiarum debet certò omnibus litigantibus innoteſcere, alioqui nil dirimere poteſt. At quòd una pars habeat pro ſe lumen Spiritus Sancti, hoc non certò innoteſcit alteri parti: imò hæc ſemper impunè hoc negabit, & contendet ſe potius illud habere pro ſua ſententia.

§. III.

Dico. 3. Principes ſæculares non ſunt judices controverſiarum Fidei.

Prob. 1. Ex Script. Epheſ. cap. 4. *& ipſe* (Chriſtus) *dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus Miniſterii, in ædificationem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem Fidei .... ut non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris.* Ubi Apoſtolus loquitur de Eccleſiæ regimine uſque ad finem mundi duraturo, & recenſendo eos, quibus Eccleſiæ regimen à Chriſto commiſſum eſt ad Fideles in Fide continendos, & contra nequitiam ac fraudes hæreticorum tuendos, nullam facit mentionem Principum ſæcularium, ſed poſt Apoſtolos ſolorum Paſtorum, nempe Epiſcoporum.

2. Ex perpetua praxi Eccleſiæ, quæ nunquam in Fidei controverſiis judicium detulit ad Principes ſæculares; ſed hoc judicium ſemper pertinuit ad ſummum Pontificem & alios Epiſcopos qui tunc Eccleſiam regebant, ut conſtat ex Hiſtoriis Eccleſiaſticis, & actis Conciliorum omnium. Item omnes Fidei controverſiæ hactenus in Eccleſia exortæ, non Principum ſæcularium, ſed Romani Pontificis & aliorum Epiſcoporum judicio diremptæ ſunt.

3. Ex Patribus. Pro omnibus ſint S. Athanaſius, qui, epiſt. ad ſolitariam vitam agentes ſic ait de Conſtantio Imperatore: *quis videns eum in decernendo principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere judiciis Eccleſiaſticis, non meritò dicat eum illam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt?* Et S. Ambroſius, qui epiſt. ad Valentinianum Imperatorem ſic ait: *ſi conferendum de Fide, Sacerdotum debet eſſe iſta collatio.*

4. Quia Principes ſæculares ſæpe erraverunt in rebus Fidei, ut patet in Conſtantio & aliis.

Confirmatur. Ex ſenſu Principum religioſorum, ut Conſtantini Magni, teſte Ambroſio, epiſt. cit. Joviniani, qui res Fidei ab Athanaſio doceri voluit, ut traditur in hujus vita. Valentiniani Senioris apud Sozomenum lib. 6. Hiſt. c. 7. Theodoſii Junioris, qui in ſua ad Concil. Epheſinum epiſt. ſic ait: *nefas eſt, qui Sanctiſſimorum Epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt, illum Eccleſiaſticis negotiis & conſultationibus ſe ſe immiſcere.* Et Baſilii, in Concilio octavo generali.

Accedit praxis Principum religioſorum, qui Concilia Epiſcoporum, rogante vel ſaltem conſentiente Romano Pontifice, convoca-

cerunt ; ut Fidei controverſiæ dirimerentur.

Obj. 1. Ex Apoſtolo, Rom. cap. 13. Reges in ſuo regno ſunt Dei Vicarii ſeu Miniſtri.

Reſp. Sunt quoad res temporales & punitionem criminum : non quoad res Fidei, niſi quòd teneantur executionem Decretorum Eccleſiæ & veræ Fidei conſervationem procurare. Et verò Apoſtolus ibi loquitur de omnibus Regibus etiam Ethnicis, qui certè non ſunt Dei Miniſtri in rebus Fidei & ſalutis.

Obj. 2. Moſes, Joſue, David, & Oſias judicium exercuerunt in rebus Spiritualibus.

Reſp. Moſes fuit ſimul Dux & Sacerdos. David ſimul Rex & Propheta. Joſue autem nunquam de cauſis Spiritualibus judicavit: Oſias verò lepra percuſſus fuit, quòd Sacerdotis officium ſibi arrogare, & incenſum ſuper altare Thymiamatis adolere auſus eſſet.

Obj. 3. Aliqui Imperatores Chriſtiani leges tulerunt circa Fidem, & res Eccleſiaſticas.

Reſp. Leges ab aliquibus Imperatoribus latæ circa Fidem, & res Eccleſiaſticas, non fuerunt nova decreta ab ipſis condita, ſed intimationes Canonum jam ab Epiſcopis conditorum : poteſtas enim Regia Eccleſiaſticam adjuvare poteſt, & debet.

Equidem Juſtinianus aliquid ultra præſumpſit. Sed hoc ſingulare exemplum fuit ab Eccleſia reprobatum : & edictum, quod conſultis, & approbantibus aliquot Epiſcopis contra errores Origenis promulgavit, non habuit vim, niſi per conſenſum Eccleſiæ, ſeu Summi Pontificis, & Epiſcoprum. Neque unum aut alterum ſingulariter factum legitimam poteſtatem probare poteſt.

Obj. 4. Aliqui Imperatores præſederunt Conciliis, ut Chalcedonenſi Marcianus: ſexto Conſtantinus Pogonatus: ſeptimo Irene & ejus Filius : octavo Baſilius.

Reſp. Neg. ad 1. *reſp.* Marcianus & Pulcheria non præſederunt ut Fidei Judices, ſed duntaxat ut Concilii Protectores, & ordinis, ac pacis Defenſores. Nam Patres Concilii Chalcedonenſis, in ſua ad S. Leonem epiſtola ſic loquuntur : *quibus* (Synodi Epiſcopi) *tu quidem, ſicut membris caput præeras in his, quæ tuum tenebant ordinem. Imperatores verò fideles ad ordinandum decentiſſimè præſidebant ſicut Zorobabel Eccleſiæ.*

Ad 2. *reſp.* Equidem in multis actionibus ſexti Concilii dicitur : *præſidente piiſſimo Imperatore Conſtantino.* Sed hæc verba ſolùm ſignificant, Conſtantinum in loco honorificentiſſimo ſediſſe ut Eccleſiæ & Concilii Defenſorem, non verò ut controverſiarum Fidei Judicem. Nam 1. conſtat Legatos Summi Pontificis Agathonis Concilio præſediſſe : actione enim prima primi nominantur ante omnes Patriarchas : & actione 18 primi ante omnes Patriarchas ſubſcribunt, licèt non fuerint Epiſcopi. 2. Imperator poſt omnes Epiſcopos ſubſcripſit, & quidem non ut definiens, ſed ut conſentiens, id eſt, ſuum judicium ſubmittens definitioni Concilii : nam Epiſcopi ſubſcripſerunt his verbis : N. *Epiſcopus definiens ſubſcripſi* : Imperator vetò hac formula : *Conſtantinus in Chriſto Deo Rex, atque Imperator Romanorum legimus, & conſenſimus* Igitur aliqui Imperatores præſederunt Conciliis ; ſed ut Protectores & Defenſores Eccleſiæ, non ut Judices, præſeſſione honoris, non authoritatis.

Ad 3. *reſp.* Cùm in Concilio Nicæno II. de Irene Imperatrice dicitur : *præſidente ipſa cum ſimul regnante Filio, & univerſa Synodo, &c.* Ibi verbum *præſidere* ſignificat tantùm ſeſſionem honorariam : nam Apoſtolus mulierem in Eccleſia loqui vetat : & tota Synodus non præſidet, ſed Legati Papæ.

Ad 4. *reſp.* In Concilio octavo generali dicitur quidem, *præſidente Baſilio Imperatore.* At præſedit non auctoritate, ſed ſolo ſeſſionis honore, quem ipſi detulit Concilium ut Eccleſiæ Protectori, & ejus Decretorum Executori, non ut controverſiarum Fidei, aut cauſarum Eccleſiaſticarum Judici : nam ejusmodi judiciũ nec ſibi ipſi, nec Laico cuivis convenire Imperator Baſilius palàm profeſſus eſt in allocutione Synodi. Et actione 10. cum duobus filiis ſubſcribit tantùm poſt Legatos Pontificis, Ignatium Conſtantinopolitanum, & Vicarios

rios trium aliorum Patriarcharum, & quidem non ut Judex, ſed ut conſentiens, & Decretorum Executor.

Obj. 5. Concilium Arelatenſe ſub Carolo Magno cap. ult. agnoſcit illum pro Judice ſupremo in cauſis Spiritualibus.

Reſp. Neg. Sed ſolùm à Carolo Magno poſtulat executionem ſuorum Decretorum. Verba autem Concilii, quæ videntur aliquid ſubjectionis redolere, ab eo tantùm urbanitatis, ac reverentiæ cauſa prolata ſunt. Adde, quòd fuerit Concilium particulare.

Obj. 6. In lege naturæ Principes erant Summi Sacerdotes; ergo poſſunt etiam in lege gratiæ judicare de rebus Fidei.

Reſp. Nego conſeq: Itaque Deo liberè volente Regia & Sacerdotalis poteſtas ſimul junctæ erant in lege naturæ. Sed poſtea Deus voluit eas in lege ſcripta, & Evangelica ſeparatas eſſe.

§. IV.

Dico 4. Multitudo Fidelium, ſeu populus Chriſtianus non eſt Judex controverſiarum Fidei.

Prob. 1. Quia neque Scriptura, neque Traditio poteſtatem judicandi de rebus Fidei attribuunt populo, ſed ſoli capiti Eccleſiæ, & aliis Epiſcopis.

2. Nunquam in Eccleſia Chriſti controverſiæ Fidei, quæ tot ac tantæ hactenus exortæ ſunt, ad populum delatæ ſunt, aut ab eo deciſæ, ſed à ſolis Epiſcopis, & Romano Pontifice.

3. *Recta ratio dictat judicium de controverſiis* Fidei authenticum non debere pertinere ad populum, qui doceri debet à Paſtoribus Eccleſiæ, & cujus maxima pars ignara eſt.

4. Alioqui idem eſſet officium Gregis, & Paſtoris: populus poſſet non audire, imò poſſet ſpernere Paſtores Eccleſiæ, contra illud Chriſti, Luc. 10. *qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit;* Et everteretur omnis ordo in Eccleſia. Unde S. Gregorius Nazianz. Orat. 9. populum Chriſtianum ab hac præſumptione & inſania, quam in eo excitare ſolent hæretici, avocat his verbis: *Oves, Paſtores ne paſcite, nec ſupra fines veſtros aſſurgite: ſatis enim vobis eſt, ſi rectè paſcamini. Judices ne judicate, nec legislatoribus leges præſcribite. Non eſt enim diſſenſionis & confuſionis Deus, ſed pacis, & ordinis. Ne quis igitur caput ſit, qui vix aut manus, aut pes, aut vilius quoddam aliud membrum eſt, &c.*

Obj. Act. c. 17. de Beroënſibus dicitur: *qui ſuſceperunt verbum cum omni aviditate, quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent.* Ergo populus poteſt judicare de doctrina à Paſtoribus tradita. Ergo, &c.

Reſp. Nego conſeq. Quia quamvis Paulus eſſet Apoſtolus Chriſti, & non poſſet falſam doctrinam prædicare; tamen non conſtabat initio Beroënſibus, nec tenebantur mox credere ſine motivis credibilitatis. Quarè cùm Paulus probaret illis Chriſtum ex teſtimoniis, Scripturæ, meritò illi ſcrutabantur Scripturas, an hæc ita ſe haberent. At Chriſtiani, quibus conſtat corpus Paſtorum non poſſe errare in rebus Fidei & morum, tenentur eorum doctrinam, ac definitiones ſtatim ſine examine recipere, iisque firmiſſimè adhærere.

ARTICULUS X.

Quisnam ſit verus & infallibilis Judex controverſiarum Fidei?

Nota. Nomine Fidei intelliguntur etiam *mores*, quæ ſunt dogmata Fidei practica: nam Fidei nomine intelliguntur omnia dogmata tum ſpeculativa, tum practica: præterea Eccleſia errare non poteſt in moribus per ſe bonis vel malis: nam alioqui non eſſet, nec poſſet dici verè ſancta, ut in Symbolo Apoſtolorum vocatur: nam (ut rectè notat Bellarminus) ſancta dicitur potiſſimùm ob ſanctam profeſſionem, ſeu profeſſionem doctrinæ ſanctæ, quæ nempe nihil continet falſum, nihil præſcribit, aut permittit malum. Denique Fides Catholica docet omnem virtutem eſſe bonam, ac colendam, & omne vitium eſſe malum, ac fugiendum.

§. I.

Dico 1. Corpus primorum Paſtorum, ſeu Epiſcoporum eſt infallibilis Judex controverſiarum

ſiarum in rebus Fidei, & Religionis. Eſt de Fide.

Prob. 1. Ex Script. Matth. c. ult. *docete omnes gentes.... & ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*: ubi Chriſtus præcipit Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus Epiſcopis in eorum perſona, ut doceant, *docete*: & iis ad hoc munus promittit ſpecialem aſſiſtentiam: *ecce ego vobiſcum ſum.* Quæ promiſſio non ſolùm ſpectat Apoſtolos, ſed etiam eorum ſucceſſores in regimine Eccleſiæ, nempe Epiſcopos, *quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*, ut patet ex verbis: *omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi*: quæ ſignificant Chriſti aſſiſtentiam ſpecialem ad rectè docendum duraturam uſque ad finem mundi; proindeque hanc promiſſionem ſpectare non ſolùm Apoſtolos, qui docere non poterant uſque ad finem mundi, ſed etiam eorum ſucceſſores uſque in finem mundi exſtituros. Si autem Epiſcoporum eſt docere: ergo ſunt Judices doctrinæ: ſi cum Epiſcopis docentibus Chriſtus futurus eſt omnibus diebus: ergo ſunt Judices doctrinæ infallibiles ex ſpeciali aſſiſtentia Chriſti; quis enim poſſit cum Chriſto falſum docere?

Item, Epheſ. cap 4. dicitur Chriſtus Eccleſiæ dediſſe Apoſtolos, & Paſtores ac Doctores: id eſt, Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores, qui dicuntur Paſtores & Doctores, quia eorum munus eſt paſcere & docere Gregem Chriſti: dediſſe, inquam, *ut non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris.* Quæ verba ſignificant Chriſtum dediſſe Apoſtolis, & Epiſcopis eorum ſucceſſoribus munus & poteſtatem fideles in vera Fide ſtabiliendi & continendi, omnes dubitationes ac incertitudines in rebus Fidei penitus tollendi, & finaliter ac infallibiliter judicandi de controverſiis Fidei. Nam hæc poteſtas neceſſaria eſt, *ut non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*: incerta enim & fallibilis deciſio ac doctrina tollere non poteſt dubitationes & incertitudines omnes, nec ſtabilire in Fide.

2. Ex Patribus apud Bellarminum & alios.

3. Ex Traditione poſita in conſtanti ac perpetuo uſu Eccleſiæ, in qua à tempore Apoſtolorum omnes Fidei controverſias judicio finali & irreformabili, fideles ad credendum obligante, ideoque infallibili decidérunt Summi Pontifices & Epiſcopi. Sic *Primo* ſæculo controverſia de legalibus ab Apoſtolis & Epiſcopis in Concilio Jeroſolymitano definita fuit. Sæculo *Secundo* controverſia de Paſchatis celebratione à Victore in particulari Concilio Romano, & ab aliis particularibus Conciliis in variis orbis partibus coactis deciſa fuit. *Tertio* ſæculo Novatianorum hæreſis à Cornelio Papa in Concilio Romano damnata fuit. *Quarto* ſæculo Ariana hæreſis à Concilio Nicæno: Macedoniana à Conſtantinopolitano proſcripta eſt. Et ſic aliæ hæreſes ſæculis ſequentibus in Conciliis generalibus, vel extra ab Epiſcopis & Romano Pontifice eorum Capite finaliter damnatæ ſunt.

4. Ratione. Judicium de controverſiis Fidei pertinet ad eos, quibus Eccleſiæ regimen commiſſum eſt, & quorum eſt docere in Eccleſia non ſolùm Laicos ſed etiam Presbyteros, & paſcere gregem Chriſti, & bonum Fidei depoſitum ſervare. Nam hæc munera rectè obire non poſſunt ſine poteſtate dirimendi controverſias Fidei, & de illis ferendi judicium, cui Fideles omnes acquieſcere teneantur, ideoque infallibile. At 1. Epiſcopis commiſſum eſt regimen Eccleſiæ, juxta illud, Act. c. 20. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Qui textus à Concilio Trident. ſeſſ. 23. cap. 4. de ſolis Epiſcopis exponitur. 2. Epiſcoporum eſt docere in Eccleſia, juxta illud, Math. cap. ult. *Docete omnes gentes*, dictum Apoſtolis, & in eorum perſona etiam Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus: &, Epheſ. cap. 4. dicitur Chriſtus dediſſe Eccleſiæ Apoſtolos, & Paſtores ac Doctores, nempe Epiſcopos. 3. Epiſcoporum eſt paſcere gregem Chriſti, juxta illud, Joann. cap. 21. *Paſce agnos meos, paſce oves meas*, dictum Pe-

Petro, & ejus ſucceſſoribus Romanis Pontificibus: & illud, 1. Petri, cap. 5. dictum Epiſcopis omnibus, *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei.* 4. Epiſcoporum eſt Fidei depoſitum ſervare, juxta illud, 1. Tim. c. 6. *Depoſitum cuſtodi.*

Porro nomine Fidei intelligitur Fides & credendorum, & faciendorum & omittendorum.

§. II.

Dico. 2. Corpus primorum Paſtorum ſeu Epiſcoporum, cujus caput eſt Romanus Pontifex, eſt ſemper infallibilis Judex controverſiarum Fidei, etiam extra Concilium generale. Eſt de Fide. Unde ſacra Facultas Pariſienſis doctrinam oppoſitam in Libro gallicè inſcripto: *Le pacifique veritable*, contentam anno 1664. hac cenſura notavit: *Hæ propoſitiones, in quantum infallibilitatem Eccleſiæ univerſali in nullo alio ſtatu quàm in Concilio œcumenico congregatæ tribuunt, & ipſam aliquo tempore legitimi uſus pœnitentiæ cognitione caruiſſe ſupponunt, temerariæ ſunt, ipſi Eccleſiæ injurioſæ, hæreticæ.*

Prob. 1. Quia corpus Epiſcoporum ſuo capiti Romano Pontifici adhærentium, eſt infallibilis Judex controverſiarum Fidei, ut conſtat ex 1. aſſertione. At tale corpus ſemper exiſtit, etiamſi Epiſcopi ſint in ſua ſede diſperſi extra Concilium generale. Ergo.

2. Chriſtus Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus in regimine Eccleſiæ ſpecialem aſſiſtentiam promiſit *omnibus diebus* uſque ad finem mundi ad rectè docendum veritates Fidei & morum: *Docete omnes gentes* (inquit, Math. cap. ult.) *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Si omnibus diebus; ergo ſemper, tum in Concilio, tum etiam extra Concilium, quod ſæpe non poteſt celebrari, & rarò celebratur.

3. Quia debet eſſe in Eccleſia, & quidem omni tempore aliqua Fidei regula, ſemper ſubſiſtens & viſibilis, quæ certò & infallibiliter Fidei controverſias dirimat, & veritatem omnem doceat: alioqui Chriſtus non providiſſet ſufficienter bono Eccleſiæ ſuæ ſponſæ. Dico *omni tempore*, quia nullum eſt tempus, quo oriri non poſſint controverſiæ in materia Fidei & morum, & re ipſa ſæpiſſimè oriuntur, ac proinde debet omni tempore ſubſiſtere Tribunal infallibile ac ſupremum, quod eas finaliter & infallibiliter dirimat, & veram doctrinam aſſerat. Alioqui Fideles eſſent ſicut parvuli fluctuantes plurimis annis, vel etiam ſæculo integro, neque quæ doctrina tenenda ſit ſcirent, donec cogeretur Concilium, quod multis modis impediri poteſt: dilaceraretur inteſtinis diſcordiis Eccleſia: errores ſic invaleſcerent, ut jamnon poſſent ab animis hominum ſuperborum ac pertinacium iis diu præoccupatorum, qui ſemper plurimi ſunt, evelli per definitionem Concilii, &c.

4. Ex Traditione & uſu Eccleſiæ. Nam totis tribus prioribus ſæculis nullum extitit Concilium generale, & tamen toto illo tempore definitivè & irrevocabiliter damnatæ ſunt plurimæ hæreſes: Nicolaitarum ſcilicet, Ebionitarum, Marcionitarum, Baſilidis, Saturnini, Valentini, Novatianorum, Manichæorum, &c. Quæ hæreſes finaliter proſcriptæ ſunt Romanorum Pontificum judicio, cui adhærebant Epiſcopi in ſuis ſedibus: vel ab aliquibus Conciliis particularibus, aut judiciis aliquorum Epiſcoporum à Summo Pontifice confirmatis ſeu admiſſis.

5. Denique ſi Concilium generale eſt infallibiiis Judex, quia repræſentat corpus Paſtorum: à fortiori talis eſt Judex ipſum corpus Paſtorum in ſua ſede docentium expreſsè, vel tacitè.

Porro corpus Paſtorum licèt diſperſorum ſeu in ſede ſua manentium, æque infallibiliter decidit ac ſi congregati eſſent; quia infallibilitas non fundatur in mutua doctrinæ Epiſcoporum communicatione, ſed in aſſiſtentia ſpeciali Spiritus Sancti pro omni tempore, omnibus diebus Eccleſiæ conferenda ex promiſſione Chriſti. Aliud eſt de judicio aliorum Tribunalium, quorum æquitas pendet à mutua communicatione, & à cœtu Judicum, ſecundùm inſtitutionem homi-

minum, quam Chriſtus ſequi noluit, eò quòd bonum Eccleſiæ exigeret, ut Eccleſia diſperſa eſſet infallibilis perinde ac congregata.

§. III.

Dico 3. Concilium perfectè œcumenicum eſt infallibilis Judex controverſiarum Fidei. Eſt de Fide.

Prob. 1. Ex ſenſu, & praxi Eccleſiæ, quæ definitionem cujuslibet Concilii verè generalis ſemper habuit ut infallibilem regulam ſuæ Fidei. Ergo tam neceſſe eſt hujusmodi definitionem eſſe infallibilem, quàm neceſſe eſt totam Eccleſiam errare non poſſe.

2. Quia Concilium perfectè œcumenicum eſt illud, quod repræſentat totum corpus primorum Paſtorum, ſeu corpus Epiſcopale cum ſuo capite, in ordine ad decernenda ea, quæ ad Fidem vel mores pertinent. Quare Martinus V. in Concilio Conſtantienſi de hæreſi ſuſpectos interrogari jubet, num credant Concilium generale univerſam Eccleſiam repræſentare. Ergo in Concilio perfectè œcumenico reſidet tota auctoritas corporis Paſtorum in ordine ad decernenda ea, quæ ad Fidem, & mores pertinent: quæ quidem auctoritas eſt infallibilis in definiendis, & decernendis iis, quæ ad Fidem & mores pertinent, ut conſtat ex 1. aſſertione. Et conſequenter Concilium perfectè œcumenicum eſt infallibilis Judex controverſiarum Fidei.

§. IV.

Dico 4. Corpus, ſeu univerſitas moralis Epiſcoporum ſuo Capiti Romano Pontifici adhærentium eſt infallibilis Judex controverſiarum Fidei independenter à conſenſione Laicorum, ſeu populi Chriſtiani, & quidem in omni caſu, etiam in caſu diſſidii ex parte aliquorum Paſtorum. Eſt de Fide contra auctorem libelli impii, qui inſcribitur *Le remoignage de la Verité*, cujus multæ propoſitiones ut hæreticæ damnatæ ſunt à Clero Gallicano in Comitiis generalibus ann. 1715.

Prob. 1. Quia neceſſitas conſenſionis Laicorum, ſeu populi ad definitionem Fidei, etiam in caſu diſſidii inter Epiſcopos, nullum habet fundamentum in Scriptura, & Traditione, & hactenus inaudita eſt. Imò repugnat 1. Scripturæ docenti populum ſemper teneri ſe ſubjicere definitioni primorum Paſtorum, qui ſuccedunt Apoſtolis in regimine Eccleſiæ, juxta illud Chriſti, Luc. 10. *Qui vos audit, me audit: qui vos ſpernit, me ſpernit.* Item aſſerenti Chriſtum non omnes, ſed quosdam tantùm, nempe Epiſcopos, conſtituiſſe Paſtores, & Doctores, *ut non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ*, ideoque ut certò ſciamus, quid in rebus Fidei, & morum tenendum ſit, ut patet ex Epheſ. cap. 4. Ergo definitio primorum Paſtorum, aut univerſitatis moralis eorum ſuo capiti conjunctorum ſemper ſola ſufficit ad certitudinem Fidei, nec ad eam unquam requiritur conſenſus Fidelium. Item Chriſtus non dirigit promiſſionem infallibilitatis ad populum, ſed ad Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, quibus præcepit, ut doceant alios: imò prædixit fore ſeductores multos, & multos ſeductum iri. *Scandalizabuntur multi* (ait Matth. c. 24.) *& multi Pſeudo-Prophetæ ſurgent, & ſeducent multos.*

2. Repugnat Traditioni. Nam à tempore Apoſtolorum uſque ad hoc tempus ſoli Epiſcopi independenter à conſenſu populi definierunt controverſias Fidei, & ſemper univerſitatis moralis Epiſcoporum definitio, vel communis prædicatio habita eſt ut certa regula Fidei, quam omnes ſtatim tenerentur ſequi, & cui qui diſſenſerunt, hoc ipſo hæretici habiti ſunt. Item Concilia generalia in ſuis definitionibus, non expectato clamore, & conſenſu Laicorum, anathematizant omnes, qui doctrinæ à ſe definitæ non acquieſcunt firmiſſimè. Ergo definitiones Epiſcoporum ſuo capiti unitorum ſunt certa regula Fidei obligans omnes ad ſtatim iis firmiſſimè adhærendum independenter à clamore, & conſenſu populi.

3. Neceſſitas conſenſionis Laicorum ad definitionem Fidei repugnat rectæ rationi. Nam rectæ rationi repugnat infallibilitatem definitionis Fidei à Paſtoribus, & Doctoribus Eccleſiæ factæ pendere à conſenſu, & approbatione populi, cujus maxima pars eſt rudium & imperitorum rerum, quæ definiuntur, nec va-

lentium veritatem per se cognoscere, & qui non habet promissionem divinam de veritate cognoscenda per se, sed solùm per suos Pastores.

Præterea recta ratio docet ad eos solos pertinere irrevocabiliter, ideoque infallibiliter definire res Fidei, & morum, ad quos solos pertinet docere alios res Fidei & morum, quales sunt Episcopi.

Item absurdum est dicere, quod definitio, quæ non fit secundùm clamores vulgi ignari & non valentis per se cognoscere res Fidei, sit hoc ipso nulla & invalida. Alioqui enim populus tam doceret, quàm doceretur, & posset non audire suos Pastores & Doctores: imò posset respuere ea, quæ sibi minùs arridenr, & emendare doctrinam suorum Pastorum & Doctorum.

Denique quia populus facilè seduci potest ab Hæreticis; & Christus solos Pastores & Doctores dedit Ecclesiæ ad impediendam seductionem Fidelium contra nequitiam, & astutiam Hæreticorum, Ephes. cap. 4.

Confirm. Quia nulla fuit unquam hæresis præseferens aliquam speciem veritatis, cui non faverit aliquis clamor populorum. Clamaverunt pro hæreticis contra definitionem Summorum Pontificum, & Conciliorum Generalium, vel Episcoporum in sedibus suis prædicantium Laici plurimi imperiti, & nonnulli etiam eruditi, item Presbyteri, Monachi, Episcopi aliquot, ipsi Imperatores. Imò nulla hæresis sine ejusmodi clamoribus propagari potest.

Nota. Quando Christus promisit corpus Pastorum semper traditurum veram doctrinam, simul implicitè promisit fore semper fideles, qui huic doctrinæ acquiescerent, ut salvi fierent. Item cùm Christi Ecclesia sit perpetua, & hæc constet ex Pastoribus & ovibus, semper erunt in Ecclesia Pastores veritatem docentes, & populi eam sequentes.

§. V.

Dico 5. Soli Episcopi sunt Judices infallibiles controversiarum Fidei cum exclusione non solùm Laicorum, sed etiam simplicium Presbyterorum, & quorumvis Clericorum inferiorum.

Constat 1. Quia promissiones Christi de infallibilitate doctrinæ spectant solùm Episcopos; nam Christus solis Apostolis, & eorum successoribus in regimine Ecclesiæ, nempe Episcopis, dixit: *docete. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, &c.*

2. Ex sensu, & praxi perpetua Ecclesiæ. Enim verò si Presbyteri essent ex statu suo, & caractere Judices rerum Fidei, vel necessarii testes Traditionis, nulla Concilia sine illis saltem vocatis, eorumque subscriptione fuissent legitimè celebrata. Et tamen ex sexcentis septuaginta quinque Conciliis, quæ celebrata numerantur, duodecim tantùm ab Apologista Parochorum Parisiensium hanc Presbyteranissimi hæresim tuente proferri potuerunt, in quibus Presbyteri aliquot subscripserint, & circiter viginti, quibus ex Episcoporum licentia interfuerint. Conciliis autem illis subscripserunt Presbyteri, non ut Judices vocem decisivam habentes, sed tantùm ut consentientes, sicut Monachi non Clerici, & Laici sæculares aliquando subscripserunt Conciliis. Præterea soliti sunt Episcopi mittere suo loco Presbyteros, sed nullus unquam Presbyter quempiam suo loco misit, qui suo loco interesset Concilio. At si Presbyteri essent jure suo Judices rerum Fidei, vel testes Traditionis ad definitionem infallibilem Fidei necessarii: Concilia, ad quæ vocati non fuissent, non possent vocari, nec esse generalia, nec legitima, & eorum definitiones non obligassent statim Fideles ad iis firmissimè adhærendum: nam tunc major pars Judicum, vel testium necessariorum abfuisset, nec convocata fuisset. Hinc in Concilio Chalcedonesi Ægyptii dixerunt: *Synodus Episcoporum est, non Clericorum; superfluos foras mittite.*

3. Ex Concilio generali octavo, can. 17. ubi ait: *Illud autem tanquam perosum quidquam ab auribus nostris repulimus, quod à quibusdam imperitis dicitur non posse Synodum absque Principali præsentia celebrari; cùm nusquam sacri Canones convenire sæculares Principes in Conciliis sanxerint, sed solos Antistites.* Ergo soli Episcopi jus habent ut Concilio intersint, ideoque ut definiant sine Presbyte-

byterorum opera ut neceſſaria. Ergo, &c. Hinc in Concilio Conſtantinopolitano, in quo damnatus eſt Eutyches, ſic Epiſcopi ſubſcripſerunt: *judicans ſubſcripſi.* Archimandritæ verò, qui ex licentia Epiſcoporum ſubſcripſerunt, in ſua ſubſcriptione omiſerunt vocem, *judicans*, ſic ſubſcribendo: *ſubſcripſi depoſitioni Eutychetis.* Hinc etiam Conc. Burdigalenſe, anno 1624. celebratum, ſic pronuntiat: *Sacro approbante Concilio, Decretis ultimi Concilii Burdigalenſis inhærentes, opinionem quorumdam, qui auſi ſunt aſſerere præter Epiſcopos, quosdam etiam alios habere vocem deciſivam in Concilio Provinciali, ut erroneam judicamus.* Hinc etiam in Comitiis generalibus Cleri Gallicani, anno 1700. Archiepiſcopus Remenſis Præſes, ut principium certum aſſerit, annuentibus cæteris Epiſcopis, ſecundi ordinis deputatos nullam per ſe habere poteſtatem decidendi in materia Fidei & morum.

4. Gregorius XIII. de hac re conſultus à Concilio Rothomagenſi, ann. 1581. reſpondit: *Abbates commendatarios, capitulorum deputatos vocem duntaxat conſultativam habere; Epiſcoporum Procuratores poſſe, ſi Concilio Provinciali placuerit, & deciſivam habere.*

Equidem Presbyterorum officium eſt etiam docere plebem, ſed ut diſcipulorum Epiſcoporum ſuo capiti unitorum, qui ſequi, & tradere debent doctrinam à corpore Epiſcoporum ſuo capiti adhærentium traditam; non autem ut Judicum doctrinæ. Nam docere ut Judices doctrinæ, ſolorum eſt Epiſcoporum, non Presbyterorum.

§. VI.

Dico 6. Univerſitas moralis Epiſcoporum Summo Pontifici conſentientium eſt infallibilis Judex controverſiarum Fidei in omni circumſtantia, ſive intra, ſive extra Concilium. Eſt de Fide.

Prob. 1. Quia Chriſtus promiſit infallibilitatem corpori primorum Paſtorum circa res Fidei & morum pro omni tempore, ideoque tam extra Concilium, quòd ſæpè intra plures annos cogi nequit, quàm in Concilio, juxta illud, Matth. c. ult. *ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Et tamen nullibi promittit unanimitatem Epiſcoporum fore integram, ita ut nulli diſſentiant aliis. Imò Matth. c. 24. monet fore in decurſu temporum falſos Prophetas, id eſt, Paſtores ſeductores: *Multi Pſeudo-Prophetæ*, inquit, *ſurgent, & ſeducent multos.* Idem prædicit Paulus, Act. c. 20. ubi alloquens Epiſcopos Aſiæ minoris ſic ait: *attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Ego ſcio, quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: & ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe.* Itaque cùm conſtet Chriſtum abſolute promiſiſſe primis Eccleſiæ Paſtoribus infallibilitatem pro omni tempore; & ſimul tum ex Scriptura conſtet eſſe aliquando Epiſcopos, qui errorem docent & ſequuntur, manifeſtum eſt infallibilitatem in rebus Fidei & morum non pendere ab unanimitate omnimoda Epiſcoporum, ſed ad eam ſufficere pro omni tempore unanimitatem moralem in univerſitate morali Epiſcoporum eidem doctrinæ cum ſuo capite conſentientium.

2. Ex Traditione Patrum, qui tanquam principium certum ſupponunt diſſenſum aliquot Epiſcoporum nunquam obſtare veritati, & infallibilitati definitionis doctrinæ univerſitatis moralis Epiſcoporum. Hìc ſufficiant S. Athanaſius in epiſt. ad Jovinianum Imperatorem ex Alexandrino Concilio ſcripta, ubi ait: *Horum omnium, quos commemoravimus, ſententiam experimento ipſo cognovimus, & litteras ſcriptas habemus. Ac licèt pauci quidam huic Fidei* (Nicænæ) *contradicant, ſcimus tamen eos orbi terrarum præjudicare non poſſe.* S. Baſilius epiſt. 72. *ipſum orbem circumſpicite, & videte, quàm modica ſit ea portio, quæ hoc morbo* (Arianiſmi) *laborat. Reliqua verò univerſa Eccleſia, quæ ab orbis finibus ad fines uſque recipit Evangelium, ſanam hanc & incorruptam doctrinam ſectatur.* S.. Auguſt. l. 3. contra Creſconium, c. 3. *ſi omnino jam credendum ſit quinquaginta Epiſcopis Orientalium contra tot millia Epiſcoporum, quibus hic*

error in toto orbe diſplicuit, &c. Concilium Epheſinum generale, in Epiſt. ad Theodoſium Imperatorem ſic ait: *perabſurdum enim eſt ducentorum & decem Epiſcoporum Synodo, quibus & univerſa Occidentalium Epiſcoporum multitudo, & per ipſos reliquus totus terrarum orbis conſentit, triginta tantùm numero ſe ſe opponere.*

3. Ex ſenſu & uſu perpetuo Eccleſiæ, quæ ſemper ſive in Concilio, ſive extra Concilium ut infallibilem habuit definitionem, & ſententiam plurium Epiſcoporum Romano Pontifici conſentientium, quamvis eis diſſentirent aliqui Epiſcopi etiam multi, ſed numero pauciores. Sic definitio Concilii Epheſini contra Neſtorium ſtatim habita eſt infallibilis regula Fidei, non obſtante oppoſitione triginta Epiſcoporum, & Patriarchæ Antiocheni. Sic extra Concilium generale, doctrinæ Pelagianæ damnatio facta ab Epiſcopis Africanis, & confirmata à Summo Pontifice habita eſt infallibilis, quamvis octodecim Epiſcopi reſtiterint, qui ideo ſtatim ut hæretici depoſiti, & exilio mulctati ſunt, non obſtante eorum appellatione ad Concilium generale: & Concilium Epheſinum paulò poſt coactum eorum cauſam non retractavit, ſed ſine novo examine eorum damnationem confirmavit. Item Novatiani, Sabelliani, & alii multi Hæretici finaliter, ac irretractabiliter damnati ſunt extra Concilium generale, quamvis haberent Epiſcopos ſibi aſſentientes. Item Donatiſtæ, quamvis haberent ſupra trecentos Epiſcopos, ut Schiſmatici & Hæretici habiti ſunt. Igitur ob eandem rationem ſicut in Concilio, ita extra Concilium, ad infallibilitatem doctrinæ ſufficit Epiſcoporum Romano Pontifici conſentientium pluralitas.

4. Denique Fide conſtat corpus Paſtorum ſuo capiti unitorum definiens ſive intra, ſive extra Concilium, eſſe infallibile pro omnibus diebus, ſeu omni tempore, propter aſſiſtentiam continuam & ſpecialem à Chriſto promiſſam. At in cauſa diſſenſionis pluralitas Paſtorum ſuo capiti conſentientium cenſetur eſſe corpus Paſtorale, ut paret in omni corpore morali & politico: alioqui in caſu diſſenſionis Epiſcoporum, hoc ipſo deſineret eſſe corpus Paſtorale in Eccleſia; nam minor numerus Epiſcoporum ſuo capiti diſſentientium non poteſt conſtituere corpus Paſtorale. Quid ergo eſſet tunc Eccleſia Chriſti, ſublato corpore primorum Paſtorum. Præterea in Concilio generali judicium majoris partis Epiſcoporum Summo Pontifici ſuo capiti conſentientium eſt judicium Concilii, & corporis Paſtorum, & verè infallibile, ut conſtat ex ſenſu Eccleſiæ. Ergo idem judicium extra Concilium, eſt judicium corporis Paſtorum verè infallibile: nam auctoritas Eccleſiæ docentis eſt ubique, & ſemper eadem & infallibilis, nec pendet à loco.

Hinc conſenſus majoris partis Epiſcoporum ſuo capiti conſentientium dicitur ſimpliciter univerſalis à Patribus. Præter jam citatos ſufficiant S. Auguſtinus, qui damnationem hæreſis Pelagianæ factam ab Epiſcopis Africanis ſolis, & ſine Concilio generali, ſed à Romano Pontifice confirmatam, vocat judicium Eccleſiæ Catholicæ, quamvis ei reſiſterent octodecim Epiſcopi; nam l. 3. contra Julianum, c. 1. ſic Pelagianos alloquitur: *quamvis dederit vobis Eccleſia Catholica judicium, quale debuit, ubi cauſa veſtra finita eſt.* Et S. Gregorius M. l. 1. epiſt. 25. ubi poſtquam aſſeruit, ſe quintum Concilium venerari, ſicut quatuor priora, & damnare perſonas ab eis damnatas, hanc addit rationem: *quia dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta: ſe, & non illa deſtruit, quisquis præſumit, aut ſolvere quos religant, aut ligare quos ſolvunt. Quisquis ergo aliud ſapit, anathema ſit:* & tamen multi Epiſcopi Concilium quintum & damnationem ab eo factam rejiciebant.

Porro vox Eccleſiæ per ſuos Paſtores loquentis & definientis, ſemper ſecundùm promiſſiones Chriſti erit ſatis ſuperior, ut cuivis alteri ſocietati Chriſtianæ prævaleat: & hac ſuperioritate, ac pluralitate vera Eccleſia manifeſtetur, & ſic veritas omnibus innoteſcere poſſit. Hinc Cardinalis de Cuſa, l. 1. Concord. Cathol. c. 14. ait: *qui ſe in Chriſtiana Fide eſſe putant, de illis eſt regula Cypriani infallibilis, quòd major pars ſemper in Fide & veritate legis perſiſtit.*

Corol-

Corollarium.

Conſtitutio in materia Fidei & morum à Summo Pontifice edita, & ab univerſitate morali Epiſcoporum accepta, vel doctrina Fidei & morum ab univerſitate morali Epiſcoporum tradita & à Summo Pontifice confirmata, eſt infallibilis, & ei Fideles omnes firmiſſimè adhærere tenentur. Sequitur evidenter ex modo dictis: nam tunc eſt judicium univerſitatis moralis Epiſcoporum ſuo capiti conſentientium. Univerſitas autem moralis Epiſcoporum ſuo capiti conſentientium eſt infallibilis Judex in rebus Fidei & morum, ut conſtat ex aſſertione 6. & conſequenter ejus judicium eſt infallibile, ideoque omnes obligans ad ei firmiſſimè adhærendum.

§. VII.

Dico. 7. Definitio in materia Fidei & morum edita vel ſuſcepta ab univerſitate morali Epiſcoporum & à Summo Pontifice, eſt infallibilis, quibuſcumque motivis datus ſit eorum conſenſus tali definitioni.

Conſtat 1. ex Scriptura, Phil. c. 1. *quidam quidem & propter invidiam & contentionem ... Chriſtum prædicant ... quidam autem ex contentione Chriſtum annuntiant non ſincerè, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis. Quid enim? Dum omni modo, ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuntietur; & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo.* Ubi Apoſtolus ſignificat non obſtare veritati, quòd aliqui eam annuntient ex motivo invidiæ vel contentionis, vel quocunque modo. Ergo prava motiva, ex quibus Epiſcopi poſſint aliquando definire res Fidei, non obſtant veritati & infallibilitati eorum definitionis.

2. Quia Chriſtus propter bonum Eccleſiæ, Apoſtolis, & Epiſcopis eorum ſucceſſoribus, promiſit abſolutè & independenter ab eorum motivis infallibilitatem in docendo.

3. Quia ſi infallibilitas definitionis penderet à motivis definiendi, nulla definitio eſſet Fidelibus regula Fidei ſeu Fide credenda: nam in tantum definitio Eccleſiæ nobis eſt regula Fidei, ſeu fide credenda, in quantum ſcimus eam eſſe infallibilem. At nunquam Fideles ſcire poſſent ullam definitionem Fidei eſſe infallibilem. Nam cognoſcere certò non poſſunt motiva, quæ habuerunt Epiſcopi in definiendo, cùm ſint interna & occulta: & ſic non poſſent certo ſcire definitionem Eccleſiæ habere conditionem requiſitam ad hoc, ut ſit infallibilis. Sicque infallibilitas à Chriſto promiſſa eſſet inutilis ad tollendos errores, & docendum infallibiliter omnem veritatem.

4. Regula Fidei debet eſſe nota & manifeſta omnibus, cùm omnes obliget. At ſola definitio primorum Paſtorum ut independens à motivis, eſt nota & manifeſta omnibus. Ergo ſola definitio ut independens à motivis eſt regula Fidei, ideoque eſt infallibilis. Et conſequenter definitio Eccleſiæ eſt infallibilis independenter à motivis.

§. VIII.

Dico 8. Definitio in materia Fidei & morum edita, vel ſcripta ab univerſitate morali Epiſcoporum, & à Summo Pontifice, eſt infallibilis independenter ab omni formalitate.

Conſtat 1. Ex Scriptura. Nam Chriſtus promiſſionem infallibilitatis corpori Paſtorum factam non reſtringit ad ullam formalitatem; ſed hæc promiſſio eſt abſoluta & independens ab omni formalitate, & Chriſtus præcisè exigit, ut doceant: *docete*, inquit, *& ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus*, &c.

Equidem corpus Paſtorum nunquam definiet, damnabit, aut probabit doctrinam aliquam ſine examine requiſito. Nam cùm Chriſtus promiſerit ſe fore omnibus diebus cum corpore Paſtorum, fieri non poteſt, ut corpus Paſtorum doctrinam aliquam ſine examine neceſſario approbet, vel damnet: qui enim promittit abſolutè finem, promittit ſimul implicitè omnia media ad illum finem neceſſaria. Quare cùm Chriſtus infallibilitatem promiſerit corpori Paſtorum docenti, idque pro omni tempore, & caſu ſine interruptione uſque ad finem mundi, hoc ipſo quòd Fidelibus innoteſcit definitio, doctrina, ſeu prædicatio univerſitatis moralis Epiſcoporum ſuo capiti adhærentium, tum certum eſt vi promiſ-

missionum Christi illam definitionem, prædicationem, doctrinam esse infallibilem, & habere omnia ad hoc requisita. Igitur communis Episcoporum suo capiti unitorum prædicatio in rebus Fidei & morum semper est infallibilis. Et verò quemadmodùm ait Melchior Cano, lib. 5. de locis Theologicis, cap. 5. *Quòd si Deus in sequentem annum frugum abundantiam polliceretur, ecquid stultius esse posset, quàm dubitare anne homines semina terræ mandaturi sint. Certè si seruerint, metent: si non seruerint, non metent. Sed ex Dei pollicitatione colligimus non solùm propitias cœli conversiones, quibus omnia, quæ terra gignit, uberiora proveniunt, sed agricolarum etiam curas, operas, diligentiam. Non enim frugum abundantia illa promissa, nisi arantibus, seminantibus, laborantibusque continget. Quibus ex rebus facilè comprehenditur, cùm Spiritum veritatis Christus Apostolis, eorumque successoribus in Fidei judicio promiserit, nihil omninò illis defuturum, quod Fidei controversiis finiendis fuerit necessarium .... Ita nunquam ego admittam ... Concilium diligentiam aliquam necessariam quæstionibus Fidei decernendis omisisse.*

2. Ex Traditione Patrum, qui ut principium certissimum supponunt, & tradunt consensum universitatis moralis Episcoporum suo Capiti unitorum simpliciter datum, & sine ulla formalitate, esse infallibilem regulam, esse judicium Ecclesiæ infallibile. Pro omnibus sufficiat S. Athanasius in Ep. Synodali ad Jovinianum Imperatorem apud Theodoretum, l. 4. hic c. 3. suprà laudata, ubi dicit orbem Christianum damnare Arianam hæresim, licèt aliqui Episcopi eam tuerentur, illumque consensum majoris partis Episcoporum constare præcisè ex litteris eorum privatis ad se scriptis: & tamen addit tali consensui nihil præjudicare posse resistentiam paucorum, ideoque illam esse infallibilem regulam: *Horum omnium, quos commemoravimus*, inquit, *sententiam exprimente ipso cognovimus, & litteras scriptas habemus. Ac licèt pauci quidam huic Fidei contradicant; scimus tamen eos orbi terrarum præjudicare non posse.*

3. Quia si Christus formalitates illas exegisset ad infallibilitatem definitionis, non satis bono Ecclesiæ prospexisset. Nam rarò constare potest formalitates omnes servatas fuisse in aliquo judicio: & Novatores ad resistendum judicio Ecclesiæ, sæpè prætexerent formalitates omnes requisitas, non fuisse observatas.

§. IX.

Dico 9. Bulla, seu Constitutio in materia Fidei & morum à Summo Pontifice edita, est infallibilis, & irrevocabilis regula sentiendi, ac loquendi, omnes obligans, accedente consensu tantùm tacito universitatis moralis Episcoporum.

Prob. 1. Ex Scriptura, Matth. cap. ult. ubi Christus promittit se fore cum corpore Pastorum omnibus diebus usque ad finem mundi per specialem assistentiam, ut semper veritatem doceant, nec unquam proinde errorem approbent. Ergo corpus Pastorum vi promissionis Christi nullatenus, neque expresè, neque tacitè approbare potest errorem. *Ecclesia Dei ... quæ sunt contra Fidem, vel bonam vitam non approbat, nec tacet*, ait S. Aug. ep. 119. ad Januar. At si Summus Pontifex definiret errorem aliquem, quem vellet ab omnibus teneri, & Episcopi tacerent, tunc suo silentio approbarent errorem: *nam error, cui non resistitur, approbatur*, ait Felix III. Ergo cùm Summus Pontifex aliquid definit, & Episcoporum pluralitas non reclamat, tunc fieri non potest, ut illa definitio Pontificis errorem contineat: ergo illa continet infallibiliter veritatem: ergo est infallibilis regula sentiendi, & loquendi omnes obligans.

2. Ex sensu & usu Ecclesiæ. Nam multæ hæreses à Summo Pontifice damnatæ sunt absque consensu expresso Episcoporum, aut pluralitatis eorum: & tamen earum damnatio facta à Summo Pontifice, postquam innotuit omnibus, habita est infallibilis definitio, cui qui dissentirent, hoc ipso essent hæretici. Sic inter alia exempla, postquam damnatio errorum Joviniani à Siricio Papa facta innotuit in Ecclesia, Jovinianus, & ejus Sectatores habiti sunt hæretici, & ab Imperatoribus exilio mulctati sunt. Item Bulla S. Pii V. & Gregorii XIII. contra errores Baji edita, jam diu in Ec-

cle-

cleſia habetur ab omnibus Catholicis tanquam regula infallibilis ſentiendi, & loquendi, omnes obligans, ut etiam declaravit Cardinalis Noallius Archiep. Pariſienſis, in epiſtola ad Clem. XI. ſcripta, & ſubſcripta à pluribus Archiep. & Epiſcopis Gallicanis, in qua mentem Cleri Gallicani exponens ait: *Secundò, cùm Clerus dixit, Conſtitutiones Summorum Pontificum à corpore Epiſcoporum acceptatas totam Eccleſiam obligare, mens ejus non fuit, neceſſariam eſſe hujusmodi acceptationis ſolemnitatem ad hoc, ut illæ tanquam regulæ credendi, & loquendi à Catholicis omnibus haberi debeant, licèt aliquando iſta ſolemnitas non mediocris eſſet utilitatis, ubi natus eſt error. Sed ultima Janſeniſtarum munimenta penitùs convellere, & ipſis omne effugium in noſtris partibus, principio ab his conceſſo, intercludere operæ pretium eſſe duxit. Tertiò, non ſibi arrogavit Clerus, ut ſanctiones Pontificias examini ſuo judicandas ſubjiceret; ſed in ipſis, quod olim ſcribebant Leoni Magno Epiſcopi Gallicani, gaudens & exultans Fidei ſuæ ſenſum cognovit. Quartò, certum illi fuit Pontificis decretis adversùs Janſenium nihil deeſſe, ut univerſam Eccleſiam obligent; & circa illa nec appellationem admitti, nec mutationem expectari poſſe. Idem & de Apoſtolicis adversùs Bajum, Molinoſum, & librum vulgò* les Maximes des Saints, *definitionibus profeſſurum fuiſſe Clerum exiſtimo, ſi de illis actum fuiſſet.*

Idem quoque anno 1651. octoginta quinque Gallicani Epiſcopi jam declaraverant in epiſtola ad Innocentium X. ubi ajunt: motus occaſione libri Janſenii Iprenſis Epiſcopi excitatos *ſedari oportuiſſe tum Concilii Tridentini auctoritate; tum Bullæ illius, qua Urbanus VIII. felicis memoriæ adversùs Janſenii dogmata pronuntiavit, & decreta Pii V. ac Gregorii XIII. in Bajum edita confirmavit. Cujus quidem Bullæ veritatem, ac robur novo diplomate vindicaſti.*

3. Quia decretum Pontificium eſt decretum univerſitatis Epiſcoporum per tacitum conſenſum perinde ac per expreſſum. Nam conſenſus tacitus tam eſt actus poſitivus, quàm expreſſus conſenſus: & per conſenſum tacitum pluralitas Epiſcoporum decretum Pontificium poſitivè approbat ut verum, & approbando adoptat perinde ac per conſenſum expreſſum: conſenſus enim tacitus ab expreſſo non differt, niſi quòd hic per ſigna quædam poſitiva, ille verò per ſolam non-reclamationem exteriùs manifeſtatur. Quæ quidem non-reclamatio eſt verè ſuo modo conſenſus externus, ſeu ſignum conſenſus interni. Nam non-reclamatio pluralitatis Epiſcoporum, qui reclamarent, ſi non conſentirent, eſt ſuo modo ſignum externum, & cum conſenſu interno connexum: hæc enim non-reclamatio omnibus innoteſcit, & ideo eſt, quia Epiſcopi approbant decretum Pontificis ſui Capitis, illudque ut verum recipiunt.

Jam verò manifeſtum eſt Pontificis decretum fieri verè decretum corporis Paſtorum per conſenſum expreſſum. Ergo ſimiliter decretum Pontificium fit decretum corporis, ſeu pluralitatis Epiſcoporum per conſenſum tacitum. Præterea tacitus Epiſcoporũ conſenſus circa aliquam definitionem in Eccleſia editam poſitivo æquivaler, juxta regul. Jur. 43. in 6. *Qui tacet, conſentire videtur*, ſcilicet dum loqui tenetur. Epiſcopi autem ex officio tenentur obſiſtere definitioni, quæ erronea eſſet. Item Epiſcopi, ſi poſt divulgatam Pontificis definitionem Summi Pontificis communionem quieti ſervant, hoc ipſo ejus definitionem approbare cenſentur: non enim communicant in ſpiritualibus niſi cum eo, quocum communi Fide conjunguntur.

Hinc doctiſſ. Boſſuetius Meldenſis Epiſcopus, tom. 1. l. 3. c. 2. defenſionis declarationis celeberrimæ, quam de poteſtate Eccleſiaſtica ſanxit Clerus Gallicanus, anno 1682. ait: *Quocunque modo fiat, ut Eccleſia conſentiat, transacta planè res eſt: neque enim fieri poteſt unquam, ut Eccleſia Spiritu veritatis inſtructa non repugnet errori.* Et tom. 2. l. 14. c. 1. ibid. *Semel conſtituto hoc certo dogmate, vim illam ultimam, & ineluctabilem unitate & conſenſione conſtare; id quoque valere, quocunque modo ſe illa conſenſio declaraverit.* Et in opuſculo, cui titulus *Reflexions ſur un Ecrit de M. Claude*, ſic ait loquens de Epiſcopis: *Il faut dire que ce ſont des hommes avec qui J. C. a promis d' etre & d' enſeigner toujours. Alors malgré la foibleſſe humaine & toutes les forces de l'*

de l' enfer, on croit contre l' eſperance en eſperance, qu' on trouvera eternellement dans leur commune predication l' entiere plenitude des veritez Chretiennes. Et l. 15. des Variations, n. 99. *L' Egliſe ſera infallible dans la condamnation de quelques Sectes, qui s' elevent, puiſque ſon conſentement ſervira de regle.*

Confirmatur ex teſtimonio ipſius Queſnelli ante Reflexionum ſuarum damnationem huic veritati dato in libro Gallico, qui inſcribitur *Tradition de l' Egliſe Romaine*, tom. 1. pag. 207. ubi ſic ait: *Le reſte des Egliſes du monde s' etant contentées de voir entrer en lice les Africains & les Gaulois, & d' attendre ce que le S. Siege jugeroit de leur différend; leur ſilence, quand il n' y auroit rien de plus, doit tenir lieu d' un conſentement general, lequel joint au jugement du S. Siége, forme une déciſion, qu' il n' eſt pas permis de ne pas ſuivre.*

Dices 1. Multæ variorum auctorum opiniones circumferuntur, contra quas Epiſcopi non reclamarunt, quibus tamen ideo non aſſentiuntur. Ergo tacitus Epiſcoporum conſenſus non arguit eorum conſenſum, &c.

Reſp. Nego conſeq. Diſparitas eſt, quia doctrina unius, vel aliquorum ſcriptorum particularium ſæpiùs nullius eſt ponderis, ac auctoritatis apud Fideles, nec communiter in errorem eos inducere poteſt, neque traditur ut definitio, ſed ut opinio, & ſaltem à multitudine Epiſcoporum ignoratur. At Capitis Eccleſiæ definitio divulgata, & Fidelibus cum auctoritate, & ſub pœna excommunicationis propoſita, eſt ſanè magni ponderis in Eccleſia, & ſemper multitudini Epiſcoporum innoteſcit: unde ſi eſſet erronea, Fidem Catholicam labefactaret, niſi major pars Epiſcoporum ei obſiſteret.

Dices 2. Nulla eſt definitio infallibilis, niſi debita præceſſerit controverſiæ diſquiſitio. At nulla diſquiſitio conſenſum tacitum præcedit. Ergo.

Reſp. Diligens controverſiæ diſquiſitio Pontificiam definitionem ſemper præcedit; & ea Pontificis diſquiſitione poſita, nullam aliam Epiſcopi adhibere tenentur, niſi ut ad Eccleſiæ ſuæ Traditionem, vel ad doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, quam de hac re habent, attendant: nam ſtatim, & facilè judicant definitionem Pontificiam Traditioni Apoſtolicæ ſeu doctrinæ Eccleſiæ conſentire.

Dices 3. Multi Epiſcoporum definitioni Pontificis refragari non poſſunt tum ob metum Tribunalis Inquiſitionis, & timorem, ne apud Curiam Romanam malè habeantur: tum etiam propter eorum de infallibilitate Summi Pontificis opinionem. Ergo eorum tacitus conſenſus non ſufficit.

Reſp. Nego anteced. Nam 1. Inquiſitionis Tribunal Epiſcopis de rebus Fidei judicandi poteſtatem minimè aufert, neque auferre poteſt, neque in eos vim ullam exercet. 2. Major pars Epiſcoporum nihil apud Curiam Romanam ſperandum, aut timendum habet. 3. Ad veram definitionem ſufficit aſſenſus Epiſcoporum, ex quocunque motivo datus ſit. Præterea Chriſtus infallibilem, & continuam aſſiſtentiam promiſit corpori Epiſcoporum, ne unquam errorem doceant, aut quovis modo approbent: *Docete*, inquit, *& ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Ergo nunquam permittere poteſt, ut major pars Epiſcoporum in eo ſtatu, ac diſpoſitione ſit, ut non poſſit obſiſtere definitioni erroneæ, & ut conſenſu tacito errorem approbet.

§. X.

Solvuntur objectiones contra doctrinam modò traditam.

Obj. 1. Si Eccleſia docens ſit Judex de ſenſu Scripturæ, Eccleſia judicabit de Scriptura ſacra. Falſum conſeq. Ergo.

Reſp. Diſting. ſequel. maj. Eccleſia judicabit de Scriptura, hoc eſt, judicabit quisnam ſit verus, ac germanus Scripturæ ſenſus, *conc. ſequel. maj.* hoc eſt, judicabit de veritate, vel falſitate ſenſus germani Scripturæ, *nego ſeq. maj.* Eccleſia non judicat de veritate verborum Scripturæ, ſed per ſpecialem Spiritus Sancti aſſiſtentiam illuſtrata, & adjuta judicat de ſenſu germano Scripturæ & intento à Spiritu Sancto, illum diſcernendo à falſo. Unde Eccleſia non eſt ſupra Scripturam, ſed ſupra judicia privatorum hominum circa Scripturæ ſenſum.

Obj.

Obj. 2. Si Scripturæ intelligentia penderet à Papa & corpore Paſtorali, fundamentum noſtrum eſſet ſuper Papa & Epiſcopis magis quàm ſuper Apoſtolorum & Prophetarum ſcriptis, contra illud, Epheſ. c. 2. *Eſtis cives Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.*

Reſp. Nego ſequel. Nam verbum Dei miniſtratum per Prophetas & Apoſtolos eſt primum fundamentum noſtræ Fidei: ideo enim credimus quidquid credimus, quia id Deus per Prophetas & Apoſtolos revelavit. Sed præter hoc fundamentum primum requiritur aliud ſecundarium, quod eſt Eccleſiæ teſtificatio: neque enim certò ſcimus, quid Deus per Apoſtolos revelaverit, niſi ex teſtimonio Eccleſiæ. *Ego verò Evangelio non crederem, niſi me Eccleſiæ Catholicæ commoveret auctoritas*, ait S. Auguſtinus, l. contra epiſtolam Fundamenti, c. 5. & verò ſicut Scriptura aſſerit, Chriſtum eſſe lapidem fundamentalem, & fundamentum primum Eccleſiæ: ita etiam Chriſtus de Petro, & ejus ſucceſſoribus ait: *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Igitur Fides noſtra adhæret Chriſto primæ veritati revelanti res Fidei ut fundamento primario: adhæret etiam Summo Pontifici, & corpori Epiſcoporum proponentibus & explicantibus res revelatas, ut fundamento ſecundario.

Obj. 3. Si à judicio Eccleſiæ docentis pendet Fides noſtra, pendet à verbo hominum. Falſum conſeq. Ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Quia doctrina, ſeu definitio Eccleſiæ eſt verum Dei verbum, verè ac certò explicatum per ſpecialem Spiritus Sancti aſſiſtentiam.

Obj. 4. Auguſtinus, & alii Patres, cùm Scripturas exponunt, non uſurpant Prætoriam judicandi poteſtatem, ſed permittunt explanationes ſuas ab aliis judicari. Ergo Eccleſia debet idem permittere.

Reſp. Nego conſeq. Quia explanationes Patrum fiunt more Doctoris fallibilis: nam Patres & Epiſcopi ſeorſim ſumpti carent auctoritate infallibili. At Concilia generalia, & corpus Epiſcoporum cum ſuo Capite in ſuis definitionibus Fidei explicant Scripturas, ac Traditiones divinas ut ſupremi ac infallibiles Judices à Deo inſtituti ad docendam univerſam Eccleſiam.

Porro judicii Eccleſiæ infallibilitas ac certitudo nititur ſpeciali Spiritus Sancti aſſiſtentia à Chriſto Eccleſiæ promiſſa.

Obj. 5. Singuli Epiſcopi ſeorſim ſumpti ſunt fallibiles: ergo & omnes ſimul ſumpti, ſeu corpus Paſtorum. *Nego conſeq. probabis.* Collectio multarum auctoritatum fallibilium non facit auctoritatem infallibilem. Ergo ſi ſinguli Epiſcopi, &c.

Reſp. Diſting. anteced. Si collectio nil plus habet, quàm ſingulæ auctoritates ſeorſim ſumptæ, *conc. ant.* Si collectio aliquid habeat ſaltem ab extrinſeco, quod non habent ſingulæ auctoritates ſeorſim ſumptæ, *nego ant.* Collectio autem Epiſcoporum habet divinam promiſſionem aſſiſtentiæ ſpecialis ad nunquam errandum, quam non habent ſinguli Epiſcopi ſeorſim ſumpti. Uno verbo: Chriſtus infallibilitatem promiſit collectioni, ſeu corpori Paſtorum ſimul ſumptorum, non ſingulis Epiſcopis ſeorſim ſumptis.

Inſt. Si ſinguli Epiſcopi errarent, tota collectio erraret. Ergo ſi ſinguli errare poſſunt, tota collectio poteſt etiam errare.

Reſp. Diſting. conſeq. Poteſt etiam errare collectio ſecundùm ſe ſumpta & ſibi relicta, *conc. conſeq.* Sumpta ſecundùm ſpecialem aſſiſtentiam, & relatè ad divinam Providentiam ſic omnia moderantem ac diſponentem, ut in illa collectione ſaltem major pars nunquam erret, *nego conſeq.* Nullus quidem eſt Epiſcopus in particulari, qui non poſſit errare. Sed quia divina Providentia Eccleſiæ conſervationi, & bono ſemper invigilat, & vult abſolutè, ac efficaciter impedire, ne erret, ita temperat & accommodat omnia media tum naturalia, tum ſupernaturalia, ut omnia ad veritatis definitionem ordinet, & ſic Eccleſiam errare non ſinat.

Obj. 6. Pluralitas Epiſcoporum cum Honorio Papa, & tribus Patriarchis Orientalibus tenuit hæreſim unius voluntatis in Chriſto. Ergo pluralitas Epiſcoporum cum Capite ſuo errare poteſt, ſaltem extra Concilium generale.

Resp. Nego anteced. Nam quamvis Sergius, Pyrrhus, & Paulus Patriarchæ Constantinopolitani, Cyrus Alexandrinus, & Macharius Antiochenus Monothelitæ fuerint; tamen longè plures Episcopi etiam Orientales duas voluntates admittebant cum tota Ecclesia Latina, ut constat ex auctoribus illorum temporum omni fide dignis, nimirum S. Maximo Abbate & Martyre, epist. ad Petrum. Joanne IV. epist. ad Constantinum Imper. & S. Martino I. epist. ad eundem Constantinum, atque ex actis sexti Concilii generalis.

Honorius verò nullatenus hæresim unius voluntatis tenuit, nec definivit, imò expressè admittit duas operationes distinctas in Christo, unam propriam humanitatis, & alteram propriam Divinitatis. Sed solùm privatis litteris rescripsit ad Sergium abstinendum esse ab appellatione unius, vel duplicis voluntatis, ad avertendas, & vitandas contentiones, quas ex iis vocibus oriri in Oriente scripserat Sergius, retento tamen semper dogmate per voces geminæ voluntatis significato. Ubi primùm autem hæresis unius voluntatis palàm prædicata fuit, quod Honorio mortuo contigit, statim illi restiterunt Honorii successores, eamque damnarunt.

Inst. 1. Honorius in suis ad Sergium epistolis definivit, non esse duas voluntates in Christo: & huic definitioni accessit tacitus consensus Episcoporum Occidentalium.

Resp. Hoc utrumque falsum est. Nam 1. Honorius nil definivit in suis ad Sergium epistolis, sed solùm scripsit, abstinendum esse à vocibus unius, & duplicis voluntatis, eò quòd hæ voces (ut asserebat Sergius) perturbationes parerent: & quia utrùm una, an duplex voluntas admittenda sit, nondum in aliquo Concilio examinatum, & definitum erat: *Non oportet* (inquit in 1. epist.) *ad dogmata hæc Ecclesiastica vertere, quæ neque Synodales apices super hoc examinantes, neque auctoritates Canonicæ visæ sunt explanasse, ut unam, vel duas energias aliquis præsumat Christi Dei prædicare.* Et ibidem declarat, se ex epistola Sergii intellexisse, ortas esse *vocum quæstiones: quæ ad dogmata Ecclesiastica trahi non debent.* Igitur hæc Honorii epistola non est definitio Sedis Apostolicæ, cùm sit privata, non directa ad omnes Fideles, vel Episcopos, sed duntaxat ad Sergium, & in ea nihil definiatur.

In secunda verò ad eundem Sergium epistola Honorius clarè rem per duarum voluntatum voces significatam, sive dogma duarum Christi voluntatum admittit, nam ibi sic ait: *utrasque naturas in Christo unitate naturali copulatas, cum alterius communione operantes, atque operatrices: & divinam quidem, quæ Dei sunt, operantem: & humanam, quæ carnis sunt, exequentem.* Et primam epistolam concludit, hortando Sergium, ut has veritates ut certissimas prædicet, nimirum unicum Filium Dei verum Deum, in duabus naturis distinctis operantem divina & humana, id est, habentem operationes divinas & humanas.

Præterea Honorii epistola nequidem in Oriente & ab ipso Sergio habita est ut decisiva, & sufficiens ad errorem suum, quem tegebat, tuendum; siquidem Heraclium Imperatorem impulit, ut Ecthesim, seu edictum de supprimendis vocibùs unius & duplicis voluntatis promulgaret, in quo edicto nulla fit mentio epistolæ Honorii.

2. Episcopi Occidentales tacitum consensum præbere non potuerunt privatis illis Honorii litteris, cùm eas ignorarent vivente Honorio; tacitus enim consensus necessariò exigit cognitionem rei, cui datur. Cùm autem postea Pyrrhus in omnes Occidentis partes litteras transmisisset, quibus adjunxit lacinias ex Honorii epistola decerptas, & hæresim unius voluntatis auctoritate hujus epistolæ confirmaret. Ingens in toto Occidente scandalum pepererunt eæ Pyrrhi litteræ, & omnes Episcopi Occidentales vehementer turbati sunt, quòd Romani Pontificis epistola errori favere videri potuerit, ut constat ex Joanne IV. qui postquam in sua pro Honorio apologia asseruit, Episcopos Occidentales ignorasse Honorii ad Sergium litteras, hæc addit: *quantùm ex diversis suggestionibus, quæ ad nos catervatim venerunt, quin imò ex ipso quoque auditu didicimus, omnes Occidentales partes scandalizatæ turbantur, fratre nostro Pyrrho Patriarcha per litteras suas huc atque illuc transmissas nova quædam, & præter regulam Fidei prædi-*

can-

cante, & ad proprium ſenſum quaſi ſanctæ memoriæ Honorium Papam deceſſorem noſtrum attrahere feſtinante, quod à mente Catholici Patris erat penitus alienum. tom. 1. Conc. Labb. p. 1759.

Imò nemo Romæ præter Honorium, & ejus Amanuenſem conſcius fuit epiſtolæ ab Honorio ad Sergium ſcriptæ, ut conſtat tum ex S. Maximi epiſtola ad Marinum & diſputatione cum Pyrrho, tum ex eo, quod Clerus Romanus Heraclii Ecthesim unius vel duarum voluntatum dictiones vetantem, ubi primùm Romam delata eſt, reprobavit, & hanc ob cauſam primarii in exilium pulſi ſunt.

Inſt. 2. Honorius in prima ſua ad Sergium epiſtola ait: *unde & unam voluntatem fatemur Domini noſtri JEſu Chriſti.* Sed hæc propoſitio eſt hæretica. Ergo.

Reſp. Hæc propoſitio prout jacet in Honorii Epiſtola, non eſt hæretica, ſed Catholica, nam ſenſus, quem illa epiſtola habet, hic eſt: nempe in Chriſto eſſe unam voluntatem humanam, quæ eſt propria Spiritus: & his vocibus (*unam voluntatem*) excluditur ſolùm alia voluntas humana, quæ carnis dicitur, & eſt fomes peccati. Nam Honorius unam voluntatem nempe ſpiritus dixit contra eos, quos ſcripſerat Sergius duas in Chriſto ponere voluntates humanas invicem reluctantes, nempe voluntatem Spiritus, & voluntatem Carnis, quæ eſt concupiſcentiæ fomes. Quare per hanc propoſitionem Honorius neque voluntatem divinam, neque humanam, neque proprias utriusque operationes, ſed duntaxat appetitum ſenſitivum ſpiritui reluctantem, & motus appetitus ſenſitivi inordinatos, ſeu concupiſcentiam adversùs ſpiritum rebellantem excludit, ut patet ex contextu; ſic enim ait: *Unde & unam voluntatem fatemur Domini noſtri JEſu Chriſti, quia profectò à divinitate aſſumpta eſt noſtra natura, non culpa: illa profectò, quæ ante peccatum creata eſt, non quæ eſt poſt prævaricationem vitiata* Et paulò poſt: *non eſt itaque aſſumpta, ſicut præfati ſumus, à Salvatore vitiata natura, quæ repugnaret legi menti ejus, ſed venit quærere, & ſalvare, quod perierat, id eſt, vitiatam humani generis naturam: nam lex alia in membris, aut voluntas diverſa non fuit vel contraria Salvatori, quia ſuper legem natus eſt humanæ conditionis, &c.*

Confirmatur reſponſio teſtimonio Joannis Abbatis Honorii Amanuenſis, qui epiſtolam nomine Honorii ſcripſit, quique de illa ad Conſtantinum Imperatorem juſſu Joannis Papæ IV. ſcribens ſic ait, tom. 5. Conc. p. 1316. *unam voluntatem diximus in Domino, non divinitatis ejus & humanitatis, ſed humanitatis ſolius. Cùm enim Sergius ſcripſiſſet, quod quidam duas voluntates in Chriſto contrarias dicerent, diximus Chriſtum non duas voluntates contrarias habuiſſe, carnis, inquam, & ſpiritus, ſicut nos habemus poſt peccatum, ſed unam tantùm, quæ naturaliter humanitatem ejus ſignabat.* Idem teſtatur Joann. IV. Honorii poſt Severinum ſucceſſor, in ſua pro Honorio apologia, his verbis: *prædictus ergo deceſſor meus docens de Myſterio Incarnationis Chriſti, dicebat non fuiſſe in eo, ſicut in nobis peccatoribus, mentis, & carnis contrarias voluntates.* Idem etiam conſtat ex S. Maximo, in Dialogo cum Pyrrho.

Inſt. 3. Sanctus Sophronius Patriarcha Jeroſolymitanus reclamavit contra Epiſtolam Honorii: ergo hæc erat hæretica.

Reſp. Nego anteced. Sed ſolùm reclamavit contra inſurgentem Monotheliſarum hæreſim, ut patet ex libello, quem ex Sophronii mandato, & nomine Stephanus Dorenſis Epiſcopus obtulit Martino I. in Lateranenſi Concilio: nam in eo libello contra Theodorum Pharamitanum, Cyrum Alexandrinum, Sergium Conſtantinopolitanum, ejusque ſucceſſores Pyrrhum & Paulum oblato nulla fit Honorii mentio. Imò Sophronius ſic Stephanum prædictum Romam mittens allocutus eſt: *de finibus terræ ad terminos ejus deambula, donec ad Apoſtolicam Sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta exiſtunt, pervenias.... & non quieſcas... exorans eos, donec ex Apoſtolica prudentia... noviter introductorum dogmatum perfectam faciant ſecundùm Canones deſtructionem.*

Obj. 7. Ante Honorii tempora, nempe ſæculo quarto, Liberius Papa, & Concilium Ariminenſe quadringentorum Epiſcoporum, &

Seleucienſe Epiſcoporum centum & ſexaginta conſenſerunt in Arianiſmum. Ergo major numerus Epiſcoporum cum ſuo Capite erravit: ergo errare poteſt in Fide.

Reſp. 1. Nego anteced. Nam neque Liberius, neque Epiſcopi Ariminenſes unquam Arianæ hæreſi conſenſerunt, ut teſtatur S. Hieronymus, & in Tractatu de SS. Trinitate oſtenditur. In Seleucienſi verò Synodo novemdecim tantùm reperti ſunt Ariani, ut teſtatur S. Hilarius, qui aderat. Neque in hoc Concilio quidquam ſtatutum eſt contra divinitatem Verbi. Equidem in Concilio illo Seleucienſi erant tantùm triginta ſex vocis *conſubſtantialis* defenſores, omnes Ægyptii, cæteri verò præter novemdecim ideò ſolùm *conſubſtantialis* vocem repudiabant, quia falsò putabant illam non niſi rebus corporeis, & mutabilibus convenire poſſe, nam de Verbi divinitate rectè ſentiebant.

Præterea Liberii lapſus non contigit eodem illo tempore, quo contigit lapſus Ariminenſis Synodi. Nam antequam hæc Synodus cogeretur, Liberius Romam redierat, ubi Nicænam Fidem fortiter propugnabat: & quæ perperam Arimini geſta fuerant, damnavit, ac reſcidit, & ab Epiſcopis damnari juſſit.

Reſp. 2. Nego conſeq. Quia etiamſi quadringenti Epiſcopi, *vel* etiam (ut volebat Julianus Pelagianus) ſexcenti in Ariminenſi Synodo, & in Seleucienſi centum & ſexaginta in Arianam hæreſim conſenſiſſent, non idcirco pluralitas Epiſcoporum à vera Fide defeciſſet ſub Conſtantio. Nam tunc, imò jam ante illud tempus plura erant in Eccleſia Epiſcoporum millia, ut teſtatur S. Auguſt. lib. 3. contra Creſconium, c. 3. ubi ait: *proinde ſi omnino jam credendum ſit quinquaginta Epiſcopis Orientalium id eſſe viſum, quod ſeptuaginta Afris, vel aliquantò etiam pluribus contra tot millia Epiſcoporum, quibus hic error in toto orbe diſplicuit, cur non potius, &c.* Enim verò anno poſt Synodum Ariminenſem ſeptuageſimo primo ſex Epiſcoporum millia numerantur in actis Concilii Epheſini, videlicet tum in epiſtola Dalmatii Archimandritæ ad Theodoſium Imper. tum in epiſtola multorum Epiſcoporum Conſtantinopoli congregatorum ad Concilium Epheſinum ſcripta, & in actis Concilii relata. Labbæus noſter, qui hanc rem diligentiſſimè inquiſivit, Sedes Epiſcopales nobis per Hiſtoriam ſex priorum ſæculorum notas recenſet mille in Eccleſia Occidentali, & ferè octingentas in Orientali. Præter quas ſanè multæ fuerunt nobis per Hiſtoriam incognitæ. Nunc verò extant ſeptingentæ & triginta circiter Sedes Epiſcopales.

Confirmatur reſponſio, quia S. Athanaſius in epiſtola, quam ad Jovinianum Imperatorem ex Alexandrina Synodo ſcripſit ann. 362. triennio poſt Ariminenſem Synodum, teſtatur in Nicænam Fidem conſentire omnes orbis Epiſcopos paucis exceptis. Addit eorum omnium, quos longa ſerie recenſet, ſententiam experimento ipſo ſe didiciſſe, & litteras ſcriptas habere. Ergo falſum eſt pluralitatem Epiſcoporum in Arianam hæreſim conſenſiſſe: non enim tam citò tanta mutatio fieri potuiſſet, ſi antea plures Epiſcopi Ariani fuiſſent.

Dices. Aliqui dicunt, Arianam hæreſim totum orbem penè infeciſſe.

Reſp. Senſus eſt, hæreſim Arianam in omnes ferè regiones irrepſiſſe, ſed minimè prævalere potuit.

Obj. 3. S. Cyprianus, & multi Africani & Aſiatici Epiſcopi reſtiterunt S. Stephano Papæ vetanti hæreticos rebaptizari, quamvis probè ſcirent plures Epiſcopos Romano Pontifici conſentire. Ergo definitio Fidei à Summo Pontifice edita, & acceptata à pluralitate Epiſcoporum non eſt infallibilis, ſed in caſu diſſidii Epiſcoporum requiritur Concilium generale ad finalem & infallibilem definitionem.

Reſp. Nego conſeq. Quia 1. hæc Stephani prohibitio non erat definitio Fidei. Nam Stephanus non definivit ſententiam rebaptizantium eſſe hæreticam, nec rebaptizantes ut hæreticos damnavit, ut conſtat ex verbis ipſius Stephani relatis ab ipſo Cypriano, epiſt. ad Pompejum: *Si quis à quacunque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur; niſi quod traditum eſt, ut manus illi imponatur ad pœnitentiam.* Quibus verbis ſolùm præcipit Stephanus, ut antiqua circa hæreticos ad Eccleſiam revertentes conſuetudo ſervetur: non autem definit tanquam de fide, hæreticos in materia,

&

& forma Ecclesiæ baptizatos non esse rebaptizandos. Idem etiam constat ex eo, quòd Stephanus, licet rebaptizantibus minatus fuisset pœnam excommunicationis, tamen re ipsa eos non excommunicavit, ut testatur S. Augustinus, l. 5. de Baptismo c. 25. ubi ait: *Stephanus abstinendos putaverat, qui de suscipiendis hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur: iste tamen quæstionis difficultate permotus, & sanctis charitatis visceribus largissimè præditus, in unitate cum eis manendum, qui diversa sentirent. Ita quamvis commotiùs, sed tamen fraternè indignaretur, vicit tamen pax Christi in cordibus eorum, ut in tali disceptatione nullum inter eos malum schismatis oriretur.*

2. Quia Cyprianus & alii Episcopi rebaptizantes, sicut errabant sentiendo rebaptizandos esse quoslibet hæreticos: ita etiam errabant, putando non esse hac in re obtemperandum Stephano. Atque in hoc sibi contrarius fuit Cyprianus, qui, l. 1. epist 3. asserit perfidiam non posse habere accessum apud Cathedram Petri & Romanam Ecclesiam: ac proinde Stephanus ejus Episcopus cum sua Synodo, non potuit Traditionem humanam ac spuriam pro Apostolica proponere. Quis autem Cypriani sententiam ante disceptationem traditam non censeat anteponendam opinioni ejusdem Cypriani nimiùm suis præjudiciis præoccupati, & disputationis æstu abrepti.

3. Quia Episcopi Africani & Asiatici rebaptizantes, sententiam suam ante Concilium Nicænum mutarunt, & veram Stephani amplexi sunt, ut constat ex S. Hieronymo, in dialogo contra Luciferianos, & ex S. Augustino pro Orientalibus, l. 3. contra Cresconium, c. 2. ubi ait: *majores autem vestri, quibus tale testimonium perhibuistis, quod ab Orientalium propterea communione discreti sunt, quia illi suum judicium rescinderunt, quo eis placuerat de ista Baptismi quæstione Cypriano atque illi Africano Concilio consentire oportere, contra Cyprianum fecerunt.* Et c. 3. *proinde si omnino jam credendum sit quinquaginta Episcopis Orientalium id esse visum, quod septuaginta Afris, vel aliquantò etiam pluribus contra tot millia Episcoporum quibus hic error in toto orbe displicuit; cur non potiùs etiam ipsos paucos Orientales suum judicium correxisse dicamus, non, ut tu loqueris, rescidisse? Sicut enim laudabile est à vera sententia non amoveri: ita culpabile persistere in falsa, quam nunquam tenere prima laus, secunda mutare.*

Nota. Stephanus resistentia multarum Ecclesiarum permotus, & ne tot Episcopos cum suis Ecclesiis abscindere cogeretur, noluit circa validitatem Baptismi ab hæreticis in forma Ecclesiæ collati sententiam decisivam ferre sine Concilio generali, quod iis temporibus persecutionum & sub Imperatoribus Ethnicis celebrari non poterat: sed solùm præcepit, ut antiqua in recipiendis hæreticis, qui ad Ecclesiam redirent, Ecclesiæ consuetudo in omnibus servaretur: Cyprianus verò restitit, quia usus Ecclesiæ suæ Carthaginensis à prædecessore suo inductus erat ut rebaptizarentur hæretici, & falso putabat Stephanum injustè ac tyranicè velle, ut omnes aliæ Ecclesiæ particulares propriam consuetudinem mutarent, quamvis illis sententia de invaliditate Baptismi ab hæreticis collati Scriptura & ratione niti videretur.

Inst. 1. Firmilianus, in sua ad Cyprianum epistola de excommunicatione velut lata conqueritur; & Dionysius Alexandrinus, in sua ad Xistum Stephani successorem epistola dicit Stephanum statuisse non communicandum esse his, qui hæreticos rebaptizant.

Resp. Ista intelligi possunt de excommunicatione solùm intentata, non lata; licet fortè Firmilianus aliter ex impotenti animo intellexerit. Vel ista intelligi debent de privatione communionis Episcopalis, non autem Fidelium. Nam Stephanus cum Cypriano semper communicavit, ut testatur S. Augustinus l. de unico Baptismo, c. 14. ubi ait: *cùm ergo Stephanus non solùm non rebaptizaret hæreticos, verùm etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes excommunicandos*

dos esse censeret, sicut aliorum Episcoporum & ipsius Cypriani litteræ ostendunt, tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permansit.

Inst. 2. Cyprianus, ut ex ejus epistola ad Pompejum scripta patet, putabat Stephanum errare, & hæreticorum causam agere.

Resp. Putabat equidem Stephanum errare, malè & imprudenter vetando hæreticos ad Ecclesiam revertentes rebaptizari: nam hoc vetando, Stephanus valorem Baptismi ab hæreticis collati supponebat, & indirecte aprobabat. At Cyprianus non putabat Stephanum errare, male definiendo, & sententiam orthodoxam ut Fidei repugnantem damnando. Nam si judicasset Stephanum definire errorem Fidei contrarium, debuisset se ab illius communione separare, cùm nefas censeret communione jungi cum hæreticis: quod tamen non fecit, nam semper fuit charitatis & communionis vinculo cum Stephano conjunctus, ut ex S. Augustino & aliunde constat.

Inst. 3. Cyprianus existimabat quæstionem hanc de rebaptizandis hæreticis pertinere ad Fidem: ergo putabat Stephanum errare in Fide.

Resp. Nego antec. Itaque Cyprianus quæstionem de rebaptizandis hæreticis non putavit pertinere ad Fidem, sed duntaxat ad œconomiam, & disciplinam Ecclesiasticam, ut constat ex ejus epistola ad Stephanum, in qua loquens de Africanis Episcopis, ejus sententiæ & primo ejus Concilio consentientibus, sic ait: *cæterum scimus quosdam quod semel imbiberint, nolle deponere, nec propositum suum facilè mutare; sed salvo inter collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam propria, quæ apud se semel sint usurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus; cùm habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque præpositus, rationem actus sui Domino redditurus.* Idem in tertio & ultimo Concilio, quod de hac quæstione habuit, repetit; & epist. ad Jubæianum sic ait: *nos in quantum in nobis est, propter hæreticos cum Collegis, & Co-Episcopis nostris non contendimus, cum quibus concordiam & Dominicam pacem tenemus. Servatur à nobis patienter & leniter charitas animi, honor Collegii, vinculum Fidei, concordia Sacerdotii.* Idem Firmilianus & alii Episcopi Orientales Cypriano consentientes observabant, ut constat ex epistola Firmiliani ad Cyprianum, ubi ait: *neminem condemnantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum senserit, amoventes.*

Igitur Cyprianus & alii rebaptizantes restiterunt Stephano, non quia putabant definitionem Summi Pontificis ad quam consensus expressus vel tacitus magnæ pluralitatis Episcoporum accesserit, errare posse in Fide; sed quia putabant hanc quæstionem esse meræ disciplinæ, & circa eam unumquemque Episcoporum habere potestatem liberam statuendi ea, quæ ad bonum Ecclesiæ sibi commissæ regimen spectare viderentur: ideoque hæreticos rebaptizare licere iis, qui eos rebaptizandos judicarent, sicut non rebaptizare licebat iis, qui non rebaptizandos existimarent.

Inst. 4. Stephanus judicabat validum esse Baptismum ab hæreticis in forma Ecclesiæ collatum; Cyprianus vero esse invalidum: quod est quæstio ad Fidem spectans.

Resp. Ita est: sed non in hoc fuit inter illos disceptatio. Nam quamvis Stephanus sciret Baptismum illum validum esse, non tamen definiit, nec ut dogma Fidei ab omnibus Fidelibus tenendum proposuit: unde dissidentes non excommunicavit, nec ut hæreticos habuit. Cyprianus verò suam sententiam de invaliditate Baptismi hæreticorum defendebat non ut Fide certam, siquidem putabat unicuique liberam super hac re sententiam relinquendam esse, sed eam defendebat ut verisimillimam & in Scripturis maximè fundatam. Et uterque utramque sententiam tolerabat, cum uterque pacis & charitatis vinculo cum aliis a se dissidentibus conjunctus manere vellet. Cyprianus autem falsò putans Baptismum a quovis hæretico collatum invalidum esse, in Concilio Episcoporum Africanorum decrevit rebaptizandos esse hæreticos ad Ecclesiam revertentes. Hoc Decretum reprobavit Stephanus, præcipi-

piens antiquam Ecclesiæ Romanæ consuetudinem servari. Hæc est causa dissidii inter Stephanum & Cyprianum : proindeque dissidium inter illos fuit de rebaptizatione hæreticorum, quam Cyprianus putabat pertinere ad disciplinam Ecclesiasticam, & quamdam regiminis œconomiam, quæ cuique Episcopo libera esse deberet, & idcirco Stephano resistebat.

Inst. 5. S. Aug. l. 1. de Baptismo, c. 18. dicit Ecclesias nutasse de quæstione rebaptizationis hæreticorum, & potuisse Cyprianum, & alios salva fide & charitate dissentire à Stephano, donec accederet definitio Concilii generalis. Et addit tum temporis nondum liquidò manifestatum fuisse ut verum, nempe veritate Fidei id, quod tenebat præterita Ecclesiæ consuetudo, & postea totus orbis amplexus est : quamvis tamen ipse sciret majorem Episcoporum partem consensisse Stephano. Ergo S. Aug. non existimavit definitionem Summi Pontificis accedente consensu magnæ pluralitatis Episcoporum esse regulam infallibilem extra Concilium generale.

Resp. Nego conseq. Nam S. Doctor ideo sensit Cyprianum salva Fide potuisse sentire rebaptizandos esse hæreticos, & tempore Cypriani etiam post rescriptum Stephani ad Cyprianum veritatem non fuisse certò manifestatam ; ita ut valor Baptismi ab hæreticis in forma Ecclesiæ collati nondum esset dogma Fidei ; quia nempe neque Stephanus, neque alius Pontifex ante plenarium Concilium, de quo loquitur S. Doctor, voluit valorem Baptismi ab hæreticis collati definire ut dogma Fidei, nec ullo decreto omnibus Fidelibus proposuit ut Fide credendum. Stephanus enim rescripto suo solùm jussit antiquam consuetudinem servari, donec res sufficienter in pleniore Episcoporum conventu examinata definiretur. Unde Stephanus ipse nunquam rebaptizantes habuit ut hæreticos, imò nec illos reipsa excommunicavit ; sed tantùm ut inobedientibus excommunicationem minatus est, quam tamen nunquam infligere voluit ; sed pacis studio rebaptizantes toleravit, donec ipsi sua præjudicia exuerent, vel quæstio illa in Concilio generali definiretur. Præterea S. Augustinus loquitur tantùm hypotheticè de Concilio generali : nempe in ea suppositione, in qua veritas non eliqueretur ante Concilium generale.

Confirmatur hæc responsio. Quia alioqui S. Augustinus secum pugnaret ; nam serm. 2. de verbis Apostol. testatur causam Pelagianorum finitam esse, ideoque infallibiliter & irrevocabiliter definitam per rescriptum Innocentii confirmantis condemnationem doctrinæ Pelagii ab Episcopis Africanis factam : *jam*, inquit, *de hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est. Utinam aliquando error finiatur.* Et in Psalmo contra partem Donati, loquens de Sede Apostolica, ait : *ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.*

Quæres, utrùm Cyprianus peccaverit non obediendo Decreto Stephani, quo jubebat hæreticos non rebaptizari, quamvis non definiret, quid in hac quæstione Fide tenendum esset?

Resp. Affirm. Quia non paruit justo præcepto Stephani sui Superioris, & totius Ecclesiæ Capitis, cujus judicio debebat proprium judicium subjicere. Idque S. Augustinus manifestè supponit, seu judicat, dum ait, Cyprianum passionis falce purgatum esse, ideoque antea inquinatum fuisse peccato ; nam l. 1. de Baptis. c. 18. sic de Cypriano loquitur : *quòd ergo ille Vir sanctus de Baptismo aliter sentiens, quàm se res habebat, quæ postea pertractata, & diligentissima consideratione firmata est, in Catholica unitate permansit, & charitatis ubertate compensatum est, & passionis falce purgatum.* Ergo ex S. Doctore fuit aliquid falce passionis purgandum Cypriano, eò quòd erraret circa hæreticorum Baptismum ; ergo sic errando peccavit : nam ubi non est peccatum, ibi nil est purgandum. At Cyprianus non peccavit errando circa valorem Baptismi hæreticorum, & rebaptizando hæreticos ad Ecclesiam revertentes, nisi quia poterat, & debebat judicare, talem Baptismum esse validum, nec rebaptizandos esse hæreticos, propter traditionem Apostolicam, ei sufficienter à suo Superiore & totius Ecclesiæ Capite propositam.

Dices. Si Cyprianus peccavit non obedien-

do Summo Pontifici hac in re, mortuus est in sua rebellione, & sic nihil ei prodesse potuit martyrium.

Resp. Neg. Quia errorem suum ante mortem correxit, & paruit prohibitioni Summi Pontificis, ut significat S. Pacianus, epist. 2. ubi ait: *Cyprianus in concordia omnium, in pace communi passus est.* Idque convenienter affirmari posse testatur S. Augustinus, in epist. 48. ad Vincentium, ubi de Cypriano hæc ait: *Correxisse istam sententiam non invenitur. Non inconvenienter tamen de tali Viro existimandum est, quod correxerit, & forsasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.*

Quod si Cyprianus errorem suum non deposuit, non ideo tamen in rebellione & inobedientia contra Summum Pontificem mortuus est. Quia vel ipse S. Stephanus cernens consuetudinem multarum Ecclesiarum circa rebaptizationem hæreticorum & oppositionem multorum Episcoporum, noluit propter bonum pacis & ad vitandum majus malum mandati sui executionem urgere, nec minas excommunicationis exercere; sicque tacitè prohibitionem suam revocavit, & reipsa toleravit consuetudinem & opinionem de rebaptizandis hæreticis, donec Episcopi Africani & Orientales errorem suum paulatim dedocerentur, ut postea factum est. Vel saltem Xistus II. Stephani successor, propter bonum pacis & ad vitanda multa mala voluit rebaptizationem hæreticorum tolerare, & sic tacitè prohibitionem Stephani revocare, donec quæstio in Concilio generali definiretur. Unde à Pontio auctore vitæ S. Cypriani, Xistus bonus ac pacificus Pontifex appellatur. Et verò si Cyprianus in actuali inobedientia & rebellione contra Sedem Apostolicam mortuus fuisset, nunquam particularis Ecclesia Romana, quæ semper sedis Apostolicæ jura ac decreta constanter defendit, Cyprianum ut Sanctum coluisset, & reipsa Sanctus non fuisset.

ARTICULUS XI.

Quænam sint veræ Christi Ecclesiæ notæ?

§. I.

Prænotanda.

I. LUtherus, in lib. de Conciliis & Ecclesia has septem Ecclesiæ notas tradit, nimirum 1. Veram & incorruptam prædicationem Evangelii. 2. Legitimam administrationem Baptismi. 3. Legitimum usum Eucharistiæ. 4. Legitimum usum Clavium. 5. Legitimam electionem Ministrorum, qui doceant & Sacramenta ministrent. 6. Orationem publicam, & Psalmodiam, & Catechismum, sed lingua quæ intelligatur ab omnibus. 7. Mysterium Crucis, id est, tribulationes intùs & extra, ita ut intus sit mœstitia, pusillanimitas, terrores: foris paupertas, contemptus, & ut habeantur ab hominibus ut hæretici, caco-dæmones, catharmata.

Alii verò hæretici, ut Brentius, Melancthon, Calvinus, Centuriatores duas tantùm notas proponunt, sed in quinque prioribus Lutheri notis continentur: nempe Prædicationem sinceram verbi Dei, seu veram Fidei doctrinam: & Legitimum usum Sacramentorum. His duabus addunt alias duas, nempe Constantiam in confessione Fidei seu perseverantiam: & Obedientiam erga Ministros verbi, quatenus verbum ipsum administrant.

Ex quibus patet hæreticos illos nullam recipere notarum, quæ traduntur in Symbolo Constantinopolitano, quibus tamen potissimùm notis vera Christi Ecclesia se ipsam semper discrevit ab omnibus Sectis, & earum loco notas proponere plane insufficientes ad discernendam veram Christi Ecclesiam, cùm ex illis aliæ obscuriores sint ipsa Ecclesia, nec nisi per Ecclesiam certò innotescere possint; aliæ vero sint vel possint esse veræ Ecclesiæ & hæreticorum Sectis communes.

II. Notæ veræ Ecclesiæ sunt veræ Ecclesiæ proprietates, non quælibet, sed eæ solæ, per

per quas recipienti Scripturas, & credenti Christum illiusque aliquam existere Ecclesiam, evidenter evidentia morali magna ac perfecta, & ad plenam cujuscunque intellectus convictionem sufficiente, ostendi potest, quis ex omnibus cœtibus, qui veram Christi doctrinam tenere se profitentur, sit vera Christi Ecclesia.

Hinc ad veras veræ Christi Ecclesiæ notas hæc requiruntur, 1. Ut illæ notæ sint notiores ipsa Ecclesia. Nam ignotum vel minus notum cognoscitur & discernitur per notius; non autem magis notum cognoscitur per ignotum aut minus notum. 2. Ut sint proportionatæ omnibus hominibus etiam rudibus: Nam hic agitur de proprietatibus veræ Ecclesiæ, quibus illa evidenter innotescere possit, non aliquibus duntaxat hominibus, sed omnibus; cùm omnes teneantur veram Christi Ecclesiam ingredi & in ea perseverare, ut salutem consequantur; Deusque velit omnes homines etiam rudes salvare. Igitur Ecclesiæ notæ eæ esse debent, quibus certò & clarè innotescere possit omnibus vera Ecclesia, ut qui jam in ea sunt, in ea usque ad mortem perseverent: qui verò in ea non sunt, eam ingredi possint: Nam nemo salutem consequi potest extra veram Ecclesiam, & omnes tenentur in eam ingredi & in ea permanere, ac proinde omnes etiam rudes & imperiti debent posse facilè eam cognoscere, & discernere à falsis Sectis: alioqui Deus non satis providisset saluti hominum. 3. Ut illæ notæ nobis innotescant per divinam revelationem. 4. Ut veræ Ecclesiæ conveniant: nam res agnosci nequit per signum, quod non habet. Imò debent illi evidenter convenire: alioqui non posset per eas evidenter ostendi. 5. Denique ut soli veræ Ecclesiæ conveniant. Alioqui per eas vera Ecclesia discerni non posset ab aliis cœtibus; nam nulla res discernitur per signum multis commune.

III. Quamvis ex Catholicis alii plures, alii pauciores notas veræ Ecclesiæ assignent, tamen omnes continentur in illo articulo Symboli Constantinopolitani Concilii: *Credo.... in Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam:* vel ad has quatuor facilè reducuntur.

§. II.

Dico. 1. Vera Christi Ecclesia est Una, Sancta, Catholica, & Apostolica. Patet ex Symbolo Constantinopolitano semper ab Ecclesia ut regula Fidei recepto, & à pluribus Conciliis generalibus confirmato, atque ab ipsis hæreticis recepto. Tamen adhuc probatur per partes.

Itaque 1. Ecclesia Christi est Una. *Prob.* Ex Scriptura. Joann. c. 10. *fiet unum ovile, & unus Pastor.* Et 1. Cor. c. 10. *unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Et Ephes. c. 4. *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma, unus Deus & Pater omnium.* Scripturæ consentiunt Patres.

Igitur vera Christi Ecclesia est essentialiter una unitate corporis moralis. Enim verò sicut ex multis membris physicis unione physica inter se conjunctis resultat quoddam totum physicum, quod corpus naturale vocatur, ita ex multis hominibus tanquam ex multis membris moralibus, ejusdem Fidei & eorumdem Sacramentorum, ac præceptorum tum Divinorum tum Ecclesiasticorum unione morali, & subjectione eidem capiti visibili, inter se conjunctis resultat quoddam totum morale, quod rectè dicitur corpus morale seu mysticum.

Hæc autem unitas Ecclesiæ præcipuè consistit in professione unius ejusdemque Fidei fundatæ in principio indissolubili hujus unitatis, ita ut vera Ecclesia habeat in se ipsa principium indissolubilitatis & unionis in Fide. Nam unio moralis membrorum Ecclesiæ, cujus fundamentum est Fides Christiana, consistit præcipuè in professione ejusdem Fidei, quæ est immutabilis.

II. Vera Christi Ecclesia est Sancta. *Prob. ex Script.* 1. Petri c. 2. *vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta, &c.* Et Ephes. c. 5. *Christus dilexit Eccle-*

ſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret. Et ad Tit. c. 2. *dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Accedit tum Symbolum Apoſtolorum: *credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Eccleſiam Catholicam*: tum Patrum conſenſus.

Chriſti autem Eccleſia dicitur Sancta propter Caput ejus inviſibile, nempe Chriſtum: propter ſinceritatem Fidei, quæ ſecundùm omnia ſua dogmata veriſſima eſt: propter ſanctitatem doctrinæ, quæ vitia ac peccata omnia damnat, & commendat virtutes omnes: propter virtutes Chriſtianas, nempe Fidem, Spem, Charitatem, &c. Quibus exornata eſt, & quæ extra illam non reperiuntur: propter ſanctitatem finis & mediorum: propter Sacramenta, quæ veram ſanctitatem ex opere operato conferunt omnibus ei nullum obicem ponentibus: propter juſtos, qui nunquam in ea deſunt magno numero, & ſunt præcipua ejus membra, quique ideo juſti & ſancti ſunt, quia ejus Sacramentis utuntur, præceptis obtemperant, & ejus doctrinæ mores ſuos conformant.

III. Vera Chriſti Eccleſia eſt Catholica, id eſt, univerſalis, ut habet Symbolum Apoſtolorum. Eſt autem univerſalis, quatenus non unius Provinciæ, aut Regni, aut etiam partis orbis continetur finibus, ſed ſenſim toto orbe noto diffuſa eſt, juxta illud Chriſti, Matth. c. ult. *docete omnes gentes*; & illud Pſ. 2. *poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*; & Malach. c. 1. *ab ortu ſolis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*; & Marci. c. ult. *euntes in mundum univerſum, prædicate Evangelium omni creaturæ... illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.*

Accedit conſenſus Patrum; hìc ſufficiant S. Cyrillus Hieroſolymitanus, Catecheſi 18. *Catholica vocatur Eccleſia, quia per univerſum ſit orbem terrarum diffuſa, à finibus terræ uſque ad extrema. Et quia docet catholicè, hoc eſt univerſaliter, & ſine ullo defectu vel differentia omnia dogmata.* S. Pacianus, epiſt. ad Sympronianum, *Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus vero cognomen: illud me nuncupat, iſtud oſtendit.. Catholicus Chriſtianus eſt, quare ab hæretico nomine noſter hac appellatione dividitur, cùm Catholicus nuncupatur.* S. Cyprianus l. de unitate Eccleſiæ. *Eccleſia Domini luce perfuſa per orbem totum radios ſuos porrigit, unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec unitas corporis ſeparatur: ramos ſuos in univerſam terram extendit*, &c. Et S. Auguſtinus l. de vera Religion., c. 7. *Tenenda eſt nobis Chriſtiana Religio, & ejus Eccleſiæ communicatio, quæ Catholica eſt, & Catholica nominatur non ſolùm à ſuis, verùm etiam ab omnibus inimicis. Velint, nolint enim ipſi quoque hæretici, & ſchiſmatum alumni, quando non cum ſuis, ſed cum extraneis loquuntur, Catholicam nihil aliud quàm Catholicam vocant, non enim poſſunt intelligi, niſi hoc eam nomine diſcernant, quo ab univerſo orbe nuncupatur.* Et l. contra epiſtolam Fundamenti, c. 4. idem docet.

Porro Eccleſia Chriſti eſt Catholica hoc ſenſu, quòd in præcipuis orbis partibus longè latéque diffitis cultores habeat, & quod ſit diffuſior qualibet alia Secta ſeorſim ſumpta. Nam Catholicitas in majori diſperſione & diffuſione præcipuè conſiſtit. Paganiſmus autem & Mahometiſmus non eſt tam diffuſus ac diſperſus quàm Eccleſia Romana: præterea uterque in varias Sectas ſibi oppoſitas dividitur.

IV. Vera Chriſti Eccleſia eſt Apoſtolica. 1. Quia ab Apoſtolis per totum orbem propagata eſt, juxta illud, Marc. cap. ult. cit. *Prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.* 2. Propter doctrinam Chriſti, tum ſcripto tum viva voce ab Apoſtolis traditam, quam puram ac integram hactenus conſervavit: & uſque ad finem mundi conſervatura eſt, ut conſtat ex dictis de ejus perpetuitate & infal-

fallibilitate, ut ex Isai. c. 59. *Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo & usque in sempiternum.* 3. Propter Episcoporum legitimam ac perpetuam ab Apostolis successionem ac missionem, sed præsertim propter non interruptam Romanorum Pontificum in Sede Petri Apostolorum Principis successionem. Nam hanc potissimum Romanorum Pontificum continuam successionem afferunt antiqui Patres ut veræ Ecclesiæ notam: nimirum S. Irenæus, lib. 3. adversùs hæreses, c. 3. ubi sic ait: *maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis Traditionem, & annuntiatam hominibus Fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cœcitatem & malam sententiam, præter quam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique Fideles. &c.* Deinde Romanorum Pontificum à S. Petro usque ad Eleutherium, qui tunc in Petri Cathedra sedebat, catalogum texit Tertullianus, l. de præscript. c. 32. *Edant (hæretici) origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit autborem & antecessorem. Hoc enim modo Romanorum Ecclesia Clementem à Petro ordinatum edit.* S. Cypria. epist. 27. ad lapsos. *Dominus noster Ecclesiæ suæ rationem disponens in Evangelio loquitur, & dicit Petro: ego tibi dico, quia tu es Petrus: & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferorum non vincent eam, &c. Inde per temporum & successionum vices, Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit.* S. Optatus Milevitanus, l. 2. contra Parmenianum, sic eum alloquitur: *Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus: in qua una Cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret.* Deinde recenset omnes Romanos Pontifices à S. Petro usque ad Syricium, qui tunc Ecclesiam regebat, ut probet non esse veram Ecclesiam apud Donatistas, qui per similem successionem ad Apostolos usque ascendere non poterant, & quos sic alloquitur: *Vos vestræ Cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.* S. August. l. contra epist. Fundamenti, c. 4. *in Ecclesiæ gremio me tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.*

Et vero ipse Christus Ecclesiam suam supra Petrum primum Ecclesiæ Romanæ Episcopum & ejus successores fundavit, & promisit fore, ut nunquam illi Ecclesiæ prævalerent portæ inferi. Hinc illud S. Cypriani, l. de unitate Ecclesiæ: *Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?*

§. III.

Dico. 2. Notæ veræ Christi Ecclesiæ sunt, quod sit Una, unitate scilicet doctrinæ Fidei, cum principio hujus unitatis: Sancta cum principio sanctitatis: Catholica seu diffusa per totum orbem notum: & Apostolica, id est, ab Apostolis fundata, & à tempore Apostolorum ad nos usque visibili ac perpetua Pastorum successione continuata.

Prob. Notæ veræ Christi Ecclesiæ sunt prærogativæ seu proprietates quædam Ecclesiæ, per quas cuilibet recipienti Scripturas Sacras, & credenti aliquam existere veram Christi Ecclesiam, ostendi potest, quis cœtus hominum sit illa vera Christi Ecclesia. Atqui tales sunt quatuor proprietates suprà dictæ: ergo hæ proprietates sunt notæ veræ Christi Ecclesiæ. *Prob. min.*

min. Proprietates, per quas cuilibet recipienti Scripturas, & admittenti aliquam veram Christi Ecclesiam oſtendi facilè poteſt quis cœtus hominum ſit vera Chriſti Eccleſia, ſunt illæ, quæ in Scripturis evidenter continentur: quæ ſunt notiores ipſa Eccleſia: quæ evidenter conveniunt veræ Chriſti Eccleſiæ: & quæ ſaltem ſimul ſumptæ, ſoli veræ Chriſti Eccleſiæ conveniunt: atqui tales ſunt quatuor proprietates allatæ: ergo illæ ſunt notæ veræ Chriſti Eccleſiæ. *Prob. min. per partes*

Nam 1. Illæ quatuor prærogativæ, ſeu proprietates in Scripturis clarè continentur, ut patet ex textibus modò allatis. 2. Sunt notiores, quàm ipſa Eccleſia: nam ſunt faciliores cognitu, ut experientia patet. Et verò quilibet cœtus, qui Chriſtum profitetur, dicit ſe eſſe veram Chriſti Eccleſiam; & tamen evidens eſt, non omnes, ſed unicum duntaxat eſſe veram Chriſti Eccleſiam, & habere quatuor proprietates allatas. 3. Evidenter conveniunt veræ Chriſti Eccleſiæ: nam Scriptura eas clarè attribuit veræ Chriſti Eccleſiæ. 4. Evidenter conveniunt ſoli veræ Chriſti Eccleſiæ, ſaltem ſi ſimul ſumantur. Nam fieri nequit, ut ſimul omnes reperiantur in aliquo cœtu, qui non ſit vera Chriſti Eccleſia: alioqui vera Eccleſia non poſſet agnoſci, & diſcerni à falſis: quod repugnat Providentiæ divinæ, & ſinceræ Dei voluntati ſalvandi omnes homines in ſola vera Eccleſia.

§. IV.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Multæ Sectæ hæreticæ habent unitatem doctrinæ Fidei: nam earum membra eamdem doctrinam tenent, quamdiu nempe Secta retinet doctrinam ſui auctoris, nec in alias Sectas ſcinditur. Ergo unitas doctrinæ Fidei non eſt nota veræ Eccleſiæ, cùm poſſit eſſe communis aliis Sectis.

Reſp. Diſt. conſeq. Unitas doctrinæ præcisè & ſine principio talis unitatis non eſt nota veræ Eccleſiæ, *conc. conſeq.* Unitas doctrinæ fundata in ipſa doctrina, ſeu unitas doctrinæ cum principio talis unitatis conjuncta, non eſt nota veræ Eccleſiæ, *nego conſeq.* In ſola autem vera Chriſti Eccleſia eſt unitas doctrinæ cum principio talis unitatis, quod eſt ratio accommodatiſſima ad illam unitatem conſtanter tenendam. Nam in ſola vera Chriſti Eccleſia agnoſcitur regula viſibilis, ac vivens, ſeu Judex ſupremus infallibilis & viſibilis ſemper ſubſiſtens, cujus judicio omnes acquieſcere tenentur. Hæreticæ verò Sectæ non aliam regulam, & Judicem controverſiarum agnoſcunt, niſi Scripturam divinam ſpiritu privato intellectam, vel ad ſummum cum illa Traditionem Apoſtolicam contentam in Patrum ſcriptis, privato ſpiritu intellectis, ut faciunt hujus ætatis Novatores. At Scriptura & Patrum ſcripta privato ſpiritu intellecta, non ſunt principium unitatis, ſed diſſenſionis, ut experientia conſtat in omnibus hæreticis.

Obj. 2. Sincera Fidei doctrina, ſeu prædicatio veræ Fidei eſt nota veræ Eccleſiæ.

Reſp. Neg. Equidem ſincera Fidei doctrina, & prædicatio veritatis reperitur in ſola vera Chriſti Eccleſia, ſed non eſt ideo illius nota. Nam vera nota alicujus rei eſt id, quod oſtendit, vel oſtendere poteſt illam rem nondum cognitam. At ſincera Fidei doctrina, ſincera prædicatio veritatis non poteſt oſtendere veram Chriſti Eccleſiam nondum cognitam: ergo non eſt vera nota Eccleſiæ. *Prob. min.* Nam ſincera Fidei doctrina, ac prædicatio, ſeu verum Dei verbum non poteſt nobis certò innoteſcere, niſi per veram Eccleſiam. Ergo vera Chriſti Eccleſia non poteſt oſtendi per ſinceram Fidei doctrinam, & prædicationem: nam vera Chriſti Eccleſia non poteſt eam ignoranti oſtendi per id, cujus cognitio ſupponit ipſam Eccleſiam certò cognitam: ut patet: *Prob. ant.* Sincera Fidei doctrina, ſeu Dei verbum continetur in Scripturis divinis, & Traditionibus Apoſtolicis bene explicatis: imò juxta adverſarios in ſola Scriptura divina. At quænam ſint veræ Traditiones divinæ, quænam ſint veræ Scripturæ divinæ, & quinam ſit verus earum ſenſus, non poteſt nobis certò innoteſcere, niſi per veram Eccleſiam, ut conſtat ex dictis de Judice controverſiarum. Unde S. Auguſtinus docet, ſinceram Fidei doctrinam reconditam eſſe in Eccleſia, ſic enim ait, in Pſal. 57. *In ventre Eccleſiæ veritas manet. Quisquis ab hoc ventre Eccleſiæ ſeparatus fuerit, neceſſe eſt, ut falſa*

falsa loquatur. Necesse est, inquam, ut falsa loquatur, qui aut concipi noluit, aut quem conceptum Mater excussit.

Præterea cùm omnes Sectæ hæreticæ, quæ se Christianas appellant, profiteantur se tenere in omnibus sinceram Fidei doctrinam, seu verum Dei verbum: assignari debet aliqua nota, per quam omnes etiam illiterati facilè discernere possint, quisnam ex illis cœtibus, qui se Christianos dicunt, revera sinceram Christi doctrinam teneat; hoc enim non nisi ex testimonio veræ Ecclesiæ visibilis certò cognoscere possunt omnes, præsertim illiterati, & rudes.

Inst. 1. S. Augustinus, epist. 166. ait: *In Scripturis didicimus Christum, in Scripturis didicimus Ecclesiam, &c.* Ergo verum Dei verbum est nota Ecclesiæ.

Resp. Nego conseq. Nam solùm vult veras Ecclesiæ notas in Scripturis sacris inveniri, & illas in eis quærendas esse contra hæreticos, qui Scripturam admittunt. Et reipsa veras Ecclesiæ notas ex Scriptura ostendimus. Enim verò S. Doctor pro notis Ecclesiæ, non puram Fidei doctrinam, sed alia assignat, l. contra epistolam Fundamenti, c. 4. ubi ait: *Ut ergo hanc omittam sapientiam, quam in Ecclesia esse Catholica non creditis; multa sunt alia, quæ in ejus gremio me justissimè teneant. Tenet consensio populorum, atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata: tenet ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post Resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum: tenet postremò ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia sola obtinuit, ut cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere. Ista ergo tot & tanta nominis Christiani charissima vincula rectè hominem tenent credentem in Catholica Ecclesia, &c.* Item S. Augustinus ad assequendam puram Fidei doctrinam recurrebat ad Ecclesiæ testimonium; nam cap. sequenti sic ait: *Ego verò Evangelio non crederem; nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret auctoritas.* Et l. 13. contra Faustum, cap. 13. Cathecumenum, nondum valentem discernere veram Christi doctrinam à tot hæresibus ei oppositis, remittit ad Ecclesiam Catholicam.

Inst. 2. Tenere puram Fidei doctrinam est prærogativa veræ Christi Ecclesiæ: ergo est etiam illius nota.

Resp. Nego conseq. Nam non omnis prærogativa solius veræ Ecclesiæ propria est nota veræ Ecclesiæ: quia non omnis prærogativa veræ Ecclesiæ habet omnes conditiones requisitas ad hoc, ut sit ipsius nota. Nam nota veræ Ecclesiæ debet esse aliquid notius, & cognitu facilius, quàm ipsa Ecclesia, magisque accommodatum omni hominum conditioni, ac ingenio, & tam clarè soli veræ Ecclesiæ convenire, ut cœtus hæreticorum, & schismaticorum non possint facilè & impunè illud sibi vindicare. At pura Fidei in omnibus doctrina non est talis: nec scire possumus, quisnam cœtus illam teneat, nisi priùs sciamus, quisnam cœtus sit vera Christi Ecclesia.

Inst. 3. Pura Fidei doctrina saltem secundùm articulos fundamentales sumpta, est nota veræ Ecclesiæ, quamvis non sit, prout sumitur secundùm articulos non fundamentales.

Resp. Nego. Nam hæc opinio vana & absurda repugnat Scripturæ, & Patribus. Ex Scriptura enim, & Patribus hæreticus omnis manifestus est extra veram Christi Ecclesiam; & hoc ipso aliquis est hæreticus, quòd veritatem aliquam à Deo revelatam, & sufficienter propositam ut revelatam à Deo negat pertinaciter, quæcunque sit illa veritas. Hìc sufficiat S. Augustinus qui libro 18. de Civitate Dei, c. 51. ait: *qui ergo in Ecclesia Christi morbidum aliquid, pravumque sapiunt, si correpti ut sanum, rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt, & foras exeuntes habentur in exercentibus inimicis.* Præterea in vera Christi Ecclesia debet esse unitas Fidei & corporis, ut constat ex Scriptura, & Patribus. At non est unitas Fidei, ubi est dissensio circa dogmata Fidei: neque est unitas corporis, ubi membra sese mutuò abscindunt, & excommunicant,

eant, & ubi est defectio à capite ex parte membrorum aliquorum.

Obj. 3. Legitimus usus Sacramentorum est nota veræ Ecclesiæ.

Resp. Neg. Nam nota veræ Ecclesiæ debet esse aliquid, quod aliæ Sectæ non possint sibi facilè & impunè saltem respectu illiteratorum vindicare: item debet esse aliquid magis notum, & cognitu faciliùs, quàm ipsa vera Ecclesia. At verus usus Sacramentorum talis non est: nam 1. Eum sibi facilè & impunè coram rudibus & illiteratis vindicare possunt omnes hæretici, & reipsa sibi vindicant, nisi de falsitate convincantur auctoritate veræ Ecclesiæ per alias notas cognitæ. 2. Legitimus Sacramentorum usus non est magis notus, & cognitu facilior, quàm vera Ecclesia: nam usus ille non potest nobis innotescere, nisi per Scripturam, & Traditionem Apostolicam verè explicatas, quæ quidem ipsæ nobis certò innotescere non possunt, nisi per veram Ecclesiam. Præterea si per legitimum usum Sacramentorum intelligatur usus validus, is potest esse apud puros Schismaticos & Hæreticos, saltem quoad ea, quæ Jurisdictionem non requirunt, quamvis sit eis illicitus. Vera autem Ecclesiæ nota debet illi soli convenire.

Obj. 4. Oratio publica: Psalmorum recitatio: *tribulationes*: *obedientia erga Ministros*: mors tolerata pro doctrina sua, sunt notæ veræ Ecclesiæ. Ergo quatuor allatæ tales non sunt.

Resp. Nego anteced. Nam hæc omnia sunt veræ Ecclesiæ, & hæreticorum Sectis communia; omnes enim hæretici recitant orationem Dominicam & Psalmos, tribulationes patiuntur, suos Ministellos audiunt, eisque parent. Denique multi hæretici ut Montanistæ, Donatistæ, Anabaptistæ, Sociniani & alii de suis Martyribus gloriantur, & (ut notat S. Augustinus) suos diabolus ipse Martyres habet; sed (ut idem S. Doctor rectè docet) non supplicium, sed causa, nempe veræ Fidei defensio, facit Martyrem Dei. Præterea sola Ecclesia Catholica innumerabiles habet Martyres ex omni hominum conditione, ætate, sexu, qui æquo ac hilari animo diriſſima quæque supplicia perpessi sunt, eximiam humilitatem, mansuetudinem, charitatem erga omnes etiam inimicos præ se ferentes.

Inst. Saltem hæc omnia simul sumpta sunt notæ veræ Ecclesiæ.

Resp. Neg. Quia illæ notæ ab hæreticis propositæ, collectivè sumptæ faciunt totum partim improportionatum captui hominum præsertim illitteratorum, partim minus notum quam sit ipsa Ecclesia, partim veræ Ecclesiæ commune cum Sectis hæreticorum, ut ex dictis constat. Unde talis collectio inepta est ad discernendam veram Ecclesiam.

Obj. 5. Patres docent Scripturam esse notam veræ Ecclesiæ. Ergo.

Resp. Nego anteced. Sed solum docent veram Ecclesiam non posse discerni nisi per eas notas, quibus clarè designatur in Scriptura. quales sunt unitas, sanctitas, per orbem diffusio, & Apostolica fundatio, quæ clarè continentur in Scriptura. Et ad has notas provocant hæreticos, qui sacras Scripturas recipiunt.

Observa. Vera Ecclesia aliquas notas habuit in sui exordio, quas nunc non habet; & nunc aliquas habet, quas tunc non habuit. Nam in exordio Ecclesiæ Spiritus Sanctus visibiliter descendebat supra eos, qui ab Apostolis manuum impositione confirmabantur, ut patet ex Act. cap. 8. & non solùm Apostoli, sed etiam alii Fideles frequentissimè miracula patrabant. Nunc autem Spiritus Sanctus non descendit visibiliter supra eos, qui ab Episcopis confirmantur: neque vulgaris est virtus patrandi miracula, licèt idemidem edantur semper in Ecclesia Catholica. In illis autem signis, ac miraculis elucebat Ecclesiæ doctrinæ veritas.

Nunc verò Ecclesia habet aliquas prærogativas, quas in sui exordio non habuit: nempe quòd sit per totum orbem diffusa, non obstantibus omnibus conatibus dæmonum, & hominum tum Ethnicorum & Judæorum, tum Hæreticorum: quòd sit ad nos usque continuata per visibilem, ac perpetuam legitimorum Pastorum successionem, &c. Unde illud omne est nota Ecclesiæ præsentis, ex quo clarè agnosci, & ab aliis Sectis discerni potest, sive illud ei semper, & ab exordio convenerit, sive non: sicut illud omne erat

nota

nota Ecclesiæ nascentis, ex quo agnosci, & discerni clarè poterat, sive illud continuò conservatura erat, sive non.

ARTICULUS XII.

Utrùm Ecclesiæ Romanæ, & quidem soli conveniant notæ veræ Christi Ecclesiæ?

NOta 1. Per Ecclesiam Romanam hìc intelligitur, non particularis Ecclesia, quæ olim fuit, & nunc est Romæ, sed multitudo illa hominum, qui ubique terrarum unam & eandem Fidem profitentur sub uno Pastore universali Romano Pontifice, cui tanquam Capiti visibili Ecclesiæ, ac supremo Christi Vicario, & legitimo Petri Successori adhærent. Ecclesiam autem Romanam sic intellectam opponimus tantùm Sectis, quæ nunc existunt. Nam evidens est, alias Sectas, quæ olim fuerunt, & jam non sunt, vel nondum sunt, sed fortasse erunt, non esse veram Christi Ecclesiam: nam evidenter falsum est, veram Christi Ecclesiam aut jam non esse ampliùs, vel nondum esse.

Nota 2. Ut aliquis cœtus non sit vera Christi Ecclesia, sufficit, si una tantùm ex ejus notis ei non conveniat, siquidem omnes illæ notæ convenire debent veræ Christi Ecclesiæ, ut constat ex Scriptura, & Traditione Patrum.

§. I.

Dico 1. Ecclesia Romana habet omnes notas veræ Christi Ecclesiæ, nempe unitatem doctrinæ Fidei cum principio hujus unitatis: sanctitatem: diffusionem per totum orbem: & Apostolicam fundationem, atque ab Apostolis ad nos usque continuationem per visibilem, ac perpetuam Pastorum successionem.

Prob. per partes. 1. Est Una unitate Fidei cum principio hujus unitatis. Nam 1. omnes, qui sunt in Ecclesia Romana, quamdiu in ea sunt, unam & eandem Fidem profitentur: omnes enim eadem omnino Fidei dogmata tenent: ita ut qui unicum Fidei dogma pertinaciter non crederet, hoc ipso non esset ejus membrum. 2. Omnes, qui sunt in Ecclesia Romana, quamdiu in ea sunt, agnoscunt supremum, ac infallibilem judicem viventem, ac visibilem omnium controversiarum Fidei, nempe corpus primorum Pastorum sive in Concilio congregatorum, sive in sua Sede dispersorum, consistens in Summo Pontifice ejus Capite, & Episcopis ei adhærentibus, seu eorum universitate morali, cujus quidem Judicis definitioni tenentur omnes firmissimè adhærere tanquam regulæ infallibili. Hoc autem est eximium, ac efficacissimum unitatis principium, cùm sit ratio aptissima, & efficacissima ad perfectam in rebus Fidei consensionem habendam, & constanter retinendam: nam qui hunc Judicem agnoscunt, non possunt non consentire in doctrina Fidei: & ii soli in doctrina Fidei inter se dissentiunt, qui hunc rejiciunt, nec dissentiunt, nisi quia rejiciunt. Ergo Ecclesia Romana habet unitatem doctrinæ Fidei, idque per se, necessariò, & essentialiter; cùm essentialiter habeat principium hujus unitatis necessarium, nempe Ecclesiam docentem, seu corpus Episcopale cum suo Capite, quod est infallibilis regula Fidei.

Dices: Theologi Catholici inter se in multis dissident, quæ ad Fidem pertinere videntur.

Resp. Non dissident in iis, quæ sunt de Fide, seu quæ clarè in Scriptura, aut Traditione exprimuntur, vel ab Ecclesia definita sunt. Nam consentiunt in omnibus Fidei dogmatibus, & profitentur se credere, quidquid credit Ecclesia Romana. Unde non dissentiunt inter se nisi de rebus, quæ non sunt de Fide, ac proinde affirmari, vel negari possunt sine ullo Fidei detrimento. Nam inter se dissident tantùm de iis, quæ non sunt satis expressa in Scriptura, & Traditione, nec ab Ecclesia definita, ac proinde nondum sunt Fidei dogmata: atque ita in iis inter se dissident, ut omnes parati sint acquiescere judicio Ecclesiæ, ubi primùm has controversias definierit. Interim Ecclesia parti utrique graviter prohibet, ne una alteram hæreticam censeat, sicque omnes in unitate Fidei, & pace continentur.

II. Ecclesia Romana est Sancta. Nam vitia omnia, & peccata vel levissima damnat, & ab eis avertit: virtutes omnes commendat, & ad earum omnium exercitium accendit: motiva efficacissima ad vitandum quodvis peccatum vel levissimum, & ad virtutes omnes vel præstantissimas constanter exercendas proponit, mediaque aptissima suppeditat. Et vero

omnes, qui doctrinæ Ecclesiæ Romanæ se studeant conformare, morum puritate, vitæ sanctitate, & virtutibus omnibus elucent: quales olim primis Ecclesiæ sæculis fuere innumeri Episcopi, Presbyteri, Martyres, Monachi, ac Moniales, & Laici sæculares Ecclesiæ Romanæ alumni: & nunc etiam extant plurimi utriusque sexus homines, Episcopi, Presbyteri, Clerici, Religiosi, Moniales, Laici sæculares, quos Ecclesia Romana sinu suo fovet, doctrinæ suæ pabulo nutrit, legibus, ac Conciliis suis dirigit ad constantem præceptorum omnium, & consiliorum Evangelicorum observationem, atque ad perfectissimum Dei amorem, virtutumque omnium exercitium informat, atque promovet, Sacramentisque suis adjuvat. Quod si multi in Ecclesia Romana malè vivant, hoc ipsorum malitiæ, non ipsi Ecclesiæ Romanæ adscribendum est: nam non malè vivunt ex ductu doctrinæ Ecclesiæ Romanæ: imò ideo malè vivunt, quia doctrinam ejus non sequuntur ducem.

III. Ecclesia Romana est Catholica, seu toto orbe noto, moraliter loquendo, diffusa est: ita ut nationibus omnibus nota sit, & eam omnes possint ingredi. Nam Ecclesia Romana floret in Italia, Gallia, Hispania, Lusitania, Germania, Hungaria, Polonia, America, &c. in reliquis verò mundi regionibus, ut in Anglia, Hollandia, partibus Septentrionalibus, Græcia, Syria, Palæstina, Ægypto, Africa, Armenia, Persia, Asia, Indiis, variis Oceani Insulis, Sinarum Imperio, &c. habet cultores suos magno numero, & zelo, atque laboribus suorum alumnorum in variis Infidelium terris indies propagatur, & incrementa accipit. Quæ quidem omnia ita certa sunt, & explorata, ut à nemine negari possint.

Et verò Ecclesia Romana non minorem nunc habet extensionem, ac diffusionem, quam habebat tempore S. Augustini, qui passim contra Donatistas asserit Ecclesiam illam esse per totum orbem diffusam juxta Prophetarum, & Christi oracula, diffusione scilicet morali. Dixi eam florere in America: nam in sola parte Americæ Hispanis subjectæ longè plures numerantur Catholici ex gente Paganorum, quàm sint Lutherani & Calvinistæ.

Præterea Ecclesia Romana eo tempore, quo Lutherus & Calvinus, & alii recentiores Hæresiarchæ dogmaticare cœperunt, vocabatur Ecclesia Catholica, & revera erat. Ergo Ecclesia Romana eo tempore, quo Lutherus & Calvinus ab ea defecerunt, erat vera Ecclesia. Ergo Lutherus & Calvinus, eorumque Sectatores à vera Ecclesia defecerunt, cùm defecerunt ab Ecclesia Romana: & cùm ab ea damnati, & anathematizati sunt, damnati, & anathematizati sunt à vera Ecclesia. Ergo illi Hæresiarchæ extra veram Ecclesiam fuerunt, & sunt omnes eorum Sectatores.

Porro vera Christi Ecclesia est Catholica relatè ad omnes alias Sectas, quæ Christiano nomine gloriantur. Nam est magis diffusa, quàm quælibet alia Secta seorsim sumpta, quamvis sit etiam Catholica absolutè.

IV. Ecclesia Romana Apostolica est, seu ab Apostolis fundata est. Nam 1. Id expressè docent Patres, ut Irenæus l. 3. c. 3. ubi Romanorum Pontificum à B. Petri tempore ad sua usque tempora successionem referens, sic ait: *fundantes igitur & instruentes Beati Apostoli Ecclesiam, Lino Episcopatum administrandæ Ecclesiæ tradiderunt.... succedit autem ei Anacletus, post eum tertio loco ab Apostolis Episcopatum sortitur Clemens*, &c. Tertull. l. de **præscript.** suprà cit. Hieron. in dialogo contra **Luciferianos.** *Brevem tibi apertamque animi mei sententiam proferam, in illa esse Ecclesia* (Romana) *permanendum, quæ ab Apostolis fundata usque ad diem hanc durat.* S. August. l. de utilitate credendi, c. 17. *Dubitabimus nos ejus Ecclesiæ condere gremio, quæ ab Apostolica Sede per successiones Episcoporum, frustra hæreticis circumlatrantibus, culmen auctoritatis obtinuit?* &c. 2. Quia Ecclesia Romana post Christi, & Apostolorum tempora non est exorta, per insignem scilicet mutationem aliquam Religionis post Apostolorum tempora factam, quæ Ecclesiam Romanam peperit. Nam (ut rectè notat, & ostendit Bellarm. l. 4. de notis Ecclesiæ, c. 5.) in omni notabili mutatione Religionis facta post Apostolorum tempora, ista sex semper demonstrari possunt: videlicet ejus mutationis auctor: novum aliquod

quod dogma: tempus quo cœpit: locus ubi cœpit: quis illud oppugnavit: & exiguus aliquis cœtus, unde aliis paulatim accedentibus cœperit: ut patet in Arianiſmo, Pelagianiſmo, Neſtorianiſmo, Eutychianiſmo, Lutheraniſmo, Calviniſmo, & de omnibus aliis Sectis, quæ unquam extiterunt, oſtendi facilè poteſt. At nihil eorum de Eccleſia Romana oſtendi potuit, nec poteſt ab ejus inimicis.

1. Enim non poteſt nobis objici aliquis homo particularis tanquam Sectæ noſtræ auctor. Unde nec hæretici nos cognominant ab aliquo particulari homine, quod tamen libentiſſimè facerent, ſi poſſent. Equidem recentiores hæretici nos appellant Papiſtas, Pontificios, Romanos, Romanenſes. Sed iſta omnia non ſunt derivata ab aliquo particulari homine, qui fuerit auctor novæ Sectæ & Hæreſiarcha; nil enim aliud ſignificant, quàm homines communicantes cum Romano Pontifice, eique ut Capiti viſibili Eccleſiæ, & ſupremo Chriſti in terris Vicario ſubjectos: quales certè fuerunt Patres omnes quinque priorum ſæculorum, ut Irenæus, Baſilius, Athanaſius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, &c. qui tam fuerunt Papiſtæ, Romani, Romanenſes, quàm nos ſumus. Quare hæretici coguntur agnoſcere nos in eadem communione eſſe, in qua fuerunt Patres antiqui, quos in vera Eccleſia fuiſſe negare non poſſunt: ideoque agnoſcere vel inviti coguntur, nos eſſe in vera Eccleſia. Jam verò præter Papiſtarum, & Romanorum cognomen non habent aliud, quo, ſi velint intelligi, nos appellare poſſint, niſi Catholicorum, quod ſolùm cognomen (ut obſervant Patres, & imprimis S. Auguſtinus) eſt ſufficiens vera Chriſti Eccleſiæ nota.

2. Oſtendere non potuerunt, nec poſſunt hæretici primam poſt Apoſtolorum tempora originem dogmatum noſtrorum ab ipſis impugnatorum, quæ quidem in ſcriptis antiquiſſimorum Patrum inveniuntur. Et ex omnibus cujusque ſæculi hæreſibus nullam annotare poſſunt à Pontificibus Romanis excogitatam, ſed potiùs hæreſes omnes ab illis damnatas eſſe fateri coguntur.

3. Aſſignari non poteſt tempus, neque locus, quibus Eccleſia Romana à vera Fide defecit. Quod enim dicunt *hæretici*, Sectam noſtram poſt quintum ſæculum invaleſcere cœpiſſe, apertè mentiuntur. Nam Gregorius Magnus, qui poſtea floruit, communicabat cum toto orbe Chriſtiano, ut ex ejus epiſtolis ad omnes regiones miſſis patet: & poſt ejus obitum celebratum eſt in Orientali Eccleſia Concilium ſextum generale ab ipſis hæreticis receptum, cui præſidebant Legati Romani Pontificis. Unde patet, omnes Eccleſias Orientales & Occidentales cum Romano Pontifice ut membra cum capite tunc unitas fuiſſe. Nec dic defectionem noſtram à vera Fide paulatim factam eſſe, ideoque deſignari non poſſe tempus & locum: nam nulla hæreſis tota ſimul in corpus coaluit, aut Sectam aliquam conſtituit; ſed omnes paulatim factæ ſunt, & creverunt: & tamen earum tempus & locus facilè aſſignari poſſunt.

4. Oſtendere non poſſunt hæretici, quis Eccleſiam Romanam tanquam Sectam recens ortam primus oppugnavit, aut quæ Concilia contra illam celebrata fuerint, quæ dogma recens ortum in ea damnarint. Equidem Synodus Conſtantinopolitana ſub Copronymo damnavit cultum Imaginum, quem defendebat Eccleſia Romana; ſed fuit merum Conciliabulum, à Summo Pontifice, & à longè pluribus Epiſcopis reprobatum: nec damnavit dogma recens exortum, ſed antiquiſſimum, & in tota Eccleſia receptum.

5. Denique nunquam oſtendere poſſunt hæretici, quòd Eccleſia Romana ab alia majore ſe ſeparaverit: ita ut aliquando Romanæ Eccleſiæ alumni fuerint pauciſſimi, cæteri verò Chriſtiani longè plures. Et verò ineunte ſeptimo ſæculo, quo tempore plerique hæretici dicunt inſignem mutationem Religionis factam eſſe, Eccleſia Romana communicabat cum toto ferè orbe Chriſtiano, ut conſtat ex epiſtolis Gregorii Magni, qui (ut patet ex ejus ſcriptis) tenebat omnia noſtra dogmata.

Neque putidè mentiantur Magdeburgenſes, aſſerendo Papam ſeptimo ſæculo mutatum fuiſſe in Anti-Chriſtum; quia tunc obtinuit à Phoca Imperatore, ut Romanus Epiſcopus vocaretur Caput Epiſcoporum, & falſorum Deorum cultum inſtauravit Pantheon aperiendo.

Nam 1. longè ante Phocam Concilium Chalcedonenſe generale in epiſtola Synodica ad Leonem Magnum appellavit illum caput omnium Epiſcoporum. Nec idcirco Leo Magnus factus eſt Anti-Chriſtus, ut fatentur adverſarii: & antea Patres Concilii Epheſini in ſententia depoſitionis Neſtorii Cœleſtinum Papam vocaverant Patrem ſuum, cui obedientiam debere ſe agnoſcunt. 2. Pantheon initio ſæculi ſeptimi à Bonifacio IV. conſecratum fuit Deo in memoriam B. Virginis, & Sanctorum omnium. Sed jam antea Romæ, & in toto orbe Chriſtiano fuerunt Templa ſub nomine multorum Sanctorum. Et verò Sylveſter I. Baſilicas à Conſtantino Magno Romæ ædificatas ſub invocatione SS. Petri & Pauli, B. Agnetis, B. Laurentii Deo conſecravit. 3. Concilio generali ſexto ſub finem ſæculi ſeptimi celebrato, quod ſanctum, ac legitimum fuiſſe agnoſcunt ipſi Magdeburgenſes, præſedit Romanus Pontifex Agatho per Legatos, & ejus ſententiam per illos, & per ſuas epiſtolas explicatam unanimi omnium Epiſcoporum conſenſu amplexum eſt, ut ex Actis Concilii liquet, & fatentur Centuriatores ipſi. Ex quo patet Romanum Epiſcopum non fuiſſe mutatum in Anti-Chriſtum initio ſeptimi ſæculi: alioqui Anti-Chriſtus Concilio generali ſancto, ac legitimo præſediſſet, & univerſa Eccleſia Anti-Chriſtum Caput ſuum agnoviſſet.

Non ſolùm Eccleſia Romana ab Apoſtolis fundata fuit, ſed etiam à tempore Apoſtolorum hactenus absque ulla interruptione viſibiliter perſeveravit. Nam duravit à tempore Apoſtolorum uſque ad Gregorium Magnum, ut oſtenſum eſt: neque poteſt oſtendi ulla mutatio Religionis facta uſque ad illud tempus: & à tempore Gregorii Magni huc uſque ſine interruptione duravit, ut facilè oſtendi poteſt, & fatentur adverſarii. Præterea Eccleſia Romana nullum unquam novum dogma doctrinæ Apoſtolicæ contrarium amplexa eſt: & nunc eadem omnino dogmata tenet, quæ tenuerat omnibus ſæculis uſque ad primum ſæculum. Nam omnium ætatum Patres eadem dogmata tenuere, quæ nunc tenet, ut demonſtrant Doctores Catholici, & præſertim Bellarminus in ſuis Controverſiis. Imò hoc ingenuè fatentur Lutherus, Calvinus, & alii Sectarii, qui idcirco Patres contemnunt.

His adde, quòd Eccleſia Romana habeat ſucceſſionem Epiſcoporum ab Apoſtolis huc uſque ſine interruptione viſibiliter continuatam. Nam habet ſucceſſionem Epiſcoporum univerſalium, hoc eſt, Romanorum Pontificum à S. Petro uſque ad Clementem XII. qui nunc ſedet, viſibiliter, & ſine interruptione continuatam. Quod ita certum & evidens eſt, ut nemo etiam hæreticorum id negare auſus fuerit. Et Et verò Irenæus, l. 3. c. 3. Euſebius, in Chronico: Hieronymus & Proſper, in Continuatione Euſebii: Epiphanius, hæreſi 27. Optatus Milev. l. 2. contra Parmenion. Auguſtinus, epiſt. 165. catalogum Romanorum Pontificum diligenter texuerunt à S. Petro uſque ad eum, qui illorum tempore ſedebat. Quod idem poſtea alii Auctores diligenter proſecuti ſunt, & imprimis Labbæus noſter. Eccleſiæ verò particulares habent ſucceſſionem Epiſcoporum ſine interruptione vel ab aliquo Apoſtolorum diſcipulo, vel ab alio à Romano Pontifice Petri Succeſſore miſſo. Unde nemo eſt in Eccleſia Romana Paſtor, qui ſuam miſſionem non habeat ſaltem mediatè ab Apoſtolis. Nam nullus eſt Paſtor etiam inferior, qui jurisdictionem ſuam & ordinationem demonſtrare non poſſit ab Epiſcopo ſuo particulari uſque ad Summum Pontificem tunc regentem Eccleſiam, & ab hoc Pontifice uſque ad S. Petrum.

§. II.

Dico 2. Notæ veræ Eccleſiæ ſoli Eccleſiæ Romanæ conveniunt.

Prob. per partes. 1. Sola Eccleſia Romana habet unitatem doctrinæ cum principio hujus unitatis. Nam nullus præter illam cœtus, qui ſe Chriſtianum dicit, habet principium unitatis, quod eſt agnoſcere ſupremum & infallibilem Judicem viſibilem omnium controverſiarum Fidei, cujus judicio in rebus omnibus ad Fidem & Religionem pertinentibus teneantur omnes acquieſcere. Imò omnes aliæ ſectæ habent principium diſſenſionis, & diverſitatis in doctrina Fidei; nam omnes habent pro ſuprema Fidei regula Scripturam ſacram ſpiritu privato intellectam, ſeu ſpiritum privatum, quem

quem internam Spiritus Sancti perſuaſionem falsò appellant, ſive (quod in idem recidit) Scripturam lumine interno cuique privato dato, intellectam, quod lumen dicunt eſſe à Spiritu Sancto. At ſpiritus ille privatus, ſive Scriptura ſpiritu illo privato, vel lumine cuique privato dato, quod prætendunt eſſe à Spiritu Sancto, intellecta, eſt per ſe fons diſſenſionis, & diſcordiarum, & tendit in merum fanatiſmum. Unde etiam hæretici, qui ſpiritum illum privatum, ſeu Scripturam ſpiritu privato, vel lumine cuique privato dato intellectam ut regulam Fidei admittunt, inter ſe de dogmatibus Fidei diſſentiunt. Quòd ſi aliqui eadem dogmata tenent, id fit fortuitò, ac contingenter, & ob aliquod motivum humanum.

Dices Calviniſtæ volunt Synodorum judicio acquieſcere omnes debere. Nam in Synodo Dordrechtana id æquivalentibus verbis Gomariſtæ dixerunt, & Arminianos, ſeu Remonſtrantes Synodi ſententiæ acquieſcere nolentes, excommunicarunt, & graviſſimè multarunt.

Reſp. 1. Gomariſtæ in Dordrechtana Synodo non agnoſcunt principium unitatis ſufficiens; quia non dicunt in rebus Fidei Synodi nationalis ſententiæ acquieſcendum eſſe tanquam judicio infallibili & irreformabili. Nam nemo ſine abſurditate dicere poteſt Synodum nationalem, qualis fuit Dordrechtana, habere ſupremam & infallibilem auctoritatem decidendi res Fidei. Et hæc opinio eſſet diviſionis, non unitatis principium: nam ſi duæ diverſarum nationum Synodi contraria definirent, ut fieri poteſt, tunc neceſſariò fieret diviſio in doctrina Fidei. Deinde ipſi non agnoſcunt controverſiarum Judicem ſemper viſibilem & ſubſiſtentem, cujus judicio omnes etiam extra Concilium acquieſcere debeant.

2. Si Gomariſtæ agnoſcunt auctoritatem infallibilem Synodi generalis, cujus definitioni omnes acquieſcere debeant, manifeſtè diſſentiunt à Calvino, qui Conciliorum generalium definitiones in rebus Fidei ſubjicit examini privatorum hominum, ut patet ex lib. 4. Inſtit. cap. 9. Diſſentiunt etiam à Luthero in quingentis Articulis à Cochlæo collectis. Ergo jam agnoſcunt ſuos Patriarchas erraſſe in re capitali, nempe in regula Fidei, ſine qua unitas in doctrina Fidei, ideoque Eccleſia ipſa ſubſiſtere nequit.

3. Gomariſtæ cùm in ſua ſententia Synodica agnoſcunt ſtandum eſſe judicio Synodorum in rebus Fidei, hoc ipſo & ſe ipſos, & ſuam ſectam damnant. Nam ſic argumentor. Calviniſtæ Gomariſtæ in Synodo Dordrechtana agnoſcunt ſuo facto, & ſua ſententia Synodica omnes teneri acquieſcere judicio Synodi Eccleſiæ, cujus erant membra ante exortam controverſiam: & ante exortas Fidei controverſias in Gallia Calvinus, & ſaltem primi ejus Sectatores erant membra Eccleſiæ Romanæ: nam in ea baptizati, & educati fuerunt. Ergo Calvinus, & ſaltem primi ejus Sectatores debuerunt acquieſcere judicio Concilii generalis Eccleſiæ Romanæ, nempe Concilii Tridentini eorum doctrinam damnantis ut hæreticam, & ſuam illam doctrinam damnare ut hæreticam. Ergo etiam eandem doctrinam Calvinianam à Concilio Tridentino damnatam damnare debent omnes Calviniſtæ; tum quia per Baptiſmum fiunt ſubjecti Eccleſiæ Romanæ: tum quia doctrina Calvini juſtè damnata fuit; ſiquidem Calvinus debuit judicio Concilii Tridentini eam damnantis acquieſcere: tum quia Calviniſtæ non habent majus jus ſequendi doctrinam Calvini, quàm ipſe Calvinus habuerit.

Porro Gomariſtæ nihil contra legitimam convocationem, celebrationem, & ſententiam Concilii Tridentini opponere poſſunt, quod contra legitimam convocationem, celebrationem & ſententiam Synodi Dordrechtanæ opponere non potuerint Arminiani, qui nihilominus Synodi Decretis acquieſcere compulſi ſunt ſub graviſſimis pœnis.

II. Sola Eccleſia Romana eſt Sancta. Nam omnes aliæ Sectæ, quæ nunc exiſtunt, & ſe Chriſtianas vocitant, aliqua docent ſanctitati contraria, & quæ per ſe ſunt principium corruptelæ morum: cujusmodi ſunt, extinctum eſſe hominis liberum arbitrium, ſicque homines ad bonum & ad malum, quod agunt, inſuperabiliter neceſſitari, ita ut qui peccant, à peccato abſtinere non poſſint: homines ſola fide juſtificari: non imputari hominibus peccata

etiam graviſſima, modò firmiter credant vel confidant illa ſibi propter Chriſtum eſſe remiſſa: Dei præcepta eſſe impoſſibilia: &c. quæ omnia flagitiis omnibus viam aperiunt. Quòd ſi qui inter hæreticos bene moraliter vivant, id adſcribendum eſt, non doctrinæ quam profitentur, ſed Deo protegenti bonam indolem eis donatam, & impedienti ne falſa illa doctrina corrumpantur. Præterea nullus ex hæreticis notabili tempore vivit ſine aliquo peccato mortali ſaltem interno, à quo juſtificari non poſſunt defectu veræ Fidei per hæreſim amiſſæ.

III. Sola Eccleſia Romana eſt Catholica, hoc eſt, toto orbe noto diffuſa moraliter. Nam ex omnibus aliis Sectis, quæ Chriſtiano nomine gloriantur, nulla eſt, quæ non unius, aut alterius regionis finibus contineatur, ut evidens eſt: & fatentur ipſi hæretici, qui ideo Catholicæ Eccleſiæ nomen relinquunt Eccleſiæ Romanæ, nec illud ſibi adſcribere audent niſi fortè apud ſuos.

IV. Sola Eccleſia Romana Apoſtolica eſt: nam omnes aliæ Sectæ, quæ nunc extant, & Chriſtianæ vocantur, pluribus poſt Apoſtolos ſæculis exortæ ſunt, ut teſtantur hiſtoriæ certiſſimæ. Scimus quem auctorem habuerunt: quos errores invexerunt: in quo loco, quo tempore illi ſpargi cœperunt: à quibus ſtatim oppugnati fuerint: quàm exiguus initio fuerit eorum Sectatorum numerus. Quis iſta omnia de Lutheranorum, v. gr. Calviniſtarum, Janſeniſtarum Secta ignorat? Unde nulla hæreticorum Secta eſt ab Apoſtolis Chriſti.

Ex dictis collige Eccleſiam Romanam ſolam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, cùm ei ſoli conveniant caracteres, ac notæ veræ Chriſti Eccleſiæ. Et ne ſit quæſtio de voce, certum eſt ex Scriptura veram Chriſti Eccleſiam eſſe Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam: & patet ſolam Romanam Eccleſiam eſſe talem. Præterea Eccleſia Romana fatentibus ipſis Lutheranis, & Calviniſtis fuit aliquamdiu vera Chriſti Eccleſia, nempe totis quinque prioribus ſæculis. Ergo etiam nunc eſt vera Chriſti Eccleſia: nam vera Chriſti Eccleſia eſt viſibilis, perpetua & indefectibilis, ut ſuprà oſtenſum eſt. Denique in Eccleſia Romana & quidem ſola ſæpiſſimè & ſingulis ætatibus patrata ſunt ab ejus cultoribus miracula teſtatiſſima, & quæ nemo niſi imprudentiſſimè negare poteſt. At miracula ſunt certiſſimum indicium veritatis. Nam ſunt opera divina, creaturarum omnium vires ſuperantia, quorum proinde Deus ſolus auctor eſſe poteſt. Unde quod miraculo aliquo confirmatur, à Deo, qui falſum teſtari nequit, confirmatur, proindeque tam repugnat eſſe falſum, quàm repugnat Deum mentiri: nec refert, ſive miracula illa fiant directè ad confirmandam Fidem, ſive ad oſtendendam alicujus eximiam ſanctitatem: nam perinde valent ad probandam veritatem Eccleſiæ in qua fiunt; cùm enim vera ſanctitas eſſe nequeat ſine vera Fide, hoc ipſo quòd miraculo aliquo vera alicujus ſanctitas probatur, probatur quoque ejus vera Fides.

Porro hìc ſufficiant miracula à ſancto Xaverio Romani Pontificis Legato in Indiis patrata, qui Fidem Romanam Indis prædicavit, & ad eam ingentem illorum multitudinem convertit, veritatem ejus confirmando multis, evidentibusque miraculis. Quæ quidem omnia ita nota, & explorata ſunt, ut à nemine niſi ſtultiſſimè in dubium revocari poſſint.

Quæres 1. *Utrùm ſit de Fide hanc numero Eccleſiam Romanam, quam nunc regit Clemens XII. eſſe veram Chriſti Eccleſiam?*

Reſp. Affirm. Nam illud eſt de Fide, quod virtualiter & æquivalenter revelatum eſt à Deo. At virtualiter & æquivalenter Deus revelavit hanc numero Eccleſiam Romanam, quæ nunc exiſtit, eſſe veram Chriſti Eccleſiam. Ergo hoc eſt de Fide, & conſequenter credi poteſt & debet. *Prob. min.* Nam (ut ſuprà oſtenſum eſt) Deus revelavit veram Chriſti Eccleſiam viſibilem perpetuam fore, eamque Unam, Sanctam, Catholicam & Apoſtolicam eſſe. At hoc revelando, virtualiter & æquivalenter revelavit, & hanc, & iſtam, & illam numero Eccleſiam quæ exiſtit, & ſola eſt Una, Sancta, Catholica & Apoſtolica, eſſe veram Chriſti Eccleſiam viſibilem; præſertim cùm Deus, revelando veram Chriſti Eccleſiam viſibilem perpetuam fore, eamque Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam eſſe, diſtinctè cognoſceret, quænam numero Eccleſia ſingulis ætatibus

talis

talis foret. Præterea Ecclesiam Romanam, quæ nunc existit, esse veram Ecclesiam, tenemur credere; nam unus est Symboli, quod in Ecclesia recitatur, Articulus, quo nempe dicitur, *& Unam, Sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam:* quibus verbis nobis proponitur Ecclesia, non abstractè, confusè, & generaliter, sed Ecclesia, quam ingredi, quam audire, cui obedire debemus, ideoque hæc numero Ecclesia, quam videmus, & quæ est Una, Sancta, Catholica, & Apostolica. Denique determinatè credere debemus hanc ipsam doctrinam ab ipsa Ecclesia vera traditam, esse veram. Ergo.

Quæres 2. *Utrùm quis salvari possit extra Ecclesiam Romanam?*

Resp. Negativè. Nam ex dictis patet solam Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam. At nemo salvari potest extra veram Christi Ecclesiam, ut constat ex perpetua, & constanti Traditione: ex sensu omnium cujusvis ætatis Fidelium: & ex unanimi Patrum consensu. Hìc sufficiant S Augustinus epist. 152. ab eo, & à multis Episcopis de Concilio Cirtensi ad Donatistas scripta, in qua dicitur: *Quisquis ergo ab hac Catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod à Christi unitate disjunctus est, non habet vitam; sed ira Dei manet super illum.* Et l. 4. de Symbolo ad Cathecumenos, c. 13. S. Doctor sic ait: *Si quis absque ea* (Ecclesia Christi) *inventus fuerit, alienus erit à numero filiorum: nec habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere Matrem.* Et S. Fulgentius, l. de Fide ad Petrum, c. 39. ubi ait: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, quemlibet hæreticum, sive schismaticum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizatum, si Ecclesiæ Catholicæ non fuerit aggregatus, quantascunque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus posse salvari.* Accedit definitio Concilii generalis Lateranensis quarti, c. 1. *Una est Fidelium universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur.* Ratio est, quia salus non obtinetur nisi per veram Fidem, sine qua (ut ait Apostolus) impossibile est placere Deo, ideoque salvari. Et verò si salus obtineretur per Fidem datam doctrinæ adulteratæ, Christus non monuisset: *Attendite à falsis Prophetis: videte, ne quis vos seducat.*

Sicut ergo membrum, quod non manet in corpore, vitam habere non potest: sicut ramus ab arbore præcisus non potest germinare, sed statim arescit: ita pereat necesse est, qui separatus est à Romana Ecclesia, quæ sola est vera Christi Ecclesia, & in qua sola est vera Fides.

CAPUT IV.

De Conciliis Generalibus.

CConcilium, quod græcè Synodus dicitur, congregationem Episcoporum propriè significat. Dividitur in Generale, seu Oecumenicum, Nationale, & Provinciale. Concilium Generale est illud, ad quod convocantur Episcopi totius orbis Christiani, & cui interesse debent, nisi legitimè impediantur: unde dicitur Oecumenicum, id est, orbis terræ Concilium. Nationale est illud, cui interfunt Archi-Episcopi unius regni, vel nationis: Ejusmodi Concilia aliquando Generalia seu Plenaria, & Provincialia appellantur, quamvis ab utrisque propriè loquendo differant. Provinciale est illud, cui interfunt Episcopi unius Provinciæ: Concilio nationali præest Patriarcha, vel Primas: Provinciali Archi Episcopus, nisi summus Pontifex, vel ejus Legatus præsideat. Præterea Synodus sed impropriè dici solet Presbyterorum unius Episcopatus Conventus, cui præest Episcopus. *Concilia aliqua sive Generalia, sive Particularia sint, omnino necessaria esse ad bonam Ecclesiæ gubernationem, vix in quæstionem revocari posse non dubito,* inquit Bellarminus, & probat, quia Concilium magnum aut parvum, unum aut multiplex est medium ordinarium à Christo ad unionem membrorum Ecclesiæ, ad Fidei, ac morum puritatem, & unitatem servandam institutum; ut constat tum ex facto Apostolorum, qui controversiam de Legalibus Antiochiæ exortam non nisi in Concilio definire voluerunt, Act. c. 15. tum ex perpetua consuetudine Ecclesiæ, quæ ad extinguenda schismata, profligandas hæreses, abusus corrigendos, mores emendan-

landos, Episcoporum Concilia semper adhibuit, tum ex praxi perpetua Summorum Pontificum, qui nullam unquam hæresim sine Concilio damnarunt.

ARTICULUS I.

Cujus sit convocare Concilia Generalia.

Nota. Consentiunt omnes, etiam hæretici, Concilium Nationale à Patriarcha vel Primate, Provinciale ab Archiepiscopo, & Synodum Diœcesanam ab Episcopo convocari debere. At de Concilio Generali controversia est: nam hæretici illud convocandi munus Imperatori attribuunt. Catholici verò omnes contendunt hanc auctoritatem ad Romanum Pontificem pertinere; sic tamen, ut possit etiam alius de Pontificis mandato vel consensu Concilium indicere: imò sufficiat, si indictionem factam ab alio ipse postea approbet vel confirmet.

Dico. Munus convocandi Concilium Generale pertinet ad Romanum Pontificem. Ita omnes Catholici.

Prob. 1. Ex Concilio Chalcedonensi, act. 1. ubi Dioscorus Alexandrinus jubetur non sedere inter Episcopos, id postulante Lucentio Legato S. Leonis; *quia* (inquit) *præsumpsit & Synodum* (Generalem) *ausus est facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* Nemo Episcoporum contradixit, & Dioscorus non cum Episcopis, sed in medio sedere jussus est à Magistratibus, qui nomine Imperatoris aderant, ut Concilium defenderent, & ordinem tuerentur.

Prob. 2. Ex Concilio Romano III. in causa Symmachi Papæ congregato, in quo Episcopis à Theodorico congregatis, dicentibus synodum à Symmacho ipso convocari debuisse propter Petri Principatum, Theodoricus *ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam litteris demonstrasse significavit.* Episcopi verò non acquieverunt, nisi postquam Rex litteras Pontificis protulit.

Prob. 3. Ex Pelagio II. in epist. ad Orientales Episcopos, ubi sic ait: *relatum est ad Apostolicam Sedem Joannem Constantinopolitanum Episcopum universalem se subscribere, vosque ex hac sua præsumptione ad Synodum convocare generalem, cùm generalium Synodorum convocandi auctoritas Apostolicæ Sedi Beati Petri singulari privilegio sit tradita, & nulla unquam Synodus rata legatur, quæ Apostolica auctoritate non fuerit fulta, quapropter quidquid in prædicto vestro conventiculo... statuistis, ex auctoritate S. Petri Apostolorum Principis... præcipio omnia quæ ibi statuistis, & vana, & cassata esse.*

Prob. 4. Ratione Theologica. Ad illum pertinet munus convocandi Concilia Generalia, qui à Christo constitutus est supremus totius Ecclesiæ Pastor & Rector. Atqui Romanus Pontifex à Christo constitutus est supremus totius Ecclesiæ Pastor & Rector, juxta illud Christi, Joann. c. 21. *pasce agnos meos, pasce oves meas*: & constat etiam ex Traditione. Ergo ad Romanum Pontificem pertinet munus convocandi Concilia Generalia. *Major* patet, nam illius est convocare Concilia Generalia, cujus est communi totius Ecclesiæ bono providere, quique supremam in tota Ecclesia auctoritatem habet. Siquidem Concilia Generalia convocantur ad providendum communi totius Ecclesiæ bono: & ad ea convocantur Episcopi totius orbis Christiani sic, ut eis interesse debeant, secluso legitimo impedimento: At supremi totius Ecclesiæ Pastoris & Rectoris est providere communi totius Ecclesiæ bono. Ergo illius est convocare Concilia Generalia, qui à Christo constitutus est supremus totius Ecclesiæ Pastor & Rector.

Obj. 1. Priora Concilia Generalia, non à Romanis Pontificibus, sed ab Imperatoribus convocata fuere. Nam Nicænum I. à Constantino Magno: Constantinopolitanum I. à Theodosio Magno: Ephesinum à Theodosio Juniore: Chalcedonense à Marciano convocatum est. Ergo munus convocandi Concilia Generalia, non ad Romanum Pontificem sed ad Imperatorem pertinet.

Resp. Equidem Concilia quædam Generalia ab Imperatoribus convocata fuerunt, sed Romanis Pontificibus convocationi consentientibus, aut saltem convocationem postea ratam habentibus & confirmantibus, & per hunc solum consensum illa Concilia legitimè

mè convocata fuere. Imperatores autem Concilia convocabant ut Protectores Ecclesiæ, & ex assensu saltem tacito & prudenter præsumpto Summi Pontificis.

Ad 1. *Resp.* Sylvester Papa si Concilium Nicænum non convocavit, at certè ejus convocationi consensit, eamque ratam habuit & confirmavit, ut patet ex eo quòd duos Legatos Vitum & Vincentium Roma Nicæam miserit, qui unà cum Osio Cordubensi ejus nomine Concilio præsiderent. Unde Concilium generale sextum, actione 18. in sermone acclamatorio ait: *Constantinus semper Augustus, & Sylvester laudabilis magnam atque insignem in Nicæa Synodum congregabant.* Sed diverso modo congregabant: Constantinus ut Protector Ecclesiæ, & suppeditans sumptus necessarios; Sylvester verò ut supremus Ecclesiæ Pastor ac Rector, reddens Synodum legitimam.

Ad 2. *Resp.* Concilium Constantinopolitanum à Theodosio convocatum, non fuit per se Concilium Oecumenicum, seu totius orbis, sed solius Orientis Synodus, cui intererant tantùm 150. Episcopi Orientales. Neque Concilii Generalis auctoritatem obtinuit, nisi cùm Damasus Papa cum Occidentis Concilio Romæ celebrato eadem circa Fidem sancivit, quæ anno superiore ab Orientali illo Concilio sancita fuerant: atque ita Concilium Constantinopolitanum, quod primùm fuit Concilium solius Orientis, postmodum accedente Damaso cum Concilio Occidentis, totius orbis Christiani seu Oecumenicum Concilium factum est.

Ad 3. *Resp.* Convocationem Concilii Ephesini à Theodosio Juniore factam approbavit & confirmavit Cælestinus I. ut patet tum ex eius ad Theodosium epistola: tum ex eo quòd tres Legatos, qui cum Cyrillo Alexandrino nomine ipsius Concilio præsiderent, miserit: tum etiam ex ipso Concilio Ephesino relatione ad Imperatorem missa, act. 3. ubi ait: *antequam hæc sanctissima Synodus conveniret, Cælestinus sanctissimus magnæ Romæ Episcopus per litteras suas indicaverat, Cyrilloque sanctissimo, ut suas vices subiret, commiserat.*

Ad 4. *Resp.* Marcianus quidem Concilium Chalcedonense convocavit, sed expetito priùs consensu Romani Pontificis, ut patet ex litteris ipsius Marciani & Pulcheriæ Augustæ ad S. Leonem. Et S. Leo, quamvis Concilium in Occidente celebrari præoptaret, convocationi tamen à Marciano factæ consensit, ut patet ex ejus epist. 43. & 50. ad Marcianum: & Legatos, qui suo nomine Concilio præsiderent, misit, ut patet ex actis Concilii, & ex epist. 49. ipsius Leonis ad Marcianum, ubi ait: *prædictum fratrem* (Paschasinum) *vice mea Synodo convenit præsidere.*

Porro Julius consensit convocationi Sardicensis Concilii à Constante & Constantio factæ: nam ad illud Legatos misit: ut constat ex apologia 2. S. Athanasii.

Obj. 2 Romani Pontifices aliquando rogarunt Imperatores, ut Concilia convocarent. Ergo jus convocandi Concilia ad Imperatores pertinet.

Resp. Nego conseq. Quamvis igitur munus convocandi Concilia Generalia ad Romanum Pontificem jure divino pertineat; tamen aliquando Pontifices rogarunt ipsos Imperatores, ut Concilia indicerent. Idque varias ob causas: nimirum quia adhuc vigebat lex Imperialis antiqua, ne intra ditionem Imperii Romani fierent ulli Conventus absque auctoritate Imperatoris: quia Concilium Generale tunc fieri non poterat nisi in aliqua urbe Imperatori subjecta, in quam sine ejus licentia tot Episcopos convenire æquum non fuisset: quia cogi non poterant illa Concilia nisi Imperatore subministrante vehicula, cæterosque sumptus, quibus erogandis plerique Episcopi essent impares.

Nota. Etiamsi Imperatores aliqui ex Ignorantia vel ob legem Imperialem vetantem frequentes hominum Conventus, quales sunt Synodi Generales, jus convocandi Concilia Generalia sibi attribuissent; tamen Romani Pontifices jus suum à Christo concessum non opponere prudenter potuissent; nam sciebant ad legitimam convocationem sufficere suum consensum aut ratihabitionem.

ARTICULUS II.

Quinam ad Concilium convocandi ſint?

Nota. In Conciliis etiam Generalibus aliqui variis de cauſis intereſſe poſſunt. Nam alii interſunt ut Judices, qui habent ſuffragium deciſivum: alii ut Conſultores ad diſcutiendas controverſias antequam decidantur, qui habent ſuffragium conſultativum: alii ut Miniſtri, quales ſunt Notarii & Cuſtodes: alii ut Concilii defenſores, qui debent turbas compeſcere, vim omnem avertere, & Patres Concilii tueri.

Quæſtio eſt tantùm de iis, qui vocandi ſunt ut Judices. Lutherus docet ex omni hominum genere intereſſe debere eos, qui eruditi ſunt, & hos omnes debere eſſe Judices & habere judicium deciſivum. At Catholici omnes ſentiunt ſolos Epiſcopos in quibuslibet Conciliis habere jus ſuffragii deciſivi ordinariè: ex privilegio tamen & conſuetudine illud habere etiam Abbates, & Generales Ordinum, quamvis Epiſcopi non ſint; Cardinales verò interſunt etiam Conciliis ut Summo Pontifici collaterales & ejus Conſiliarii. Ex Presbyteris autem & aliis Clericis tantùm vocantur aliqui viri docti, qui juvent ad difficultates expendendas, & diſcutiendas controverſias.

Dico. Soli Epiſcopi jure divino jus habent ſuffragii deciſivi in Conciliis tum generalibus tum particularibus; ac proinde ſoli Epiſcopi Conciliis interſunt ut Judices ordinarii, ideoque neceſſariò convocandi.

Prob. 1. Ex Traditione Patrum, qui unanimi conſenſu docent Concilia Epiſcoporum eſſe, & Epiſcoporum eſſe in Conciliis decernere. Ita Cyprianus, epiſt. ad Jubajanum. Oſius apud Athanaſium, epiſt. ad Solit. Hilar. de Synodis. Ambroſius, epiſt. 32. Hieron. Apolog. 2. contra Ruffinum. Auguſtin. epiſt. 119. Leo Magnus, epiſt. 16. & alii.

Prob. 2. Ex Conciliis Generalibus hactenus celebratis. Nam Conciliorum ferè omnium decreta ab Epiſcopis ſolis, & Epiſcoporum locum tenentibus facta ſunt, ùt patet ex ſubſcriptionibus: ubique enim ſoli Epiſcopi & Epiſcoporum locum tenentes inveniuntur ſubſcripſiſſe, exceptis paucis quibus Imperatores, non definiendo & judicando ùt Epiſcopi, ſed præcisè conſentiendo ſubſcripſerunt: & paucis etiam aliis ut Florentino, Laterarenſi, & Tridentino, quibus ex privilegio ſubſcripſerunt Abbates & Ordinum Generales. Cæteri verò nempe ſimplices Presbyteri, & alii Clerici minores, quamvis ſancti & docti eſſent, nunquam admiſſi ſunt niſi ad conſultandum: excepta Synodo Baſileenſi, ubi deficientibus Epiſcopis, Presbyteri ad ſuffragium deciſivum admiſſi ſunt contra morem totius antiquitatis, cui derogare non potuit hæc Synodus, quæ tunc legitima non erat, & auctoritate carebat.

Prob. 3. Ratione Theologica. Illorum eſt in Conciliis definire ea, quæ credenda & agenda ſunt, ad quos pertinet munus paſcendi & regendi Eccleſiam. Nam paſcere & regere eſt præcipuè docere cum auctoritate quæ credenda ſunt, & præſcribere quæ agenda ſunt, juxta illud, Jerem. c. 3. *dabo vobis Paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia & doctrina.* Et illud Epheſ. c. 4. *alios autem Paſtores & Doctores*, quæ duo conjuncta eſſe obſervant Hieronymus, in hunc locum, & Auguſtinus epiſt. 59. quia nempe proprium eſt Paſtorum docere. Atqui ad Epiſcopos pertinet munus paſcendi & regendi Eccleſiam Dei, juxta illud, 1. Petri c. 5. *paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei;* & illud act. c. 20. *attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Ergo Epiſcoporum eſt in Conciliis definire ea, quæ credenda & agenda ſunt.

Obj. 1. Act. c. 15. Lucas loquens de Concilio Apoſtolorum ait: *convenerunt Apoſtoli & Seniores videre de verbo hoc.* Et infra: *tunc placuit Apoſtolis, & Senioribus cum omni Eccleſia.*

Reſp. Per vocem *Seniores* intelliguntur Epiſcopi, aliqui ſcilicet ex 70. Diſcipulis Chriſti ab Apoſtolis in Epiſcopos conſecrati. Præterea etiamſi per hanc vocem ſimplices Sacerdotes ſignificarentur, ſenſus eſſet Apoſtolos conveniſſe ut Judices ad definiendum, Præsbyteros verò ex conceſſione Apoſtolorum

rum ut Consultores ad discutiendam controversiam. Item placuit Apostolis ut Judicibus definientibus, Presbyteris ut consentientibus, & plebi acquiescenti.

Obj. 2. Concilium Generale universam Ecclesiam repræsentat. Ergo ad illud convenire debent omnia membra Ecclesiæ.

Resp. Concilium Generale repræsentat universam Ecclesiam docentem, quæ est universitas seu corpus primorum Pastorum, nempe Episcoporum. Ac proinde ad Concilium Generale convenire debet ea multitudo Episcoporum, quæ in æstimatione morali sufficiat ad repræsentandam Episcoporum universitatem: & consequenter Concilium Generale necessariò constare debet ex Episcopis. Præterea cùm universitas Pastorum repræsentet universitatem ovium, quia unusquisque Episcopus repræsentat suam particularem Ecclesiam, sicut Princeps populum suum: hoc ipso quod universitas Pastorum repræsentatur, simul & indivisibiliter repræsentatur etiam universitas ovium. Ac proinde hoc ipso quòd aliqua multitudo Episcoporum sufficit ad repræsentandam universitatem Pastorum, sufficit quoque ad repræsentandam universitatem ovium.

Obj. 3. Communis causa communiter tractanda est. At causa Fidei est communis omnibus Fidelibus: Ergo ab omnibus Fidelibus tractanda est.

Resp. Disting. maj. Communis causa ab omnibus communiter tractanda est, quando eodem modo pertinet ad omnes, quibus communis est, *conc. maj.* Quando non eodem modo pertinet ad omnes *nego maj.* Causa autem Fidei ad omnes quidem, sed diverso modo pertinet; nam pertinet ad Episcopos ut Doctores, & ad cæteros Fideles ut Discipulos, qui proinde debent Episcopos docentes & definientes audire, & res ab iis definitas credere. Sicut in bello causa victoriæ & prælii communis est toti exercitui, & tamen solorum ducum est præcipere & ducere exercitum, cæterorum obedire.

Quæres, quot Episcopi requirantur ad Concilium Generale?

Resp. Ex consuetudine Ecclesiæ colligitur quatuor tantùm conditiones absolutè requiri ad Concilium Generale. 1. Est, ut convocatio sit Generalis, ita ut omnibus majoribus Ecclesiæ Provinciis innotescat. 2. Ut nullus Episcopus excludatur, nisi sit excommunicatus, vel dubitetur, utrùm sit Episcopus. 3. Ut saltem ex majori parte Provinciarum Ecclesiæ adsint aliqui Episcopi. Tamen cùm Concilium in Oriente celebratur, semper visum est sufficere, si ex Provinciis omnibus Orientis conveniant Episcopi multi cum aliquibus, licèt paucis ex Occidente à Summo Pontifice missis, qui cæteros repræsentarent. Similiter si Concilium fiat in Occidente, sufficit si ex omnibus magnis Provinciis Occidentis multi adsint Episcopi cum paucis aliis ex Oriente, qui Ecclesias Orientales repræsentent. Imò sufficit si convocati fuerint. 4. Ut summus Pontifex per se vel per suos Legatos Concilio præsideat. Additur adhuc alia conditio, quæ tantùm ad bene esse, non verò absolutè est necessaria: nempe ut præter summum Pontificem per se vel Legatos suos præsentem, adsint per se vel per Vicarios Orientis Patriarchæ, modò Hæretici vel Schismatici non sint.

ARTICULUS III.

Cujus sit præsidere Concilio Generali?

Nota. Hæretici sæculi præteriti docent ordinarium Præsidem Conciliorum debere esse Imperatorem, vel aliquem ab eo missum: si nullum ipse mittat, debere ab ipsa Synodo constitui. Catholici verò omnes tenent præsidentiam in Conciliis Generalibus ad solum Romanum Pontificem pertinere: ita ut Concilium Generale non possit legitimè celebrari, nisi ei vel per se vel per Legatos suos præsideat, omniaque moderetur.

§. I.

Dico. Ad Romanum Pontificem pertinet jus præsidendi Concilio Generali vel per se, vel per suos Legatos.

Prob. 1. Ratione ex Scriptura & Traditione

ne petita. Romanus Pontifex jure divino eſt Paſtor, Doctor, & Pater univerſæ Eccleſiæ, ita ut Principes & Epiſcopi omnes reſpectu illius ſint oves, juxta illud Chriſti, Joann. c. ult. *paſce oves meas*. & Epiſcopi etiam congregati ſint Filii: & re ipſa tales ſe profitentur Patres Concilii Chalcedonenſis in ſua Synodica ad S. Leonem Epiſtola: & Patres Epheſini Cæleſtinum Patrem ſuum appellant. Item Romanus Pontifex eſt ſupremus Rector & caput totius Eccleſiæ. At quis non videt Paſtorem ovibus, Patrem Filiis, caput membris præſidere debere?

Prob. 2. Ex perpetuo uſu Conciliorum. Nam 1. In Concilio Apoſtolorum, Act. c. 15. Petrus præſedit: primus enim ſurgit, primus loquitur, primus definit, & omnes ejus ſententiam ſequuntur, ut obſervat S. Hieronymus, in ſua ad Auguſtinum epiſtola, in qua inter alia aſſerit Petrum decreti in hoc Concilio editi Principem fuiſſe.

2. In Nicæno I. præſedit Sylveſter per Oſium Cordubenſem Epiſcopum, & Vitum ac Vincentium Legatos ſuos, quod ſatis patet ex ſubſcriptionibus: nam hi tres primi omnium & ante omnes Patriarchas ſubſcripſerunt. At neque Oſius, cùm eſſet ſimplex Epiſcopus, neque Vitus & Vincentius, cum eſſent ſimplices Presbyteri, ſubſcripſiſſent ante omnes Patriarchas, niſi ut Romani Pontificis Legati & Concilii Præſides ſubſcripſiſſent: & quidem de Oſio id expreſsè teſtatur Gelaſius Cizicenus Græcus, qui Nicæni Concilii acta edidit juxta vetus Dalmatii Epiſcopi Ciziceni exemplar, cujus etiam meminit Photius in ſua Bibliotheca: Gelaſius enim, lib. 2. c. 5. ſcribit Oſium Legatum Synodo præſediſſe nomine Sylveſtri Papæ: & adducit teſtimonium Euſebii, l. 3. vitæ Conſtantini, c. 7. cujus verba profert, quamvis in exemplaribus Euſebii hodiernis aliter legatur. Verùm (ut rectè notat Cabaſſutius) longè major habenda eſt fides exemplaribus, quæ ante annos mille ducentos extabant temporibus Dalmatii, Gelaſiique veterum Græciæ Epiſcoporum, quàm iis quæ nunc circumferuntur à Græcis ſchiſmaticis accepta.

3. Damaſus quidem Concilio Conſtantinopolitano 1. Neque per ſe neque per Legatos ſuos præſedit: Sed cùm celebratum eſt, non erat Generale, ſed ſolius Orientalis Eccleſiæ Concilium: nec poſteà Oecumenicum evaſit, niſi quia Damaſus decreta Fidei ab ipſo edita approbavit, & ei cum Concilio Occidentis, cui per ſe præſidebat, acceſſit. Et certè ſi Conſtantinopolitano Concilio interfuiſſet, ei procul dubio præſediſſet ut caput membris. Nam Patres hujus Concilii, in ſua ad ipſum Damaſum epiſtola ſe profitentur ejus membra, ideoque eum ut caput agnoſcunt; capitis autem eſt præſidere membris.

4. Epheſino Concilio præſedit Cæleſtinus I. per S. Cyrillum Legatum ſuum primarium. Nam 1. conſtat S. Cyrillum Epheſino Concilio præſediſſe, & in Concilio tenuiſſe locum Cæleſtini, ut patet ex actione 1. ubi dicitur initio: *Conſidentibus in ſanctiſſima Eccleſia, quæ appellatur Maria, religioſiſſimis & ſanctiſſimis Epiſcopis, Cyrillo Alexandriæ, qui & Cæleſtini quoque ſanctiſſimi ſacratiſſimique Romanæ Eccleſiæ Archiepiſcopi locum obtinebat, &c.* 2. Ex Cæleſtini ad Synodum epiſtola, in qua ſcribit ſe mittere Arcadium, Projectum, & Philippum ad Concilium Epheſinum, ut à Concilio executioni mandentur, quæ ipſe in ſua Synodo decreverat. 3. Ex ſententia à Concilio in Neſtorium lata, in qua Epiſcopi Cæleſtinum Patrem appellant, ſeque dicunt per ejus epiſtolam coactos fuiſſe ad deponendum Neſtorium: quibus verbis manifeſtè eum ut ſuperiorem agnoſcunt: & ex Synodica Concilii ad Cæleſtinum epiſtola, in qua aſſerunt ſe Joannis Antiocheni depoſitionem ejus judicio reſervaſſe. Ergo qui Cæleſtini locum tenebant, Concilio præfuerunt, cùm tenerent locum illius, quem Concilium ut ſuperiorem agnoſcebat. 4. Ex teſtimonio Hiſtoricorum, ut Evagrii, lib. 1. c. 4 Photii, in libro de ſeptem Synodis. Proſperi, in chronico. Nicephori, l. 14. c. 34. Liberati, in Breviario. Juſtiniani in Edicto. Quibus adde Nicolaum I. in epiſt. ad Michaelem; & ipſum Cæleſtinum, in ſua ad Cyrillum epiſtola.

5. Chalcedonenſi præfuit Leo Magnus per ſuos Legatos Paſchaſinum & Lucentium

Epi-

Episcopos, & Bonifacium Presbyterum, ut constat 1. ex epistola S. Leonis ad ipsum Concilium, ubi ait: *In his fratribus Paschasino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio Presbyteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me Synodo Vestra fraternitas æstimet præsidere,* 2. Ex actione tertii Concilii, in qua Paschasinus suo & aliorum Legatorum nomine sic loquitur: *Nostram parvitatem huic sancto Concilio pro se præsidere præcepit* (S. Leo) Et inferiùs ipse cum aliis Legatis sententiam in Dioscorum profert his verbis: *Sanctissimus & Beatissimus Archiepiscopus magnæ & senioris Romæ Leo: per nos & per præsentem sanctam Synodum, unà cum Beato Petro Apostolo, qui est petra & crepido Catholicæ Ecclesiæ, & rectæ Fidei fundamentum, nudavit eum* (Dioscorum) *tam Episcopatus dignitate, quàm etiam & ab omni sacerdotali alienavit ministerio.* 3. Ex Concilii epistola ad S. Leonem, in qua dicunt Patres: *quibus* (Episcopis Chalcedone congregatis) *sicut membris caput præeras in his, qui tuum tenebant ordinem.* 4. Ex eo, quòd Legati S. Leonis in omnibus actionibus Concilii primi nominantur, primi loquuntur & definiunt, primi subscribunt. Excipe tamen actionem 12. ubi Anatolius sententiam primus de singulari Bassiani & Stephani causa dixit, hoc ei specialem aliquam ob causam concedentibus Legatis Romanis sine detrimento juris, quo in hac actione primi loqui poterant; sicut in aliis actionibus locuti sunt.

6. Constantinopolitano II. non præsedit Eutychius, nisi quia ei interesse & præsidere noluit Vigilius, cui præsidentiam debitam fuisse agnoscit Eutychius ipse, in sua ad Vigilium ipsum epistola, qua eum suo & aliorum Episcoporum nomine ad Concilium invitat: *Petimus*, inquit, *præsidente nobis vestra Beatitudine, de tribus Capitulis quæri & conferri.* Hoc autem Concilium cùm celebratum est, fuit tantùm Synodus Orientis: nec Generale evasit, nisi cùm Vigilius illud approbavit, seu ad illud accessit, tria Capitula similiter damnando decretali epist. ad Eutychium directa, quæ extat, tom. 5. Conc. Labb. cui damnationi adhæsere Episcopi Occidentales, paucis exceptis, qui schismatici in Ecclesia habiti sunt.

7. Constantinopolitano III. præsedisse Agathonem per Legatos suos, Theodorum, & Georgium Presbyteros, & Joannem Diaconum, patet ex omnibus actionibus Concilii, in quibus hi tres ut Legati Summi Pontificis primi ante omnes Patriarchas nominantur, loquuntur, subscribunt.

8. Nicæno II. præsedit Adrianus I. per Legatos suos, Petrum Archipresbyterum, & Petrum Presbyterum S. Sabæ Abbatem. Nam hi in omnibus actionibus primi nominantur, & actione septima primi definitionem Fidei subscribunt ante omnes Patriarchas. Unde Photius & alii Græci schismatici apertè mentiuntur, cùm contra actorum Fidem Concilii præsidentiam Tarasio Constantinopolitano attribuunt.

9. Constantinopolitano IV. præfuit Adrianus II. per Legatos suos, Donatum & Stephanum Episcopos, & Martinum Diaconum. Nam hi tres primi & nominantur, & subscribunt, & se ut Concilii Præsides subscribere testantur, ut patet ex actione 10. in qua Donatus sic subscribit: *Ego Donatus gratia Dei Episcopus sanctæ Ostiensis Ecclesiæ, locum obtinens Domini mei Adriani Summi Pontificis, & universalis Papæ, omnia quæ superiùs leguntur, huic sanctæ & universali Synodo præsidens, usque ad voluntatem ejusdem eximii Præsulis promulgavi, & manu propria subscripsi.* Eodem tenore subscribunt alii duo Legati.

Cæteris aliis omnibus Conciliis Generalibus Romanos Pontifices vel per se, vel per Legatos suos præsedisse, patet ex eorum actis, & fatentur ipsimet hæretici. Igitur ex perpetua Ecclesiæ consuetudine constat ad Romanum Pontificem pertinere munus præsidendi Conciliis Generalibus, & quidem jure divino, quo est totius Ecclesiæ Caput, Pastor, & Rector.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Concilio Nicæno I. præsedit Osius non ut Legatus Sylvestri, sed quia à Synodo, vel ab Imperatore Præses constitutus est. Ergo huic Synodo nullatenus præsedit Romanus Pontifex.

Resp.

Resp. Nego anteced. Nam cùm ex S. Athanasio, & aliis constet Osium Concilio Nicæno præfuisse, & primum subscripsisse, necesse est eum Romani Pontificis locum tenuisse. Nam dici non potest Præses Concilii ab ipso Concilio constitutus fuisse: si enim Synodus sibi Præsidem constituisset, hanc dignitatem potiùs concessisset Alexandro Alexandrino, primo Orientalis Ecclesiæ Patriarchæ, sanctitate, doctrina, & rebus pro Fide gestis nemini secundo, qui Osium, & ætate & sedis omnium Orientalium primæ dignitate superabat, quemque Nicæni Patres in sua ad Alexandrinam Ecclesiam epistola testantur rerum in Concilio gestarum non solùm participem, sed etiam auctorem fuisse.

Multò minùs dici potest Osius à Constantino Magno Concilii præsidentiam obtinuisse. Nam Constantinus probè sciebat se hac auctoritate carere: & expressè in hoc Concilio professus est, non Episcopos à se, sed se ab Episcopis judicari debere, seque Episcopis subjectum esse, non præpositum. Quomodo ergo ipse aliquem, qui Episcopis præesset, constituere potuisset, vel voluisset Constantinus, præsertim cùm ipse in humili subsellio infra omnes Episcopos sederet, nec priùs sedere voluisset, quàm ut sederet, annuissent Episcopi?

Inst. 1. In subscriptionibus sic legitur: *Osius Episcopus Civitatis Cordubensis provinciæ Hispaniæ dixit: ita credo sicut superiùs scriptum est. Vitus & Vincentius urbis Romæ pro Venerabili viro Papa & Episcopo nostro sancto Sylvestro subscripsimus, ita credentes, &c.* Ergo Osius primus subscripsit, ideoque præfuit, non ut Legatus Sylvestri.

Resp. Nego conseq. Nam Osius non potuit primus subscribere, nec Concilio præsidere nisi ut Legatus Sylvestri. Si enim Vitus & Vincentius, quia Sylvestri Legati erant, subscripserunt ante omnes Patriarchas, & alios omnes Episcopos, à fortiori propter eandem rationem subscripsissent ante Osium mediocris civitatis in Occidente Episcopum, & omnibus Patriarchis dignitate inferiorem, nisi ipse Sylvestri locum cum eis tenuisset. Igitur cùm Osius, Vitus & Vincentius primi omnium Concilio subscripserint, & in subscriptionibus ordo & prærogativa Ecclesiarum servata sit, (nam Alexandrinus ante Antiochenũ, & Antiochenus ante Hierosolymitanum subscripsit, ut refert Socrates, l. 1. c. 13. qui hunc subscriptionũ ordinem testatur se ex Athanasio transcripsse) necesse est Osium, Vitum, seu Vitonem & Vincentium subscripsse ut Romani Pontificis locum tenentes, ideoque ut ejus Vicarios, ac Legatos Concilio præfuisse.

Inst. 2. Osius ante Vitum, & Vincentium subscripsit, non sub nomine Legati. Ergo.

Resp. Osius ante Vitum, & Vincentium subscripsit, quia Episcopus erat, illi verò simplices Presbyteri. Non autem expressè subscripsit sub nomine Legati Sylvestri, sicut subscripserunt Vitus & Vincentius; quia cùm esset Episcopus, ut talis jus suffragii decisivi habebat, sicque suo nomine subscribere poterat. At Vitus & Vincentius, utpote simplices Presbyteri non poterant jus suffragii habere, nec proinde subscribere nisi ut Legati Pontificis, ideoque ut tales subscripserunt. Sic & S. Cyrillus, qui Concilio Ephesino præfuit ut Cœlestini Legatus, tamen subscripsit nulla legationis suæ mentione facta.

Inst. 3. Theodoretus, l. 1. hist. cap. 7. Socrates l. 1. c. 8. & Sozomenus, l. 1. c. 27. scribunt duos tantùm Legatos Romani Pontificis Vitonem & Vincentium Concilio interfuisse. Ergo Osius Concilio non præfuit ut Sylvestri Legatus.

Resp. Illi auctores præcisè dicunt duos Ecclesiæ Romanæ Presbyteros à latere Pontificis Roma missos fuisse, qui ejus locum tenerent: at non negant alium cum illis Romani Pontificis locum tenuisse. Sed eorum duntaxat Legatorum mentionem faciunt, qui post acceptas ab Imperatore litteras Roma ad Concilium venerunt, & quibus (quod illi Historici omiserunt) mandatum fuerat, ut sibi legationis socium assumerent Osium Cordubensem, sanctitatis & doctrinæ fama conspicuum, & magna apud Constantinum auctoritate pollentem.

Inst. 4. Alexander Alexandriæ Patriarcha Concilio præsedit: nam Patres Nicæni in sua ad Alexandrinos epistola dicunt eum rebus decisis præfuisse.

Resp. Quamvis Alexander rebus decidendis præfuisse secundùm hanc versionem dicatur,

vel

vel (ut meliùs vertit Henricus Valesius) gestorum auctor extiterit, non idcirco Concilio præfuit. Nam hæc diversa sunt. Itaque cùm Alexander meliùs nosset statum Alexandrinæ Ecclesiæ, in qua hæresis Ariana & schisma Melecianum orta erant, & quam vehementer vexabant, ea de re præ cæteris à Concilio consultus & auditus fuit, ejusque sententiam de mediis ad hæresim profligandam, & schisma extinguendum idoneis secutum est.

Inst. 5. Eustathius Antiochenus præfuit Concilio: nam primus in dextro ordine sedebat, & multi ex antiquis primas ei tribuunt.

Resp. Apud Romanos primus locus in sinistro ordine honoratior fuit, quàm primus in dextro. Veteres autem illi solùm volunt Eustathium doctrina & eloquentia, non verò dignitate & munere primas in Concilio tenuisse.

Nota. Etiamsi Romanum Pontificem per Legatos suos Concilio Picæno præfuisse ostendi non posset: satis tamen esset ad astruendum jus ipsius, quòd certo aliis Conciliis præfuerit ex jure, quod sibi competere in hac parte contenderit, seu ex jure suo sine ulla petitione hujus juris, comprobantibus Episcopis.

Obj. 2. Photius, l. de septem Synodis inter Concilii Chalcedonensis Præsides primas tribuit Anatolio.

Resp. Photius homo schismaticus hic apertè contra omnium veterum monumentorum, & Concilii actorum fidem mentitus est, ut patet ex dictis, & ex actione 6 ubi præsente Imperatore definitioni Fidei ante Anatolium subscribunt tres Legati Romani, & primus omnium Paschasinus subscribit his verbis: *Paschasinus Episcopus, Vicarius Domini mei Beatissimi atque Apostolici universalis Ecclesiæ Episcopi Papæ urbis Romæ Leonis, Synodo præsidens, statui & subscripsi.*

Obj. 3. Concilio Ephesino II. præfuit Dioscorus Alexandrinus: Aquilejensi Valerianus Aquilejensis Episcopus: & Carthaginensi VI. Aurelius Carthaginensis Episcopus, præsentibus Legatis Romani Pontificis.

Resp. Hæc perperam ab hæreticis objiciuntur. Nam 1. Ephesinum II. ut illegitimum reprobatum fuit, & Dioscorus depositus fuit à Concilio Chalcedonensi. 2. Aquilejense fuit tantùm Provinciale Concilium, constans ex 33. Episcopis. 3. Carthaginense VI. fuit ad summum Nationale, cui præsidere debuit Carthaginensis Episcopus, ut Africanæ Ecclesiæ primas. Legati autem Romani Pontificis non fuerunt ad illud missi, ut præsiderent, sed ut Canonum Nicænorum, seu potiùs Sardicensium observationem peterent.

ARTICULUS IV.

Quænam sit auctoritas Concilii Generalis?

Dico. Concilium perfectè Oecumenicum infallibilem habet auctoritatem in decidendis rebus Fidei: est de Fide.

Prob. 1. Quia Concilium perfectè Oecumenicum habet in Scriptura promissam sibi divinam assistentiam specialem, qua defendatur ab errore in Fidei definitionibus. Hæc promissio habetur, Joan. c. 16. ubi dicitur Apostolis, & in eorum persona Successoribus: *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* De quo Spiritu, Joan. c. 14. Christus dixerat: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Ex quo patet illam promissionem spectare Apostolorum Successores, nempe ipsos Episcopos omnium temporum: nam Spiritus Sanctus non poterat manere semper cum Apostolis in hoc mundo, docendo eos semper veritatem, cùm Apostoli in hoc mundo non semper mansuri essent. At si Spiritus Sanctus docet Episcopos omnem veritatem, & quidem semper, sanè eam docentur Episcopi in generalibus Ecclesiæ comitiis, & in ordine ad repræsentandam Ecclesiam congregati. Unde hæc divina assistentia exhibita est primo Ecclesiæ Concilio, nempe Hierosolymitano, aliorum omnium quodam exemplari, ut testantur hæc verba, Act. c. 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis.* Eadem promissio clarè continetur etiam his Christi verbis, Matth. c. ult. *Docete omnes gentes.... & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Ergo Christus suam assistentiam omni tempore præbet Apostolorum Successoribus docentibus res Fidei & morum. Ergo illam assistentiam habent Episcopi in generalibus Ecclesiæ comitiis,

&

& in ordine ad definiendas res Fidei & morum pro tota Ecclesia.

Prob. 2. Ex perpetua Traditione, seu ex sensu perpetuo Ecclesiæ, quæ semper spectavit Conciliorum Oecumenicorum definitiones ut irreformabiles & infallibiles: quibus qui contradicerent, manifesti esse hæretici convincerentur: pro quibus tuendis tanquam totidem Fidei articulis Catholici exilia, ac mortem libenter sustinuerunt. Ergo tam necesse est illa Concilia esse infallibilia, quàm necesse est Ecclesiam ipsam errare non posse in rebus Fidei, & morum, & in agnoscenda regula Fidei.

Prob. 3. Ratione. Quia Concilia perfectè Oecumenica repræsentant universam Ecclesiam tanquam generalia ejus comitia. Nam hactenus ut talia existimata sunt ab ipsa Ecclesia, quæ certè non minùs nosse debet, quinam cœtus constituat sua generalia comitia, quàm quævis Resp. civilis. Ergo Concilium Oecumenicum tam errare non potest quàm ipsa universa Ecclesia. Accedit consensus Patrum.

Porro talia Concilia esse Generalia & Legitima, & omnia ad definitionem infallibilem requisita adhibuisse, & sic eorum definitiones, esse infallibiles, certò scimus ex judicio præsentis Ecclesiæ, quæ est infallibilis in dijudicanda regula suæ Fidei: alioqui Ecclesia non esset semper infallibilis in rebus Fidei, morum, & Religionis, nec semper esset columna & firmamentum veritatis.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. S. Gregorius Nazianzen. epist. ad Procopium significat Conciliorum contemptum: quorum, inquit, faustum exitum nunquam viderit.

Resp. Non loquitur de Conciliis Oecumenicis, & in ordine ad definiendas res Fidei: sed loquitur de Conciliis Particularibus, quæ vidit quarto sæculo passim celebrari, & quæ propter multitudinem Episcoporum Arianorum, aut etiam aliquorum aliorum Episcorum factiones, ac studia infaustum omnino exitum habuere, quæque non habentur legitima Concilia. Nam ipse S. Doctor Concilium Generale Nicænum maximis laudibus ornat. Præterea turbæ, & factiones, quæ privata Episcoporum studia & odia in legitimis etiam Conciliis excitant, non obstant directioni & assistentiæ Spiritus Sancti, qui novit hominum studia, ac perturbationes moderari, atque in bonos fines prout libuerit convertere, & per os etiam malorum hominum prophetare.

Obj. 2. S. Augustinus lib. 2. de Baptismo, cap. 3. dicit, ipsa plenaria priora Concilia posterioribus emendari.

Resp. Loquitur de emendatione in iis, quæ disciplinam, non decreta Fidei, spectant: illa enim pro variis temporibus variari possunt, cùm Fides sit omnino invariabilis. Nam loquitur de emendatione, quæ fiat, *cùm aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat.* At experimentum illud locum habet non in rebus Fidei, sed disciplinæ tantùm, in qua sanciendæ ad rerum experimenta attenditur.

Obj. 3. S. Leo, epist. 54. & 55. accusat Concilium Chalcedonense inconsultæ temeritatis circa Canonem quemdam ab hoc Concilio editum.

Resp. Loquitur de Canone edito ab illo Concilio tum, cùm carebat auctoritate Concilii Oecumenici. Nam editus fuerat absentibus Legatis, & adversabatur institutioni datæ iisdem Legatis, quippe qui à S. Leone missi fuerant ad Concilium, ut de solis rebus Fidei propter quas coactum fuerat Concilium pertractarent. Unde hac in re Concilium Chalcedonense non habebat auctoritatem Concilii Oecumenici. Præterea Canon ille reprehensus spectabat tantùm disciplinam, nempe præeminentiam datam Episcopo Constantinopolitano supra alios Patriarchas Orientales, Alexandrinum, & Antiochenum.

Obj. 4. Multa Concilia generalia errarunt, nempe 1. Concilium Ephesinum II cui adfuerunt Legati Summi Pontificis, & Episcopi ex omnibus Orientis Provinciis erravit probando hæresim Eutychianam. 2. Ariminense 600. Episcoporum consentiendo suppressioni vocis *consubstantialis.* 3. Concilium Francofordiense reprobando Concilium Nicænum II. & cultum imaginum.

Ad 1. *resp.* Concilium illud Ephesinum II. non fuit Concilium Generale, imò nec legitimum, nam in eo Dioscorus Alexandrinus

omnia

omnia per vim egìt, contra jus Romani Pontificis ſibi præſidentiam arrogavit, & nequidem permittere voluit Summi Pontificis litteras legi. Unde Concilium illud à tali violentia & injuria infamis conciliabuli, & latrocinii Epheſini nomen in Eccleſia reportavit.

Ad 2. *reſp.* Concilium Ariminenſe non fuit Oecumenicum, nec à Summo Pontifice approbatum, imò à Liberio ſtatim reprobatum fuit. Et ob injuſtam violentiam erga Epiſcopos à Miniſtris Conſtantii Imperatoris exercitam non potitum eſt ea libertate, qua gaudere debebat legitimum Concilium. Præterea nihil definivit contra Fidem, licèt graviter peccarit ſupprimendo vocem *conſubſtantialis.*

Ad 3. *reſp.* Concilium Francofordienſe fuit Concilium Particulare, ex ſolis Provinciis Carolo Magno ſubjectis congregatum, nec damnationi Concilii ſeptimi ab eo factæ conſenſerunt Legati Romani Pontificis. Neque tunc Adrianus I. Summus Pontifex Concilium Nicænum II. ut Oecumenicum ab omnibus recipi juſſerat, neque publico edicto confirmaverat, quippe qui libris Carolinis quibus illud Concilium impugnabatur reſpondens, nuſquam illis nomen, auctoritatémque Concilii Oecumenici objicit.

Cùm igitur ad illud Concilium Occidentales convocati non fuiſſent, à Patribus Francofordienſibus habitum eſt ut Concilium duntaxat Græcorum, non Generale, ſed Particulare.

Obj. 5. Eatenus Epiſcopi infallibiliter pronuntiant, quatenus pronuntiant cum conditionibus requiſitis. At quis ſcit conditiones illas omnes adfuiſſe?

Reſp. Ex præſentis potiſſimùm Eccleſiæ atteſtatione certò ſcimus, quæ ſint legitima Concilia Generalia, & pronuntiarint cum conditionibus requiſitis. Nam Eccleſia omnium temporum eſt infallibilis omni tempore in rebus Fidei, & morum, ideoque in agnoſcenda regula ſuæ Fidei, & qualibet definitione infallibili.

Obj. 6. Epiſcopi (ut experientia docet) ſæpe partium, ac ſtudiorum præjudiciis ducuntur: quæ præjudicia non exuunt in Conciliis, ſed ſæpe multis indiciis manifeſtant.

Reſp. Spiritus Sancti directio privata illa Epiſcoporum ſtudia, ac præjudicia, & alia omnia moderatur, & ordinat in ſuos fines, nempe in executionem promiſſionum Eccleſiæ factarum de cognoſcenda, & tradenda ſemper veritate. Et verò ſi Deus in ordine ad regimen univerſi, & ad obtinendos fines à ſe intentos, pravorum hominum ſtudia, ac voluntates certiſſimè, prout voluerint, ordinat, ac contorquet: & ex illorum inordinationibus etiam præſtantiſſimũ ipſius univerſi ordinem colligit; cur id denegetur Spiritui Sancto in ordine ad bonum Eccleſiæ ſuæ Sponſæ regimen, & executionem promiſſionum ipſi factarum?

Præterea neceſſe non eſt, ut omnes Epiſcopi, qui Conciliis adſunt, ſupernaturali lumine præveniantur, cùm eorum cognitionibus, quas ſua directione moderatur, uti poſſit Spiritus Sanctus ad finem intentum certò obtinendum.

Obj. 7. Nonnunquam Epiſcopi ſunt pravis, & corruptis moribus. Quomodo ergo ſibi conciliant Spiritus Sancti aſſiſtentiam, qui non habitat in corpore ſubdito peccatis, ut ait Scriptura?

Reſp. Semper ſunt & erunt in Eccleſia multi Epiſcopi verè ſancti. Sed etiamſi major eorum numerus pravis eſſet moribus, hoc nullatenus officeret infallibilitati Conciliorum; quia aſſiſtentia Spiritus Sancti reſpectu Conciliorum non eſt fructus pietatis Epiſcoporum, ex quibus componuntur, ſed promiſſionum Eccleſiæ factarum: & infallibilitas competit Eccleſiæ non vi ſanctitatis Paſtorum, ſed vi promiſſionis divinæ. Quod autem ait Scriptura, Spiritum Sanctum non habitare in corpore ſubdito peccatis, id intelligi debet de præſentia Spiritus Sancti inhabitantis, & ſua inhabitatione ſanctificantis, non verò de externa Spiritus Sancti directione.

Obj. 8. Epiſcopi aliquando ſunt ſatis ignari ac rudes Traditionis ac doctrinæ Eccleſiæ: quomodo ergo in errorem, qui ex ignorantia profluit, non labantur quandoque etiam in Conciliis?

Reſp. Conciliorum definitiones vim non mutuantur à doctrina, & peritia Epiſcoporum, ſed ab eorum auctoritate, & à ſpeciali aſſiſtentia Spiritus Sancti, corpori Paſtorum defi-

nientium, seu eorum pluralitati à Christo promissa. Præterea ex ea Spiritus Sancti directione, quæ perpetuò adest Ecclesiæ, fit, ut Episcoporum, qui ad Concilium Generale conveniunt, plerique semper sufficienter instructi sint ad controversias definiendas.

Nota. Equidem Summus Pontifex, & Episcopi ad veritatem definiendam tenentur preces, & examen debitum adhibere. Sed Christus, qui omnia suaviter, & efficaciter disponit, cùm Ecclesiæ inerrantiam, seu infallibilitatem promiserit, semper certò suppeditabit omnia media ad definitionem infallibilem necessaria, aut saltem supplebit id, quod deesse posset: ita ut communis prædicatio, & universitas moralis Episcoporum Summo Pontifici Ecclesiæ Capiti unitorum semper infallibiliter veritatem doceat. Quare Fideles investigare non debent, utrùm primi Pastores omnia media ad veritatem certò definiendam requisita adhibuerint: sufficit enim, quòd corpus Pastorum aliquid definierit, ut constet ejus definitionem ex vi promissionis Christi esse infallibilem, & media ad illam necessaria hoc ipso adhibita fuisse, vel à Christo suppleta.

CAPUT V.

De Summo Pontifice.

ARTICULUS I.

Utrùm S. Petrus acceperit à Christo primatum & jurisdictionem in universa Ecclesia?

§. I.

Dico. S. Petrus à Christo accepit Primatum in tota Ecclesia, & Jurisdictionem in omnes Fideles tum Laicos, tum etiam Clericos, & Episcopos omnes. Est de Fide contra Græcos schismaticos, Lutherum, & alios hæreticos.

Prob. 1. Ex Scriptura, ubi promittitur Petro Primatus & Jurisdictio universalis, nempe, Matth. c. 16. *Beatus es Simon Barjona: quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in Cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves regni Cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcunque solveris super terram, erit solutum & in Cœlis.* His verbis Christus promittit Petro Primatum universæ Ecclesiæ, & Jurisdictionem universalem. Nam 1. ex his Christi verbis Petrus est fundamentum Ecclesiæ: at quod est in ædificio fundamentum, id est in corpore Caput, Paterfamilias in domo: item Petrus præstat Ecclesiæ, quod fundamentum præstat ædificio. At fundamentum regit & sustentat totum ædificium. Ergo Petrus regit, & sustentat totam Ecclesiam, quod est habere Principatum, ac supremam potestatem in tota Ecclesia. 2. Per traditionem clavium Petro promissam intelligitur Primatus, seu suprema potestas, ut patet ex aliis Scripturæ locis, ut Isai. c. 22. ubi sic exprimitur futura Eliacim in Summum Sacerdotem institutio: *Dabo claves domus David super humerum ejus: & aperiet, & non erit, qui claudat: & claudet, & non erit, qui aperiat.* Et Apoc. 3. *Hæc dicit sanctus & verus, qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit: claudit, & nemo aperit.* Ergo cum metaphora clavium significet in illis locis supremum Principatum, ita etiam & in hoc loco, ubi Christus dicit: *tibi dabo claves regni Cœlorum.* Id etiam patet ex sensu, & usu hominum, secundùm quem Christus loquitur: nam cui traduntur claves, is instituitur, vel declaratur Rex aut certè Gubernator civitatis, ait Bellarminus. 3. Eumdem Ecclesiæ Principatum ostendunt hæc verba subsequentia, *quodcunque ligaveris, quodcunque solveris*, &c. Nam in Scriptura nomen *ligare* significat præcipere, obligare, punire; & vox *solvere* significat remittere, à pœna liberare, dispensare in lege, votis, juramentis, & aliis similibus obligationibus. Ergo cùm Christus generaliter dixit Petro, & quidem singulariter ac specialiter: *Quodcunque ligaveris, quodcunque solveris super terram*, &c. promittit ei potestatem non solùm remittendi & retinendi peccata, sed etiam præcipiendi, puniendi, dispensandi in tota Ecclesia: quod est ei promittere totius Ecclesiæ Principatum, ac Jurisdictionem universalem.

Quod

Quod autem Christus promisit Petro, id certè præstitit, cùm non possit esse infidelis in dictis, & promissis.

Prob. 2. Ex Scriptura, ubi reipsa Christus totius Ecclesiæ Principatum contulit Petro, nempe Joan. c. 21. ubi Christus dicit Petro: *Pasce agnos meos.... pasce oves meas.* Quibus verbis Christus Petro tradidit totius Ecclesiæ Principatum, & supremam potestatem docendi & regendi omnes Fideles, tum Laicos, tum Clericos & Episcopos. Nam 1. verbum *pascere* ibi significat præesse & regere cum auctoritate. Cùm enim Christus dicit: *Pasce oves meas*, idem est, ac si diceret: Pastor esto ovium mearum. Pastor autem non solùm pabula gregi præbet, sed etiam ducit, reducit, tuetur, baculo coercet, & castigat oves. Uno verbo, esse Pastorem ovium, est oves regere, eisque præesse. Præterea Evangelista usus est voce græca ποίμαινε, quæ significat, pasce regendo & præsidendo. 2. Per *oves meas* significatur universa Christi Ecclesia, seu omnes oves Christi. Nam vox indefinita æquivalet universali: & vox *oves* extenditur ad id omne, ad quod extenditur pronomen *meas*, quod sanè significat omnes omnino Fideles: nullus enim est in Ecclesia, qui non sit ovis Christi. 3. Hæc Christi verba, *pasce oves meas*, soli Petro dicuntur, & conveniunt, ut patet ex toto contextu, nam ibi legitur: *Dicit Simoni Petro JEsus: Simon Joannis, diligis me plus his? dicit ei: etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: pasce agnos meos. Dicit ei tertiò: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me? Et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis, quia amo te. Dixit ei: pasce oves meas. Amen, amen dico tibi: cùm esses junior, cingebas te... Cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quò tu non vis. Hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset Deum.* Ubi per *agnos* simplices Fideles, & per *oves* Pastores omnes significantur: & patet hæc verba (*pasce agnos meos, pasce oves meas*) dici tantùm Simoni Joannis, quo nomine solus Petrus vocabatur: item dici ei soli, qui ter interrogatur, num diligat plùs cæteris Apostolis, ei, qui contristatus est, ei, cui à Christo prædicta est crucifixio. Quæ omnia soli Petro manifestè conveniunt.

Porro cùm præesse & subesse correlativa sint, hoc ipso quòd Christus Petro, & ejus Successoribus confert auctoritatem regendi Ecclesiam suam universam, simul & indivisibiliter præcipit Ecclesiæ suæ, ut subsit Petro, & ejus Successoribus.

Prob. 3. Ex Traditione, cujus testes sunt Patres, qui longa serie videri possunt apud Auctores. Hic sufficiant aliqui tum Græci, tum Latini. Ex Græcis, S. Basilius serm. de judicio Dei: *Ille beatus, qui cæteris prælatus discipulis fuit, cui claves regni cœlestis commissæ, &c.* S. Chrysostomus, hom. 11. in Matth. *Hunc universo orbi præponit.* Et hom. 55. ad hæc Christi verba: *quæcunque ligaveris super terram, &c.* Sic ait: *Quæ DEUS concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & ut Ecclesia tot tantisque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cujus Pastor & Caput Piscator homo, atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superet, hæc, inquam, omnia quæ solius Dei sunt, se pollicetur* (Christus) *daturum.* S. Epiph. hæresi 51. *Petrum discipulorum suorum Principem elegit.* S. Cyr. Alex. l. 12. in Joannem cap. 64. ait: *Ut Princeps Caputque cæterorum primus exclamat, &c.*

Ex Latinis. S. Cyprianus, epist. ad Jubajan. *Nos Ecclesiæ unius Caput & radicem tenemus... Nam Petro primùm Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, & unde unitatis origines instituit & ostendit, potestatem istam dedit.* Et l. de unitate, *Tractatu longo, atque argumentis opus non est. Probatio est ad Fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Et iterum ei dicit: pasce oves meas. Super illum unum ædificat Ecclesiam suam, & illi pascendas mandat oves suas ... Primatus Petro datur, ut una Christi*

Eccleſia & Cathedra una monſtretur. S. Ambroſius, ſerm. 11. *Hanc ſolam Eccleſiæ navem aſcendit Dominus, in qua Petrus magiſter eſt conſtitutus, dicente Domino, ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et, ep. 2. *Primatum non accepit Andreas, ſed Petrus.* S. Hieronymus, l. 1. in Jovinian. *Inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio.* S. Auguſtinus, ſerm. 13. de verbis Domini. *Idem ergo Petrus à petra, cognominatus beatus, Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus principatum tenens, continuò poſt, &c.* Et, l. 2. de Baptiſmo, c. 1. *ecce ubi commmemorat Cyprianus .... Apoſtolum Petrum, in quo Primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet.* Et infra. *Quis enim neſcit illum Apoſtolatus Principatum cuilibet Epiſcopatui præfereudum?* S. Optatus Milev. lib. 2. contra Parmen. *Ignorantia tibi adſcribi non poteſt ſcienti in urbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus... in quo uno Cathedræ unitas ab omnibus ſervaretur.* S. Leo Magnus, ſerm. 3. de aſſumptione ſua ad Pontific. *de toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur, ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.* S. Gregorius Magnus l. 4. epiſt. 32. *cunctis Evangelium ſcientibus liquet, quòd voce Dominica Sancto & omnium Apoſtolorum Principi Petro totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Ipſi quippe dicitur: tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

§. II.

Refelluntur Reſponſiones Hæreticorum.

Obj. 1. In textu Matth. c. 16. per *petram* non intelligitur Petrus, ſed Chriſtus ipſe, vel Fidei confeſſio.

Reſp. Neg. Quia 1. contrarium patet ex ipſo contextu: nam pronomen *hanc*, cùm dicitur: *& ſuper hanc petram*, demonſtrat aliquam petram, de qua Chriſtus paulò ante locutus ſit. At proximè Chriſtus Petrum vocaverat petram, nempe Cephas, ut habetur, Joann. c. 1. Cephas autem Petram ſeu rupem ſignificat. Dixit ergo Chriſtus: tu es Cephas, & ſuper hoc Cepha ædificabo Eccleſiam meam: vel latinè: tu es petra, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Igitur pronomen *hanc* referri non poteſt niſi ad Petrum, qui ibi vocatus eſt petra. 2. Per petram intelligi Petrum conſtat ex Traditione Patrum tum Græcorum, tum Latinorum, ut videre eſt apud Bellarmin. Hic ſufficiat S. Gregorius Naz. Orat. de moderatione in diſputatione ſervanda, ubi de Petro ait: *Vides quemadmodum ex Chriſti Diſcipulis magnis ubique omnibus & excelſis, atque electione dignis, hic petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta Fidei ſuæ credita habeat.*

Dices 1. Si per petram intelligeretur Petrus: legeretur in Matthæo: *tu es petra:* non, *tu es Petrus.*

Reſp. Quamvis Chriſtus dixerit Syriacè: *tu es petra*: tamen Latinus Interpres vertit, *tu es Petrus*, quia non ex Syriaco vertit, ſed ex Græco codice, in quo legitur Πέτρος. Græcus autem codex habet *Petros* & poſtea *petra*; quia apud Græcos tam *Petros* quam *petra* ſignificat lapidem, & Interpreti commodius viſum eſt homini nomen maſculinum tribuere, & dicere σὺ εἰ Πέτρος, non autem σὺ εἰ Πέτρα. Deinde verò ſecundo loco noluit vertere ἐπὶ τῷ Πέτρῳ, quod fuiſſet ambiguum, ſed ἐπὶ τῇ Πέτρᾳ, quod nil aliud quàm lapidem duriſſimum ſeu rupem ſignificat.

Dices 2. Origenes, tract. 1. in Matth. explicans hæc verba, *ſuper hanc petram*, dicit petram eſſe omnem Chriſti Diſcipulum & imitatorem.

Reſp. Ibi Origenes locum hunc non litteraliter, ſed allegoricè exponit. Hunc autem locum in ſenſu litterali exponens, nempe, Hom. 5. in Exodum, eum de ſolo Petro interpretatur, nam ſic ait: *vide magno illi Eccleſiæ fundamento, & petræ ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundavit Eccleſiam,*

quid

quid dicatur à Domino. Modicæ, inquit, *Fidei, quare dubitasti?*

Dices 3. Multi Patres per hæc verba (*super hanc petram*) intelligunt Fidem, seu Fidei confessionem. Nam S. Chrysostomus, Hom. 55. in Matth. exponens illa verba: *& super hanc petram*, subjicit ista: *id est, Fidem atque confessionem.* Hilarius, Ambrosius, & Cyrillus idem habent. Ergo per petram non intelligitur Petrus.

Resp. Nego conseq. Quia Patres illi per Fidem, & Fidei confessionem nomine Petræ significatam intelligunt Fidem & Fidei confessionem ut est in Petro & relatè ad Petrum, cujus Fidem & confessionem sic laudat Christus: sive intelligunt Petrum rectè credentem & Fidem suam rectè profitentem. Quare cùm Patres dicunt Ecclesiam Christi fundatam esse supra Fidem & confessionem Petri, solùm intendunt Ecclesiam Christi fundatam esse, non supra Petrum præcisè, sed supra Petrum semper rectè credentem, & Fidem rectè profitentem: & cùm dicunt Fidem Petri esse fundamentum Ecclesiæ, solùm volunt Petrum ut rectè credentem & Fidem confitentem esse fundamentum Ecclesiæ. Quod verum est: nam esse fundamentum Ecclesiæ est Ecclesiam sustentare; sustentatio enim est primarius effectus fundamenti. At Petrus in tantùm sustentat Ecclesiam, in quantum Fideles rectè docet Fidei dogmata, continet & confirmat in vera Fide & vero Dei cultu: quod facit rectè credendo, & Fidem suam declarando.

Porro aliqui Patres dicunt Petri Fidem esse fundamentum Ecclesiæ, etiam in hoc sensu, quòd Petrus ob meritum suæ Fidei consecutus sit, ut Ecclesiæ fundamentum esset.

Dices 4. S. Augustinus hæc verba (*super hanc petram*) exponit de Christo, nam l. 1. retractat. c. 21. sic ait: *in hoc libro* (contra epistolam Donati scripto) *dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quòd in illo tanquam in petra fundata sit Ecclesia. Qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de Gallo gallinaceo ait: hoc, ipsa petra Ecclesiæ, canente, culpam diluit. Sed scio me postea sæpissimè sic exposuisse quod à Domino dictum est: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus, dicens: tu es Christus Filius Dei vivi.* Ergo.

Resp. 1. S. Augustinus aliis locis eadem verba exponit de Petro, ut, in Psalm. 69. ubi ait: *& petrus qui paulò ante eum confessus erat Filium Dei, & in illa confessione appellatus erat petra, supra quam fabricaretur Ecclesia.* Loco autem objecto solùm significat secundam interpretationem sibi magis placere, ita tamen ut priorem non rejiciat, sed lectori permittat, ut quam probabiliorem judicaverit eligat, nam paulò in seriùs hæc subjicit: *harum autem duarum sententiarum quæ sit probabilior, eligat lector.* Et, serm. 15. de Sanctis ait: *Petrus Ecclesiarum petra dicitur.*

Resp. 2. Nego conseq. Quia 1. S. Doctor interpretationem vocis *petræ* de Christo antepositit alteri veræ ac germanæ, ex ignorantia linguæ Syriacæ & Græcæ, & propter rationem omninò falsam: *non enim*, inquit ibidem, *dictum est illi, tu es petra, sed tu es Petrus. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus.* Nam Christus dixit, tu es Cephas, & hæc vox Syriaca significat petram, seu lapidem durissimum, qui æquè significatur per voces Græcas Πέτρος & Πέτρα, *Petros*, & *petra*, ita ut verus Christi verborum sensus sit, tu es petra seu rupes. Interpres autem Latinus reddidit petram per masculinum, quia homini tribuebatur. Quare si S. Augustinus sciviſset vocem *Cephas* significare petram, ut revera significat, ac proinde Christum dixisse: tu es petra, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, solam nostram interpretationem semper approbasset. 2. Hæc interpretatio petræ de Christo, non de Petro, repugnat tum communi Patrum Græcorum & Latinorum Augustino antiquiorum expositioni & Traditioni: tum genuino Scripturæ sensui; nam manifestum est Christum per

hæc verba (*ſuper hanc petram*) intellexiſſe eum, ad quem pronomen *hanc* refertur, & pronomen *hanc* non referri niſi ad eum, qui proximè à Chriſto nominatus eſt Cephas ſeu petra. Chriſtus autem non ſe ipſum, ſed Petrum nominavit Cephas latinè petram. Præterea totus contextus ſenſum noſtrum exigit; nam cùm Chriſtus dixit; *ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*: perinde eſt ac ſi diceret: non temerè & ſine cauſa vocaris Cephas ſeu petra, nam ſuper te tanquam ſupra firmiſſimam petram ædificabo Eccleſiam meam; Chriſtus enim adjecit has voces (*& ſuper hanc petram*) ut redderet rationem, cur Simon Barjona à ſe vocatus ſit Cephas, quæ vox petram ſeu ſaxum duriſſimum ſignificat. 3. S. Auguſtinus ſemper Petri Primatum agnovit locis ſuprà laudatis, & aliis, ut, in Pſ. 108. ubi ait Petrum Eccleſiæ figuram geſtaſſe, *propter Primatum quem in Diſcipulis habuit.* Et, tract. 56. in Joannem, *quis neſciat primum Apoſtolorum eſſe beatiſſimum Petrum?*

Dices. 5. Solus Chriſtus eſt petra ſeu fundamentum Eccleſiæ, juxta illud, 1. Cor. c. 3. *fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus JEſus.* Ergo ſoli Chriſto conveniunt hæc verba: *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Reſp. Solus Chriſtus eſt fundamentum Eccleſiæ primarium ac principale, quod nempe ſe ipſo conſiſtit, & nulli alteri innititur, ſed ſuſtentat ea omnia, quæ ad Eccleſiæ ædificium pertinent, ideoque & ipſum Petrum. At ſolus Chriſtus non eſt fundamentum Eccleſiæ quodcumque & excluſivè, ſeu excludendo aliud ſecundarium & minùs principale & ex commiſſione reſpectu totius Eccleſiæ ac Miniſterii Eccleſiaſtici, quod ſeipſo non conſiſtat, ſed ipſi Chriſto innitatur, & ab eo ſuſtentetur, ut reliqua omnia ad ædificium Eccleſiæ pertinentia. Cujusmodi eſt Petrus, quem Chriſtus præcipuum poſt ſe fundamentum conſtituit, cùm dixit: *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Dices 6. In Scriptura omnes Apoſtoli dicuntur fundamenta Eccleſiæ, ut, Apoc. c. 21. *murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duodecim Apoſtolorum.* Et, Epheſ. c. 2. *ſuper ædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum.* Ergo etiamſi Petrus ſit fundamentum Eccleſiæ, non ſequitur eum habere totius Eccleſiæ Primatum.

Reſp. Nego conſeq. Quia Petrus eſt fundamentum Eccleſiæ modo ſpeciali & præſtantiori, quo non ſunt alii Apoſtoli: eſt fundamentum primario fundamento nempe Chriſto proximum, & inter fundamenta ſecundaria primum ac principale, à quo alia pendent. Tribus quippe modis Apoſtoli omnes fuerunt Eccleſiæ fundamenta, ſine tamen ullo Primatus Petri detrimento: uno modo, quia ipſi Primi Eccleſias ubique fundarunt, nam alii alias regiones ad Fidem converterunt. Altero modo Apoſtoli & Prophetæ dicuntur fundamenta Eccleſiæ, nempe ratione doctrinæ à Deo ipſis revelatæ: nam Eccleſiæ Fides nititur revelatione à Deo facta Apoſtolis & Prophetis. In his duobus major non eſt Petrus cæteris, ſed ut Hieronymus ait: *ſuper omnes ex æquo Eccleſiæ fortitudo ſolidatur.* Tertio modo omnes Apoſtoli dicuntur fundamenta, ratione gubernationis. Omnes enim fuerunt Rectores & Paſtores univerſæ Eccleſiæ, ſed non eodem modo quo Petrus, verùm cum dependentia & ſubordinatione ad Petrum. Nam illi habuerunt univerſalem & ampliſſimam poteſtatem ut Apoſtoli & Legati Chriſti, Petrus autem ut Paſtor ordinarius: & illi ita habuerunt amplitudinem poteſtatis, ut tamen Petrus eſſet illorum caput, & illi ab eo penderent, non viciſſim. Quod quidem Chriſtus ſoli Petro promiſit, cùm illi ſoli coram aliis dixit: *tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*: ut rectè inter alios docet S. Hieronymus, lib. 1. in Jovinianum his verbis: *licèt ſuper omnes Apoſtolos ex æquo Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio.* Igitur omnes Apoſtoli ſunt fundamenta Eccleſiæ, ſed non omnes

ſunt

ſunt ex æquo & eodem modo: nam omnes ſunt fundamenta Eccleſiæ poſt Petrum & cum ſubordinatione ad Petrum, ſicut ipſe Petrus eſt Eccleſiæ fundamentum poſt Chriſtum & cum ſubordinatione ad Chriſtum.

Obj. 2. Hæc verba Chriſti: *tibi dabo claves Regni Cœlorum*, &c. diriguntur ad Eccleſiam, non ad perſonam Petri. Ergo poteſtas clavium reſidet tantum in Eccleſia, non in Petro, niſi quæ per Eccleſiam ei communicetur. Ergo, &c.

Reſp. Nego antecedens, cujus falſitas patet 1. Ex contextu; nam patet verba illa à Chriſto dirigi ad perſonam Petri: Chriſtus enim dixit: *beatus es, Simon Barjona ..... & ego dico tibi, quia tu es Petrus ... & tibi dabo claves Regni Cœlorum*, &c. quæ verba perſonam Petri manifeſtè deſignant. 2. Ex unanimi Patrum conſenſu: præter jam citatos duo hic ſufficiant. S. Hilarius, in Pſal. 131. *tanta ei* (Chriſto) *religio fuit pro humani generis ſalute patiendi, ut Petrum primum Filii Dei confeſſorem, Eccleſiæ fundamentum, Cœleſtis Regni janitorem, & in terreno judicio judicem Cœli, ſatanæ convicio nuncuparet.* Et S. Auguſtinus, l. 2. contra Gaudentium, c. 32. *nunquid melior Razias quàm Petrus Apoſtolus, qui ubi dixit, tu es Chriſtus Filius Dei vivi, tam beatus à Domino appellatus eſt, ut claves Regni cœlorum accipere mereretur: nec tamen ideo creditur imitandus, ubi mox eodem momento reprehenſus audivit, vade poſt me Satana.* Ubi Patres illi docent hæc verba (*tibi dabo claves Regni Cœlorum*) eidem dici, qui poſtea eodem capite audit à Chriſto: *vade poſt me Satana*: quæ ultima verba dicuntur Petro & in propria perſona. Denique dici poteſt claves datas eſſe & Petro & Eccleſiæ; nam & uni Petro, & unitati datæ ſunt.

Dices. 1. S. Auguſtinus docet claves Eccleſiæ datas eſſe, cùm Petro datæ ſunt: &, tract. 50. in Joann. ait: *ſi in Petro non eſſet Eccleſiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus: tibi dabo claves Regni Cœlorum. Si hoc Petro tantùm dictum eſt, non facit hoc Eccleſia: ſi autem hoc in Eccleſia fit, Petrus quando claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificavit.* Ergo Chriſtus nil Petro promiſit nec dedit niſi ut mero Legato & Vicario Eccleſiæ. Ergo. &c.

Reſp. Nego conſeq. Quia S. Doctor ſolùm intendit, Petrum, cùm ei Chriſtus dixit: *tibi dabo claves Regni Cœlorum*, repræſentaſſe Eccleſiam, non ſub ratione Legati aut Vicarii Eccleſiæ, ſed ſub ratione Rectoris ac ſupremi Paſtoris, quatenus ſcilicet Petrus futurus erat Princeps Eccleſiæ, & acceſturus erat claves non in propriam ſed in communem Eccleſiæ utilitatem, & quibus non eſſet ſolus uſurus, ſed quæ Epiſcopis & Presbyteris communicarentur cum dependentia ab illo: & Chriſtum non ſolùm Petrum, ſed etiam Eccleſiam in Petro tanquam in Principe & univerſali Paſtore allocutum eſſe: nec Petro ſolùm, ſed etiam Eccleſiæ in Petro promiſſas eſſe claves, quatenus promittebantur Petro claves, quibus ut Eccleſiæ Princeps & univerſalis Paſtor ac Moderator ad commune Eccleſiæ bonum uteretur, quæque cæteris Eccleſiæ Miniſtris communicandæ eſſent cum ſubordinatione & dependentia ab illo ut ſupremo Eccleſiæ Paſtore ac capite, *cujus Eccleſiæ, Petrus Apoſtolus, propter Apoſtolatus ſui Primatum, gerebat figurata generalitate perſonam*, ait S. Auguſtinus, tract. ult. in Joann.

Dices. 2. Per hæc verba (*tibi dabo claves Regni Cœlorum*) Chriſtus voluit remunerare confeſſionem divinitatis ſuæ factam à Petro. At Petrus nomine omnium Apoſtolorum confeſſus eſt divinitatem Chriſti. Ergo verba illa ſpectant æquè alios Apoſtolos ac Petrum.

Reſp. Nego min. Nam Petrus à cæteris Apoſtolis provinciam confitendi divinitatem Chriſti non acceperat. Petrus enim divinitatem Chriſti, non ex humana conſultatione, ſed ex revelatione divina didicit, nec ſciebat an idem aliis revelatum eſſet. Imò tunc ſoli Petro divinitas Chriſti revelata eſt, ut teſtatur ipſe Chriſtus Petro divinitatem ſuam confitenti reſpondens his verbis: *beatus es, Simon Barjona, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus qui in Cœlis eſt.*

Igi-

Igitur Petrus ſuo proprio nomine & primus & ſolus divinitatem Chriſti confeſſus eſt his verbis: *tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Proinde Petrus in propria perſona confeſſus eſt Chriſti divinitatem, & conſequenter in propria perſona promiſſionem clavium accepit.

Petrus tamen aliquo ſenſu dici poteſt nomine aliorum Apoſtolorum reſpondiſſe, quatenus nempe ut Princeps & caput cæterorum reſpondit, ejusque reſponſionem cæteri ſilentio ſuo comprobarunt; quamvis primus & ſolus & in propria perſona reſponderit. Hinc illud S. Cyrilli Alexandr. lib. 12. in Joan. c. 64. *ut Princeps Caputque cæterorum primus exclamat: tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Et illud S. Leonis, ſerm. 2. de SS. Petro & Paulo: *Ille primus eſt in Domini confeſſione, qui primus eſt in Apoſtolica dignitate.*

Dices. 3. Cæteri Apoſtoli habuerunt claves Regni Cœlorum, & ſummam jurisdictionis poteſtatem. Nam Chriſtus, Joann. cap. 20. dixit omnibus Apoſtolis: *ſicut me miſit Pater, & ego mitto vos, &c.* Ergo ex clavibus Regni Cœlorum Petro promiſſis malè colligitur ejus Primatus.

Reſp. Diſting. antec. Cæteri Apoſtoli habuerunt claves, & ſummam jurisdictionis poteſtatem in tota Eccleſia, ut extraordinarii Legati, & cum ſubjectione ad Petrum, *conc. anteced.* ut Paſtores ordinarii, & ſine ſubjectione ad Petrum, *nego antec.* Nam cùm ſoli Petro coram aliis Chriſtus dixerit, Matth. c. 16. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum: & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis, &c.* Et Joan. c. 21. *paſce oves meas;* Petro promiſſa & data eſt ſumma jurisdictionis ſpiritualis poteſtas ſpeciali, ſingulari, & diverſo, ac præſtantiori modo, atque ut Paſtori ordinario, à quo cæteri Paſtores penderent, & cujus poteſtas ad Succeſſores tranſitura eſſet.

Obj. 3. Hæc Chriſti verba (Joann. c. 21. *paſce oves meas*) dicta ſunt omnibus Miniſtris Eccleſiæ. Nam ipſe Petrus, in 1. ſua epiſtola c. 5. hortatur Compresbyteros, ut paſcant gregem Dei.

Reſp. Petrus Hortatur, ut paſcant gregem Dei particularem, & ſuæ curæ commiſſum, non autem univerſalem, ſeu totam Eccleſiam; nam ſic ait: *paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei.*

Dices 1. Auguſtinus, l. de Agone Chriſtiano, c. 30. ait: *cùm ei,* (Petro) *omnibus dicitur, amas me. Paſce oves meas.* Ergo ex S. Doctore hæc verba (*paſce oves meas*) omnibus Paſtoribus æque ac Petro dicta ſunt.

Reſp. Nego conſeq. Nam S. Doctor ibi deſignat ſenſum dumtaxat accommodatitium & ſecundarium, non litteralem & primarium. *Aliis omiſſis, ſolum Petrum alloquitur: os erat Apoſtolorum, & Princeps & vertex ipſius cœtus... fratrum curam ei committit,* inquit S. Chryſoſtomus, Homil. ult. in Joann. Vel ad ſummum S. Auguſtinus ſolùm ſignificare vult, quòd Petrus, cùm audivit has voces, *paſce oves meas*, repræſentavit omnes Eccleſiæ Miniſtros, non ut Legatus quidam, & Vicarius eorum, ſed ut Princeps, ac ſupremus Rector univerſæ Eccleſiæ, à quo in partem ſollicitudinis vocari poſſent, ac deberent; non tamen in plenitudinem poteſtatis: ita ut hæc verba (*paſce oves meas*) primò & principaliter dicta ſint ipſi Petro in propria perſona, ſecundariò verò omnibus Eccleſiæ Miniſtris in ipſo Petro tanquam Principe illos repræſentante, qui per hæc verba (*paſce oves meas*) poteſtatem paſcendi gregem Chriſti accipiebat, non qua ſolus uteretur, ſed quæ aliis communicaretur cum dependentia ab ipſo.

Dices 2. Hæc vox *paſce* non continet inſtitutionem alicujus poteſtatis, ſed dumtaxat præceptum.

Reſp. Nego. Utrumque enim continet: nam per has voces (*paſce oves meas*) inſtituitur obligatio regendi Eccleſiam: ita ut per illas non imponatur obligatio regendi Eccleſiam, niſi quia per illas inſtituitur Principatus totius Eccleſiæ.

Dices 3. Hoc verbum (*paſce*) non imponit Chriſtianis obligationem obediendi: ergo nec tribuit poteſtatem regendi illos.

Reſp. Nego anteced. Nam hoc ipſo quòd Chriſtus inſtituit Petrum Paſtorem Eccleſiæ, & eum obligat ad paſcendas & regendas oves, ſimul præcipit ovibus, ut ſe paſci & regi ſinant, ideoque obediant; quia poteſtas paſcendi

ac regendi, & obligatio obediendi Paſtori, ac Rectori ſunt duo correlativa, quorum unum ſine alio non poteſt eſſe.

Dices 4. Paſcere eſt dumtaxat cibum miniſtrare, quod inferioris officium eſt. Ergo hoc non ſignificat poteſtatem regendi.

Reſp. Nego anteced. Nam paſcere propriè loquendo eſt cibum procurare & providere: neque enim propriè loquendo paſcere dicitur is, qui quocunque modo miniſtrat cibum, ſed qui illum procurat & providet. Unde ſervi non dicuntur paſcere Dominos ſuos, quamvis cibos ad menſas Dominorum afferant: è contra ſervi verè dicuntur paſci à Dominis ſuis; quia Domini ſervis cibos providet. Providere autem ſuperioris eſt, non inferioris: ac proinde paſcere officium eſt ſuperioris. Præterea vox Græca, qua uſus eſt Evangeliſta, ſignificat paſcere regendo, & præſidendo.

Dices 5. Omnes Apoſtoli fuerunt Paſtores univerſæ Eccleſiæ.

Reſp. Fuerunt, ſed non eodem modo, quo fuit Petrus. Nam Petrus fuit primus, & ordinarius Paſtor univerſæ Eccleſiæ: cæteri verò Apoſtoli non fuerunt univerſæ Eccleſiæ Paſtores, niſi ut Legati, & cum ſubjectione ad Petrum ut primum & ordinarium univerſæ Eccleſiæ Paſtorem, ideoque ut ipſorum Caput.

§. III.

Solvuntur aliæ Objectiones.

Obj. 1. Nullibi Petrus dicitur in Scriptura exercuiſſe Primatum Jurisdictionis in Eccleſia: ergo non habuit.

Reſp. 1. Nego conſeq. Quia non omnia, quæ Apoſtoli egerunt, narrantur in Scriptura.

Reſp. 2. Nego anteced. Nam ſtatim poſt Aſcenſionem Chriſti ſe geſſit, & exercitio probavit Petrus ſummum totius Eccleſiæ Paſtorem. 1. Enim ſolus Petrus, Act. c. 1. propoſuit, & juſſit fieri electionem novi Apoſtoli proditori Judæ ſubſtituendi. 2. Die Pentecoſtes tanquam cæterorum Princeps Chriſtum Judæis primus annuntiavit, fratrumque defenſionem ſuſcepit. 3. Primus primitias Gentium Deo conſecravit in Cornelio, quem cum tota ejus domo baptizavit. 4. In Concilio Apoſtolorum & Diſcipulorum Hieroſolymis celebrato Præſidem egit, ut conſtat ex Act. c. 15. ubi dicitur: *Surgens Petrus dixit ad eos, &c.* Atque (ut obſervat Lucas) audita Petri ſententia, *tacuit omnis multitudo*, cùm antea *magna conquiſitio fieret*. Unde 5. ubi Petrus Herodis juſſu in carcerem conjectus eſt, *oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia ad Deum pro eo.* Act. c. 12. Neque ſimiliter facta legitur pro Jacobo, qui antea detentus fuerat, & demum occiſus fuit ab Herode; quia ſcilicet multùm inter membrum, & ipſum caput intereſt.

Obj. 2. Act. c. 10. Petrus neſciebat, an ſibi liceret prædicare Gentibus.

Reſp. Neg. Nam audierat à Chriſto: *Dicere omnes gentes. Paſce oves meas.* Sed ſolùm dubitabat, num tempus Gentilibus prædicandi adveniſſet; quia Chriſtus Apoſtolis præceperat, ut primò Jeroſolymis, deinde in reliqua Judæa, poſtea in Samaria, poſtremò in regionibus Gentium prædicarent, juxta illud Act. c. 1. *Eritis mihi teſtes in Jeruſalem, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ.*

Obj. 3. Gal. c. 2. Paulus teſtatur Petrum nihil ſibi contuliſſe: item Petrum agnoviſſe eum ut ſocium: *Dexteras*, inquit, *dederunt mihi, & Barnabæ ſocietatis.* Imò reprehendit Petrum, quòd ipſe, venientibus Judæis, ſubtraheret ſe à Gentilibus.

Reſp. Paulus ibi teſtatur ſe non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo Chriſto totam doctrinam ſuam accepiſſe, & à Chriſto immediatè miſſum eſſe ſicut miſſi ſunt alii Apoſtoli, ſed ſine præjudicio Primatus Petri, & cum ſubjectione ad ipſum. Ex eo autem, quòd Petrus agnoverit Paulum ſocium in officio prædicandi, non ſequitur Paulum fuiſſe æqualem Petro in officio gubernandi.

Equidem Paulus reprehendit Petrum, ſed ut inferior ſuperiorem, non per auctoritatem in illum, ſed per correctionem fraternam, quam ex charitate inferiores debent ſuperioribus malè agentibus, ut SS. Auguſtinus, Gregorius, & alii docent. Porro Petrus à Pau-

lo reprehenſus fuit, non propter errorem in Fide, ſed propter imprudentem ejus agendi rationem, & timorem, ne Judæos à ſe alienaret, ſive non propter errorem doctrinæ, ſed exempli.

Inſt. Paulus ibidem ait: *Cùm vidiſſent, quod creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis.* Ergo jurisdictio diviſa fuit inter Petrum & Paulum. Ergo,&c.

Reſp. Nego conſeq. Quia Paulus verbis illis ſolùm ſignificat ſe principaliter deſtinatum eſſe à Chriſto ad prædicandum Evangelium Gentibus, ſicut Petrus principaliter deſtinatus erat ad prædicandum Judæis. Quod non impedit, ne Petrus ſuperior fuerit Pauli.

Nota. Omnes Apoſtoli acceperunt à Chriſto poteſtatem prædicandi omnibus omnino hominibus tum Judæis, tum Gentilibus, juxta illud, Marc. c. ult. *Prædicate Evangelium omni creaturæ.* Petrus tamen principale mandatum habuit prædicandi Judæis, Paulus verò prædicandi Gentibus, ſic tamen, ut Petrus prædicare poſſet etiam Gentibus, ut conſtat ex ejus teſtimonio, Act. c. 15. *Vos ſcitis*, inquit, *quoniam ab antiquis diebus Deus elegit per os meum Gentes audire verbum Evangelii, & credere:* Paulus verò poſſet etiam prædicare Judæis, juxta illud, Act c. 9. *Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & Filiis Iſrael.* Quamvis autem Apoſtoli omnes omnibus hominibus prædicare jure divino poſſent, tamen Provincias inter ſe diſtribuerunt, ut Evangelium toto orbe faciliùs & citius propagaretur. Fideles verò ab aliis Apoſtolis converſi ſubjecti erant Petro ut Apoſtolorum, & Fidelium omnium Principi, ac Capiti.

Obj. 4. Multi Patres docent Apoſtolos omnes fuiſſe pares Petro. Ergo Petrus non habuit Principatum totius Eccleſiæ.

Reſp. Equidem cæteri Apoſtoli fuerunt pares Petro in aliquibus, ſed ſimul inferiores in aliis. Fuerunt pares honore quoad miſſionem ſuam, quatenus à Chriſto immediatè miſſi ſunt, ſicut ipſe Petrus miſſus eſt: & ligandi, ac ſolvendi poteſtatem immediatè à Chriſto acceperunt, ſicut ipſe accepit. Fuerunt etiam pares poteſtate quoad univerſalitatem, quatenus prædicandi, & ligandi, ac ſolvendi poteſtatem univerſalem, ſeu quam in toto terrarum orbe exercere poſſent, à Chriſto acceperunt. Sed ſimul fuerunt Petro inferiores in duobus. 1. In eo, quòd univerſalem illam poteſtatem ac Jurisdictionem ſpiritualem acceperunt à Chriſto cum quadam ſubjectione ad Petrum, & quòd Petrus non ſolùm Apoſtolatus honorem cum aliis acceperit, ſed etiam inſtitutus ſit à Chriſto Fundamentum, Caput, & ordinarius Paſtor univerſalis Eccleſiæ, proindeque etiam aliorum Apoſtolorum, cùm ipſi ſint de corpore Eccleſiæ, & de ovili Chriſti perinde ac alii Fideles: ita ut Petrus alios Apoſtolos perinde ac cæteros Fideles poſſet regere, & in Fide confirmare, eisque (ſi bonum Eccleſiæ poſtularet) modum & locum exercendi munia Apoſtolica præſcribere. Quod paucis docet S. Leo, epiſt. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem his verbis: *Inter Beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis: & cùm omnium par eſſet electio* (ad Apoſtolatum) *uni tamen datum eſt, ut cæteris præemineret.* 2. In eo, quòd Petrus Jurisdictionem in univerſam Eccleſiam à Chriſto acceperit ut ordinariam, & uſque ad finem mundi duraturam, ideoque ad ejus Succeſſores omnes uſque ad finem mundi tranſituram; cùm cæteri Apoſtoli univerſalem Jurisdictionem acceperint ut extraordinariam, & tanquam delegati: unde poſt eorum mortem non tranſit ad eorum Succeſſores; nam Epiſcopi, qui ſunt Succeſſores Apoſtolorum, non habent eandem auctoritatis amplitudinem, ſed Jurisdictionem limitatam ad ſuas Diœceſes.

Inſt. S. Ambroſius l. de Incarnatione, c. 4. de Petro hæc ait: *Statim loci non immemor ſui Primatum egit, Primatum Confeſſionis utique, non Honoris: Primatum Fidei, non Ordinis.*

Reſp. Solùm vult Petrum non ſuſtinuiſſe, ut alius gloriam Confeſſionis Divinitatis Chriſti ſibi præriperet; ſed primum voluiſſe Chriſti Divinitatem ſibi à Patre revelatam profiteri: atque ita geſſiſſe Primatum, non Honoris, ſed Confeſſionis, non Ordinis, ſed Fidei. Unde ibi non agitur de Primatu Jurisdictionis,

ac poteſtatis. Quod patet ex his Ambroſii verbis ſubſequentibus: *Hoc eſt dicere, nunc nemo me vincat: nunc meæ partes ſunt. Debeo compenſare, quod tacui.* Sed ibidem S. Doctor non obſcurè docet, Petrum propter hunc Fidei & Confeſſionis Primatum accepiſſe Primatum Dignitatis & Poteſtatis, nam ibidem ſic ait: *Hic eſt ergo Petrus, qui reſpondit præ cæteris Apoſtolis, imò pro cæteris, & ideo fundamentum dicitur.* Et alibi Primatum Petri clarè exprimit. Præterea Petrus vivente in terris Chriſto non habuit, nec geſſit Primatum Eccleſiæ, ſed tantùm poſt Chriſti mortem; nam Chriſtus in terris mortalem vitam agens per ſe viſibiliter regebat Apoſtolos, nec egebat Vicario.

Obj. 5. Paulus per antonomaſiam vocatur Apoſtolus. Ergo major, aut ſaltem æqualis fuit Petro etiam auctoritate & dignitate.

Reſp. Nego conſeq. Nam ideo Paulus per antonomaſiam vocatur Apoſtolus, quia plura ſcripſit, plus omnibus laboravit, & Fidem latiùs propagavit.

Inſt. 1. Petrus & Paulus dicuntur Principes Apoſtolorum. Ergo Paulus fuit æqualis Petro.

Reſp. Nego conſeq. Quia dicuntur Principes Apoſtolorum in diverſo ſenſu, ſeu diverſa ratione. Nam Petrus eſt Princeps Apoſtolorum, quia à Chriſto univerſæ Eccleſiæ Caput & Paſtor ſupremus conſtitutus eſt: Paulus verò dicitur Apoſtolorum Princeps, non auctoritate, ſed quia unus ex omnibus Apoſtolis munus Apoſtolicum litteris, prædicationibus, & laboribus ſuis excellentiſſimè implevit. Breviùs: Petrus eſt Apoſtolorum Princeps dignitate & poteſtate: Paulus verò opere & Apoſtolici muneris exercitio, ac fructu.

Inſt. 2. In antiquis ſigillis, quibus obſignantur diplomata Romanorum Pontificum, cernitur Pauli imago ad dextram imaginis Petri. Ergo.

Reſp. 1. In aliquibus imaginibus Paulus non ſemper locum dextrum obtinet, ſed modò dextrum, modò ſiniſtrum: ſic in numiſmatibus cernitur ad ſiniſtrum, & in diplomatibus ad dextrum. Sed ita Paulus in diplomatibus ad dextrum collocatur, ut Petrus præcedat, & ferè totum tegat: quod ſignum eſt dignitatis in Petro, & obſequii in Paulo. Quodſi alibi Petrus non præcedat, nec tegat Paulum ad dextram collocatum, id pictorum imperitiæ, aut inadvertentiæ, ſicut multa alia, adſcribi debet.

Reſp. 2. Nego conſeq. Tum quia Petrus in omnibus aliis rebus ſemper Paulo anteponitur: nam dum nominantur & invocantur, aut aliquo die feſto honorantur, ſemper Petrus primus nominatur, invocatur, & honoratur. Tum quia etiamſi ex inſtitutione, & voluntate Eccleſiæ Paulus in ſignis & imaginibus dextrum locum honoris cauſa obtineret, non inde ſequeretur, Paulum Petro majorem aut parem eſſe auctoritate & dignitate; quia Eccleſia in honorandis & colendis Sanctis, ſæpè magis attendit ad utilitatem ab ipſis, dum in terris degerent, ſibi allatam, quàm ad dignitatem & auctoritatem, quam in terris obtinuerunt. Nam aliquibus particularium Eccleſiarum Epiſcopis, imò & Presbyteris & Diaconis majorem exhibet honorem, quàm aliquibus Romanis Pontificibus, qui ei minùs profuerunt. S. autem Paulus plus Eccleſiæ profuiſſe videtur quàm S. Petrus, ſpectata præcisè perſona non dignitate, cùm plures ad Fidem converterit, & plures Epiſtolas Eccleſiæ reliquerit.

Obj. 6. Jacobus Alphæi filius fuit Epiſcopus Jeroſolymæ. Ergo fuit Vicarius Chriſti, qui primus eſt Jeroſolymæ Epiſcopus. Ergo, &c.

Reſp. Nego conſeq. Nam Chriſtus non fuit Epiſcopus alicujus particularis Eccleſiæ, ſed fuit, & eſt totius Eccleſiæ Pontifex, qui, cùm vivat in æternum, non poteſt habere Succeſſorem: non enim ſucceditur niſi mortuo, vel legitimè depoſito. Habet tamen ſupremum & univerſalem in terris Vicarium, nempe Petri in Sede Romana Succeſſorem.

Inſt. 1. Jeroſolyma fuit Mater omnium Eccleſiarum. Ergo Jacobus fuit Pater omnium Eccleſiarum, non Petrus.

Reſp. Jeroſolyma fuit Mater omnium Eccleſiarum antiquitate, non verò auctoritate & officio gubernandi.

Inſt. 2. Conc. Nicænum I. Primatum contulit Epiſcopo Jeroſolymitano. Ergo.

Reſp. Nego anteced. Sed ſolùm ei conceſſit quartum inter Patriarchas locum, & quidem dumtaxat quoad honorariam ſeſſionem, non quoad jurisdictionem; nam etiam poſt Concilium Nicænum Jeroſolymitanus Epiſcopus ſubjectus erat Epiſcopo Cæſarienſi totius Palæſtinæ Metropolitano.

Obj. 7. Luc. 22. Chriſtus volens Diſcipulorum ambitionem, ac ſuperbiam coërcere, ait: *Reges gentium dominantur eorum: & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur: Vos autem non ſic.* Ergo Chriſtus non vult, ut aliquis inter Diſcipulos aliis præſit. Ergo, &c.

Reſp. Nego conſeq. Nam Chriſtus per hæc verba *(vos autem non ſic)* ſignificat tantùm ſe nolle, ut is, qui cæterorum Princeps erit, illis imperet ſuperbè, durè, importunè, avarè, &c. ſicut Reges Gentium ſubditis ſuis imperare ſolent, ut patet ex verbis ſequentibus; nam ſtatim ſubjicit Chriſtus: *Sed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui Præceſſor eſt, ſicut Miniſtrator. Nam quis major, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum, ſicut qui miniſtrat.* Quibus verbis Chriſtus ſupponit, & judicat unum inter Apoſtolos fore cæteris majorem dignitate, & ſuperiorem, quem monet, ut cùm ſuperior conſtitutus fuerit, inferiores ſuos maxima manſuetudine, humilitate, & charitate regat, ei ſeipſum ſummum omnium Dominum in exemplum proponens.

Obj. 8. Apoſtoli Act. c. 8. mittunt Petrum Samariam. Ergo non agnoſcebant Petrum ſuum Principem.

Reſp. Miſerunt Petrum in Samariam, non per mandatum, ſed per conſilium & ſuaſionem, ut Fideles in Fide confirmaret.

Obj. 9. Juxta multos Patres Petrus & Paulus fuerunt pares auctoritate, & dignitate; nam 1. S. Irenæus, l. 3. c. 3. dicit Eccleſiam Romanam à SS. Petro & Paulo inſtitutam fuiſſe, ac fundatam. 2. S. Epiphanius, hæreſi 27. ait: *Romæ primi omnium Petrus & Paulus Apoſtoli pariter & Epiſcopi fuerunt.* 3. S. Leo, ſerm. de Natali Apoſtolorum Petri & Pauli, eos appellat *Romanæ Urbis Patres & Paſtores.* 4. S. Gregorius, l. 1. Dialog. cap. 12. ait: *Paulus Apoſtolus Petro Apoſtolorum primo in Principatu Apoſtolico frater.* 5. In eorum Officio dicuntur Principes terræ. 6. Romani Pontifices ſe dicunt Succeſſores Petri & Pauli. Unde Paulus III. in convocatione Concilii Tridentini ſic ait: *Auctoritate BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, qua nos quoque in terris fungimur.*

Reſp. Nego anteced. Ad 1. prob. *reſp.* Inde non ſequitur Paulum fuiſſe Caput Eccleſiæ univerſalis, ſicut revera fuit Petrus.

Ad 2. *reſp.* Epiphanius ſolùm vult Petrum & Paulum fuiſſe Romæ Epiſcopos quoad munus docendi, non verò quoad auctoritatem regendi, & Epiſcopatum univerſalem totius Eccleſiæ ordinarium, ac ſupremum, qualem ſolus Petrus habuit.

Ad 3. *reſp.* Meritò Petrus & Paulus vocantur Patres Urbis Romæ; quia Romanos in Fide genuerunt: Paſtores verò; quia eos verbo & doctrina paverunt. Paulus autem cum Petro Eccleſiam Romanam regebat, ſed cum ſubordinatione & dependentia ab ipſo.

Ad 4. *reſp.* Paulus fuit Petro in Apoſtolico Principatu frater, quatenus erat Apoſtolus Chriſti ſicut Petrus, ſed non ideo par auctoritate & dignitate fuit. Sic Chriſtus poſt Reſurrectionem ſuam Apoſtolos vocat fratres: item Papa appellat Epiſcopos fratres: non ideo tamen illos æquales ſibi facit. Sic etiam Reges habent fratres, qui tamen Regibus ſunt inferiores. Igitur Paulus fuit frater Petri, ſed minor dignitate & auctoritate.

Ad 5. *reſp.* Petrus & Paulus ſunt Principes terræ & Eccleſiarum, ſed cum dependentia unius ab alio, nec pari cum auctoritate. Sic Epiſcopi ſunt Principes Eccleſiæ, ſed dependentes à Summo Pontifice.

Ad 6. *reſp.* 1. Romani Pontifices ſe dicunt Succeſſores Pauli, ſed quoad ſucceſſionem localem, non quoad univerſalem Primatum & Jurisdictionem: nam Jurisdictionem univerſalem & ſucceſſionem in regimine & Primatu totius Eccleſiæ accipiunt, non quia

Paulo

Paulo ſuccedunt, ſed quia Petro perſonaliter ſuccedunt ejus munus obeundo.

Reſp. 2. Hoc loquendi modo intelligitur patrocinii auctoritas, quæ ad officium ritè obeundum impetretur. Sic Nicolaus I. in ſententia contra Photium lata dicit ſe id facere auctoritate non ſolùm Petri, ſed etiam Sanctorum omnium.

Porro aſſerere Paulum fuiſſe cum Petro Caput Eccleſiæ, & ſic fuiſſe duo Capita Eccleſiæ, eſt hæreſis, ut conſtat ex dictis, & ex dicendis. Et hanc propoſitionem aſſertam à Janſeniſtis ut hæreticam damnavit Innocentius X. anno 1647. his verbis: *Sanctiſſimus relata unanimi Theologorum ad hoc ſpecialiter deputatorum cenſura, & auditis votis Eminentiſſ. & Reverendiſſ. Cardinalium Generalium Inquiſitorum, propoſitionem hanc: S. Petrus & Paulus ſunt duo Eccleſiæ Principes, qui unicum efficiunt. Vel: ſunt duo Eccleſiæ Catholicæ Coryphæi, ac ſupremi Duces ſumma inter ſe unitate conjuncti. Vel: ſunt geminus univerſalis Eccleſiæ vertex, qui in unum diviniſſimè coaluerunt. Vel: ſunt duo Eccleſiæ ſummi Paſtores ac Præſides, qui unicum Caput conſtituunt; ita explicatam, ut ponat omnimodam æqualitatem inter S. Petrum & S. Paulum ſine ſubordinatione & ſubjectione S. Pauli ad S. Petrum in poteſtate ſuprema, & regimine univerſalis Eccleſiæ, hæreticam cenſuit, & declaravit.*

ARTICULUS II.

Utrùm Primatus totius Eccleſiæ Petro datus tranſeat ad omnes ejus Succeſſores?

Dico. Totius Eccleſiæ Primatus Petro datus tranſit ad omnes ejus Succeſſores. Eſt de Fide.

Prob. 1. Ex Scriptura, Matth. c. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* His verbis Chriſtus clarè promittit Petrum fore fundamentum Eccleſiæ, & hanc Eccleſiam, quæ in Petro fundabitur, fore perpetuam, ut etiam Traditio ſemper intellexit. Ergo vi promiſſionis Chriſti Petrus futurus eſt fundamentum Eccleſiæ perpetuæ: & conſequenter futurus eſt fundamentum perpetuum Eccleſiæ: nam ædificii perpetui fundamentum debet eſſe perpetuum. Ergo Petrus vi promiſſionis Chriſti futurus fuit fundamentum perpetuum Eccleſiæ, vel in propria perſona, vel in perſona Succeſſorum ſuorum. At non potuit eſſe futurus fundamentum perpetuum Eccleſiæ in propria perſona: nam moriturus erat, & per mortem ceſſaturus ab officio fundamenti, ſeu Capitis viſibilis, ac Rectoris Eccleſiæ. Ergo futurus fuit fundamentum perpetuum Eccleſiæ in perſona Succeſſorum ſuorum. Ergo vi promiſſionis Chriſti omnes Petri Succeſſores ſunt fundamentum Eccleſiæ, ideoque habent Primatum Eccleſiæ: nam eſſe fundamentum Eccleſiæ eſt habere Primatum Eccleſiæ, ſeu eſſe Caput & ſupremum Rectorem Eccleſiæ.

Eadem veritas oſtenditur ex his Chriſti verbis, Joann. c. 21. *Paſce oves meas:* quæ dicuntur Petro non ſolùm in propria perſona, ſed etiam in perſona omnium ejus Succeſſorum. Nam his verbis Chriſtus dat Petro poteſtatem paſcendi & regendi oves ſuas ſine ulla temporum limitatione, & ex intentione providendi Eccleſiæ ſuæ, quamdiu duratu a eſt, nempe uſque ad finem mundi, & Petrus à Chriſto conſtituitur Paſtor, ac Rector omnium Chriſti ovium, proindeque Fidelium omnium temporum uſque ad finem mundi, cùm Fideles omnium temporum ſint oves Chriſti. Ergo Petrus vi inſtitutionis Chriſti eſt ſupremus Paſtor & Rector omnium Fidelium cujuslibet temporis, & Eccleſiæ uſque ad finem mundi, cùm Eccleſia uſque ad finem mundi duratura ſit in terris. Atqui Petrus nec eſt, nec poteſt eſſe Paſtor & Rector Fidelium cujusvis temporis & Eccleſiæ uſque ad finem mundi niſi in ſuis Succeſſoribus: nam nec eſt, nec poteſt eſſe talis in propria perſona, cùm jam à multis ſæculis mortem pro Fide oppetierit, ſicque ceſſarit à munere Paſtoris Eccleſiæ. Ergo Petrus vi inſtitutionis Chriſti, ideoque jure divino eſt in ſuis Succeſſoribus ſupremus Paſtor ac Rector Eccleſiæ omnium temporum uſque ad finem mundi. Ergo, quod idem eſt, vi inſtitutionis Chriſti, & jure divino Succeſſores Petri ſunt ſupremi Pa-

Paſtores ac Rectores Eccleſiæ uſque ad finem mundi: & conſequenter moriente Petro Principatus Eccleſiæ tranſiit, & uſque ad finem mundi tranſibit ad ejus Succeſſores.

Prob. 2. Ex Patribus & Conciliis infra laudandis, docentibus Romanos Pontifices eſſe Caput & Rectores totius Eccleſiæ, quia ſunt Succeſſores Petri. Hìc ſufficiat Leo Magnus, ſerm. 2. de die anniverſario aſſumptionis ſuæ ad Pontificatum, ubi ait: *Soliditas illius Fidei, quæ in Apoſtolorum Principe eſt laudata, perpetua eſt: & ſicut permanet, quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Chriſtus inſtituit.* Et inferiùs: *Celebratur hodierna feſtivitas, ut in perſona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium Paſtorum ſollicitudo cum commendatarum ſibi ovium cuſtodia perſeverat, & cujus etiam dignitas in indigno hærede non deficit.*

Confirm. Chriſtus inſtituit in perpetuum id, quod ad bonum ſtatum & regimen Eccleſiæ neceſſarium eſt: alioqui non benè proviſiſſet Eccleſiæ ſuæ ſponſæ. Sed ad bonum Eccleſiæ ſtatum & regimen neceſſarius eſt Paſtor univerſalis & Princeps totius Eccleſiæ: nam neceſſarius eſt ad impedienda vel tollenda ſchiſmata, ad unitatem Fidei & diſciplinam Eccleſiæ ſervandam, ad cogenda & regenda Concilia Generalia, ad decidendas Fidei controverſias, iis præſertim temporibus, quibus Concilia Generalia celebrari nequeunt, aut non niſi rarò poſſunt, ad propagandam Fidem per totum orbem, &c.

Ex dictis collige, moriente Petro claves regni Cœlorum, & Primatum Eccleſiæ tranſiſſe ad ejus Succeſſores, qui claves illas, & Primatum Eccleſiæ accipiunt, non ab Eccleſia, ſed à Chriſto immediatè, non nova Traditione, ſed antiqua Inſtitutione. Nam Chriſtus hæc verba, (Matth. c. 16. *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, Et Joann. c. 21. *paſce oves meas*) dicebat non ſolùm Petro, ſed etiam omnibus ejus Succeſſoribus in ipſo: unde tunc non ſolùm Petro, ſed etiam ejus Succeſſoribus Principatum totius Eccleſiæ promiſit & dedit.

Obj. 1. Moriente Petro perierunt claves ei datæ; nam nullibi manſerunt ante electionem ejus Succeſſoris.

Reſp. Nego. Nam tunc claves manſerunt in manibus Chriſti, à quo poſt legitimam electionem Succeſſor Petri illas accipit. Sive inſtitutio Principatus Eccleſiæ à Chriſto facta ſubſiſtit ſemper: & vi illius ſemel factæ Succeſſor Petri legitimè electus, hoc ipſo accipit Principatum Eccleſiæ, quatenus Chriſtus dicendo: *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c. paſce oves meas*; non ſolùm promiſit & dedit Petro totius Eccleſiæ Principatum, ſed etiam ſtatuit, & voluit, ut omnes ejus Succeſſores legitimè electi, hoc ipſo & ſine nova Traditione eundem Eccleſiæ Principatum haberent.

Dices. Cardinales nomine totius Eccleſiæ eligendo Summum Pontificem, conferunt ei totius Eccleſiæ Principatum & Jurisdictionem univerſalem. Ergo illum non accipit à Chriſto, &c.

Reſp. Nego anteced. Sed Cardinales eligunt & deſignant duntaxat perſonam, cui, ſuppoſita electione legitima, competit totius Eccleſiæ Principatus, & Jurisdictio univerſalis vi inſtitutionis Chriſti factæ per verba ſupra dicta, ita ut legitima electio ſit tantùm conditio requiſita, qua poſita confertur immediatè à Chriſto ſuprema Poteſtas, & Jurisdictio in totam Eccleſiam.

Obj. 2. Hæc verba Chriſti, Matth. c. 16. *tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.* dicta ſunt ſoli Petro, perinde ac iſta: *vade poſt me, Satana.*

Reſp. Nego. Quia aliqua dicta ſunt Petro pro ipſo tantùm, quæ ſcilicet ei dicuntur propter aliquid ipſi perſonale & privatum, ut iſta: *vade poſt me, Satana. Ter me negabis.* Quæ ſignificant aliquid ſoli Petro privatim conveniens. Aliqua verò dicta ſunt Petro pro ipſo & Succeſſoribus ejus: quæ ſcilicet ei dicuntur ut Paſtori & Rectori Eccleſiæ, ut iſta: *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Paſce oves meas:* quia munus Paſtoris ac Rectoris Eccleſiæ perpetuæ debet eſſe perpetuum. Unde quæ alicui ut tali dicuntur, ſpectant etiam Succeſſores ejus.

AR-

ARTICULUS III.

Utrùm S. Petrus fuerit Epiſcopus Urbis Romæ, & ibi mortuus ſit?

Dico 1. Petrus Romæ mortuus eſt.

Prob. 1. Ex Scriptoribus Eccleſiaſticis omninò fide dignis. Hìc ſufficiant aliqui, videlicet S. Dionyſius Corinthius Auctor antiquiſſimus apud Euſebium, l. 2. Hiſt. c. 25. Origenes apud eundem Euſebium, l. 3. Hiſt. c. 1. *At Petrus .... qui ad extremum Romam veniens, cruci ſuffixus eſt, capite deorſum demiſſo.* Ipſe Euſebius, lib. 2. Hiſt. c. 25. *Paulus quidem Romæ capite truncatus, Petrus verò cruci ſuffixus fuiſſe eodem regnante* (Nerone) *traduntur. Quam quidem narrationem abunde confirmant Petri Paulique nomine inſignita monumenta, quæ in Urbis Romæ cæmeteriis etiamnum viſuntur.* S. Hieronymus de Viris Illuſtribus in Petro. *Simon Petrus ad expugnandum Simonem magum Romam pergit, ibique 25. annis Cathedram Sacerdotalem tenuit uſque ad ultimum annum Neronis, id eſt, decimum quartum, à quo & affixus cruci, martyrio coronatus eſt, capite ad terram verſo.* Idem teſtatur Tertullianus, l. de præſcript. S. Athanaſius, in Apologia pro fuga ſua. S. Ambroſius, in oratione contra Auxentium. S. Aug. l. 1. de conſenſu Evangeliſtarum, c. 10. &c.

Prob. 2. Ex conſenſu omnium Chriſtianorum uſque ad Wicleffum per quindecim ſæcula.

Prob. 3. Ex ipſius Petri ſepulchro, quod Romæ viſitur.

Dico 2. Petrus uſque ad mortem Epiſcopus Romæ fuit.

Prob. 1. Ex teſtimonio Patrum, qui Romanorum Pontificum catalogum texuerunt, inter quos primo loco Petrum recenſent, ut Irenæi, l. 3. cap. 3. Epiphanii, hæreſi 27. Auguſtini, epiſt. 16. &c.

2. Ex unanimi conſenſu omnium Patrum, ut præter citatos, Tertulliani, l. de præſcr. Cypriani, epiſt. 3. ad Cornel. ubi Romanam Sedem vocat Cathedram S. Petri. Athanaſii, ep. ad ſolitariam vitam agentes. Euſebii, in Chronico. Ambroſii, l. 3. de Sacramentis, c. 1. Hieronymi, l. de Viris Illuſtribus in Petro. Auguſtini, variis locis, &c. Quibus adde quàmplurimos Romanos Pontifices apud Bellarminum, qui propter eximiam ſanctitatem minimè ſuſpecti, quamvis in propria cauſa, eſſe poſſunt.

3. Ex Conciliis Generalibus, ut Epheſino, in quo Cœleſtinus I. appellatur *ordinarius Succeſſor & Vicarius S. Petri Apoſtolorum Principis.* Ex Chalcedonenſi, actione 3. ubi Leo dicitur Petri Apoſtoli dignitate præditus Dioſcorum depoſuiſſe.

4. Ex unanimi omnium Chriſtianorum per quindecim ſæcula conſenſu.

5. Ex ſumma dignitate Eccleſiæ Romanæ, quæ ſemper inter omnes Eccleſias primum locum tenuit; eò quòd Petrus Apoſtolorum Princeps fuerit ſpecialis Romanæ Eccleſiæ uſque ad mortem Epiſcopus.

Obj. 1. Petrus nunquam Romam venit. Ergo non fuit Romæ Epiſcopus.

Reſp. Nego antecedens: cujus falſitas patet ex dictis, & adhuc oſtenditur ex 1. epiſtola ipſius Petri, quæ Romæ ſcripta fuit, ut demonſtrant hæc verba, quæ ad finem leguntur: *ſalutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone collecta.* Nam ſecundùm omnes Scripturæ Interpretes per Babylonem ibi intelligitur Roma, tunc Idololatriæ dedita.

Obj. 2. Paulus in multis Epiſtolis, quas Romæ ſcripſit, nullam facit mentionem de Petro. Ergo Petrus nunquam Romam venit.

Reſp. Nego conſeq. Quia 1. fieri potuit, ut Petrus Roma abeſſet, cùm Paulus Epiſtolas ſuas ſcriberet. Nam quamvis Petrus Romæ Sedem ſuam in perpetuum fixiſſet, tamen ſæpe in diverſa loca ad conſtituendas Eccleſias excurrebat. Hinc (ut multi teſtantur) Linum & Cletum ſeu Anacletum ſibi Coadjutores ſeu Vicarios elegit, qui, quando abeſſet, munia Epiſcopalia Romæ obirent. 2. Quia etiamſi Petrus Romæ verſaretur, cùm Paulus Epiſtolas ſuas ſcriberet, nulla erat neceſſitas loquendi de Petro: imò fortaſſe non deerant graves cauſæ ſilendi de Petro, quamvis eas ignoremus. Præterea Paulus non negat Petrum Romæ fuiſſe: & id aliunde ex tam certis argumentis conſtat, ut non niſi imprudenden-

prudentiſſimè, ac ſtultiſſimè in dubium revocari poſſit.

Porro cùm Paulus ad Romanos ſcriberet, Petrus Roma aberat. Nam Paulus epiſtolam illam ſcripſit poſt annum nonum Claudii, quo Petrus Roma expulſus fuit, nec huc reverſus eſt niſi poſt Claudii mortem.

Obj. 3. Auctores, qui ſcripſerunt Petrum Romam veniſſe, diſſentiunt inter ſe de tempore, quo venerit. Ergo Petrus nunquam Romam venit.

Reſp. 1. Nego anteced. Nam eruditi Scriptores: ut Euſebius, in Chronico: & Hieronymus, de Viris Illuſtribus in Petro, conſentiunt Petrum veniſſe Romam anno ſecundo Claudii: à quibus non diſſidet Oroſius, cùm aſſerit veniſſe in exordio Regni Claudii; annus enim ſecundus dici potuit exordium Regni Claudii, qui annos fere quatuordecim imperavit. Aliis verò, qui ſcripſerunt Petrum Romam veniſſe anno tertio vel quarto Claudii, meritò anteponendi ſunt Euſebius, Hieronymus, & Oroſius.

Reſp. 2. Nego conſeq. Nam non ideo factum aliquod falſum eſt ex eo, quòd de aliqua ejus circumſtantia controvertitur: & nobis conſtare poteſt de aliqua re, quamvis non conſtet nobis de aliqua ejus circumſtantia; ſic v. g. nihil certius eſt morte Chriſti, & tamen non conſtat nobis de anno ætatis ejus quo contigit, cùm de eo magna ſit controverſia.

Nota. Poſt Chriſti mortem Petrus in Judæa annis fere quinque manſit. Anno quinto Antiochiam migravit, & hujus urbis Epiſcopus fuit annis fere ſeptem, quo tempore Evangelium in variis Regionibus, nempe in Aſia minore, Bythinia, Ponto, Galatia, Cappadocia & aliis prædicavit. Septimo Antiochienſis Epiſcopatus anno Jeroſolymam rediit, ubi ab Herode Agrippa in carcerem conjectus, & paulò poſt ab Angelo liberatus eſt. Eodem anno, qui erat Claudii ſecundus, Jeroſolyma Romam profectus, ibi Sedem fixit. Roma poſt ſeptem annorum commorationem à Claudio anno Imperii ejus nono, & à morte Chriſti decimo octavo cum cæteris Judæis expulſus eſt: unde Jeroſolymam rediit, & Concilium celebravit. Poſt Claudii mortem Romam reverſus eſt, ubi ultimo Neronis anno Martyrio coronatus fuit: atque ita Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum annis 25. tenuit. Quæ omnia congruunt cum Euſebio, Hieronymo, aliisque probatis Authoribus.

ARTICULUS IV.

Utrùm Epiſcopus Romanus ſuccedat Petro in Primatu.

§. I.

Dico. Epiſcopus Romanus ſuccedit Petro in Primatu, & Jurisdictione univerſali: ſive (quod idem eſt) Epiſcopus Romanus habet jure divino in tota Eccleſia Primatum, & Jurisdictionem ſpiritualem in omnes Fideles tum Laicos, tum Clericos & Epiſcopos. Eſt de Fide contra Græcos Schiſmaticos, Lutheranos & Calviniſtas.

Prob. 1. Principatus totius Eccleſiæ Petro à Chriſto collatus tranſit ad ejus Succeſſores, ut conſtat ex art. 2. Atqui Romanus Epiſcopus eſt Succeſſor Petri: nam Petrus Sedem ſuam Romæ fixit, & ibi mortuus eſt Epiſcopus Romanus, ut conſtat ex art. 3. Ergo totius Eccleſiæ Principatus à Chriſto datus Petro tranſit ad Romanum Epiſcopum. Ergo Romanus Epiſcopus ſuccedit Petro in Primatu Eccleſiæ, ideoque habet jure divino, nempe vi inſtitutionis, & conceſſionis Chriſti totius Eccleſiæ Primatum, &c.

Item aliquis Epiſcopus ſuccedit Petro in Primatu totius Eccleſiæ, ut oſtenſum eſt. At Epiſcopus ille non poteſt eſſe alius, quàm Romanus. Ergo. *Prob. min.* Epiſcopus ille Succeſſor Petri in Primatu Eccleſiæ vel eſt Antiochenus, vel Romanus; nam Petrus nullibi quàm Antiochiæ & Romæ Epiſcopus fuit & nullus alius Epiſcopus unquam ſe dixit, aut dicere potuit Succeſſorem eſſe Petri. At Epiſcopus ille Succeſſor Petri in Primatu Eccleſiæ non eſt Epiſcopus Antiochenus: ergo eſt Romanus. *Prob. min.* Nam Petrus adhuc vivens, & Primatum Eccleſiæ tenens, Eccleſiam Antiochenam reliquit, & Romæ Sedem fixit, ibique mortuus eſt. Ergo Epiſcopus

An-

Antiochenus ſuccedit quidem Petro in particulari Epiſcopatu Eccleſiæ Antiochenæ, non autem in Epiſcopatu & Primatu totius Eccleſiæ, quem Petrus uſque ad mortem retinuit. Nam non ſucceditur niſi cedenti locum vel per mortem, vel per depoſitionem, aut renuntiationem. Hinc Epiſcopus Antiochenus nunquam in Eccleſia habitus eſt Paſtor univerſæ Eccleſiæ, imò tertium duntaxat inter Patriarchas locum obtinet, ut conſtat ex Conc. Nicæno I. Can. 6. & uſu perpetuo. Epiſcopus verò Romanus ſuccedit Petro morienti, proindeque per mortem locum cedenti tum quoad Epiſcoparum particularem Eccleſiæ Romanæ, tum quoad Pontificatum ac Principatum univerſæ Eccleſiæ.

Prob. 2. Ex Conciliis Generalibus. 1. Conc. Nicænum I. Can. 6. qualis refertur actione 16. Concilii Chalcedonenſis, ait: *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum.*

2. Conc. Sardicenſe, in Epiſtola Synodica ad Julium Epiſcopum Romanum ſic ait: *Hoc optimum, & valde congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad Caput, id eſt, ad Petri Apoſtoli Sedem de ſingulis quibuſque provinciis referant Domini Sacerdotes.*

3. Conc. Conſtantinopolitanum I. in epiſt. ad Damaſum. *Quoniam vos, nos velut membra propria per Deo amantiſſimi Imperatoris litteras accerſiviſtis.* Si Epiſcopi in Concilio congregati ſunt membra Damaſi, certè Damaſus eſt illorum & totius Eccleſiæ Caput. Deinde hæc addunt: *Conſtantinopolim convenerамus mandato litterarum ſuperiore anno à veſtra Reverentia ad Imperatorem Theodoſium miſſarum.*

4. Conc. Epheſini Patres, Act. 1. in ſententia depoſitionis Neſtorii Cœleſtinum agnoſcunt ut Patrem ſuum, ideoque Superiorem, & declarant ſe debere illi parere: *coacti*, inquiunt, *per ſacros Canones, & Epiſtolam ſanctiſſimi Patris noſtri & Comminiſtri Cœleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, ad lugubrem hanc contra eum* (Neſtorium) *ſententiam neceſſariò venimus.*

5. Conc. Chalcedonenſe, Act. 1. & 3. vocat Leonem *univerſalis Eccleſiæ Pontificem.* Et in Synodica ad eundem epiſtola loquens de Patribus Concilii ait: *quibus tu quidem, ſicut membris caput, præeras in his, qui tuum tenebant ordinem.* Et inferiùs: *inſuper & contra ipſum* (Leonem) *cui vineæ cuſtodia à Salvatore commiſſa eſt, extendit* (Dioſcorus) *inſaniam... quæ igitur definivimus, dignare complecti, ſanctiſſime & beatiſſime Pater... rogamus igitur, & tuis Decretis noſtrum honora judicium; & ſicut nos Capiti in bonis adjecimus conſonantiam, ſic & ſummitas tua filiis, quod decet, adimpleat.*

6. Concilium Generale Sextum in Synodica ad Agathonem Papam epiſtola ſic eum alloquitur: *maximi morbi majoribus indigent auxiliis, atque idcirco Chriſtus verus Deus noſter ſapientem dedit medicum, veſtram à Deo honoratam Sanctitatem, contagia hæreticæ luis fortiter propulſantem remediis orthodoxiæ, ac valetudinis robur membris Eccleſiæ largientem. Itaque tibi ut primæ Sedis Antiſtiti univerſalis Eccleſiæ, quid gerendum ſit, relinquimus, ſtanti ſuper firmam Fidei petram. Libenter perlectis veræ confeſſionis litteris à veſtra paterna Beatitudine ad piiſſimum Imperatorem miſſis, quas ut à Summo Apoſtolorum vertice divinè perſcriptas, agnoſcimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris Sectam depulimus.* Et infra: *Orthodoxæ Fidei ſplendidam lucem vobiscum clarè prædicavimus: quam ut iterum per honorabilia veſtra reſcripta confirmetis, veſtram oramus paternam Sanctitatem.*

7. Concilium Nicænum II. recipit & approbat epiſtolam Adriani I. ad Tharaſium, in qua hæc leguntur: *cujus Sedes per totum terrarum orbem Primatum obtinens lucet, omniumque Eccleſiarum Dei Caput exiſtit. Unde & ipſe B. Petrus Apoſtolus Dei juſſu Eccleſiam paſcens, nihil omnino prætermiſit, ſed ubique Principatum obtinuit, & obtinet*, in ſuis ſcilicet Succeſſoribus.

8. Concilium Lateranenſe IV. c. 5. hæc ait de Eccleſia Romana: *Diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet Principatum, utpote Mater univerſorum Chriſti Fidelium & Magiſtra.*

9. Conc. Lugdunenſe I. c. *ubi periculum*, de electione in 6. Romanum Epiſcopum vo-

cat Summum Pontificem, Vicarium Chriſti, Succeſſorem Petri, Rectorem univerſalis Eccleſiæ.

10. Concil. Florentinum Græcis & Latinis conſentientibus, ſic in definitione Fidei pronuntiat: *definimus ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere Primatum, & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiusque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere; & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro JEſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe. Quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.* His adde Concilium Lugdunenſe II. c. 1. de Homicid. in 6. & Conc. Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. ubi dicitur: *unde meritò Pontifices Maximi, pro ſuprema poteſtate ſibi in univerſa Eccleſia tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuerunt peculiari judicio reſervare.* Et ſeſſ. 25. Concilii Patres petunt à Romano Pontifice confirmationem Decretorum & definitionum: & in acclamationibus Romanus Pontifex vocatur univerſalis Eccleſiæ Pontifex.

Prob. 3. Ex Traditione Patrum tum Græcorum, tum Latinorum.

Patres Græci. 1. S. Irenæus, l. 3. c. 3. de Eccleſia Romana loquens ait: *ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem Principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam:* Idem in Romano Pontifice agnovit poteſtatem à corpore Eccleſiæ abſcindendi Epiſcopos Aſianos: nam de S. Irenæo hæc ſcribit Euſebius, l. 5. Hiſt. c. 24. *Victorem decenter admonet, ne integras Dei Eccleſias, morem ſibi à Majoribus traditum cuſtodientes à communione abſcindat:* vel (ut alia verſio habet) *ne tam multas Eccleſias, &c. à corpore univerſæ Chriſti Eccleſiæ penitùs amputet.*

2. Cùm Dionyſium Patriarcham Alexandrinum coram Dionyſio Romano Pontifice accuſaſſent Catholici, quòd de Filio Dei malè ſentiret, is ab eo Fidei ſuæ rationem poſtulavit: & Dionyſius Alexandrinus ſtatim Apologiam ſuæ Fidei miſit ad Romanum Pontificem, qua ſe apud eum purgaret de hæreſi objecta. Conſtat ex S. Athanaſio, lib. de Synodis.

3. S. Athanaſius ab Euſebianis in Tyria Synodo damnatus, vel appellavit Julium Romanum Pontificem, ut teſtantur multi: vel ipſe Julius Athanaſium Patriarcham Alexandrinum & ejus hoſtes ad ſuum Tribunal vocavit, ut refert Theodoretus, lib. 2. Hiſt. c. 4. quod ſupremam Romani Pontificis in Orientis Epiſcopos, & cæteros Patriarchas auctoritatem probat. Quæ ſubjectio Orientalium Eccleſiarum Romano Pontifici longo antea uſu jam firmata erat, ut conſtat ex epiſtola Julii relata à S. Athanaſio, Apolog. 2. *an ignari eſtis,* inquit Julius ad Orientales ſcribens, *hanc conſuetudinem eſſe, ut primùm nobis ſcribatur, ut hinc, quod juſtum eſt, definiri poſſit: Quapropter ſi iſthic hujusmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit, &c.* Ipſe autem Julius S. Athanaſium in Sedem ſuam reſtituit.

4. S. Baſilius, epiſt. 52. ad S. Athanaſium agnoſcit Romano Pontifici tanquam ſupremo Paſtori omnium Eccleſiarum curam commiſſam eſſe, & ineſſe poteſtatem reſcindendi acta Conciliorum etiam numeroſiſſimorum, quale fuit Ariminenſe. *Viſum eſt autem mihi conſentaneum,* inquit, *ut ſcribatur Epiſcopo Romæ, ut, quæ hic geruntur, conſideret, & ſententiam ſuam expromat, & .... ipſe ſua auctoritate uſus Viros eligat .... ad hoc quoque accommodatos, ut manſuetudine & facilitate ingenii eos, qui diſtorti & obliqui apud nos ſunt, corrigant .... omniaque habentes neceſſaria ad reſcindenda ea, quæ Arimini per vim & violentiam geſta ſunt.*

5. S. Chryſoſtomus ad Innocentium II. appellavit, & ab eo petiit, ut reſcinderet depoſitionis ſententiam in ſe latam à Theophilo Patriarcha Alexandrino & Epiſcopis multis in Synodo ad Quercum congregatis, ut patet ex ejus epiſtola ad eundem Innocentium, ubi ſic ait: *obſecro, ut ſcribatis, quod hæc tam iniquè facta & abſentibus nobis & non declinantibus judicium, non habeant robur, ſicut neque ſua natura habent: illi autem, qui iniquè egerunt, pœnæ Eccleſiaſticarum legum ſubjaceant.* Ergo agnoſcit Romanum Pontificem

ut

ut ſummum Judicem, ideoque Superiorem Patriarcharum & Epiſcoporum etiam Orientalis Eccleſiæ. S. Epiphanius, hæreſ. 68. de Urſacio & Valente ait: *pœnitentia ducti Julio Romano Pontifici libellos obtulerunt, quibus errorem ſuum deprecabantur .... tu ad communionem & pœnitentiam nos admitte.*

6. Theodoretus à Dioſcoro Alexandrino Patriarcha depoſitus, appellavit ad S. Leonem, ut patet ex ejus Epiſtola ad eundem Leonem ſcripta, ubi ait: *nos humiles & puſilli ad Apoſtolicam Sedem veſtram accurrimus, ut Eccleſiarum ulceribus remedium à vobis accipiamus: vobis enim primas in omnibus tenere convenit.* Et infra: *Ego Apoſtolicæ Sedis expecto ſententiam, & oro atque obteſtor Sanctitatem tuam, ut mihi rectum ac juſtum Tribunal veſtrum invocanti opem ferat.* Agnoſcit igitur Theodoretus in Epiſcopo Romano ſupremam & univerſalem Jurisdictionem in omnes Patriarchas & Epiſcopos. His adde Patres Conciliorum Generalium in Eccleſia Orientali celebratorum, ut ex eorum actis conſtat.

Ex dictis autem, & ex Hiſtoria Eccleſiaſtica patet, Orientalem Eccleſiam ante ſchiſma conſtanter Romanum Pontificem agnoviſſe ut Caput & Rectorem univerſæ Eccleſiæ, cui Epiſcopi omnes & Patriarchæ ſubjecti eſſent: ad quem omnium Eccleſiarum cura & ſollicitudo pertineret: ad quem majores ſaltem cauſæ deferri deberent: qui quoslibet Epiſcopos & ipſos Patriarchas propter hæreſim, aut alia crimina excommunicare, vel deponere poſſet: qui innocentes à Conciliis depoſitos in ſuas ſedes reſtituere poſſet, &c. quæ omnia ſupremam Romani Pontificis in univerſa Eccleſia poteſtatem oſtendunt.

Ex Patribus Latinis hìc pauci ſufficiant. S. Hieron. in epiſt. ad Damaſum ſuprà citata. S. Auguſt. cum Concilio Milevitano, in ſua ad Innocentium epiſtola ſic ait: *Quia te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in Sede Apoſtolica collocavit ... Magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere digneris. Nova quippe hæreſis, & nimiùm perniciosa tempeſtas ſurgere inimicorum gratiæ Chriſti cœpit, &c.* Quibus verbis S. Doctor, & Milevitani Patres poſtulant ab Innocentio, ut paſtoralem curam adhibeat ad profligandam hæreſim Pelagianorum, qui Palæſtinam & Africam erroribus ſuis inficiebant: nec confugiunt ad Palæſtinæ Metropolitanum Africæ Primatem, majorem ſcientes Romani Pontificis auctoritatem eſſe, quàm Epiſcoporum Africanorum, & Palæſtinorum.

Item S. Auguſtin. ep. 162. ait: *In Romana Eccleſia ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit Principatus.* Et l. 1. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, c. 1. ſic Bonifacium Papam alloquitur: *neque dedignaris, qui non alta ſapis, quamvis altiùs præſideas, eſſe amicus humilium ... Fungimur Epiſcoparus officio, quamvis ipſe in eo præemineas celſiore faſtigio .... Hæc ergo, quæ iſtis duabus epiſtolis illorum* (Pelagianorum) *iſta diſputatione reſpondeo, ad tuam potiſſimùm dirigere ſanctitatem, non tam diſcenda, quàm examinanda, & ubi forſitan aliquid diſplicuerit, emendanda conſtitui.*

S. Proſper, in carmine de ingratis: *Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris facta Caput mundo, quidquid non poſſidet armis, Religione tenet.*

S. Bernardus, lib. 2. de Conſideratione, c. 8. ſic Eugenium Papam alloquitur: *Age, indagemus adhuc diligentiùs, qui ſis, quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei? Quis es? Sacerdos magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Epiſcoporum, tu Hæres Apoſtolorum, tu Primatu Abel ... dignitate Aaron, auctoritate Moyſes ... poteſtate Petrus, unctione Chriſtus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ ſunt. Sunt quidem & alii Cœli Janitores, & gregum Paſtores: ſed tu tantò glorioſius, quantò & differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos: tibi univerſi crediti, uni unus. Nec modo ovium, ſed & Paſtorum tu unus omnium Paſtor. Unde id probem, quæris? Ex verbo Domini, &c.*

His omnibus adde Romanos Pontifices, qui ob eximiam ſuam ſanctitatem minimè hac in re ſuſpecti eſſe poſſunt. Pro omnibus ſint S. Damaſus, qui, cùm Concilium Conſtantino-

politanum I. ab eo ſupplex confirmationem Decretorum poſtularet, ſic reſpondit, epiſtola, quæ extat apud Theodoretum, l. 3. c. 10. *Quod veſtra Charitas debitam Sedi Apoſtolicæ reverentiam tribuit, filii honoratiſſimi, vobis ipſis maximo honori eſt, &c.* S. Innocentius I. in Epiſt. ad Concilium Milevitanum ſic Patres Concilii alloquitur: *Diligenter & congruè Apoſtolici conſulitis honoris arcana, honoris, inquam, illius, quem præter illa, quæ extrinſecùs ſunt, ſolicitudo manet omnium Eccleſiarum; ſuper anxiis rebus, quæ ſit tenenda ſententia: antiquæ ſcilicet regulæ formam ſecuti, quam toto ſemper ab orbe mecum noſtis eſſe ſervatam, &c.* S. Leo Magnus, ſerm. 1. in Natali Apoſtolorum Petri & Pauli ſic urbem Romam alloquitur: *Per ſacram B. Petri Sedem caput orbis effecta, latiùs Præſides Religione divina, quàm dominatione terrena. Quamvis enim multis aucta victoriis, jus Imperii tui terra marique protuleris; minus tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod pax Chriſtiana ſubjecit.* S. Gelaſius, epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ: *Cuncta per mundum novit Eccleſia, quoniam quorumlibet ſententiis ligata Pontificum, Sedes B. Petri Apoſtoli jus habet reſolvendi, utpote quæ de omni Eccleſia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.* Et S. Gregorius Magnus, lib. 11. epiſt. 42. ad Panormitanum Epiſcopum. *Illud admonemus ut Apoſtolicæ Sedis reverentia nullius præſumptione turbetur. Tunc enim ſtatus membrorum integer manet, ſi caput Fidei nulla pulſet injuria.*

Hinc Martinus V. in Bulla contra errores Joannis Wicleffi & Joannis Hus in Concilio Conſtantienſi edita, ſuſpectum interrogari jubet, *utrùm credat, quòd Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ſit ſucceſſor B. Petri, habens ſupremam auctoritatem in Eccleſia Dei.* Ratio eſt, quia forma regiminis Eccleſiæ mutari non poteſt; nam talis ſemper eſſe debet, qualem Chriſtus ſemel inſtituit. Ergo ſi Eccleſia ſemel per unum caput viſibile adminiſtrata eſt, ſemper regi debet per unum caput viſibile, quod non poteſt eſſe niſi Succeſſor Petri primi Eccleſiæ capitis viſibilis poſt Chriſtum & ſub Chriſto.

§. II.

Solvuntur objectiones petitæ ex Patribus & Conciliis.

Obj. 1. Cyprianus, variis locis, 1. l. de unitate Eccleſiæ dicit: *Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur.* Ergo omnes Epiſcopi ſunt æquales.

Reſp. Nego conſeq. Nam dicit Epiſcopatum eſſe unum, ſcilicet ſpecie, ſeu ratione ordinis & caracteris; idem enim eſt in Epiſcopis & in Summo Pontifice, non diverſus: cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur; quia caracter Epiſcopalis de ſe indiviſibilis eſt, & ſic totus ineſt, quibus datur, nec diviſus eſſe poteſt ratione ſui. Hæc autem æqualitas ordinis Epiſcoporum cum Summo Pontifice non tollit inæqualitatem Jurisdictionis & Dignitatis in ratione ſupremi Paſtoris.

Vel ſenſus eſt, quòd Epiſcopatus ſit unus unitate corporis, originis, & radicis, quatenus omnes Epiſcopatus particulares, ab Epiſcopatu Romano velut ab origine exordium ſumentes, eique adhærentes velut radici, cum eo conflant unum corpus paſtorale, cujus ipſe caput eſt, cum eo faciunt unum Epiſcopatum univerſalem, cujus ipſe principatum tenet. Nam juxta Cyprianum Epiſcopatus non eſt unus unitate numerica, alioqui ſinguli Epiſcopi non eſſent verè Epiſcopi, ſed pars Epiſcopi, nec tenerent partem Epiſcopatus in ſolidum: ſed juxta Cyprianum Epiſcopatus eſt unus ſicut Eccleſia eſt una, & Eccleſia eſt una unitate radicis à qua ſuſtentatur, nutritur, & regitur; Eccleſia enim juxta illum eſt una ſicut multi rami ſunt una arbor propter unitatem radicis, hoc eſt, quia habent unam tantùm radicem, à qua omnes ſuſtentantur, nutriuntur & reguntur. Quod totum patet ex contextu; nam ibi ſic ait: *Loquitur Dominus ad Petrum: ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.... Et eidem poſt Reſurrectionem ſuam dicit: paſce oves meas. Et quamvis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat,*

buat, & dicat: ſicut miſit me Pater, &c. Tamen ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejusdem originem ab uno (Petro velut radice & capite) *incipientem ſua auctoritate diſpoſuit.... Exordium ab unitate* (radicis & capitis) *proficiſcitur. Et primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur.... Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Eccleſia una eſt.... Quomodo ſolis multi radii, ſed lumen unum: & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum. Et cùm de fonte uno rivi plurimi defluunt, numeroſitas licèt diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen ſervatur in origine.*

Cùm autem dicit Cyprianus, Epiſcopatus univerſalis partem in ſolidum à ſingulis teneri, ſolùm ſignificare vult ſingulos Epiſcopos habere partem Epiſcopatus univerſalis, qua ſint integrè & totaliter Epiſcopi, particulares ſcilicet. Et juxta mentem Cypriani ita Epiſcopatus univerſalis pars à ſingulis Epiſcopis tenetur in ſolidum, ut non teneatur æqualis omnimodè & eodem modo; quia ita multi ſunt in Eccleſia univerſali Epiſcopi, ut unus cæterorum ſit Caput, & Rector. Unde in Eccleſia ex multis Epiſcopatibus particularibus coaleſcit Epiſcopatus univerſalis, unus unitate radicis, fundamenti, Capitis & Rectoris: ſicut quia multi rami habent unam radicem, à qua ſuſtentantur, nutriuntur, & reguntur, multi rami faciunt arborem unam unitate radicis. Quæ explicatio confirmatur ex his verbis ejusdem Cypriani, epiſt. ad plebem: *DEus unus eſt, & Chriſtus unus, & una Eccleſia, & Cathedra una ſuper Petrum Domini voce fundata.* Ubi per Cathedram unam manifeſtè intelligit Cathedram univerſalem, ſeu collectionem omnium Cathedrarum ſeu Epiſcopatuum particularium: & dicit omnes Cathedras particulares facere unam Cathedram univerſalem, quia in hac collectione una eſt, quæ omnium aliarum eſt fundamentum, à quo ſuſtentantur & reguntur, nempe Cathedra Romana: nam Cathedra Petri à Chriſto conſtituta eſt fundamentum omnium aliarum per hæc verba: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam:* & iſta: *Paſce oves meas.*

2. S. Cyprianus, in actis Concilii Carthaginenſis ait: *Expectemus univerſi Judicium Domini noſtri JEſu Chriſti, qui unus & ſolus habet poteſtatem & præponendi nos in Eccleſiæ ſuæ gubernatione, & de actu noſtro judicandi.*

Reſp. Verba illa benignè explicanda ſunt, nempe hoc ſenſu, quòd velit ſolum Chriſtum habere poteſtatem Epiſcopos judicandi de actibus ſuis occultis ac dubiis. Nam ipſemet, epiſt. 42. ad Stephanum Papam, eum hortatur, ut jubeat deponi Martinum Arelatenſem Epiſcopum, qui Novatianam hæreſim amplexus erat, & alium ejus loco conſtitui. Et epiſt. 18. ad Cornelium Papam ait: *Navigare audent & ad Petri Cathedram atque Eccleſiam principalem, unde unitas ſacerdotalis exorta eſt.* Ergo ex Cypriano particularis Eccleſia Romana principatum in omnibus Eccleſiis particularibus obtinet, & conſequenter Epiſcopus Romanus eſt omnium Epiſcoporum Princeps.

Quòd ſi verba objecta benignè explicari non poſſint, certum eſt Cyprianum ſecum pugnare & in hoc graviter erraſſe, ſicut erravit cum ſuo Concilio circa rebaptizationem hæreticorum, & verba objecta manifeſtum ac intollerabilem continere errorem. Nam conſtat, 1. Epiſcopum Romanum poſſe Epiſcopos inſtituere, & novos Epiſcopatus creare. 2. Multos Epiſcopos etiam Patriarchas à Romanis Pontificibus judicatos, excommunicatos, & depoſitos fuiſſe, vel in Sedem (ſi innocentes eſſent judicati) reſtitutos. De quo extat in Concilio Epheſino, Act. 4 præclarum teſtimonium Juvenalis Jeroſolymitani, qui ſic ait: *Oportebat quidem Joannem Reverendiſſimum Antiochiæ Epiſcopum, hac ſancta & œcumenica Synodo conſiderata, confeſtim accurrere, ut de illis, quæ ei objiciuntur, ſe purgaret: & ad Apoſtolicam Sedem magnæ Romæ nobiſcum conſidentem, & obedientiam & honorem deferre Apoſtolicæ ſanctæ Dei Eccleſiæ Romanorum, apud quam maximè*

ximè mos est ex Apostolico ordine & Traditione, ut ipsa Sedes Antiochena dirigatur, & apud eam judicetur.

3. Cyprianus, in actis ejusdem Synodi Carthaginensis ait: *Neque quisquam nostrûm Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigit; quando habeat omnis Episcopus pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium, ramque judicari ab alio non possit, quàm nec ipse potest alterum judicare. Sed expectemus universi Judicium Domini nostri JEsu Christi, &c.* ut suprà.

Resp. 1. Cyprianus ibi loquitur tantùm de Episcopis, qui Concilio intererant, & quibus significat unumquemque posse liberè suam sententiam proferre; ut patet ex his verbis præcedentibus: *Superest, ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus, proferamus; neminem judicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversa senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrûm Episcopum se esse Episcoporum constituit, &c.*

Resp. 2. Si textus Cypriani verè significaret errorem nostræ assertioni contrarium, tunc nulla est hac in re Cypriani auctoritas, qui tunc errorem de invaliditate Baptismi ab hæreticis in debita forma collati, alio errore intollerabili tuebatur.

4. Cyprianus dicit, quòd sibi incumbat cura communis cum Stephano Papa conservandi Ecclesiam Arelatensem, quam hæresi Novatianorum corrumpere tentabat Martianus. *Unde nostrum est*, inquit, *subvenire & consulere.*

Resp. Dicit sibi curam esse communem subveniendi Ecclesiæ Arelatensi, sed diverso modo, nempe consilio, & ratione charitatis specialis, non verò auctoritate, qua pollebat Stephanus.

5. Basilides Asturiæ in Hispania Episcopus, cùm se idololatriæ libello polluisset, depositus ab Episcopis comprovincialibus, ad Stephanum Papam appellavit, à quo in suam Sedem restitutus est. Cyprianus de hac restitutione ab Episcopis Hispanis certior factus, censuit illam esse nullam.

Resp. Censuit esse nullam, quia subreptitia erat, non verò quia Stephanus carebat potestate id faciendi.

Nota. Si textus Cypriani in sensu Catholico explicari non possent, responderem cum S. Augustino, lib. 2. contra Cresconium, c. 32. *Litteras Cypriani non ut canonicas habeo, sed eas ex canonicis considero; & quod in eis Scripturarum divinarum* (& Traditionis) *auctoritati congruit, cum laude ejus accipio: quod autem non congruit, cum pace ejus respuo.*

Obj. 2. S. Hieron. epist. 85. ad Evagr. ait: *Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandriæ, sive Tanis, ejusdem meriti, ejusdem est Sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit.* Ergo ex S. Doctore omnes Episcopi sunt æquales Jurisdictione. Ergo, &c.

Resp. Nego conseq. Nam ibi loquitur solùm de Ordinis potestate, non de Jurisdictione: probè enim sciebat Episcopum Tanensem habere tantùm Jurisdictionem in unam Civitatem, Alexandrinum verò Episcopum in tres magnas Provincias, Ægyptum scilicet, Lybiam, & Pentapolim, ut constat ex Can. 6. Concilii Nicæni. Primatum verò Romani Pontificis clarè tradit, in epist. ad Damasum suprà citata.

Obj. 3. S. Gaudentius Brixiensis vocat S. Ambrosium Petri Successorem.

Resp. Loquitur impropriè, & de Petro ut est Apostolus præcisè, non verò ut est Apostolorum Princeps, & Ecclesiæ Caput: & intelligi debet in hoc sensu, in quo omnes Episcopi dicuntur, & sunt Successores Apostolorum, non quidem quoad Jurisdictionem universalem, sed quoad munia Episcopalia in certa & limitata Diœcesi.

Obj. 4. Concilium I. Can. 6. sic ait: *Mos antiquus perduret in Ægypto, vel Lybia, & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est.* Ergo Concilium Nicænum assignat Romano Pontifici certam Regionem gubernandam: ergo non

est

est Jure Divino omnium Ecclesiarum Episcopus.

Resp. Nego consèq. 1. Quia Concilium Nicænum nihil statuit circa Romanum Episcopum, sed solùm dicit: *mos antiquus perduret, &c.* quoniam Episcopus Romanus ita consuevit. Imò nil novi statuit circa Episcopum Alexandrinum: nam non dicit: *habeat*, sed *mos antiquus perduret.* 2. Quia hic Canon ad summum significat Romanum Episcopum, ut Occidentis Patriarcham, habere specialem curam certarum Regionum: quod non impedit, ne etiam curam saltem generalem habuerit omnium aliarum Ecclesiarum. 3. Quia Canon ille sextus, qualis citatur, & nunc extat in Tomis Conciliorum, non est integer, sed caret initio. Nam in Concilio Chalcedonensi, Act. 16. Paschasinus Legatus Sancti Leonis hunc Canonem ex scriniis Ecclesiæ Romanæ depromptum, qualis à Concilio Nicæno editus fuerat, citavit in hunc modum: *Ecclesia Romana semper habuit Primatum. Teneat autem & Ægyptus, ut Episcopus Alexandriæ omnium habeat potestatem, quoniam & Romano Episcopo hæc est consuetudo.* Rectè autem Canonem illum sic interpretatur Nicolaus I. in Epist. ad Michaelem Imperat. Pergat Alexandrinus Episcopus curam gerere Ægypti, Lybiæ, & Pentapolis, quoniam Episcopi Romani hactenus consueverunt has Provincias per Alexandrinum Episcopum gubernare.

Obj. 5. Concilium Sardicense concessit Romano Pontifici Primatum Ecclesiæ, ei tribuendo ultimum causarum judicium. Ergo Primatus Ecclesiæ non ei Jure divino competit.

Resp. Nego antec. Sed Concilium Sardicense duntaxat declaravit, & confirmavit, quantum potest auctoritate sua jus, quod à Christo accepit Romanus Pontifex, judicandi causas omnium Ecclesiarum, & ut ad ipsum appelletur. Et verò S. Athanasius ab Eusebianis depositus appellavit ad Julium I. ab eoque in Sedem suam restitutus est ante Concilium Sardicense, ut testatur ipse S. Athanasius, Apolog. 2.

Obj. 6. Multa Concilia Generalia tribuerunt Episcopo Constantinopolitano parem auctoritatem cum Romano Pontifice, nimirum Constantinopol. I. Can. 2. Chalcedonense, Can. 28. & Sextum seu Constantinopol. III. Can. 36.

Resp. ad 1. Nego. Nam Concil. Constantinopol. I. Can. 2. seu 3. sic ait: *Constantinopolitanus Episcopus habeat priores honoris partes post Romanum Episcopum, propterea quòd sit nova Roma.* Qui tamen Canon non fuit receptus, nec approbatus ab Ecclesia. Nam non nisi tempore Innocentii III. Ecclesia Latina consensit, ut Constantinopolitanus Episcopus esset primus inter Orientales Patriarchas post Romanum Pontificem.

Resp. ad 2. Canon Chalcedonensis, quo paria privilegia cum Romano Pontifice tribuuntur Episcopo Constantinopolitano, nullatenus habet auctoritatem Concilii Generalis. Nam hic Canon ab Anatolio Constantinopolitano Episcopo editus fuit absentibus Legatis Romanis Concilii Præsidibus: & ipsi Legati eum statim repudiarunt, & S. Leo reprobavit in sua ad Concilium epistola, in qua etiam damnat Anatolii ambitionem, quòd Episcopis Alexandrino & Antiocheno se se anteponere tentet, nec approbat Concilii acta nisi quoad definitionem Fidei. Imò Patres Concilii in sua ad S. Leonem epistola, qua rogant, ut sua decreta confirmet, nullam mentionem faciunt parium privilegiorum; sed solùm dicunt à se renovatum esse Canonem Concilii Constantinopolitani, quo secundus honor Constantinopolitano Episcopo tribuitur. Præterea hic Canon de paribus privilegiis nunquam receptus fuit in Ecclesia: & Anatolius ipse, qui hunc Canonem multa falsa continentem fabricaverat, honore expetito & Patriarchatus dignitate nunquam potitus est. Denique per paria privilegia intelliguntur privilegia Patriarchica, remanente semper debita dependentia à Romano Pontifice ut totius Ecclesiæ Capite ac Rectore.

Porro, Canone 9. & 17. non defertur Episcopo Constantinopolitano ultimum causarum omnium judicium; sed ei solùm conceditur, ut judicet Episcopos & Clericos, qui se à Metropolitano suo gravari putant. Nec ibi agitur de appellatione, sed primo judicio: ne-

que

que additur Epiſcopum vel Clericum ab Epiſcopo Conſtantinopolitano judicatum, ac damnatum non poſſe appellare ad Romanum Pontificem. Præterea illi Canones nullius ſunt auctoritatis, nec unquam fuerunt in Eccleſia uſu recepti.

Reſp. ad 3. Canon ille 36. non eſt Sexti Concilii Generalis ſub Agathone celebrati, quippe quod nullos edidit Canones; ſed eſt Synodi particularis Orientalium poſterioris, quæ Quini-Sexta & Trullana vocitatur, & quæ ſub Juſtiniano Juniore coacta 102. Canones condidit, qui teſte Beda à Sergio Papa tunc Eccleſiam regente reprobati ſunt. Certè nullius ſunt auctoritatis, imò aliqui veritati & diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & Apoſtolicæ Traditioni adverſantur. Præterea in his Canonibus objectis agitur tantùm de Patriarchicis privilegiis.

Nota. Romanus Pontifex multiplici dignitate gaudet: nam eſt Epiſcopus particularis Urbis Romæ: eſt Metropolita Epiſcoporum Romæ vicinorum: eſt totius Occidentis Patriarcha: & eſt Epiſcopus, Paſtor, ac Rector ſupremus univerſæ Eccleſiæ, idque jure divino. Porro etiamſi privilegia quædam Romanæ Sedi à Patribus conceſſa eſſent propter Urbis nobilitatem, ac dignitatem, puta privilegia Patriarchica: at certè totius Eccleſiæ Principatum à Chriſto accepit Romanus Pontifex.

Obj. 7. Conc. Milevitanum, can. 22. vetat appellationes ad Romanum Pontificem. Et Conc. Carthagin. VI. cui interfuit S. Auguſt. negat jus appellationum ei competere. Ergo illa Concilia non agnoſcunt in Romano Pontifice Primatum totius Eccleſiæ.

Reſp. ad 1. Concil. Milevitanum prohibet ſolis Presbyteris, & aliis minoribus Clericis appellationes ad Romanum Pontificem, non verò Epiſcopis: & eas prohibet, non quia jus appellationum non competit Romano Pontifici, ſed quia ejusmodi appellationes communiter non expediebant promiſcuè Clericis in tanta locorum diſtantia. Summus autem Pontifex poteſt jure ſuo uti nolle, cùm id expedire judicat.

Reſp. ad 2. Conc. Carthaginenſe jus illud non negavit abſolutè, quod prorſus eſt juris divini, & annexum totius Eccleſiæ Primatui, & jam à multis ſæculis uſu declaratum, ac confirmatum erat. Idque ſatis patet ex eo, quòd licèt in Exemplaribus Concilii Nicæni à Legatis Zozimi citati jus illud non reperiſſent Epiſcopi illi Africani, hæc tamen ad Cœleſtinum Zozimi defuncti Succeſſorem ſcripſerunt: *Impendio deprecamur, ut deinceps ad veſtras aures hinc venientes non facilius admittatis.* Quibus verbis clarè ſignificant Romanum Pontificem poſſe abſolutè, ſi velit, admittere quaslibet appellationes, aut ſaltem quoties juſta cauſa aderit, cùm ſimpliciter eum deprecentur, ne faciliùs, hoc eſt, ſine gravi cauſa ad ſe appellantes audiat. Sed Epiſcopi illi Africani exiſtimarunt tantùm appellationum uſum non expedire Eccleſiæ Africanæ, quando agitur de Fide, ideoque illas impedire voluerunt, quamvis ſcirent eas abſolutè impediri non poſſe ſine conſenſu Romani Pontificis.

Porro quamvis Jus divinum appellationum ad Summum Pontificem certum ſit, dubium tamen aliquibus eſſe potuit, an hujus poteſtatis uſus in omnibus locis & perſonis quibuslibet permitti expediret. Quare ut dubium omne circa uſum appellationum tolleretur, Concilium Sardicenſe, conſentiente Romano Pontifice, non declaravit expedire, ut ordinariè Presbyteri, & alii minores Clerici ab Epiſcopis ad Concilium Provinciale, & Epiſcopi ipſi ad Romanum Pontificem appellare poſſent.

Nota. Apud Veteres Concilia Nicænum I. & Sardicenſe pro uno & eodem Concilio habebantur, eò quòd Sardicenſi Concilio Patres Nicæni magna ex parte interfuerint, & in eo nil novi circa Fidem definitum ſit, ſed ſolùm Fides Nicæna confirmata. Unde Concilium Sardicenſe habebatur quaſi appendix Concilii Nicæni, & cum eo confundebatur: & ſic licèt Concilii Generalis auctoritatem habeat, & à Summo Pontifice approbatum fuerit, tamen inter Concilia Generalia proprio nomine, & Secundum (ut dici poterat) non nominatur. Legati autem Zozimi Papæ Jus appellationum non Jure divino, ſed humano, & auctoritate Concilii Sardicenſis defenderunt;

quia

quia ostendere volebant non solùm jus appellationum ad Romanum Pontificem ei competere, quod aliunde constabat ex antiquissima appellandi consuetudine, sed etiam appellationum usum Ecclesiæ expedire, cùm Concilium generale ita censuisset.

Obj. 8. Can. *Primæ Sedis*, dist. 99. ex Concilio Africano dicitur: *Primæ Sedis Episcopus non appellatur Princeps Sacerdotum, vel Summus Sacerdos, aut aliquid hujusmodi; sed tantùm Primæ Sedis Episcopus.*

Resp. Hic canon perstringit tantùm Africanos Metropolitas, qui se Principes Sacerdotum, vel summos Sacerdotes inscribebant: non verò Romanum Pontificem.

Porro hæc verba infra addita (*universalis autem nec etiam Romanus Pontifex appelletur*) non sunt canonis, sed Gratiani, qui & multa alia supposititia decretorum collectioni à se adornatæ immiscuit.

Obj. ult. Romanus Pontifex est Anti-Christus. Ergo non Caput Ecclesiæ.

Resp. Hac hæreticorum evidenti calumnia nihil insanius excogitari potest. Nam 1. ex Scriptura Anti-Christus est homo singularis, qui, 2. Thess. 2. dicitur *homo peccati, filius perditionis, qui adversatur & extollitur supra omne, quod dicitur Deus.* Non enim agitur hic de hæreticis in genere: de quibus, 1. Joann. 2. dicitur: *& nunc Anti-Christi multi facti sunt.* 2. Anti-Christus non veniet nisi post Evangelii in toto orbe prædicationem. 3. Anti Christus duos duntaxat annos & sex menses regnaturus est. 4. Henoc & Elias Evangelium prædicabunt, & posteà ab Anti-Christo occidentur. 5. Anti-Christus ope magiæ innumera prodigia faciet, ut populos ad idololatriam pertrahat. 6. Anti-Christus sensibilem characterem in corpore subditis suis imprimet: ita ut nullus nisi qui eum habuerit, possit emere vel vendere. At hæc omnia manifestè non conveniunt Romanis Pontificibus; nam 1. multi post hanc calumniam confictam extitere, qui omnes Deum religiosè colunt, & publicè dum sacrum celebrant, se humillime agnoscunt peccatores, & Deo ac omnibus astantibus confitentur se peccasse. 2. Multæ sunt adhuc nationes, quibus non est prædicatum Evangelium, & longè plures erant, cùm hæc calumnia conficta est. 3. Romani Pontifices à multis sæculis & ab exordio Ecclesiæ regnant. 4. Henoc & Elias nondum Evangelium prædicaverunt, nec occisi sunt. 5. Quis singulis Romanis Pontificibus Anti-Christi prodigia adscribit? 6. Quis ex Catholicis sensibilem characterem à Romano Pontifice in suo corpore impressum gerit?

§. III.

Solvuntur objectiones petitæ à ratione.

Obj. 1. Quamvis Episcopi aliis Apostolis succedant, non habent tamen jurisdictionem universalem, quia non sunt Apostoli. Ergo cùm neque Romanus Pontifex sit Apostolus, non habet jurisdictionem universalem, quamvis succedat Petro.

Resp. Nego anteced. Nam ratio cur cæteri Episcopi, quamvis sint Apostolorum successores, jurisdictione universali in Ecclesia careant, est, quia jurisdictio universalis, quam alii Apostoli acceperunt à Christo, non fuit ordinaria, sed delegata, & eam pro se solis acceperunt: unde cum illis expiravit, nec ad eorum successores transit. At suprema & universalis jurisdictio, quam S. Petrus à Christo accepit, fuit ordinaria, eamque tum pro se tum pro Successoribus suis accepit: nam competebat Petro ratione muneris supremi totius Ecclesiæ Capitis, Pastoris, ac Rectoris, quod munus in Ecclesia perpetuum à Christo institutum est: unde hæc jurisdictio non defiit cum Petro, sed ad ejus Successores transit.

Inst. 1. Jurisdictio in universam Ecclesiam est prærogativa Apostolica.

Resp. Quamvis sit prærogativa Apostolica, tamen eam Petrus accepit non solum ut Apostolus Christi, sed etiam ratione muneris supremi Ecclesiæ Pastoris & Principis: unde eam accepit non solùm pro se ut alii Apostoli, sed etiam pro suis Successoribus, ad quos proinde transit. Nam ut Episcopus Romanus jurisdictionem habeat in universa Ecclesia, sufficit quod sit Successor Petri.

Inſt. 2. Si Romanus Pontifex poſſit ubique terrarum Eccleſias fundare, & habeat jurisdictionem univerſalem, poteſt dici proprie Apoſtolus Chriſti. Falſum conſeq. Ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Quia Apoſtoli propriè dicuntur illi, qui non ſolùm ubique terrarum Eccleſias fundare potuerunt, & univerſalem jurisdictionem habuerunt, ſed etiam qui fuerunt immediatè à Chriſto electi, & edocti, atque immediati Miniſtri verbi divini: qui nempe myſteria Fidei à Chriſto ipſo & à Spiritu Sancto didicerunt, quique Libros ſacros ſcribere potuerunt. Quæ ultima prærogativa propria fuit Apoſtolorum.

Obj. 2. Primatus totius Eccleſiæ fuit privilegium perſonale Petri. Ergo cum illo expiravit.

Reſp. Fuit quidem privilegium perſonale Petri, ſed publicum, non privatum. Privilegium quippe perſonale duplex eſt, nempe publicum & privatum. Publicum eſt illud, quod datur alicui perſonæ pro ſe & pro Succeſſoribus ſuis ob bonum commune perpetuum, unde tranſit ad ejus Succeſſores. Privatum eſt illud, quod datur alicui perſonæ pro ſe tantùm, nec ob bonum commune perpetuum, unde cum ea expirat. Primatus autem totius Eccleſiæ fuit quidem initio privilegium merè perſonale Petri, quatenus fuit à Chriſto conceſſus perſonæ Petri ſine alligatione ad certum locum; ſed fuit ſimul privilegium publicum, quia conceſſus fuit perſonæ Petri non ad privatam ſuam utilitatem, ſed ad commune Eccleſiæ bonum perpetuum: unde illum non accepit pro ſe tantùm, ſed pro ſe & pro Succeſſoribus ſuis.

Obſerva. Quamvis Primatus ſeu Principatus totius Eccleſiæ fuerit initio à Chriſto in Petrum collatus ſine alligatione ad certum locum; tamen poſteà ex ſpeciali Dei inſpiratione, imò & juſſu Chriſti Petrus Sedem ſuam Romæ ultimò fixit, & mortuus eſt Epiſcopus Romanus: ex quo factum eſt, ut jam Primatus Eccleſiæ ſit alligatus Romano Epiſcopatui. Quòd ſi Petrus nullam ſibi Sedem particularem elegiſſet, ut potuit ſecluſa juſſione Chriſti, illo mortuo neque Antiochenus Primatum Eccleſiæ accepiſſet, ſed is, quem Eccleſia elegiſſet; quia is ſolus, quem Eccleſia elegiſſet, fuiſſet Petri Succeſſor. At cùm Petrus Romæ Sedem ultimò fixerit, & urbis Romæ Epiſcopus mortuus ſit, inde factum eſt, ut Romanus Epiſcopus ſit Petri Succeſſor, & ſic accipiat omnem poteſtatem, quam Petrus pro ſe & pro ſuis Succeſſoribus accepit.

Hinc Primatus totius Eccleſiæ, qui fuit initio privilegium merè perſonale, per factum Petri mutatus eſt in privilegium locale, ſeu potiùs in privilegium mixtum ex perſonali & locali. Nam per factum Petri alligatus eſt urbi Romæ, ita ut Epiſcopatus particularis Romanus ſeparari nequeat à Summo Pontificatu totius Eccleſiæ, & Idem Epiſcopatus ſit virtualiter duplex, Epiſcopatus ſcilicet particularis unius urbis nempe Romæ, & univerſalis Epiſcopatus totius Eccleſiæ: & ſic idem ſimul & indiviſibiliter ſit Epiſcopus Romanus, & Summus totius Eccleſiæ Pontifex; neque jam aliquis in Epiſcopum Romanum eligi poſſit, quin ſimul & indiviſibiliter eligatur in Summum totius Eccleſiæ Pontificem & Rectorem.

Obj. 3. Si Romanus Epiſcopus eſſet Paſtor & Epiſcopus totius Eccleſiæ, poſſet dici Epiſcopus univerſalis. Falſum conſequens ex S. Gregorio, lib. 4. ep. 32. ad Mauritium Imperat. ubi Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum carpit, quòd ſe univerſalem Epiſcopum diceret, aitque iſtud eſſe blaſphemiæ nomen. Et ep. 36. dicit nullum Deceſſorum ſuorum tam profano vocabulo uſum fuiſſe. Ergo.

Reſp. Diſting. maj. Poſſet dici Epiſcopus univerſalis ſine excluſione, id eſt, qui ſit Paſtor univerſæ Eccleſiæ, eamque regat, ſervata ſingulorum Epiſcoporum jurisdictione, *conc. maj.* Poſſet dici Epiſcopus univerſalis in ſenſu excluſivo, id eſt, ſolus Epiſcopus in Eccleſia, ita ut excludantur alii à nomine & jurisdictione Epiſcopi, *nego maj.* In hoc autem ſenſu excluſivo nomen illud profanum & blaſphemum vocavit S. Gregorius. In priori verò ſenſu convenire Romanis Pontificibus ipſe agnovit; quamvis illud repudiarit, quia pravo ſenſui obnoxium eſſe poterat,

terat: & ut ſuo exemplo Joannis Conſtantinopolitani, qui ſe Patriarcham œcumenicum inſcribebat, ſuperbiam coërceret. Quod patet ex eadem ep. 32. ubi ſic ait: *certè pro B. Petri Apoſtolorum Principis honore, per venerandam Chalcedonenſem Synodum Romano Pontifici oblatum eſt. Sed nullus eorum unquam hoc ſingularitatis nomen aſſumpſit, nec uti conſenſit, ne dum privatum aliquid daretur uni, honore debito Sacerdotes privarentur univerſi.*

Obj. 4. Epiſcopi jurisdictionem ſuam immediatè à Chriſto accipiunt, ſuppoſita legitima electione & confirmatione. Ergo non pendent à Papa.

Reſp. Nego conſeq. Quia etſi immediatè Epiſcopi à Chriſto ſuam jurisdictionem accipiant, illa ſemper pendet à Summo Pontifice, nec illam exercere poſſunt niſi cum dependentia & ſubordinatione ad illum, idque ex inſtitutione Chriſti.

Obj. 5. Epiſcopi ſunt Succeſſores Apoſtolorum. Ergo tam habent jurisdictionem univerſalem quàm Papa.

Reſp. Epiſcopi ſunt Succeſſores Apoſtolorum quoad poteſtatem Epiſcopalem, non verò quoad jurisdictionem univerſalem & plenitudinem poteſtatis. Itaque in Apoſtolis duplex erat poteſtas, una præcisè Epiſcopalis, cui ſuccedunt Epiſcopi: & alia univerſalis ratione Apoſtolatus, quæ erat extraordinaria in Apoſtolis, cui non ſuccedunt Epiſcopi. Unde eorum poteſtas ultra propriam Diœceſim non extenditur. In Petro verò jurisdictio univerſalis erat ordinaria & independens; quia illi competebat ratione muneris ſupremi Paſtoris ac Rectoris totius Eccleſiæ, & non ſolùm ratione Apoſtolatus.

Obj. 6. Si Sedes Primatus Eccleſiæ ſit Romæ, erit, quia Petrus Romæ mortuus eſt. At hæc ratio nulla eſt: nam Chriſtus mortuus eſt Jeroſolymæ, & tamen Summus Pontificatus non eſt Jeroſolymis. Ergo.

Reſp. Nego maj. Nam Summi Pontificatus Chriſtianorum Sedes non eſt Romæ præcisè quia S. Petrus Romæ mortuus eſt, ſed quia Sedem ſuam Romæ fixit in perpetuum, nec eam .. ò tranſtulit, ſive (quod idem eſt) quia mortuus eſt Epiſcopus Romanus. At Chriſtus Sedem Summi Pontificatus non fixit Jeroſolymis, nec fuit Epiſcopus alicujus Eccleſiæ particularis.

Obj. 7. Ex facto Petri, non ex jure divino ortum eſt, quòd Romanus Epiſcopus potiùs quàm Antiochenus vel alius ſuccedat Petro in Primatu Eccleſiæ. Ergo Epiſcopus Romanus non ſuccedit jure divino in Primatu Eccleſiæ.

Reſp. 1. Eſto anteced. Nego conſeq. Quia ut Romanus Pontifex jure divino ſuccedat Petro in Primatu Eccleſiæ, ſufficit quòd usque ad finem mundi ex inſtitutione Chriſti ſuccedat Petro in Primatu Eccleſiæ. Quia (ut ait Bellarminus) ſucceſſio ipſa eſt ex Chriſti inſtituto & jure divino: nam Chriſtus voluit, ut Succeſſor Petri heberet Primatum Eccleſiæ: voluit autem hoc ipſo, quòd inſtituit in Petro Summum Pontificatum & Epiſcopatum univerſæ Eccleſiæ usque ad finem mundi duraturum.

Reſp. 2. Nego anteced. Quia Petrus ex ſpeciali Chriſti juſſione Sedem Romæ ultimò fixit & reliquit. Nam S. Ambroſius, in orat. de tradendis Baſilicis teſtatur Chriſtum omninò voluiſſe, ut Petrus Romæ moreretur, & idcirco Petro fugienti dixiſſe, venio Romam iterùm crucifigi. Quod manifeſtum ſignum eſt Deum voluiſſe per mortem Petri Romæ firmari ejus Sedem. Unde S. Leo, ſerm. 1. de natali Apoſt. Petri & Pauli, ſic ait: *Trophæum crucis Chriſti Romanis arcibus inferebas, quo te divinis præordinationibus anteibant & honor poteſtatis & gloria paſſionis.*

Nota. Quamvis S. Bernardus Epiſcopos vocet Vicarios Chriſti, non tamen ſaltem ordinariè dicuntur ſimpliciter Vicarii Chriſti, nec tales ſunt æquo jure cum Romano Pontifice, qui ſolus eſt Vicarius Chriſti reſpectu totius Eccleſiæ, & quidem ſupremus. Epiſcopi verò non ſunt Vicarii Chriſti niſi ſubordinati & cum reſtrictione ad propriam Diœceſim. Quare Concilium Florentinum definit Romanum Pontificem eſſe ſimpliciter *verum Chriſti Vicarium*; quia nempe eſt ſu-

premus, illimitatus Vicarius Chriſti reſpectu omnium fidelium.

Item hæc Chriſti verba (*quæcumque alligaveritis, &c. Qui vos audit, me audit*, principaliter ſpectant Petrum & ejus Succeſſores. Nam quæ dicuntur omnibus Apoſtolis & eorum Succeſſoribus, principaliter ſpectant ad eorum Caput.

ARTICULUS V.

Quæ & quanta ſit auctoritas Romani Pontificis, ſeu Sedis Apoſtolicæ, & particularis Eccleſiæ Romanæ?

Nota. Sedes Romana ſola dicitur Sedes Apoſtolica, non præcisè quia fundata eſt ab Apoſtolo aliquando: ſed quia illa ſola eſt, in qua ſucceditur poteſtati jurisdictionis univerſalis & ſupremæ collatæ Petro Apoſtolorum Principi, in quo erat ordinaria, cùm in aliis Apoſtolis eſſet extraordinaria & dependens à Petro: ſive quia illi ſoli Sedi annexa eſt jurisdictio univerſalis, & ordinaria, eò quòd ſit Sedes Petri in perpetuum fixa.

Dico. Hæc apud omnes Catholicos conſtant, nimirum.

1. Romanum Pontificem talem & tantam habere auctoritatem ac poteſtatem, qualem & quantam habere convenit juxtà Chriſti inſtitutionem totius Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem, ideoque ei ab omnibus Chriſtianis eam reverentiam & obedientiam deberi, quæ ſecundùm Canones deberur Pontifici totius Eccleſiæ Capiti, omnium Chriſtianorum Patri ac Doctori à Chriſto conſtituto, & plena paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam poteſtate donato. Nam talem eſſe Romanum Pontificem fide conſtat; ſic enim Concilium Florentinum conſentientibus tum Græcis tum Latinis definit ore Eugenii IV. *definimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere Primatum; & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro JEſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* Tamen Theologi Galli per tò *univerſalem Eccleſiam* hic intelligunt non Eccleſiam univerſalem collectivè ſed diſtributivè, ita ut Summus Pontifex non ſit ſuper omnem conjunctim & collectivè Eccleſiam, ſed ſit ſuper omnes Eccleſias particulares ſeparatim & diſtributivè ſumptas.

2. Romanum Pontificem jure divino Primatum tum honoris, tum jurisdictionis obtinere in Eccleſia ſupra omnes alios Epiſcopos. *Sive ſuper alias Eccleſias particulares*, ut habetur in Concilio Conſtantienſi. Ita Gallicani Epiſcopi in Conventu Pariſienſi anno 1681. congregati, qui declarant Romanum Pontificem *eſſe Caput Eccleſiæ. .. centrum unitatis; obtinere Primatum auctoritatis & jurisdictionis ipſi à Chriſto in perſona S. Petri collatum; & eum qui ab hac veritate diſſentiret, Schiſmaticum, imò & Hæreticum fore.* Idem Epiſcopi in declaratione de Eccleſiaſtica poteſtate, facta anno 1682. propoſitione 4. dicunt, *in Fidei quæſtionibus præcipuas eſſe ipſius* (Romani Pontificis) *partes ejusque Decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere.*

3. Omnes Chriſtianos teneri ejus definitionibus & decretis de rebus ad Religionem, Fidem & mores ſpectantibus religioſè ſecundùm canones obſequi, quamdiu nempè Eccleſia non contradicit, nec reclamat. *Hoc apud omnes Catholicos certum & exploratum eſt, Romani Pontificis in rebus ad Religionem pertinentibus præcipuas eſſe partes: cui religioſè ſemper obſequendum, quamdiu Eccleſia ab eo definitis non contradicit, nec reclamat. Nam obedientia, quæ ipſi ab omnibus debetur, ſubnixa eſt in ſuprema, qua gaudet ſupra Chriſtianos omnes, ſpirituali poteſtate*, ait Tournely Doctor Sorbon. tom. 2. de Eccleſia. Sacra Facultas Pariſienſis idem in ſua contra Lutherum cenſura declarat his verbis: *non minùs certum eſt unum eſſe jure divino Summum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur.* Eadem Facultas anno 1554. occaſione Bullarum Pauli III. & Julii III. ſic proteſtatur:

omnes

omnes & singuli ut obedientiæ Filii ipsum Romanum Pontificem ut summum & universalem Christi JEsu Vicarium, & universalem Ecclesiæ Pastorem, cui plenitudo potestatis à Christo data sit, cui omnes utriusque sexus obedire, cujus decreta venerari, & quisque tueri, & observare teneatur, ut semper agnoverunt, & confessi sunt, ita nunc quoque sincerè, fideliter, & libenter agnoscunt, & confitentur.

4. Summi Pontificis decretum in materia Fidei, & morum esse prorsus infallibile, & irreformabile, accedente expresso, vel tacito consensu universitatis moralis Episcoporum. Nam *perinde est sive sit expressus, sive tacitus & interpretativus Episcoporum consensus; ubi enim est publica Pontificis constitutio, & ad omnium notitiam pervenit, qui non contradicunt, procul dubio consentire præsumuntur*, ait idem D. Tournely, tom. cit.

5. *In Controversiis Fidei ac Religionis præcipuas esse Summi Pontificis partes, nec quidquam in Ecclesia magni momenti definiri debere, quod ad ipsum non referatur. Quamquam enim non sit solus Judex Controversiarum, est tamen inter Judices primus ac præcipuus dignitate & auctoritate, ad quem majores, ut vocant, Ecclesiæ causæ referendæ sunt. Majores autem appellantur causæ, vel ex rei, de qua agitur, gravitate ac magnitudine, quales illæ sunt, quæ Fidem, Religionem, ac generalem spectant morum disciplinam: vel ex magnitudine subortæ difficultatis, aut dignitate personæ, v. gr. cùm agitur de Episcopis.* Ita idem Doctor, tom. 2. de Ecclesia, qui suprà dixerat, *leges ac decreta Pontificis Romani in causis Fidei & morum ad omnes & singulas Ecclesias pertinere, ac Christianos omnes ex conscientia teneri ipsis obtemperare.*

6. *Romano Pontifici tanquam Capiti omnium Ecclesiarum sollicitudinem incumbere: ipsius esse invigilare Canonum observantiæ & executioni per orbem universum Christianum, ac rebelles, & contumaces pœnis canonicis coërcere.* Idem ibid.

7. Romanum Pontificem habere Jus Concilia Generalia convocandi, illisque sive per se, sive per Legatos præsidendi, & dispensandi ob justas causas à legibus Ecclesiasticis etiam in Conciliis Generalibus latis.

Idem Doctissimus Tournely, tom. 2. de Ecclesia addit: *Si contingeret in aliqua Fidei controversia diversos esse Episcopos, atque plures ex una parte cum Pontifice Romano, plures ex altera sine Pontifice stare, haud dubiè ei parti adhærendum foret, quæ Capiti conjuncta esset; ista enim melior ac sanior pars censeri deberet, & Ecclesiam sufficienter referre. Ecclesia siquidem corpus est visibile, Capiti suo Romano Pontifici adunatum: & ipse Romanus Pontifex est centrum unitatis, & communionis Ecclesiasticæ.... qui ergo à capite suo divisi forent Episcopi, etsi fortè numero vincerent, auctoritate tamen non vincerent, ac major pars saniori cedere tunc deberet.*

ARTICULUS VI.

Utrùm Romanus Pontifex loquens ex Cathedra aliquando erraverit?

Nota. 1. Summus Pontifex dicitur loqui ex Cathedra, quando ut supremus, ac universalis Pastor omnibus Fidelibus aliquid tanquam pertinens ad doctrinam Christi certa Fide credendum, ac tenendum definit, ita ut velit ab Ecclesiæ communione sejungi quotquot aliter senserint.

Nota 2. Romanum Pontificem errare non posse in Decretis, quibus damnat, vel approbat doctrinam aliquam ad Fidem vel mores spectantem, & quæ ad omnes Fideles diriguntur, & quando aliquid universæ Ecclesiæ ut Fide credendum, vel ut Jure divino præceptum aut prohibitum proponit sub pœna Excommunicationis in dissidentes, docent multi Catholici: Galli negant, quorum tamen multi fatentur Ecclesiam Romanam particularem infallibilitatis privilegio gaudere, quamvis eo careat Romanus Episcopus seorsim sumptus. Honoratus Tournely Parisiensis Doctor jam sæpè laudatus, qui tum Romani Pontificis, tum particularis Ecclesiæ Romanæ infallibilitatem negat, fatetur tamen Ecclesiam Romanam non posse nisi ad brevissimum tempus manere in errore, & to. 2. de Ecclesia Christi ait: *non dissi-*

dissimulandum, difficile esse in tanta testimoniorum mole, quæ Bellarminus, Launoius & alii congerunt, non recognoscere Apostolicæ Sedis, seu Romanæ Ecclesiæ certam & infallibilem auctoritatem. Ego verò hic solam quæstionem facti attingo. Itaque

Dico. Nullus unquam Pontifex Romanus decretum aliquod doctrinam Fidei vel morum spectans edidit, quo universæ Ecclesiæ errorem aliquem proponeret ut Fidei dogma, ut patebit objectionum solutione. Neque enim ejusmodi decretum erroneum proferri vel unum potest.

Obj. 1. Liberius, & Honorius I. erraverunt ut Doctores & Pastores universales.

Resp. Neg. Nam 1. Agatho Papa, in epistola ad Constantinum Imperatorem, approbata à Concilio sexto Generali testatur, omnes Prædecessores suos, inter quos fuere Liberius & Honorius, semper confirmasse fratres in Fide, ideoque nunquam Ecclesiam malè docuisse. 2. Liberius nullum errorem Ecclesiam docuit, nec tenendum proposuit. Imò nec ut privata persona erravit in Fide; nam formula Fidei, cui subscripsit, est Catholica in sensu obvio & proprio, in quo ei subscripsit: & nunquam compelli potuit ad reprobandam vocem *consubstantialis.* Sed peccavit tantùm facto & exemplo, non doctrina, quando tædio & exilii ærumnis, nec non mortis minis compulsus communicavit cum Arianis, & consensit damnationi S. Athanasii ob crimina ei ab Arianis afficta. Verùm hanc culpam ab exilio reversus delevit rebus sapienter, fortiterque propter Fidem Nicænam gestis.

Idem est de Honorio. Nam, non ut Doctor universalis aliquid toti Ecclesiæ credendum aut faciendum proponens, sed ut persona privata scripsit ad Sergium epistolas, in quibus solis erasse dicitur, ut constat 1. ex ipsis epistolis, quæ non diriguntur ad omnes Fideles, sed duntaxat ad Sergium Constantinopolitanum Episcopum, & in quibus nil definit, sed præcisè jubet, ut abstineatur à vocibus *duarum & unius voluntatis*, idque non ex animo hæretico, sed ex sincero pacis, ac concordiæ inter Orientales conservandæ studio, & substituendo voces æquivalentes, quæ duarum voluntatum dogma sufficienter exprimebant. 2. Quia noluit suas epistolas divulgari. 3. Quia ad illas scribendas nullum Episcoporum Conventum adhibuit, cùm tamen illis præsertim temporibus Romani Pontifices, non nisi Episcoporum convocatorum sicut nunc Cardinalium Concilio adhibito, responderent, aut aliquid statuerent ut Pontifices. Sed totum hoc epistolarum negotium ab ipso Honorio, & Joanne Abbate ejus Scriba peractum est. Imò Honorius ne quidem ut persona privata erravit contra Fidem, ut ostenditur in Tractatu de Incarnatione.

Obj. 2. Nicolaus I. in epist. ad Bulgaros, & refertur Can. *à quodam Judæo*, dist. 4. de Consecrat. dicit eos, qui baptizati sunt in Nomine SS. Trinitatis, vel tantùm in Christi Nomine, non esse denuò baptizandos.

Resp. Hoc dixit ut privatus Doctor, non ut Pastor universalis definiens; neque enim id definit credendum: nec de hoc interrogatus fuerat à Bulgaris, sed solùm an rebaptizandi essent baptizati à Judæo dubiæ Fidei: ad quod Nicolaus respondet non esse rebaptizandos, si baptizati essent in nomine SS. Trinitatis, nempe Personarum distinctè expressarum, quod verum est. Sed de suo ut privatus Doctor addidit, neque rebaptizandos esse eos, qui tantùm in Nomine Christi baptizati essent.

Obj. 3. Nicolaus IV. cap. 3. *Exiit*, de V. S. in 6. & Joannes XXII. Extrav. *Ad conditorem* ediderunt definitiones inter se pugnantes. Ergo alteruter erravit ut Pastor universalis docens totam Ecclesiam.

Resp. Nego anteced. Nam Nicolaus IV. nil definit ut Fide credendum, sed tantùm aliqua declarat, & statuit circa regulam Franciscanorum, & ex hac occasione suam opinionem circa perfectionem paupertatis exponit, nihil definiendo, ut patet ex ejus verbis, & testatur ipse Joannes, Extrav. *Quia quorumdam.* Idem verò Joann. XXII. Extrav. *Cùm inter nonnullos*, & Extrav. *Ad conditorem*, hoc solū definit, nempe hæreticum esse asserere Christum, ejusque Apostolos non habuisse aliqua neque in speciali, neque in communi, vel non habuisse jus utendi rebus, quibus utebantur, & quas usū absumebant. Quod nunquam affirmavit

Nico-

Nicolaus IV. nequidem ut Doctor privatus: nam cap. *Exiit*, expressè fatetur Christum & Apostolos habuisse aliquando dominium certarum rerum, ut observavit idem Joannes, Extrav. *Quia quorumdam.*

Porro non omnia, quæ Juri Canonico inserta sunt, continent definitiones Fidei, ut constat apud omnes. De Ecclesia Romana particulari nil objicitur; sed fatentur omnes Catholici illam hactenus nunquam errasse in rebus ad Fidem, mores, vel disciplinam generalem pertinentibus.

Observa. Catholici omnes fatentur Fideles omnes teneri definitioni Summi Pontificis circa Fidem & mores obtemperare. Tum quia hæc definitio certa est, dum non reclamat Ecclesia, id est, dum primi Pastores Ecclesiæ, nempe Episcopi, non contradicunt. Tum quia vera ac sincera debetur obedientia omni Superiori legitimo, licèt errori obnoxio, nisi evidens sit illum aberrare.

ARTICULUS VII.

Utrùm ad salutem necessaria sit communio cum Apostolica Sede, seu Ecclesia Particulari Romana, & ejus Episcopo?

Sic Honoratus Tournely Doctor Parisiensis, qui ex omnibus Catholicis Gallis minimum concedit Ecclesiæ Particulari Romanæ, respondet, tom. 2. de Ecclesia, art. 6.

Cùm Romana seu Apostolica Sedes centrum sit, ac vinculum unitatis & communionis Catholicæ, nemo Catholicus haberi potest, nisi qui unitate Fidei ac doctrinæ cum ea conjunctus fuerit. Conjungi verò potest, vel interna simul & externa, vel tantùm externa unione. Utriusque unionis vinculo cum ea colligantur, qui intùs & in animo eandem cum ipsa Fidem, ac doctrinam retinent, quam profitentur exteriùs: qui verò intùs & animo ab ejus Fide, ac doctrina dissentiunt, nec tamen scindunt unitatem, iisdem externis Sacramentorum vinculis constricti, quales sunt omnes hæretici occulti, ii externam duntaxat, ac sensibilem unionem retinent, non internam. Nomen quidem habent illi, quòd vivant; sed mortui sunt spiritu vitæ interiùs destituti. Ecclesia autem, quæ societas est externa & sensibilis de externa duntaxat unione, seu communione judicat, non de interna. Utraque verò unio cum Ecclesia Romana semper necessaria fuit, omnibusque sæculis spectata tanquam certissimum veræ Fidei, ac purioris doctrinæ signum, & argumentum. Priùs dixerat: *Catholica Christi Ecclesia dicitur Romana, tum à disciplina generali, tum maximè ab ipsa Fide, quæ una esse debet cum Romana in omnibus & singulis Ecclesiis.*

Hanc doctrinam, quæ est omnium Catholicorum, probat idem Doctor ex Traditione. Textus ab illo citatos, & alios plures hìc referre operæ pretium est, animorum à schismate & hæresi avertendorum causa.

S. Irenæus, l. 3. adversùs hæreses, c. 3. *Quoniam valdè longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximæ & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis Traditionem, & annuntiatam hominibus Fidem per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quomodo vel per sui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam sententiam, præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, in quæ semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis Traditio.*

Tertullianus, l. de Præscript. cap. 36. *Habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præsto est. Ista quam felix Ecclesia, cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt . . . , Videamus, quid dixerit, quid docuerit.*

S. Cyprian. epist. 18. ad Cornel. *Audent & ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est, à schismaticis & prophanis litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum Fides, Apostolo prædicante, laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum.* Et epist. 45. ad eundem, ait: *Romanam Ecclesiam radicem esse ac ma-*

matricem Ecclesiæ Catholicæ. Et ibidem communionem cum Cornelio Romano Pontifice sic explicat, *id est, Catholicæ Ecclesiæ unitatem*, sic enim ait: *Ut te universi Collegæ nostri, & communicationem tuam, id est, Ecclesiæ Catholicæ unitatem tenerent.* Et epist. 52. ad Antonian. *Scripsisti etiam*, inquit, *ut exemplum earundem litterarum ad Cornelium transmitterem, ut sciret te secum, hoc est, cum Catholica Ecclesia communicare.*

S. Gregorius Nazianzenus, in carmine de vita sua. *Fides vetustæ* (Romæ) *recta erat antiquitùs: & recta perstat nunc item, nexu pio, quodcunque labens sol videt, devinciens: ut universi Præsidem mundi decet, totam colit quæ Numinis concordiam.* Itaque Fides Ecclesiæ Particularis Romanæ est nexus, quo inter se devinciuntur Fideles omnes. Unde Fides illius est semper recta, ut decet Ecclesiam toti orbi Christiano Præsidem. Nam Fideles omnes non possunt inter se devinciri, & devincti universalem Christi Ecclesiam constituere, nisi per ejusdem veræ Fidei professionem.

S. Ambrosius, oratione de obitu fratris sui Satyri n. 47. ait: *Advocavit* (Satyrus) *ad se Episcopum, nec ullam veram putavit nisi veræ Fidei gratiam, percunctatusque ex eo est, utrumnam cum Episcopis Catholicis: hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret.*

S. Hieron. lib. 3. Apologiæ contra Rufinum. *Attamen scito Romanam Fidem, Apostolica voce laudatam, istiusmodi præstigias non recipere, etiamsi Angelus aliter annunciet, quam semel prædicatum est, Pauli auctoritate munitam non posse mutari.* Idem, in Epist. ad Damasum Papam. *Mihi Cathedram Petri, & Fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam. Inde nunc meæ animæ postulo cibum, unde olim Christi vestimenta suscepi, .. Profligato à sobole mala patrimonio, apud vos solos incorrupta Patrum servatur hæreditas... Vos estis lux mundi, vos sal terræ .... A Pastore præsidium ovis flagito ... Cum Successore Piscatoris & Discipulo Crucis loquor. Ego nullum primum nisi Christum loquens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio .... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Anti-Christi est ... Discernite, si placet, obsecro, non timebo tres hypostases dicere, si jubetis .. .. Obtestor Beatitudinem tuam per Crucifixum, ut mihi Epistolis tuis sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas.*

S. Augustinus, in Psalmo contra partem Donati. *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, & in ordine illo Patrum, quis cui successit, videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Et, serm. 2. de verbis Apostoli. *Jam enim de hac causa* (Pelagianorum) *duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: inde etiam rescripta venerunt. Causa finita est. Utinam aliquando finiatur error.* Et, epist. 162. asserit, nihil esse timendum Cæciliano, quia cum Ecclesia Romana communione conjunctus est. *Cùm se*, inquit, *Romanæ Ecclesiæ, in qua semper viguit Apostolicæ Cathedræ Principatus ... per communicatorias litteras videret esse conjunctum, ubi paratus esset causam dicere.*

S. Optatus Milevitan. Episcopus l. 2. de schismate Donatist. *Igitur negare non potes, scire te in Urbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus ... In qua una Cathedra unitas servaretur ... Ergo Cathedram unicam, quæ est prima de dotibus, sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens .... Damaso Siricius, hodie qui noster est Socius: cum quo nobiscum totus orbis commercio formatarum, in una communionis societate concordat. Vestræ Cathedræ vos originem reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.*

S. Cyrillus Alexand. Patriarcha, ep. ad Cœlest. I. ait: *Non prius autem illius* (Nestorii) *communionem palam apertèque deserimus, quàm hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Digneris proinde, quid hìc sentias præscribere; quo liquidò nobis constet communicare ne nos cum*

illo

illo (Nestorio) *oporteat, an verò liberè eidem denuntiare neminem cum eo communicare, qui ejusmodi erroneam doctrinam fovet ac prædicat. Porro tuæ integritatis mens, & super hac re sententia Macedoniæ Episcopis, nec non totius Orientis Antistitibus perspicuè per litteras exponi debet. Nam cupientibus illis ansam dabimus, ut omnes uno animo in una sententia persistant, rectæque Fidei, quæ jam impugnatur, opem ferant.*

S. Flavianus Constantinopol. Episcopus & Martyr hæc ad S. Leonem scribit. *Causa* (Fidei ab Eutychete impugnatæ) *eget solummodò vestro solatio atque defensione, qua debeatis consensu proprio ad tranquillitatem & pacem cuncta perducere. Sic enim hæresis, quæ surrexit, & turbæ, quæ propter eam factæ sunt, facillimè destruentur, Deo cooperante per vestras sanctissimas litteras. Removebitur autem & Concilium, quod fieri divulgatur, quatenus nequaquam ubique sanctissimæ turbentur Ecclesiæ.*

S. Petrus Chrysologus, epist. ad Eutychem. *In omnibus hortamur te, Frater honorabilis, ut his, quæ à Beatissimo Papa Romanæ civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam B. Petrus, qui in propria Sede & vivit & præsidet, præstat quærentibus Fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis & Fidei, extra consensum Romanæ civitatis Episcopi causas Fidei audire non possumus.*

S. Leo Magnus, in epist. ad Patres Concilii Chalcedonensis. *Non abjuncta à vobis præsentia mea, qui nunc in Vicariis meis adsum, & jam dudum in Fidei Catholicæ prædicatione non desum; ut qui non potestis dubitare quid cupiamus. Unde, Fratres charissimi rejecta penitus audacia disputandi contra Fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat: nec liceat defendi quod non licet credi; cùm secundùm Evangelicas auctoritates, secundùm Prophetica voces, Apostolicam doctrinam plenissimè & lucidissimè per litteras, quas ad beatæ memoriæ Flavianum Episcopum misimus, fuerit declaratum, quæ sit de Sacramento Incarnationis Domini nostri Jesu Christi pia & sincera confessio.*

S. Gregor. Magnus, l. 4. ep. 52. ad Gallia-rum Episcopos. *Si quam verò contentionem, quod longè faciat divina potentia, de Fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit, cujus vehemens sit fortasse dubietas, & pro sui magnitudine judicio Sedis Apostolicæ indigeat; examinata diligentiùs veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.*

Episcopi Africani ex tribus Conciliis, in epist. ad Theodorum Papam dicunt, *quòd magnum & indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem apud Apostolicam Sedem consistere fontem, nullus ambigere possit: quòd Summorum Pontificum vetusta sollicitudo sit tam mala damnare, quàm probare laudanda; quòd omnia auctoritate Romani Pontificis firmentur: quòd ex sententia ejus cæteræ Ecclesiæ discant, quæ prædicare debent, & doctrina mysteriorum Fidei per totius orbis regiones pura & integra maneat.*

Synodus Cypria, in synodica ad Theodorum Papam epistola, sic eum alloquitur. *Firmamentum à Deo fixum & immobile, atque tituli formam lucidissimam Fidei vestram Apostolicam Sedem constituit, o sacer vertex, Christus Deus noster.*

S. Sophronius Hierosol. Patriarcha, ep. ad Stephanum Episcopum sic eum affatur: *De finibus terræ usque ad terminos ejus ambula, donec ad Apostolicam Sedem, ubi orthodoxorum dogmatum fundamenta existunt, pervenias.*

S. Bernard. ep. 190. ad Innoc. II. *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala regni Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimùm resarciri damna Fidei, ubi non possit Fides sentire defectum. Cui enim alteri Sedi dictum est aliquando: ego pro te rogavi, ut non deficiat Fides tua? Ergo quod sequitur, à Petri Successore exigitur: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Omitto multos alios Patres.

Concilium Generale sextum, act. 8. approbavit Agathonis Papæ epistolam ad Constantinum Imper. in qua ait: *Hæc est vera*

Fidei regula, quam & in prosperis & in adversis vivaciter tenuit Apostolica Christi Ecclesiæ, quæ per Dei gratiam à tramite Apostolicæ Traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis novitatibus unquam depravata ſuccubuit; quia dictum eſt Petro: Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua, &c. Hic Dominus Fidem Petri non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit; quòd Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper cunctis eſt agnitum.

Concilium Nicænum II. Generale approbavit epiſt. Adriani I. ad Tharaſium ſcriptam, in qua hæc leguntur: *Cujus* (B. Petri) *Sedes per totum orbem terrarum Primatum obtinens lucet, omniumque Eccleſiarum Dei Caput exiſtit. Unde & ipſe Beatus Petrus Apoſtolus Dei juſſu Eccleſiam paſcens, nihil omnino prætermiſit, ſed ubique Principatum obtinuit & obtinet: cui etiam & noſtræ Beatæ & Apoſtolicæ Sedi, quæ eſt omnium Eccleſiarum Dei Caput, velim beata veſtra ſanctitas ex ſincera mente & toto corde agglutinetur, utpote quæ re vera ſit rectè ſentiens, & pietatis incorruptæ conſervatrix.*

Concilium Generale octavum, ſeu Conſtantinopolitanum IV. approbavit & ſubſcripſit hanc Fidei formulam ab Hormisda Papa editam: *Prima laus eſt rectæ Fidei regulam cuſtodire, deinde à conſtitutis Dei & Patrum nullatenùs deviare. Unum quippe horum ad Fidem pertinet, alterum ad opus bonum; ſicut enim ſcriptum eſt: ſine Fide impoſſibile eſt placere Deo: ſic rurſus legitur: Fides ſine operibus mortua eſt. Et quia non poteſt Domini noſtri JEſu Chriſti prætermitti ſententia dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; hæc quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus. Quia in Sede Apoſtolica immaculata eſt ſemper Catholica reſervata Religio, & ſancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo Fide atque doctrina ſeparari minimè cupientes, & Patrum, & præcipuè ſanctorum Sedis Apoſtolicæ Præſulum ſequentes in omnibus conſtituta, Anathematizamus omnes hæreticos.... Sequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, & obſervantes omnia ejus conſtituta, ſperamus, ut in una communione, quam Sedes Apoſtolica prædicat, eſſe mereamur, in qua eſt integra Chriſtiana Religionis ſoliditas. Promittentes etiam ſequeſtratos à communione Eccleſiæ Catholicæ, id eſt, non conſentientes Sedi Apoſtolicæ, eorum nomina inter ſacra non recitanda eſſe myſteria, &c.* Hoc Fidei libello, actione 1. lecto, Tota Synodus exclamavit: *juſtè & convenienter lectus nobis libellus expoſitus eſt à ſancta Romanorum Eccleſia, & propterea omnibus placet.* Et (ut Anaſtaſius Bibliothecarius teſtis oculatus teſtatur) omnes Epiſcopi, & Clerici in Concilium admiſſi, hanc Fidei formulam deſcriptam, atque teſtium à ſe rogatorum teſtimonio & ſubſcriptione roboratam, ſinguli Sedis Apoſtolicæ Legatis porrexerunt ad Romanum Pontificem deferendam.

S. Avitus Viennenſis ſic ad Hormisdam Papam ſcribit: *Quæſumus ergo ſervitio meo juncto, ut quid filiis veſtris, fratribus meis, id eſt, Gallicanis, ſi conſulant, reſpondere debeam, inſtruatis; quia jam ſecurus, non dicam de Viennenſi, ſed de totius Galliæ devotione polliceor, omnes veſtram ſuper ſtatu Fidei captare ſententiam.*

S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, in epiſt. ad Bonifacium II. poſtulat ab eo confirmationem canonum Synodi Arauſicanæ II. pro ambiguitate tollenda, ut patet ex epiſtola ipſius Bonifacii hoc Concilium confirmantis, ſcripta ad ipſum Cæſarium, ubi ait: *Indicas.... poſtulans ut pro ambiguitate tollenda, confeſſionem veſtram* (Fidei) *auctoritate ſententiem.*

Omittebam; non tamen prætermittendum, Galliarum Epiſcopos accepta & lecta S. Leonis epiſtola dogmatica ad Flavianum, reſcripſiſſe ad Leonem epiſtolam à Ravennio Arelatenſi & aliis 43. Epiſcopis ſubſcriptam, qua ſignificant definitionem illam Sedis Apoſtolicæ velut ſymbolum Fidei receptam fuiſſe & recipiendam eſſe, eamque tum ad ortho-

thodoxos in Fide confirmandos, tum ad heterodoxos convincendos, & ad rectam Fidem revocandos sufficere.

Petrus de Aliaco Gersonis Magister, in Apologia Facultatis Parisiensis ait: *Ad sanctam Sedem Apostolicam pertinet auctoritate judiciali suprema circa ea quæ sunt Fidei judicialiter definire.... quia ad illius tanquam ad supremi judicis auctoritatem pertinet in Fide judicialiter definire, cujus Fides nunquam deficit; quia de hac sancta Sede, in persona Petri Apostoli in ea præsidentis, dictum est Petro: rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua.*

Ecclesia Gallicana in Conventu Melodunensi, anno 1579. declarat Fideles omnes credere & profiteri debere ea, omnia, *quæ credit & profitetur sancta Ecclesia Romana, quæ est magistra, columna & firmamentum veritatis: quia cum hac Ecclesia, propter ejus principalitatem, omnem aliam Ecclesiam in rebus ad Fidem pertinentibus idem sentire oportet.*

Episcopi Gallicani, anno 1651. in epist. ad Innoc. X. scripta, & ab octoginta quinque Episcopis subscripta, ita loquuntur: *Majores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est, quem Fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro jure suo postulat; Æquissimæ huic legi obsequentes, de gravissimo circa Religionem negotio Sanctitati tuæ scribendum esse censuimus. Decennium est, ex quo vehementissimis turbis Gallia nostro magno mœrore commovetur ob librum posthumum & doctrinam Reverend. Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi. Tales quidem motus sedari oportebat tum Concilii Trid. auctoritate, tum Bullæ illius, qua Urbanus VIII. felicis memoriæ adversùs Jansenii dogmata pronuntiavit, & decreta S. Pii V. & Gregorii XIII. in Bajum edita confirmavit. Atque hujus quidem Bullæ veritatem novo diplomate vindicasti. Sed quia nulli singillatim propositioni certa censuræ nota inusta fuit, locus etiamnum aliquis quorumdam cavillis & effugio relictus est. Intercludendum autem penitus speramus, si, ut precamur, Sanctitas tua expendat, ac perspicuam & certam de unaquaque sententiam ferat.* Tum Pescriptis quinque illis propositionibus, ita prosequuntur: *Experta est nuper Beatitudo tua, quantùm Apostolicæ Sedis in gemini Ecclesiæ capitis errore prosligando valuerit auctoritas. Continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem & imperium venti & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, Beatissime Pater, ut clara firmaque de propositionum istarum sensu prolata sententia, cui Rever. ipse Jansenius morti proximus opus suum subjecit, caliginem omnem discutias, animos fluctuantes componas, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem, splendoremque restituas.*

Doctissimus Bossuetius Meldensis Episcopus, in Concione habita in comitiis Cleri Gallicani celebratis anno 1682. & eorundem comitiorum jussu typis mandata ac evulgata ait: *Roma, quia prædestinata fuit, ut esset Caput Religionis & Ecclesiæ, fieri debuit propria & particularis B. Petri Ecclesia. Quapropter erecta fuit & fixa Romæ Cathedra æterna. Hæc est Ecclesia Romana, quæ à B. Petro & Successoribus ejus edocta, nullam admittit hæresim.... Hoc pacto Ecclesia Romana virgo semper est. Fides Romana semper est Fides universæ Ecclesiæ; idcircò quod creditum est hactenus, etiamnum creditur, & in posterum credetur semper; eadem etenim vox æternum personat ubique, Petrusque in Successoribus suis æternum manet Fidelium fundamentum. Hoc dixit Christus ipse. Prius autem cœlum & terra dissolventur, quàm verbum ejus inane abeat.*

His adde Concilium Generale Lugdunense II. quod can. 1. Romanam Ecclesiam vocat matrem omnium Fidelium & magistram. Et Concil. Trid. sess. 7. de Bap. can. 3. de Ecclesia Romana loquens addit, *quæ omnium Ecclesiarum mater est & magistra.*

Ex his omnibus testimoniis perpetuam Ecclesiæ de unitate fundamentali sententiam exprimentibus patet formam hanc fuisse primigeniæ institutionis & constitutionis divinæ à Christo præscriptam, ut Fideles omnes in unitate Fidei communione conjungerentur cum Petro Christi Vicario, ejusque Successoribus pro tempore existentibus. Quæ quidem institutio divina continetur his Christi verbis, quibus etiam prædicta testimonia nitun-

tuntur, Matth. c. 16. *Ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis: Et quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cœlis.* Et Joann. cap. 21. *Pasce agnos meos. Pasce oves meas.* Et Luc. cap. 22. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua; & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quæ quidem omnia dicta sunt Petro ut personæ publicæ, & in ejus persona omnibus ejus Successoribus, ut constat ex Traditione, sensu Ecclesiæ, & intentione Christi.

Hinc nunquam licet se separare à communione Ecclesiæ Romanæ, & Summi Pontificis. *Præcidendæ unitatis nulla est justa necessitas*, ait S. Augustinus, lib. 2. contra epist. Parmenian.

APPENDIX
DE
SPE, ET CHARITATE.
Excerpta ex Theologia morali ejusdem Auctoris.

De Spe

ARTICULUS UNICUS.

Quæres I. QUid est *Spes? Resp.* Spes actualis est fiducia certa obtinendi beatitudinem æternam per media à Deo statuta: sive est actus, quo optamus, & certò expectamus à Deo per merita Christi beatitudinem æternam, seu possessionem Dei perfectam, & media illius assequendæ, eò quòd Deus sit summum nostrum bonum, auxiliator omnipotens, misericors, & fidelis in promissis. Spes habitualis est habitus per se infusus actuum Spei ex auxilio gratiæ elicitivus.

Hinc I. Spes est actus virtualiter duplex, sive est actus æquivalens duobus actibus, quorum unus est tantùm desiderium efficax beatitudinis, seu amor Dei, ùt summi nostri boni: & alter est confidentia, seu erectio voluntatis adversùs difficultates in prosecutione beatitudinis occurrentes, fundata in auxiliis, & promissionibus divinis. Ac proinde Spei duplex est objectum formale, seu motivum, unum totale constituens; nam motivum desiderii est Dei bonitas relativa, cujus possessio potest nos perfectè beare: motivum verò confidentiæ, seu erectionis est Dei virtus auxiliatrix, seu multiplex Dei perfectio, nempe benignitas, misericordia, omnipotentia, & fidelitas in promissis factis propter merita Christi. *In Spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus.* Tit. 1. *Deus meus adjutor meus, & sperabo in eum.* Psalm. 17.

Hinc II. Spei objectum materiale primarium est Deus possidendus: secundarium sunt media

media ſalutis à Deo inſtituta: nempe gratia, & bona opera ex viribus gratiæ facta, ſine quibus Spes eſſet mera præſumptio: Item bona temporalia, quatenus per bonum uſum ex gratia Dei ad ſalutem conducere poſſunt: uno verbo, omnia, quæ in oratione Dominica continentur. Deum autem poſſidendum eſſe objectum primarium Spei, patet ex Geneſ. 15. ubi Deus dicit Abrahamo. *Ego --- merces tua magna nimis.* Et Joan. 3. *Nunc Filii Dei ſumus; & nondum aparuit, quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum, ſicuti eſt* (& videndo fruitivè amabimus.) *Et omnis, qui habet hanc Spem, in eo ſanctificat ſe, &c.* Unde S. Auguſt. lib. 22. de civit. cap. 30. ait: *Præmium virtutis erit ipſe, qui virtutem dedit, & qui ſeipſum, quo mèlius, & majus nihil poſſit eſſe, promiſit.*

Hinc III. Ad Spem pertinet timor privationis gratiæ Dei, & ejus poſſeſſionis.

Dixi, *certa*, ſcilicet ratione ſui, & quantum eſt ex parte Dei; quia nititur omnipotentia, miſericordia, & fidelitate Dei in promiſſis. Unde ad Hebr. 6. dicitur *anchora animæ tuta, ac firma.* Eſt tamen incerta reſpectu noſtri. Nam non ſumus certi de noſtra cooperatione, & perſeverantia ad ſalutem neceſſaria. *Neſcit homo, utrùm amore, an odio dignus ſit: ſed omnia in futurum ſervantur incerta*, Eccli 9. Hinc illud ad Phil. 2. *Cum metu, & tremore veſtram ſalutem operamini.* Poſſumus tamen, & debemus ſperare perſeverentiam finalem; nam ad hoc ſufficit, quòd ſit certò futura conditionate, nempe ſub hac conditione, ſi non defuerimus gratiæ Dei. Eſt autem certò futura ſub hac conditione; id enim docet Conc. Trid. Seſſ. 6. cap. 13. ubi de perſeverantia finali loquens, ſic ait: *Nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur; tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint: ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere.*

Quæres II. An datur ſpeciale præceptum Spei?

Reſp. Affirm. conſtat 1. ex Pſalm. 4. *Sperate in Domino.* Et 1. Petri 1. *Sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam.* Et 1. ad Tim. 6. *Præcipe --- neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo.* 2. ex S. Auguſtino tractatu 83. in Joannem. *De Fide nobis quam multa mandata ſunt, quàm multa de Spe.* 3. Quia Spes eſt medium neceſſarium ad ſalutem: *Spe enim ſalvi facti ſumus.* Rom. 8. Eſtque diſpoſitio neceſſaria in adulto ad juſtificationem obtinendam, ex conc. Trid ſeſſ. 6. cap 6. Deus autem præcepit omnia media ad ſalutem neceſſaria. Præterea Deus non vult ſalvare adultos ſine propria cooperatione, quæ non fit ſine Spe, per quam voluntas tendit in Deum, ut ſuum ſummum bonum, & erigitur adversùs difficultates, quæ reperiuntur in virtutum exercitio. 4. Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem: *Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actus Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

Præceptum Spei obligat ad eliciendos ſuo tempore actus Spei, aliosque connexos, & ad adhibenda omnia media neceſſaria ad beatitudinem conſequendam, prohibetque præſumptionem, deſperationem, & incuriam ſalutis.

Quæres III. Quandonam, præceptum Spei obligat ad eliciendum actum Spei?

Reſp. Obligat per ſe, & ratione propriæ honeſtatis 1. Initio uſus rationis quando quis novit æternam beatitudinem, ad quam deſtinati ſumus; nam tunc debet tendere ad ſuam beatitudinem, ac ſuum ſummum bonum, & rectè vitam ſuam inſtituere, 2. Quoties verſatur in periculo deſperandi, niſi actus Spei animum confirmet; nam eodem præcepto tenemur ſperare, & non deſperare. 3. Sæpe in decurſu vitæ, ut ſemper homo ſit bene diſpoſitus, & corroboratus ad bonum faciendum, & peccatum vitandum. 4. In periculo mortis; nam tunc præcepta, præſertim Deum immediatè ſpectantia, maximè urgent. Et tunc actus Spei neceſſarius eſt ad ſe confirmandum contra tentationes, & dolores.

Obligat autem per accidens. 1. Quando ex præcepto eliciendus eſt actus aliarum virtutum

tutum, ùt orationis, pœnitentiæ &c. quæ ſine actu Spei exerceri nequeunt, 2. Quoties urget tentatio, quæ ſuperari non poteſt, niſi animus corroboretur per actum Spei, 3. Actus Spei requiritur ad juſtificationẽ peccatoris adulti

Quæres IV. Quænam ſint peccata Spei oppoſita?

Reſp. Sunt deſperatio, præſumptio, & incuria ſalutis.

Deſperatio eſt diffidentia obtinendi beatitudinem, & media ad illam neceſſaria.

Præſumptio eſt inordinata fiducia obtinendi à Deo beatitudinem aliter, quàm ipſe ſtatuit eſſe obtinendam. Eſt autem inordinata, 1. Cùm quis innititur propriæ virtuti, & viribus, ut ſi præſumat obtinere gloriam ex ſolis viribus naturæ per opera naturalia, ùt faciebant Pelagiani. 2. Cùm quis inordinatè innititur omnipotentiæ, & miſericordiæ Dei, ùt, ſi ſperet, quæ Deus negare ſtatuit, v. g. beatitudinem ſine bonis meritis, ùt faciunt Calviniſtæ: vel ſi ſtatuat perſeverare in peccatis, quamdiu bene valet, ſperans ſe acturum pœnitentiam in articulo mortis, ùt faciunt peccatores multi. Præſumptio extenditur etiam ad tentationem Dei, de qua alibi.

Ad incuriam ſalutis pertinet ea animi abjectio, qua quis vellet bonis terrenis perpetuò frui.

Hæc peccata ſunt per ſe mortalia, cùm ſint oppoſita virtuti Theologicæ, & graviter injurioſa Deo. *Ita duo occidunt animas, aut deſperatio, aut perverſa Spes.* Ait S. Auguſt. ſerm. 87. de verb. Evangel. nov. edit.

Hinc mortale eſt. 1. Non velle efficaciter, nec optare poſſeſſionem Dei. 2. Deliberatè cupere perpetuò manere in hac vita, & magis amare bona creata, quàm poſſeſſionem Dei. 3. Ex nimio damnationis metu, & diffidentia de Dei gratia, ac miſericordia abſolutè cupere annihilari, vel nunquam fuiſſe. 4. Deſperare de obtinenda vita æterna, & venia peccatorum, emendatione vitæ, vel auxiliis gratiæ neceſſariis. 5. Sperare ſalutem ſine bonis operibus ex gratia factis, vel ut debitam ob dotes, aut opera naturalia, aut veniam peccatorum ſine pœnitentia. 6. Velle perſeverare diu in peccatis ex Spe miſericordiæ Divinæ, aut poſt lapſum in unum mortale multa alia committere, eo quòd æquè facile ſit obtinere veniam unius, quàm multorum, quaſi Deus ſua miſericordia eſſet fautor criminum, contra illud ad Rom. 2. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ &c.* Nam hæc, & ſimilia ſunt divinæ bonitati, miſericordiæ, vel potentiæ, vel gloriæ, vel providentiæ ac ordinationi, vel juſtitiæ graviter injurioſa.

ACTUS SPEI.

Summopere mi Deus tui viſionem, ac fruitionem in cœlo deſidero, quia tu es animæ meæ ſummum bonum, & unica beatitudo, & confido me hac perfecta beatitudine fruiturum eſſe propter merita ſalvatoris mei Jeſu Chriſti per bona opera ex ejus auxiliis facta: quia tu Deus es benigniſſimus, miſericordiſſimus, potentiſſimus, & in promiſſis ſervandis fideliſſimus, atque virtus mea auxiliatrix.

DE CHARITATE.

ARTICULUS I.

De Natura Charitatis.

Quæres 1. *Quid eſt Charitas ?*

Nota. AMor propriè dictus eſt affectus, quo voluntas adhæret bono præcisè quia bonum eſt. Dividitur in amorem Charitatis, & Concupiſcentiæ. Amor Charitatis, ſeu benevolentiæ eſt ille, quo quis amat alterum propter ipſum, & bona illius, quia ſibi complacet in illius perſona propter propriam ejus perfectionem. Hic amor vocatur amicitiæ, quando perſona amata ſimiliter afficitur erga perſonam amantem. Amor Concupiſcentiæ eſt ille, quo quis amat ſeipſum, & bona ſua tanquam ſua, vel alium tanquam ſibi bonum.

Reſp. Charitas actualis, quæ præcipitur, eſt actus amoris benevolentiæ, quo Deum ſupra omnia propter ſe, & nos ipſos, & proximum, ſicut nos ipſos propter Deum efficaciter amamus, ex S. Aug. lib. 8. de Trin. cap. 8. *Ex una, eademque charitate Deum, proximúmque diligimus : ſed Deum propter Deum, nos autem, & proximum propter Deum.* Charitas verò habitualis eſt habitus per ſe infuſus actuum Charitatis cum auxilio gratiæ elicitivus, ſeu permanenter habilitans ad actus Charitatis eliciendos.

Quare ex communi ſententia Charitatis objectum materiale primarium eſt Deus : ſecundarium nos ipſi, & proximus. Nam eodem habitu Charitatis, quo Deum amamus, etiam nos ipſos & proximum propter Deum diligimus ; quia creaturæ intellectuales beatitudinis capaces ſunt aliquid ſpecialiter ad Deum pertinens : & Charitas eſt perfecta amicitia cum Deo. Eſt autem perfectæ amicitiæ non ſolùm amare primariò eum, quocum primariò, & per ſe contrahitur amicitia, ſed etiam ſecundariò, & propter illum diligere ea, quæ ad ipſum pertinent. *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & Charitas ejus in nobis perfecta eſt.* 1. Joan. cap. 4.

Objectum verò formale, ſeu motivum eſt Deus ipſe, quatenus in ſe bonus, ac perfectus : ſive infinita Dei bonitas abſoluta, quæ adæquatè ſumpta eſt complexio omnium perfectionum poſſibilium, & infinitarum, ſive ipſum eſſe divinum abſolutè, & in omni genere infinitè perfectum. Nam Charitas eſt amor benevolentiæ, & amicitiæ erga Deum : & per amorem amicitiæ amamus alterum propter ipſum, & volumus ei bonum ùt ejus bonum eſt propter propriam ejus perfectionem. Hinc Charitas differt ab amore Spei, ſeu Concupiſcentiæ, quo amamus Deum præcisè ùt noſtrum ſummum bonum, ſeu quatenus nobis bonus eſt, & nos perfectè beare poteſt. Charitas verò eſt amor benevolentiæ, & amicitiæ, quo amamus Deum, quia in ſe bonus eſt, ſeu propter ſuam infinitam amabilitatem ; cùm enim Charitas ſit virtutum omnium præſtantiſſima, debet habere motivum omnium præſtantiſſimum ; ideoque Deum ipſum prout eſt in ſe.

Quæres II. Quænam bona Deo velle debemus ?

Reſp. Deo velle debemus bona tum intrinſeca tum extrinſeca. Bona Dei intrinſeca ſunt omnes perfectiones poſſibiles infinitæ, quas Deus habet in ſe. Bonum Dei extrinſecum eſt gloria ejus extrinſeca, quæ conſiſtit in manifeſtatione ejus perfectionum : & in eo, quòd perfectè cognoſcatur, colatur, laudetur, & ametur à creaturis. Itaque cùm amare ſit velle bonum, amare Deum eſt illi hæc omnia bona velle, ſcilicet velle illi per modum complacentiæ ac gaudii omnes perfectiones infinitas, quas habet ; velle per modum deſi-

derii,

derii, seu optare efficaciter, & quantum in nobis est, efficere, ut à nobis, & omnibus creaturis cognoscatur, laudetur, colatur, & perfectè ametur.

Quæres III. An Charitas est virtus omnium Excellentissima?

Resp. Affirmat. Constat ex 1. ad Corinth. 13. *Major autem horum est Charitas.* Et ad Colossens. 3. *Supra omnia Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Ratio est, quia habet objectum, & motivum omnium perfectissimum, attingitque Deum modo perfectissimo, nempe propter se ipsum.

Quæres IV. Quinam sunt Charitatis actus proprii, & eliciti?

Resp. Sunt amor, benevolentia, affectus unionis, complacentia de perfectionibus divinis, desiderium ejus gloriæ &c. odium, & dolor circa malum bono divino contrarium ùt tale, scilicet peccatum.

ARTICULUS II.

De Præcepto Charitatis erga Deum.

Quæres I. An extat præceptum Charitatis erga Deum, & ad quid obligat?

Resp. 1. Extat præceptum amoris Dei speciale, & ab aliis omnibus distinctum. Constat, 1. Ex Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum, & primum mandatum.* At mandatum, quod est primum, & maximum, est sane præceptum speciale, & ab aliis distinctum, & quidem primo, & per se maximè datum, ita ut cætera omnia præcepta eo fine dentur, ut hoc ex omni parte perfectè observetur, juxta illud, 1. ad Tim. 1. *Finis præcepti Charitas.*

2. Ex SS. Patribus. Pro omnibus sit S. Aug. qui, lib. 1. Conf. cap. 5. ait: *Quid tibi sum ipse, ut amari te jubeas à me, & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Parvane ipsa est, si non amem te?*

3. Ex propositione damnata ab Alexandro VII. supra cit. & ex hac ab Alexandro VIII. damnata ùt hæretica. *Sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè: hinc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis.* Quæ propositio fuerat jam ante à S. Facultate Mussipontana speciali decreto damnata.

4. Quia cùm Deus sit objectum summè amabile propter se, & finis ultimus rerum omnium, non potuit sapienter non præcipere creaturæ amoris capaci, & liberæ, ut seipsum supra omnia propter se amet. Præterea (ut ait S. Thomas) id, quod est finis, per se debitum est, cùm habeat rationem boni per se. At Charitas Dei est finis omnium præceptorum, cùm Deum tanquam finem attingat immediatè, & modo perfectissimo, nempe supra omnia propter se ipsum, & ùt in se est. Ergo est per se maximè debita.

Resp. 2. Hoc præceptum prout affirmativum, obligat ad eliciendum certis temporibus actum internum supernaturalem amoris Dei supra omnia propter se: ùt constat ex illis verbis: *Diliges ex toto corde*, in sensu proprio significantibus internum dilectionis affectum, qui (ut exponunt Patres, & Doctores) sit amor benevolentiæ efficax, & appretiativè summus, vi cujus homo Deo, utpote summè amabili, ac bono, adhæreat supra omnia propter se, ipsi omnia bona velit, & faciat ea, quæ Deus ab illo saltem graviter exigit, se suamque beatitudinem, & cætera omnia ad Dei gloriam referat, malitque privari omni bono creato, & pati omne malum, quàm Deum offendere saltem graviter.

Itaque amor, qui primò, & maximo mandato præcipitur, debet esse 1. Internus, verus, ac propriè dictus, ùt patet ex his verbis præcepti: *Diliges ex toto corde.*

2. Debet esse appretiativè summus in adhæsione, ita ut Deum plus amemus, quàm nos ipsos, & creaturas omnes, malimusque privari omni bono creato, & pati quodvis malum, quàm Deum offendere saltem graviter. Constat. 1. Ex Patrum, ac Theologorum, & totius Ecclesiæ consensu. 2. Ex his verbis præcepti: *Ex toto corde, & in tota anima tua, & in tota mente tua*: in quo sensu explicantur à S. August. l. 1. de Moribus

bus Eccleſiæ, Cap. 11. ubi ait: *Summum bonum quod etiam optimum dicitur, non modo diligendum eſſe nemo ambigit, ſed ita diligendum, ut nihil amplius diligere debeamus; idque ſignificatur, & exprimitur ex eo, quod dictum eſt: Ex tota anima, & ex toto corde, & ex tota mente.* Tum ex Matth. 10. *Qui amat Patrem, aut Matrem plus quàm me, non eſt me dignus.* Et: *Qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus.* Et: ad Rom. 8. *Quis nos ſperabit à Charitate Chriſti? tribulatio? An anguſtia? An fames? An nuditas? An periculum? An perſecutio? An gladius.... Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à Charitate Dei.* 3. Quia hunc amorem exigit ſumma, ac infinita excellentia bonitatis divinæ. Enimverò cùm Deus ſit per ſuam eſſentiam infinitè bonus, & perfectus in omni genere excellentiæ: atque finis ultimus rerum omnium, ideoque infinitis titulis magis diligendus, quàm quodlibet aliud bonum, nulla creatura poteſt ei affectu, & adhæſione præferri, aut æquari ſine gravi ejus injuria, ac contemptu. Præterea amor, qui à Deo præcipitur, debet eſſe proportionatus Deo ſummè bono, & amabili: at talis non eſſet, ſi Deus non plus amaretur quàm quælibet creatura, quæ præ Deo nihil eſt. Igitur cùm amabilitas ſit menſura amoris, utpote ejus motivum, ſumma amabilitas exigit amorem ſummum appretiativè.

3. Amor Dei præceptus debet eſſe efficax, & univerſalis in ſuis effectibus: hoc eſt, debet ita voluntatem afficere, ac diſponere, ut ſemper ſit parata ad ſervanda omnia præcepta, & vitandum omne peccatum, ſaltem mortale. Unde amor ille Dei, continet propoſitum ſaltem virtuale efficax ſervandi omnia alia præcepta: Nam amor ille non eſt ſolùm complacentia de divinis perfectionibus, ſed eſt etiam amor, ſeu affectus voluntaris efficax, efficaciter movens ad facienda ea, quæ Deo placent, & ipſe exigit ſaltem graviter: & ad vitanda ea quæ ei diſplicent; amor enim, qui præcipitur, eſt amor *ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota fortitudine*, ùt habetur Deuteron. 6. qui ſane amor eſt efficaciſſimus. Amare autem efficaciter, eſt bonum velle, & facere amato, nec eum offendere ſaltem graviter. Præterea amor non poteſt eſſe appretiativè ſummus, niſi Deus, & ejus amicitia præferatur omni bono creato, ita ut malimus omne bonum creatum amittere, & quodvis malum pati, quàm Deum offendere graviter, & ejus amicitiam amittere; ideoque efficaciter parati ſimus ad nullum præceptum ſaltem in re gravi unquam violandum. Quare præceptum Charitatis obligat ad Dei amorem tum affectivum, tum effectivum, & ad ſervanda omnia alia præcepta, ut conſtat ex Joan. 4. *Si diligitis me, mandata mea ſervate.... Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Et 1. Joan 5. *Hæc eſt Charitas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus.* Hinc transgreſſiones aliorum præceptorum ſunt etiam communi ratione contra Charitatem, ejusque habitum deſtruunt, ſi ſint in re gravi.

4. Amor Charitatis erga Deum debet eſſe purus in ſuo motivo. Nam ejus motivum eſt Deus ipſe abſolutè, ac in ſe ſpectatus, ſeu Deus ut eſt in ſe infinitè bonus, ac perfectus; ſive eſt ipſa Dei amabilitas infinita, & bonitas abſoluta, ita ut Deus ſuper omnes ametur propter ſe ipſum, ſeu quia in ſe bonus, ac perfectus eſt. Ita Theologi communiter. *Prob.* 1. ex S. Aug. qui lib. 1. de Doctrin. Chriſt. Cap. 27. ait, Deum diligendum eſſe propter ſe ipſum. Et lib. 8. de Trinit. cap. 8. *Ex una eademque Charitate Deum proximumque diligimus, ſed Deum propter Deum.* Et in Pſalm. 53. *Deus noſter laudetur voluntate, ametur Charitate; gratuitum ſit, quod amatur, & quod laudatur. Quid eſt gratuitum? Ipſe propter ſe, non propter aliud.* Ex S. Bern. lib. de diligendo Deo, ubi ait: *Cauſa diligendi Deum Deus eſt: modus ſine modo diligere.... Non ſine præmio diligitur Deus, etſi absque præmii intuitu diligendus ſit. Vacua nempe vera Charitas eſſe non poteſt, nec tamen mercenaria eſt.... verus amor præmium non requirit,*

ſed meretur. Et Epiſt. 11. *Eſt qui confitetur Domino, quoniam potens eſt, & timet ſibi: Et eſt qui confitetur, quoniam ſibi bonus eſt: eſt item qui confitetur, quoniam ſimpliciter bonus eſt. Primus ſervus eſt, & timet ſibi: ſecundus mercenarius eſt, & cupit ſibi: tertius filius, & defert Patri. Itaque, & qui timet, & qui cupit, uterque pro ſe agunt. Sola, quæ in filio eſt Charitas, non quærit quæ ſua ſunt.* Et ex S. Th. 2. 2. quæſt. 17. a. 8. & quæſt. 23. art. 5. ad 2. ubi ait: *Charitate diligitur Deus propter ſe ipſum. Unde una ſola ratio diligendi attenditur principaliter à Charitate, ſcilicet divina bonitas, quæ eſt ejus ſubſtantia.* Et art. 6. *Fides, & Spes attingunt quidem Deum, ſecundùm quod ex ipſo provenit nobis vel cognitio veri, vel adeptio boni: ſed Charitas attingit ipſum Deum, ut in ipſo ſiſtat, non ut ex eo aliquid nobis proveniat.* 2. Ex ipſa Eccleſiæ doctrina tradita in Catechiſmis, in quibus Charitas definitur, virtus per quam amamus Deum ſupra omnia, & proximum ſicut nos ipſos propter Deum. Ergo Charitatis motivum eſt Deus ſimpliciter, ideoque abſolutè, & in ſe conſideratus. 3. Quia Charitas eſt amor benevolentiæ, & amicitiæ erga Deum. At per amorem amicitiæ amamus alterum propter ipſum, & volumus ei bonum, ùt ejus bonum eſt, propter propriam ejus perfectionem. Et vero quis putet ſe ab alio amari ùt amicum, ſi ſciret ſe ſolùm ab eo amari, quia ei bonus, ac benignus eſt? Præterea Charitas, cùm ſit virtutum omnium præſtantiſſima, debet habere motivum omnium præſtantiſſimum, ideoque Deum ipſum prout eſt in ſe.

Equidem debemus etiam Deum amare, ùt noſtrum ſummum bonum, quod nos perfectè beare poteſt. At hic amor non eſt amor Charitatis, ſed Spei, nec ſufficit; nam tenemur inſuper Deum ſupra omnia amare propter ſe, ſeu quia eſt in ſe infinitè bonus, ac perfectus, atque nos ipſos, & beatitudinem noſtram referre ad ejus gloriam: & hic eſt proprius actus Charitatis: *Eſt enim Charitas amicitia honeſta, qua amicus amatur propter ſe*, ait Toletus. Et ita docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 17. art. 8. ubi ait: *Perfectus quidem amor eſt, quo aliquis ſecundùm ſe amatur, utpote cui aliquis vult bonum, ſicut homo amat amicum. Imperfectus amor eſt, quo quis amat aliquid non ſecundùm ipſum, ſed ut illud bonum ſibi ipſi proveniat, ſicut homo amat rem, quam concupiſcit. Primus autem amor pertinet ad Charitatem, quæ inhæret Deo ſecundùm ſe ipſum: ſed Spes pertinet ad ſecundum amorem.* Quare Filiucius ex illis docet, eſſe mortale diligere Deum principaliter propter beatitudinem, ita ut ſi hæc deeſſet, Deus non diligeretur ſupra omnia. Licitum eſt tamen ac bonum, diligere Deum propter mercedem æternam tanquam finem minùs principalem.

Reſp. 3. Hoc præceptum, pro ut eſt negativum, prohibet pro quolibet tempore omnem generaliter Dei offenſam, ita ut omnia peccata mortalia ſint contra Charitatem, ejusque habitum deſtruant; nam per quodlibet peccatum mortale creatura præfertur Deo ſuper omnia diligendo: ſpecialiùs tamen, & magis directè vetat odium Dei.

Quæres II. An teneamur etiam amare Deum ſupra omnia intenſivè, ſeu cum majore intenſione vehementia & conatu, quàm omnes creaturas?

Reſp. Communiter negant Theologi. Quia intenſio eſt Charitatis perfectio ſolùm accidentalis, & ſine majori illa intenſione ſervatur præceptum de ordine charitatis eo modo, qui ſatis ſit, ut Charitas erga Deum ſit re, & opere efficacior, quàm amor cujuslibet objecti. Quod autem præcipuum eſt in Charitate, eſt, ut ſit efficax erga Deum, qui affectu, & opere propter ſe præferatur omnibus creaturis: Præterea cùm Deus amatur appretiatione ſumma, amatur modo actum amoris conſtituente in gradu excellentiæ, ad quem nullus pertingere poteſt amor erga creaturam ordinatus, etiamſi infinita intenſione amaretur: & ſic tunc Deus amatur modo proportionato ſuæ excellentiæ, ideóque modo ſufficiente ad impletionem præcepti.

Præceptum autem diligendi Deum ex toto corde intelligunt de totalitate appretiationis

nis, non intenſionis. Appretiatio verò conſiſtit non in vehementia, & conatu affectus, ſed in libera præelectione, & prælatione.

Certè quando affectus erga creaturam actu obſiſtit amori Dei appretiativè ſummo, tunc opus eſt maximo conatu voluntatis, ut Deus ſuper omnia ametur.

Quæres III. Quandonam præceptum Charitatis obligat ad amandum Deum?

Reſp. Sub mortali obligat per ſe ad eliciendum actum internum amoris Dei ſupra omnia propter ſe. 1. Ubi primum moraliter loquendo quis rationis uſum adeptus eſt, & habet ſufficientem Dei notitiam, quam quidem tunc quisque ſibi comparare tenetur. Ità S. Thom. 1. 2. quæſt. 89. art. 6. Toletus. Layman. & alii multi. Nam recta ratio dictat, creaturam rationalem, ubi primùm moraliter loquendo, capax eſt cognitionis, & amoris Dei, eum debere amare ùt rerum omnium finem ultimum, propter quem facta ſunt omnia, & ad quem proinde omnes ſe, ſuaque omnia, ac totum vitæ curſum referre debent, & conſequenter Deum ſuper omnia propter ſe amare, atque implere debere primum, & maximum mandatum. Præterea quando præcepta non determinant tempus, cenſentur obligare pro præſenti, ſeu primo quoque tempore, quo commodè impleri poſſunt: alioqui poſſet quis ſemper in futurum usque ad mortem ſuam differre eorum obſervationem, & ſic eludere præcepta. Unde Cajetanus, & Navarrus dicunt teneri omnes hoc omiſſionis peccatum confiteri in dubio, an tunc actum Charitatis elicuerint, nec ne.

2. In quovis probabili periculo mortis, quamvis Sacramenta ſuſcepta ſint. *Ita communiter.* Tum quia hic actus ſæpius ratione ſui præceptus eſt, & tempus maximè neceſſarium eſt articulus mortis. Tum quia homo inſtante termino vitæ tenetur perfectè tendere in finem ſuum ultimum. *Sive vivimus, Domino vivimus; ſive morimur, Domino morimur*, ad Rom. 14.

3. Quando eſt periculum labendi in mortale, niſi actus amoris eliciatur; & ingruit gravis tentatio; quæ non putetur poſſe aliter ſuperari; nam ex Charitate Dei tenemur ejus offenſam vitare, & media ad hoc neceſſaria adhibere.

4. Sæpiſſime in decurſu vitæ; ùt ſatis patet tum ex natura Charitatis, quæ eſt finis omnium præceptorum, & actionum; & quæ (ùt ait S. Auguſt. in Pſalm. 121.) vacare non poteſt in anima amantis; nam Charitas eſt amicitia quædam cùm Deo; amicitiæ autem divinæ ratio, Deique bonitas infinita exigit, ne diutius amorem erga Deum differamus, & rarò eliciamus, ſed ut quamprimum poſſumus, & ſæpiſſimè in vitæ curriculo Deum amemus. Tum ex verbis præcepto additis, quibus Deus jubet illud fere ſemper habere in mente, videlicet ut actus amoris ſæpiſſimè eliciatur Deuteron. 6. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntque verba hæc, quæ ego præcipio tibi hodie, in corde tuo: & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis, ſedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens, atque conſurgens. Et ligabis ea quaſi ſignum in manu tua, eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, ſcribesque ea in limine, & oſtiis domus tuæ:* Et verò nullus eſt habens jus exigendi ab alio amorem, qui petat ut ſemel tantùm, aut rarò ametur; ſed is exigit potiùs, ut ſæpe affectuque ametur. Ergo à fortiori jure Deus amoris erga ſe actum ſæpius tota noſtra vita iteratum à nobis exigit. Præterea omiſſio amoris Dei per tempus notabile includit quemdam contemptum Divinæ amicitiæ. Hinc ab Innocentio XI. damnatæ ſunt hæ propoſitiones. 6. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſè quinquenniis per ſe obligare præceptum Charitatis erga Deum.* 7. *Tunc ſolum obligat quando tenemur juſtificari, & non habemus aliam viam, qua juſtificari poſſimus.*

Quoties autem intra annum obliget per ſe, non poteſt facilè determinari. Scotus putat adultos obligari ad illum actum ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis. Quam opinionem, air Cardenas noſter, non eſſe contemnendam, quia cùm conſtet hunc actum frequenter in vita eliciendum eſſe, & tempus definiendum

ſit ex judicio prudenti, videtur prudens deſignatio temporis eſſe dies cultui divino dicatus; cultus enim optimus eſt actus Charitatis, ùt docet S. Auguſt. Idem Cardenas aſſerit eſſe mortale, ſi intra menſem integrum omittatur. Suarez verò lib. 1. de orat. cap. 30. docet divina præcepta affirmativa, ùt Charitatis, & ſimilia, obligare, ut actus eorum non multo tempore differantur: in particulari autem judicare, quando ſit nimia dilatio, vel quæ ſit debita frequentia, prudenti arbitrio relictum videri ex natura rei.

Obligat verò ex virtute Religionis, quando quis culpæ mortalis conſcius, deficiente Confeſſario, tenetur celebrare, vel Sacramentum quodvis conficere, aut ſuſcipere; nam tunc obligatur ad actum Contritionis perfectæ, quæ includit actum Charitatis. Requiritur etiam hic actus ad juſtificationem extra Sacramentum.

Ex dictis collige, Parentes, & Parochos graviter teneri ſuos docere obligationem, & modum eliciendi actus Fidei, Spei, & Charitatis: Confeſſarios verò teneri curare, ut pœnitentes in mortis periculo hos actus eliciant.

Nota. Ex Delugo, præcepta Fidei, Spei, & Charitatis ſunt in aliquo ſenſu ſupernaturalia, & in aliquo etiam ſenſu naturalia. Sunt ſupernaturalia tum ex parte objecti tum ex parte ſuorum actuum; nam impleri nequeunt niſi per actus ſupernaturales, quatenus Deus elevavit hominem ad finem ſupernaturalem per tales actus ſupernaturales conſequendum. Sunt verò naturalia ex parte obligationis, quia ex ſuppoſitione quòd DEUS elevaverit hominem ad finem ſupernaturalem conſequendum per actus ſupernaturales, eo ipſo absque alio novo præcepto & ex natura rei obligatur homo ad eliciendos actus ſupernaturales neceſſarios ad finem illum obtinendum; nam ex obligatione diligendi Deum, & ſeipſum, obligatur ad comparandum finem illum adeò ſublimem, ac perfectum, & conſequenter ad adhibenda media neceſſaria ad talem finem. Quare Lex naturalis ad tales ſupernaturales actus obligat in hypotheſi elevationis: in ſtatu autem naturæ puræ eſſet obligatio amandi Deum ſuper omnia propter ſe actu naturali.

Quæres IV. An ex præcepto Charitatis tenemur omnes actiones noſtras referre ad Deum?

Reſp. Affirm. Prob. 1. Ex S. Auguſt. lib. 1. De Doctrina Chriſt. cap. 22. ubi ait: *Hæc regula dilectionis divinitus conſtituta eſt:* Diliges proximum ſicut te ipſum: Deum verò ex toto corde, & ex tota mente, *ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, à quo habes ea ipſa, quæ confers. Cùm autem ait:* toto corde, tota anima, tota mente, *nullam vitæ noſtræ partem reliquit, quæ vacare debeat.* 2. Ex S. Thom. 1. 2. quæſt. 100. art. 10. ad 2. ibi. *Sub præcepto Charitatis continetur, ut diligatur Deus ex toto corde: ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum: & ideo præceptum Charitatis implere homo non poteſt, niſi etiam omnia referantur in Deum.* 3. Quia ex præcepto Charitatis tenemur amare Deum, ùt finem ultimum rerum omnium, & Deus non amatur ùt finis ultimus rerum omnium, niſi omnia in ipſum referantur.

Porrò omnes actiones noſtras generatim ad Deum ex affectu Charitatis referre tenemur tunc tantùm, cùm urget præceptum amandi Deum propter ſe ut finem ultimum rerum omnium; nam præceptum Charitatis non obligat ad referendum omnes actiones, & omnia in Deum, niſi obligando ad amandum Deum propter ſe ùt finem ultimum rerum omnium. Quare non tenemur omnes omnino actiones ſingillatim elicere ex motivo, ſeu affectu Charitatis, alioqui omnia opera infidelium, imò & fidelium in ſtatu peccati manentium eſſent peccata, quod eſt error ab Eccleſia damnatus: item actus, quo quis deteſtatur peccatum præciſe ob metum pœnalem, eſſet malus, quod repugnat tum Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 8. & ſeſſ. 14. Cap. 4. tum S. Auguſt. qui in Pſalm. 27. ait: *Ille timor nondum caſtus præſentiam Domini, & pœnas timet, timere facit, non timore amittendi bonum illud, ſed timore patiendi illud malum. Non timet, ne perdat amplexus pulcherrimi*

ſponſi,

spernsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, utilis est. Præterea Alexander VIII. damnavit has propositiones: 10. *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec placens Deo.* 11. *Omne quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.* Denique actus eliciti ex motivo aliarum virtutum sunt boni, ac liciti, alioqui non essent actus virtutis. Et evidens est omne bonum honestum esse honestè diligibile propter se præcisè; quid enim magis rationi consentaneum est, quàm amare quæ sunt rationi, & naturæ rationali consentanea qua talia?

Tamen dum non referimus ex affectu Charitatis actiones nostras ad Deum, tunc tenemur eas ad ejus gloriam referre virtualiter, seu implicitè, & ex intentione seu natura operis (ut ajunt) agendo scilicet ex motivo alicujus virtutis, & honestatis. *Prob.* 1. Ex 1. ad Cor. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sivè aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Id esse præcepti satis indicat verbum imperativum, *Facite*, quod in sensu proprio sonat imperium, seu mandatum, dum materia id patitur, ùt docet S. Thom. in epist. ad Colossens. c. 3. ubi ait: *Quidam dicunt quòd hoc est consilium, sed hoc non est verum.* 2. Ex S. August. in Psalm. 65. *Quo fine facias, vide. Si eo id facis, ut tu glorificeris, hoc prohibuit: si autem ideo, ut Deus glorificetur, hoc jussit.* Et ex S. Basil. in Reg. interrogat. 195. ubi ait, *omnia propter Deum ex Dei mandato facienda.* Idem docent alii Patres. 3. Quia debemus Deo omnes actiones nostras ex titulo Creatoris, ac Redemptoris, & vi supremi ejus dominii, ex quo omnes actus nostri magis debentur Deo, quàm cuivis Domino temporali opera servi. Ergo omnes actus nostri debent ad Dei obsequium referri, saltem ex natura operis. 4. Quia (ùt aliàs probatum est,) semper tenemur agere propter finem honestum, ideoque ex motivo alicujus virtutis. At omnis honestas, & actus virtutis ex natura sua refertur, & ordinatur ad Deum tanquam ad regulam, fontem, ac finem omnis honestatis, & ex se tendit ad Dei gloriam, cùm sit conformis ejus voluntati, eique placeat.

ACTUS CHARITATIS.

DOmine Deus, te ex toto corde meo, & super omnia diligo, quia tu Deus es ob infinitas perfectiones tuas omni, & summo amore dignissimus. Proximum quoque meum sicut me ipsum propter te diligo.

ARTICULUS III.

De Præcepto Charitatis erga proximum.

Quæres 1. *An datur præceptum diligendi proximum, & ad quid obligat?*

Resp. 1. Extat præceptum speciale diligendi proximum non tantum actu externo, sed etiam interno, & amore benevolentiæ, quo ei velimus bonum quatenus ejus bonum est. Constat ex Matth. 22. *Secundum autem* (mandatum) *simile est huic: Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Et Joann. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Et 1. Joann. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum.* Dilectio autem est affectus voluntatis, quo volumus bonum personæ amatæ. Hinc Innocentius XI. damnavit has propositiones. 10. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.* 11. *Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.*

Resp. 2. Hoc præceptum complectitur omnes creaturas rationales ejusdem nobiscum beatitudinis capaces. Nam ii omnes, & soli Charitate divina amari possunt & debent, quibus debemus, & possumus propter Deum velle summum bonum beans, in cujus communicatione, & capacitate fundatur dilectio Charitatis. Ac proinde complectitur omnes Angelos, ac homines beatos, animas in purgatorio detentas, & omnes homines viatores, sive sint justi, amici, consanguinei, catholici: sive peccatores, inimici, extranei, & infideles; sunt enim hi omnes nobis proximi communione capacitatis ejusdem beatitudinis, ac hæreditatis æternæ, quam jam Beati

possident, & ad quam alii destinantur, & quam possunt consequi quamdiu in via sunt. Ideoque amandi sunt amore benevolentiæ, tendentis ad unionem, quæ intercedere debet inter fratres, & cohæredes. Unde tenemur omnes omnino homines in universali amare, nullo excepto; in particulari verò hos determinatè, quibus opitulari debemus, vel in quos odium deponi nequit, nisi singillatim actu interno diligantur.

Hinc soli dæmones, & homines jam damnati excipiuntur: quia Charitas est amor benevolentiæ, quo volumus præcipue beatitudinem æternam, & quæ ad eam conducere possunt. At hoc non licet damnatis velle; nam amor ille repugnat Charitati erga Deum, qua approbamus ejus justitiam, inquit S. Thom. quæst. 25. art. 11.

Resp. 3. Hoc præceptum ut affirmativum, obligat ad amandum proximum propter Deum amore benevolentiæ affectivo, & effectivo, sicut nos ipsos amamus, non quidem secundùm omnimodam æqualitatem, sed secundùm similitudinem, ùt docet S. Thom. 2. 2. quæst. 44. art. 7. ubi ait: *cùm dicitur sicut te ipsum, non est intelligendum quantum ad hoc quòd aliquis proximum sibi æqualiter diligat, sed similiter sibi*, ita ut idem bonum proximo velimus, & ei quantum possumus procuremus in necessitate, quòd tenemur nobis velle, & rationabiliter volumus: & quidem principaliter beatitudinem æternam, ac media ad eam assequendam necessaria; secundariò autem bona temporalia necessaria, ad vitam corporalem convenientem, & quatenus ex auxilio gratiæ ad salutem conducunt; eaque quantum possumus ei procuremus in ejus necessitate. *Velle debemus, ut omnes nobiscum diligant Deum, & totum, quòd vel eos adjuvemus, vel adjuvemur ab eis, ad unum illum finem referendum est*, ait S. Aug. Lib. 1. de Doctrin. Christiana, cap. 29. Et Lib. 1. de moribus Ecclesiæ cap. 26. postquam hoc præceptum retulit, sic prosequitur: *Te autem ipsum salubriter diligis, si plus quam te diligis Deum: quod ergo agis tecum, id agendum cum proximo est, hoc est, ut ipse etiam perfecto amore diligat Deum. Non enim eum diligis tanquam te ipsum, si non ad id bonum ad quod ipse tendis, adducere satagis.*

Obligat autem ad eliciendum sæpe in vita actum internum amoris supernaturalis erga proximum propter Deum, & ad exercendum externum seu effectivum amorem, positum in opitulatione proximi sive spirituali sive corporali: nam amare est bonum velle & facere cùm possis, juxta illud 1. Joan. 3. *non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Præterea internus amor proximi præceptus est in bonum ac utilitatem proximi: at non potest prodesse proximo nisi per beneficia & auxilia.

Dixi, *propter Deum*, hoc est, quia ad Deum pertinet ut imago ejus, ut capax dilectionis & possessionis ejus, ut ab ipso creatus, redemptus &c. & ita ut Deum in ipso amemus &c. & quia id Deo summè bono & amato placet: *Propter hoc ex Charitate diligere debemus alios, quia sunt nobis proximi, & secundùm naturalem Dei imaginem, & secundùm capacitatem gloriæ*, ait S. Thom. 2. 2. quæst. 44. art. 7. nam amare proximum propter aliquam utilitatem temporalem vel quodvis aliud motivum naturale, non est actus Charitatis. *Si quis quemlibet amat, sed propter Deum non amat, Charitatem non habet*, ait S. Greg. hom 38. in Evangel. Et S. Aug. Lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 27. ait: *Omnis homo in quantum homo est, diligendus est propter Deum, Deus verò propter se ipsum. Et Lib. 2. cap. 7. In eo se exercet omnis divinarum scripturarum studiosus, nihil in eis aliud inventurus, quàm diligendum esse Deum propter Deum, & proximum propter Deum: & illum quidem ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente diligere: proximum verò tanquam se ipsum; id est ut tota proximi, sicut etiam nostri, dilectio referatur in Deum.* Et verò debemus diligere alios sicut Christus nos dilexit, ex Joann. 15. supra citat. Christus autem omnes dilexit propter Deum.

Hinc objectum formale seu motivum Charitatis erga proximum est infinita Dei bonitas absoluta, seu amabilitas, quæ sicut movet ad amorem Dei, movet quoque ad amorem proximi propter Deum; eo quòd ad Deum per-

pertineat, & Deus amet omnes homines, etiam peccatores, quamdiu sunt in via, volendo illis summi boni, nempe sui ipsius fruitionem, eis conferendo media ad eam assequendam sufficientia, aliaque bona, velitque ut omnes amemus.

Resp. 4. Hoc præceptum quatenus est negativum, vetat pro quovis tempore odium, & omnes actus oppositos amori benevolentiæ: ne scilicet proximo unquam velimus, optemus, inferamus malum spirituale, nec etiam temporale, saltem ut ipsius malum, & sine justa causa & authoritate. Quod addo, quia ex justa causa, & authoritate potest inferri malum temporale proximo ob finem bonum, v. g. aliqua punitio à superiore correctionis causa, vel à judice ob crimina ex motivo justitiæ. Hinc nunquam licet odisse ullum hominem, quantumvis improbum, ex displicentia personæ, ei optando malum quatenus ejus malum est, aut gaudendo de ejus malo vel dolendo de ejus bono ut ejus bonum est.

Duæ autem sunt Regulæ generales duplicis hujus præcepti à Scriptura traditæ, & lumine naturali notæ. 1. Pro affirmativo: *omnia quæcunque vultis* (rationabiliter) *ut faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc est enim Lex, & Prophetæ*, Matth. 7. 2. Pro negativo: *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide, ne tu aliquando alteri facias*, Tob. 4. Hinc S. Augustinus, lib. de vera Relig. cap. 46. ait: *ea est regula dilectionis, ut quæ sibi vult bona provenire, & illi velit: & quæ accidere sibi mala non vult, illi nolit. Hanc voluntatem erga omnes homines servat.*

Quæres II. *An tenemur diligere inimicos, id est, qui nos vel nostros oderunt, vel aliqua injuria affecerunt?*

Resp. 1. Præceptum Charitatis erga proximum obligat etiam erga inimicos, perinde ac si tales non essent. *Ita omnes.* Quia nihilominus sunt verè proximi, utpote ejusdem nobiscum æternæ beatitudinis capaces, per quam capacitatem nobis societate quadam conjunguntur. Quare tenemur eos non solùm non odisse, sed etiam positivè diligere amore effectivo, non quidem ùt sunt inimici, sed ùt sunt homines beatitudinis capaces, & quia Deus vult ut illos amemus. Et constat etiam ex Matth. 5. *Ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Quæ verba juxta Ecclesiæ & Patrũ interpretationẽ continent verum præceptum, quod est etiam Juris naturalis, *grave præceptum, sed grande præmium*; diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos. *Audisti opus, expecta mercedem*, ut sitis (inquit) Filii Patris vestri, qui in Cœlis est. S. Augustinus serm. 317. aliàs 92. de diversis.

Resp. 2. Ex Charitate obligamur erga inimicos generatim ad ea omnia, ad quæ tenemur erga proximum modo supra explicato; siquidem sunt verè proximi nostri. Speciatim verò tenemur. 1. Omne in illos odium ac vindictæ affectum rejicere ac deponere, atque omnes offensas ex corde iis remittere, ita ut ob offensam illis non malè velimus, sed ea non obstante semper parati simus iis exhibere debita internæ dilectionis signa, etsi veniam non petant, imò in odio contra nos persistant, ex Matth. 6. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Et Eccli. 10. *Omnis injuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus injuriæ.* Unde nunquam licet iis velle malum, ùt eorum malum, nec de malo ùt eorum malo gaudere, vel de eorùm bono ùt eorum bono dolere: hæc enim sunt odii actus. *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus, & displicat ei*, Proverb. 24. *Si de prosperitate affligitur, & de calamitate se odientis lætatur, constat, quòd non amet*, ait S. Greg. lib. 22. in Job. cap. 6. Neque licet à Deo vel hominibus vindictam injuriæ expetere ex displicentia personæ, multò minus eam sumere. *Benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere... nulli malum pro malo reddentes.* Ad Rom. 12.

2. Tenemur eos non excludere ab actu interno Charitatis, quem erga proximum elicimus, sed eos in eo generatim includere; imò in particulari hos numero, ac determinatè

natè diligere, quoties periculum est ne ob gravem injuriam acceptam eos oderimus, eisque malum optemus, ùt sæpe contingit, nisi illud odium actu amoris & oratione cohibeatur; nam tunc ille amor est medium necessarium ad servandum præceptum.

3. Tenemur inimicis ex interno affectu præstare communia dilectionis signa, & beneficia, quæ aliis ejusdem status, & conditionis præstare solemus: qualia sunt, quæ Christiano debentur à quovis Christiano, concivi à concive, cognato à cognato, pauperi à divite, superiori à subdito, &c. *Ita communiter cum S. Thom.* 2. 2. quæst. 25. art. 9. nam tenemur inimicos diligere, eis benefacere, & pro eis orare, in particulari quidem quando occurrit necessitas; & in communi extra casum necessitatis, quando scilicet alios homines in communi amamus, vel aliis hominibus benefacimus, aut pro eis oramus in communi, etiam absque obligatione. Hinc non licet inimicum excludere à communibus orationibus, vel eleemosynis, à resalutatione, à responsione ad interrogata, mercium expositarum venditione &c. Nam talis exclusio esset vindicta privata illicita, & in talibus circumstantiis signum odii præbens scandalum, ideoque de se adversatur Charitati, & quidem graviter.

Specialia autem benevolentiæ signa, & beneficia non tenemur eis præstare per se loquendo, nisi iis indigeant: sed solùm esse parati ad præbendum, quando egebunt. Quia præceptum de exhibenda benevolentia non obligat pro omni tempore, sed tantùm in casu indigentiæ proximi juxta illud Prov. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum, & Dominus reddet tibi.* Enimverò ex præcepto Charitatis non aliter tenemur per se loquendo amare inimicos, atque alios homines; nam non magis sunt proximi nostri, quàm alii homines. Non tenemur autem per se loquendo amare alios homines in particulari ex lege Charitatis, nisi in casu necessitatis; extra casum necessitatis sufficit, si eos amemus in communi, eis communia benevolentiæ signa exhibeamus. *Diligere inimicos in generali, est in præcepto, in speciali autem non est in præcepto, nisi secundùm præparationem animi; si scilicet homo esset paratus etiam specialiter inimicum diligere, & eum juvare in necessitatis articulo, vel si veniam peteret.* S. Thom. 2. 2, q. 37. art. 8.

Dixi: *per se loquendo.* Nam ob circumstantias quasdam potest esse ratio obligationis ad ista specialia præstanda inimico: ùt periculum scandali ex omissione, inimici necessitas spiritualis, vel temporalis, exhibitio specialium signorum amoris ex parte ipsius. Item si per aliqua specialia beneficia, vel signa amoris certò possis saltem sine gravi incommodo inimicum tibi, & Deo reconciliare, ad ea teneris; quamvis ille prior offenderit, & nolit inimicitiam deponere, nisi tu eum sic prævenias, juxta illud Rom. 12. *Noli vinci à malo, sed vince in bono malum.* Quia ex Charitate tenemur, grave damnum proximi, præsertim spirituale, licèt ex ejus culpa obveniens, impedire, vel tollere, cùm possumus, saltem sine nostro gravi incommodo. Imò juxta Suarez, & alios, si inimicum ante offensam solebas salutare, alloqui, cum eo conversari, &c. tametsi illa sint specialia dilectionis signa, teneris eadem præstare, nisi circumstantiæ speciales aliud postulent, vel excusent; ùt si specialis illa benignitas inimico non sit profutura. Quia istorum recusatio extra circumstantias speciales censetur communiter signum odii, vindictæ, vel contemptus, ac proinde odii fomitem, & scandalum præbet, & Charitati adversatur. Item tenemur specialia beneficia, & amicitiæ signa inimico exhibere, si ipse ea nobis priùs exhibeat; nam horum omissio censetur moraliter vindicta, & signum inimicitiæ, quæ præcepto negativo vetatur.

4. Tenemur veniam petenti non solùm offensam condonare ex animo, nempe odium, malevolentiam, & vindictæ appetitum rejiciendo, ac deponendo (ad quod obligamur, etiamsi non peteret) sed etiam externa benevolentiæ, & reconciliationis signa exhibere, habita ratione circumstantiarum. Tunc enim horum omissio esset quædam odii declaratio, vindicta, & scandali causa. Excipe, nisi sit Pater, vel quivis Superior, qui quandoque

potest

poteſt juſtæ correctionis cauſa erga liberos, vel ſubditos benevolentiæ ſigna differre, modò intus Charitatem ſervet.

5. Tenemur inimicis in neceſſitate ſive ſpirituali, ſive corporali opitulari, & damnum in honore, fama, corpore, vel rebus impedire, ſaltem dum ſine noſtro gravi damno poſſumus. *Benefacite his, qui oderunt vos.* Matth. 5. Nam ad id tenemur erga proximum.

Porro qui alterum injuſtè offendit, tenetur veniam petere; nam id exigit ratio juſtitiæ. Quod ſi duo ſe mutuò offenderunt, tunc ſi offenſio ſit æqualis gravitatis, tenetur reconciliationem petere, qui priùs offendit; quia qui primus læſus fuit, prius jus habet exigendi ſatisfactionem: ſi offenſio ſit inæqualis, tenetur ille, qui gravius offendit; nam gravior offenſio prævalet priori minùs gravi, & ſic priùs compenſanda eſt. Et exceſſus ille eſt quaſi nova injuria, quæ novum jus læſo dat exigendi ſatisfactionem. *Paret veniam, qui fecit injuriam, det veniam qui accepit injuriam, ut non poſſideamur à ſatana, cujus triumphus eſt diſſenſio Chriſtianorum*, ait S. Auguſt. ſerm. 210. aliàs de diverſis 74.

Reſp. 3. Non tenemur remittere inimico ſatisfactionem debitam, ùt honoris, famæ, vel pecuniæ; quia eam exigere non eſt vindicta, ſed uſus juris. Quippe injuriam paſſus habet jus ad congruam ſatisfactionem, & jus illud per legitimam poteſtatem proſequendi, & hæc compenſatio ſeu reſtitutio non expetitur quatenus eſt malum inimici, ſed quatenus in noſtrum bonum juſtum cedit, & malum noſtrum injuſtum expellit. Imo adverſus illum licet inſtituere actionem tum civilem, tum criminalem, modò id non fiat ex odio, vindicta, vel alio pravo fine: Civilem quidem, ut damnum illatum compenſet, vel pro injuria ſatisfaciat: Criminalem verò ex amore publicæ juſtitiæ, ne aliis noceat, vel ne impunita maneant crimina cum Reip. damno. Qui tamen uterque procedendi modus ordinariè non vacat periculo, cùm pauci amore juſtitiæ aut boni communis ducantur, plurimi verò vindictæ explendæ deſiderio. Ita S. Thom. 2. 2. quæſt. 108. art. 1. ubi ait: *Vindicatio fit per aliquod pœnale malum inflictum peccanti. Eſt ergo in vindicatione conſiderandus vindicantis animus; ſi enim ejus intentio feratur principaliter in malum illius, de quo vindictam ſumit, & ibi quieſcat, eſt omnino illicitum; quia delectari in malo alterius pertinet ad odium, quod Charitati repugnat, quia omnes homines debemus diligere. Nec aliquis excuſatur, ſi malum intendat illius, qui ſibi injuſtè intulit malum; ſicut non excuſatur aliquis per hoc, quòd odit ſe odientem. Non enim debet homo in alium peccare propter hoc, quòd ille peccavit priùs in ipſum. Hoc enim eſt vinci à malo, quod Apoſtolus prohibet, Rom. 12. dicens*: noli vinci à malo, ſed vince in bono malum. *Si verò intentio vindicantis feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod pervenitur per pœnam peccantis, putà ad emendationem peccantis, vel ſaltem ad cohibitionem ejus, & quietem aliorum, & ad juſtitiæ conſervationem, & Dei honorem: poteſt eſſe vindicatio licita aliis debitis circumſtantiis ſervatis.*

Æquam tamen ad arbitrium prudentum ſatisfactionem ab inimico oblatam acceptare tenemur ex Charitate: nec tunc licet Judicem interpellare, niſi reus ſit Reip. noxius, vel periculum ſit, ne alios ſimiliter injuria afficiat; nam extra hos caſus actionem Civilem inſtituere, & inimicum ſumptibus onerare eſt contra Charitatis legem, vetantem ne alteri facias, quod tibi non vis rationabiliter fieri.

Quæſtio III. An vindicta ſeu redditio mali pro malo facta authoritate privata, ſemper eſt illicita?

Reſp. Affirmat. Conſtat 1. Ex Eccli. 28. *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam... Memento noviſſimorum, & deſine inimicari.* Et, ex Matth. 7. ſupra cit. Et ex Rom. 12. *Nulli malum pro malo reddentes... Non vosmet ipſos defendentes*: hoc eſt, (ulciſcentes, ùt habet græca) *Scriptum eſt enim: Mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus &c.* Et 1. Theſſal. 5. *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat.* 2. Quia vindicta privata authoritate illata, eſt non ſolum contra Charitatem, ſed etiam contra juſtitiam; tum quia eſt uſurpatio alienæ poteſtatis, nempe ſuperioris, ad quem

quem ſolum punitio pertinet; tum quia quisque habet jus, ut non puniatur ab eo, qui nullam habet authoritatem & jurisdictionem in ipſum. Imò nunquam licet expetere punitionem inimici etſi juſtam, & legitima authoritate factam, quatenus ejus malum eſt; nam hoc eſt actus odii nunquam liciti.

ARTICULUS IV.

De Ordine Charitatis.

Quæres I. An Ordo in Charitate ſervari debet?

Reſp. Affirmat. Ita omnes. Prob. 1. Ex cant. 2. *ordinavit in me Charitatem.* 2. Ex S. Aug. lib. 1. De Doctrina Chriſtiana cap. 27. *Ille juſtè, & Sanctè vivit.... qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat, quod non eſt diligendum; aut non diligat, quod eſt diligendum: aut amplius diligat, quod eſt minus diligendum, aut æquè diligat, quod vel minùs, vel ampliùs diligendum eſt.... Et ſi DEus omni homine amplius diligendus eſt, amplius quisque debet DEum diligere, quàm ſe ipſum. Item amplius alius homo diligendus eſt, quàm corpus noſtrum: quia propter Deum iſta omnia ſunt diligenda; & poteſt nobiſcum alius homo Deo perfrui, quod non poteſt corpus; quia corpus per animam vivit, qua fruimur Deo.* 3. ex S. Thom. 2. 2. quæſt. 44. artic. 8. *Modus, qui pertinet ad rationem virtuoſi actus, cadit ſub præcepto, quod dabatur de actu virtutis. Ordo autem Charitatis pertinet ad ipſam rationem virtutis, cùm accipiatur ſecundùm proportionem dilectionis ad diligibile. Unde manifeſtum eſt, quòd ordo Charitatis debet cadere ſub præcepto.* 4. Quia objecta diligenda, non ſunt æqualia inter ſe. Ergo debet inter illa eſſe ordo, ut Charitas ſit recta. 5. Deus vult, ut aliquos, nempe qui nobis ſunt conjunctiores, plus diligamus.

4. Duplex autem eſt ordo in Charitate ſervandus, alter in perſonis, alter in bonis. In perſonis homo amare debet. 1. Deum utpote principium, ac finem ultimum rerum omnium, & ſummè bonum, ac perfectum. 2. Se ipſum. 3. Cæteros homines. In bonis primum locum tenent bona ſpiritualia, ſeu ſupernaturalia, nempe gloria, ſeu beatitudo æterna, gratia, virtutes, bona merita. Secundum bona naturalia, & bona corporis, ùt vita, integritas membrorum, ſanitas &c. Tertium bona externa, ùt honor, fama, divitiæ &c. Item bonum commune majus eſt bono privato; quia bonum commune eſt bonum totius, & bonum privatum eſt bonum partis; ſicut autem totum eſt majus ſua parte, ità bonum totius majus eſt bono partis, ideoque ei præferendum.

Quæres II. An & quando quisque ſe ipſum magis diligere debet quàm proximum?

Reſp. 1. Unusquisque tenetur ſe ipſum magis diligere ſimpliciter, & abſolutè, quàm proximum. Ita S. Thom. 2. 2. quæſt. 26. artic. 4. & quæſt. 44. art. 8. ad 2. Prob. 1. Ex Matth. 22. *Diliges proximum ſicut te ipſum.* Ubi dilectio ſui proponitur ùt regula, & exemplar amoris proximi; regula autem prior, & potior eſt quàm regulatum. Quare præceptum diligendi ſe ipſum includitur in præcepto dilectionis proximi. 2. Quia ex ordine Charitatis homo magis inclinatur ad ſui dilectionem, quàm proximi, eſtque ſibi magis conjunctus. Unde illud, Eccli. 4. *Qui ſibi nequam eſt, cui alii bonus erit?*

Hinc I. Quisque tenetur ſe magis diligere in bonis ſpiritualibus, quàm proximum, ita ut ſibi potius velit, & comparet Dei gratiam, amicitiam, virtutes, & beatitudinem æternam, quàm cuilibet alteri, cùm hæc bona ſint omnium maxima, & maximè neceſſaria. Quod indicant hæc Chriſti verba. Matth. 16. *Quid prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur &c.* Quibus verbis Chriſtus ſignificat debere nos ante omnia ſaluti noſtræ providere.

2. In quacunque corporali neceſſitate æquali licet ſibi potius ſubvenire, quàm alteri privato; nam nemo tenetur diligere proximum magis quàm ſe ipſum, ſed ſolùm ſicut ſe ipſum. *Non eſt de neceſſitate Charitatis, quòd homo proprium corpus exponat pro ſalute proximi, niſi in caſu quo tenetur ejus ſaluti providere. Sed quòd aliquis ſponte ad hoc ſe offerat, pertinet ad perfectionem Charitatis,* ait S. Thom. 2. 2. quæſt. 26. art. 5. ad 3. Imo juxta multos, tenetur ſe ipſum ma-

magis diligere quoad vitam temporalem, & bona ejus conservationi necessaria, quàm proximum parem, vel inferiorem: quia (ut ait S. August. lib. de mendac. cap. 6. *Si pro illius temporali vita suam ipsam temporalem perdat, non est jam diligere sicut se ipsum, sed plus quàm se ipsum: quod sanæ doctrinæ regulam excedit.* Præterea per se loquendo Charitas magis inclinat subjectum suum ad sui conservationem, quàm ad conservationem alterius privati. Ergo qui privati vitam suæ præfert, agit contra inclinationem Charitatis, ideoque contra ordinem Charitatis: & consequenter peccat contra Charitatem. Alii tamen multi cum S. Thoma censent, licere vitam propriam exponere pro servanda vita alterius privati, non quidem præcisè ob bonum vitæ proximi, quæ ùt talis non debet præferri vitæ propriæ, sed ob speciale quoddam virtutis exercitium, quod in certis circumstantiis exurgit ex alio titulo, v. g. Si vitam exponat pro altero, cujus vita sit utilior ad promotionem gloriæ Dei. Si pro parente, insigni benefactore &c. ad insigne opus pietatis, gratitudinis, &c. Nam, inquiunt, actus virtutis Christianæ, qui tunc exercetur, majus bonum est vita temporali. Textum verò S. August. allatum explicant, *si vita amittatur* ob vitam proximi præcisè sumptam ut talem, non autem ob exercitium virtutis.

Dixi, *Privato*: nam subditus tenetur vitam propriam certo periculo exponere pro salute Reip. vel Principis sui, aut alterius personæ Reip. necessariæ; nam membrum periculo exponi, imo & abscindi debet pro conservatione totius: & quælibet pars bonum totius suo privato præferre tenetur.

Resp. 2. Unusquisque ex Charitate tenetur proximum magis diligere in spiritualibus, quàm se ipsum in corporalibus. Tum quia quilibet tenetur diligere proximum sicut se ipsum: at quilibet tenetur se ipsum magis diligere secundùm animam, quàm secundùm corpus: ergo similiter &c. Tum quia anima proximi secundùm rectam rationem magis amabilis est, quàm corpus proprium; nam ipsa longe præstantiori, quàm corpus proprium, modo participat bonitatem divinam, quæ est objectum formale Charitatis; estque capax possessionis Dei, non corpus proprium; & in ipsa Deus magis glorificari potest quàm in corpore proprio. Hinc

Resp. 3. Tenemur præferre salutem æternam proximi bonis omnibus nostris temporalibus, & vitam nostram corporalem certo periculo exponere pro salute proximi in necessitate extrema spirituali positi: hoc est, versantis in periculo damnationis æternæ, à quo se eripere non possit sine ope nostra, quando est spes illum juvandi. Est communis sententia, & constat. 1. Ex Joan. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos*: At Christus nos ita dilexit, ut vitam corporalem pro animarum nostrarum salute amiserit. Item, ex 1. Joan. 3. *Nos debemus pro fratribus animas ponere.* Quæ lex obligat saltem in extrema necessitate spirituali, alioqui nunquam obligaret. Ex S. August. lib. de mendac. cap. 6. *Temporalem vitam suam pro æterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere; hoc enim præcessit exemplum, ut pro nobis Dominus ipse moreretur. Ad hoc enim, & ait: Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem sicut & ego dilexi vos.* 3. Quia tenemur amare proximum sicut nos ipsos. Ergo sicut in periculo salutis, quo non possemus liberari sine jactura vitæ, tenemur ex Charitate nostri vitam amittere potiùs, quàm salutem æternam, ita, &c. Præterea salus æterna proximi est bonũ longè excellentius, & amabilius vita nostra temporali, ideoque ei in necessitate anteponendum secundùm debitum ordinem Charitatis.

Hinc teneris infantem moriturum baptizare etiam cum vitæ damno, si alius non adsit, qui id faciat. Item si scias aliquem existentem in peccato mortali interficiendum in somno, vel nil cogitantem, teneris cum vitæ periculo ei subvenire, modò prudenter judices te illi profuturum; nemo enim tenetur ad opus prorsus inutile cum proprio gravi damno.

Resp. 4. In gravi necessitate spirituali communitatis teneris ei subvenire etiam cum vitæ periculo. *Ita Suarez, Delugo, Azor, & alii.* Quia talis necessitas semper conjuncta est cum necessitate extrema aliquorum privatorum; nam multi in illa necessitate probabiliter peribunt. Et quia ipsa est per se gravissimum

malum, cui merito ſuccurri debet cum jactura vitæ alicujus privati. Imò gravis neceſſitas ſpiritualis communitatis non minoris æſtimanda eſt, quàm extrema alicujus privati.

Hinc ſi quis hæreſim alicubi ſpargat, teneris cum periculo vitæ impedire, ſi poſſis, & nemo alius impediat. Item ſi in perſecutione, vel hoſtili incurſione plebs aliqua careret Sacerdote, & aliunde eſſet expoſita gravibus periculis peccandi, teneris cum periculo vitæ illi opitulari. Quod ad alios ſimiles caſus ob eandem rationem extendi debet.

Quæres III. Quis ordo erga proximos inter ſe ſervandus eſt?

Reſp. 1. Magis diligere debemus affectu complacentiæ ſanctiores, quia ſunt amiciores, & conjunctiores Deo, & ſecundùm ſe amabiliores. Item velle illis majorem gloriam, quia habent majorem gratiam ſanctificantem, quæ eſt menſura gloriæ.

Reſp. 2. Quoad amorem affectivum ſimul & effectivum, quo alteri benefacimus, conſanguinei ſecundùm varios gradus in pari neceſſitate præferendi ſunt quoad bona temporalia, & ſpiritualia aliis, licèt melioribus, quia ad hoc inclinat Charitas propter naturalem conjunctionem, quæ cùm ſit prior ordine naturæ, & præſupponatur omnibus aliis, ſitque firmior, & immobilior, utpote in natura ipſa fundata, prior locum poſtulat in dilectione quoad bona amicis appetibilia. Enimverò ordo Charitatis non invertit ordinem naturæ, ſed potiùs illum perficit. Poſt hos cæteri ſecundùm varias conjunctiones affinitatis, amicitiæ, ſocietatis præferendi ſunt extraneis; nam ratio dictat magis diligendos eſſe conjunctos, & conjunctiores, quàm minùs conjunctos; & Charitas ad hoc inclinat. *Cùm omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimùm conſulendum eſt, qui conſtrictiùs tibi junguntur*, ait S. Auguſtinus lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 28. Patria tamen, ſeu Reſp. præferenda eſt Parentibus; quia eſt totum, cujus ſunt partes Parentes, qui proinde tenentur vitam pro illius ſalute exponere, cùm totum parti, & bonum totius bono partis præferendum ſit.

Reſp. 3. Cæteris paribus ex conſanguineis præferendi ſunt propingviores. Nam ſi propter naturalem conjunctionem teneris magis diligere conſanguineos cæteris paribus; teneris etiam, cæteris paribus, propter naturalem conjunctionem majorem magis diligere conſanguineos propinquiores.

Item ex conſanguineis æquè propinquis tenemur magis diligere digniores, ſeu aliquam in conſanguinitate eminentiam habentes; nam hoc ipſo cæteris paribus ſunt magis diligibiles. Hinc

Reſp. 4. Inter ipſos conſanguineos. 1. Pater, & Mater in neceſſitate extrema, ubi vita periclitatur, præferendi ſunt Filiis, & Uxori, & aliis omnibus. Ita S. Thomas 2. 2. quæſt. 26. art. 11. quia præter communionem ſanguinis habent eminentiam principii, ſunt enim principium noſtri eſſe, quod eſt ingens beneficium, & fundamentum ad recipienda ab alio beneficia. Extra neceſſitatem extremam, & ubi agitur de conſervatione proprii ſtatus, Uxor, & Filii non emancipati juxta multos præferri debent Parentibus propter arctiorem in communi victu, & in vitæ ſocietate conjunctionem Viri, & Uxoris, indicatam Geneſ. 2. & Matth. 19. *Dimittet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit Uxori ſuæ &c.* Et quia bonum Familiarum, & Reip. id poſtulat. Unde S. Thomas 2. 2. quæſt. 26. art. 9. ad 1. ait. *Filiis magis debetur cura proviſionis.* 2. Cæteris paribus Pater præferendus eſt Matri; quia eſt principalior, ac nobilior cauſa noſtri eſſe naturalis, cùm ſit præcipua cauſa generationis, eſtque Familiæ caput, & ad eum magis ſpectat cura liberorum: unde major ei honor, & amor debetur, S. Thom. ibidem. 3. Uxor præferenda eſt Filiis, quia eſt una caro cum marito, & principium liberorum. 4. Filii præferendi ſunt cæteris omnibus, quia ſunt conjunctiores, cùm à ſubſtantia Parentum procedant. Fratres Cognatis ob majorem ſanguinis conjunctionem.

Hinc

Hinc in naufragio, vel alio mortis periculo Filius tenetur Patrem præ aliis omnibus liberare, Uxorem præ Filiis &c.

Inter extraneos verò meliores præferendi sunt aliis; nam ob majorem sanctitatem sunt Deo similiores, & conjunctiores, ideoque magis amabiles: justus peccatori, fidelis infideli ob majorem conjunctionem spiritualem. Item persona publica, vel bono communi valde utilis præferenda est privatæ; quia bonum commune, utpote bonum multorum, præferendum est bono privato, quod est unius, vel paucorum: Item cæteris paribus benefactor aliis præferendus est.

Hæc intellige in pari necessitate. Nam extraneus in majore necessitate positus præferendus est propinquo longè minùs indigenti; cùm enim præceptum Charitatis non obliget ad benefaciendum aliis, nisi sint in aliqua necessitate, magis, & potiùs obligat, ubi major est necessitas. S. Thom. quæst. 31. art. 3. ibi. *In aliquo casu est magis subveniendum extraneo, putà si sit in extrema necessitate, quàm etiam Patri non tantam necessitatem patienti.* Hinc extraneus in necessitate gravi spirituali debet præferri consanguineo gravem necessitatem corporalem patienti; quia tunc necessitas extranei est major ob indigentiam boni magis necessarii, & quia sicut tenemur magis diligere proximum in spiritualibus, quàm nos ipsos in corporalibus, ità & tenemur magis diligere extraneum in spiritualibus, &c.

Porro obligatio servandi hunc ordinem est ex genere suo gravis, cùm nascatur ex præcepto Charitatis gravissimo, & ejus materia, ac finis sit gravis.

Quòd si possis omnibus subvenire, teneris.

Plura in dicta Theologia Morali, & Tractatu de Gratia.

O. A. M. D. G.

Errores præcipui.	*Pag.*	*Columna.*	*Linea.*	*Lege.*
primis	10.	1.	32.	plurimis.
pro vi	26.	1.	18.	pro vero vi
Taplenſi	31.	2.	8.	Tapſenſi
illud poſſe	53.	2.	39.	illud non poſſe
quem	60.	1.	7.	quam
continens	65.	2.	40.	continent
Leodicenſe	66.	1.	3.	Laodicenſe
conſenſerit	68.	2.	5.	conſenſerint
Reges	72.	1.	1.	Rages
mortalem	79.	2.	46.	moralem
præviſum	82.	1.	21.	*proviſum*
per intrinſecam	85.	2.	24.	per extrinſecam
ſontibus	88.	1.	14.	fontibus
ſeſſ. 14.	93.	2.	43.	ſeſſ. 4.
q. 24. can. 1.	102.	2.	13.	cauſa 24. q. 1.
Conſtantino	103.	2.	42.	Conſtantio
Sempronianum	109.	2.	29.	Sympronianum
diſtinctam	111.	2.	45.	indiſtinctam
Picæno	191.	1.	20.	Nicæno
voluerint	193.	2.	8.	voluerit
Innocentium II.	210.	2.	37.	Innocentium I.
quemodo	223.	2.	26.	*quoquomodo*

TRACTATUS THEOLOGICUS DE DEO UNO, ET TRINO

AUTHORE
R. P. PAULO GABRIELE ANTOINE Societatis JESU Præsbytero, Sacræ Theologiæ Doctore, & Professore.

CASSOVIÆ
Typis Academicis Societatis JESU, Anno 1755.

INDEX

TRACTATUS DE DEO UNO

CAP. I. *De Existentia DEI.* 1.

ART. I. *Utrùm DEI Existentia demonstrari possit?* *ibid:*
ART. II. *Utrùm unicus sit DEUS?* 4.
ART. III. *Utrùm DEI existentia possit invincibiliter ignorari?* 7.
CAP. II. *De Essentia DEI.* 9.
ART. I. *Utrùm DEUS sit Ens, quo nihil melius excogitari potest?* *ibid:*
ART. II. *Utrùm DEUS in sua entitate complectatur omnes omnino perfectiones?* *ibid.*
ART. III. *In quo consistat Essentia DEI?* 10.
CAP. III. *De Attributis Divinis.* 11.
ART. I. *Utrùm, & quomodo Divina attributa distinguantur inter se, & ab Essentia Divina?* 12.
ART. II. *De Simplicitate DEI.* 17.
ART. III. *De Infinitate DEI.* 18.
ART. IV. *De Bonitate DEI.* *ibid:*
ART. V. *D Immensitate DEI.* 19.
ART. VI. *De Immutabilitate DEI.* 21.
ART. VII. *De Æternitate DEI.* 22.
ART. VIII. *De Omnipotentia DEI.* 23.
CAP. IV. *De Visibilitate DEI.* 24.
ART. I. *Utrùm DEUS videri possit intuitivè?* *ibid.:*
ART. II. *Utrùm DEUS possit comprehensivè videri, seu comprehendi ab intellectu creato?* *ibid:*
ART. III. *Utrùm Justi plenè purgati statim post mortem DEUM videant?* 25.
ART. IV. *Utrùm omnes Beati æqualiter DEUM videant?* 28.
CAP. V. *De Scientia DEI.* 30.
ART. I. *De Existentia, & Natura Scientiæ Divinæ.* *ibid.*
ART. II. *De Divisione Scientiæ Divinæ.* 32.
ART. III. *De Scientia simplicis Intelligentiæ.*
ART. IV. *De Scientia Visionis.* 33.
ART. V. *De Scientia Media.* 36.
42.
ART. VI. *Utrùm DEUS omnia alia à se cognoscat etiam immediatè in se ipsis?* 73.
ART. VII. *Quænam Scientia sit causa rerum?* 74.
CAP. VI. *De Voluntate DEI.* 76.
ART. I. *Utrùm Voluntas DEI sit libera, & circa quæ?* *ibid:*
ART. II. *Quid actus liber superaddat Voluntati Divinæ, & actui ejus necessario, & in quo consistat?* 79.
ART. III. *De variis Actibus Divinæ Voluntatis.* 82.
ART. IV. *Utrùm DEUS habeat sinceram voluntatem salvandi omnes omnino homines etiam reprobos* 84.
CAP. VII. *De Prædestinatione, & Reprobatione.* 100.
ART. I. *Quid, & Quotuplex sit Prædestinatio?* *ibid:*
ART. II. *Utrùm Prædestinatio ad Gratiam sit gratuita?* 101.
ART. III. *Utrùm Prædestinatio ad Gloriam sit gratuita, seu independens à prævisione meritorum absolutè futurorum?* 109.
ART, IV. *Quantus sit hominum prædestinatorum numerus?* 128.
ART. V. *De Proprietatibus, & effectibus Prædestinationis.* 129.
ART. VI. *Utrùm DEUS prædefiniverit omnes actus salutares Prædestinatorum?* 130.
ART. VII. *De Reprobatione.* 133.
§. I. *De Reprobatione positiva. An detur, & an habeat causam ex parte reproborum?* *ibid:*
§. II. *De Reprobatione negativa. An detur, quandonam facta sit, & an habeat causam ex parte reproborum?* 134.
§. III. *Exponitur ordo inter actus Divinos in reprobatione omnium, qui damnantur.* 135.
ART. VIII. *De Prædestinatianis. Quinam ante Calvinum Prædestinatiani fuerint?* 136.
CAP. VIII. *De Providentia DEI.* 139.

TRA-

TRACTATUS DE SS. TRINITATE Seu DE DEO TRINO.

PROOEMIUM. 141.

CAP. I. *De SS. Trinitatis existentia.* 145.

ART. I. *Utrùm sint in DEO tres Personæ realiter distinctæ?* ibid.

ART. II. *Expediuntur duæ quæstiones circa Trinitatem.* 153.

ART. III. *Utrùm Filius DEI sit verus DEUS?* 154.

ART. IV. *De fide Liberii circa Divinitatem Filii.* 167.

ART. V. *De Ariminensis Synodi fide circa Divinitatem Filii.* 171.

ART. VI. *Utrùm Spiritus Sanctus sit DEUS?* 177.

ART. VII. *Utrùm tres Personæ Divinæ sint unus DEUS?* 181.

CAP. II. *De Processionibus Divinis.* 183.

ART. I. *Utrùm dentur in Deo Processiones ad intra?* ibid.

ART. II. *Utrùm Filius in Divinis procedat à Patre, & quidem solo?* ibid.

ART. III. *Utrùm Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio?* 187.

ART. IV. *Utrùm Pater in Divinis procedat ab alio?* 194.

ART. V. *Quot sint in DEO Processiones.* ibid.

ART. VI. *Utrùm in Divinis Filius procedat per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem?* 195.

ART. VII. *Quænam sint Principia formalia Processionis Filii, & Spiritus Sancti?* 197.

ART. VIII. *Quodnam sit principium formale, quo Essentia Divina communicatur Filio, & Spiritui Sancto?* 199.

ART. IX. *Ex qua cognitione procedat Filius?* 200.

ART. X. *Utrùm sola Processio secundæ Personæ sit generatio, & cur sit potius generatio, quam processio tertiæ personæ?* 204.

CAP. III. *De Relationibus Divinis.* 207.

ART. I. *An, quales, & quot sint in DEO Relationes ad intra* ibid.

ART. II. *Quomodo Relationes ad intra distinguantur inter se?* 208.

ART. III. *Quomodo Relationes Divinæ distinguantur ab Essentia Divina?* 209.

ART. IV. *Utrùm Relationes Divinæ sint de conceptu Essentiæ Divinæ?* 211.

ART. V. *An, & quales perfectiones sint Relationes Divinæ?* 212.

ART. VI. *Utrùm Relationes Divinæ propriam existentiam habeant?* 213.

CAP. IV. *De Personis Divinis generatim, & singillatim.* 214.

ART. I. *Quodnam sit constitutivum Personarum Divinarum?* ibid.

ART. II. *Quot sunt subsistentiæ in Deo?* 215.

ART. III. *De Æqualitate, & proprietate Personarum Divinarum.* 217.

ART. IV. *De Circum-insessione, & missione in Personis Divinis.* ibid.

ART. V. *Quot sint notiones Personarum Divinarum?* 219.

ART. VI. *Quænam sit proprietas Patris?* ibid.

ART. VII. *Utrùm Filius in Divinis sit Verbum Patris, & quomodo?* 220.

ART. VIII. *Utrùm Filius sit imago Patris?* 221.

ART. IX. *De Nominibus tertiæ Personæ.* 222.

TRA-

TRACTATUS DE DEO UNO.

CAPUT I.
De Existentia DEI.
ARTICULUS I.
Utrùm DEI Existentia demonstrari possit?

Nota 1. DEI nomine intelligitur Ens intellectivum, summè perfectum, & ab omni alio independens, origo, & causa cæterorum omnium entium.

Nota 2. Demonstratio est Syllogismus constans ex duabus præmissis, seu propositionibus certis, ac evidentibus, & ex conclusione ex illis evidenter deducta. Quæ conclusio dicitur cognitio scientifica, & actus scientiæ.

Nota 3. Demonstratio triplex distinguitur, scilicet à priori, à posteriori, & à simultaneo. *Prima* est demonstratio rei per suas causas. *Secunda* est demonstratio rei per suos effectus. *Tertia* denique est demonstratio rei per aliquid, quod neque est causa, neque effectus illius: ut si demonstres, DEUM existere, quia est Ens perfectissimum. Additur *quarta* demonstratio, quæ dicitur deducens ad impossibile; & est demonstratio rei ex eo, quòd sequeretur aliquid impossibile, ex ejus negatione.

Nota 4. Certum est, DEUM non posse demonstrari à priori, seu per causas; quia Deus nullam habet causam, neque efficientem; cùm sit Ens à nullo alio factum, & à quovis independens: neque causam finalem; nam cùm sit Ens summè perfectum, ad aliud referri nequit: neque materialem, aut formalem; cùm Ens summè perfectum sit etiam simplicissimum, ideoque non componatur ex materia, & forma.

Nota 5. Fide Divina constat, Deum existere. 1. quia Deus suam existentiam multis in Scriptura locis testificatus est, ut Exodi cap. 3. *Ego sum Deus Patris tui... Ego sum, qui sum.* Et Deut. c. 5. *Ego Dominus Deus tuus, &c.* Et quidem credibiliter id revelavit, ut patet ex motivis credibilitatis, ex quibus evidens est, Scripturam sacram esse verbum Dei. 2. Quia fide Divina credi debet Dei existentia, ut constat tum ex Symbolo Apostolorum, cujus primus Articulus est: *Credo in Deum*: tum ex Heb. c. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est.*

Dico 1. Exiſtentia DEI demonſtrari poteſt ſaltem ex creaturis. Hæc aſſertio ita certa eſt, ut oppoſita cenſeatur à S. Thoma, l. contra gentes; & à multis Theologis erronea: ab aliis verò periculoſa in fide, & temeraria.

Prob. 1. Ex Scriptura. Sap. cap. 13. *à magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* Et Rom. c. 1. *quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis (Ethnicis) Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius, à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus, & Divinitas.* Verba videndi, manifeſtandi, conſpiciendi in ſenſu proprio ſumpta, (ut hic ſumi debent, cùm nulla ſit neceſſitas aliter ea ſumendi) ſignificant evidentem Dei ex creaturis notitiam, ideoque Dei demonſtrationem haberi poſſe.

Prob. 2. Ex S. Auguſtino, tract. 2. in Joan. de Deo ait: *Poteſt inveniri per creaturas evidenter, dicente Apoſtolo: inviſibilia enim Dei, &c.*

Ratio eſt, quia ut cauſa demonſtretur per effectum, hæc duo ſufficiunt, nempe ut effectus exiſtens neceſſariam habeat connexionem cum cauſa, & hæc connexio ſit evidenter cognoſcibilis. Atqui creaturæ neceſſariam habent connexionem cum cauſa aliqua prima improducta, & in omni genere perfectiſſima, quæ dicitur Deus; & connexio illa creaturarum, ſaltem collectivè ſumptarum, cum cauſa prima eſt evidenter cognoſcibilis, ut ex unanimi ſapientum conſenſu, & experientia conſtat. Ergo.

Dico 2. Exiſtentia Dei reipſa demonſtratur.

Prob. Exponendo aliquas illius demonſtrationes.

Prima Demonſtratio.

Evidenter conſcii ſumus nos cogitare, judicare, ratiocinari de rebus à materia valdè remotis, putà de virtute, & honeſtate, de vitio, & turpitudine, &c. At illæ cogitationes noſtræ non poſſunt oriri à materia; cùm aſſurgant ſupra materiam, & omnia materialia, nec ullam habent proportionem cum materia. Ergo illæ cogitationes oriuntur à principio, quod ſit materia præſtantius, quod principium vocamus Spiritum.

Cùm autem noſter ille Spiritus ſit finitus, ac limitatus, ut nos ipſi experimur, non poteſt exiſtere à ſe, ſed ab alio tantùm, qui eum creaverit, ſeu ex nihilo fecerit; nam Spiritus non fit ex præexiſtente materia. Ergo exiſtit Spiritus aliquis longè ſuperior, à quo ſit noſter ille Spiritus, & qui ipſe à nullo alio exiſtat, ſed à ſe ipſo, ſeu ex abſoluta neceſſitate ſuæ eſſentiæ: alioqui daretur proceſſus in infinitum, quod repugnat. Is autem Spiritus eſt illud ipſum ens, quod DEI Definitio exhibet, cùm DEUS definiatur Ens à ſe, ſeu Spiritus à ſe. Ergo.

Secunda Demonſtratio.

Ens ſummè perfectũ exiſtit, ſed tale Ens eſt Deus. Ergo exiſtit Deus. *Pr. maj.* Ens ſummè perfectũ eſt poſſibile: nullam enim involvit contradictionem, jmò in ſuo conceptu excludit omnem imperfectionem, proindéque abſurditatem, & conſequenter impoſſibilitatem, quæ eſt maxima abſurditas. Ergo exiſtit. *Prob. conſeq.* Ens ſummè perfectum, quod eſſet poſſibile, & non exiſteret, eſſet poſſibile, ut ſupponitur; & ſimul non eſſet poſſibile; nam non poſſet exiſtere; à quo enim poſſet exiſtentiam accipere? non à ſe, ut patet; nam quod non eſt, non poteſt agere: non etiam ab alio; nam fieri ab alio non eſt perfectiſſimum. Præterea cauſa Entis ſummè perfecti eſſet ipſum Ens ſummè perfectum, ideoque DEUS; nam contineret omnes perfectiones, ſaltem virtualiter.

Tertia Demonſtratio.

Exiſtit Ens improductum, ac proinde Ens à ſe, ſeu Ens exiſtens ex abſoluta neceſſitate ſuæ eſſentiæ, & ſibi ſufficiens ad exiſtendum: atqui tale Ens eſt Deus. Ergo exiſtit Deus. *Prob. maj.* Non omnia Entia producta ſunt. Ergo datur aliquod Ens improductum. *Conſeq. valet:* nam vel omnia Entia producta ſunt, vel aliquod ex illis non eſt productum; non enim datur medium inter contradictoria. *Prob. anteced.* Si omnia Entia, quæ ſunt, vel fuerunt, producta fuiſſent, ſaltem unum ex illis ſe ipſum produxiſſet, vel immediatè, vel mediatè, ut

per

per se patet. Falsum consequens, ergo & antecedens. *Prob. min.* Nam 1. idem non potest se ipsum producere immediatè, *quia* priùs est, saltem natura, existere, quàm producere. Ergo si unum ex illis se ipsum produxisset immediatè, priùs saltem natura exstitit, quàm existeret, quod est absurdum. 2. Neque aliquid potest se ipsum producere mediatè; nam non potest produci ab alio, quod produxit; alioqui priùs saltem natura produxisset, quàm produceretur: & sic priùs saltem natura extitisset, quàm existeret, quod est absurdum.

Quarta Demonstratio petita ex hoc mundo visibili.

Hic mundus visibilis non est à se, nec à casu: ergo est ab opifice quodam sapientissimo, ac potentissimo, quem Deum vocamus, & qui proinde existit.

Prob. 1. pars anteced. Nempe quòd hic mundus visibilis non sit à se. Si hic mundus visibilis, seu omnia entia visibilia, ideoque materialia, quæ in hoc mundo cernuntur, essent à se, materia esset à se. Falsum conseq. Ergo. *Prob. min.* Si materia esset à se, id est, si ex natura sua, & essentia existeret independenter ab alio, esset illimitata in omni genere perfectionis, ac proinde jam non esset pura materia, sed Ens infinitè perfectum, & consequenter intellectivum, & ipse Deus. Nam quod sibi sufficiens est, nec indiget alio ad existendum, quod ex suæ essentiæ fundo habet esse, eo ipso debet habere omnem perfectionem ipsius esse, ideoque omnes perfectiones entis possibiles; nam caret principio limitationis. Et verò cùm ex suo fundo habeat esse, ideoque modum existendi perfectissimum, quomodo posset esse naturæ intra certum entis gradum, & perfectionis genus limitatæ? Præterea si hujusmodi ens careret aliqua perfectione possibili, illæ perfectiones, quibus careret, jam non essent possibiles; non enim possent existere: nam non possent produci ab illa materia, quæ dicitur principium omnium entium, cùm non continerentur in illa, neque virtualiter, neque eminenter. Et consequenter illa materia haberet omnes perfectiones, quæ existere possunt.

Prob. 2. *pars primi antecedentis*, nempe quòd hic mundus non sit à casu, seu ex fortuito partium materiæ concursu. Opus admirabile, innumeris, ac variis constans partibus ad eximiam pulchritudinem, & ad proprios fines assequendos aptissimè dispositis, ac debitè proportionatis, atque ad commune bonum, & speciale hominis conspirantibus, casu, & fortuitò, & absque intelligentia factum dici non nisi insipienter potest; sed necessariò agnoscendus est supremus aliquis, ac sapientissimus auctor, & artifex, à quo illud productum, ordinatúmque sit. Atqui mundus hic visibilis est opus hujusmodi, ut oculis patet. Ergo hic mundus non potest, nisi insipienter dici casu, ac fortuitò, & absque intelligentia factus; sed agnoscendus est aliquis sapientissimus illius auctor, & artifex, qui est Deus.

Major per se patet. Ordo enim multorum constans, ac perpetuus ad eximiam pulchritudinem compositus, eorúmque inter se ad suos fines apta dispositio, planè est opus naturæ intelligentis, non autem casus, & fortunæ. Nam impossibile est, ut tam innumerabilium rerum ad tam innumerabiles fines, singulis proprios, & ad commune omnium, ac speciale hominis bonum, tam constans, tam eximia, tam mirabilis sit dispositio, convenientia, proportio, coordinatio, ac consensio, nisi singula fuerint antea diligenter perpensa, & nisi opifex aliquis intelligentia prædictus singulos fines cujusque entis proprios, & unum finem omnium communem præviderit, ac intenderit, & ad illos assequendos omnia tam aptè disposuerit: enim verò quis, nisi insaniens, magnificum aliquod Palatium, aut Templum ex fortuito lapidum, ac lignorum concursu factum dicat? Aut Virgilii Æneidem, Ciceronis Orationes, Aristotelis Philosophiam coaluisse contendat ex characteribus, seu litteris temerè, sine arte, & consilio projectis? Quis nisi mente captus Horologium considerans, non statim judicet, fuisse ab aliquo artifice intelligentia prædito elaboratum? Nemo igitur sanæ mentis tam mirabilem hujus mundi fabricam, imò solius corporis humani structuram lustrare potest, quin tam mirabilis operis auctorem aliquem sapientissimum agnoscat.

Hanc demonstrationem nobis suggerit Scriptura,

ptura, Job. c. 12. *Interroga jumenta, & docebunt te, & volatilia cœli, & indicabunt tibi: loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris: quis ignorat, quoniam hæc omnia manus Domini fecerit?* Item S. Augustinus, l. 11. de Civitate Dei, c. 4. ubi ait: *Mundus ordinatissima sua mutabilitate, & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie quodam modo tacitus, & factum se esse, & non nisi à Deo ineffabiliter, atque invisibiliter magno, & ineffabiliter, atque invisibiliter pulchro fieri se potuisse proclamat.*

Eandem quoque eleganter exposuit Cicero, l. 2. de natura Deorum his verbis: *Quis enim hunc hominem dixerit, qui cum tam certos Cœli motus, tam ratos Astrorum ordines, tâmque omnia inter se connexa, & apta viderit, neget in his ullam esse rationem,* (hoc est, ab aliqua intelligentia esse condita, ordinata, & administrata) *eáque casu fieri dicat? Quæ quantò consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus. An cùm machinatione quadam moveri aliquid videmus, ut sphæram, ut horas, & alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis? cùm autem impetum Cœli admirabili cum celeritate moveri, vertiq; videamus constantissimè conficientem vicissitudines anniversarias cum summa salute, & conservatione rerum omnium, dubitamus, quin ea non solùm ratione fiant, sed etiam excellenti quadam Divina ratione.*

Idem Tullius, eodem lib. Epicureos, qui stultè dicebant, omnia esse facta subitò, ac fortuitò atomorum concursu, sic exagitat: *Si mundum efficere potest concursus atomorum, cur Porticum, cur Templum, cur Domum, cur Urbem non potest, quæ sunt minùs operosa, & multò quidem faciliora? Certè ita temerè de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem Cœli ornatum suspexisse videantur.*

Obj. Idem non potest credi, & evidenter sciri. Ergo existentia Dei, quæ creditur, demonstrari nequit.

Resp. Disting. anteced. Ex eodem motivo, *conc. antec.* ex diverso motivo, *nego antec.* Dei existentia creditur ex motivo fidei, seu propter auctoritatem Dei revelantis, & evidenter cognoscitur ex creaturis per necessariam connexionem, quæ perspicitur inter creaturas existentes, & earum conditorem.

Inst. Heb. 11. dicitur: *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Et S. Gregorius, Homil. 26. in Evang. ait: *Quæ apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem.*

Resp. Sensus est, res fidei non clarè apparere ex motivo ipsius fidei, quamvis clarè cognosci possint ex alio motivo. Item quæ apparent, non creduntur, videlicet ex motivo, sub quo apparent. Sed quæ apparent sub uno motivo, credi possunt ex alio, sub quo evidenter non apparent. Et verò num Apostoli non solùm Divinitatem, sed etiam Humanitatem Christi, quam videbant, credebant? Sive num Christum verum Deum, & verum hominem esse credebant?

ARTICULUS II.

Utrùm unicus sit Deus?

Nota. Præter Gentiles, qui pluralitatem Deorum admiserunt, quidam Hæretici sub nomine Christiano eundē errorem docuerunt, nimirum 1. Cerdoniani, à Cerdone sic dicti, qui duo principia sibi adversantia admittebant, nempe Deum legis, & Prophetarum, quem justum, ac severum, non bonum, esse dicebant; & Deum Patrem Christi, quem asserebant esse bonum, ac benignum. 2. Marcionitæ, ita appellati à Marcione, qui duos fingebat Deos, unum bonum, & alterum malum, quem volebant esse hujus mundi visibilis Conditorem. 3. Apelles Marcionis discipulus, quo cum duos admittebat Deos, unum bonum, & alterum malum, sed à bono productum, ideoque unicum principium, in quo à suo Magistro dissidebat. 4. Valentinus, qui triginta Deos, sive Æonas somniavit. 5. Manichæi, à Manete sic nominati, duo commenti sunt principia æterna sibi adversantia, quorum unum bonorum, alterum malorum Deus esset, ideoque & duas substantias, ac naturas, nempe boni, & mali. 6. Tritheitæ, qui tres Personas SS. Trinitatis docebant esse tres Deos, tum personalitate, tum natura distinctos.

Dico 1. Fide constat, unicum esse Deum.

Prob.

Prob. 1. Ex Scriptura, Deut. c 37. *Videte, quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me.* Pſal. 85. *Tu es Deus ſolus.* 1. Cor. c. 8. *Scimus, quòd nullus eſt Deus, niſi unus.* 2. Ex Symbolo Nicæno, & Conſt. *Credo in unum Deum.* 3. Ex Conc. Lateranenſi IV. c. *Firmiter.*

Dico 2. Ratione demonſtratur, unicum eſſe Deum.

Prob. Afferendo aliquas ex multis demonſtrationes. Prima demonſtratio petitur ex ipſa Dei notione.

Deus eſt Ens ſummè perfectum, Ens, quo nihil melius excogitari poteſt, ut conſtat ex notione Dei. At Ens ſummè perfectum, & quo nihil melius excogitari poteſt, debet cæteris omnibus entibus à ſe natura diſtinctis præſtare, & imperare: nam cæteris à ſe natura diſtinctis præſtare, & imperare magna perfectio eſt, & quid melius, quàm non præſtare, & imperare. Ergo Deus cæteris omnibus entibus à ſe natura diſtinctis præſtat, & imperat. Ergo non ſunt multi Dii. Hinc Tertullianus contra Marcionem ait: *Summum magnum par non habet.*

Item Deus eſt Ens, quod à nullo alio dependet, & à quo cætera omnia à ſe natura diſtincta dependent, nam hoc eſt melius, & perfectius. Ergo alterum ens natura à Deo diſtinctum exiſtere non poteſt, quod non dependeat à Deo. Ergo alter Deus eſſe non poteſt.

Item Deus unus ſibi, & mundo ſufficit, cùm Deus ſit Ens, quo nihil melius, ac perfectius excogitari poteſt. Ergo inutiles ſunt multi Dii, ideoque repugnant: Nam repugnat Ens, quod ſit Deus, ac proinde ſummè perfectum, & tamen ſit inutile. Hinc illud Tertulliani, l. 1. contra Marcionem, cap. 3. *Deum ut ſcias unum eſſe debere, quære, quid ſit Deus.*

Secunda demonſtratio fit ex abſurdis, quæ ex pluralitate Deorum ſequerentur. Nam 1. vel illi plures Dii ſunt æquè potentes, vel eſt unus aliis potentior. Si unus ſit aliis potentior, hic ſolus eſt Deus. Si omnes ſunt æquè potentes, cùm debeant eſſe æquè liberi, ſi fortè unus pro ſua libertate velit, quod alter nolit, tunc duo contradictoria exiſtent, nempe idem erit, quia unus volet eſſe, & ſimul non erit, quia alter æquè potens nolet eſſe. 2. Si plures eſſent Dii, putà Saturnus, & Jupiter, vel Saturnus eſt omnipotens, vel non: Si non eſt omnipotens, non eſt Deus: ſi eſt omnipotens, poteſt producere quidlibet poſſibile, etiam reluctante Jove, ſicque Jupiter ipſe non eſt omnipotens. Item Saturnus erit ſupremum omnium entium, ſupremus rerum omnium Dominus, ſummum Bonum, finis ſimpliciter ultimus, quia eſt Deus: & ſimul non erit, quia Jupiter non eſt infra ipſum, non ſubjicitur ejus *dominio, non minus* habet perfectionis, non eſt ad Saturnum ordinabilis, cùm Jupiter ſupponatur eſſe Deus.

Hinc vides, quàm verum ſit illud dictum S. Athanaſii, orat. contra Idola: *Multiplicitas Deorum, nullitas Deorum.*

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Trinitas Perſonarum, quas Fides docet eſſe in Deo, evertit unitatem Dei, & illius demonſtrationes. Ergo. *Neg. anteced. Prob.* Dei unicitas demonſtratur ex ejus eſſentia, in eo poſita, quòd Deus ſit Ens perfectiſſimum, ſupremus Dominus, non habeat æqualem, &c. Sed Trinitas Perſonarum hæc omnia evertit. Ergo.

Reſp. Nego min. Quia tres Perſonæ Divinæ unicam, eandémque habent naturam, ac Divinitatem: Et ſic Pater eſt Ens omnium perfectiſſimum, Ens, quo nihil melius eſſe poteſt, ſummum, magnum per idem numero, quo Filius, & Spiritus Sanctus eſt Ens omnium à ſe natura diſtinctorum perfectiſſimum, nempe per eandem numero naturam, & viciſſim. Quare non ſunt tres Dii, ſed unus Deus, unus increatus, & omnipotens, una rerum omnium cauſa, unus ſupremus Dominus omnium entium à ſe natura diſtinctorum. Igitur tres illæ Perſonæ Divinæ ſunt unicum Ens neceſſarium, ſummè perfectum, independens, una rerum omnium cauſa, unus Supremus Dominus, unus finis ultimus. Hinc Deus non habet alium Deum æqualem, & parem ſibi. Vis autem demonſtrationis in eo conſiſtit, ut non poſſint eſſe plura ejusmodi entia.

Porrò Perſonalitates Divinæ, prout virtualiter diſtinctæ à natura divina, ſunt perfectiones relativæ, & ſecundùm quid, & quarum

una æquivalet alteri, & quas natura Divina omnibus Perſonis identificata habet eminenter. Non repugnat autem eſſe plura infinita ſecundùm quid identificata uni infinito ſimpliciter, & omnimodè, in quo eminenter continentur.

Inſt. 1. Vel una Perſona ſatis fuit ad mundi productionem, vel non. Si primum, aliæ Perſonæ ſunt inutiles: ſi ſecundum, quælibet Perſona non eſt omnipotens. Ergo.

Reſp. Hoc argumentum non valet in Trinitate, & falſum ſupponit, nempe ſupponit, Perſonas produxiſſe mundum, quatenus Perſonæ ſunt, & à ſe invicem realiter diſtinctæ, quod falſum eſt. Nam mundum produxerunt, conſervant, & adminiſtrant, quatenus ſunt natura Divina, & unus Deus, ut conſtat ex Concilio Lateranenſi IV. c. 1. ubi dicitur: *Natura Divina, quæ ſola eſt univerſorum principium.* Unde cùm eadem ſit natura Divina in tribus Perſonis, & illæ Perſonæ licèt inter ſe realiter diſtinctæ in ratione Perſonæ, ſint tamen idem cum natura Divina, & unus indiviſibiliter Deus, una Perſona non potuit ſine aliis mundum producere, cùm aliæ ſint idem cum illa in natura: at ſi eſſent plures Dii, ac proinde multiplex ſaltem numero natura Divina, una natura ſine alia, & unus Deus ſine alio ſufficeret, & omnia poſſet.

Inſt. 2. Quælibet Perſona vel eſt id, quo nihil meliùs excogitari poteſt, vel non. Si primum, quælibet Perſona continet omnes perfectiones, ideoque Paternitas includit Filiationem, ſi Filiatio ſit perfectio; ſi ſecundum, quælibet Perſona non eſt Deus.

Reſp. Quælibet Perſona continet formaliter in natura Divina omnes perfectiones abſolutas, & ſimpliciter ſimplices, alias verò æquivalenter, & eminenter. Hinc Paternitas includit Filiationem æquivalenter, quatenùs eſt perfectio æquivalens Filiationi: at eam non includit formaliter, quia Paternitas non eſt formaliter Filiatio.

Inſt. 3. Una Perſona eſt æqualis alteri. Ergo Deus habet alium Deum æqualem ſibi. Ergo, &c.

Reſp. Nego conſeq. Quia in Trinitate, cùm ſit unica, eadémque natura, ac Divinitas, non ſunt multi alii æquales, ſed unus Deus, unum Ens ſummè perfectum. Unde in Trinitate Deus non habet alium Deum ſibi æqualem.

Inſt. 4. In Trinitate quælibet Perſona eſt Deus. Ergo ſunt tres Dii.

Reſp. Nego conſeq. Quia quælibet Perſona eſt idem Deus cum alia, & in illis tribus Perſonis unica, eadémque eſt Divinitas, ac natura. Ut autem eſſent tres Dii, deberent eſſe tres naturæ Divinæ realiter inter ſe diſtinctæ: nam ad multiplicitatem concreti ſubſtantivi requiritur multiplicatio non ſolùm ſubjecti, ſeu ſuppoſiti, ſed etiam formæ, ſeu quaſi formæ.

Obj. 2. Cum Manichæis. Non poteſt à Deo ſummè bono prodire malum. Ergo præter Deum bonum debet eſſe alius malus, qui ſit malorum omnium principium: nam hic mundus plurimis malis abundat.

Reſp. A Deo ſummè bono prodire poteſt malum pœnæ; cùm enim ſit etiam ſummè juſtus, ad ipſum pertinet debitis pœnis crimina plectere. Malum autem culpæ non poteſt ab illo prodire, ſed poteſt ab illo permitti.

Inſt. Deus ſummè bonus non debet permittere mala culpæ, ſeu peccata, ſi poſſit illa impedire.

Reſp. Diſting. Si ex malis illis nulla bona colligat, *conc.* Si ex malis bona, & quidem majora colligat, *nego.* Deus ex malis, & peccatis majus bonum colligit, nempe manifeſtationem plurium perfectionum ſuarum, putà Sapientiæ, Omnipotentiæ, Juſtitiæ, Miſericordiæ, quæ ex malorum permiſſione elucent in adminiſtratione hujus Univerſi: & ſic ex malo Deus majorem ſuam gloriam extrinſecam colligit. Ex mali etiam permiſſione ſuppeditatur hominibus materia præſtantiſſimorum virtutis operum, nempe Patientiæ, Humilitatis, Obedientiæ, Fortitudinis, Charitatis in Deum, & Proximum, etiam inimicum, &c. Si autem pecca a non permitterentur, multæ divinæ perfectiones, imprimis Juſtitia, & Miſericordia, non elucerent, & homines carerent materia eximiorum virtutis operum, v. g. Si Deus Tyrannorum crudelitatem non permiſiſſet, nulli exiſtiſſent Martyres; quare S. Auguſtinus, Enchirid. c. 10. ait:

Neque

Neque enim Deus Omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas, cùm ſummè bonus ſit, ullo modo ſineret mali aliquid eſſe in operibus ſuis, niſi uſque adeo eſſet omnipotens, & bonus, ut benefaceret & de malo.

Obj. 3. Omnes ferè Nationes conſenſerunt pluralitati Deorum, & per plura ſæcula. Ergo exiſtit pluralitas Deorum.

Reſp. Nego conſeq. Nam 1. Opinio illa non niſi longo poſt mundi originem tempore, ex corruptis hominum moribus profluxit, & nunc jam ferè omnino evanuit, nec niſi paucas admodum Gentes barbaras pervadit. 2. Sapientiſſimi quique inter Gentiles minimè in pluralitatem Deorum animo conſenſerunt. Nam quamvis multi illorum propter metum populi exteriùs ſeſe geſſerint, quaſi plures Deos colerent, privatim tamen in ſuis ſcholis unicum duntaxat admiſerunt ſupremum, & cæterorum Dominum, ut conſtat ex Juſtino Martyre, Athenagora, & aliis Patribus. 3. Multi populi ita plures Deos colebant, ut unum inter cæteros, veluti ſupremum cæterorum Regem, & Dominum, ac proinde ſolum propriè dictum Deum colerent, ut conſtat ex veterum ſcriptis, & ex Maximo Tyrio Philoſopho: qui diſſert. 1. ſic ait: *In tanta pugna, & diſcrepantia unam videas per terras omnes legem, famámque conſentientem, Deum eſſe unum, rerum univerſarum & Regem, & Patrem, multos præterea Deos, & Dei filios adminiſtrationis participes. Hæc dicit Græcus, hæc Barbarus.* Denique ſemper fuit aliqua Natio, nempe Iſraëlitica, quæ unum Deum coleret.

Porrò Deus Idololatriam tamdiu, & tam latè vigere permiſit, ut oſtenderet, quantum humani cordis corruptio mentem ſubſidio fidei deſtitutam ſeducere valeat. Tamen non obſtante illa depravatione, nunquam extincta ſunt principia quædam per ſe nota, & notiones quædam Divinæ unicitatis cognoſcendæ à natura veluti inſitæ, ex quibus potuiſſent homines omnes facilè Dei unitatem cognoſcere.

ARTICULUS III.

Utrùm DEI exiſtentia poſſit invincibiliter ignorari?

Nota. Ignorantia duplex eſt, nempe vincibilis, & invincibilis. Ignorantia vincibilis eſt ea, quæ vinci, ſeu depelli poteſt, adhibita morali diligentia, & cum ordinariis gratiæ auxiliis: invincibilis verò, quæ non poteſt. Utraque ſubdividitur in negativam, & poſitivam. Negativa eſt mera carentia cognitionis, ut ſi quis præcisè neſciat, Deum exiſtere. Iguorantia poſitiva eſt judicium erroneum de eo, quod ignoratur; ut ſi quis judicet, Deum non eſſe.

Porrò moralis diligentia eſt ea, quæ poteſt, & debet ſecundùm prudens judicium pro rei gravitate adhiberi.

Dico 1. In adulto rationis uſu prædito non poteſt dari invincibilis, & inculpabilis ignorantia exiſtentiæ Dei, ſive poſitiva, ſive tantùm negativa, ſaltem notabili tempore.

Prob. 1. Ex Script. Rom. c. 1. *Inviſibilia ipſius à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus Virtus, & Divinitas: ita ut ſint inexcuſabiles.* Et Sap. c. 13. *A magnitudine ſpeciei, & creaturæ, cognoſcibiliter poterit Creator horum videri.* Ergo adhibita morali diligentia, imò facilè Deus cognoſci poteſt, ergo non poteſt ignorari invincibiliter.

Prob. 2. Ex Patribus, Tertul. l. 1. contra Marcionem c. 10. *Animæ à primordio conſcientia Dei dos eſt.* S. Hieron. in illud Job. c. 36. *Omnes homines vident eum* (Deum) ſic ait: *Nullus eſt, qui ſe abſcondit à calore ejus, & ideo unusquiſque mortalium, licèt de longè... ſentit eſſe Deum, ſive intelligit.* S. Aug. tract. 106. in Joann. *Hæc eſt vis veræ Divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino, ac penitùs poſſit abſcondi.* S. Greg. l. 27. moral. c. 3. in illud Job. c. 36. *Omnes homines vident eum*, ait: *Eo ipſo, quòd rationalis eſt conditus, debet ex ratione colligere, eum, qui ſe coudidit, Deum eſſe.* S. Damaſc. l. 1. Orth. fid. c. 3. *Dei notitia nobis à natura inſita eſt.* Idem docent alii Patres.

Prob.

Prob. 3. Ratione: quia, ut ex Dei demonſtrationibus conſtat, exiſtentia entis ſupremi rerum omnium Authoris, ac Gubernatoris ſapientiſſimi, & potentiſſimi tam facilè ex principiis per ſe notis, vel ex creaturis ſenſibilibus cognoſci poteſt, ut adhibita morali diligentia ignorari non poſſit, & multò minùs negari poſſit à quovis homine rationis uſu prædito, quantumvis hebeti, & inculto.

Obj. 1. Sunt aliqui Athei, qui negant Dei exiſtentiam: at illi habent ignorantiam Dei poſitivam invincibilem. Ergo.

Reſp. Nego min. Nam Athei illi tenentur Dei exiſtentiam diligenter inquirere; & illam facilè aſſequerentur, ſi attentè conſiderarent rationes, quibus Dei exiſtentia probatur. Sed vel nolunt, vel parùm curant ad eas attendere. Interdum animum totum adjungunt ſophiſmatum ſtudio, quibus ad negandam Dei exiſtentiam moventur: Et verò nemo eſt tam duro, & hebeti ingenio, qui vel ex principiis per ſe notis, aut ex creaturis per ratiocinium facillimum, exiſtentiam Dei colligere non poſſit; cùm creaturæ ſenſibiles hanc prædicent. Juxta illud Pſal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei. ... in omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Igitur Atheus, judicando Deum non exiſtere, peccat graviſſimè, & quotiescumque malè agit, peccat non ſolùm contra rectam rationem, ſed etiam contra Deum, quem à ſe offendi non niſi vincibiliter, & culpatè ignorat.

Obj. 2. Quidam Americæ Barbari in ſilvis degentes nullum Deum cognoſcunt, aut colunt, ne nomen quidem Dei noverunt, nec ullum Deo impoſuerunt. Ergo illi ignorant invincibiliter Dei exiſtentiam.

Reſp. Nego conſeq. Quia ignorantia illa negativa, qua laborant Barbari illi, eſt planè vincibilis, & culpabilis. Nam fieri non poteſt, ut ad Cœli, Terræ, Solis, Aſtrorum, & aliarum creaturarum aſpectum, aut ſenſum, non ſubeat in illorum animum cogitatio de aliquo ſapientiſſimo, ac potentiſſimo artifice, Domino, ac Rectore rerum illarum omnium; aut ſaltem occurrat dubitatio, ſit ne aliquod ens, à quo hæc omnia facta ſint, & regantur. Saltem hoc ſemper accidit iis, qui prudenter agunt. Unde ſi ſeriò animum applicarent, debitámque diligentiam adhiberent in inveſtiganda veritate tam gravis momenti, notitiam Dei ſaltem valdè probabilem, & ſufficientem ad prudentem aſſenſum aſſequerentur: adeò hæc notitia ex creaturis, & ex principiis per ſe notis facilis, & obvia eſt.

Itaque Barbari illi non ignorant Dei exiſtentiam, niſi quia volunt illam ignorare, aut negligunt illam cognoſcere. Quare quoties malè agunt, peccant, & offendunt Deum, quem vincibiliter, & culpatè ignorant. Et ſic omnia eorum peccata contra Legem naturalem ſunt verè offenſa Dei, & æternam damnationem merentur, ſi gravia ſint.

Dixi in propoſitione: *ſaltem notabili tempore.* Nam ſi quis diligentiam debitam adhibeat in inquirenda Dei notitia, hanc breviſſimo tempore aſſecuturus eſt: nam exiſtentia Dei clarè ſe manifeſtat per opera ſenſibilia, & principia per ſe nota, & obvia omnibus; atque ita cuilibet ratione utenti facilis eſt, ut meritò à Patribus dicatur naturaliter omnibus inſita. Hinc quivis adultus nullo tempore, moraliter loquendo, laborat invincibili ignorantia Dei: nam breviſſimum tempus moraliter loquendo cenſetur nullum, quippe in æſtimatione prudenti parum pro nihilo habetur.

Dico 2. Dei *unius* exiſtentia non poteſt etiam invincibiliter, ſaltem notabili tempore, ignorari ab homine rationis uſu prædito. Quia, ut ex dictis conſtat, valdè faciles, & obviæ ſunt *unius* Dei exiſtentis probationes, & quaſi à natura cuique inſitæ, atque congenitæ videntur. Hinc non ſolùm Philoſophi, ſed cæteri quoque Ethnici, dum obſequebantur naturæ velut inſtinctui, Deum *unicum* agnovêre: nam (ut ait Tertullianus) in ſubitaneis caſibus, & calamitatibus unicum Deum inclamabant, non ad Capitolium, ſed ad Cœlum oculos, ac manus attollebant: unde ſic ipſe exclamat: *O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ!*

CAPUT

CAPUT II.

De Essentia DEI.

ARTICULUS I.

Utrùm DEUS sit Ens, quô nihil melius excogitari possit?

Dico. DEUS est Ens, quo nihil melius, ac perfectius excogitari potest. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura, ubi passim dicitur Deus omnipotens, altissimus, item Psal. 44. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Ergo Deus habet magnitudinem, hoc est, omnimodam perfectionem infinitam; at Ente infinitè perfecto nihil excogitari potest melius, ac perfectius, nam infinito nil excogitari potest majus. Item Eccli. c. 43. *Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantùm potestis: major enim est omni laude.* Ergo nihil laudabilius, nec proinde melius est Deo. 2. Ex S. Augustino l. 1. de doctrina Christiana c. 7. ubi ait: *Cùm ille unus cogitatur Deorum Deus... ita cogitatur, ut aliquid, quo nihil melius sit, atque sublimius... nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est.* Et l. de natura boni contra Manichæos, c. 1. *Summum bonum, quo superius non est, Deus est.* Et ex S. Bernardo, qui, l. 5. de consid. c. 7. ait: *Quid est Deus? quo nihil melius cogitari potest* 3. Ratione. Quia Deus est Ens summè perfectum, causa, & origo aliorum omnium entium: at tali ente nil excogitari potest melius, ac perfectius. Ergo Deus est Ens, quo nil excogitari potest melius, ac perfectius.

Obj. Complexum ex Deo, & mundo est aliquid melius, & perfectius Deo solo.

Resp. Est aliquid melius, & perfectius extensivè, quatenus continet entia bona, & perfecta numero plura. At non est quid melius, & perfectius intensivè, quàm Deus solus. Quia Deus solus est Ens in omni genere infinitè perfectum, & omnes creaturarum, etiam possibilium, perfectiones virtualiter, ac eminenter continet: ac proinde non potest Deo addi aliquid boni, quod non habeat, & quidem modo perfectissimo. Unde Deus fieri non potest melior, & perfectior additione cujuslibet creaturæ. Melius autem, & perfectius intensivè non fit, nisi additione boni illius, quod deerat illi, cui additur.

ARTICULUS II.

Utrùm Deus in sua entitate complectatur omnes omninò Perfectiones?

Nota 1. Perfectio duplex distinguitur, nempe simpliciter simplex, & secundùm quid. Perfectio simpliciter simplex est ea, quæ nullam habet incompatibilitatem cum æquali, aut majori perfectione: sive est ea, quæ melior est enti, ut est ens, quàm quælibet alia secum incompossibilis. Perfectio verò secundùm quid, quæ non est talis: sive est ea, quæ incompossibilis est cum alia æquali, aut majori.

Nota 2. Perfectio aliqua inesse potest alicui enti quatuor modis, nempe formaliter, virtualiter, æquivalenter, & eminenter. Perfectio inest alicui formaliter, cùm ei inest secundùm se, & propriam naturam, ac definitionem. Inest virtualiter, dum ei inest virtus producendi illam perfectionem. Inest æquivalenter, cùm inest alia perfectio similis, quæ eadem, vel similia præstare potest. Inest eminenter, cùm inest alia perfectio altioris ordinis, quæ potest aut illam producere, aut præstare, quod illa præstat: unde perfectio continetur eminenter, dum continetur virtualiter, aut æquivalenter secundùm perfectionem altioris ordinis. Sic anima bruti continetur eminenter in anima rationali, quæ potest, sicut anima bruti, sensationes efficere, sed per entitatem altioris ordinis, nempe spiritalem.

Dico 1. Omnes omninò Perfectiones possibiles in Deo continentur aliquo modo.

Prob. 1. Ex Script. Exodi c. 33. Deus de se ait: *Ostendam omne bonum tibi.* At si Deus est omne bonum, necessariò continet, saltem aliqua ratione, omnes omninò Perfectiones possibiles: nam quælibet perfectio est aliquod bonum. Ergo. 2. Ex S. Augustino, qui in Ps. 26. Deum vocat bonum omnis boni. 3. Ratione. Quia alioqui Deus non esset Ens, quo nihil melius, & perfectius excogitari potest; nam excogitari potest ens, quod omnes omni-

nò perfectiones possibiles contineat meliori modo, quo inesse possunt. Præterea si aliqua perfectio possibilis non contineretur, aliquo saltem modo, in Deo, illa esset possibilis, ut supponitur; & simul non esset possibilis: nam non posset existere; non enim posset existere à se, quia nihil potest seipsum producere: non etiam ab alio, sive à Deo, quia illam non haberet ullo modo; nemo enim dare potest, quod nullo modo habet: sive à creatura, quia si Deus illam non habet, neque creatura ullo modo illam habet; cùm creatura nil habeat boni, quod non acceperit à Deo, tanquam à prima rerum omnium causa. Hinc illud, Rom. c. 11. *Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

Hinc Deus est summè pulcher, cùm habeat omnes perfectiones possibiles infinitas, quæ ei maximè conveniunt, & in ipso mirabilem concordiam, & harmoniam efficiunt: cùm nulla ulli sit contraria.

Dico 2. Omnes perfectiones simpliciter simplices sunt formaliter in Deo.

Prob. 1. Quia Deus, utpote Ens, quo nil melius, ac perfectius excogitari potest, continet formaliter illud omne, quod melius est formaliter habere, quàm sic non habere. At tales sunt perfectiones simpliciter simplices, *cùm sint meliores qualibet alia secum incom* possibili. Ergo. 2. Perfectiones simpliciter simplices continentur in Deo secundùm propriam definitionem, & de Deo affirmantur sub propria notione, & appellatione, ut constat inductione: sic Deus est verè, ac propriè intellectivus, justus, bonus, sapiens, &c. Ergo continentur in eo formaliter. 3. Quia nulla potest esse ratio, cur non contineantur in Deo formaliter: nam non excludunt ab eo aliam perfectionem meliorem, aut æqualem, sicut perfectiones secundùm quid.

Dico 3. Perfectiones secundùm quid, quæ sunt incompossibiles cum aliis melioribus, non continentur in Deo formaliter.

Prob. Quia excluderent à Deo perfectiones majores, utpote cum illis in eodem ente in compossibiles: & sic Deus non esset ens, quo nihil melius, ac perfectius excogitari potest, nec haberet omnes perfectiones simpliciter simplices.

Dico 4. Perfectiones secundùm quid, quæ sunt incompossibiles cum aliis melioribus, continentur in Deo virtualiter, & eminenter.

Prob. Continentur 1. virtualiter: nam Deus potest illas producere, alioqui non possunt existere. 2. Continentur eminenter: nam Deus potest illas producere, & quod illæ præstant, præstare, per perfectionem altioris ordinis, putà per suam omnipotentiam, & quidem sine ulla imperfectione.

Dixi, *quæ sunt incompossibiles cum aliis melioribus.* Nam Deus potest habere formaliter perfectiones non simpliciter simplices, quæ sunt soldm incompossibiles cum alia æquali, non cum meliori, qualis est volitio creandi mundum, vel non creandi, &c. Paternitas, Filiatio, &c. nam perfectiores illæ non excludunt alias meliores.

ARTICULUS III.

In quo consistat Essentia Dei?

Nota 1. Essentia, & natura ejusdem rei, licèt sint idem realiter, & ideo sæpè confundantur, tamen diversos terminant conceptus, & sic distinguuntur Logicè. Nam essentia dicitur de re absolutè sumpta absque relatione ad operationem, à qua præscindit. Natura autem præter esse rei importat relationem ad operationem, & dicit principium operationis. Hinc res quælibet essentiam habere dicitur, quamvis non sit natura, id est, principium operationis. Essentia autem est id, quo res est id, quod est.

Nota 2. Essentia Divina sumi potest tripliciter. 1. in sensu physico, seu prout est in se, & independenter à quovis mentis conceptu. 2. In sensu Metaphysico latiori, & sic sumpta est Essentia Divina præcisa à solis perfectionibus relativis, & à personalitatibus, hoc est, considerata præcisè secundùm perfectiones absolutas, & communes tribus Personis. 3. In sensu Metaphysico strictiori, & est Essentia Divina sumpta secundùm id, quod in illa primò concipimus tanquam attributum

Dei

Dei conſtitutivum, ex quo cognito cognoſcuntur cætera ipſius attributa. Sive eſt Eſſentia ſumpta ſecundùm primarium attributum, quo præcisè concepto Deus ſufficienter intelligitur diſtinctus ab omni alio ente, & ex quo cognito cognoſcuntur cætera ejus attributa, quæ proprietates eſſentiales vocantur.

Dico 1. Eſſentia Dei phyſica, ſeu in ſenſu phyſico ſumpta, rectè deſcribitur: Ens in omni perfectione infinitum, natura unum, Perſonis trinum.

Prob. Quia eſſentia rei phyſica eſt entitas rei, ut eſt in ſe, & à parte rei. Atqui Deus ſecundùm ſe, & à parte rei, ſeu independenter ab omni conceptu præciſivo, eſt ens in omni genere perfectionis infinitum, unum ſecundùm naturam, ut ex dictis conſtat, & trinum ſecundùm perſonalitates, ut ſuo loco probabitur. Ergo.

Dico 2. Eſſentia Dei in ſenſu metaphyſico latiori, eſt cumulus omnium perfectionum poſſibilium abſolutarum infinitarum.

Prob. Nam Eſſentia ſic ſumpta præſcindit à perſonalitatibus, & perfectionibus relativis: ac proinde ſolùm dicit, ſeu complectitur omnes omninò perfectiones abſolutas, infinitas, ſimpliciter ſimplices. Nam Divina Entitas illas omnes eſſentialiter continet, cùm ſit eſſentialiter in omni genere perfectionis infinita; & præter cumulum omnium illarum perfectionum abſolutarum nil complectitur, niſi perſonalitates, & perfectiones relativas. De Eſſentia Divina ſic ſumpta hæc definit Conc. Generale Lateranenſe IV. cap. 2. *Quælibet rium Perſonarum eſt illa res, videlicet Subſtantia, ſive Natura Divina, quæ ſola eſt univerſorum principium, præter quod aliud inveniri non poteſt: & illa res non eſt generans, neque genita, nec procedens.*

Dico 3. De Eſſentia Dei in ſenſu metaphyſico ſtrictiori ſumpta multiplex eſt Catholicorum ſententia. *Prima* illam conſtituit in intellectione actuali: *Secunda* in ratione entis infiniti: *Tertia* in cumulo omnium perfectionum ſimpliciter ſimplicium: *Quarta* demum in ratione entis à ſe, ſeu in aſeitate, quæ eſt abſoluta neceſſitas, & ſufficientia exiſtendi ex natura ſua, & independenter ab ulla cauſa: unde ſecundùm illam Deus definitur, Ens à ſe, ſeu Spiritus à ſe; non quidem efficienter: nam repugnat, aliquid ſeipſum producere; ſed formaliter, quatenus habet ex proprio fundo, & ex ſua Eſſentia neceſſitatem abſolutam, & pleniſſimam ſufficientiam ad exiſtendum independenter à cauſa producente, & conſervante.

Quævis ex illis opinionibus eligi poteſt ſalva fide, cùm Eccleſia nihil circa hoc definierit. *Quarta* tamen magìs arridet.

Obſerva. Deus non poteſt propriè definiri, quia non habet genus propriè dictum. Nam genus propriè dictum eſt attributum communè univocè multis. Deus autem nullum habet univocè attributum ſibi commune cum multis, nempe creaturis. Nam convenire univocè, eſt convenire non ſolùm ſecundùm idem nomen, ſed etiam ſecundùm eandem ſignificationem nominis, ſeu rationem per nomen ſignificatam. At nulla attributa Dei conveniunt creaturis, & Deo ſecundùm eandem omninò rationem, & ſignificationem, ſed ſolùm ſecundùm quamdam proportionem. Quidquid enim convenit Deo, ipſi convenit longè altiori modo, & eſſentialiter actu. Et ideo Patres docent ea, quæ eodem nomine dicuntur de Deo, & creaturis, non verè, & propriè de Deo dici eodem modo, quo de creatura dicuntur. Unde dicunt, Deum non eſſe Subſtantiam, ſed Superſubſtantiam. Deus tamen rectè deſcribitur Spiritus à ſe exiſtens; nam in hac propoſitione tota Eſſentia Dei ſtrictè ſumpta exprimitur.

CAPUT III.

De Attributis Divinis.

ATtributum Divinum latè, & ſtrictè ſumi poteſt. Attributum Divinum latè ſumptum eſt id omne, quod de Deo verè affirmari poteſt: hoc ſenſu aſeitas eſt Attributum Dei. Attributum Divinum ſtrictè ſumptum eſt quælibet Dei Perfectio, tribus Perſonis communis, quæ concipitur Deo convenire, & infertur ex conceptu Eſſentiæ Divinæ ſtrictè ſumptæ, ſeu Attributi primarii, per

quod Deus à nobis concipitur primò constitui, & differre ab omni alio ente. Tales sunt Sanctitas, Justitia, Omnipotentia, &c. Quæ ex conceptu aseitatis intelliguntur convenire Deo: nam ex aseitate rectè omnes perfectiones simpliciter simplices inferuntur; Ens enim existens ex necessitate suæ essentiæ, & ex proprio sui esse fundo, ac independenter ab alio, nullam habet limitationis causam, unde debet esse in omni perfectione illimitatum. Hinc aseitas secundùm nostrum concipiendi modum est primaria Dei Perfectio, & radix cæterarum, quæ ideo vocantur secundariæ, relatè scilicet ad ordinem nostrarum cognitionum, quia nempe illarum cognitio supponit conceptum aseitatis, & aseitas concepta est nobis ratio cognoscendi cæteras omnes perfectiones sub propria illarum definitione. In sensu autem reali, seu prout res est in Deo independenter à nostris conceptibus, omnia Attributa in Deo sunt æquè prima, cùm sint realiter ipse Deus.

ARTICULUS I.

Utrùm, & quomodo Divina Attributa distinguantur inter se, & ab Essentia Divina?

§. I.

Prænotanda.

I. *Distinctio est negatio identitatis:* unde ea distinguuntur, quæ non sunt idem. Dividitur in Realem, seu entitativam, & Mentalem, seu rationis. *Distinctio Realis est negatio identitatis in re,* seu entitate: unde ea distinguuntur realiter entitativè, quæ non sunt idem in entitate, seu quæ non habent eandem entitatem, ut corpus, & anima. Distinctio mentalis, quæ dicitur etiam distinctio rationis, & Logica, est ea, quæ fit à mente, & est negatio identitatis in conceptu, seu est diversitas conceptuum: unde illa dicuntur distingui mentaliter, seu ratione, & logicè, quæ non sunt idem in conceptu, seu quæ non habent eundem conceptum, sed habent diversos conceptus.

II. Distinctio rationis, seu Logica duplex est, nempe rationis ratiocinantis, & rationis ratiocinatæ. Distinctio rationis ratiocinantis est ea, cujus fundamentum non est in re, sed duntaxat in intellectu: ac proinde est diversitas conceptuum, cujus fundamentum est à solo intellectu diversimodè concipiente. Talis est distinctio inter Petrum sumptum ut est Subjectum propositionis, & eundem Petrum sumptum ut est Prædicatum propositionis: nam horum Petri conceptuum diversitas non habet fundamentum in ipso Petro, sed solùm in propositionibus intellectûs, in quarum una aliquid prædicavit de Petro, & in alia Prædicavit Petrum de aliquo, ut patet in his conceptibus: petrus est animal, aliquod animal est Petrus.

Distinctio rationis ratiocinatæ est ea, cujus fundamentum est in re, & extra intellectum: ac proinde est diversitas conceptuum, cujus fundamentum est aliquid extra intellectum, & distinctum à conceptibus nostris. Talis est distinctio inter animalitatem, & rationalitatem Petri; nam conceptus animalitatis Petri repræsentat entitatem Petri, ut principium sensationum: conceptus verò rationalitatis ejusdem Petri repræsentat entitatem Petri, ut principium ratiociniorum: fundamentum autem proximum illorum diversorum conceptuum sunt diversæ operationes Petri, nempe sensationes, & ratiocinationes ab eo producibiles, quæ sunt aliquid extra intellectum concipientis, & distinctum ab ejus conceptibus.

III. Distinctio rationis ratiocinatæ dicitur etiam *distinctio virtualis*, quæ est rei simplicis æquivalentia multis virtutibus, & perfectionibus realiter distinctis relatè ad diversos effectus, seu operationes producendas, & diversos conceptus terminandos. Res autem simplex multis virtutibus, seu facultatibus, & perfectionibus realiter distinctis æquivalens, potest agere inadæquatè, id est, præcisè quatenus æquivalet uni virtuti, seu facultati. Sic anima rationalis in se simplex, ac indivisibilis est virtualiter multiplex, seu æquivalet duabus virtutibus realiter distinctis, quarum una esset tantùm sentiens, & altera intelligens: & dum sentit, operatur inadæquatè, præcisè scilicet quatenus æquivalet animæ sentienti.

IV.

IV. Distinctio virtualis duplex distinguitur: intrinseca scilicet, & extrinseca. Intrinseca dicitur, cujus fundamentum est intrinsecum, seu identificatum rei diverso modo conceptæ: Extrinseca, cujus fundamentum est extrinsecum, seu ab ea realiter distinctum. Sic fundamentum proximum distinctionis inter animalitatem, & rationalitatem Petri non est aliquid identificatum Petro diversimodè concepto; sed tale fundamentum est diversa operatio Petri, nempe sensatio, & ratiocinatio ab eo realiter distincta. Hinc distingui virtualiter extrinsecè est rem diverso modo concipi posse propter diversos effectus, quos producere potest, vel diversa entia, quibus æquivalet. Qui diversi effectus, seu operationes, & quæ entia diversa dicuntur connotata. Fundamentum tamen remotum est ipsa æquivalentia rei intrinseca, seu res ipsa, quatenus est una virtus simplex multis realiter distinctis virtutibus, seu facultatibus æquivalens.

V. Scotus distinctionem generatim dividit in distinctionem ex natura rei, & distinctionem rationis. Distinctionem verò ex natura rei subdividit in realem, qua unum ens differt, & distinguitur ab alio, ut res à re: & formalem, qua unum independenter ab omni mentis conceptu, & connotato distinguitur ab alio quidditate, seu essentia, non tamen entitate, & re. Sic secundùm Scotum Attributa Divina distinguuntur formaliter ex natura rei tum à se invicem, tum ab Essentia Divina, quatenus quidditas, seu essentia unius Attributi diversa est à quidditate tum aliorum, tum Essentiæ Divinæ, & quidem independenter ab omni operatione intellectus, & connotato. Hinc juxta illum quamvis in Deo Attributa, & Essentia sint eadem res, ac entitas, sunt tamen multæ perfectiones, & formalitates independenter à mente.

VI. Gualterus quidam olim docuit, Attributa Divina inter se, & ab Essentia distingui realiter. Gregorius Palamas Schismaticus Græcus, Thessalonicensis Episcopus, distinctionem realem admisit inter essentiam Dei, & ejus operationes immanentes tum necessarias, tum liberas, nempe intellectiones, & volitiones. De Gilberti Porretani, Pictavensis Episcopi distinctione reali in Deo, controversia est inter Theologos. Alii censent eum docuisse distinctionem realē non solùm inter Essentiam, & Personalitates divinas, sed etiam inter Attributa, & Essentiam: alii verò contendunt, eum realiter tantùm distinxisse Essentiam Divinam à Personalitatibus. Utut sit, ejus errores sæculo duodecimo damnati sunt, primùm in Concilio Parisiensi, deinde in Concilio Remensi, cui præsedit Eugenius III. & cui præter Cardinales interfuêre plurimi Episcopi, & Abbates, ipséque S. Bernardus Clarevallensis Abbas, acerrimus Gilberti adversarius. Concilii definitioni sincerè acquievit Gilbertus, quare cum ejus persona benigniùs actum est.

VII. Eunomius Arianus distiuctionem omnem etiam mentalem negavit inter Attributa, & Essentiam Divinam, asseruítque omnia Nomina Divina idem, & eodem planè modo significare, Divinam scilicet naturam. Unde contendebat Essentiam Divinam, Justitiam, Misericordiam, &c. non differre inter se, nisi secundùm nomen.

§. II.

Dico 1. Attributa Divina neque à se invicem, neque ab Essentia Divina distinguuntur realiter, seu entitativè. Est de Fide.

Prob. 1. Ex Concilio Lateranensi Generali IV. cap. 1. & 2. Definiente Essentiam, seu Substantiam, & Naturam Divinam esse omnino simplicem: qualis certò non esset, si Attributa Divina à se invicem, & ab Essentia distinguerentur realiter; nam componeretur ex multis realiter distinctis.

2. Ex Concilio Remensi in Symbolo contra errores Gilberti Porretani edito, ubi dicitur: *Credimus, & confitemur simplicem Naturam Divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu Catholico posse negari, quin Divinitas sit Deus, & Deus Divinitas. Sicubi verò dicitur sapientia sapientem, magnitudine magnum, divinitate Deum esse, & alia hujusmodi; credimus non nisi ea sapientia, quæ est ipse Deus, sapientem esse; non nisi magnitudine, quæ est ipse Deus, magnum esse; non nisi ea æternitate, quæ est ipse Deus, æternum esse; non nisi*

ea unitate unum, quæ eſt ipſe; non niſi ea divinitate Deum, quæ eſt ipſe: id eſt, ſe ipſo ſapientem, magnum, æternum, unum, Deum. Certè ſi Deus eſt ſe ipſo ſapiens, magnus, æternus, unus, Deus, ejus attributa ſunt una, & eadem entitas inter ſe, & cum Eſſentia Divina.

3. Ex Patribus apud Petavium. Pro omnibus ſit S. Auguſtinus, qui l. 15. de Trinitate, c. 3. ait: *Bonitas, atque Juſtitia, nunquid inter ſe in natura Dei, ſicut in ejus operibus, diſtant, tanquam duæ diverſæ ſint qualitates Dei, una Bonitas, alia Juſtitia? non utique: ſed quæ ejus Juſtitia, ipſa Bonitas, & quæ Bonitas, ipſa Beatitudo.* Et c. 6. *Sua eſt ipſe Sapientia; quia non eſt aliud Sapientia ejus, aliud Eſſentia, cui hoc eſt eſſe, quod ſapientem eſſe.*

4. Ex hoc Axiomate Theologico: *In Divinis omnia ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio.* At Divina Attributa nec inter ſe, nec cum Eſſentia Divina habent relationis oppoſitionem: quippe quæ in Deo reperiri nequit, niſi inter ea, quorum unum procedit realiter *ab alio.*

5. Ratione. Eſſentia, ſeu Natura Divina eſt perfectiſſima, ita ut nihil ea perfectius excogitari poſſit. Ergo ſe ipſa, ſeu per ſuam entitatem eſt omnis Perfectio ſimpliciter ſimplex: nam melius, ac perfectius eſt per ſe ipſum ſolum eſſe omnem Perfectionem, quàm indigere perfici per aliquid à ſe realiter diſtinctum. Hinc S. Bernardus, l. 5. de Conſideratione c. 7. ait: *Vero judicio natura ſimplex multiplici antefertur.* Ergo entitas Naturæ Divinæ eſt entitas cujuslibet perfectionis. Ergo Perfectiones Divinæ nec inter ſe, nec ab Eſſentia Divina realiter, ſeu entitativè diſtinguuntur.

Obj. 1. Attributa Divina ſunt multa etiam independenter ab intellectu: ergo diſtinguuntur inter ſe realiter.

Reſp. Diſting. anteced. Sunt mmulta virtualiter, *conc. ant.* Realiter, & entitativè, *neg. antec.* Attributa Divina etiam independenter à mentis conceptu ſunt multa virtualiter, & æquivalenter, quia ſunt entitas Divina, quæ licèt in ſe ſimpliciſſima, æquivalet multis realiter diſtinctis in ordine ad diverſos effectus præſtandos, & agendum inadæquatè, atque ad terminandos diverſos conceptus: nam poteſt plures effectus producere perinde, ac ſi eſſent multa entia realiter diſtincta, & propter ſuam illam æquivalentiam præbet intellectui noſtro fundamentum eam diverſis, & inadæquatis conceptibus repræſentandi. At Divina Attributa non ſunt multa realiter, & entitativè: nam ſunt una, eadémque entitas Divina ſimpliciſſima, quæ relatè ad diverſa, quæ præſtare poteſt, & relatè ad diverſos conceptus, quibus inadæquatè repræſentatur, multis, ac variis nominibus appellatur.

Obj. 2. Juſtitia Divina non eſt Miſericordia, nec Intellectus Divinus eſt Voluntas Dei.

Reſp. Diſting. In ſenſu formali, & præciſivo, *conc.* In ſenſu reali, *nego.* Res ſumpta in ſenſu formali, & præciſivo eſt res ſpectata prout repræſentatur inadæquatè à mente noſtra relatè ad diverſa connotata, nempe relatè ad diverſos effectus, quos producere poteſt, vel ad diverſa entia, quibus æquivalet. Res ſumpta in ſenſu reali eſt res ſpectata duntaxat ſecundùm ſuam entitatem, ſeu prout eſt in ſe abſolutè, & independenter à conceptibus noſtris, ac connotatis. Eſſentia autem Divina, & Attributa non ſunt idem in ſenſu formali; nam multis, & inadæquatis conceptibus repræſentantur in ordine ad diverſa, quæ producere poteſt, vel quibus æquivalet eadem entitas Divina. At hæc omnia ſunt idem realiter, ac ſecundùm entitatem, quia ſunt una, eadémque entitas Divina ſimpliciſſima. Nam Eſſentia Divina ſtrictè ſumpta eſt entitas Divina ſpectata ſecundùm noſtrum primum Dei conceptum, ex quo alii conceptus inferuntur: Omnipotentia Divina eſt entitas divina ſpectata, quatenus poteſt facere id omne, quod non repugnat: Juſtitia eſt entitas Divina ſpectata præcisè, ut eſt principium punitionum: Miſericordia eſt eadem entitas Divina, quatenus eſt principium miſerationum: Sapientia eſt entitas Divina, quatenus cognoſcens omnia, &c. Unde Eſſentia, & Attributa dicunt eandem entitatem ſimplicem, & diverſos conceptus, & connotata diverſa: ideoque non diſtinguuntur, niſi penes conceptus, & connotata; ſed cum fundamento in re.

Obj.

Obj. 3. Illa distinguuntur realiter, quibus conveniunt prædicata contradictoria. Sed Attributis Divinis inter se, & Essentiæ conveniunt prædicata contradictoria : Ergo illa inter se distinguuntur realiter.

Resp. Nego min. Nam prædicata verè contradictoria sunt ea, quæ in eodem sensu, & sub eodem respectu negantur, & affirmantur de eodem. At nihil affirmari, & negari potest in eodem sensu, & sub eodem respectu, seu sub eadem *consideratione*, de entitate Divina, & ejus Attributis. Nec unum Attributum verè negatur de alio sub eodem respectu, & independenter à conceptibus rem eandem inadæquatè repræsentantibus. Sic cùm dicitur : Intellectus generat, Voluntas non generat : Hæc non sunt prædicata verè contradictoria ; quia idem de eodem affirmatur sub uno respectu, & negatur sub alio, sensus enim est : entitas Divina, quæ æquivalet duabus entitatibus realiter distinctis, quarum una esset facultas intelligendi tantùm, & altera facultas volendi tantùm, generat (remotè scilicet) quatenus æquivalet uni entitati, quæ esset facultas intelligendi tantùm, non quatenus æquivalet alteri entitati, quæ esset facultas volendi tantùm. Breviùs, generat præcisè, quatenus est facultas intelligendi, non quatenus est facultas volendi. In quo nulla est contradictio : nam contradictio est affirmatio, & negatio ejusdem de eodem, secundùm idem.

Inst. Deus intuitivè, & absque omni præcisione se comprehendens videt se generare per Intellectum, non per Voluntatem.

Resp. Deus videt se generare per Intellectum, non ut realiter distinctum à Voluntate Divina : nam videt suum Intellectum, & suam Voluntatem esse eandem entitatem ; sed videt se generare per Intellectum, ut virtualiter distinctum à Voluntate Divina. Deus enim se ipsum intuitivè comprehendens videt omnem suæ entitatis æquivalentiam absque ulla præcisione : & sic videt Intellectum suum ut distinctum virtualiter à sua Voluntate, quatenus videt suam entitatem æquivalere, imò præstare pluribus entitatibus, quarum una esset vis intelligendi tantùm, & altera vis volendi tantùm, & posse aliquid, ut est vis intelligendi, quod non potest, ut est vis volendi : ac viciſſim posse aliquid, ut est vis volendi, quod non potest, ut est præcisè vis intelligendi. Simul tamen semper Deus videt eandem esse Intellectûs, & Voluntatis entitatem, sed virtualiter multiplicem.

Obj. 4. Si Attributa Divina non distinguuntur realiter inter se, & ab Essentia Divina, eadem entitas Divina punit, & miseretur, *vult*, & *intelligit*. *Falsum conseq.* Ergo.

Resp. Nego min. Igitur remota omni præcisione, seu conceptu inadæquato nostri intellectus, eadem planè entitas in Deo punit, & miseretur, intelligit, & vult ; cùm natura Divina sit entitas simpliciſſima. Unde falsum est, quòd Filius non generetur per illam entitatem, quæ est realiter Voluntas.

Observa. Ad suscipienda prædicata apparenter tantùm contradictoria, seu potiùs ad tollendam veram contradictionem in Deo, sufficit multiplex Divinæ entitatis æquivalentia pluribus entitatibus, ac perfectionibus realiter distinctis in ordine ad plura, ac diversa præstanda, & conceptus terminandos : per quam æquivalentiam de entitate Divina sub uno respectu affirmari possit aliquid, quod de eadem negatur sub alio. Nam tunc non potest esse simul affirmatio, & negatio ejusdem de eodem *secundùm eandem considerationem*, quod requiritur ad veram contradictionem. Cùm autem natura Divina sit infinitè in omni genere perfecta, est virtualiter multiplex, seu æquivalet multis entitatibus, ac perfectionibus realiter inter se distinctis, ac proinde de illa licèt summè simplici nunquam prædicata verè contradictoria prædicari possunt, quia nunquam prædicata opposita prædicantur de ea secundùm eandem considerationem.

§. III.

Dico 2. Attributa Divina à se invicem, & ab Essentia Divina distinguuntur saltem ratione. Omnino constat ; nam Eunomii opinio opposita à Patribus, & ab Ecclesia semper rejecta, ac damnata est.

Prob.

Prob. Scriptura, & Patres, & Concilia loquuntur de Attributis, & Eſſentia Dei tanquam de multis. Ergo ſunt multa in aliquo ſenſu: non in ſenſu reali, ſeu ſecundùm entitatem, ut probatum eſt: ergo in ſenſu formali, ſeu præciſivo, ſive ſecundùm conceptus noſtros. Nam ubi eſt multitudo, ibi eſt ejusdem rationis diſtinctio. *Prob. antec.* Joan. c. 16. *Omnia, quæcunque habet Pater, mea ſunt.* Rom. c. 1. *Inviſibilia ipſius per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; eus virtus, & divinitas.* S. Baſilius, lib. 1. contra Eunomium: *Quî enim ridiculum non eſt, ſi quis creandi virtutem, ipſam eſſe dicat eſſentiam, aut providentiam rurſus eſſentiam?* Concilium Florentin. in definitione: *Omnia, quæ Patris ſunt, Pater ipſe Unigenito Filio ſuo gignendo dedit, præter eſſe Patrem.*

Ratio eſt, quia illa diſtinguuntur ratione, quæ habent diverſos conceptus. Atqui Attributa, & Eſſentia Divina diverſos inter ſe conceptus habent, ſeu terminant: ergo diſtinguuntur ratione. *Prob. min. inductione.* Nam Eſſentia Divina ſtrictè ſumpta eſt Deitas conſiderata præciſè ut eſt Ens à ſe, ſive ut habens pleniſſimam ſufficientiam, & neceſſitatem abſolutam ad exiſtendum, independenter ab ulla cauſa: Juſtitia eſt Deitas ſpectata præciſè ut principium punitionum debitarum: Miſericordia eſt Deitas ſpectata præciſè ut principium miſerationum: Intellectus Divinus eſt Deitas cenſiderata præciſè ut eſt facultas intelligendi: Voluntas Divina eſt Deitas concepta præciſè ut eſt facultas volendi, &c.
Sed hi conceptus ſunt inter ſe diverſi: nam cum Deitate repræſentant diverſa connotata, ſive repræſentant entitatem Divinam relatè ad diverſa connotata, nempe ad diverſos effectus, quos præſtare poteſt, vel ad diverſa entia, quibus æquivalet, & ſupereminet.

Imò Attributa Divina à ſe invicem, & ab Eſſentia Divina diſtinguuntur ſaltem ratione ratiocinata. Conſtat: Nam 1. Scriptura, Patres, & Concilia loquuntur de illis tanquam de multis, ut probatum eſt. At ea non dicuntur multa ſimpliciter, quæ talia non ſunt cum fundamento in re. Item aliquid affirmant de uno Attributo, quod negant de alio: nihil autem rectè affirmatur, aut negatur ſine fundamento. 2. Quia Eſſentia, & Attributa Divina ſunt ipſa Entitas Divina in omni genere infinitè perfecta, quæ proinde licèt in ſe ſimpliciſſima, æquivalet, imò ſupereminet innumeris entibus, & perfectionibus realiter inter ſe diſtinctis in ordine ad innumeros effectus præſtandos, & ad operandum inadæquatè, ita ut tam poſſit operari præciſè quatenus uni æquivalet, quàm ſi non æquivaleret cæteris. Quæ æquivalentia eſt ſanè intellectui ſufficiens fundamentum illam diverſis, & inadæquatis conceptibus repræſentandi.

Dixi, *ſaltem ratione*, propter Scotiſtas, qui volunt ea diſtingui formaliter ex natura rei.

Obj. 1. Concilium Remenſe ſub Eugenio III. contra Gilbertum Porretanum ait: *In Theologia inter Eſſentiam, & Perſonam ratio non diſtinguat.* Ergo nec Attributa diſtinguntur inter ſe ratione.

Reſp. Nego conſeq. Nam his verbis ſolùm damnatur realis inter eſſentiam, & Perſonam diſtinctio, quam admittebat Gilbertus Porretanus. Is enim, teſte Othone Friſingenſi, in relatione Concilii Remenſis, & S. Bernardo, docebat duplicem eſſe rationem, unam Mathemathicam, & alteram Theologicam; rationem Mathematicam eam eſſe, quæ per mentem diſtinguit ea, quæ non ſunt in re diſtincta: Theologicam verò eam eſſe, quæ non diſtinguit, niſi ea, quæ ſunt in re diſtincta; Eſſentiam autem, & perſonam in Divinis diſtingui ſecundùm rationem Theologicam, hoc eſt, realiter. Hanc diſtinctionem realem Concilium Remenſe rejicit verbis, quibus utebatur Gilbertus Porretanus.

Obj. 2. Si Attributa Divina diſtinguerentur ratione, conciperentur ut multa: ideoque malè, & falsò conciperentur.

Reſp. Non conciperentur ut multa realiter, ſed ſolùm ut multa virtualiter. Attributa autem Divina *non poſſunt quidem concipi eſſe* multa realiter, ſeu eſſe aggregatum ex multis realiter diſtinctis, cùm ſint in ſe unum quid realiter ſimpliciſſimum, nempe ipſa entitas Divina. At poſſunt multis, & inadæquatis conceptibus repræſentari, ſecundùm multas æquivalentias ipſius entitatis Divinæ, ſive ratione

ne diversorum connotatorum, propter eminentiam entitatis Divinæ virtualiter multiplicis, & æquivalentis innumeris entibus in ordine ad diversa præstanda, & conceptus terminandos.

Obj. 3. Entitas Divina, utpote simplicissima. semper tota cognoscitur. Ergo non potest repræsentari inadæquatè, nec proinde distingui ratione.

Resp. Quamvis entitas Divina, utpote simplicissima, ac indivisibilis, semper tota cognoscatur, non tamen semper cognoscitur totaliter, id est; *omni modo*, quo potest cognosci, & relatè ad omnia connotata, quibuscum repræsentari potest, nempe relatè ad omnes effectus, quos producere potest, & ad omnes entitates, ac perfectiones realiter distinctas, quibus æquivalet, & supereminet. Unde entitas Divina simplicissima. sed virtualiter multiplex, potest cognosci ut æquivalens uni entitati, nec tamen cognosci ut æquivalens alteri entitati distinctæ, & divisæ: ideoque cognosci potest diversis, & inadæquatis conceptibus.

Observa. Præscindere est rem inadæquatè concipere, hoc est, rem quidem totam repræsentare, sed non omni modo, quo potest repræsentari; nec secundùm omnes suas æquivalentias. Unde præcisio est inadæquatus conceptus rei alicujus, hoc est, conceptus, quo res quidem tota repræsentatur, sed non omni modo, quo potest repræsentari, nec secundùm omnes æquivalentias, sive connotata. Res autem non repræsentatur omni modo, quo repræsentari potest, quando non repræsentatur cum omnibus effectibus, quos producere potest, & entibus realiter distinctis, quibus æquivalet.

Dico 3. Controversia est inter Catholicos, utrùm essentia, & Attributa Divina inter se distinguantur, vel formaliter ex natura rei, ut volunt Scotistæ: vel distinctione rationis virtuali intrinseca, ut docent Thomistæ, aut solùm distinctione virtuali extrinseca suprà explicata, ut sentiunt alii.

Cùm Ecclesia nihil circa hoc definierit, cuique licet eam opinionem eligere, quæ sibi probabilior videbitur.

Sequentibus articulis agemus de quibusdam Attributis Divinis in particulari, quæ aliqua explicatione indigent.

ARTICULUS II.

De Simplicitate DEI.

Nota. 1. Simplicitas est negatio compositionis: nam simplex est id, quod non est compositum. Duplex autem distinguitur compositio, sicut distinctio, nempe physica, seu realis, & rationis. Compositio physica est ea, quæ fit ex pluribus entitatibus; & duplex est, alia substantialis, quæ nempe fit ex materia, & forma substantiali: & alia accidentalis, quæ fit ex substantia, & qualitatibus seu accidentibus, vel modis ab ea entitativè distinctis. Hinc compositum physicum est totum quoddam constans ex materia, & forma substantiali, vel ex substantia, & qualitatibus ab ea entitativè distinctis. Compositio rationis, seu Logica consistit in eo, quòd res physicè simplex possit multis, ac diversis conceptibus inadæquatis repræsentari: unde nil aliud est, quàm rei physicæ simplicis diversa, ac multiplex conceptibilitas. Agitur hìc de simplicitate Physica, quæ est negatio compositionis physicæ: nam ex dictis constat Deum posse multis diversis, ac inadæquatis conceptibus repræsentari cum fundamento in re.

Nota 2. Gentiles, saltem plerique rudes, Sadducæi inter *Judæos*, & Hæretici quidam Monachi in Ægypto Anthropomorphitæ dicti putarunt Deum esse corporeum, ideoque compositum ex materia, & forma. Hunc errorem S. Augustinus lib. de hæresibus, hæresi 50. attribuit etiam Audianis, sic dictis ab Audio, qui docuit Deum in hominis creatione assumpsisse corpus, ad cujus similitudinem corpus hominis efformasset, & sic hominem secundùm corpus factum esse ad imaginem Dei. At S. Epiphanius, l. 2. contra hæreses, n. 70. docet Audianos non Hæreticos, sed solùm Schismaticos fuisse, eò, quòd quamvis de fidei dogmatibus rectè sentientes, cœtus suos seorsim haberent, cum cæteris Fidelibus orare nolentes. & Pascha cum Judæis celebrantes sicque sese ab Ecclesia segregarent.

Dico 1. Deus est Ens simplicissimum. Est de fide.

Prob. 1. Ex Concilio Gener. Later. IV. c. 1. ubi definit tres personas esse, *unam essentiam, substantiam, seu naturam simplicem omnino.* 2. Quia melius est enti quatenus est ens, habere entitatem, quæ per se ipsam sit, quidquid est, sine compositione reali, quæ multiplicem involvit imperfectionem: atqui Deus habet, quid quid melius est enti, ut est ens; cùm nihil Deo melius excogitari possit. Ergo Deus habet enti tatem, quæ per se ipsam est, quidquid est, sine compositione reali, ideoque est ens simplicissimum. Quæ S. Bernardus, l. 5. de considerat. c. 7. ait: *Non est compositus Deus, merum simplex est.* Et S. Augustinus, l. 11. de Civitate, c. 10. *Quæ habet* (Deus) *hæc est, & ea omnia unus est.*

Dico 2. Deus est incorporeus, & expers omnis materiæ. Est de fide.

Prob. 1. Ex ejus simplicitate Physica. 2. Ex Scriptura, Joann. c. 4. *Spiritus est Deus* Spiritus autem simpliciter est substantia merè spiritualis. 3. Ex Patribus, qui Anthropomorphitas tanquam Hæreticos habuerunt. 4. Quia melius est esse spiritum in se completum, quàm esse corpus, vel corporeum. Sed Deus est quidquid melius est esse. Ergo Deus est spiritus in se completus, ideoque expers materiæ.

Obj. 1. Scriptura tribuit Deo corpus, & membra humana. Ergo Deus est corporeus.

Resp. Scriptura hæc tribuit Deo, non propriè sed metaphoricè, & secundùm quamdam similitudinem ad exprimendos actus divinos qui cum nostris actibus quamdam analogiam habent. Scriptura quippe, cùm hominibus loquatur, humano cogitandi, & loquendi modo de Deo loquitur. Sic per oculos, perfectam Dei notitiam significat; per manum, & brachium, ejus virtutem, & potentiam, seu ejus potentiæ actum: per alas, protectionem, & auxilium: per extensionem, & dimensionem, ejus præsentiam in rebus, & locis exprimit, ut explicat Sanctus Augustinus, & alii Patres.

Obj. 2. Ex Scriptura: homo factus est ad similitudinem Dei.

Resp. Factus est quantum ad animam, non quantum ad corpus. Nam sicut Deus est Spiritus intellectu, & voluntate præditus, ita & anima hominis.

Obj. 3. Tertullianus docuit Deum esse corporeum.

Resp. Augustinus eum ab hoc errore purgat, l. de Hæres. c. 86. Sed in hoc erraverit, nec ne Tertullianus, non magni refert, cum ipse in aliis rebus erraverit, & Hæreticus, ac Hæreticorum Dux mortuus sit.

ARTICULUS III.

De Infinitate DEI.

Dico. Deus est in omni perfectione infinitus, & illimitatus. Est de Fide.

Prob. 1. Ex Scriptura, Psal. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Ubi magnitudo in sensu proprio, & Ecclesiæ significat omnimodam perfectionem. Et Psal. 146. *Magnus Dominus noster, & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est numerus.* Ergo Dei sapientia est infinita, ergo & quælibet alia perfectio, cùm eadem sit ratio pro omnibus. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Damascenus, l. 1. Orthodoxæ Fidei, c. 12 ubi de Deo ait: *Universum id quod est, tanquam immensum quoddam, & infinitum essentiæ pelagus suo complexu continet.* 3. Quia alioqui excogitari posset ens melius Deo. Nam cogitari potest aliquid melius eo omni, quod est finitum, ac limitatum, ut patet, sicut omni finito, ac limitato addi potest aliquid. Hinc Deus est infinitus simpliciter; cùm habet omnes pefectiones possibiles simpliciter simplices, que non habent finem in intensione.

ARTICULUS IV.

De Bonitate DEI.

Dico. 1. Deus est summè bonus bonitate absoluta. Est de fide.

Prob. Bonum absolutè idem est, quod perfectum in se. Atqui Deus est summè perfectus in se, tum quia est ens, quo nihil melius, ac perfectius excogitari potest; tum quia (ut ex dictis constat) habet formaliter omnes omnino perfectiones simpliciter simplices possibiles, cæteras verò virtualiter, & eminenter. Ergo Deus est summè bonus absolutè.

Dico.

Dico. 2. Deus eſt ſummè bonus bonitate morali. Eſt de fide.

Prob. Bonum moraliter hìc idem eſt, quod ſanctum. Sed Deus eſt ſummè, ac infinitè Sanctus, ergo & bonus bonitate morali. *Prob. min.* Deus habet tùm infinitam impeccabilitatem, ſeu repugnantiam cum omni culpa vel leviſſima: tum indefectibilitatem, ſeu repugnantiam cum omni actione, & omiſſione aliquo modo vituperabili: tum virtutes omnes in intenſione infinitas, & quidem formaliter virtutes ſimpliciter ſimplices, cæteras verò virtualiter, & eminenter; tùm infinitam laudabilitatem in omnibus actibus ſuis, quatenus quidquid vult aut non vult; id vult aut non vult propter bonitatem divinam infinitè amatam. Nam ſi Deus hæc omnia non haberet, non eſſet ens, quo nil melius excogitari poteſt: poteſt enim excogitari ens, quod hæc omnia habeat. Ergo.

Dico. 3. Deus eſt ſummè bonus bonitate relativa. Eſt de fide.

Prob. Bonum relativè idem eſt, quod conveniens, & appetibile. At Deus eſt ſummè conveniens, & appetibilis; cùm ſit ſummum bonum, origo, & principium omnium aliorum bonorum, & in omni genere perfectionis infinitus, ac illimitatus. Ergo Deus eſt ſummè bonus relativè.

Dico. 4. Deus eſt per eſſentiam bonus omni bonitate, qua bonus eſt. Eſt de fide.

Prob. Nam Deus per ſe, & independenter ab alio bonus eſt omni bonitate, qua bonus eſt; tùm quia eſt ens à ſe, & prorſus independens ab omni alio; tùm quia eſt bonus meliori, & perfectiori modo, qui cogitari poſſit: hoc enim utrumque continetur in idea entis, quo nil melius excogitari poteſt. Hinc illud Chriſti, Luc. 18. *Nemo bonus, niſi ſolus Deus:* quia nempe ſolus Deus bonus eſt per eſſentiam; creaturæ verò omnes non ſunt bonæ, niſi per participationem, cum bonitatem ſuam omnem accipiant à Deo. *Bonus eſt Dominus,* (inquit S. Auguſtinus, in Pſal. 134.) *ſed bonus non ut ſunt bona quæ fecit.... ille bono ſuo bonus eſt, non aliundè participato bono. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt, qui non eguit, à quo fieret bonus; ſed eguerunt illo cætera, ut fierent bona. Vultis audire, quàm ſingulariter ille ſit bonus? Dominus interrogatus dixit: nemo bonus, niſi unus Deus.*

ARTICULUS V.

De Immenſitate DEI.

Nota. 1. Immenſitas eſt virtualis quædam extenſio infinita: ſive eſt perfectio abſoluta æquivalens omnibus ubicationibus poſſibilibus, per quam ſubſtantia apta eſt exiſtere ſimul in omnibus locis, ac ſpatiis poſſibilibus in infinitum, & in infinitis reipſa exiſteret, ſi reipſa infinita exſtarent loca. Extenſio autem virtualis eſt entitatis ſimplicis correſpondentia, ſeu coexiſtentia ſpatio diviſibili, æquivalens extenſioni formali in ordine ad præſentiam entitatis in loco. Extenſio verò formalis eſt poſitio, ſeu ſitus partium extra partes, quæ proinde repugnat ſpiritui.

Nota 2. Deus dicitur exiſtere in rebus omnibus creatis tripliciter, nimirum per præſentiam, per potentiam, & per eſſentiam. Deum eſſe in rebus omnibus per præſentiam eſt juxta S. Thomam cognoſcere actu omnia: eſſe in rebus omnibus per potentiam eſt operari circa omnia, ubique producendo, vel conſervando creaturas omnes: eſſe ubique per eſſentiam eſt eſſe in rebus omnibus ſecundum ſuam ſubſtantiam, & entitatem. Hic ſolus tertius modus exiſtendi in rebus omnibus pertinet ad attributum immenſitatis: nam prius pertinet ad cognitionem divinam, & ſecundus ad omnipotentiam.

Dico 1. Deus eſt immenſus. Eſt de fide.

Prob. Ex Conc. Generali Lateranenſi IV. c. 1. ibi. *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quod unus ſolus eſt verus Deus, æternus & immenſus, omnipotens, incommutabilis incomprehenſibilis, & ineffabilis,* &c. Ratio eſt quia Deus habet formaliter omnes omnino perfectiones ſimpliciter ſimplices, ſeu quæ non excludunt à ſuo ſubjecto perfectionem meliorem: at immenſitas talis eſt: Ergo Deus illam habet.

Dico 2. Deus eſt ubique, ſeu exiſtit in locis, & rebus omnibus creatis ſecundùm ſuam entitatem, ac ſubſtantiam: ita ut nullus ſit locus

cus realis, nulla creatura, ubi tota Dei entitas non existat. Est de fide.

Prob. 1. Ex Script. Jerem. c. 23. *Si occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum, dicit Dominus: Nunquid non Cœlum, & terram ego impleo?* Et act. c. 17. *In ipso vivimus, & movemur, & sumus.* 2. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Aug. ep. 57. ad Dard. *Substantialiter Deus ubique diffusus.* Et lib. 7. de Civit c. 30. *unus Deus ubique totus, nullis inclusus locis... implens Cœlum, & Terram præsente potentia, non absente natura.* 3. Ratione, tùm quia alioqui non esset immensus: tùm quia coexistere rebus omnibus secundùm suam entitatem simplicem ubique diffusam est perfectio simpliciter simplex, melior, quàm non ipsa.

Obj. Scriptura docet Deum esse in Cœlo. Ergo Deus non est ubique.

Resp. Nego conseq. Nam Scriptura asserit Deum esse in Cœlo, non quia solùm est in Cœlo, sed quia est in Cœlo modo specialissimo, ratione scilicet effectus specialissimi, & præstantissimi, quem ibi producit, nempe gloriæ, & beatitudinis, quam ibi Sanctis communicat, Quamvis igitur Deus, per suam entitatem sit ubique præsens, tamen est specialiter in quibusdam locis, & entibus, ratione scilicet operationis, aut effectus specialis. Sic Deus est specialiter in Templo; quia ibi beneficia specialia, & majora confert: est in justis per gratiam sanctificantem, & complacentiam: in Beatis per gloriam, & suæ felicitatis communicationem: in Christo per unionem hypostaticam. Cœlum vero dicitur sedes Dei: quia ibi opera præstantiora creavit, operationes præstantiores producit, se ipsum clarè manifestat, ibi specialiter regnat, perfectissimè amatur, colitur, & adoratur.

Obj. 2. Decedet Deum esse præsentem rebus fœdissimis. Ergo.

Resp. Nego. Nam hoc non magis Deum dedecet, quàm illum dedecet res illas producere, & conservare. Hæcque dedecentia est merum figmentum imaginationis, & solùm respectu nostri quos res illæ malè afficiunt.

Dico 3. Deus est substantialiter, seu secundùm suam entitatem extra Cœlos undequaque infinitè diffusus.

Prob. 1. Ex Script. 3. Reg, c. 8. *Si Cœlum & Cœli Cœlorum te capere non possunt, quantò magis domus hæc?* Et Job, c. 11. *Excelsior Cœlo est... profundior inferno.* 2. Ex Patribus. Pro omnibus sint S. Gregor. Naz. Apolog. 1. *Deus in Universo est, & extra Universum.* Et S. August. l. 11. de Civit. c. 5. ubi contra quosdam Philosophos disputans, ait: *An fortè substantiam Dei, quam nec includunt, nec determinant, nec distendunt loco; sed eam, sicut de Deo sentire dignum est, fatentur incorporea præsentia ubique totam à tantis locorum extra mundum spatiis absentem esse dicturi sunt, & uno tantùm, atque in comparatione illius infinitatis tam exiguo loco, in quo mundus est, occupatam? Non opinor eos in hæc vaniloquia progressuros.*

Prob. 3. Ratione triplici. 1. Quia illa velut diffusio entitatis divinæ actu infinita undequaque, per quam Deus excedit infinitè hujus universi limites, estque ex se aptus, ut sine ulla sui mutatione physica sit intimè præsens quibuscunque creaturis extra mundum producibilibus in infinitum, est magna perfectio, & vera notio immensitatis divinæ. 2. Si entitas divina non esset infinitè diffusa extra mundum, sed haberet tantùm diffusionem huic mundo correspondentem, esset limitata in sui diffusione æquè ac mundus, ac proinde non esset actu immensa, nec illimitata, ut satis per se patet. 3. Deus potest operari extra mundum modo perfectissimo. Ergo debet esse præsens per suam substantiam extra mundum, ut operetur modo perfectissimo, nempe per immediatam applicationem suæ virtutis, seu potentiæ.

Observa 1. Deus in mundo est in se, & in rebus creatis: extra mundum verò est in se ipso tantùm, quemadmodum erat ante mundi creationem. 2. Deus est infinitè undequaque extra mundum, non per præsentiam localem, seu tanquam in quodam loco reali, nam extra mundum nullus est talis locus, cùm nulla sit creatura; sed per infinitam suæ entitatis diffusionem. 3. Deus est totus in toto loco, & totus in qualibet parte loci, & totus

totus extra omnem locum, & quidem apud se ipsum, & in se ipso. 4. Deus non est extensus formaliter: nam extendi formaliter est habere partes extra partes in ordine ad locum; sed est extensus virtualiter infinitè, quatenus per suam immensitatem coexistit secundùm totam suam entitatem simplicem omni loco, ac creaturæ existenti, & aptus est, ut absque ulla sui mutatione repleat omnia loca, ac spatia possibilia plura, & plura in infinitum, ita ut si infinita loca existerent, illis omnibus præsens adesset tota entitas divina absque ulla sui mutatione.

ARTICULUS VI.

De Immutabilitate Dei.

Nota 1. Immutabilitas est incapacitas mutationis. Mutatio autem propriè dicta fieri debet secundùm aliquid intrinsecum rei, quæ dicitur mutari; ita ut res illa in se ipsa aliter, quàm antea, se habeat, recipiendo scilicet, vel amittendo quidpiam intrinsecum. Mutatio enim extrinseca non est propriè dicta mutatio: nam non impedit, quin res illa eodem modo se habeat in se. Hinc per immutabilitatem divinam intelligitur perfectio, per quam repugnet Deo entitatem, & perfectionem in se de novo recipere, aut priùs habitam in se amittere.

Nota 2. Mutatio est transitus ab uno ad aliud. Triplex est mutationum genus. Primum est secundùm existentiam, quatenus res secundùm suam entitatem potest esse. vel non esse. Secundum est secundùm formam substantialem, vel accidentalem realiter distinctam, cujus accessu, vel recessu res mutari dicatur. Tertia mutatio est secundùm cognitionem, & voluntatem, quæ duplex est. Prima consistit in simplici vicissitudine cognitionum, aut volitionum, quarum una alteri succedit sine ulla contrarietate: altera consistit in successione cognitionum, & volitionum inter se contrariarum, ut, cùm quis cognoscit falsum esse, quod antea judicabat esse verum, vel cùm idem vult, & postea non vult, in iisdem circumstantiis.

Dico. Deus est omnino immutabilis. Est de fide.

Prob. 1. Ex Script. Malach. cap. 3. *Ego Dominus, & non mutor.* Psalm. 101. *Tu autem idem ipse es.* Jacobi cap. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.*

2. Ex Conc. Lateranensi IV. c. 1. Ubi definit Deum esse incommutabilem; & ex Symbolo Nicæno, ubi dicitur: *Eos autem, qui dicunt ... vel creatum, vel mutabilem, vel convertibilem Filium Dei; anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia.* Quæ omnia juxta proprietatem, & vim vocum excludunt à Deo omnem mutabilitatem propriè dictam, nempe intrinsecam. Idem passim docent Patres.

3. Ratione. Quia ens simplex, absolutè necessarium, & in omni genere perfectionis illimitatum, & quo nihil melius excogitari potest, est omnino immutabile, ut per se patet. At talis est Deus, ut constat ex dictis: Ergo Deus est immutabilis. Præterea omnis mutatio involvit imperfectionem: atqui Deus, utpote summè perfectus, & quo nil melius, ac perfectius excogitari potest, est incapax omnis imperfectionis, ergo & omnis mutationis.

Obj. 1. Deo adveniunt novæ denominationes, & relationes, ut Creatoris, Domini, &c.

Resp. Illæ denominationes relativæ non sunt intrinsecæ, sed extrinsecæ Deo: nam petuntur ab extrinseco tantùm, nempe ab entibus à Deo productis, quæ variè Deum absque ulla sui mutatione denominant: sic creatura à Deo producta denominat Deum Creatorem. Sed nunquam Deus per illas de novo aliquid in se aquirit, aut amittit, & sic non mutatur intrinsecè, nec proinde propriè. Sic hanc objectionem diluit S. Augustinus, l. 5. de Trinitate, c. 16. *Nummus cùm dicitur pretium, relativè dicitur, nec tamen mutatus est, cùm esse cæpit pretium, neque cùm dicitur pignus, & siqua sunt similia. Si ergo numus potest nulla sui mutatioe toties dici relativè, ut neque cùm incipit dici, neque cùm desinit, aliquid in ejus natura,*

tura, vel forma, qua nunmus eſt, mutationis fiat; quantò facilius de illa incommutabili Dei ſubſtantia debemus accipere, ut ita dicatur relativè aliquid ad creaturam, ut quamvis temporaliter incipiat dici, non tamen ipſi ſubſtantiæ Dei accidiſſe aliquid intelligatur, ſed illi creaturæ, ad quam dicitur.

Obj. 2. Deus Petrum impium odit, & poſtea juſtum amat: Ergo mutatur.

Reſp. Nego conſeq. Quia Deus actu unico, ſimplici, invariabili, ab æterno, & pro æterno odit Petrum pro tempore, quo impius eſt; & eum amat pro tempore, quo juſtus eſt. Nam voluntas Divina ab æterno, & pro æterno, actu unico, invariabili, realiter ſimplici, licèt virtualiter multiplici, fertur in omnia objecta ſua ſecundùm omnes modos, ſecundùm quos fertur in illa. Item Deus ab æterno, & pro æterno, actu unico, invariabili, realiter ſimplici, licèt virtualiter multiplici, cognoſcit omnia cognoſcibilia ſecundùm omnes ſuas differentias.

ARTICULUS VII.

De Æternitate DEI.

Nota 1. Æternum in Scriptura ſumitur 1. impropriè, nempe vel pro eo, quod diu duraturum eſt, licèt initium, & finem habeat; ſic Deus, Geneſ. c. 17. pollicetur Abrahæ terram Chanaan in *poſſeſſionem æternam*: vel pro eo, quod extitit multo abhinc tempore, ſic Chriſtus, Geneſ. cap. 49. dicitur *De ſiderium Collium æternorum*, hoc eſt antiquiſſimorum Sanctorum. 2. Minùs impropriè, nempe pro eo, quod initium habuit, ſed non eſt habiturum finem: ſic Sanctorum merces dicitur æterna. 3. Propriè, ac ſtrictè, nempe pro eo, quod nec initium habuit, nec finem habiturum eſt,

Nota 2. Æternitas propriè, ac ſtrictè dicta, eſt duratio carens initio, & fine. Si ſtrictiſſimè ſumatur, ut hìc ſumitur, nempe pro Attributo Divino, eſt duratio abſolutè neceſſaria, carens initio, & fine. Si minùs ſtrictè ſumatur, eſt duratio carens initio, & fine, quamvis non habeat abſolutam neceſſitatem, quales ſunt omnes, & ſoli liberi actus Dei. Duratio autem eſt permanentia rei in eſſe.

Nota 1. Æternitas ſtrictiſſimè ſumpta, à S. Thoma, q. 10. art. 1. definitur poſt Boetium, interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio. Dicitur 1. *Poſſeſſio* ad ejus ſtabilitatem deſignandam: nam quod poſſidetur, firmiter, ac conſtanter haberi ſolet. 2. *Tota ſimul*; quia caret partibus, quarum una fluat poſt aliam. Hinc æternitas eſt duratio ſemper præſens, & excludit præteritum, ac futurum. Econtra tempus eſt quid eſſentialiter ſucceſſivum, quod rectè definitur: ſucceſſiva rerum duratio, quæ initium habuit, & finem habere poteſt. 3. *Vitæ*; quia æternitas non poteſt eſſe, niſi rei viventis, & in viventibus durare, eſt vivere, ſicut deſinere, eſt mori. Hæc autem vox *Vita* non ſolùm operationem, ſed etiam ipſum eſſe, ſeu exiſtentiam ſignificat, nam operari involvit eſſe. 4. *Interminabilis*, hoc eſt, eſſentialiter carens initio, & fine. 5. *Perfecta*, quia eſt independens ab alio, & omnino inamiſſibilis, ac indefectibilis.

Nota 4. Æternitas tempori infinito habenti partes ab æterno, & in æternum ſibi ſuccedentes æquivalet, in ordine ad coexiſtendum temporibus finitis pluribus, & pluribus in infinitum: nam ob carentiam initii, & finis habet amplitudinem virtualem infinitam.

Dico. Deus eſt æternus. Eſt de fide.

Prob. Ex Script. Geneſ. c. 21. de Abrahamo dicitur: *Invocavit ibi Nomen Domini Dei æterni.* Deut. c. 32. *Vivo ego in æternum.* Et l. 2. Machab. c. 1. *Domine Deus omnium Creator, terribilis, & fortis, juſtus, & miſericors; qui ſolus es bonus Rex, ſolus præſtans, ſolus juſtus, & omnipotens, & æternus.*

Idem paſſim docent Patres, & expreſsè definit Concilium Lateranenſe IV. cap. 1. ſuprà citato.

Multiplex ratio id evincit. *Prima.* Æternitas propriè dicta eſt perfectio ſimpliciter ſimplex: ergo ineſt Deo, Enti in omni genere infinitè perfecto. *Secunda.* Illud eſt æternum, quod abſoluta neceſſitate caret initio, & fine, ut patet ex notione æternitatis.

Atqui

Atqui Deus absoluta necessijate caret principio, & fine: nam necessariò, & essentialiter semper existit; cùm sit Ens à se, hoc est, Ens habens plenissimam sufficientiam, & absolutam necessitatem ad existendum independenter ab omni causa producente, & conservante. Ergo Deus est æternus. *Tertia.* Deus est prorsus immutabilis, ut probatum est: ergo nec potuit transire à non esse ad adesse, nec potest transire ab esse ad non esse; nam talis transitus est maxima mutatio. Ita argumentatur S. Augustinus, L. de natura boni contra Manichæos, ubi ait: *Summum bonum, quo superius non est, Deus est. Ac per hoc incommutabile bonum est, & ideo verè æternum, & verè immortale.*

Ex dictis intelliges. 1. In Deo non esse præteritum, & futurum, sed unicum *nunc* semper existens; quia quidquid est in Deo, æternum est, ac proinde totum simul præsens. Quare S. Augustinus, L. 9. Confession. c. 10. de Divina Sapientia ait: *fuisse, & futurum esse, non est in ea, sed esse solùm; quoniam æterna est. Nam fuisse, & futurum esse, non est æternum.* Unde Pater æternus semper verè dicit: *Ego hodie genui te*; nam Filii generatio est æterna æternitate nunc tota simul existente. 2. Deum per suam æternitatem absque ulla sui mutatione determinari formaliter ad coexistendum omni tempori creato, & creabili. 3. Æternitatem propriè dictam soli Deo convenire posse. Nam solus Deus potest habere durationem totam simul, absolutè necessariam, independentem ab alio, & indefectibilem.

ARTICULUS VIII.

De Omnipotentia DEI.

DIco. Deus est Omnipotens. Est de fide. *Prob.* 1. Ex Script. Genes. cap. 17. *Ego Deus Omnipotens.* Et Matth. cap. 19. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* 2. Ex Symbolis Apostolico, & Nicæno, in quibus profitemur nos credere *in Deum Patrem Omnipotentem.* Item Conc. Lateran. IV. cap. 1. cit. 3. Ratione. Ille est omnipotens, qui potest facere id omne, quod non implicat contradictionem: *Deus id potest*; nam posse quidquid *non* repugnat, est magna perfectio, melior qualibet alia incompossibili, ideoque inest Deo. Item alioqui excogitari posset ens melius Deo, nempe ens, quod posset facere id omne, quod non implicat contradictionem.

Porro Omnipotentia Divina est Virtus infinita, quæ potest facere, quidquid non repugnat.

Obj. 1. Deus non potest plura facere, quàm reipsa facit: ergo non est omnipotens.

Resp. Nego antecedens, intellectum de potentia absoluta. Deus equidem non potest potentia ordinaria plura, vel alia facere, quàm facit, quia potentia ordinaria est potentia conjuncta, & quasi alligata Decreto Divino efficaci, à quo applicatur, & determinatur ad productionem rerum creatarum. Deus autem, cùm sit immutabilis, non potest decretum mutare, vel aliud, quod ab æterno non habuerit, efformare; & sine imperio, seu applicatione voluntatis suæ nihil fieri reipsa potest. At Deus potest potentia absoluta facere alia, & plura in infinitum, quàm quæ facit; nam potentia absoluta est potentia secundùm se præcisè considerata, ideoque soluta ab omni decreto, quo alligetur, seu determinetur ad certarum rerum productionem. Potentia autem Divina sic spectata, est infinita tum intensivè, tum extensivè: sive est ipsa omnipotentia spectata præcisè secundùm se: ideoque ut potest id omne, quod non implicat contradictionem. Quare Deus habet potentiam faciendi alia, & plura, quàm quæ facta sunt, & fient, & quidem plura, & plura, atque perfectiora in infinitum: nam excogitari potest ens hac potentia præditum.

Obj. 2. Deus non potest peccare, ergo non est omnipotens.

Resp. Nego conseq. Imò verò quia est omnipotens, ideo non potest peccare. Nam, ut ait S. Thomas, 1. p. qu. 25. art. 3. ad 2. *Peccare est deficere à perfecta ratione: unde posse peccare est posse deficere in agendo, quod repugnat omnipotentiæ. Et propter hoc Deus peccare non potest, quia est omnipotens.*

CA-

CAPUT IV.

De Visibilitate DEI.

ARTICULUS I.

Utrum Deus videri possit intuitivè.

Nota. DUplex distinguitur Dei cognitio, nempe abstractiva, & intuitiva. Cognitio Dei abstractiva est ea, quæ de Deo per creaturas tanquam per medium, seu motivum habetur. Intuitiva est ea, per quam Deus cognoscitur clarè in se ipso, & ut est in se.

Dico. 1. Deus non potest intuitivè videri ab intellectu creato solis naturæ viribus instructo. Est de fide.

Prob. 1. Ex Script. 1 Tim. c. 6 de Deo dicitur: *Qui ..... lucem inhabitat in accessibilem: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Ubi Apostolus negat Deum videri posse naturaliter? nam, 1. Cor. 1. c. 13. Beatis tribuit in cœlo visionem Dei intuitivam. 2. Ex definitione Concilii Generalis Vienensis, qua inter cæteros errores Beguardorum, & Beguinarum hic numero quintus damnatur: *Quod quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata: quodque non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.* 3. Ratione. Quia Dei visio intuitiva longè superat vires omnes, & exigentiam naturæ: nam perfectior est in ratione entis, quam actus fidei divinæ, qui naturæ vires superat, ut fides docet.

Dico 2. Deus videri potest intuitivè ab intellectu creato, adjuto, elevato, & corroborato aliquo supernaturali auxilio: & re, ipsa beati in cœlo vident Deum intuitivè. Est de fide contra Armenos, & quosdam Græcos, existimantes Deum à beatis non videri immediatè in se, sed similitudine quadam.

Prob. 1. Ex Scriptura, 1. Cor. c. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum.* Et 1. Joan. c. 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus? quoniam videbimus eum, sicuti est,* 2. Ex Concilio generali Florentino, in definitione fidei definiente animas discedentes in gratia, & plene purgatas, *in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & unum, sicuti est.* 3. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Augustinus, Epist. 112. c. 5. ubi ait: *Scimus posse Deum videri, quoniam scriptum est: beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* 4. Ratione. Quia intellectus creatus potest naturaliter cognoscere Deum abstractivè ut constat experientia, ac proinde Deus est objectum intellectus creati: unde hic confortatus supernaturali lumine, potest eum cognoscere intuitivè? cùm ad hoc habeat potentiam inchoatam, & nulla in eo appareat implicantia. Nam quamvis inter intellectum creatum, & essentiam divinam nulla sit proportio æqualitatis; est tamen proportio habitudinis, consistentis in capacitate potentiæ versandi circa objectum suum: Deus enim est summum verum, & summè cognoscibile; intellectus vero creatus est intellectivus.

Obj. Scriptura, & Patres dicunt Deum esse invisibilem, & videri non posse ab homine.

Resp. Solùm intelligunt, Deum videri non posse vel oculo corporeo, vel solis naturæ viribus, vel comprehensivè, vel in hac vita, saltem de lege ordinaria. At non negant, imo asserunt Deum in Cœlo videri intuitivè à Beatis ope luminis gloriæ, quamvis non comprehensivè.

Porro lumen gloriæ est auxilium supernaturale, seu habitus intellectualis supernaturalis, quo intellectus elevatur, adjuvatur, corroboratur, & intrinsecè completur ad intuitivam Dei visionem.

ARTICULUS II.

Utrum Deus possit comprehensivè videri, seu comprehendi ab intellectu creato?

Nota. Verbum *comprehendere* duplicem habet significationem. 1. Significat idem, quod assequi terminum; ut, 1. Cor. c. 9. *Sic currite, ut comprehendatis.* Et in hoc sensu Beati dicuntur comprehensores. 2. Significat idem, ac cognoscere objectum, quantùm cognoscibile est, ut hic. Igitur Dei cognitio comprehensiva est ea, quæ perfectè adæquatur ejus cognoscibilitati intrinsecæ, cognoscendo clarè non solùm ejus essentiam, & omnes ejus perfectiones, sed etiam omnes

gradus

gradus perfectionum virtuales, inter ſe virtualiter diſtinctos, & omnia, ad quæ ejus potentia, ac virtus poteſt ſe extendere.

Porro Cognoſcibilitas intrinſeca eſt ea, quæ ſe tenet ex parte objecti, ſeu rei cognitæ, & provenit ex ejus veritate, entitate, perfectione, unde habet, ut poſſit terminare veram cognitionem. Cognoſcibilitas verò extrinſeca eſt ea, quæ ſe tenet ex parte potentiæ cognoſcitivæ, à qua objectum denominatur extrinſecè cognoſcibile.

Dico. Deus comprehendi non poteſt ab intellectu creato, ne quidem de potentia abſoluta. Eſt de fide contra Anomæos, qui docebant Deum comprehendi poſſe, etiam naturaliter, ab homine viatore.

Prob. 1. Ex Scriptura, Jerem. c. 32. *Magnus Conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu.* 2. Ex Patribus docentibus Deum neque in via, neque in patria ab ulla creatura comprehendi poſſe, ut S. Aug. ep. 112. Ambroſius, l. 1. in Lucam, c. 1. S. Cyrillus Hieroſol. Catechef. & alii Patres dicunt ſimpliciter Deum eſſe incomprehenſibilem: quæ vox ſimpliciter dicta, & in ſenſu proprio accepta ſignificat Deum non poſſe abſolutè comprehendi ab ulla creatura. 3. Ex Concilio Lateran. IV. c. 1. ubi eodem modo, & tenore verborum definit Deum eſſe incomprehenſibilem, quo definit eſſe incommutabilem, ideoque etiam de potentia abſoluta.

Ratio eſt, quia nulla intellectio finita poteſt abſolutè adæquare cognoſcibilitatem infinitam; nam ſi infinitum à finito adæquari poſſet, hoc ipſo non eſſet infinitum, ſed finitum: atqui omnis intellectio creata eſt finita, & cognoſcibilitas Dei eſt ſimpliciter infinita; cùm Deus ſit ens in omni perfectione ſimpliciter infinitum. Ergo nulla intellectio creata poteſt abſolutè adæquare cognoſcibilitatem Dei, nec proinde eum comprehendere.

Obj. Intellectus creatus Deum intuitivè videns, videt totum Deum, & omnes ejus perfectiones: ergo Deum comprehendit.

Reſp. nego conſeq. Nam quamvis totum Deum, & omnes perfectiones, quæ ſunt formaliter in Deo, videat, non tamen videt, nec videre poteſt, totaliter, & adæquatè. Nam videre non poteſt omnes gradus virtuales illarum perfectionum, utpote infinitos. Sic intellectus creatus videre non poteſt omnes gradus virtuales Divinæ ſapientiæ, bonitatis, omnipotentiæ: alioqui haberet cognitionem infinitam, quod repugnat. Ad comprehenſionem verò Dei requiritur clara, ac diſtincta cognitio non ſolùm omnium perfectionum abſolutarum Dei, ſed etiam omnium graduum, quos habent illæ perfectiones, & qui ſunt infiniti.

ARTICULUS III.

Utrùm Juſti plenè purgati ſtatim poſt mortem Deum videant?

NOta. S. Irenæus, l. 5. c. 31. Tertull. l. 4. in Marcionem, Vigilantius docuerunt neminem Dei viſione fruiturum, niſi poſt diem generalis Judicii. Idem etiam poſt definitionem Concilii Florentini docent Armeni, & Græci Schiſmatici, & Calvinus, l. 4. inſtit. c. 20. Papias verò Hierapoli in Aſia Epiſcopus ſecundo ſæculo docuit Chriſtum poſt generalem corporum reſurrectionem regnaturum in terris cum Sanctis mille annos. Unde hujus erroris ſectatores dicti ſunt Millenarii, inter quos recenſentur S. Irenæus, Tertullianus, Lactantius, & aliqui alii.

Dico. Animæ juſtorum ſive in corpore, ſive extra corpus plenè purgatæ, ſtatim poſt illorum mortem fruuntur intuitiva Dei viſione. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura, 2. Cor. c. 5. *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in Cœlis.* Ubi per terreſtrem domum Apoſtolus intelligit corpus humanum, & per domum non manufactam, & æternam intelligit beatitudinem cœleſtem, ſeu Dei viſionem intuitivam. Atqui domum illam non manufactam, æternam in Cœlis dicit habituros nos poſt diſſolutionem terreſtris domus noſtræ (nec enim inter utramque medium tempus aliquod ſtatuit) ſi nempe nil aliunde obeſt. Et v. 8. idem Apoſtolus ait: *Bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.* Certè ſi neme videret Deum, niſi

niſi poſt reſurrectionem, non diceret Apoſtolus ſe optare peregrinari à corpore, ut non peregrinetur à Domino: nam poſt mortem ſimul ab utroque peregrinaretur. Item ad Philipp. c. 1. non diceret ſe cupere diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, ſi ſtatim poſt diſſolutionem cum Chriſto eſſe non poſſet, & ejus viſione intuitiva frui.

Prob. 2. Ex Patribus. S. Ignatius Martyr ep. ad Romanos dicit ſe per martyrium proficiſci de mundo ad Deum, & ſe audire vocem ſibi interiùs dicentem: *Veni ad Patrem.* S. Cyprianus in fine libri de exhortat. Martyr. ait: *Quanta eſt dignitas, & quanta eſt ſecuritas exire hinc lætum? . . . claudere in momento oculos, quibus homines videbantur, & mundus: aperire eoſdem ſtatim, ut Deus videatur, & Chriſtus.* Clemens Alexand. l. 5. Stromat. Orig. prologo in cantica; S. Baſil. Homil. in 40. Martyres; S. Chryſoſt. orat. de S. Philogono, & in Pſal. 41. S. Epiphanius hæreſi 77. S. Gregorius Nazianz. orat. de S. Baſilio in fine, cùm ſic alloquitur: *Nos, poſteaquam ex hac vita migraverimus, illic tabernaculis tuis excipias, ut ſimul viventes, & ſanctam, ac beatam Trinitatem, cujus nunc exiguam ſpeciem, & imaginem accepimus, puriùs, perfectiuſque conſpicientes, deſideriis noſtris finem ſtatuamus.* S. Hieronymus, in Pſal. 67. de Chriſto ait: *Cælorum excelſa conſcendens eos, qui in captivitate diaboli tenebantur, ab ſolvit, ac poſt ſe tanquam captivos deductos, æternæ vitæ reſtituit.* S. Gregorius Magnus, l. 36. moral. c. 8. *Ante reſurrectionem Sancti ſingulas ſtolas accipiunt, quia ſola animarum beatitudine perfruuntur. In fine autem mundi binas habituri ſunt; quia cum mentis beatitudine etiam carnis Beati gloriam poſſidebunt.*

Prob. 3. Ex Concilio generali Florentino, quod conſentientibus Græcis, & Latinis, ſic ait in definitione fidei: *Definimus . . . . illorum animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt: illos etiam, qui poſt contractam peccati maculam vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus, ſunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum, & unum, ſicuti eſt.* Conc. Tridentinum eandem veritatem tamquam fidei dogma ſupponit, ſeſſ. 25. ubi ait: *Illos, qui negant Sanctos, æterna felicitate in Cœlo fruentes, invocandos eſſe, impiè ſentire.*

Prob. 4. Ratione, quia animæ peccatorũ ſtatim poſt illorum mortem pœnam damni patiuntur in inferno. Ergo à fortiori animæ Juſtorum, quibus nihil luendum ſupereſt, fruuntur in Cœlo intuitiva Dei viſione, cui pœna damni opponitur: nam Deus non minus, imò magis propenſus eſt ad remunerandum Juſtos, quàm ad puniendum peccatores: idque præſertim cùm Dei viſio intuitiva ſit prorſus independens à corpore.

Solvuntur objectiones contra Dei viſionem ante reſurrectionem.

Obj. 1. Matth. c. 25. Electi in extremo tantùm judicio audient hæc Chriſti verba: *Venite Benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis Regnum à conſtitutione mundi.* Ergo.

Reſp. Hoc intelligitur de beatitudine completa etiam integraliter, quæ tùm animæ, tùm corporis gloriam complectitur. Vel hæc verba ſignificant ſolùm publicam declarationem, & confirmationem ſententiæ ſtatim poſt mortem latæ.

Obj. 2. Matth. c. 20. in parabola operariorum, denarius diurnus, quo ſignificatur merces bonis operibus rependenda, non perſolvitur, niſi ſub veſperam, qua deſignatur mundi finis.

Reſp. Per veſperam deſignatur cujuſque privati ultima dies. Vel ſi per veſperam velis intelligi finem mundi, tunc denarius diurnus ſignificabit mercedem completam integraliter, quæ in animæ, & corporis gloria, ac beatitudine conſiſtit. Adde quòd in parabolis non ſemper attendi debent omnes circumſtantiæ; cùm ſæpe quædam poſitæ ſint ad ornatum, & ad narrationem veriſimilem, ac humanæ conſuetudini accommodatam reddendam; ſed attendi debet ſcopus, ad quem proferuntur.

Obj. 3. Apoc. 6 dicitur: *Vidi ſubtus Altare animas interfectorum propter Verbum Dei.* Ergo animæ Martyrum non ſunt in Cœlo. Ergo, &c.

Reſp. nego conſeq. Quia Joannes capite ſequenti dicit ſe eoſdem Sanctos vidiſſe ſtantes

ante

ante thronum, & in conſpectu agni, amictos ſtolis albis, & palmas in manibus habentes.

Obj. 4. S. Hilarius, in Pſal. 138. ait: *Humanæ iſta lex neceſſitatis, ut ſepultis corporibus, ad inferos animæ deſcendant.* Ergo ſenſit omnes animas Juſtorum deſcendere in limbum, ibique manere uſque ad reſurrectionem corporum.

Reſp. Multi ejus mentem explicant de animabus Juſtorum ante Chriſti in Cœlos aſcenſionem. Sed alii, quia ejus verba generalia ſunt, putant eum in errore Irenæi verſatum fuiſſe.

Obj. 5. S. Chryſoſtomus, Homil. 39. in 1. epiſt. ad Corinth. dicit, quòd licèt animus ſit immortalis, *ſine carne ipſa admirandis illis bonis* (cœleſtibus) *non fruetur.*

Reſp. Solùm vult, non ſolam animam fruituram bonis alterius vitæ: idque dicit, ut probet corporum reſurrectionem. Et vero ipſemet Homil. 3. in epiſt. ad Philipp. aſſerit juſtos eſſe in Cœlis cum Rege ſuo facie ad faciem.

Obj. 6. S. Ambroſius, l. de bono mortis, c. 10. dicit diem Judicii fore diem Coronæ.

Reſp. Loquitur de retributione mercedis completæ non ſolùm eſſentialiter, ſed etiam integraliter, quæ animæ, & corpori publicè coram omnibus danda eſt: illa enim propriè dicitur Corona, quæ victoribus publicè, & cum celebritate datur.

Obj. 7. S. Auguſtinus circa hanc veritatem ſemper dubius fuit: nam, l. 1. retractat. c. 14. ait: *De ſanctis hominibus jam defunctis, utrùm ipſi ſaltem dicendi ſint jam in illa poſſeſſione conſiſtere, meritò quæritur.*

Reſp. Sunt, qui ſentiunt S. Doctorem circa hanc quæſtionem hæſiſſe. Nec mirum, cùm in Scripturis hæc veritas clarè non inveniatur; & traditio circa illam non ſemper ubique ſatis explorata fuerit, nec tunc temporis Eccleſia, cujus eſt Scripturas infallibiliter interpretari, & veras traditiones à falſis diſcernere, hanc quæſtionem definiiſſet. Alii reſpondent S. Auguſtinum dubitaſſe ſolùm, utrùm animæ Juſtorum ante corporum reſurrectionem tam perfectè, ac intensè Deum videant, & poſſideant, quàm viſuræ, & poſſeſſuræ ſunt poſt corporum reſurrectionem, nec ne? Certe tractatu 26. & 49. in Joann. aſſerit Sanctorum animas jam frui vita æterna. Et l. 9. confeſſ. c. 3. de Nebridio amico ſuo mortuo ad Deum loquens ait: *Jam non ponit aurem ad os meum, ſed ſpiritale os ad fontem tuum, & bibit, quantùm poteſt, ſapientiam pro aviditate ſua, ſine fine felix.*

Obj. 8. S. Bernardus, ſerm. 3. de omnibus Sanctis ait: *Advertiſtis tres eſſe ſanctarum ſtatus animarum: primum videlicet in corpore corruptibili, ſecundum ſine corpore, tertium in beatitudine conſummata. Primum denique in tabernaculis, ſecundum in atriis, tertium in domo Dei .... In illam beatiſſimam domum nec ſine nobis intrabunt, nec ſine corporibus ſuis, nec Sancti ſine plebe, nec ſpiritus ſine carne.* Et ſerm. 4. Altare, ſub quo Joannes vidit animas interfectorum, exponit de Chriſti humanitate, quam nunc vident Martyres, poſt diem judicii viſuri divinitatem ipſam.

Reſp. Solùm vult animas ſeparatas à corpore minùs perfectè, ſeu intensè Deum videre, quàm cùm illi poſt reſurrectionem unitæ fuerint: nempe putavit animas propter ſuum naturale recipiendi corporis deſiderium non tam eſſe expeditas ad Dei viſionem, quàm ubi poſt reſurrectionem deſiderium illud expletum fuerit. Nam, ſerm. 19. de variis hæc de Beatis ait: *Hoc jam tertiò hauriunt aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, & nudis, ut ita dicam, oculis divinitatis intuentur eſſentiam, nulla corporeorum phantaſmatum imaginatione decepti.* Et in epiſt. ad fratres de Hybernia S. Malachiam ſic alloquitur: *Abſit, ut tua nunc ò anima ſancta, minus efficax æſtimetur oratio, quando præſenti vividiùs ſupplicare eſt majeſtati, nec jam in fide ambulas, ſed in ſpecie regnas .... ad fontem ipſum charitatis æternæ procumbis, pleno hauriens ore, cujus & ipſa prius ſtillicidia ſitiebas.*

Obj. 9. Joannes Papa XXII. docuit animas Sanctorum non viſuras eſse Deum intuitivè, niſi poſt extremum Judicii diem.

Reſp. Hunc errorem docuit ut Doctor privatus, & eo tempore, quo veritas oppoſita nondum erat ab Eccleſia definita. At non docuit ut ſummus Pontifex, & totius Eccleſiæ Doctor,

ac Rector : nam id nunquam publico diplomate definiit, nec propoſuit toti Eccleſiæ credendum, ut conſtat, quia 1. Benedictus XII. ejus ſucceſſor immediatus in Bulla *Benedictus Deus*, ubi veritatem oppſitam definit, teſtatur Joannem morte præventum non definiviſſe illam quæſtionem. 2. Galliarum Epiſcopi à Carolo VII. in Caſtrum Vicennarum coacti declararunt præſente Paludano Patriarcha Hieroſolymitanto Joannem XXII. nihil unquam de Sanctorum animabus publico diplomate definiiſſe. Hujus autem teſtimonii publi cum inſtrumentum factum eſt, cujus authenticum extat apud RR. PP. Dominicanos Pariſienſes. 3. Villanus, l. 11. cap. 19. Hiſtoriæ de rebus Florentinorum ſcribit Joannem paulò ante mortem coram Cardinalibus declaraſſe, ſibi, cùm de hac re locutus erat, nuſquam propoſitum fuiſſe definire ſuam opinionem: deinde addidiſſe ſibi diſplicere priorem, quam defenderat, ſententiam, ac contrariam amplecti, niſi aliter ab Eccleſia poſtea definiretur. Quam retractationem Villanus teſtatur ſe accepiſſe à fratre ſuo, qui in aula ejuſdem Joannis degebat.

Solvuntur Objectiones Millenariorum.

Obj. 1. Apoc. c. 20. dicitur Angelus ligaſſe diabolum *per annos mille, ut non ſeducat amplius gentes, donec conſummentur mille anni.* Item *Qui non adoraverunt beſtiam .... vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis*, additur: *Hæc eſt reſurrectio prima .... In his ſecunda mors non habet poteſtatem; ſed erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti, & regnabunt cum illo mille annis.*

Reſp. Ad primum ex S. Auguſtino, l. 2. de Civitate, c. 7. Illis mille annis ſignificatur totum tempus, quod à primo adventu Chriſti ad Antichriſti adventum fluet. Quo tempore diabolus ligatus dicitur, quia libera nocendi Juſtis, ac præſertim Prædeſtinatis, facultate caret, quæ tamen amplior concedetur tempore Antichriſti.

Reſp. Ad 2. Mille prioribus annis deſignari totum tempus, quod à primo Chriſti adventu uſque ad extremum diem judicii futurum eſt. Quo tempore Sancti ſecundùm animam cum Chriſto regnabunt in Cœlis per gloriam eſſentialem. Per primam autem reſurrectionem intelligitur beatitudo animæ à corpore ſeparatæ ante Judicium generale futura. Mille verò poſteriores anni deſignant æternitatem futuram poſt ultimum generalis Judicii diem. Nam poſt diem illum Prædeſtinati completa, & integra beatitudine, animæ ſcilicet, & corporis gloria in æternum fruentur. Porrò æternitas in Scriptura interdum diuturno temporis ſpatio deſignatur, quemadmodum diuturnum tempus per æternitatem ſignificatur.

Obj. 2. Multi Patres trium priorum ſæculorum millenariis conſenſerunt.

Reſp. Plures alii Patres in hunc errorem non impegerunt, & veritas oppoſita ſemper conſervata fuit in Eccleſia Romana cum aliis omnibus traditionibus divinis.

Nota. Si ſunt quædam orationes, quibus petitur gloria pro Sanctis, per illas Eccleſia petit, ut illi à nobis, & per totum orbem magis glorificentur: vel petitur pro illis augmentum cujuſdam gloriæ accidentalis.

ARTICULUS IV.

Utrùm omnes Beati æqualiter Deum videant?

DICO. Beati in Cœlo non vident æqualiter Deum; ſed alii aliis perfectiùs vident pro diverſitate meritorum: ideoque Beati non ſunt omnes æqualiter Beati. Eſt de fide contra Jovinianum, Lutherum, & alios Hæreticos docentes æqualem eſſe omnium electorum beatitudinem.

Prob. 1. Ex Scriptura, Joann. c. 14. *In domo Patris mei manſiones multæ ſunt.* Matth. c. 16. *Reddet unicuique ſecundùm opera ejus.* 1. Cor. c. 3. *Unuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem.* Et c. 15. *Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas Stellarum. Stella enim à Stella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum.* Ergo gloria corporis erit inæqualis in electis: ergo etiam gloria animæ; nam gloria corporis commenſuratur gloriæ animæ.

Prob. 2. Ex Patribus. Pro omnibus ſit S. Auguſt. qui, tract. 67. in Joann. ait: *Etſi alius*

alius est alio fortior, alius alio justior, alius alio sanctior; in domo Patris mei mansiones multæ sunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito ... Multæ mansiones diversas meritorum in una vita æterna significant dignitates, &c. Et l. de sancta virginitate, c. 26. *In multis autem mansionibus honoratur alius alio clariùs.*

Prob. 3. Ex Con. Generali Florentino hanc veritatem definiente his verbis: *Definimus illas* (animas) *quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus, sunt purgatæ, in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum trinum, & unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.* Item ex Conc. Trid. sess. 6. can. 32. definiente justum bonis operibus mereri augmentum gratiæ, & gloriæ. Ergo quò plura bona opera justus facit, eò majorem gratiam sanctificantem in hac vita, & in altera majorem gloriam recipit. Ergo cùm inter Justos alii plura bona opera faciant, quàm alii, alii in altera vita majorem gloriam, ideoque perfectiorem Dei visionem, quam alii recipient. Ergo inter Justos in Cœlo regnantes alii perfectiùs, alii minùs perfectè, ideoque inæqualiter Deum vident.

Igitur cùm inter beatos fuerit inæqualitas meritorum, debet quoque esse inter illos inæqualitas mercedis apud justum Judicem, reddentem unicuique secundùm opera ejus: ac proinde lumen gloriæ, quod est principium visionis intuitivæ, & quod commensuratur gratiæ sanctificanti, erit inæquale, seu inæqualiter intensum in illis, & consequenter ipsa visio Dei intuitiva erit inæqualis.

Obj. 1. In parabola operariorum, Matth. c. 20. operariis, qui inæquali tempore laborarunt, æqualis rependitur merces, nempe datur singulis diurnus denarius.

Resp. Scopus hujus parabolæ, non circumstantiæ attendi debent. Scopus autem Christi in hac parabola est ostendere gentiles ad fidem convertendos tantam, imò majorem mercedem in lege gratiæ accepturos, quam acceperunt Judæi, qui totum pondus legis Mosaicæ tulerunt; quia nempe in lege gratiæ Christiani propter uberiores gratias, & majorem charitatem tantum, imò plus merebuntur, quamvis minùs in suavi, ac levi jugo Christi ferendo laboraturi sint. Alii respondent ideo operarios, qui breviori tempore laboraverunt, æqualem mercedem accepisse, quia per breve temporis spatium merita aliorum assecuti sunt, quippe fervore suo brevitatem temporis compensarunt. Sæpe enim fit, ut quis una hora tantum laboret, & efficiat, quantùm alius toto die, ideoque æqualem mercedem mereatur. Quo sensu, Sap. 4. dicitur: *Consummatus in brevi explevit tempora multa.*

S. Augustinus, serm. 59. de verbis Domini per denarium diurnum intelligit vitam æternam, quæ eadem est specie, & duratione in omnibus beatis, quamvis diversa sit quoad gradus, seu intensionem, pro diversitate meritorum.

Nota. Ex S. Chrysostomo, & aliis Scripturæ interpretibus, non omnia in parabolis ponuntur ad aliquid significandum; sed quædam sæpe apponuntur ad ornatum, & verisimilitudinem parabolæ, quatenus ea sic fiunt inter homines, ex quorum factis ducuntur parabolæ. Quare in parabolis semper scopus Christi spectari debet ad intelligendum sensum, & significationem parabolæ, seu id, quod Christus per eam voluit significare, & docere. Hic autem scopus semper in conclusione, seu applicatione parabolæ continetur.

Obj. 2. Omnes Beati vident Deum, sicuti est, ergo æqualiter vident.

Resp. Nego conseq. Quia non vident Deum, quantùm videri potest, sicuti est: unde unus alio perfectiùs Deum videre potest, sicuti est.

Obj. 3. Ens simplex, qualis est Deus, non potest videri inæqualiter: ergo æqualiter ab omnibus videtur.

Resp. Nego antec. Quia cùm Deus sit infinitus, est objectum virtualiter multiplex; & ejus perfectiones infinitæ habent infinitos gradus virtuales, virtualiter inter se distinctos: ac proinde videri possunt secundùm plures, aut pauciores gradus, & magis, vel minùs clarè, pro majore, vel minore intensione luminis gloriæ.

Obj. 4. Si Beati inæqualiter vident Deum, qui minùs perfectè, & clarè vident, non sunt perfectè beati. Falsum conseq. ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Itaque omnes Justi in Cœlo sunt perfectè beati, quia omnes summo bono perfectè quoad essentiam possessionis fruuntur, & eorum appetitus perfectè satiatur, cùm nil ampliùs desiderent. Beati quippe omnes, cùm efficaciter Deum ament plusquàm se ipsos, & omnia ad ejus gloriam referant, efficaciter conformant se voluntati divinæ, qua statutum est inæqualem beatitudinem retribui pro inæqualitate meritorum. Item cùm proximum, sicut se ipsos, perfectissimè diligant, de aliorum majore beatitudine gaudent, nedum *iis* invideant.

Quæres: *Quid Beati videant per visionem beatificam?*

Resp. Beati vident 1. Dei essentiam, Trinitatem Personarum, omnia attributa, quæ creduntur in hac vita, quamvis non videant omnes gradus virtuales horum attributorum, utpote infinitos. 2. Creaturas possibiles secundùm suum esse proprium, alii quidem plures, alii pauciores; cùm alii perfectiùs, & clariùs, alii minùs perfectè, & clarè Deum videant. Nemo tamen videt omnes creaturas possibiles; quia nemo videt omnes gradus virtuales Omnipotentiæ divinæ, utpote infinitos. 3. Decreta divina. 4. Creaturas existentes eò plures, vel pauciores, quò perfectiùs, vel minùs perfectè scientiam visionis intuitivè vident. Cognoscunt tamen omnes Beati omnia singularia, quæ ad ipsos spectant, qualia sunt ea, quæ ad Beatos pertinebant, cùm in terris degerent, & preces, quæ ad eos diriguntur.

CAPUT V.

De Scientia Dei.

NOmine Scientiæ hìc intelligitur cognitio certa, & evidens rei alicujus, sive res illa immediatè in se ipsa, sive in aliquo tanquam medio cognoscatur.

ARTICULUS I.

De Existentia, & Natura Scientiæ Divinæ.

Dico 1. Inest Deo Scientia, qua cognoscit omne cognoscibile. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Psal. 138. *Domine, tu cognovisti omnia.* Esther, c. 14. *Domine, qui habes omnium scientiam.* Et ex aliis textibus infrà laudandis.

2. Ratione. Quia scientia rerum omnium cognoscibilium est perfectio simpliciter simplex: ergo inest *Deo*, Enti in omni genere infinitè perfecto.

Dico 2. Deus sua scientia cognoscit omne cognoscibile modo perfectissimo, quo cognoscibile est, & quantùm cognoscibile est. Omnino constat.

Prob. Quia Deus est infinitè, & perfectissimè intellectivus: alioqui non esset Ens in omni genere infinitè perfectum, & quo nil melius excogitari potest. At ens infinitè, & perfectissimè intellectivum cognoscit omne cognoscibile modo perfectissimo, quo cognoscibile est, & quantùm cognoscibile est. Ergo Deus sic cognoscit omne cognoscibile.

Dico 3. Scientia Dei est infinita, æterna, & immutabilis, seu invariabilis. Est de fide.

Prob. 1. *pars.* 1. Ex Script. Psal. 146. *Sapientiæ ejus non est numerus.* 2. Ratione. Quia Deus habet in omni ratione, quid quid melius est habere, quàm non habere; cùm sit ens, quo nihil melius, ac perfectius in omni ratione excogitari potest. At melius est habere scientiam infinitam, & infinitè perfectam, quàm non habere: ergo Deus illam habet.

Prob. 2. *pars* 1 Ex Script. Prov. c. 8. Sapientia divina de se ipsa ait: *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, &c.* 2. Ratione. Quia intellectus divinus, utpote infinitè perfectus, & intellectivus, ab æterno, & pro æterno completus, & determinatus est ex se ad cognoscendum omne cognoscibile: ergo ab æterno, & pro æterno cognoscit omne cognoscibile. Ergo scientia Dei est æterna. Præterea alioqui Deus non fuisset ab æterno infinitè perfectus in omni genere, & sic non fuisset ab æterno Deus.

Prob. 3. *pars* 1. Ex Script. Jacobi c. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* 2. Ratione. Tùm quia scientia Dei est infinitè perfecta, ac proinde incapax incrementi, & imminutionis, & consequen-

ter

ter est invariabilis. Tùm quia Deus ab æterno, & pro æterno cognoscit omne cognoscibile omni modo, quo cognoscibile est absque imperfectione, cùm ab æterno habeat intellectum infinitè perfectum.

Obj. Deus potest plura scire, quàm sciat; nam potest plura facere, quàm faciat; & si plura faceret, plura sciret, scientia scilicet visionis. Ergo scientia Dei potest augeri, ideoque variari.

Resp. Nego anteced. quia propriè loquendo ille solus potest plura scire, quàm sciat, qui potest aliqua nescire pro aliquo tempore, & ea scire pro alio subsequente. Sicuti ille solus plura scit, quàm ante sciebat, qui antea nesciebat aliqua, quæ postea scit. Deus autem non potest aliqua cognoscibilia non scire ab æterno, & pro æterno; & in præsenti rerum hypothesi, quam elegit, ab æterno scit, quid quid decrevit facere. Quòd si in alia hypothesi plura facere decrevisset, ea ab æterno, & pro æterno sciret.

Porro Deus ab æterno, & pro æterno uno, & eodem actu invariabiliter scit aliqua futura esse pro tali differentia temporis, aliqua fieri pro illa, aliqua facta esse pro ista. Unde solum objectum scientiæ divinæ variari potest.

Dico 4. Scientia Dei est certa, & evidens. Est de fide

Prob. 1. Ex Script. Eccli. c. 23. *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum Abyssi, & hominum corda intuentes in abscondita partes.*

2. Ratione. Quia scientia Dei est infinitè perfecta in omni ratione, ideoque infinitè certa, & evidens. Et alioqui Deus non esset, quid quid melius est esse.

Propter eandem rationem scientia Dei caret omnibus omnino imperfectionibus: cujusmodi sunt pluralitas, & successio actuum, limitatio, & inadæquatio, obscuritas, confusio, incertitudo, hæsitatio, falsitas, aut etiam falsitatis periculum, mutatio, indigentia specierum, & motivorum, &c. Nam alioqui non esset infinitè perfecta.

Dico 5. Scientia Dei est absque omni compositione, discursu, specie impressa, & motivo propriè dicto.

Prob. 1. *pars.* Quia in cognitione divina non est pluralitas realis actuum: nam pluralitas realis est distinctio realis; nulla est autem in Deo distinctio realis; nisi inter personas. Præterea pluralitas realis actuum involvit imperfectionem in illis actibus realiter distinctis: nam per unumquemque illorum seorsim sumptum non omnia cognoscerentur. Item modus cognoscendi omnia per unicum, & simplicem intuitum est longè perfectior, ideoque necessariò convenit Deo.

Prob. 2. *pars.* Nam discursus formalis dicit pluralitatem realem cognitionum, quarum una inferatur ex alia: pluralitas autem realis actuum repugnat Deo. Discursus verò virtualis est progressus virtualis à noto ad ignotum, seu ad non cognitum, saltem æquè clarè: qui consistit in unico actu, quo intellectus assentitur uni objecto propter aliud, tanquam motivum cognoscendi tale objectum. At hoc dicit ignorantiam, & indigentiam motivi in cognoscente, ideoque repugnat Deo infinitè intellectivo.

Igitur scientia Dei est unus, ac simplex intuitus rerum omnium, quas Deus novit. Et Deus semper eadem indivisibiliter cognitione cognoscit principia, & in principiis conclusiones: item causas, & in causis effectus: sed non cognoscit conclusiones propter principia, neque effectus prpoter causas, vel per causas.

Prob. 3. & 4. *pars.* Quia intellectus divinus, utpote infinitè perfectus, & intellectivus, per se completus, ac determinatus est ad sciendum omne cognoscibile, suppositâ sola ejus cognoscibilitate. Ergo scit omne cognoscibile præcisè ex vi suæ perfectionis; & consequenter sine motivo, & sine specie impressa; quæ est qualitas physica objecti vicaria ad ejus cognitionem concurrens, & recepta in intellectu, quem complet. Præterea indigentia motivi, & speciei impressæ, multiplicem imperfectionem involvit.

Dico 6. Scientia Dei est formaliter judicativa.

Prob. Nam cognitio judicativa est cognitio, qua mens certificatur de veritate rei, & de existentia, vel non existentia objecti. At talis est cognitio divina: nam cognitio ejusmodi est me-

melior, quam alia quælibet incompossibilis. Ergo.

Hæc tamen cognitio in Deo est simplex, & expers omnis compositionis terminorum, estque simplex intuitus, quo res videtur, ut in se est, quantùm videri potest, & quo intellectus divinus summè certificatur rem esse id, quod est.

Dico 7. Scientia Dei non est quid realiter, ac entitativè distinctum tùm à Deo, tùm ab intellectu divino. *Est de fide.*

Prob. Quia 1. quidquid est in Deo, Deus est realiter, ac entitativè, ob summam Dei simplicitatem realem. 2. Alioqui Deus, vel intellectus divinus perficeretur per aliquid à se realiter distinctum: & sic non esset per se ipsum infinitè perfectus. Igitur scientia Dei est realiter ipsa Dei substantia, & entitas, se ipsa vitaliter tendens sic in objecta, adeoque per se ipsam est sua virtus intelligendi, & sua intellectio.

Hinc 1. cognitio Dei non producitur ab intellectu divino, nec in eo recipitur tanquam in potentia effectrice, ut fit in nobis. Nihilominùs datur in Deo verè, & proprie intellectus, seu facultas intelligendi: nam hæc virtus est perfectio simpliciter simplex, utpote melior qualibet alia perfectione secum incompossibili. Præterea Deus re vera intelligit, ergo habet *virtutem intelligendi.*

Intellectus tamen divinus distinguitur ratione à scientia divina; nam habet diversos conceptus: alius enim est conceptus entitatis divinæ sumptæ præcisè, ut est vis intelligendi, & alius conceptus entitatis divinæ spectatæ præcisè, ut est intellectio: & quidem cum fundamento in re propter æquivalentiam, seu eminentiam entitatis divinæ, & secundùm analogiam ad creaturas.

Hinc 2. Intellectus divinus non intelligit per productionem speciei impressæ objecti, seu actus repræsentantis objectum, sicut noster intellectus; sed intelligit per simplicem intuitum objecti, sine productione ullius speciei, & actus.

Hinc 3. Scientia Dei non est qualitas, aut accidens physicum, neque habitus consistens in collectione multarum specierum.

Quæres: *Utrùm Deus se ipsum cognoscat perfectissimè, & comprehensivè?*

Resp. Affirm. Est de fide.

Prob. 1. Ex 1. Cor. c. 2. *Spiritus* (DEI) *omnia scrutatur, etiam profunda DEI.* Quæ verba, secundùm expositionem Patrum, significant cognitionem perfectè comprehensivam.

2. Ratione. Quia cognoscere Deum comprehensivè est Deum cognoscere, quantùm cognoscibile est, tum extensivè, cognoscendo omnes ejus perfectiones, omnésque perfectionum gradus virtuales: tum intensivè, omnes ejus perfectiones, earúmque gradus omnes virtuales cognoscendo tanta claritate, quanta cognosci possunt. At Deus sic se ipsum, & omnia cognoscit: nam est perfectissimè, & infinitè intellectivus; & alioqui non haberet, quidquid melius est habere, quàm non habere. Ergo.

Porro Deus per eandem realiter cognitionem cognoscit perfectissimè, & se ipsum, & quidlibet aliud intelligibile, atque etiam ipsam suam scientiam. Nam ea est intellectionis natura, ut non solùm sit objecti perceptio, sed etiam sui ipsius experimentalis cognitio: qui enim intelligit, hoc ipso intelligit se intelligere, habétque conscientiam suæ cognitionis.

ARTICULUS II.

De Divisione Scientiæ Divinæ.

Nota. Quamvis Dei Scientia sit realiter una, ac simplicissima; cùm sit realiter ipsa entitas divina sic tendens in objecta cognoscibilia; est tamen multiplex virtualiter, quatenus secluſis imperfectionibus æquivalet multis scientiis realiter inter se distinctis: ideoque est multiplex Logicè, seu quoad conceptum; nam diversis, & inadæquatis conceptibus à nobis repræsentatur cum fundamento in re: ac proinde etiam diversis nominibus appellatur. Fundamentum autem proximum diversorum conceptuum scientiæ Dei sunt objecta plura, & diversa, quæ cognoscuntur, vel plures cognitiones, quibus æquivalet. Fundamentum verò remotum est ipsius scientiæ infinita amplitudo, ac eminentia, quæ æquivalet, & supereminet omnibus

bus ſcientiis poſſibilibus realiter diſtinctis. Igitur jure merito ſcientia Dei à Theologis in plures ſcientias per conceptus inadæquatos extrinſecè dividitur.

Dico. Scientia Dei dividitur 1. in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, ſcientiam viſionis, & ſcientiam mediam, de quibus infrà.

2. In neceſſariam, & contingentem. Scientia neceſſaria eſt ea, quæ abſolutè non poteſt, nec potuit non eſſe; quia eſt de objecto abſolutè neceſſario, ut de eſſentia divina, de Perſonis divinis, de poſſibilibus, de eſſentia rerum. Contingens eſt ea, quæ abſolutè poſſet non eſſe: quia nempe eſt de objecto contingenti, ſeu quod poteſt non eſſe, ut de actibus liberis Dei, de exiſtentia actuali, præteritione, futuritione abſoluta creaturarum, de actibus liberis futuribilibus ſub aliqua conditione. Nam cùm hæc omnia abſolutè poſſint non eſſe, abſolutè poſſunt non ſciri à Deo; quamvis ex hypotheſi, quòd ſint, non poſſint non ſciri à Deo. Hinc contingentia hujus ſcientiæ petitur ſolùm ab objecto, non à Deo, qui ex ſe eſt eſſentialiter determinatus ad ſciendum omne ſcibile hoc ipſo, quòd eſt ſcibile.

3. In intuitivam, & abſtractivam. Prima eſt cognitio cujuslibet rei exiſtentis, ut exiſtentis, ſive illa res cognoſcatur ut actu exiſtens in tota æternitate, ut Deus: ſive in aliqua tantùm differentia temporis, ut quælibet creatura. Abſtractiva eſt cognitio rerum omnium non ut exiſtentium, ſed tantùm ut poſſibilium, vel ut futuribilium ſub aliqua conditione, ſive aliquando, ſive nunquam exiſtant.

4. In ſpeculativam, & practicam. Scientia Dei ſpeculativa eſt ea, quæ eſt de re non producibili, ſeu factibili, ut cognitio qua Deus ſe ipſum cognoſcit: vel de re producibili, ſed non ut producibilis eſt. Practica eſt ea, quæ eſt de re producibili ut producibili, præſcribendo ſcilicet quid, & quo modo efficiendum ſit.

5. In eam, quæ eſt cauſa rerum, & in eam, quæ non eſt cauſa rerum. Prior eſt ſcientia practica, poſterior ſpeculativa. Scientia autem practica dicitur cauſa rerum, *ſupple*, directiva; quatenus ſcilicet dirigit volitionem divinam, qua Dei potentia executiva ad agendum applicatur. Deus enim non agit cœco modo, nec agit, niſi volens: nec vult, niſi ſciens.

6. In ſcientiam approbationis, & reprobationis. Quæ diviſio petitur ex connotatione actuum voluntatis Dei, cui aliqua placent, alia diſplicent. Scientia approbationis eſt ea, qua Deus cognoſcit ea, quæ ipſi placent, ideoque connotat actum amoris, vel complacentiæ erga objectum cognitum. Unde ſæpe in Scriptura verba *noviſſe*, *ſcire*, idem ſignificant, quod *approbare*, *amare*, *protegere*, ut illud, Pſal. 1. *Novit Dominus viam Juſtorum.* Scientia reprobationis eſt ea, qua Deus cognoſcit ea, quæ ipſi diſplicent: ac proinde connotat actum voluntatis divinæ, quo Deus odit id, quod cognoſcit. Deus autem in Scriptura ſæpe dicitur ignorare ea, quæ tamen per ſcientiam reprobationis cognoſcit, ut Habac. c. 1. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum.* Et Matth. c. 25. *Neſcio vos.* Senſus eſt, quòd Deus ea non ſciat cum complacentia, ſed cum diſplicentia.

ARTICULUS III.

De Scientia ſimplicis Intelligentiæ.

Nota 1. Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt ſcientia abſolutè neceſſaria, qua Deus cognoſcit omnia poſſibilia, præcisè ut poſſibilia ſunt, & rerum omnium eſſentias, ac proprietates; item ea, quæ poſita aliqua conditione neceſſariò exiſterent, præcisè ut neceſſariò extitura ſub illa conditione: ſive hæc omnia exiſtant aliquando, ſive non. Quare objectum hujus ſcientiæ ſunt res non ſolùm merè poſſibiles, ſed etiam res aliquando exiſtentes, ſed ſpectatæ præcisè ut poſſibiles. Nam ſcientia ſimplicis intelligentiæ eſt illa ſapientia, quæ dirigit Deum in ſuis decretis circa productionem rerum. Hæc autem ſapientia Deum dirigere non poteſt circa productionem rerum, quæ exiſtant in aliqua temporis differentia, niſi res ipſas aliquando exiſtentes cognoſcat ut poſſibiles præciſivè: neque enim Deus vult aliquid producere, niſi cognoſcat illud eſſe poſſibile, & habere talem eſſentiam producibilem.

Nota 2. Res possibiles spectari possunt vel secundùm esse proprium, quod haberent, si producerentur: & sic cognitæ dicuntur cognosci cognitione propria. Vel spectari possunt secundùm aliquod esse eminentiale, quod nil aliud est, quàm essentia divina sumpta pro complexo omnium perfectionum. Quæ essentia dicitur esse eminentiale rerum, tum quia illarum omnium perfectiones eminenter continet: tum quia res omnes creatæ sunt participationes quædam essentiæ divinæ.

Nota 3. Possibilia cognosci in se ipsis non est præcisè illa cognosci secundùm esse proprium; sed est illa cognosci non solùm secundùm esse proprium, quod haberent, si producerentur, sed etiam immediatè, seu absque ullo medio.

Dico 1. Deus cognoscit res omnes possibiles, ideoque inest Deo scientia simplicis intelligentiæ. Est de fide.

Prob. 1. Ex Script. Rom. c. 4. *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt.* Certè si Deus ea, quæ non sunt, vocat perinde, ac ea, quæ sunt, tam novit ea, quæ non sunt, quàm ea, quæ sunt: nam quæ non cognoscuntur, vocari non possunt.

2. Ratione. Quia Deus perfectè comprehendit omnipotentiam suam, sicut omnia alia attributa. Ergo cognoscit omnia, quæ producere potest omnipotentia divina: nam virtus aliqua perfectissimè cognosci nequit, quin cognoscantur ea omnia, ad quæ virtus illa valet.

Dico 2. Deus cognoscit res omnes possibiles cognitione propria, hoc est, cognitione distinctè repræsentante singulas secundùm esse proprium, quod haberent, si producerentur. Ita Theologi communiter.

Prob. 1. Ex Script. Heb. c. 4. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus.* Certè si Deus non cognosceret omnia possibilia secundùm propriam entitatem, quam haberent, si producerentur, non omnia nuda, & aperta essent oculis ejus: nam ignoraret innumeras entitates proprias creaturarum, quas producere potest.

Prob. 2. Multiplici ratione. 1. Sic: creaturæ possibiles à Deo produci possunt secundùm suum esse proprium. Ergo secundùm suum esse proprium ab eo cognoscuntur; nam sapiens artifex, præsertim liberè agens, debet priùs cognoscere opus suum cognitione distincta: unde illud Psal. 103. *Omnia in sapientia fecisti.* 2. Deus perfectissimè comprehendit suam omnipotentiam: ergo distinctè novit omnia, quæ potest sua omnipotentia, ideoque entitates proprias rerum possibilium, quas illa potest producere. 3. Deus cognoscit omne cognoscibile omni modo, quo est cognoscibile sine imperfectione cognoscentis: nam Deus est perfectissimè, & infinitè intellectivus. Atqui res possibiles sunt cognoscibiles secundùm suum esse proprium sine imperfectione cognoscentis: nam de illis sic spectatis multa enuntiari possunt. Ergo. 4. Deus in sua essentia habet rerum omnium species, non quidem formaliter, sed æquivalenter, & eminenter; quatenus essentia divina continens modo perfectissimo rerum omnium perfectiones, æquivalet rerum omnium *speciebus propriis possibilibus in ordine* ad illas repræsentandas. Ergo Deus in sua essentia distinctè videt entitates proprias rerum omnium possibilium, quas haberent, si producerentur. *Consequentia valet.* Nam si haberemus speciem propriam rei possibilis, illam cognosceremus secundùm ejus esse proprium: sicut cognoscimus hominem mortuum secundùm suum esse proprium, quod habuit, licèt non magis nunc sit relatè ad nos, quàm si nunquam fuisset; quia nempe habemus speciem illius propriam, eámque similiter cognosceremus, etiamsi postea annihilatus fuisset.

Obj. 1. Ex S. August. l. 83. quæstionum. qu. 46. Deus nihil extra se ipsum intuetur.

Resp. Hoc non dicit, sed hæc ibi ait: *Non enim extra se quidquam positum intuebatur, ut secundùm id constitueret, quod constituebat* Solùm igitur S. Doctor significat, quòd Deus, cùm creaturas produceret, nihil extra se aspiceret tanquam exemplar faciendorum, & ad cujus imitationem operaretur. Habet quippe Deus in mente sua ideas, seu species rerum

rerum omnium, hoc est, cognitionem distinctam essentiæ, proprietatum, & entitatum rerum omnium producibilium.

Obj. 2. Si Deus cognosceret creaturas, cognitio divina specificaretur ab illis. Falsum consequens. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Quia creaturæ nec movent, aut determinant ad sui cognitionem, nec cum intellectu divino concurrunt sive per se, sive per species proprias ad sui cognitionem. Nam à Deo cognoscuntur independenter ab omni motivo, & specie, & ex sola perspicacia intellectus divini.

Obj. 3. Objectum cognitum est perfectio cognoscentis. Ergo Deus perficeretur à creaturis, si eas cognosceret, quod falsum est.

Resp. Nego anteced. Nam sola cognitio est formaliter perfectio cognoscentis, ut cognoscentis. Tamen ex S. Thoma objectum cognitum est perfectio cognoscentis, non quidem secundùm se, sed secundùm suam speciem impressam, quæ recipiatur in intellectu tanquam forma, & perfectio ipsius. At cùm Deus non cognoscat creaturas per species proprias illarum in se receptas, nullatenus perfici potest à creaturis cognitis.

Obj. 4. Possibilia proprium esse non habent. Ergo non cognoscuntur secundùm suum esse proprium.

Resp. Nego consequ. Quia possibilia possunt habere esse proprium; nam Deus producere potest proprium esse possibilium. Deus autem cognoscit possibilia secundùm suum esse proprium, non quod actu habent, sed quod possunt habere, & reipsa haberent, si producerentur.

Dico 3. Deus possibilia cognoscit in se ipso, seu in sua essentia, ut objecto ratione priùs cognito. Ita communiter.

Prob. 1. Ex S. Dionysio, l. de divinis Nominibus, c. 7. ubi ait: *Se ipsam ergo cognoscens divina Sapientia, novit omnia.*

2. Ex S. Thoma hic, qu. 14. artic. 6.

3. Ratione. Quia essentia divina perfectè cognita potest esse medium, seu ratio cognoscendi possibilia, ut continens in se modo quodam excellentissimo omnes, & singulas perfectiones omnium creaturarum. Nam se habet ad omnes creaturas ut actus perfectus ad imperfectos: ideoque se habet ad omnes creaturas ut illarum similitudo quædam, & imago perfectissima: actus enim perfectus est similitudo actuum imperfectorum, quos in se aliquo modo continet. Unde essentia divina per se ipsam æquivalenter est sui, & creaturarum species, quatenus est per se ipsam ratio intellectui divino videndi ipsam, & creaturas: seu quatenus se ipsam, & creaturas ita exhibet intellectui divino, ut hoc ipso ipsa videatur, & in ea visa tanquam in speculo videantur creaturæ.

Item essentia divina perfectè cognita, est ratio distinctè cognoscendi omnia possibilia, ut illorum idea propria objectiva: quatenus essentia divina est quodam modo participabilis à creaturis, & creaturæ sunt participationes quædam essentiæ divinæ, sumptæ scilicet pro cumulo omnium perfectionum infinitarum. Nam (ut ait S. Thomas, qu. 14. art. 6. ad 3.) *Divina essentia est aliquid excedens omnes creaturas: unde potest accipi ut propria ratio uniuscujusque, secundùm quod diversimodè est participabilis, vel imitabilis à diversis creaturis.* Idea autem, seu ratio propria objectiva rei est propriè illius exemplar, & imago, ideoque medium, seu ratio illam perfectè cognoscendi.

Præterea omnipotentia divina perfectè cognita, est ratio cognoscendi possibilia. Nam omnipotentia perfectè cognosci non potest, quin perfectè cognoscatur connexio, quam habet cum omnibus, & singulis possibilibus, ut illorum virtus productiva; nec ejusmodi connexio perfectè cognosci potest, quin perfectè, ideoque distinctè cognoscantur ipsa possibilia. Ergo Deus perfectè suam omnipotentiam cognoscendo, cognoscit possibilia in illa, ideoque in se ipso, ut medio ratione priùs cognito.

Obj. 1 Repugnat Deum habere medium cognitionis. Ergo Deus non cognoscit possibilia in se ipso ut medio.

Resp. Repugnat Deum habere medium illationis, non verò medium simplicis ostensionis. Medium quippe illationis est illud, quod cognitum inducit in cognitionem alterius

rius objecti priùs igno i. Unde ex illius cognitione ſequitur cognitio alterius: ſic ex cognitione creaturarum infertur cognitio Creatoris. Tale autem medium repugnat Deo, quia pluralitatem actuum, & imperfectionem involvit. Medium ſimplicis oſtentionis eſt illud, in quo ſine diſcurſu aliud cognoſcitur eadem cognitione. Hoc autem medium, cùm nullam involvat imperfectionem, convenire poteſt Deo.

Obj. 2. Deus *non* priùs cognoſcit ſuam omnipotentiam, quàm poſſibilia.

Reſp. Deus omnipotentiam ſuam non priùs tempore, vel natura, ſed ſolùm priùs ratione cognoſcit, quàm poſſibilia. Nam aliquid cognoſcere priùs tempore, quàm aliud, eſt illud cognoſcere aliquo inſtanti, quo nondum cognoſcitur alterum: cognoſcere priùs natura, eſt ex cognitione unius inferre, ſeu elicere cognitionem alterius, ſive eſt per cognitionem unius determinari ad cognitionem alterius: quæ prioritates temporis, & naturæ imperfectionem involvunt in cognoſcente, ideoque repugnant Deo. At cognoſcere priùs ratione ex parte objecti eſt unum eſſe rationem cognoſcendi aliud per eandem cognitionem; ita ut illud per ſe immediatè, ac directè cognoſcatur, aliud verò mediatè, indirectè, & per ipſum cognoſcatur. Deus autem *ſic priùs cognoſcit omnipotentiam* ſuam, quàm poſſibilia. Nam cognoſcendo ſuam omnipotentiam, ſimul per illam cognoſcit res poſſibiles propter connexionem, quam habet cum illis. Unde fit, ut omnipotentia concipiatur à nobis ut ratio cognoſcendi res poſſibiles.

Quæres: *Utrùm Deus cognoſcat impoſſibilia, entia rationis merè fictitia, & non entia?*

Reſp. Affirm. Nam hæc omnia cognoſcibilia ſunt. Poſſunt enim ab homine cognoſci, verbis ſignificari, & de illis multa enuntiari poſſunt. Præterea Ens ſummè, & infinitè intellectivum non ſolùm cognoſcit, quidquid fieri poteſt, ſed etiam quidquid fieri non poteſt, quidquid à quocunque intellectu fingi, ac cogitari poteſt; item cognoſcit omnes veritates tum affirmativas, tum etiam negativas: item non ſolùm quid res quælibet ſit, ſed etiam quid non ſit.

Porro impoſſibile habet cognoſcibilitatem extrinſecam, petitam ſcilicet ab intellectu, à quo cognoſci poteſt. Mens tamen divina non fingit; ſed novit, quidquid à creatura fingi poteſt.

ARTICULUS IV.

De Scientia Viſionis.

§. I.

Prænotanda.

I. SCientia Viſionis eſt ea, qua Deus cognoſcit ſe ipſum, & alia omnia, quæ in aliqua temporis differentia exiſtunt, & quidem præcisè quatenus exiſtunt: ſive eſt cognitio rerum omnium exiſtentium præcisè ut exiſtentium. Quare hæc ſcientia eſt partim neceſſaria, & partim contingens: eſt abſolutè neceſſaria, quatenus eſt cognitio Dei exiſtentis: eſt contingens, quatenus eſt cognitio creaturarum exiſtentium. Item complectitur res omnes, quæ ſunt, fuerunt, & erunt. Unde reſpectivè ad creaturas diverſa ſortitur nomina, pro diverſa temporis differentia, qua res creatæ exiſtunt. Nam reſpectu rerum futurarum, quas tota æternitate antecedit, dicitur præſcientia: reſpectu præteritarum dicitur memoria: reſpectu rerum actu exiſtentium retinet nomen viſionis.

II. *Præſcientia, memoria, & viſio* ſunt una, & eadem realiter in Deo cognitio. Nam Deus ab æterno una, & eadem realiter cognitione cognoſcit rem creatam pro tali tempore futuram, pro alio exiſtentem, pro alio præteritam eſſe. Tamen Logicè, ſeu quoad conceptus noſtros, hæc tria à nobis diſtinguuntur cum fundamento in re. Nam ſcientia viſionis ſic eſt una, & ſimplex realiter, ut tamen ſit virtualiter multiplex; æquivalet enim diverſis, & diſtinctis realiter cognitionibus intellectus noſtri, quarum una rem pro tali tempore futuram, altera pro tali tempore exiſtentem, tertia pro tali tempore præteritam cognoſceret. Quare ſcientia viſionis poteſt præcisè conſiderari modò, ut æquivalet uni cognitioni; modò, ut æquivalet alteri; eſt tamen unicus, ac ſimplex realiter intuitus æternus rei ut exiſtentis reſpectu temporis,

poris, quo existit, futuræ respectu temporis ipsam antecedentis, & præteritæ respectu temporis eandem rem subsequentis.

III. Absolutè futurum, quod solùm est propriè futurum, est id, quod non est, sed aliquando erit, ita ut tandem aliquando verum sit dicere: est. Dividitur in liberum, & necessarium. Futurum liberum est illud, quod erit à causa liberè agente, id est, à causa, quæ completa, & expedita ad illud ponendum, poterit illud non ponere. Futurum necessarium est illud, quod erit à causa necessaria, id est, à causa, quæ completa ad agendum, non poterit illud non ponere.

Porrò futurum stricte contingens idem est, ac futurum liberum; & futurum latè contingens idem est, ac futurum necessarium, quod nempe erit à causa, quæ licèt sit ad unum determinata, potest tamen ab aliis causis naturaliter impediri. Contingens autem generatim est id, quod potest esse, vel non esse.

Item futurum liberum aliud est, quod pendet à solo Deo; qualia sunt omnia, quæ Deus solus facturus est ad extra: & aliud, quod tum à Deo, tum à creatura libera pendet, quales sunt omnes actus liberi hominum; & Angelorum.

IV. Futuritio duplex distinguitur, nempe formalis, & causalis. Futuritio formalis, quæ sola est propriè dicta futuritio, est ea, qua res secundùm se est, & denominatur futura: nihilque aliud est, quàm ipsamet entitas rei, quæ nondum existit, sed existet. Nam eo ipso res est futura simpliciter, quod verum est, entitatem rei non existere, sed extituram esse: & tamdiu res est futura, quamdiu verum est, entitatem ejus non existere, sed extituram esse. Hinc denominatio futuri est aliquid independens à mente nostra, ideoque in hoc saltem sensu realis: nam nemine cogitante verum est dicere: entitas talis rei nondum est, sed erit. Imò denominatio, seu forma futuri est etiam aliquid physicum, nondum tamen existens: est enim ipsa entitas rei nondum existens, sed extitura. Futuritio verò causalis est causa rei futuræ, seu id, à quo res futura habebit, ut existat.

§. II.

Dico 1. Deus omnia præsentia, & præterita cognoscit. Est de fide.

Prob. 1. Ex Script. Hebr. c. 4. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus.* Quæ verba generalia sunt, ac proinde tam præterita, quàm præsentia significant. Et Psal. 138. *Tu cognovisti omnia novissima, & antiqua.* Id est, præsentia, & præterita.

2. Ratione. Quia Deus cognoscit omne cognoscibile; cùm ejus scientia sit infinita in ratione scientiæ: præterita autem perinde, ac præsentia sunt cognoscibilia, ut experientia constat. Præterea alioqui Deus non haberet in omni ratione, quidquid melius est habere, quàm non habere: ideoque non esset Ens, quo nil melius cogitari potest

Dico 2. Deus cognoscit omnia absolutè futura tum necessaria, tum etiam libera, & quæ ab ipso simul, & à creatura intellectuali pendent. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Eccli. cap. 23 *Domino Deo, antequam crearentur, omnia sunt agnita.* Et cap. 49. *Opera omnis carnis coram illo, & non est quidquam absconditum ab oculis ejus. A sæculo usque in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu ejus.* Si Deus novit opera omnis carnis, id est, omnium hominum: ideoque existentium, præteritorum, & futurorum, & si nihil est absconditum ab oculis ejus, certè novit omnia opera futura libera creaturarum. Et Psalm. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longè..... & omnes vias meas prævidisti.* Daniel. c. 13. *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, antequam fiant, tu nosti, quoniam falsum testimonium tulerunt contra me.*

2. Ex Patribus; pro omnibus sit S. August. l. 5. de Civit. c. 9. ubi ait: *Confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est.* Et infrà: *Qui enim non est præscius omnium futurorum, non est utique Deus.*

3. Ratione. Deus certò, & infallibiliter cognoscit omne cognoscibile, cùm sit per-

fectiſſimè, & infinitè intellectivus. Atqui quælibet abſolutè futura, etiam libera, ſunt cognoſcibilia: nam ſunt enuntiabilia; & de illis enim fieri poſſunt propoſitiones aliæ veræ, aliæ falſæ. Ergo Deus cognoſcit abſolutè futura, etiam libera. Præterea certa infallibilis cognitio omnium abſolutè futurorum, etiam liberorum, eſt magna perfectio, quæ non eſt incompoſſibilis cum alia æquali, aut majore: & requiritur ad perfectiſſimam providentiam, ac gubernationem Univerſi. Ergo Deus illam habet: alioqui non eſſet Ens, quo nihil melius, ac perfectius excogitari poteſt.

Ex dictis intelligis, ſcientiam viſionis eſſe de fide, cùm ſit de fide, Deum ſe ipſum, & omnia alia exiſtentia in aliqua differentia temporis certò ſcire.

Deus autem ab æterno, & pro æterno cognoſcit, quidquid cognoſcit, proindeque actus omnes futuros, & exiſtentes pro ea differentia temporis, pro qua re ipſa exiſtunt; nam ſcientia Divina eſt æterna, & immutabilis, ac invariabilis.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. S. Hieronymus, in cap. 1. Habacuc ait: *Abſurdum eſt, ad hoc Dei deducere Majeſtatem, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quotque moriantur: quæ cimicum, & pulicum, & muſcarum ſit in terra multitudo; quanti piſces in aqua natent, & qui de minoribus majorum prædæ cedere debeant.* Ergo ex S. Doctore Deus non novit omnia præſentia, nec à fortiori futura.

Reſp. Nego conſeq. Quia ibi non loquitur de cognitione ſimpliciter ſumpta, ſed ſolùm de cognitione conjuncta cum ſpeciali benevolentia, cura, & providentia, quam Deus habet erga creaturas rationales. Nam poſt verba objecta ſic proſequitur. *Non ſimus tam fatui adulatores Dei, ut cùm potentiam ejus ad ima detrahimus, in nos ipſos injurioſi ſimus: eandem rationabilium, quam irrationabilium providentiam eſſe dicentes, &c.* Et verò negare cognitionem diſtinctam, & providentiam Dei circa res minimas eſt manifeſtus error, & contra illud, Job cap. 28. *Omnia, quæ ſub Cœlo ſunt, reſpicit.* Et contra illud Chriſti, Matth. c. 10. *Nonne duo paſſeres aſſe veneunt, & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? Veſtri autem capilli omnes numerati ſunt.*

Obj. 2. Si Deus novit libera abſolutè futura, vel ea neceſſariò novit, vel non? Neutrum dici poteſt. Ergo.

Reſp. Nego min. Et dico, Deum libera abſolutè futura præſcire neceſſariò, ex hypotheſi, quòd ſint abſolutè futura. Nam Deus non poteſt non præſcire ea, quæ futura ſunt; cùm habeat vim intelligendi infinitam, & per illam ſit completus, ac determinatus ad cognoſcendam omnem veritatem. At Deus non cognoſcit ea neceſſariò abſolutè, ſed ſolùm hypotheticè: nam non præſciret libera futura, ſi non eſſent futura, ut poſſunt non eſſe futura, cùm ſint contingenter, & liberè futura.

Inſt. 1. Ergo ineſt Deo ſcientia contingens.

Reſp. Ita eſt. Verùm illa contingentia non eſt imputabilis intellectui divino, ſed ſoli objecto. Nam ſuppoſita rei futuritione, intellectus divinus non poteſt non præſcire rem illam futuram; cùm ex propria perfectione ſummè completus, ac determinatus ſit ad ſciendam omnem veritatem. Quare præſcientia futurorum eſt contingens in hoc ſolo ſenſu, quòd quia res futuræ ſic ſunt futuræ, ut poſſent non eſſe futuræ, ſic à Deo præſciuntur ab æterno futuræ, quia revera futuræ ſunt, ut ſi non eſſent futuræ, à Deo præſcirentur ut non futuræ. Quod maximam dicit perfectionem in intellectu divino, quem ſummè repugnat cognoſcere res aliter, quàm ſunt in ſe.

Inſt. 2. Scientia viſionis eſt Deus ipſe, ergo eſt abſolutè neceſſaria.

Reſp. Diſting. antec. Scientia viſionis eſt Deus ipſe terminativè ſumptus, ſeu entitas Dei, quatenus eſt repræſentatio, quæ terminatur ad talia objecta creata, *conc. antec.* eſt Deus ipſe ſimpliciter, & abſolutè ſumptus, *nego*

nego antec. Entitas autem Dei ſic eſt repræſentatio objecti ut futuri, ut potuerit eſſe repræſentatio ejusdem objecti ut non futuri, quia illud objectum potuit non eſſe futurum.

Obj. 3. Libera abſolutè futura non habent determinatam veritatem; ergo non poſſunt cognoſci.

Reſp. Nego anteced. Nam nunc verum eſt dicere: erunt pro tali tempore. Equidem illa non ſunt nunc determinata ad eſſe, ſed determinabuntur. Item cauſa illorum nondum eſt ad agendum determinata, ſed ſe ipſa determinabit ad talem actum. Unde determinatè verum eſt nunc dicere: talis cauſa ſe determinabit ad talem actum: proindéque talis actus erit pro tali tempore.

Obj. 4. Si futura libera præſciuntur à Deo, jam illa futura non erunt liberè futura. Falſum conſeq. Ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Quia præſcientia futurorum eſt merus intuitus ſpeculativus illorum, ipſa præſupponens, non efficiens, nec immutans, nec ullo pacto in illa influens, nec quidquam circa illa operans: ſicut viſio noſtra non immutat rerum viſarum naturam, nec in illas influit. Nam (ut docent Patres) non ideo res liberæ futuræ ſunt, quia Deus præſcit illas eſſe futuras, ſed econtrà ideo Deus præſcit illas eſſe futuras, quia futuræ ſunt. Quare præſcientia Dei, cum futura præſupponat, nullatenus influit in illa, nec ullatenus eſt illorum cauſa; ſed ſe habet inſtar ſpeculi repræſentantis ea, quæ ei objiciuntur, & eo modo, quo objiciuntur, nullatenúsque influentis in ea, quæ repræſentat. Sicut igitur ſpeculum non impedit, nec tollit libertatem motuum, quos repræſentat, quia illos præſupponit, nec ullatenus in illos influit: ſimiliter præſcientia divina non impedit, nec tollit libertatem actuum, quos repræſentat, quippe quæ eos ſupponit, & nullatenus in illos influit.

Imò verò præſcientia divina libertatem actuum aſtruit, & infert, nedum illam tollit. Nam ſi Deus præſcit libera futura, repugnat, ut non ſint liberè futura. Deus enim non ſolùm præſcit objectum liberum futurum, ſed etiam modum, quo futurum eſt: ac proinde præſcit libera futura, liberè futura eſſe. Unde cùm præſcientia Dei falli abſolutè nequeat, actus liber præſcitus ut futurus non poteſt non eſſe liberè futurus. *Non igitur per ejus præſcientiam mihi poteſtas adimitur, quæ propterea mihi certior aderit; quia ille, cujus præſcientia non fallitur, adfuturam mihi eſſe præſcivit*, ait S. Auguſtinus, lib. 3. de libero arbitrio, c. 3.

Inſt. 1. Si Deus præſcit libera abſolutè futura, illa neceſſariò futura ſunt: ergo non erunt libera.

Reſp. Diſting. antec. Neceſſariò futura ſunt neceſſitate conſequenti, & hypothetica, *conc. antec.* Neceſſitate antecedenti, *nego antec. & conſeq.* Illud eſt neceſſarium neceſſitate antecedenti, quod evenit independenter à libera determinatione voluntatis, ita ut non poſſit non eſſe à cauſa completa ad agendum. Illud eſt neceſſarium neceſſitate conſequenti, quod fit dependenter à determinatione libera voluntatis, ſed qua poſita illud non poteſt non eſſe. Unde neceſſitas conſequens præſupponit, & arguit libertatis exercitium.

Igitur quamvis objectum liberum præſcitum à Deo, putà peccatum Antichriſti, ſit infallibiliter futurum; cùm præſcientia Dei falli nequeat; non eſt tamen neceſſariò futurum, niſi neceſſitate conſequenti; quia non eſt futurum, niſi dependenter à libera determinatione voluntatis Antichriſti: nec præſcitur, niſi ex ſuppoſitione, quæ eſt in ejus poteſtate, nempe ex ſuppoſitione, quòd velit ſe determinare ad peccatum. Nam ideo præſcitum eſt à Deo, quia futurum eſt dependenter à libera determinatione Antichriſti. Sic cùm video Petrum occidentem inimicum, Petrus neceſſariò occidit, ſed neceſſitate conſequente: nam non video illum occidentem, niſi quia ſe determinavit ad occiſionem inimici; ſi autem occidit, non poteſt non occidere; nam non poteſt ſimul occidere, & non occidere. Idem eſt de præſcientia Dei circa actus liberos creaturarum, ſecluſis imperfectionibus.

Inſt. 2. Peccatum à Deo præſcitum non poteſt abſolutè non evenire; alioqui præſcientia

tia Dei posset absolutè falli: ergo est necessariò futurum necessitate antecedenti.

Resp. Nego anteced. Nam Deus præscit simul peccatum futurum esse, & posse absolutè non esse futurum. Nam præscit actus liberos futuros, esse liberè futuros; actus enim liberi futuri non possunt non esse futuri, nisi liberè: ideoque Deus præscit illos ita futuros esse, ut possint absolutè non esse futuri.

Inst. 3. Si peccatum præscitum ut futurum non esset futurum, falleretur præscientia Dei. Ergo si peccatum præscitum potest absolutè non esse futurum, præscientia Dei potest absolutè falli.

Resp. 1. Nego anteced. Quia falsum, imò impossibile supponit, nempe supponit, peccatum esse futurum, & non esse futurum: nam supponit præscitum ut futurum, ideoque futurum: & postea adhuc supponit non futurum. Unde hæc suppositio se ipsam destruit.

Resp. 2. Omisso antecedente, nego conseq. Ratio disparitatis est, quia si peccatum præscitum ut futurum, non esset futurum, oppositum ejus, quod Deus præscivit, eveniret, & sic præscientia Dei falleretur. At verò si peccatum præscitum ut futurum posset absolutè non esse futurum, non ideo oppositum ejus, quod Deus præscivit, eveniret: quia Deus simul præscit, & peccatum futurum esse, & posse absolutè non esse futurum; cùm præsciat esse liberè futurum: ac proinde ejus præscientia non fallitur, nec falli potest eo, quòd peccatum præscitum possit absolutè non esse futurum; imò falleretur, si illud non posset absoluuè non esse futurum.

Inst. 4. Ergo Antichristus potest non pecare in sensu composito præscientiæ peccati, seu stante præscientia peccati.

Resp. Disting. Id est, stante præscientia ejus peccati habet veram potentiam non peccandi, *conc.* id est, potest conjungere omissionem peccati cum ipsa præscientia peccati, *neg.* nam non potest conjungere omissionem peccati cum ipso peccato, nec proinde cum ipsa peccati præscientia, quæ peccatum necessariò supponit. Quamvis autem Antichristus in sensu composito præscientiæ, seu stante præscientia divina ejus peccati, habeat veram potentiam non peccandi, non potest tamen falsificare præscientiam illam. Nam posse falsificare præscientiam peccati, non est posse non peccare: ipsa enim præscientia repræsentat simul & peccatum, & potentiam non peccandi; cùm repræsentet peccatum liberè committendum; sed falsificare præscientiam peccati est posse conjungere omissionem peccati cum præscientia peccati. At Antichristus licèt possit non peccare, non potest tamen conjungere omissionem peccati cum præscientia peccati. Ergo licèt possit non peccare stante præscientia peccati, non potest tamen falsificare præscientiam peccati. *Prob.* min. posse conjungere omissionem peccati cum ipsa præscientia peccati, est posse conjungere omissionem peccati cum ipso peccato; nam præscientia supponit peccatum: Atqui Antichristus, licèt habeat veram potentiam non peccandi, non potest tamen conjungere omissionem peccati cum ipso peccato; quia sunt duo contradictoria: ergo nec potest conjungere omissionem peccati cum ipsa præscientia peccati.

Inst. 5. Omnis potentia potest reduci ad actum Ergo si Antichristus stante præscientia peccati habet potentiam non peccandi, potest eam reducere ad actum cum ipsa præscientia.

Resp. Disting. anteced. Omnis potentia potest ad actum reduci eo modo, quo actus est possibilis, *conc. antec.* alio modo, *nego anteced.* actus autem potentiæ non peccandi, nempe omissio peccati, non est possibilis conjungi cum positione ejusdem peccati, nec proinde cum præscientia peccati, quæ supponit peccatum.

Inst. 6. Posse falsificare præscientiam est posse ponere oppositum præscientiæ. Sed Antichristus hoc poterit, si poterit absolutè non peccare. Ergo poterit falsificare præscientiam.

Resp. Disting. maj. Est posse ponere oppositum præscientiæ simul cum ipsa præscientia, *conc. maj.* est posse ponere oppositum præscientiæ, sed non simul cum ipsa præscientia, *nego maj.* Antichristus poterit quidem pone-

ponere oppoſitum præſcientiæ peccati, nempe omiſſionem peccati, ſed non ſimul cum ipſa præſcientia peccati; quia non poterit ſimul ponere peccatum, & omiſſionem peccati. Quare ſtante præſcientia peccati poteſt quidem non peccare, ſed potentia reducibili tantùm, non autem reducenda ad actum.

Inſt. 7. Antichriſtus non poterit impedire præſcientiam Dei de ejus peccato. Ergo non poterit abſolutè non peccare.

Reſp. Diſtng. antec. Non poterit directè impedire præſcientiam peccati, *conc. ant.* indirectè, *nego antec.* Antichriſtus non poterit quidem directè impedire præſcientiam peccati; quia non poterit impedire, ne Deus præſciat peccatum, quod commiſſurus eſt. At poterit indirectè impedire, ne fuerit præſcientia ejus peccati, & facere, ut fuerit præſcientia omiſſionis peccati; quatenus poterit non peccare, & ſic impedire, ne ejus peccatum unquam fuerit præviſum ut futurum. Sed hoc poterit potentia reducibili tantùm; ſiquidem ſe determinabit ad peccandum.

Inſt. 8. Quod neceſſarium eſt, non poteſt omninò impediri ab eo, quod eſt contingens. Sed præſcientia divina eſt neceſſaria, & Antichriſti voluntas eſt quid contingens. Ergo præſcientia peccati non poteſt omnino impediri à voluntate Antichriſti.

Reſp. Diſting. maj. Neceſſarium abſolutè, & independenter ab omni hypotheſi non poteſt omnino impediri ab eo, quod eſt contingens, *conced maj.* neceſſarium hypotheticè tantùm non poteſt omninò impediri, &c. *nego maj.* Illud eſt abſolutè neceſſarium, quod nihil ſupponit, ut ſit, nec poteſt non eſſe in quavis hypotheſi poſſibili. Illud eſt hypotheticè neceſſarium, quod ſupponit aliud, ut ſit, & quo poſito non poteſt non exiſtere. Præſcientia autem actuum liberorum eſt neceſſaria hypotheticè tantùm; nam talis præſcientia ut ſit, ſupponit objectum futurum; ſi enim nil eſſet futurum, nil quoque prævideretur à Deo ut futurum, quia præſcientia Dei non poteſt falli.

Inſt. 9. Quod eſt æternum, non poteſt omnino impediri ab eo, quod erit in tempore. Sed præſcientia peccati Antichriſti eſt æterna: ergo non poterit omnino impediri à voluntate Antichriſti futura in tempore.

Reſp. Diſting. maj. Quod eſt æternum non ſupponens aliquid futurum in tempore, non poterit omnino impediri &c. *conc. maj.* quod eſt æternum ſupponens aliquid futurum in tempore, non poterit omnino impediri, &c. *nego maj.* præſcientia autem peccati Antichriſti quamvis ſit ab æterno, ſupponit tamen peccatum liberè futurum in tempore, ideoque futurum dependenter à libera voluntate Antichriſti, extitura in tempore. Ac proinde præſcientia illa impediri poteſt indirectè, & negativè à voluntate Antichriſti; quatenus Antichriſtus poteſt non ponere objectum talis præſcientiæ, nempe peccatum, & ſic poteſt facere, ut nunquam fuerit præſcientia peccati; quamvis non poſſit tollere directè præſcientiam peccati, faciendo, ut cùm fuerit, poſtea non ſit.

Inſt. 10. Ex duobus incompoſſibilibus poſito uno, eoque indeſtructibiliter, aliud eſt impoſſibile. At præſcientia peccati Antichriſti, & omiſſio ejuſdem peccati, ſunt duo incompoſſibilia, eorumque unum, nempe præſcientia, jam poſitum eſt, & quidem indeſtructibiliter: ergo aliud, nempe omiſſio peccati, eſt impoſſibile.

Reſp. Diſting. maj. Aliud eſt impoſſibile impoſſibilitate vel antecedente, vel conſequente, & hypothetica, *con. maj.* impoſſibilitate ſemper antecedente, & abſoluta, *nego. maj.* impoſſibilitas antecedens eſt ea, quæ eſt independens à libera determinatione voluntatis, & à quavis ſuppoſitione ipſi libera. Impoſſibilitas conſequens eſt ea, quæ pendet à libera determinatione voluntatis, vel ab aliqua ſuppoſitione ei libera. Sic eſt impoſſibilis omiſſio peccati Antichriſti, poſita præſcientia ejus peccati.

§. IV.

Expediuntur aliquæ quæſtiones ad ſcientiam Viſionis ſpectantes.

Quæres I. *Quomodo Deus futura libera cognoſcat?*

Reſp. 1. Deus actus liberos creaturæ abſolute futuros non cognoſcit in cauſis illorum etiam proximè completis, conſideratis in actu primo. Ita S. Thom 1. p. q. 14. a. 13. *Prob.*

Prob. Quia aliquid certò cognosci non potest in alio ut medio cognito, nisi cum illo necessariam habeat connexionem. Atqui libera absolutè futura non habent necessariam connexionem cum causis suis proximè completis: nam causæ liberæ proximè completæ ad agendum, possunt agere, & non agere; alioqui non essent liberæ. Ergo libera absolutè futura non possunt cognosci in causis suis in actu primo consideratis.

Porrò Deus certò, & evidenter cognoscit, quidquid ex causis liberis proximè completis conjici probabiliter potest: Sed in illis sic consideratis actus earum liberos certò cognoscere non potest: nam non potest certò cognoscere in causa, quod non est in ea certò cognoscibile. Imo Deus actus liberos non cognoscit conjecturaliter in causis suis; quia cognitio conjecturalis, utpote fallitati obnoxia, repugnat in Deo.

Resp. 2. Deus non cognoscit libera absolutè futura in sua omnipotentia, quæ est virtus infinita, qua potest facere id omne, quod non repugnat. Quia actus liberi non habent necessariam connexionem cum illa; nam illa posita possunt non esse.

Resp. 3. Deus cognoscit in suis decretis actus creaturæ liberos supernaturales. Quia decreta divina circa actus liberos supernaturales sunt prædefinitiva, & ejusmodi decreta habent infallibilem connexionem cum actibus supernaturalibus. Nam decretum prædefinitivum est illud, quo Deus absolutè, & efficaciter vult, ut tales actus liberè fiant à creatura: ac proinde vi talis decreti determinatus est ad danda creaturæ auxilia gratiæ, quibus infallibiliter prævidet creaturam tales actus libere facturam esse, si dentur. Ejusmodi autem decretum infallibilem habet connexionem cum actibus prædefinitis ut libere futuris: nam repugnat decretum Dei absolutum, & efficax fustrari, & scientiam Dei falli.

Idem dic de actibus naturalibus bonis, quos Deus vult absolutè fieri.

Resp. 4. Deus actus omnes creaturæ tùm naturales, tùm supernaturales, præsentes, præteritos, & futuros cognoscit in essentia sua, velut in speculo quodam limpidissimo, exhibente illos intellectui divino.

Prob. Quia essentia divina est æquivalenter, & eminenter species impressa cujuslibet actus. Nam non solùm virtualiter, sed etiam æquivalenter, & eminenter continet omnes species impressas omnium rerum, & actuum: ac proinde potest non solùm illas species producere, sed etiam potest per se ipsam (seclusis imperfectionibus) præstare, & quidem modo quodam excellentissimo, quod illæ præstarent, si intellectui divino adessent. Et sic essentia divina est modo quodam excellenti similitudo, & imago omnium rerum, & actuum.

Quæres 2. *Utrùm Deus cognoscat omnia mala tum culpæ, tum pœnæ?*

Resp. affirm. Est de fide. Ratio est, quia sunt cognoscibilia: & Deus punit mala culpæ, infligendo mala pœnæ.

Quæres 3. *Utrum Deus cognoscat infinita?*

Resp. Deus cognoscit infinita sincategorematicè. Nam 1. per simplicem intelligentiam cognoscit omnes res possibiles, nulla excepta, & quidem distinctè, & in particulari, non tamen secundùm collectionem totalem determinatam possibilium, utpotè repugnantem: sed secundùm numeros finitos plures, & plures, majores in infinitum. 2. Per scientiam visionis cognoscit omnes cogitationes mentis, & affectus cordium, quæ in infinitum multiplicantur à creaturis intellectualibus in æternum duraturis. Ratio est, quia intellectio divina, utpotè infinite perfecta, est essentialiter repræsentatio omnis intelligibilis sine imperfectione cognoscentis. Res autem omnes tùm possibiles, tùm aliquando existentes sunt distinctè, & in particulari cognoscibiles citra imperfectionem cognoscentis.

At Deus non cognoscit infinitum creatum, seu creabile propriè dictum, nisi ut impossibile; quia re vera impossibile est.

ARTICULUS V.
De Scientia Media.

§. I.
Quid sit Scientia Media?

Dico. Scientia Media est cognitio certa, & infallibilis actuum liberorum futurorum, seu

seu potiùs futuribilium sub conditione ad rem pertinente, id est, actuum, qui posita aliqua conditione ad rem pertinente, liberè fierent, independens ab omni decreto absoluto existente. Explicatur.

1. Hæc scientia dicitur Media, quia mediat inter scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis. Nam actus liber priùs ratione cognoscitur ut possibilis, quàm cognoscatur conditionatè futurus, seu futuribilis: & ratione priùs cognoscitur ut futuribilis sub conditione, quam ut existens absolutè pro aliquo tempore. Sic, v. g Deus priùs ratione novit conversionem Petri ut possibilem, quam ut futuribilem sub condi tione: nam ratione priùs est rem esse possibilem, quam futuribilem; cùm futuribilitas supponat possibilitatem; & ratione prius eandem conversionem novit ut futuribilem sub aliqua conditione, quam ut futuram absolutè, seu existentem pro aliquo tempore: nam scientia visionis præsupponit decretum, cui præsupponitur scientia media, utpote illud dirigens. Quare scientia simplicis intelligentiæ nullam præsupponit scientiam, & præsupponitur ab omnibus aliis: scientia verò media præsupponit scientiam simplicis intelligentiæ, & præsupponitur à scientia visionis, atque ita inter utramque mediat.

Prætereà scientia media medium quemdam locum inter utramque scientiam tenet per participationem simul, & exclusionem utriusque, sive quatenus in aliquo cum utraque convenit, & simul in alio ab utraque differt. Nam est independens ab omni decreto absoluto existente, sicut simplex intelligentia: & contingens, sicut scientia visionis. Item non est absolutè necessaria, sicut simplex intelligentia; nec libera Deo, sicut scientia visionis, quæ versatur circa creaturas, & quæ supponit decretum Dei liberum actu existens, à quo scientia media est independens.

2. Futuribile est id, quod futurum esset, si futura esset aliqua conditio: sive est id, quod esset, si poneretur aliqua conditio: nam futurum conditionatè non est propriè futurum, sed esset futurum, si poneretur aliqua conditio. Futuribile duplex est, nempe necessarium, & liberum. Necessarium est illud, quod necessariò futurum esset, si poneretur aliqua conditio, sive quod necessariò esset, posita aliqua conditione: talis est calor intensior ex hypothesi majoris ignis. Unde pertinet ad scientiam necessariam, nempe scientiam simplicis intelligentiæ. Futuribile liberum, quod est objectum scientiæ mediæ, est illud, quod libere futurum esset, si poneretur aliqua conditio, sive quod libere esset, posita aliqua conditione: talis est conversio Petri ex hypothesi talis gratiæ. Unde illius cognitio pertinet ad scientiam contingentem.

3. Futuribile liberum duplex est, unum scilicet futuribile tantùm, & alterum futuribile, & Futurum. Futuribile tantùm est illud, quod aliquando esset, si esset aliqua conditio: sed nunquam erit, quia nunquam erit illa conditio. Talis fuit pœnitentia Tyriorum pro tempore antecedente Adventum Christi: nam futura fuisset, si apud illos futura fuisset prædicatio Christi, conjuncta cum miraculis: quæ tamen futura non fuit, unde nec futura fuit Tyriorum pœnitentia. Futuribile simul, & futurum est illud, de quo verum est dicere, esset, si esset talis conditio & reipsa erit, quia erit talis conditio. Talis fuit conversio Magdalenæ: nam pro tempore antecedente prædicationem Christi vere dici potuit: Magdalena converteretur, si audiret Christum, & tali gratia excitaretur: reipsa Magdalena convertetur, quia reipsa audiet Christi prædicationem cum tali gratia interna conjunctam.

Utrumque futuribile est objectum scientiæ mediæ, sed spectatum duntaxat ut futuribile. Nam ejus objectum est omne futuribile liberum spectatum præcisè ut futuribile, sive illud sit etiam futurum, sive non. Unde præscindit à futuritione absoluta, hoc est, nec eam includit, nec excludit.

4. Futuribilitas formalis, quæ sola est propriè dicta futuribilitas, est ipsa enitas rei,

ſeu actûs, quæ non eſt, ſed eſſet, ſi poneretur aliqua conditio.

5. Per conditionem, qua poſita actus futurus eſſet, intelligitur id, quod eſſet cauſa actus futuribilis, aut ſaltem occaſio, vel præſuppoſitio quædam ad eum pertinens, quia ad eum conduceret. Quare propoſitiones, quarum veritas eſt objectum ſcientiæ mediæ, ſunt illæ omnes, & ſolæ, quibus enuntiatur, vel enuntiari poteſt libera connexio, quam actus cujusvis cauſæ libere agentis habet cum aliquo ſuppoſito ut exiſtente pro aliqua temporis differentia, & ſe habente per modum cauſæ, aut ſaltem occaſionis, vel præſuppoſitionis cujuſdam ad rem, ſeu actum conducentis. Tales fuerunt pro ſuo tempore hæ propoſitiones: Petrus negaret Chriſtum, ſi tali modo tentaretur: Petrus lapſus converteretur, ſi talem gratiam acciperet, &c. Nam ad ſcientiam mediam non pertinent propoſitiones hypotheticæ, quæ fiunt inter diſparata, & impertinentia, qualis eſt iſta: ſi Petrus luderet Pariſiis, Joannes peccaret Romæ. Tales enim propoſitiones ſunt omnes neceſſariò falſæ, quia ſignificant connexionem, quæ nec eſt, nec eſſe poteſt inter diſparata, & impertinentia: ac proinde ſunt objectum ſcientiæ neceſſariæ, nempe ſimplicis intelligentiæ. Quod ſi ejuſmodi propoſitiones quandoque ſignificant ſimplicem coexiſtentiam objectorum, ſunt veræ, vel falſæ, prout futura, vel non futura eſt objectorum coexiſtentia, ut enuntiatur. Sed horum cognitio pertinet ad ſcientiam viſionis, ut patet in hac propoſitione. Si cras hanc domum petieris, ibi me invenies: nam hoc ipſo, quòd Deus per ſcientiam viſionis novit me cras in tali domo commoraturum, novit propoſitionem veram eſſe. Item propoſitiones hypotheticæ de libero futuribili, quæ ſignificant illationem unius ex alio, ſeu ex antecedente hoc conſequens inferri, ſive neceſſariò, ſive probabiliter tantùm, non pertinent ad ſcientiam mediam; quia veritas, aut falſitas illarum pendet ex neceſſitate, vel probabilitate illationis ſignificatæ: ac proinde cognitio veritatis, aut falſitatis illarum pertinet ad ſcientiam neceſſariam, non ad contingentem, qualis eſt ſcientia media.

Porro in quavis conditione ſubintelligi, vel ſupponi debet gratia interna reſpectu actuum ſalutarium: nam ſine illa ſuppoſita non poſſunt eſſe futuribiles, cùm ſine illa repugnent.

6. Ex dictis hactenus patet, ſcientiæ mediæ objectum eſſe tùm omnes actus liberos libere futuribiles ſub conditione alicujus velut cauſæ, aut occaſionis, vel præſuppoſitionis ad rem pertinentis, ut præcisè futuribiles: tùm etiam propoſitiones omnes, quibus enuntiatur, vel enuntiari poteſt hæc futuribilitas; ſive (quod in idem recidit) propoſitiones omnes conditionales, quæ fieri poſſunt de liberis futuribilibus, & ſignificant liberam connexionem, ac exiſtentiam unius alio poſito, velut illius cauſa, vel occaſione, vel præſuppoſitione ad ipſum pertinente, ac conducente. Hæc tamen futuribilitas, ac connexio libera actuum liberorum futuribilium immediatiùs pertinet ad ſcientiam mediam, quam veritas propoſitionum illarum. Quia ratione prius eſt cognoſci futuribilitatem liberam actuum futuribilium, quàm cognoſci veritatem propoſitionum illarum, quibus enuntiatur hæc futuribilitas. Nam veritas illarum propoſitionum ſupponit illarum objectum, quod eſt futuribilitas contingens, ac libera actuum futuribilium: ac proinde ratione prius eſt objectum propoſitionum illarum eſſe tale, quale enuntiatur, quàm illas eſſe veras.

7. Decretum abſolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte objecti, eſt illud, quod reipſa exiſtit, ſed eſt de re facienda dependenter ab aliqua conditione. Dicitur abſolutum ex parte actus, quia exiſtit: conditionatum verò ex parte objecti, quia eſt de re facienda dependenter ab aliqua conditione. Conſentiunt omnes eſſe in Deo ejuſmodi decreta de re facienda ſub conditione à creatura pendente. Talis eſt voluntas ſalvandi omnes homines, ſi rectè utantur mediis ſibi à Deo dandis, &c. de ejuſmodi decretis hic non agitur, ſed de aliis, quibus Thomiſtæ dicunt, Deum decreviſſe res ali-

quas

quas dare, vel facere ſub conditione aliqua à ſolo Deo pendente, & nunquam implenda. Tale eſt juxta illos decretum, quo Deus decrevit prædeterminare Tyrios ad pœnitentiam, ſi Chriſtum ad illos mitteret, quem tamen non mittere decrevit. Volunt autem ſcientiam conditionalium, ſeu futuribilium ſub conditione ab his decretis pendere tanquam à cauſa futuribilitatis actuum liberorum.

8. Igitur ſcientia media rectè deſcribitur: cognitio certa, & infallibilis actuum libere futuribilium ſub conditione alicujus, ut illorum cauſæ, vel occaſionis, vel præſuppoſitionis ad ipſos conducentis, præcisè ut futuribilium, independens ab omni decreto abſoluto exiſtente. Sive ſcientia media eſt ſcientia, qua Deus certò, & infallibiliter novit, quidquid *quævis* cauſa libera libere actura eſſet, ſeu ageret in quibuslibet circumſtantiis poſſibilibus, ſive illud reipſa actura ſit, ſive non: novit, inquam, independenter ab omni decreto abſoluto de re facienda ſub conditione à ſe ſolo pendente.

Obſerva. Paulus V. ſententiam nullam definitivam pronuntiavit circa ſcientiam mediam, & prædeterminationem phyſicam, ſed æqualiter utramque in ſcholis tradi permiſit, graviter prohibendo, ne quis alterutram opinionem cenſura aliqua notaret. Cùm verò quidam teſtimonia aliqua excerpta, ut ajebant, ex actis congregationum de auxiliis, & Bullam quamdam, licèt informem, adadversùs ſcientiam mediam publicarent, Innocentius X. prædicta acta, & Bullam illam ſuppoſititiam, ac informem reprobavit, & nullam iis omnino eſſe fidem adhibendam declaravit ſuo Decreto dato 23. Aprilis ann. 1654. in Congregatione generalis inquiſitionis, quod ſic habet: *Cæterum cùm tam Romæ, quam alibi circumferantur quædam aſſerta, acta, manuſcripta, & forſan typis excuſa, Congregationum habitarum coram felicis recordationis Clemente VIII. & Paulo V. ſuper quæſtione de Auxiliis divinæ gratiæ; nec non quoddam auctographum, ſive exemplar cujuſdam aſſertæ conſtitutionis ejusdem Pauli V. ſuper definitione prædictæ quæſtionis de Auxiliis, ac damnatione ſententiarum Ludovici Molinæ Societatis Jesu; eadem Sanctitas ſua præſenti hoc decreto declarat, ac decernit prædictis aſſertis, actis, & auctographo, ſive exemplari prædictæ aſſertæ conſtitutionis Pauli V. nullam omnino eſſe fidem adhibendam, neque ab alterutra parte, ſeu à quoquam alio allegari poſſe, vel debere, ſed ſuper quæſtione prædicta obſervanda eſſe decreta Pauli V. & Urbani VIII. ſuorum Prædeceſſorum.* Porro ſcientiæ mediæ Patroni non omnes Molinæ opiniones in materia gratiæ ſectantur, quamvis illæ non fuerint damnatæ.

§. II.

Utrùm detur ſcientia Media?

Dico. Ineſt Deo ſcientia media etiam pro ſtatu naturæ lapſæ, & circa actus tùm malos, tùm bonos, ac ſalutares.

Prob. Scientia media eſt cognitio certa, & infallibilis actuum liberorum futurorũ, ſeu futuribilium ſub conditione ad rem pertinente, independens ab omni decreto abſolute exiſtente, ut conſtat ex ejus notione. Atqui ineſt Deo talis cognitio etiam pro ſtatu naturæ lapſæ, & circa omnes actus liberos creaturarum. Ergo ineſt Deo ſcientia media etiam pro ſtatu naturæ lapſæ circa omnes actus liberos.

Prob. min. 1. Ex Scriptura. Ex multis textibus duo ſufficient.

Primus eſt. Sap. c. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius... Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum.* Senſus eſt: Deus prævidens ab æterno juſtum illum adoleſcentem à ſtatu juſtitiæ receſſurum, ſi diutiùs viveret, eum ex hac vita rapuit, cùm adhuc juſtus eſſet: quod ſanè ſingulare, & eximium eſt Dei in hunc hominem beneficium. Ibi clarè ſignificatur divina cognitio peccati juſti illius liberè futuribilis ſub conditione longioris vitæ, nunquam tamen futuri, cùm juſtus ille ante lapſum raptus fuerit. Quæ cognitio divina eſt certa, & infallibilis: nam repugnat Deo cognitio conjecturalis, & falſitati obnoxia, & ita aſſerit

S. Augustinus, lib. de correptione & gratia, cap. 8. Ergo hoc textu significatur certa, & infallibilis cognitio divina actus creaturæ liberè futuribilis sub conditione ad rem pertinente.

Hæc autem cognitio est independens à decreto prædeterminativo existente. Nam alioqui sensus hujus textus esset iste: quia Deus videt se decrevisse Justum illum prædeterminare ad actum malum, si diutiùs viveret, idcirco illum maturè rapuit, ne in tantum malum incurreret. Qui sanè sensus non est legitimus, nec à Spiritu Sancto intentus. Nam juxta sensum illum non ideo Deus properavit justum illum ex hac vita eripere, quia placita erat Deo anima illius, ut Sapiens testatur; sed potiùs Deus properavit illum educere, ut eum subtraheret suæ indignationi, & voluntati, qua statuit eum prædeterminare ad actionem malam, si diutiùs viveret.

Item hæc explicatio repugnat scopo Sapientis, qui est cogitationes refellere hominum insipientium, de divina providentia conquerentium, quòd justos aliquos tam citò rapiat ex vita, & ostendere singularem Dei erga eos benevolentiam, dum eos eripit ex hac vita. At posita explicatione prædeterminantium non refelluntur querelæ hominum insipientium, sed potiùs eis datur occasio vehementiùs conquerendi, quòd hominem justum, nulla ex parte ipsius occasione data, statuerit physicè prædeterminare ad malum, si diutiùs viveret. Nec ostenditur eximia, & singularis Dei erga illum Justum benevolentia: nam in doctrina adversariorum tota illa benevolentia consistit in eo, quòd Deus justum illum subtraxerit voluntati inferendi illi justo, dum justus esset, grave malum: nempe prædeterminandi illum ad actionem malam, quæ prædeterminatio ad malum est sanè grave malum: cùm illâ independenter à voluntate hominis positâ repugnet non esse peccatum.

Præterea decretum illud prædeterminativum involvit in Deo inconstantiam, & pugnam voluntatum, & absurditatem: qualis esset illius, qui ex mero suo beneplacito vult parare alteri venenum, & simul vult ei parare remedium præveniens venenum. Nam Deus voluisset talem justum prædeterminare ad lapsum, sicque præparare ruinam justi illius; & simul voluisset præparare remedium contra lapsum, ac ruinam, nempe mortem prævenientem lapsum.

Secundus textus. Matth. c. 11. de Christo dicitur: *Tunc cœpit exprobrare Civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent pœnitentiam. Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida! si in Tyro, & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Hic Christus expresè testatur, quòd Tyrii, & Sydonii pœnitentiam egissent, si apud illos patrata fuissent miracula, quæ apud Judæos ipse patravit. Ergo Christus certò, & infallibiliter cognoscebat conversionem Tyriorum futuram fuisse, & quidem liberè sub conditione miraculorum, quæ apud Judæos patrata sunt: nam Christus testari non poterat, quod non certò cognosceret, & ejus testimonium est certum, ac infallibile. Ergo Christus habuit certam, ac infallibilem cognitionem actus salutaris liberè futuribilis sub conditione miraculorum. Et ita hunc locum exponit S. August. l. de bono perseverantiæ, c. 9. Et verò hæc *scientia* nec est *scientia possibilium*, ut patet: nam Christus non asserit præcisè, quòd Tyrii potuissent agere, sed quòd egissent pœnitentiam: nec est etiam scientia rerum aliquando existentium ut existentium: nam nunquam extitit, nec extitura est Tyriorum illorum pœnitentia. Superest igitur, ut hæc cognitio sit scientia futuribilium, præcisè ut futuribilium, & quidem pro statu naturæ lapsæ, in quo erant Tyrii.

Hanc autem cognitionem Christus habuit independenter à decreto actuali absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte objecti, seu prædeterminativo. Nam in hoc textu Christus Judæos objurgat, & quidem justè præ Tyriis, quòd non egissent pœnitentiam, quam egissent Tyrii, si habuissent eadem auxilia tum interna, tum externa, quæ habuerunt Judæi. At si Christus non novit conversio-

sionem Tyriorum, nisi dependenter à decreto actuali adversariorum, hæc Christi objurgatio Judæis facta præ Tyriis non fuit justa. Nam.

1. Hic sensus esset: væ vobis, Judæi, qui pœnitentiam non egistis post tot patrata apud vos miracula: Nam si eadem miracula patrata fuissent apud Tyrios, ii pœnitentiam egissent: Pater enim meus, sicut ab æterno decrevit, dedisset illis auxilium prædeterminans, quo caruistis, & quocum impossibile fuisset, ut Tyrii pœnitentiam non agerent, sicut sine illo repugnat, ut vos pœnitentiam agatis. Quæ sanè exprobratio Judæorum præ Tyriis est injusta, & tam injusta, ac ludiera, quàm ea, qua herus unum è suis famulis infirmum increparet in hunc modum: væ tibi, quia heri non confecisti duodecim leucas pedibus; nam si alterum famulum æquè infirmum misissem, dedissem illi equum optimum, quo eas confecisset, & sine quo impossibile erat, ut illas conficeres. Vel ista, qua Rex unum è suis Ducibus sic objurgaret: væ tibi, quia cum mille militibus hostes non vicisti: nam si alter Dux illos milites habuisset, dedissem illi viginti alia millia, quibuscum hostes debellâsset. Hunc autem sensum esse in doctrina prædeterminantium, patet. Nam dicunt, Deum non cognoscere ab æterno conversionem Tyriorum sub conditione miraculorum, nisi quia ab æterno decrevit prædeterminare Tyrios ad pœnitentiam, si apud eos fierent miracula, quæ facta sunt apud Judæos: qua prædeterminatione posita repugnat non esse actum, ad quem datur, & qua non posita, repugnat esse actum.

2. Injusta est objurgatio unius præ alio, cùm is, qui objurgatur, vituperio dignum se reddit in iis circumstantiis, in quibus alter vituperio dignum se redderet; & è contrà se laudabilem redderet in iis circumstantiis, in quibus alter se laudabilem reddit. At in systemate adversariorum Judæi vituperio dignos se reddunt in iis circumstantiis, in quibus etiam vituperio dignos se redderent Tyrii: & è contrà se laudabiles redderent in iis circumstantiis, in quibus se laudabiles redderent Tyrii. Nam Tyrii non magis egissent pœnitentiam, quàm Judæi, si pariter caruissent auxilio prædeterminante; & è contrà Judæi tam egissent pœnitentiam, quàm acturi erant Tyrii, si pariter auxilio prædeterminante instructi fuissent. Ergo in hoc systemate injusta est objurgatio Christi facta Judæis præ Tyriis. Ergo illud systema prorsus repudiandum est.

3. Qui destitutus fuit auxilio absolutè necessario ad faciendum aliquem actum bonum, injustè objurgatur, quòd illum omiserit, præ alio, qui eum fecit instructus auxilio necessario ad illum faciendum, & quo posito repugnat actum non fieri. At in doctrina prædeterminantium Judæi destituti sunt auxilio prædeterminante, *absolutè necessario ad agendam* pœnitentiam: Tyrii verò illud habuissent, & eo posito repugnâsset, ut non egissent pœnitentiam. Ergo, &c.

Prob. 2. Eadem minor ex S. Augustino. Ex multis locis duo sufficiant.

Primus est, l. 1. ad Simplicianum, q. 2. ubi ait de iis, qui vocationi, seu gratiæ excitanti resistunt: *Si vellet etiam ipsorum misereri, posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur.* Et paulò post de iis, qui gratiæ consentiunt: *Etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur.* Et inferiùs: *Cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Ex quo sic argumentor. Ex S. Augustino Deus certò scit, quomodo quisque vocandus sit, ut vocantem non respuat, sed ut sequatur. At hæc est scientia actuum liberorum liberè futuribilium, independens ab omni decreto absoluto existente. Ergo ex S. Doctore inest Deo scientia actuum liberè futuribilium, independens ab omni decreto *absoluto* existente.

Prob. min. 1. Hæc scientia est scientia actus liberi liberè futuribilis sub conditione: nam est scientia, qua Deus certò præscit hominem liberè secuturum esse vocationem, si tali modo vocetur: ac proinde est certa, & infallibilis cognitio consensus liberè futuribi

ribilis ſub conditione talis vocationis. Enim verò hæc ſcientia neque eſt ſcientia viſionis, nempe conſenſus ut exiſtentis pro aliqua differentia temporis: nam præſupponitur decreto vocandi congruè, & ineſt Deo reſpectu illorum, qui vocati non veniunt: neque etiam eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ; nam hæc ſcientia verſatur tantùm circa poſſibilia, ut poſſibilia, & neceſſaria: ergo ſcientia, de qua ibi agitur, eſt ſcientia futuribilium. 2. Hæc ſcientia futuribilium eſt juxta S. Doctorem independens ab omni decreto abſoluto exiſtente. Nam neque pendet à decreto abſoluto tùm ex parte actus, tùm ex parte objecti, quo ſcilicet Deus abſolutè ſtatuit eos, quorum miſeretur ſpecialiter, vocare quomodo eis aptum eſt, ut vocantem ſequantur: nam tali decreto prælucet ſcientia futuribilium, & Deo ineſt ſcientia illa etiam reſpectu eorum, quorum non miſeretur ſpecialiter, & qui gratiæ reſiſtunt.

Neque etiam hæc ſcientia pendet à decreto abſoluto ex parte actus, & conditionato ex parte objecti, ſeu decreto dandi prædeterminationem ſub conditione à Deo ſolo dependente; tùm quia tale decretum nullatenus inveniri poteſt in doctrina S. Auguſtini: è contra juxta illum ſcientia futuribilium, ſeu conditionalium præſupponitur omni decreto *Dei, illudque dirigit*; tùm quia tale decretum eſt inutile, & ineptum; tùm quia decreta prædeterminativa libertatem creaturæ, quam S. Doctor conſtanter admiſit, evertere videntur; tum denique quia objectum illius ſcientiæ eſt ſpecialis quædam aptitudo vocationis, ſeu gratiæ, & talis congruitas, ut ſi detur, homo liberè ſecuturus ſit vocationem; eſt talis vocatio, vi cujus verè dicitur: ſi homo in talibus circumſtantiis talem haberet gratiam, ei conſentiret. Hæc autem veritas, hæc congruitas, & aptitudo eſt independens ab omni decreto abſoluto exiſtente, ut probatum eſt. Et verò ſublato, ſeu præciſo quovis decreto abſoluto circa hanc vocationem congruam, ſemper eſt talis vocatio, ſemper eſt eadem illius aptitudo, & congruitas talis, ut ea data daretur liberè conſenſus.

Secundus textus eſt ex l. de correptione, & gratia, c. 8. ubi S. Auguſtinus ait: *Reſpondeant, ſi poſſunt* (Semipelagiani) *cur illos Deus, cùm fideliter, & piè viverent, non tunc de vitæ hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum? utrum hoc in poteſtate non habuit; an eorum mala futura neſcivit? nempe nihil horum, niſi perverſiſſimè, atque inſaniſſimè dicitur.* Hic S. Doctor aſſerit Deum præſciviſſe peccata futura reprobrorum, ſi diutiùs viverent, qua ſtante ſcientia potuit eos rapere, antequam peccarent, & tamen noluit: atqui hæc ſcientia eſt ſcientia actuum liberorum conditionatè futurorum, ſeu futuribilium. Nam hæc ſcientia neque eſt ſcientia præcisè poſſibilium; cùm per illam præſciret eorum mala futura, & non tantùm poſſibilia, neque eſt ſcientia futurorum, ut abſolutè futurorum, & aliquando exiſtentium pro tali tempore; quia ſtante ſcientia peccatorum ut abſolutè futurorum, & exiſtentium pro tali tempore, Deus non potuit velle eos rapere, nec proinde potuit eos rapere. Nam hæc ſcientia peccatorum ut abſolutè futurorum ſupponit in Deo voluntatem abſolutam, & efficacem permittendi peccata reproborum, & cum voluntate abſoluta, & efficaci permittendi peccata reproborum *non potuit eſſe voluntas abſoluta*, & efficax illos rapiendi, antequam illa peccata committerent, & ſic impediendi illorum peccata, ut patet. Ergo ſcientia, quam in hoc textu S. Doctor agnoſcit in Deo, eſt ſcientia peccatorum futuribilium ut futuribilium.

Jam verò hæc ſcientia futuribilium in mente S. Auguſtini independens eſt à decreto prædeterminativo, propter rationes modò allatas.

Prob. 3. *Ratione eadem minor:* nempe dari ſcientiam actuum liberè futuribilium independentem ab omni decreto abſoluto exiſtente.

Nam 1. Scientia actuum liberorum futuribilium eſt ea, qua Deus certò, & infalliblliter cognoſcit, quidquid quælibet cauſa libera liberè ageret, & non ageret ſub qualibet conditione poſſibili, & ad rem pertinen-

nente. Atqui ineſt Deo talis ſcientia; nam certò, & infallibiliter cognoſcere, quidquid quælibet cauſa libera liberè ageret, & non ageret ſub qualibet conditione poſſibili, eſt perfectio magna, & non eſt incompoſſibilis cum alia meliore. Ergo ineſt Deo ſcientia actuum liberorum futuribilium.

Præterea Intellectus divinus, cùm ſit infinitè perfectus in omni genere perfectionis cognoſcitivæ, neceſſariò cognoſcit, & quidem certò, & infallibiliter, quidquid eſt cognoſcibile. At actus liberi futuribiles ſub conditione ſunt cognoſcibiles: ergo intellectus divinus eos certò, & infallibiliter cognoſcit.

Prob. min. Illud eſt cognoſcibile, quod poteſt verificare propoſitionem, ſeu termina re propoſitionem veram. Atqui hoc poſſunt actus futuribiles ſub conditione: ergo ſunt cognoſcibiles. *Prob. min.* Quodlibet conſideratum ut futuribile ſub conditione, eſt, vel non eſt futuribile ſub tali conditione: nam non datur medium inter illa; cùm ſint duo contradictoria: ſicut quodlibet conſideratum abſolutè, eſt, vel non eſt futurum. Ergo quilibet actus conſideratus ut futuribilis ſub conditione poteſt verificare propoſitionem vel qua enuntiatur futuribilis ſub conditione, ſi revera eſſet futurus ſub tali conditione; vel qua enuntiatur non futuribilis, ſi reipſa non eſſet futurus ſub tali conditione. Nam propoſitio eſt vera, quæ enuntiat futuribile id, quod revera futurum eſſet, vel enuntiat non futuribile, quod revera futurum non eſſet.

2. Scientia futuribilium, ſeu futurorum ſub conditione, eſt independens ab omni decreto abſoluto actuali, ſeu exiſtente. Nam 1. Decretum illud eſt inutile, imò nugatorium, ſaltem reſpectu actuum futuribilium nunquam futurorum, ideoque eſt indignum Deo, & repugnat ſapientiæ divinæ. Decretum enim, quo quis decernit aliquid ſub conditione à ſe ſolo pendente, & ſimul ſtatuit conditionem illam non ponere, eſt prorſus inutile: nam perinde eſt, ac ſi non eſſet, & nihil ad providentiam Dei conducit. Imò nugatorium eſt, ut patet. ſic, v. g. ſi dicerem: volo tibi dare centum nummos, ſi vendam domum meam, quam ſimul ſtatuo non vendere. Atqui tale eſt decretum prædeterminativum abſolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte objecti: nam per illud Deus, v. g. decrevit prædeterminare Tyrios ad pœnitentiam, ſi apud eos fierent miracula, quæ ſimul ſtatuit non patrare. 2. Etiamſi ſupponantur talia decreta determinativa, & alia quælibet abſoluta non extare, adhuc fieri poſſunt propoſitiones conditionales contradictoriæ, quarum una eſt determinatè vera, & altera determinatè falſa: nam earum poſſibilitas, ſicut & aliarum quarumlibet poſſibilium, eſt independens ab omni decreto divino actu exiſtente. Atqui Deus cognoſcit omnem veritatem, vel falſitatem, quæ fieri poſſunt: nam ejus intellectus ex ſua perfectione infinita determinatus eſt ad cognoſcendum omne cognoſcibile, eo ipſo, quòd eſt cognoſcibile. Ergo ſupponendo non extare talia decreta, Deus cognoſcit veritatem, vel falſitatem propoſitionum conditionalium. Ergo ſupponendo non extare talia decreta, Deus adhuc novit, quinam actus liberi ſint futuribiles ſub conditione, quinam non ſint: nam non poteſt noſſe veritatem, vel falſitatem propoſitionum conditionalium, quæ enuntiant actum eſſe futuribilem, vel non eſſe futuribilem, niſi cognoſcat actum eſſe futuribilem, ſi reipſa ſit futuribilis, vel non eſſe futuribilem, ſi reipſa non ſit futuribilis: veritas enim, vel falſitas propoſitionis nil aliud eſt, quàm conformitas, vel difformitas illius cum ſuo objecto. Ergo Deus independenter à talibus decretis novit, quinam actus liberi eſſent futuri, quinam non eſſent futuri. Ergo &c. 3. Decreta illa prædeterminativa tollere videntur libertatem actus futuribilis. Ergo non dantur, ac proinde independenter ab illis Deus novit actus futuribiles. *Prob. antecedens.* Illud tollit libertatem actus futuribilis, quod antecedit omnem uſum libertatis etiam conditionatè præviſum, & vi cujus inimpedibiliter imprimeretur homini à ſolo Deo motio, qua poſita repugnat hominem non ponere actum, ad quem datur illa motio: nam tunc homo ad talem actum antecedenter neceſſitaretur. At tale eſt decretum

tum prædeterminativum: nam antecedit omnem usum libertatis creatæ etiam conditionatè præviſum, cum omnes actus creaturæ etiam futuribiles ab eo dependeant, iisque præſupponatur; & vi talis decreti imprimeretur homini inimpedibiliter, & independenter ab illo motio phyſica, qua poſita repugnat non eſſe actum, ad quem datur. Ergo tale decretum tollit libertatem actus futuribilis.

Breviùs. Decretum prædeterminativum eſt decretum dandi prædeterminationem phyſicam, quæ deſtruit libertatem creatam, ut ſuo loco probabitur. Ergo non extat tale decretum abſolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte objecti. Ergo, &c.

Contra eos, qui rejiciunt decreta illa prædeterminativa ſimul, & ſcientiam mediam, nempe contra Janſeniſtas, & alios, qui ſe Auguſtinianos Theologos jactitant, dari ſcientiam mediam etiam pro ſtatu naturæ lapſæ, & circa actus malos, & ſalutares, ſic

Prob. Actus ſive mali, ſive ſalutares futuribiles ſub conditione, quos admittunt adverſarii, non ſunt objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, neque ſcientiæ viſionis. Ergo ſunt objectum alterius ſcientiæ, quam mediam vocamus, & quæ quolibet alio nomine appelletur, per me licet.

Prob. ante Nam 1. objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ non eſt quid liberè futuribile; quia ſimplex intelligentia eſt ſcientia neceſſaria. Atqui actus mali, & ſalutares etiam in ſtatu naturæ lapſæ ſunt liberè futuribiles, ut fide conſtat. Ergo ejuſmodi actus non ſunt objectum ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ. 2. Scientia viſionis non eſt, niſi rerum exiſtentium præcisè ut exiſtentium pro aliqua temporis differentia, ut conſtat ex ejus notione: ergo non eſt ſcientia actuum futuribilium præcisè ut futuribilium, de quibus agitur.

Probatur iterum. Juxta Janſeniſtas ineſt Deo ſcientia media pro ſtatu naturæ innocentis circa actus bonos, & malos futuribiles. Ergo etiam ineſt talis ſcientia in ſtatu naturæ lapſæ circa eoſdem actus. *Prob. conſeq.* *In ſtatu naturæ lapſæ actus boni*, & mali tam ſunt liberè futuribiles, quam actus boni, & mali ſtatus innocentiæ: nam tam ſunt liberi quoad eſſentiam libertatis, ut fides docet. Ergo tam pertinent ad ſcientiam contingentem, quæ ſcientia media vocatur, quàm actus boni, & mali futuribiles in ſtatu innocentiæ ad eam pertinent.

§. III.

Refelluntur Reſponſiones Adverſariorum.

Dices. 1. Chriſtus, Matth. c. 11. ait: *Si in Sodomis factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, fortè manſiſſent uſque in hanc diem.* Ergo Chriſtus locutus eſt ex cognitione conjecturali: ergo non habuit cognitionem certam actus futuribilis.

Reſp. Nego conſeq. utramque. Quia vox *fortè* in divinis revelationibus non eſt dubitanti, ſed affirmantis, & ſignificat *utique*, ut, Prov. c. 24. *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, ne fortè videat Dominus, & diſpliceat ei.* Hæc autem vox *fortè* à Chriſto addita eſt, ut indicaret per ſuam prædictionem non tolli libertatem hominis, ut explicat S. Hieron. in c. 26. Jerem. *Verbum ambiguum, forſitan*, inquit, *Majeſtati Domini non poteſt convenire, ſed noſtro loquitur affectu, ut liberum hominis ſervetur arbitrium.* Vel addita eſt ad increpandum, ut docet S. Auguſt. tract. 37. in Joann. his verbis: *Ille, qui omnia ſcit, quando dicit, forſitan, non dubitat, ſed increpat. Attende enim, quomodo increpativè dicatur ipſum forſitan, quod videtur eſſe verbum dubitationis. Sed dubitationis verbum eſt, quando dicitur ab homine ideo dubitante, quia neſciente. Cùm verò dicitur à Deo verbum dubitationis, cùm Deum nihil utique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.*

Dices. 2 In Scriptura prædicuntur aliqua, quæ non ſunt futura. Ergo Deus habet cognitiones conjecturales.

Reſp. Deus nihil per ſe, vel per alios prædixit, quod non ſit infallibiliter futurum eo modo, quo futurum eſſe prædixit. Quare quæ à Deo prædicuntur futura abſolute, & independenter ab ulla conditione etiam ſubintellecta, ſemper ſunt pro eo tempore, pro quo eſſe

esse prædicuntur. Quæ autem prædicuntur futura dependenter ab aliqua conditione, illâ positâ sunt pro eo tempore, pro quo esse prædicuntur: non positâ, non sunt. Jam verò in prædictionibus divinis aliquando subintelligitur aliqua conditio, imò in comminatoriis communiter subintelligitur hæc conditio: nisi peccatores resipiscant. Sic in ista Jonæ, c. 3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Subintelligebatur hæc conditio, nisi Ninivitæ pœnitentiam egerint.

Dices. 3. Christus, Matth. c. 11. locutus est tropicè, & utendo modo increpandi apud homines usitato, quo quis volens alterius vitia objurgare dicit: si Ethnicus haberet eadem auxilia gratiæ, quæ tu habes, meliùs viveret, quàm tu.

Resp. nego. Quia 1. Scriptura sumi debet in sensu proprio, nisi necessitas aliqua cogat eam aliter exponere, qualis hic nulla est. 2. Chtistus simpliciter affirmavit Tyrios acturos fuisse pœnitentiam: ergo in proprio, & verò sensu affirmavit. Et ideo S. Augustinus hunc locum exponit in sensu proprio, l. de dono persever. cap. 9. Denique modus ille tropicus objurgandi fundatur in cognitione probabili, & conjecturali; & quæ tali modo affirmantur, non cognoscuntur certò, & infallibiliter. At Christus certò, & infallibiliter cognoscebat, Tyrios acturos fuisse pœnitentiam ex hypothesi miraculorum: nam id testatus est; & omnis cognitio conjecturalis, utpote falsitati obnoxia, repugnat Christo.

Dices. 4. Judæi præ Tyriis potuerunt justè objurgari, quia Judæi habuerunt æqualem potentiam agendi, quàm habuissent Tyrii, quamvis non habuerint auxilium prædeterminans, quod Tyrii habuissent. Nam hoc auxilium non datur ad posse, sed solùm ad agere; & se tenet tantùm ex parte actus secundi.

Resp. Contra est, nam 1. oppositum probabitur in tractatu de gratia. 2. Sive prædeterminatio physica se teneat ex parte actus primi, sive ex parte actus secundi tantùm, semper est virtus, & auxilium distinctum ab omnibus aliis ad actum bonum concurrentibus; & necessarium. Ergo Tyrii, si non fuissent acturi pœnitentiam sine gratia prædeterminante, qua caruerunt Judæi, pœnitentiam acturi fuissent cum auxilio majori, & ampliori, quocum etiam ipsi Judæi æquè pœnitentiam egissent.

Alia prædeterminantium effugia præcludentur in Tractatu de Gratia, ubi agetur ex professo de prædeterminatione physica.

Dices. 5. Si ad æquitatem objurgationis Christi factæ Judæis præ Tyriis de omissione pœnitentiæ requiritur æqualitas gratiarum, in systemate scientiæ mediæ hæc objurgatio non fuit justa; nam Tyrii habuissent gratiam congruam, qua caruerunt Judæi.

Resp. In nostro systemate fuit æqualitas gratiæ in ratione auxilii, & secundùm entitatem, non tamen in ratione beneficii. Nam in hoc systemate Tyrii pœnitentiam acturi fuissent cum iisdem solis auxiliis, physicè sumptis, quibuscum Judæi pœnitentiam agere noluerunt; quamvis illa auxilia fuissent congrua respectu Tyriorum, quia iis consensuri fuissent, & non fuerint congrua respectu Judæorum, sed ex eorum culpa, & quia noluerunt iis consentire. Quare in nostro systemate increpatio Judæorum præ Tyriis est justa, & efficax. Is enim justè præ alio increpatur, qui non bene agit cum iisdem auxiliis physicè sumptis, quibuscum alter bene ageret. Quod in systemate prædeterminantium dici non potest.

Dices 6. Si inæqualitas gratiæ in ratione beneficii non impedit æquitatem objurgationis factæ Judæis præ Tyriis, hanc quoque non impedit inæqualitas gratiæ in ratione auxilii.

Resp. Nego. Disparitas est, quia inæqualitas gratiæ in ratione beneficii non dicit majores gratiæ vires in uno, quàm in alio, aut in uno auxilium aliquod ad agendum necessarium, quo alter careat; sed dicit duntaxat specialem affectum Dei, qui dat uni gratiam in iis circumstantiis, in quibus per scientiam mediam prævidetur consensurus tali gratiæ, si ei detur. Unde non obstante inæqualitate gratiæ in ratione beneficii, eædem sunt vires, eadem sunt auxilia in utroque.

Justè autem unus increpatur præ alio, quoties unus non agit bonum cum iisdem gratiæ viribus, & auxiliis, quibuscum alter bonum agit. At inæqualitas gratiæ in ratione auxilii, & secundùm entitatem sumptæ dicit majores vires in uno, quàm in alio, aut in uno auxilium aliquod ad agendum necessarium, quo caret alter, ut docent præ determinantes. Non potest autem justè objurgari is, qui non bene agit præ alio bene agente, si is, qui bene agit, majores habet vires, aut à fortiori, si habet auxilium ad agendum necessarium, quo caret is, qui non bene agit; præsertim si is, qui non bene agit, bene ageret, si haberet eadem physicè auxilia, quæ habet ille, qui bene agit; & è contra is, qui bene agit, non bene ageret cum iisdem auxiliis, quæ habet ille, qui non bene agit.

Dices. 7. In systemate scientiæ mediæ Tyrii habuissent concursum in actu secundo, quo Judæi caruerunt. Ergo in hoc systemate Tyrii habuissent auxilium aliquod, quo caruerunt Judæi.

Resp. Nego conseq. Quia concursus in actu secundo erat paratus Judæis: nam omnipotentia divina tam parata fuit cum illis concurrere, quàm parata fuisset concurrere cùm Tyriis: ita ut per eos tantùm steterit, ut concurreret cum eis: sicut tantùm per Tyrios steriisset, ut cum illis concurreret. Judæi quippe habuerunt concursum divinum in actu primo, nempe omnipotentiam, quæ vi decreti divini exhibetur potentiæ creatæ, & cum ea parata est concurrere; ita ut si non concurrit, hoc attribuendum sit soli potentiæ creatæ, quæ non vult agere, quamvis habeat omnem virtutem ad agendum necessariam. Igitur Tyrii habuissent concursum in actu secundo ad conversionem, quia voluissent converti: Judæi verò non habuerunt, quia noluerunt converti. Habuerunt tamen omnia auxilia tam externa, quam interna, quæ habuissent Tyrii, nimirum eadem miracula, eadem gratias excitantes: eandem omnipotentiam tam paratam concurrere cum illis, quàm parata fuisset concurrere cum Tyriis.

Dices. 8. In nostro systemate Judæi non habuerunt gratiam, cui Deus præviderat eos consensuros, & hanc habuissent Tyrii.

Resp. Judæi non potuerunt justè conqueri de Deo, quod iis non dederit gratiam, cui præviderat eos consensuros fuisse: quia ad id non tenebatur, & aliunde illis suppeditavit omnia auxilia ad agendam pœnitentiam necessaria, saltem æqualia physicè, seu secundùm entitatem, iis, quæ dedisset Tyriis. Et quia sola ipsorum culpa factum est, ut eam non egerint, & Deus non præviderit, quòd eam in iis circumstantiis essent acturi. Nam in iis circumstantiis, in quibus versabantur, poterant æquè pœnitentiam agere, ac Tyrii: quam si egissent, Deus prævidisset illos in iis circumstantiis pœnitentiam acturos fuisse, & consequenter fuissent in iis circumstantiis, in quibus Deus eorum pœnitentiam ut futuribilem, & futuram prævidisset. Quare Deus justè potuit Judæos præ Tyriis increpare, quia Tyrii pœnitentiam egissent cum illis solis auxiliis, quibuscum Judæi pœnitentiam agere noluerunt.

Dices 9. S. Hieron. & August. illa Christi verba (*Olim in cilicio pœnitentiam egissent*) sic explicant: pœnitentiam agere potuissent.

Resp. Hoc intelligunt de potentia reducenda ad actum, & per hoc intelligunt revera eos pœnitentiam acturos fuisse, ut patet ex S. Augustino, L. de dono persever. c. 9. asserente revera Tyrios credituros, & pœnitentiam acturos fuisse.

Porro interdum verbum *posse* usurpatur à Patribus ad significandam actionem futuram.

§. IV.

Solvuntur Objectiones ex Scriptura petitæ.

Obj. 1. Scriptura continet multa decreta absoluta ex parte subjecti, seu actus, & conditionata ex parte objecti. Ergo Deus cognoscit futuribilia dependenter ab illis decretis.

Resp. Scriptura continet quidem ejusmodi decreta, sed quæ sunt de re aliqua facienda sub conditione à creatura pendente; cujusmodi sunt decreta salvandi omnes homines etiam reprobos, si velint cooperari gratiis sibi dandis; conferendi posteris Adami justi-

justitiam originalem, si ipse non peccet; dandi Joæ integram de hostibus victoriam, si septies terram jaculo percussisset, &c. At nulla continet, quæ sint de re facienda sub conditione à solo Deo pendente, & nunquam ponenda.

Obj. 2. Hæc verba Apostoli, 1. Cor. c. 4. *quis te discernit? Quid habes, quod non accepisti?* Ostendunt primam radicem discretionis, qua is, qui bene agit, discernitur ab alio non bene agente, esse ipsum Deum, non hominem. At in systemate scientiæ mediæ homo est prima radix hujus discretionis in statu conditionato. Ergo, &c.

Resp. Nego min. Nam in statu conditionato non datur, nec dari potest discretio unius ab alio, tanquam boni à malo; quia in statu conditionato neuter est prius bonus, quàm malus, aut malus, quàm bonus: & sic in illo statu nemo discernitur ab alio, tanquam bonus à malo. Nam qui faceret bonum, si poneretur aliqua conditio, qua posita alter faceret malum; is faceret malum, si poneretur alia conditio, qua posita alter faceret bonum. Deinde ex eo, quòd unus faceret bonum, & alter faceret malum, si poneretur aliqua conditio, non sequitur, unum esse bonum, & alterum malum, sed solùm sequitur, quòd unus esset bonus, & alter malus posita aliqua conditione: ac proinde quòd posita aliqua conditione unus ab alio discerneretur.

Præterea etiamsi in statu conditionato fieret aliqua discretio, hæc discretio esset à gratia tanquam à prima radice. Nam esset primariò, & principaliter à gratia, quæ in illa primas partes sibi meritò vindicaret: discretio enim esset à conditione, seu ab eo, quod in conditione includitur. Conditio autem includit gratiam ut causam superiorem, principalem, præmoventem, elevantem, corroborantem, & adjuvantem voluntatem, & ita prius natura influxuram in actum salutarem; voluntatem verò ut causam inferiorem, dependentem, nec acturam, nisi prius à gratia motam, excitatam, elevatam, corroboratam, & adjutam.

Inst. In nostro systemate homò primò transferret consensum salutarem à statu meræ possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ. Ergo in statu conditionato se discerneret.

Resp. Nego antec. Quia in statu conditionato nulla fit translatio: nam si fit, maximè actione futuribili. At hoc non: nam translationem fieri actione futuribili nihil aliud est, quàm translationem futuram esse, si aliquando ponenda esset aliqua conditio. Enimverò independenter ab omni translatione actus aliquis non solùm est possibilis, sed etiam futuribilis hoc ipso, quod verum est dicere: non solùm posset esse, sed etiam esset, si poneretur talis conditio. Præterea si in statu conditionato fieret translatio, hæc esset primò à gratia tanquam à prima radice, non ab hominis voluntate.

Obj. 3. In systemate scientiæ mediæ falsum est illud Christi, Joann. c. 15. *Non vos me elegistis, sed ego vos elegi.* Ergo rejicienda est. *Nego anteced. Probabis.* In hoc systemate priùs quàm Deus eligat Petrum ad conversionem, debet independenter ab omni decreto prævidere, quòd Petrus converteretur, si tali gratia præveniretur. *Sed illa* Petri conversio futuribilis sub conditione talis gratiæ est electio quædam, qua Petrus eligit Deum, se convertendo ad illum, & quidem priùs quàm eligatur à Deo in statu absoluto. Ergo Petrus priùs eligit Deum, quàm ab eo eligatur.

Resp. Nego min. Nam Petrus per illam conversionem futuribilem sub conditione talis gratiæ, nullatenus se convertit ad Deum, sed solùm se converteret ad Deum, si poneretur talis conditio: conversio enim futuribilis sub conditione, nec est, nec futura est, sed tantùm esset, si poneretur illa conditio. Nam ratione priùs quàm Deus quidquam absolutè statuat circa conversionem Petri, nec est, nec futura est conditio, sed pendet adhuc conditio: ac proinde conversio Petri, quæ est illius effectus, adhuc pendet, nec est, nec futura est, sed præcisè esset, si poneretur talis conditio. Quare pro illo priori signo rationis Petrus per suam conversionem futuribilem non eligit, nec electurus est

Deum, ſed ab utroque præſcindit, ſicut præſcindit à converſione ſua tum ut præſenti, tum ut futura.

§. V.

Solvuntur Objectiones petitæ ex S. Auguſtino.

Obj. 1. S. Auguſt. l. 1. de anima, & ejus origine c. 12. ait: *Quid, quòd ipſa exinanitur omnino præſcientia, ſi quod præſcitur, non erit. Quomodo enim rectè dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum? Quomodo ergo puniuntur peccata, quæ nulla ſunt, id eſt, quæ nec vita iſta nondum incipiente commiſſa ſunt ante carnem, nec morte præveniente poſt carnem?* Ergo ex S. Auguſt. nulla eſt præſcientia, niſi eorum, quæ futura ſunt, nec proinde extat ſcientia futuribilium.

Reſp. Nego conſeq. Nam ibi S. Doctor non loquitur de omni præſcientia, ſed de præſcientia dirigente Deum in decernendis ab æterno pœnis, ac præmiis. Hæc autem præſcientia eſt ſola præſcientia operum malorum, & bonorum ut abſolutè futurorum, & aliquando exiſtentium, ideoque ſola ſcientia viſionis. Igitur S. Doctor rectè dicit exinaniri præſcientiam requiſitam ad dirigendum Deum in decernendis ſuppliciis, & præmiis, ſi quod præſcitur, non erit; quia hæc præſcientia non eſt, niſi operum abſolutè futurorum. Nam quæ futura non ſunt, ſeu quæ nunquam erunt, nulla ſunt in æſtimatione prudenti in ordine ad puniendum, quamvis eſſent, ſi eſſet aliqua conditio. Non enim juſtè punitur, aut remuneratur, quod nunquam eſt. Quare S. Auguſtinus non excludit à Deo ſcientiam futuribilium, imò eam apertè ſupponit, & Deo tribuit, eodem capite his verbis: *Nam ſi peccata, quæ ſi homo viveret, commiſſurus eſſet, etiam non commiſſa damnantur in mortuo, nullum beneficium collatum eſt illi, qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus; quandoquidem judicabitur ſecundùm eam, quæ in illo fuerat futura, malitiam: non ſecundùm eam, quæ in illo inventa eſt, innocentiam.*

Obj. 2. S. Auguſtinus, l. 2. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, c. 7. ait: *Quomodo præſcivit ea futura, quæ illis in infantia morituris, quia præſcientia ejus falli non poteſt, præſcivit potiùs non futura?* Ergo rejicit ſcientiam futuribilium.

Reſp. Nego conſeq. Quia ibi loquitur de præſcientia, quæ moveat Deum ad diligendum, vel odio habendum, ideoque de præſcientia abſoluta, qua Deus præſcit bona, & mala opera abſolutè futura, & aliquando exiſtentia. Et rectè negat futuribilia ſub conditione, quæ nunquam ponetur, eſſe futura; nam futuribile ſub conditione non eſt propriè futurum, ſed futurum eſſet, ſi poneretur aliqua conditio.

Itaque S. Doctor hic ſolùm vult, dici non poſſe, quòd Deus præſciat ut futura bona, & mala opera hominum in infantia morientium, ſicut dicebant Pelagiani, Deum præſciviſſe ut futura opera Jacob, & Eſau, & idcirco unum dilexiſſe propter bona opera præviſa ut futura, alterum verò odiſſe propter mala opera præviſa ut futura. Hoc autem dicebant Pelagiani, ut reſponderent S. Doctori, qui ad probandum contra illos prædeſtinationem, & reprobationem negativam adſcribendas eſſe ſoli beneplacito Dei, adduxerat poſt Apoſtolum exemplum Jacob, & Eſau, quorum primum dilexit Deus, alterum verò odio habuit, ſeu neglexit, antequam quidquam *boni*, aut mali egiſſent.

Jam verò S. Auguſtinus ut Pelagianorum reſpondentium Deum quidem dilexiſſe Jacob, & odiſſe Eſau, antequam quidquam egiſſent, ſed non antequam quidquam acturi præviſi eſſent, os obſtrueret, oppoſuit illis exemplum duorum infantium, quorum unus poſt Baptiſmum, alter ante Baptiſmum moritur, ſicque unus eligitur, alter verò rejicitur, nec tamen dici poteſt, eum, qui eligitur, eligi, quia præſciuntur ejus opera bona futura: aut eum, qui non eligitur, rejici, quia præſciuntur mala ejus opera futura. Cùm enim Deus ab æterno præſciverit eos in infantia morituros, opera bona, vel mala, quæ in adulta ætate fuiſſent, non ut futura, ſed è contrà ut non futura præſcivit ab æterno. Quod patet ex eod. cap. ubi ait: *Sed ut vobis auferretur omnis veſtræ caliginis latebra, propterea*

rea geminos tales proposui, qui neque Parentum meritis juvarentur, & ambo infantiæ primordio unus baptizatus, alter sine Baptismate, morerentur; ne diceretis Deum, sicut de Jacob, & Esau contra Apostolum dicitis, opera eorum futura præsciisse. Quomodo enim præscivit ea futura, quæ illis in infantia morituris, &c. ut suprà.

Obj. 3. S. Augustinus, lib. de prædestinatione Sanctorum, c. 12. de Semipelagianis loquens ait: *Unde hoc talibus viris in mentem venerit, nescio, ut futura, quæ non sunt futura, puniantur, aut honorentur merita parvulorum.*

Resp. Ibi solùm negat puniri, vel honorari opera, quæ nunquam futura fuerunt, & Deum habere illorum rationem in decernendis pœnis, & præmiis, ut dicebant Semipelagiani. Nam opera, quæ nunquam sunt, nulla, & nullius considerationis sunt in æstimatione prudenti relatè ad puniendum, & remunerandum, quamvis essent, si ponere tur aliqua conditio.

Obj. 4. S. Augustinus, l. de prædestin. Sanctorum, c. 14. exponens illud Sap. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus*, hæc ait: *dictum est secundùm pericula vitæ hujus, non secundùm præscientiam Dei, qui hoc præscivit, quod futurum erat, non, quod futurum non erat, id est, quod ei mortem immaturam fuerat largiturus, ut tentationum subtraheretur incerto, non quòd peccaturus esset, qui mansurus in tentatione non esset.* At ibi S. Doctor negat præscientiam eorum, quæ non sunt absolutè futura: Ergo.

Resp. Nego min. Quia ibi S. Doctor per præscientiam Dei intelligit præscientiam absolutam, seu scientiam visionis, qua Deus præscit ea tantùm, quæ reipsa futura sunt. Igitur hujus loci sensus est: illud, *raptus est*, &c. dictum est secundum pericula hujus vitæ, in quibus scilicet Deus per scientiam futuribilium certò præsciebat justum illum peccaturum esse, si diutiùs viveret: non autem secundùm præscientiam Dei absolutam, qua Deus præviderit eum absolutè peccaturum; cùm enim mansurus in tentatione non esset, sed ex hac vita migraturus: non potuit præsciri absolutè peccaturus.

Quod autem S. Doctor senserit, Deum revera præsciviisse peccatum futuribile illius Justi, si diutiùs viveret, patet tum ex dictis, l. de anima, & ejus origine, c. 12. tum ex hoc capite, ubi ait: *Si judicarentur homines pro meritis suæ vitæ, quæ non habuerunt morte præveniente, sed habituri essent, si viverent; nihil prodesset ei, qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus. Quod nullus dicere Christianus audebit.* Quibus verbis S. Augustinus contra Semipelagianos probat, neminem judicari secundùm mala merita futuribilia, sed nunquam futura, quia alioquin nil prodesset Justo illi, qui immatura morte raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, quod Scripturæ repugnat. Hæc autem argumentatio nullam vim haberet, nisi hoc apertè supponeret, & subintelligeret, nempe, quia talis Justus à Deo damnaretur propter mala merita, quæ habiturus esset, & à Deo præscitur habiturus fuisse, si diutiùs viveret. Et sic Deus tali Justo beneficium non contulisset, eum ex vita eripiendo, antequam ea peccata futuribilia commisisset.

Obj. 5. S. Augustinus, l. de prædestin. Sanctorum, c. 10. ait: *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* At S. Doctor per prædestinationem intelligit decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte objecti, & dicit, Deum dependenter à tali decreto nosse omnes actus liberos etiam futuribiles. Ergo.

Resp. Nego min. Nam per prædestinationem intelligit absolutam, & efficacem præparationem mediorum salutis efficacium, quæ electis dantur in tempore. Nam l. de dono perseverantiæ, c. 14. prædestinationem definit: *Præscientiam, & præparationem beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur*; & addit, eam nullo modo spectare reprobos: *Cæteri autem*, inquit, *ubi, nisi in massa perditionis Justo divino judicio relinquuntur? Ubi Tyrii relicti sunt, & Sydonii.* At juxta Adversarios decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte objecti spectat etiam reprobos, &

Ty-

Tyrios, & Sydonios : ac proinde Sanctus Auguſtinus illud non intellexit nomine prædeſtinationis. Præterea per præſcientiam loco citato intelligit præſcientiam abſolutam, ſeu ſcientiam viſionis, qua Deus ab æterno præſcivit, quæ fuit ipſe facturus abſolutè in tempore, nempe bona opera Electorum. Deus autem facit bona noſtra opera, faciendo, ut ea faciamus, ut ibidem S. Doctor docet: & facit, ut ea faciamus, nos vocando, quomodo ſcit congruere, ut vocantem non reſpuamus, ut docet l. ad Simplician. loco ſuprà citato.

Hanc verò ſcientiam abſolutam bonorum operum rectè fundat in prædeſtinatione. Nam Deus præſcit bona noſtra opera abſolutè futura, quia abſolutè futura ſunt; & non ſunt futura abſolutè, niſi quia à Deo prædeſtinata, & præparata ſunt, id eſt, quia Deus ab æterno ex ſpeciali, & merè gratuita erga Electos benevolentia eis præparavit gratias efficaces, quibuscum certè infallibiliter opera ſalutaria facturi ſunt in tempore, & ſine quibus nunquam facturi fuiſſent. Et conſequenter ratione priùs eſt Deum prædeſtinaſſe opera noſtra ſalutaria, quàm ea præſcire præſcientia abſoluta; nec ea præſciret abſolutè, niſi priùs ea prædeſtinaſſet, ſeu prædefiniviſſet.

Inſt. Hæc verba *(quæ fuerat ipſe facturus)* ſignificant opera futuribilia.

Reſp. Nego. Quia S. Doctor per verba illa *(facturus fuerat)* idem intelligit, ac ſi diceret: facturus erat, ſeu facere decreverat, ut patet tum ex his verbis immediatè illa ſequentibus: *Unde dictum eſt: fecit, quæ futura ſunt*: tum ex iſtis ejusdem capitis: *Quando promiſit Deus Abrahæ in ſemine ejus fidem Gentium, dicens: Patrem multarum Gentium poſui te... promiſit, quod ipſe facturus fuerat.* Certè per verba illa *(facturus fuerat)* intelligit rem abſolutè futuram, nempe fidem Gentilibus donandam, quam ſe per Chriſtum donaturum abſolutè promiſerat, & reipſa donavit.

Obj. 6. S. Auguſtinus, lib. de prædeſtinatione Sanctorum, c. 9. poſtquam retulit illud, quod in libro contra Porphirium dixerat, nempe *tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant crediturí*, hæc ait: *Cernitisne, me ſine præjudicio latentis conſilii Dei, aliarumque cauſarum, hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe, quod convincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæſtionem, ſufficere videretur? Quid enim eſt verius, quàm præſciſſe Chriſtum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant crediturí? Sed utrùm prædicato ſibi Chriſto, à ſe ipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi: id eſt, utrùm tantummodo eos præſcierit, an etiam prædeſtinaverit Deus, quærere, ac diſſerere, tunc neceſſarium non putavi.* Ex quibus hoc fit argumentum. S. Doctor, cùm in l. contra Porphirium aſſerit, tunc voluiſſe apparere Chriſtum hominibus, quando ſciebat, &c. loquebatur de ſcientia conditionalium, ſeu futuribilium, qua Chriſtus præſciebat, quinam, quando, & ubi in eum crediturí eſſent, ſi eis prædicaretur Evangelium; & ipſe verbis laudatis teſtatur, ſe hoc dixiſſe ſine præjudicio latentis conſilii Dei. Atqui illud latens conſilium eſt decretum abſolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte objecti. Ergo S. Auguſtinus cenſuit, ſcientiam futuribilium ab hoc decreto pendere.

Reſp. Eſto major; quamvis probabilius de ſcientia abſoluta intelligatur, nego min. Nam S. Doctor per illud latens conſilium intelligit prædeſtinationem, nempe voluntatem abſolutam, & efficacem, qua Deus ab æterno ex pura miſericordia Electis media ſalutis efficacia, & ipſam perſeverantiam finalem præparavit, ſeu dare ſtatuit, aliis in maſſa perditionis relictis, ut patet ex capite citato, & his verbis, verba objecta immediatè ſequentibus: *Proinde quod dixi, tunc voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam, quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui in eum fuerant crediturí: poteſt etiam ſic dici: tum voluiſſe hominibus apparere Chriſtum, & apud eos prædicari doctrinam ſuam; quando ſciebat, & ubi ſciebat eſſe, qui electi fuerant in ipſo an-*

te

te mundi conſtitutionem. Quare illud latens conſilium ſolos prædeſtinatos ſpectat.

Inſt. In doctrina S. Auguſtini idem eſt Deum ſolummodò præſcire fidem hominum futuram, ac homines illam habituros à ſe; & idem eſt habere fidem Deo donante, ac Deum eorum fidem prædeſtinaſſe. At homines in ſtatu conditionato non ſunt habituri fidem à ſeipſis, ſed Deo donante. Ergo Deus in ſtatu conditionato eorum fidem prædeſtinavit; ac proinde in illo ſtatu non præſcivit fidem, niſi dependenter à decreto abſoluto, &c.

Reſp. Nego min. Quia eſt de falſo ſupponente, ſeu ſupponit falſum. Equidem multi homines in ſtatu abſoluto conſiderati habent, & habituri ſunt fidem, non à ſe ipſis, ſed Deo donante, nempe fideles omnes: at in ſtatu conditionato ſpectati nec habent, nec habituri ſunt fidem neque à ſe ipſis, neque à Deo. Nam in ſtatu conditionato nihil habent homines pro ulla temporis differentia, quamdiu non extat conditio, quæ ſolùm in ſtatu abſoluto ponitur. Igitur de hominibus in ſtatu conditionato conſideratis ſolùm dici verè poteſt: habituri eſſent fidem Deo donante, ſi Deus prædeſtinaret illos ad credendum. Unde ſequitur tantùm, ſcientiam operum ſalutarium, & futuribilium pendere à prædeſtinatione divina non ut exiſtente, ſed duntaxat ut poſſibili, & conditionata, ſive ut poſſibili ſuppoſita exiſtere.

Obj. 7. S. Auguſtinus, l. de bono perſev. c. 18. ait. *Deum prædeſtinaſſe, eſt hoc præſciviſſe, quod fuerat ipſe facturus. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædeſtinationem intelligere;* Sed hoc erit falſum, ſi detur ſcientia conditionalium independens à decreto abſoluto exiſtente, &c. Ergo.

Reſp. Nego min. Nam juxta S. Auguſtinum præſcientia illa, per quam dicit intelligi poſſe prædeſtinationem, & quam vult eſſe ſemper connexam cum prædeſtinatione, eſt præparatio abſoluta, & efficax donorum Dei, quæ dantur electis, vel præſcientia abſoluta ſemper connexa cum prædeſtinatione, ſeu præparatione illa, & ab ea dependens, ut conſtat ex capite citato, & ex capite præcedenti nempe 17. ubi ait: *Hæc itaque dona, quæ dantur electis ſecundùm Dei propoſitum vocatis... Hæc inquam, Dei bona, ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur à Deo: præſciuntur autem: hæc eſt igitur prædeſtinatio, quam defendimus. Unde aliquando eadem prædeſtinatio ſignificatur etiam nomine præſcientiæ.* Ergo præſcientia, de qua ibi loquitur S. Doctor, eſt præſcientia abſoluta donorum Dei, quæ dantur electis ſecundùm Dei propoſitum vocatis. Hæc autem præſcientia pendet à prædeſtinatione, quæ eſt præparatio donorum Dei cum perſeverantia finali conjunctorum, & ita pendet, ut pro illa ſumi poſſit.

Obj. 8. Illud Dei propoſitum, quod Sanctus Auguſtinus contra Semipelagianos tuetur, eſt decretum abſolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte objecti, à quo pendet ſcientia conditionalium.

Reſp. Hoc eſt evidenter falſum. Nam (ut patet ex libris de prædeſtinatione Sanctorum, & dono perſeverantiæ) hoc Dei propoſitum ſpectat ſolos electos, & eſt voluntas abſoluta, ac efficax, qua Deus ab æterno ante prævisionem ullius meriti, & demeriti perſonalis abſolutè futuri, & poſt ſolam peccati originalis, & meritorum Chriſti prævisionem abſolutam, aliquos ex pura miſericordia, & ex ſolo beneplacito elegit ad ſanctitatem per finalem perſeverantiam conſummandam, cæteris in maſſa perditionis relictis.

Obj. 9. S. Auguſtinus docet Deum nullum præſcire opus pietatis, quod non abſolute decrevit in nobis efficere.

Reſp. Loquitur de præſcientia abſoluta, nempe ſcientia viſionis operum ſalutarium abſolutè futurorum. Sed præter hanc ſcientiam admiſit ſcientiam operum pietatis futuribilium, quamvis nunquam futurorum ut conſtat ex dictis, & ex l. de dono perſeverantiæ, c. 9. ubi ait. *Nanquid poſſumus dicere Tyrios, & Sydonios taliibus apud ſe virtutibus factis credere noluiſſe, aut credi-*

turos non fuisse, si fierent? Cum eis ipse Dominus attestetur, quòd acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum. Et paulò ante. *Si apud illos facta essent (miracula) in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent, sicut se habent eloquia divinitatis.* Ergo ex S. Augustino Tyrii acturi essent pœnitentiam sub conditione miraculorum, quia Christus id testatur, quamvis hæc pœnitentia nunquam extiterit, nec extitura sit. Ergo agnoscit in Christo certam cognitionem operis salutaris futuribilis, & nunquam futuri.

§. VI.

Solvuntur Objectiones ex S. Thoma petitæ.

Obj. 1. Scientia media repugnat Divo Thomæ, ergo rejicienda est.

Resp. Nego anteced. Imò S. Doctor eam quoad rem admisit, nempe admisit in Deo cognitionem certam liberorum futuribilium independentem ab omni decreto absoluto existente: nam, 1. p. q. 14. a. 9. sic ait: *Deus scit omnia, quæcunque sunt, quocunque modo. Nihil autem prohibet ea, quæ non sunt simpliciter, aliquo modo esse; simpliciter enim sunt, quæ actu sunt: ea verò, quæ non sunt actu, sunt in potentia vel ipsius Dei, vel creaturæ; sive in potentia activa, sive in potentia passiva, sive in potentia opinandi, vel imaginandi, vel quocunque modo significandi. Quæcunque igitur possunt per creaturam fieri, vel cogitari, vel dici, & etiam quæcunque ipse facere potest, omnia cognoscit Deus, etiamsi actu non sint. Et pro tanto dici potest, quod habet etiam non entium scientiam.* Et art. 14. *Cùm formare enuntiabilia sit in potestate intellectus nostri; Deus autem sciat, quidquid est in potentia sua, vel creaturæ; necesse est, quod Deus sciat omnia enuntiabilia, quæ formari possunt.* Ex quibus sic argumentor. Ex S. Thoma Deus cognoscit omnes propositiones, quæ ab Angelo, vel homine fieri possunt, & earum veritatem, aut falsitatem. Atqui supponendo nulla extare decreta absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte objecti, vel quælibet alia decreta absoluta, possunt fieri ab homine, vel Angelo propositiones conditionales contradictoriæ de actibus liberis creaturæ liberè futuribilibus, quarum una est determinatè vera, & altera determinatè falsa. Nam possibilitas harum propositionum, sicut & aliarum rerum omnium possibilium, est independens ab omni decreto divino actu existente, cùm sit quid absolutè necessarium. Ergo ex S. Thoma, supponendo nulla extare ejusmodi decreta, adhuc Deus cognoscit veritatem, vel falsitatem innumerarum propositionum conditionalium contradictoriarum de actibus libere futuribilibus. At Deus non potest cognoscere veritatem, vel falsitatem illarum propositionum, quin cognoscat etiam, imò ratione priùs, actus liberè futuribiles, vel non futuribiles, qui sunt objectum harum propositionum. Ergo in doctrina Sancti Thomæ, supponendo nulla extare decreta existentia, Deus cognoscit actus creatos liberè futuribiles, & non futuribiles sub qualibet conditione. Ergo in doctrina Sancti Thomæ Deus scientiam liberorum futuribilium sub conditione habet independenter ab omni decreto existente.

Obj. 2. Sanctus Thomas agens de modo conciliandi libertatem hominis cum decretis divinis, recurrit ad infinitam efficaciam voluntatis divinæ, quæ non solùm vult substantiam actus, sed etiam modum, nempe libertatem ejus. Ergo non agnovit scientiam mediam etiam quoad rem.

Resp. Nego conseq. Nam juxta S. Doctorem divina voluntas eatenus habet hanc infinitam efficaciam, quatenus habet in sua potestate plura, & plura in infinitum media de se repudiabilia, sed tamen certò, & infallibiliter habitura effectum, si dentur: quibuscum proinde potest nos efficaciter, ac infallibiliter movere ad bonum liberè agendum; quia per scientiam mediam certam, & infallibilem Deus novit nos bonum acturos esse liberè, si talia nobis media donet.

Obj. 3. S. Thomas, in 1. sent. dist. 38. q. 1. art. 5. ad 2. ait: *Futurum contingens non est determinatè verum, antequam fiat, quia non habet causam determinatam.*

Resp.

Resp. Id nobis non adversatur, quia Sanctus Doctor loquitur de futuro libero considerato secundùm esse, quod habet in sua causa proxima spectata in actu primo: non verò de futuro considerato secundùm esse, quod habet in se pro aliqua differentia temporis. Igitur in doctrina S. Thomæ liberum absolutè futurum considerari potest dupliciter, nempe secundùm esse, quod habet in sua causa proxima spectata in actu primo: & secundùm esse, quod habet in se pro aliqua differentia temporis. Primo modo consideratum non est determinatè verum ut futurum, sed est aliquid indeterminatum, seu (ut loquitur S. Thomas) contingens ad utrumlibet; quia ejus causa proxima considerata in actu primo est indifferens ad ejus productionem, vel non productionem. At liberum absolutè futurum, si consideretur secundùm esse, quod habet in se, seu per causam suam proximam in actu secundo sumptam pro tempore consequente, est determinatè futurum, & de illo determinatè verum est dicere: erit, quia de illo determinatè verum est dicere pro tempore consequente: est: causa illud producit.

Similiter liberum futuribile sub conditione, si consideretur secundùm esse, quod habet in sua causa proxima in actu primo spectata, non est determinatè futuribile, sed indeterminatè etiam suppositâ conditione, quia ejus causa proxima sic spectata, est indifferens ad illud ponendum, vel non ponendum. At liberum futuribile, si consideretur secundùm esse, quod haberet in se, seu quod haberet per suam causam proximam in actu secundo spectatam, si poneretur aliqua conditio, jam est determinatè futuribile, & de illo verum est dicere: futurum esset, si poneretur talis conditio; quia de illo determinatè verum est dicere: esset pro tali tempore, causa illud poneret pro tali tempore, si pro tali tempore poneretur conditio. Unde propositio de libero futuribili considerato secundùm esse, quod haberet in se, est quoad se determinatè vera, & ejus veritas à Deo certò cognoscitur.

Obj. 4. S. Thomas multa docet, quæ adversantur scientiæ mediæ. Nam docet 1. scientiam Dei non mensurari à rebus, quantùm ad veritatem, & certitudinem. 2. Non ideo res sciri à Deo, quia futuræ sunt; sed ideo futuras esse, quia sciuntur à Deo 3. Scientiam Dei esse priorem rebus.

Resp. ad 1. S. Doctor solùm intendit, quòd intellectus divinus ex se verè, ac certò repræsentet res omnes ut sunt, ita ut veritatem, ac certitudinem suarum cognitionum non habeat ab objectis cognitis, sed ex sola sua perfectione infinita.

Resp. ad 2. Loquitur de rebus futuris absolutè, & de scientia simplicis intelligentiæ, atque scientia *futuribilium*, seu conditionalium. Nam revera res absolutè futuræ non ideo sciuntur à Deo scientia simplicis intelligentiæ, & scientia futuribilium, quia futuræ sunt; sed è contra scientia simplicis intelligentiæ, & scientia futuribilium sunt causa directiva liberorum, absolutè futurorum, quatenus dirigunt decreta divina de illorum existentia.

Resp. ad 3. Loquitur de rebus aliquando existentibus, quibus prior est scientia simplicis intelligentiæ, quatenus dirigit Deum in productione rerum omnium.

Obj. 5. S. Thomas docet futuritionem rei esse denominationem extrinsecam, petitam ex actuali determinatione causæ ad illam producendam.

Resp. Loquitur de rebus absolutè futuris, non de futuribilibus; quæ non sunt prorsus idem. Nam res futuribilis spectata præcisè ut *futuribilis non est futura*; sed solùm esset futura, si poneretur aliqua conditio. Præterea S. Doctor loquitur de futuritione rei in causa, quæ revera est denominatio extrinseca rei: non autem de futuritione rei in se, seu (ut loquitur) in eventu, quæ est denominatio intrinseca rei petita scilicet ab entitate rei, quæ non est tempore præsenti, sed erit tempore consequente.

Obj. 6. S. Thomas, 1. p. q. 14. art. 9. scientiam divinam dividit adæquatè in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis. Ergo non agnovit scientiam mediam.

Resp. Distin. conseq. Non agnovit quoad vocem; *conc. conseq.* Quoad rem, *nego conseq.* Nam eodem loco statuit principium, ex quo clare evincitur scientia futuribilium, independens ab omni decreto actuali, ut probatum est. Ideo autem sic adæquatè scientiam Dei dividit, quia adæquatè dividit omne scibile in illud, quod aliquando est, & illud, quod nunquam est; & per scientiam visionis intelligit scientiam omnium scibilium, quæ aliquando sunt. Per scientiam verò simplicis intelligentiæ intelligit scientiam omnium scibilium, quæ nunquam sunt. Cùm autem libera futuribilia alia sint reipsa aliquando futura, alia nunquam futura, sequitur in hac scientiæ divisione scientia media partim sub scientia visionis, partim sub scientia simplicis intelligentiæ comprehendi, ut hic S. Thomas, & alii veteres Theologi comprehenderunt. Ex quo sequitur scientiam simplicis intelligentiæ ex aliqua sui parte contingentem esse: scientiam verò visionis ex aliqua sui parte independentem esse à decreto actuali: quod verum est in hypothesi scientiæ divinæ adæquatè divisæ in eam, quæ versatur circa omnia, quæ aliquando sunt: & eam, quæ versatur circa omnia, quæ nunquam sunt.

Porro S. Thomas ibi non intendit exactam scientiæ divinæ divisionem tradere, sed probare Deum cognoscere non entia, id est, ea, quæ nunquam existunt, sive existere possint, sive non. Commodiùs autem scientia divina dividitur in triplicem, videlicet in scientiam simplicis intelligentiæ, quæ est possibilium præcisè ut possibilium: scientiam visionis, quæ existentium præcisè ut existentium pro aliquo tempore: & scientiam mediam, quæ est libere futuribilium sub conditione præcisè ut futuribilium.

Obj. 7. S. Th. admisit decreta prædeterminativa. Ergo non admisit scientiam mediam.

Resp. Nego anteced. Nam nunquam admisit prædeterminationem physicam, ut probatur in Tract. de Gratia.

Obj. 8. S. Thomas refundit libertatem, & contingentiam rerum in voluntatem divinam, tanquam in primum liberum.

Resp. Rectè, & verè refundit. Nam causæ non sunt liberæ, nec agunt liberè, nisi quia Deus liberè vult eas esse liberas, & liberè agere. Deus autem quia vult causas liberas liberè agere, non eas prædeterminat, sed eas sic præmovet ad agendum, ut possint non agere in sensu composito talis præmotionis.

§. VII.

Solvuntur Objectiones seu diluuntur calumniæ Pelagianismi, & Semipelagianismi.

Obj. 1. Scientia Media est dogma Pelagianorum, & Semipelagianorum. Ergo rejici debet.

Resp. Nego anteced. Nam scientia media efficaciter probatur ex Scriptura, & admissa fuit à Sancto Augustino.

Obj. 2. Pelagiani, & Semipelagiani admittebant scientiam mediam, quam reprobat Sanctus Augustinus. Sed illa scientia media ab illis admissa, non est diversa à nostra. Ergo.

Resp. 1. Nego maj. Nam S. Augustinus in illis reprobat non ipsam scientiam mediam spectatam præcisè, ut est scientia futuribilium independens ab omni decreto absoluto existente, sed abusum hujus scientiæ, à quo nos vehementer abhoremus.

Resp. 2. Nego min. Nam juxta Pelagianos scientia futuribilium, seu conditionalium quoad actus salutares fuit ea, qua Deus novit opera salutaria sub sola conditione legis, & doctrinæ, & independenter à gratia interna, seu pia motione supernaturali voluntatis. Pelagiani enim etiam pro statu naturæ lapsæ necessitatem gratiæ interioris, præsertim voluntatem immediatè afficientis, negabant, & semper docuerunt ad actus salutares sufficere gratiam externam, nempe legem, doctrinam, & exempla Christi, nec gratiam internam illustrationis agnoverunt, nisi ad faciliùs posse. Juxta Semipelagianos verò scientia futuribilium quoad fidem inchoatam,

tam, orationem, & desideria salutis est ea, qua Deus novit hos actus futuribiles sub conditione solius prædicationis Evangelii independenter à gratia interna: nempe interioris adjutorii, voluntatem immediatè afficientis, & prævenientis necessitatem negabant pro fide initiali, oratione, desiderio bono ad salutem conducente. At scientia media, quam admittimus, est ea, qua Deus certò novit opus salutare hominis, & ipsum initium fidei, futuribile sub conditione non solùm gratiæ externæ, sed etiam, & potissimum gratiæ interioris tum illustrationis, tum piæ motionis voluntatem immediatè afficientis, tanquam omnino necessariæ ad quodlibet opus ad salutem conducens, & gratis dandæ; ita ut sine gratia illa interna, supposita existere, non possit aliquod opus ad salutem conducens præsciri. Unde sic argumentor. Illæ scientiæ sunt diversæ etiam quoad substantiam, quarum una est impossibilis, & chimærica, & altera est possibilis. Atqui scientia futuribilium à Pelagianis, & Semipelagianis admissa est impossibilis, & chimærica, nostra verò scientia media est possibilis. Ergo illæ scientiæ differunt inter se etiam quoad substantiam. Major patet: nam quod est idem quoad substantiam, & essentiam cum re possibili, est verè possibile. *Prob. min.* Ea scientia est verè impossibilis, & repugnat Deo, quæ repræsentat futuribile eo modo, quo *futuribile esse non potest*: illa verò est possibilis, imò extat, quæ repræsentat futuribile eo modo, quo futuribile esse potest, & reipsa est. At scientia futuribilium ab illis hæreticis admissa repræsentat actus salutares eliciendos solis naturæ viribus independenter à gratia interna, saltem voluntatis, sine qua tamen elici non possunt, ut fide constat; è contra nostra scientia media repræsentat opus salutare, & initium fidei, desiderium salutis, & orationem futuribilia dependenter à gratia interna; quod non solùm fieri potest, sed etiam reipsa fit. Ergo scientia illorum hæreticorum est impossibilis, & repugnat Deo: nostra verò est possibilis, & inest Deo. Porrò nostra differt etiam ab illa altera quoad usum, & finem.

Obj. 3. Pelagiani, & Semipelagiani utebantur scientia media ad tuendum suos errores contra prædestinationem gratuitam ad fidem, & gratiam: Ergo scientia media est dogma Pelagianum.

Resp. 1. Nego anteced. Nam Pelagiani non agnoverunt veram scientiam mediam quoad ullum opus salutare, neque etiam Semipelagiani quoad fidem inchoatam, & initia quædam bonæ voluntatis ad salutem conducentia.

Resp. 2. Nego conseq. Nam iidem hæretici usi sunt scientia absoluta, seu scientia visionis ad propugnandum errores suos; & tamen non inde sequitur, præscientiam absolutam esse dogma Pelagianum: scientiæ enim abusus non est ipsa scientia, nec eam malam efficit.

Pelagiani autem abusi sunt præscientia absoluta, seu scientia visionis contra gratuitam prædestinationem. Nam dicebant, Deum ad gloriam prædestinasse eos, quos absolutè prævidit præcepta divina ex solis naturæ viribus servaturos usque in finem: & sic homines prædestinari ad gloriam propter merita naturalia absolutè prævisa, & futura. Eadem scientia abutebantur ad reddendam rationem, cur Deus dilexerit Jacob, & odio habuerit Esau, antequam quidquam egissent. Dicebant enim, Jacob, antequam natus esset, dilectum à Deo fuisse propter bona ejus opera futura, & prævisa absolutè: Esau verò, antequam natus esset, odio habitum propter mala ejus opera futura, & prævisa absolutè, ut constat ex S. Augustino, lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum, cap. 7. ubi S. Doctor ad eos refellendos opponit duos geminos ex meretrice natos, & expositos, quorum unus cum Baptismo, alter sine Baptismo moritur: de quibus profectò dici non potest, quòd unus fuerit à Deo electus propter bona opera, alter verò reprobatus propter mala opera futura, & prævisa absolutè.

Semipelagiani quoque eadem scientia visio-

sionis abusi sunt contra gratuitam prædestinationem ad gratiam. Dicebant enim, Deum eos homines ad opera salutaria, & sanctitatem elegisse, quos absolutè prævidit habituros esse fidem inchoatam, & quædam initia bonæ voluntatis ex solis naturæ viribus: & sic homines ad sanctitatem eligi propter fidem inchoatam ex solis naturæ viribus elicitam. Utrumque constat ex Sancto Augustino, lib. de prædestinatione Sanctorum, cap. ubi de Pelagianis hæc ait: *Ipsi putant, acceptis præceptis, jam per nos ipsos fieri liberæ voluntatis arbitrio Sanctos, & immaculatos in conspectu ejus in charitate: quod futurum Deus quoniam præscivit, inquiunt, ideo nos ante mundi constitutionem elegit, & prædestinavit in Christo.* Et paulò infrà hæc de Semipelagianis ait: *Nos autem dicimus, inquiunt, nostrum Deum non præscisse, nisi fidem, qua credere incipimus, & ideo nos elegisse ante mundi constitutionem, ac prædestinasse, ut jam Sancti, & immaculati gratia, atque opere ejus essemus.*

Inter illos autem hoc erat discrimen, quod Pelagiani dicerent, homines ad gloriam prædestinari propter merita naturalia absolutè futura: Semipelagiani verò fatebantur, homines ad gloriam prædestinari propter sola merita supernaturalia; sed asserebant, homines ad sanctitatem eligi, & prædestinari propter aliqua opera naturalia, nempe fidem inchoatam, & desideria quædam salutis ex solis viribus naturalibus elicita; atque gratiam ad merita supernaturalia comparanda necessariam dari intuitu fidei, orationis, boni desiderii, merè naturalium.

Obj. 4. Pelagiani, & Semipelagiani usi sunt scientia media ad eundem finem, ad quem nos eam adhibemus. Ergo.

Resp. Nego anteced. Nam Pelagiani usi sunt scientia conditionalium, seu futuribilium ad reddendam rationem, quare ex duobus parvulis in infantia morientibus Deus unum baptizatum rapiat, alterum non baptizatum, ut docet S. Augustinus, Epist. 105. Semipelagiani verò eadem scientia usi sunt tum ad reddendam rationem cum Pelagianis, quare ex duobus parvulis unus baptizatus, alter non baptizatus moriatur, & ita unus salutem consequatur, alter non: tum etiam ad reddendam rationem, quare hoc tempore, & non alio, his nationibus, & non aliis prædicatum sit Evangelium, ut testatur S. Prosper, Epist. ad S. Augustinum. Nos autem dicimus, nullam aliam esse rationem, quàm voluntatem Dei, qui, cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat; nec adhibemus scientiam mediam, nisi ad concilianda fidei dogmata.

Obj. 5. Saltem scientia media, Pelagianorum, & Semipelagianorum erroribus, non nihil favet. Ergo rejici debet.

Resp. Nego anteced. Nam 1. vera scientia media, qualem admittimus, non repræsentat ullum actum ad salutem conducentem, nec fidem initialem futuribilem, nisi sub conditione gratiæ interioris, ut absolutè necessariæ ad omnem actum conducentem ad salutem: & sic differt quoad substantiam à scientia futuribilium ab illis admissa.

2. In nostra doctrina Deus nullatenus movetur scientia bonorum operum futuribilium ad quidquam decernendum, sed solùm ab ea dirigitur, ut sapienter, & non cœco modo aliquid statuat circa prædestinationem hominum, & bonorum operum prædefinitionem. Imò in systemate scientiæ mediæ Deus non potest hac scientia moveri: alioqui omnes homines salvarentur simul, & damnarentur. Nam nullus est homo, cujus Deus non prævideat opera bona, & mala futuribilia sub aliqua conditione; qui enim bonum acturi essent, si ponerentur in talibus circumstantiis, *in quibus* alii peccaturi essent; iidem peccaturi essent in aliis circumstantiis, in quibus alii bonum agerent. Imò nullus est, quem Deus in quibuslibet circumstantiis non præsciat bonum facturum, si certa aliqua gratia donaretur, & peccaturum, si tali gratia privaretur. Quare à veræ scientiæ mediæ defensoribus quærenti, cur Deus ex multis parvulis morientibus alios voluerit efficaciter, alios non efficaciter voluerit baptizari, & salvari? cur ex multis adultis infidelibus aliis voluerit efficaciter, aliis non efficaciter voluerit Evan-

ge-

gelium prædicari ? cur aliis voluerit ab æterno dare, & det in tempore gratias congruas, aliis non voluerit ab æterno dare, nec det ? cur ex pluribus justis aliis det donum perseverantiæ, aliis non det ? Ad hæc omnia nihil aliud respondent, nec respondere possunt, nisi illud Apostoli : *O altitudo ! non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Idque totum refundunt in solum beneplacitum Dei.

Obj. 6. In systemate scientiæ mediæ prædestinatio ad gratiam fit secundùm præscientiam boni usus liberi arbitrii. At hoc est Semipelagianum. Ergo.

Resp. Nego maj. Nam bonus liberi arbitrii usus futuribilis est à gratia, si detur; & illius præscientia dirigit quidem Deum prædestinantem, sed non movet ad prædestinandum : bonus enim liberi arbitrii usus futuribilis non habet, nec habere potest rationem meriti, neque etiam prædestinatio ad gratiam fit secundùm præscientiam boni usus libertatis absolutè futuri : nam in nostro systemate bonus usus libertatis absolutè futurus supponit actualem prædestinationem ad gratiam; ac proinde ratione prius est in Deo prædestinatio ad gratiam ; quàm præscientia boni usus libertatis absolutè futuri.

Obj. 7. S. Augustinus in Semipelagianis reprehendebat scientiam liberorum futuribilium, seu conditionatè futurorum independentem à decreto actuali absoluto.

Resp. Nego. Nam nunquam fuit controversia inter Sanctum Doctorem, & Semipelagianos, utrùm scientia futuribilium supponeret decretum actuale, an non ? sed an gratia interna etiam ex parte voluntatis esset necessaria ad initium fidei, & bonæ voluntatis ? & an gratuitò donaretur à Deo ? item an prædestinatio ad fidem, & gratiam esset gratuita ? Sed Semipelagianis abusus scientiæ conditionalium, seu futuribilium sub conditione reprehendendus erat ex multiplici capite, nempe quòd in conditione non includerent gratiam internam, ut necessariam ad fidem inchoatam, & ad omnem actum aliquid ad salutem conducentem ; & quòd dicerent, Deum moveri tali scientia ad dandam gratiam.

Cæteræ Objectiones pertinent ad Tractatum de Gratia, in quo solventur.

§. VIII.

Solvuntur Objectiones petitæ ex ratione.

Obj. 1. Deus videt actus bonos futuribiles in delectatione cœlesti gratiæ prædominanti, & actus malos futuribiles in terrestri delectatione concupiscentiæ prædominanti, seu intensiore. Ergo non datur scientia media.

Resp. Nego anteced. Nam Deus videre non potest actus bonos, & malos in delectatione intensiore vel gratiæ, vel concupiscentiæ futuribiles, nisi sit connexio necessaria inter gratiam, vel concupiscentiæ motum intensiorem cum consensu voluntatis, ita ut gratia intensior concupiscentiâ necessitet voluntatem ad bonum, & concupiscentiæ motus intensior eam necessitet ad malum. At hoc dici non potest : nam si necessitat, vel imponit necessitatem physicam ? & hoc est dogma Jansenianum, & certò hæreticum : vel imponit necessitatem moralem, quæ talis sit, ut cum ea nunquam conjungatur dissensus, & tam impossibilis sit dissensus, quàm impossibile est viro gravi mentis compoti sibi effodere oculos præcisè recreationis causâ, ut volunt aliqui recentiores ? & tunc hæc necessitas est reipsa necessitas physica, & Jansseniana, nec est moralis necessitas, nisi voce tenùs. Quòd si dicatur imponere necessitatem verè moralem, nempe talem, ut cum ea dissensus voluntatis possit conjungi, & quandoque conjungatur ; tunc cognitio actus futuribilis non erit certa, & infallibilis ; cùm habeat medium fallibile, ideoque repugnat Deo. *Sed hæc omnia fusè refelluntur in Tractatu de Gratia.*

Obj. 2. Si daretur scientia media, seipsam supponeret. Absurdum consequens. Ergo. *Nego sequelam maj. Probabis.* Omnia, quæ requiruntur, ut res sint in statu absoluto, id est, ut sint futuræ absolutè, requiruntur etiam

in

in ſtatu conditionato, ſeu ut ſint futuribiles ſub conditione. Atqui requiritur ſcientia media ad ſtatum abſolutum, ergo requiritur etiam ad ſtatum conditionatum, & conſequenter ſeipſam ſupponit.

Reſp. Nego maj. Quia minus requiritur, ut actus liber ſit conditionatè futuribilis, quàm ut ſit abſolutè futurus. Nam ut ſit futurus abſolutè, requiritur decretum Dei efficax, & abſolutum; quod decretum dirigi debet cognitione mediorum de ſe quidem repudiabilium, ſed efficacium, ideoque ſcientia media; alioqui Deus cæco modo, nec ſapienter vellet. At ut actus liber ſit futuribilis, non requiritur voluntas Dei abſoluta, & efficax, nec proinde ſcientia media, quæ illam dirigat.

Inſt. Ut actus liber ſit in ſtatu conditionato, id eſt, ut ſit futuribilis ſub conditione aliqua, requiritur ſaltem decretum conditionatum ex parte actus, ſeu potiùs decretum poſſibile, ſuppoſitum exiſtere. Nam concurſus in actu primo præparatus, qui in conditione includitur, non poteſt præſupponi huic decreto, quo ſit in actu primo præparatus, cùm ſine aliquo decreto impoſſibile ſit concurſum eſſe præparatum. Ergo etiam requiritur ſcientia media, quæ tale decretum dirigat.

Reſp. Nego conſeq. Nam cùm per decretum poſſibile, ſuppoſitum exiſtere, Deus non decernat actus liberos creaturæ obtinendos, vel permittendos, ad hoc ſufficit ſcientia ſimplicis intelligentiæ. Decretum enim ſuppoſitum exiſtere ſic exprimitur: ſi vellem donare Petro talem gratiam cum concurſu in talibus circumſtantiis. Unde nihil aliud eſt, quàm hypotheſis poſſibilis. Deus autem per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ videt omnes hypotheſes poſſibiles. Et decretum liberum poſſibile, ſuppoſitum exiſtere, non eſt aliquid exiſtens, ſed eſt ſuppoſitio neceſſariò poſſibilis.

Obj. 2. Ut actus ſit futuribilis, ſeu futurus conditionatè, debet extrahi è ſtatu meræ poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis. Sed ad hoc requiritur decretum abſolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte objecti. Ergo.

Reſp. 1. Nego maj. Nam actus futuribilis ſub conditione, præcisè ut futuribilis; nullam habet futuritionem, ſed ſolùm haberet, ſi poneretur aliqua conditio: quia non eſt futurus, ſed ſolùm futurus eſſet, ſi poneretur aliqua conditio. Ut autem actus ſit præcisè futuribilis, nulla requiritur extractio, translatio ab uno ſtatu ad alium; ſed ad hoc ſufficit veritas objectiva; vi cujus de actu aliquo verè dici poteſt: futurus eſſet, ſi futura eſſet aliqua conditio, eſſet, ſi poneretur talis conditio. Quæ veritas objectiva non pendet ab ullo decreto exiſtente, cum eo ſecluſo, ſeu præciſo adhuc verum ſit dicere: Petrus converteretur, ſi Deus vellet ei talem gratiam donare, & donaret.

Reſp. 2. Omiſſa majore, nego min. Nam ad ſtatum futuritionis conditionatorum, ſeu ad futuribilitatem ſufficit decretum poſſibile, ſuppoſitum exiſtere. Porrò conditio includit hoc decretum, & ea omnia, quæ ad rei exiſtentiam requiruntur, ut ſuppoſita exiſtere.

Obj. 4. Deus aliter ſe habet ad actum futuribilem, quàm actum præcisè poſſibilem. Ergo ad actum futuribilem requiritur decretum actuale.

Reſp. Nego anteced. Sed ſolùm ſupponitur, aliter ſe habere, & reipſa aliter ſe habiturus eſſet ad actum futuribilem, quàm ad actum præcisè poſſibilem, ſi poneretur aliqua conditio. Ut autem res ſit plus quam merè poſſibilis, non neceſſe eſt, ut Deus ſe habeat actu ad illam; ſed ſufficit, ut ſupponatur aliter ſe habere ad illam, quàm ſe habeat ad illam conſideratam in ſtatu meræ poſſibilitatis: vel ſi vis, ſufficit, ut aliter ſe haberet ad illam, ſi poneretur aliqua conditio. Item actus futuribilis non eſt magis in poteſtate Dei, quàm actus merè poſſibilis, ſed eſſet magis actus in poteſtate Dei, ſi poneretur aliqua conditio.

Obj. 5. Futuribilitas eſt nunc aliquid, ergo requirit decretum actuale.

Reſp. Futuribilitas eſt nunc aliquid quoad denominationem: ſed non eſt aliquid nunc præſens quoad entitatem. Clariùs. Futuritio, ſeu futuribilitas conditionata eſt entitas, quæ

quæ nunc non eſt, ſed eſſet, ſi poneretur aliqua conditio. Entitas autem, quæ eſſet, ſi poneretur aliqua conditio, habet veritatem objectivam, & fundat denominationem aliquam pro tempore præſenti, quatenus nunc poteſt denominari futuribilis. Quare futuribilitas non requirit cauſam, quæ nunc, aut aliquando ſit abſolutè, ſed ſolùm quæ ſupponatur exiſtere. Nec etiam requirit conditionem, quæ ſit futura ſub conditione, ſed ſolùm ut conditio, quæ cauſas omnes includit, ſupponatur exiſtere.

Inſt. Futuribilitas actus dicit aliquid plus, quàm meram poſſibilitatem, huicque ſuperaddit aliquid.

Reſp. Superaddit tantùm veritatem objectivam, quatenus de re futuribili verè enuntiari poteſt, non ſolùm quòd poſſet eſſe, ſed etiam quòd eſſet, ſi poneretur aliqua conditio. At de re merè poſſibili ſolùm enuntiari poteſt, quòd poſſit eſſe. Quare res futuribilis habet duplicem veritatem objectivam, primam, quòd poſſit eſſe: ſecundam, quòd eſſet futura, *ſi poneretur aliqua conditio*. Prima veritas eſt neceſſaria, nec pendet à *conditione* ſuppoſita, ſicut ſecunda. At ſecunda veritas eſt contingens; nam poſſet non eſſe. Unde hæ duæ veritates pertinere debent ad diverſas ſcientias, nempe prima ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt abſolutè neceſſaria: altera verò ad ſcientiam mediam, quæ eſt contingens.

Obj. 6. Ipſa cauſa rei futuribilis eſt præcisè poſſibilis: nam non eſt futura ſub conditione, utpote illam includente, alioqui daretur proceſſus in infinitum. Ergo actus futuribilis eſt etiam præcisè poſſibilis, & ſic pertinet ad ſimplicem intelligentiam.

Reſp. Diſting. anteced. Ipſa cauſa rei futuribilis eſt præcisè poſſibilis, & ſupponitur exiſtere, *conc. ant.* & non ſupponitur exiſtere, *nego ant.* Ut actus ſit futuribilis, & non merè poſſibilis, non neceſſe eſt, ut conditio includens ejus cauſas, & ejus cauſæ exiſtant; ſed ſufficit, quòd ſupponantur exiſtere, & conditio habeat aliquam connexionem cum actu futuribili, ut patet in rebus neceſſariò futuribilibus, nam v. g. verè *dicitur*: *ſi alter ſol exiſteret*, illuminaret: quamvis alter ſol non habeat eſſe plus, quàm poſſibile.

Obj. 7 Futuribile habet eſſe plus, quàm merè poſſibile. Ergo ad illud requiritur decretum actu exiſtens.

Reſp. Futuribile non habet eſſe actuale, ſed habet eſſe futuribile plus, quàm merè poſſibile, quatenus poſita conditione non ſolùm poſſet eſſe, ſed etiam eſſet, quod non convenit rei præcisè poſſibili. Illud autem eſſe, quod poſita conditione haberet, non eſt à ſuppoſitione noſtra, ſed à cauſa ejus ſuppoſita exiſtere, & ſuo modo à decreto poſſibili ſuppoſito exiſtere, non autem exiſtente.

Inſt. 1. Actus futuribilis habet actualitatem aliquam ſupra actum merè poſſibilem: Ergo habet eſſe actuale.

Reſp. Nego anteced. ſed habet ſolùm veritatem aliquam objectivam, qua caret actus merè poſſibilis. Nam de actu futuribili verè dici poteſt: *non ſolùm poſſet eſſe*, ſed etiam eſſet, ſi poneretur aliqua conditio: quod verè dici nequit de *re merè poſſibili*. Igitur res præcisè futuribilis nullam habet actualitatem; & futuritionem, ſed haberet, ſi poneretur aliqua conditio.

Inſt. 2. Si actus futuribilis nullam habet actualitatem, non poterit verificare propoſitionem, nec habere veritatem objectivam ſupra merè poſſibile.

Reſp. Neg. Quia ad veritatem objectivam, & ad verificandam propoſitionem requiritur, & ſufficit ex parte objecti, ut de illo poſſit aliquid verè enuntiari. At de actu libere futuribili aliquid verè enuntiari poteſt, nempe quod eſſet, ſi poneretur aliqua conditio: nam re vera eſſet, ſi conditio poneretur.

Inſt. 3. Secluſa omni actualitate non eſt potior ratio, cur hæc propoſitio de futuribili (talis actus eſſet, ſi poneretur talis conditio) ſit potiùs vera, quam falſa.

Reſp. Nego. Nam hæc eſt ratio, quia poſita conditione hoc potiùs fieret, quàm illud. Hoc autem poſita conditione fieret potiùs, quàm illud, quia voluntas ad agendum completa, pro ſua libertate ſe determinaret ad hoc, & non ad illud. Quare ex parte objecti

jecti est etiam potior ratio, cur Deus ex duabus propositionibus conditionalibus contradictoriis potiùs cognoscat unam esse veram, quàm alteram, quia nempe una est potiùs vera, quàm altera. Ex parte verò Dei ratio est infinita perfectio intellectus divini, qui ex se completus, ac determinatus est ad cognoscenda omnia cognoscibilia, ut sunt, nempe omnia vera esse, quæ vera sunt, & falsa esse, quæ falsa sunt.

Inst. 4. Liberum futuribile non est actu determinatum: ergo non habet veritatem determinatam, nec proinde potest verificare propositionem, &c.

Resp. Neg. conseq. Quia ut propositio conditionalis de actu libere futuribili sit distinctè, ac determinatè vera, non necesse est, ut ille actus sit actu determinatus, quia non enuntiatur, ut actu determinatus; sed sufficit, quòd determinaretur posita conditione, quia solùm enuntiatur ut determinandus, si poneretur conditio. Ut autem objectum suo modo verificet propositionem, sufficit, si enuntietur esse secundùm modum, quo est: nam ex eo, quòd res est, vel non est secundùm modum, quo enuntiatur esse, vel non esse, propositio est vera, vel falsa; eo ipso enim est conformis, vel difformis objecto. Quare ut actus liberè futuribilis verificet propositionem conditionalem, qua enuntiatur futuribilis sub conditione, sufficit, quòd esset, si poneretur conditio, ut patet in rebus necessariò futuribilibus sub conditione, v. g. in luce duplo majore, si sol duplo major esset.

Obj. 8. Plus requiritur, ut res sit futuribilis, quàm ut sit merè possibilis. Ergo requiritur decretum actuale, &c.

Resp. Nihil plùs requiritur absolutum, & existens, sed solùm requiritur aliquid hypotheticum; nempe requiritur, & sufficit, ut supponatur conditio, quæ includat omnes causas ut suppositas existere: quod patet in re necessariò futuribili sub conditione.

Obj. 9. Objectum scientiæ mediæ est contingens, & fallibile. Ergo ipsa scientia non est certa, & infallibilis.

Resp. Nego conseq. Nam objectum scientiæ visionis, quatenus spectat actus creaturæ liberos absolutè futuros, est etiam contingens, & fallibile, & tamen scientia visionis est certa, & infallibilis, Ratio est, quia scientia divina non sumit suam certitudinem, & infallibilitatem à suo objecto, sicut scientia creaturæ, sed utramque habet à perfectione infinita intellectus divini, qui omnia tùm necessaria, tum libera, ut sunt, infinita claritate cognoscit, & sic omnia eadem certitudine, & infallibilitate novit.

Inst. Si scientia media sit certa, & infallibilis, actus liber esset certò, & infallibiliter futuribilis sub conditione. Falsum conseq. Ergo.

Resp. disting. maj. Si actus ille spectetur prout jam cognitus est, seu ratione posteriùs, quàm cognoscitur per scientiam mediam, *conc. maj.* Si actus ille spectetur secundùm se, seu ratione priùs, quàm cognoscatur per scientiam mediam, *nego maj.* Actus liber futuribilis spectatus secundùm se, & ratione priùs, quàm cognoscitur per scientiam mediam, & prout ad illam præsupponitur, est tantùm fallibiliter futuribilis, utpote contingenter, ac liberè futuribilis; ideoque per illam cognoscitur directè ut futuribilis fallibiliter tantùm. At ratione posteriùs, quàm ab illa cognoscitur, est certò, & infallibiliter futuribilis; quatenus supposito quòd Deus cognoscat aliquid liberè futuribile esse sub aliqua conditione, tam repugnat illud non esse liberè futuribile sub illa conditione, quàm repugnat Deum falli in sua cognitione; unde pro hoc posteriori signo ratione eandem illam scientiam reflexè cognoscitur ut futuribile summa certitudine, & infallibilitate. Quare scientia media objectum suum directè cognoscit ut contingenter, ac fallibiliter futuribile: reflexè verò, nempe cognoscens se ipsam, cognoscit illud ut certò, & infallibiliter futuribile. Idem est de scientia visionis respectu actus liberi absolutè futuri.

Obj. 10. In systemate scientiæ mediæ Deus format judicium hypotheticum circa id, circa quod habet judicium absolutum. At hoc ineptum est. Ergo.

Resp. Nego maj. Deus enim non formatmat

mat judicia sive absoluta, sive hypothetica, sed simplici intuitu cognoscit veritatem judiciorum tùm absolutorum, tùm hypotheticorum.

Item scientia media non dicit multitudinem, & compositionem terminorum, neque multitudinem, & successionem conceptuum. Nam scientia divina est simplex intuitus judicativus rerum, ut sunt. Quare Deus veritatem propositionum conditionalium *uno simplici intuitu* intuetur sine multitudine terminorum, & conceptuum, sicut intuetur veritatem omnium propositionum absolutarum de præsenti, præterito, & futuro; nec facit propositiones conditionales, ut nos facimus.

Obj. 11. Omne cognoscibile cognoscitur per scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis; & has duntaxat admiserunt veteres Theologi. Ergo non datur scientia media.

Resp. Ne hic sit quæstio de nomine, per me licet, admittantur solùm duæ illæ scientiæ, modò per scientiam simplicis intelligentiæ intelligatur ea scientia, qua Deus certò novit non solùm possibilia, & necessaria; sed etiam libera merè futuribilia independenter ab omni decreto actuali: & per scientiam visionis intelligatur ea scientia, qua Deus certò novit libera aliquando existentia non solùm ut futura dependenter à decreto Dei actuali, sed etiam ut futuribilia independenter ab omni decreto absoluto existente. Sicque actûs liberi futuribiles sub conditione, sed nunquam futuri, pertinebunt ad scientiam simplicis intelligentiæ, & aliquando futuri pertinebunt ad scientiam visionis. Atque ita scientia divina dividetur adæquatè in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis, sed sub utraque comprehenditur scientia media.

Commodiùs tamen, & meliùs per scientiam simplicis intelligentiæ intelligitur scientia possibilium præcisè ut possibilium; & per scientiam visionis scientia existentium præcisè ut existentium: unde præter illas sic strictè sumptas admitti debet alia scientia liberorum liberè futuribilium præcisè ut futuribilium, qua Deus independenter ab omni decreto existente cognoscit, quidquid in quavis hypothesi possibili fieret, vel non fieret à qualibet creatura libera.

Porro veteres Theologi scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis latè sumebant, & sub utraque comprehendebant scientiam futuribilium independentem ab omni decreto actu existente.

Inst. 1. Omne cognoscibile dividi potest in ea, quæ nunquam sunt, & in ea, quæ aliquando sunt. Ergo omne cognoscibile pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis etiam strictè sumptas.

Resp. Disting. anteced. Et ea, quæ nunquam sunt, essent, si poneretur aliqua conditio, ideoque considerari possunt ut futuribilia; item ea, quæ sunt, possunt considerari ut futuribilia sub aliqua conditione, *conc. ant.* secus, *nego ant.* & *conseq.* Cognoscibile non spectatur omni modo, quo cognoscibile est, si consideretur solùm ut aliquando existens, vel ut nunquam existens. Nam potest etiam cognosci, & rectè considerari ut futuribile, vel non futuribile sub aliqua conditione. Imò *nihil* est futurum absolutè, quod ratione priùs non sit futuribile sub conditione, qua posita est futurum. Nam, v. g. si verum est dicere: Petrus convertetur per talem gratiam; verum est etiam dicere: *Petrus converteretur, si haberet talem gratiam:* & prima veritas hanc secundam supponit.

Inst. 2. Futuribile, sed nunquam futurum, ut conversio Tyriorum, est quid merè possibile, nam nunquam erit. Ergo merè futuribile pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ.

Resp. Disting. anteced. Si per merè possibile intelligatur id, quod nunquam erit, *conc. antec.* Si intelligatur id, quod neque erit, neque esset, si poneretur aliqua conditio: *nego ant.* & *conseq.* Objectum simplicis intelligentiæ est præcisè possibile, præscindendo à futuribilitate, & existentia, an scilicet sit futuribile, vel existens pro aliquo tempore, *vel non.* Objectum verò scientiæ mediæ est præcisè futuribile, seu id, quod esset, si poneretur aliqua conditio, præscindendo ab existentia, an scilicet sit reipsa futurum, necne.

Nota. Idem actus liber, qui nunquam erit, v. g. conversio Tyriorum, est cognoscibilis præcisè ut possibilis, & ut futuribilis sub conditione: & sic sub duplici illo respectu pertinet ad duplicem scientiam, nempe sub primo ad scientiam simplicis intelligentiæ, & sub secundo ad scientiam mediam. Idem verò actus liber, qui existit pro aliqua differentia temporis, v. g. conversio Magdalenæ, est cognoscibilis ut præcisè possibilis, ut præcisè futuribilis sub conditione talis gratiæ, & ut existens pro tali tempore: sicque sub triplici illa consideratione pertinet ad triplicem scientiam.

Obj. 12. Veritas conditionalium consistit in bona illatione consequentis ex antecedente.

Resp. Neg. Sed consistit in eo, quòd id, quod enuntiatur futuribile sub conditione, verè esset posita conditione. Nam propositiones conditionales, seu hypotheticæ, de quibus agitur, significant solùm simplicem connexionem liberam, & existentiam unius posito alio velut illius occasione, aut causa, aut præsuppositione ad rem pertinente.

Obj. 13. Scientia media est nova. Ergo rejici debet.

Resp. Esto, sit nova quoad vocem, & clariorem sui explanationem: at non est nova quoad rem, quippe quæ tam est antiqua, quàm Deus ipse, cùm ei insit ab æterno, & pro æterno, ut probatum est.

Obj. 14. Scientia media est scientia exploratrix, & facit Deum exploratorem: ergo est indigna Deo.

Resp. Nego antec. Nam explorare est cum sollicitudine, & anxietate quadam investigare. At Deus non inquirit, nec investigat, multò minùs investigat cum sollicitudine, & anxietate; sed uno simplici intuitu sine inquisitione, & investigatione ab æterno certò cognoscit, quidquid à quavis causa libera fieret, vel non fieret sub quacunque conditione possibili, & ad rem pertinente: sicut sine inquisitione, & labore cognoscit omnia possibilia. Ratio est, quia intellectus divinus ex sua infinita perfectione per se completus, ac determinatus est ad cognoscendum omne cognoscibile hoc ipso præcisè, quòd est cognoscibile.

Obj. 15. Deus non potest cognoscere actus liberos futuribiles sine aliquo medio. At non potest assignari aliud medium præter decretum prædeterminativum existens. Ergo.

Resp. 1. Nego mai. Nam intellectus divinus non indiget medio, in quo, aut quo cognoscat actus liberos futuribiles, perinde, ac futuros absolutè. Quia cùm sit infinitè perfectus in ratione intelligentis, ex se summè completus, ac determinatus est ad cognoscendum omne cognoscibile, hoc ipso præcisè, quod est cognoscibile. Actus autem liberi futuribiles sunt cognoscibiles, & habent veritatem objectivam: nam possunt verificare hanc propositionem: essent, si poneretur talis conditio. Ergo intellectus divinus sublato, aut saltem præciso omni medio cognoscit actus futuribiles, hoc ipso, quòd sunt futuribiles. Unde Deus illos cognoscit immediatè, ac directè in se ipsis secundùm entitatem individualem, quam haberent, si existerent: nam sic cognoscere futuribilia est illa cognoscere independenter à medio priùs cognito, & propria specie realiter superaddita intellectui divino.

Resp. 2. Nego min. Nam assignari potest aliud medium, in quo cognito Deus cognoscit libera futuribilia, nempe essentia divina, quatenus est æquivalenter, & modo quodam excellentissimo species representativa omnium veritatum. Deus quippe in essentia divina sic sumpta clarè comprehensa cognoscit perfectissimè non solum omnia, quæ quævis causa libera agere potest, quæ agit, & actura est, sed etiam omnia, quæ faceret, & non faceret sub quacunque conditione possibili. Nam essentia divina est infinitè perfecta in representando: ac proinde representare potest, & representat intellectui divino causam quamlibet liberam secundùm ea omnia, secundùm quæ cognosci potest.

Neque dicas essentiam divinam non esse necessariò connexam cum actibus liberis futuribilibus. Nam quamvis hoc sit verum, si ipsa spectetur ut est principium, & causa rerum

rum omnium: at ut continet in se æquivalenter, & eminenter species veritatum omnium, necessariò connexa est cum actibus liberis futuribilibus, non quidem necessitate absoluta, sed hypothetica; quatenus ex hypothesi quòd actus aliquis liber sit futuribilis sub aliqua conditione, essentia divina non potest non esse æquivalenter, & eminenter species illius ut libere futuribilis sub ali conditione.

Ex his sequitur actus liberos futuribiles, perinde ac futuros absolutè, à Deo cognosci duplici modo, seu duplici virtualiter cognitione, nempe directè, ac immediatè in ipsis, seu sine medio: & indirectè, ac mediatè in essentia divina ut in objecto ratione prius cognito.

Inst. Liberum futuribile, & nunquam futurum nihil est, & semper nihil erit. Ergo cognosci nequit in se ipso.

Resp. Disting. anteced. Nihil est actu, sed esset aliquid, si poneretur conditio aliqua, *conc. ant.* nihil est, & nihil esset, si poneretur aliqua conditio, *nego antec. & conseq.* Liberum merè futuribile existeret, & haberet entitatem propriam actualem, si poneretur conditio aliqua. Illa autem entitas, quam haberet posita conditione, cognoscitur à Deo, & sic cognoscitur à Deo secundùm entitatem, quam haberet, si posita conditione existeret. Unde non est aliquid nunc existens; sed est aliquid possibile, & futuribile, ideoque aliquid verum, & cognoscibile, habens veritatem objectivam: quod sufficit, ut in seipso cognosci possit, ut patet in merè possibilibus.

Obj. 16. Unum è principiis scientiæ mediæ est, quòd ex propositionibus contradictoriis una sit determinatè vera, & altera determinatè falsa ex vi oppositionis contradictoriæ. At hoc falsum est. Ergo.

Resp. Nego *maj.* Nam una non est determinatè vera, aut falsa potiùs, quàm altera ex vi oppositionis contradictoriæ, sed quia posita conditione objectum ejus esset, ut enuntiatur, potiùs, quam non esset. Objectum autem esset potiùs, quàm non esset, quia voluntas liberè se determinaret ad illud ponendum potiùs, quàm ad non ponendum. Tamen ex vi oppositionis contradictoriæ necesse est, ut alterutra sit determinatè vera, & alterutra sit determinatè falsa.

Nota. Scientia media est perfectio simpliciter simplex, latè sumpta, nempe ex hypothesi actuum futuribilium. At non est perfectio simpliciter simplex strictè dicta, quia hæc perfectio est absolutè necessaria, & independens ab omni hypothesi. Cùm autem necesse sit, ut sint aliqua futuribilia, hæc, vel illa, necesse est etiam, ut sit aliqua scientia media, sed hæc, vel illa, sive ut sit scientia aliquorum futuribilium, horum, vel illorum. At ex hypothesi talium actuum futuribilium necessaria est scientia illorum.

§. IX.

Quænam sit necessitas Scientiæ Mediæ?

Dico 1. Scientia media necessaria est ad conciliandam efficaciam gratiæ cum libertate voluntatis creatæ, quæ etiam in statu naturæ lapsæ (ut fide constat) consistit in immunitate ab omni necessitate simplici, intrinseca, antecedente.

Prob. Illud est necessarium ad conciliandam efficaciam gratiæ cum libertate voluntatis, sine quo fieri non potest hæc conciliatio. At sine scientia media fieri non potest hæc conciliatio. Ergo scientia media necessaria est ad conciliandam, &c.

Prob. min. Ad conciliandam efficaciam gratiæ cum libertate voluntatis creatæ, duo hæc debent inter se conciliari, nempe absoluta infallibilitas gratiæ efficacis, & ejus intrinseca repudiabilitas; nihilque ampliùs requiritur, ut patet. Atqui hæc duo sine scientia media *non possunt* inter se conciliari. Ergo sine scientia media conciliari non potest efficacia gratiæ cum libertate voluntatis creatæ. *Major* constat. Nam si gratia etiam in actu primo spectata non habeat summam infallibilitatem, qua sit connexa cum consensu voluntatis, non est gratia efficax; gratia enim efficax est medium, quod Deus adhibet ad exequendum decretum absolutum, & efficax, nempe decretum prædefinitivum actus salutaris: ideoque debet esse proportionata

nata huic decreto absolutè infallibili, proindeque ipsa debet esse quoque absolutè infallibilis. Si verò gratia efficax non sit ex se, & intrinsecè repudiabilis, tollit libertatem voluntatis; nam non relinquit illi facultatem non consentiendi, cùm adest: quæ tamen facultas requiritur ad libertatem; cùm Tridentinum Concilium ad libertatem consensus requirat facultatem dissentiendi, seu resistendi gratiæ. Facultas autem resistendi gratiæ, est facultas non consentiendi gratiæ actu moventi ad consensum.

Prob. min. Ut gratia simul habeat & absolutam infallibilitatem, & intrinsecam repudiabilitatem, necesse est, ut non sit absolutè infallibilis à se, seu ex natura sua, sed solùm ab extrinseco: nam gratia absolutè infallibilis ab intrinseco, esset intrinsecè irrepudiabilis; sola enim absoluta irrepudiabilitas intrinseca gratiæ facere potest ejus absolutam infallibilitatem intrinsecam. Atqui gratia non potest esse absolutè infallibilis ab extrinseco sine scientia media. Ergo sine scientia media duo supradicta inter se conciliari non possunt. *Minor* constat, nam gratia non potest esse infallibilis ab extrinseco, nisi quatenus datur sub directione scientiæ infallibilis, qua nempe Deus summa infallibilitate præscit consensum voluntatis futuribilem sub conditione talis gratiæ ex se repudiabilis. Hæc autem scientia est scientia media: ac proinde gratia non est infallibilis ab extrinseco, nisi per denominationem extrinsecam petitam à scientia media.

Jam verò scientia media perfectè conciliat efficaciam gratiæ cum libertate voluntatis creatæ. Nam ut hoc præstet, sufficit, quòd absolutam infallibilitatem gratiæ, & ejus intrinsecam repudiabilitatem inter se conciliet, ut patet. Atqui scientia media hæc duo inter se perfectè conciliat: nam scientia media est, qua Deus summa infallibilitate novit consensum voluntatis liberè futuribilem esse sub conditione talis gratiæ ex se repudiabilis. Ergo hæc gratia absoluta infallibilitate operatura est consensum, si detur, quamvis sit ex se repudiabilis; nam quælibet cognitio divina est absolutè infallibilis, ac proinde posita scientia media patet gratiam habere absolutam infallibilitatem extrinsecam cum intrinseca repudiabilitate.

Dico 2. Scientia media necessaria est ad conciliandam certitudinem prædestinationis cum libertate voluntatis creatæ.

Prob. Ad conciliandam certitudinem prædestinationis cum libertate voluntatis creatæ, hæc duo inter se conciliari debent, nempe absoluta infallibilitas prædestinationis in obtinendo fine suo, qui est salus electorum; & libertas voluntatis prædestinatorum, quæ consistit in completa, & expedita facultate consentiendi, & non consentiendi gratiæ efficaci habitæ. Atqui sine scientia media hæc duo conciliari nequeunt. Ergo sine scientia media conciliari non potest certitudo prædestinationis cum libertate voluntatis creatæ. *Prob. min.* Ista duo conciliari nequeunt, nisi prædestinatio sit præparatio gratiarum absolutè infallibilium simul, & ex se repudiabilium, ut modò ostendi. Atqui præparatio ejusmodi gratiarum non potest esse sine scientia, qua Deus certò, & infallibiliter novit consensum salutarem futuribilem esse sub conditione talis gratiæ ex se repudiabilis, quæ scientia est scientia media. Ergo sine scientia media conciliari non potest absoluta infallibilitas prædestinationis in obtinenda salute electorum cum libertate illorum voluntatis.

Jam verò scientia media perfectè conciliat certitudinem prædestinationis cum libertate voluntatis prædestinatorum. Nam prædestinatio (ut docet S. Augustinus) est præscientia, & præparatio beneficiorum, quibus certissimè liberantur; quicunque liberantur, id est, salvantur: ac proinde est præparatio gratiarum, quibus electi certissimè, & tamen liberè opera salutaria faciunt, & in sanctitate usque ad mortem perseverant. Unde certitudo prædestinationis perfectè conciliatur cum libertate voluntatis electorum, si prædestinatio sit præparatio gratiarum absolutè infallibilium, & ex se repudiabilium. Nam ut est præparatio gratiarum absolutè infallibilium, salutem electorum absoluta infallibilitate assequitur; & ut est præparatio gratia-

tiarum ex se repudiabilium, relinquit voluntati libertatem, nempe expeditam facultatem consentiendi, & *non* consentiendi gratiæ allicienti ad consensum. Atqui posita scientia media prædestinatio est præparatio gratiarum absolutè infallibilium simul, & ex se repudiabilium; cùm scientia media sit scientia, qua Deus summa infallibilitate præscit consensum salutarem esse futuribilem sub conditione talis gratiæ ex se repudiabilis. Ergo posita scientia media perfectè conciliatur certitudo prædestinationis cum libertate voluntatis creatæ.

Dico 3. Scientia media necessaria est ad dirigenda Dei decreta prædestinativa actuum salutarium.

Prob. Decretum prædefinitivum est illud, quo Deus absolutè, & efficaciter vult, ut actus salutaris liber fiat, ideoque ut non solùm fiat, sed etiam ut liberè fiat. Atqui Deus sine scientia media non potest sapienter ejusmodi decreta formare. Ergo sine scientia media Deus non potest sapienter formare decreta prædefinitiva: ideoque non possunt esse sine scientia media: nam Deus nihil non sapienter velle potest. *Prob. min.* Deus non potest sapienter velle absolutè, & efficaciter, ut actus salutares fiant, & liberè fiant, nisi ratione prius, quàm hoc velit, sciat se in potestate sua habere in particulari media, quibus actus salutares infallibiliter simul, & liberè fierent, si darentur. Nam non sapienter vellet absolutè obtinere actus liberos creaturæ, nisi ratione priùs, quàm velit, sciat se posse infallibiliter tales actus obtinere, ut patet. Atqui scientia, qua Deus id scit, est ea, qua Deus absoluta infallibilitate præscit actus salutares esse libere futuribiles sub conditione certarum gratiarum ex se repudiabilium, ideoque est scientia media. Ergo Deus sine scientia media non potest sapienter prædefinire actus salutares creaturæ.

Jam vero posita scientia media Deus sapienter prædefinit actus salutares; cùm per hanc scientiam certò, & infallibiliter præsciat actus salutares esse futuribiles sub conditione talis, vel talis gratiæ ex se repudiabilis: ideoque infallibiliter sciat habere se media, quibus actus salutares infallibiliter, & liberè fierent, si darentur.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1 Pelagiani, & Semipelagiani eundem modum conciliandi efficaciam gratiæ cum libertate voluntatis humanæ admiserunt contra Catholicos. Ergo hic modus repudiandus est.

Resp. Nego anteced. Nam Pelagiani, ut libertati humanæ consulerent, negarunt gratiæ internæ, voluntatem immediatè afficientis, & gratuitæ necessitatem tùm ad opera salutaria, tùm ad quælibet initia operum ad salutem conducentium; quia sentiebant destrui libertatem circa bonum, si homo indigeret alieno auxilio, quod non haberet in sua potestate naturali. Quare asserebant necessitatem gratiæ internæ, præsertim immediatè afficientis voluntatem; esse fatalem necessitatem, quæ liberum arbitrium penitus tolleret; & idcirco veram gratiam Christi in exemplis, & doctrina ipsius Christi ponebant.

Semipelagiani verò existimantes cum Pelagianis hominis libertatem destrui per necessitatem auxilii, quod nullo modo haberet in sua potestate; & aliunde cum Catholicis admittentes necessitatem gratiæ internæ ad omnia opera salutaria tùm perficienda, tùm incipienda, ut libertatem humanam salvam tuerentur, excogitarunt quædam bonorum operum initia ex solis naturæ viribus elicita, ut fidem inchoatam, orationem, desiderium salutis, quæ tamen ex operum salutarium numero excludebant; sed quorum ope volebant hominem habere in sua potestate gratiam internam ad opera quælibet salutaria necessariam, quatenus hæc gratia semper daretur intuitu fidei inchoatæ, vel orationis ex solis naturæ viribus elicitæ. Unde juxta illos gratiæ internæ, & necessariæ donatio pendebat ex actu naturali illam præveniente.

Quis jam non videt hunc utrumque modum hæreticum conciliandi efficaciam gratiæ cum libertate toto cœlo à nostro distare, in quo supponimus, & exigimus necessi-

sita

ſitatem, & gratuitatem gratiæ prævenientis ad quemlibet actum, etiam initialem, ad ſalutem conducentem.

Obj. 2. Pelagiani, & Semipelagiani noſtrum modum conciliandi certitudinem prædeſtinationis cum libertate humana admittebant. Ergo ille modus rejici debet.

Reſp. Nego anteced. Nam Pelagiani ſolam prædeſtinationem, ſeu potiùs electionem ad gloriam admittebant, hancque docebant factam eſſe ab æterno propter merita naturalia, ſeu bona opera ex ſolis naturæ viribus facta, abſolutè prævisa. Unde prædeſtinationem cum libertate humana conciliabant, dicendo prædeſtinationem ad gloriam pendere à ſolo libero arbitrio hominis, ex ſolis naturæ viribus mandata uſque in finem obſervaturi, & ſic prædeſtinationem naturalibus arbitrii viribus ſubjiciendo.

Semipelagiani verò præter prædeſtinationem ad gloriam, factam ſolùm propter merita ſupernaturalia abſolutè prævisa, admittebant prædeſtinationem ad gratiam, ſeu præparationem gratiarum efficacium, & operum ſalutarium ab æterno factam; ſed hanc volebant pendere à quibusdam initijs bonorum operum naturalibus, ut fide inchoata, vel oratione ex ſolis naturæ viribus profecta. Quare prædeſtinationem ad gratiam cum libertate humana conciliabant, prædeſtinationis gratuitatem negando, illamque ſubjiciendo, ſaltem quoad radicem, actibus merè naturalibus.

At nos hos errores deteſtamur, & illorum prætextum ope ſcientiæ mediæ avertimus, conciliando ſcilicet ope illius ſcientiæ gratuitatem, ac certitudinem prædeſtinationis, & neceſſitatem, gratuitatem, atque efficaciam gratiæ prævenientis cum libertate humana.

Obj. 3. Noſter modus conciliandi certitudinem prædeſtinationis cum libertate evertit myſterium prædeſtinationis, ſicut Semipelagiani evertebant. Ergo.

Reſp. Nego anteced. Nam myſterium prædeſtinationis conſiſtit in ejus gratuitate, ita ut non poſſimus reddere rationem, cur Deus hunc elegerit, ac prædeſtinarit, non illum, ſed id ad ſolùm Dei beneplacitum referendum ſit, ſicuti nos facimus. Quod quidem myſterium Pelagiani, & Semipelagiani evertebant, tollendo omnem prædeſtinationis gratuitatem, & omne electorum, ac reproborum diſcrimen refundendo primitus in libertatis humanæ uſum à gratia independentem. At noſter ille conciliandi modus ſubponit gratuitatem prædeſtinationis, & ad eam contra hæreticos tuendam adhibetur, conciliando libertatem noſtram cum gratuitate, ac certitudine prædeſtinationis, & cum gratuitate, neceſſitate, ac efficacia gratiæ.

Obj. 4. Doctrina noſtra nititur hoc Fauſti Rejenſis Semipelagiani principio, nempe *Niſi præſcientia exploraverit, prædeſtinatio nihil decernit.*

Reſp. Neg. Nam Fauſtus ibi loquitur de præſcientia abſoluta, ita ut ſenſus illorum verborum hic ſit: Deus nihil prædeſtinatione ſua decernit, niſi ex abſoluta prævisione boni uſus libertatis abſolutè futuri, & moventis voluntatem divinam ad decernendum. Fauſtus quippe omnem gratuitam prædeſtinationem rejicit cum Semipelagianis. Unde ille eodem modo, quo Semipelagiani, prædeſtinationem cum libertate conciliavit, ſi tamen conciliare curavit. Porro in noſtro ſyſtemate prædeſtinatio non nititur ſcientia media ut movente, ſed ſolùm ut dirigente Deum.

Obj. 5. Ex S. Auguſtino verus modus conciliandi libertatem cum efficacia gratiæ difficilis eſt. At noſter non eſt difficilis, ergo nec eſt verus.

Reſp. Nego min. Nam revera difficilis eſt ob multas, & graves difficultates, quas patitur ſcientia media, quæ tamen ſolidè ſolvuntur. Suppoſita equidem ſcientia media, & ſolutione ejus difficultatum, jam conciliatio horum fidei dogmatum facilis eſt.

Porrò ſyſtema Janſenianum longè facilius eſt, cùm ſit mechanicum; ſed cùm fidei adverſetur, & veram libertatem ad meritum, & demeritum requiſitam evertat, prorſus repudiandum eſt. In hypotheſi verò prædeterminationis phyſicæ, conciliatio gratiæ efficacis cum libertate videtur impoſſibilis, & revera inintelligibilis eſt. At ex S. Auguſt.

hæc

hæc conciliatio non est impossibilis, nec inintelligibilis: nam l. 2. contra Petilianum, c. 84. ait: *Si tibi proponam quæstionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero permisit arbitrio, fortassis eam difficilè solaturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis, quod voluerit, eligat? Et tamen utrumque verum est, sed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Ergo aliqui possunt utriusque veritatis conciliationem penetrare, & intelligere: Ergo, &c. Cæterùm modus duo fidei dogmata inter se conciliandi pro aliquo tempore minùs explicatus, & elucidatus, ideoque intellectu difficilior, potest pro alio tempore subsequente à Doctoribus Catholicis ad confutandam aliquam hæresim explicari magis, & evolvi, sicque facilior intellectu evadere.

Obj. 6. Deus in formandis decretis suis prædefinitivis, dirigitur sufficienter per scientiam simplicis intelligentiæ: nam per illam videt in thesauris suæ omnipotentiæ infinita media, quibus potest efficaciter movere voluntates nostras ad consensum liberum. Ergo non necessaria est scientia media.

Resp. Nego anteced. Nam Deus per scientiam simplicis intelligentiæ videt quidem infinita illa media, sed solùm ut valentia ad obtinendum consensum voluntatis, non autem ut expressura talem consensum. Item Deus per scientiam simplicis intelligentiæ scit se habere in genere innumera media, quæ expressura essent consensum voluntatis humanæ, si darentur, cùm per illam sciat, absolutè repugnare, ut talia media non habeat. At illa media in particulari, & singulatim non novit, nisi per scientiam mediam.

Inst. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ perfectè comprehendit suam omnipotentiam. Ergo per illam novit etiam media illa omnia in particulari, & singillatim.

Resp. Nego anteced. Quoad ea, quæ non necessariò effectum habent. Igitur ad perfectam comprehensionem omnipotentiæ divinæ quoad omnia, præter scientiam simplicis intelligentiæ requiritur etiam scientia media.

Observa. Est ordo virtualis inter decreta divina, & cognitiones divinas. Nam ad hunc ordinem prioritatis, & posterioritatis rationis duo solùm requiruntur, nimirum ut illa sint multa virtualiter inter se distincta, & ut inter illa multa sit virtualis præsuppositio unius ad alterum, ac proinde virtualis quædam dependentia unius ab alio. Hæc autem duo reperiuntur inter decreta divina, & cognitiones divinas.

Nam 1. Decreta distinguuntur virtualiter à cognitionibus divinis: actus enim ille unicus, & simplex, quo Deus simul cognoscit, & vult, seclusis imperfectionibus, æquivalet pluribus realiter actibus, quorum uno Deus cognosceret tantùm, altero vellet tantùm.

2. Inter illa est virtualis suppositio unius ad alterum, & virtualis dependentia unius ab alio. Nam actus ille realiter unicus, & simplex, qui simul est cognitio, & volitio eorum, quæ Deus cognoscit, & vult, æquivalet pluribus actibus creaturæ, quorum unus realiter pendet ab alio; præstat enim in Deo, seclusis imperfectionibus, id, quod præstat in creatura cognitio objecti, & volitio ejus, realiter inter se distincta: ita ut Deus tam verè velit objectum per actum suum, quia per eundem actum suum cognoscit objectum, quàm creatura vult objectum per unum actum, quia cognoscit illud per alterum actum. Enim verò nulla voluntas potest amare objectum, nisi cognitum ut amabile: aut odisse, nisi cognitum, ut odibile.

ARTICULUS VI.

Utrùm Deus omnia alia à se cognoscat etiam immediatè in se ipsis?

Dico. Deus omnia alia à se, scilicet possibilia, *futuribilia*, & aliquando existentia cognoscit aliqua cognitione immediatè in se ipsis, id est, independenter ab omni medio, *in quo*, vel quo cognoscantur.

Prob. Intellectus divinus ob infinitam intellectivitatem, & perspicaciam suam ex se summè completus, ac determinatus est ad cognoscendum omne cognoscibile, hoc ipso præcisè, quòd est cognoscibile. Nam hæc est maxima perfectio: arguit enim infinitam in cognoscendo perspicaciam, estque perfectio

ctio ſimpliciter ſimplex, quippe quæ non eſt incompoſſibilis cum alia perfectione æquali, aut majore: non enim excludit alium modum eadem objecta cognoſcendi, nempe in eſſentia divina ut medio priùs cognito. Ergo Deus cognoſcit omne cognoſcibile, hoc ipſo præciſè, quod eſt cognoſcibile; & conſequenter cognoſcit omnia alia à ſe immediatè, & independenter ab omni medio.

Obj. 1. Patres negant, Deum cognoſcere creaturas immediatè in ſe ipſis.

Reſp. Nego. Patres docent quidem, Deum omnia cognoſcere in ſe ipſo ut medio ratione priùs cognito: item docent, Deum non cognoſcere creaturas immediatè in ſe ipſis cognitione aut diſtincta realiter ab ea, qua ſe ipſum novit, aut à creaturis ipſis accepta, ac determinata, aut per proprias creaturarum ſpecies ad illarum cognitionem concurrentes: quæ omnia etiam dicimus. At Patres non negant, Deum cognoſcere alia à ſe independenter ab ullo medio, & ex ſola perfectione, ac perſpicacia ſui intellectus, & cognitione, quæ ſola ratione ſit diſtincta ab ea, qua ſe ipſum, & creaturas in ſe ipſo ut medio cognoſcit. Imò principium, ex quo id colligitur, ſtatuunt, nempe ineſſe Deo omnes perfectiones ſimpliciter ſimplices.

Obj. 2. S. Thomas, 1. p. q. 14. art. 5. de Deo ait: *Alia autem à ſe videt non in ipſis, ſed in ſe ipſo, in quantum eſſentia ſua continet ſimilitudinem aliorum à ſe.*

Reſp. Solùm intendit, quòd creaturæ non cognoſcantur per ſpecies proprias in Deo receptas, nam ibidem dicit: *In ſe ipſo cognoſcitur aliquid, quando cognoſcitur per ſpeciem propriam adæquatam ipſi cognoſcibili.* Quare aliquid dici poteſt cognoſci immediatè in ſe ipſo in duplici ſenſu. 1. Si intelligatur cognoſci per ſpeciem propriam, intellectui cognoſcentis impreſſam, & ipſi cognoſcibili adæquatam, ut S. Thomas intellexit. 2. Si intelligatur cognoſci independenter ab omni medio, in quo, vel quo cognoſcatur, ut intelligimus.

Porrò S. Thomas per cognitionem creaturarum in ſe ipſis intelligit earum cognitionem in propria ſpecie earum, & adæquata illis, recepta in cognoſcente. In hoc autem ſenſu Deus non cognoſcit creaturas in ſe ipſis.

Obj. 3. Inde ſequitur, aliquam Dei cognitionem ſpecificari à creaturis. Falſum conſeq. Ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Quia creaturæ non ſunt objectum formale, ac ſpecificativum ullius cognitionis divinæ. Nam nec movent, nec determinant Deum ad ſui cognitionem, nec cum intellectu divino concurrunt ſive per ſe, ſive per ſpecies proprias ad ſui cognitionem; cùm à Deo cognoſcantur independenter ab omni motivo, & ſpecie, ſed ex ſola vi, ac perfectione intellectus divini.

Nota. In Deo duplex eſt creaturarum cognitio, una, qua cognoſcuntur mediatè, & indirectè in eſſentia divina perfectè comprehenſa; & altera, qua cognoſcuntur directè in ſe ipſis, ſeu independenter ab omni medio. Prima habet pro objecto primario eſſentiam divinam, & pro ſecundario creaturas: ſecunda verò creaturas pro objecto primario, & pro ſecundario ea, quæ in creaturis cognitis cognoſci poſſunt. Hinc prima eſt perfectior altera ex parte objecti, cùm habeat objectum primarium perfectius objecto alterius, nempe eſſentiam divinam. At neutra eſt altera perfectior ex parte actus: nam neuter modus cognoſcendi creaturas eſt altero perfectior, quippe ad utrumque requiritur intellectiva perfectio infinita.

Porrò ineſſe poteſt Deo cognitio minùs perfecta, non quidem realiter, & excluſivè, quàm altera, ſed ſolùm præciſivè, id eſt, quæ præſcindat à perfectione, quam habet altera cognitio, cui identificatur.

ARTICULUS VII.

Quænam Scientia ſit cauſa rerum?

DIco 1. Scientia viſionis non eſt cauſa rerum.

Prob. 1. Ex Patribus docentibus non ideo res eſſe futuras, quia Deus novit, eas futuras eſſe; ſed è contra ideo Deum res futuras præſcire, quia futuræ ſunt. Pro omnibus

bus ſint S. Hieronymus, in cap. 26. Jerem. *Non enim ex eo, quòd Deus ſcit futurum aliquid, idcirco futurum eſt; ſed quia futurum eſt, Deus novit.* S. Auguſtinus, l. 5. de Civitate Dei, c. 10. *Neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum eſſe præſcivit.* Et l. 3. de libero arbitrio, c. 4. *Sicut tu memoria tua non cogis facta eſſe, quæ præterierunt: ſic Deus præſcientia ſua non cogit facienda, quæ futura ſunt.* S. Juſtinus Martyr, quæſt. 58. *Non eſt præſcientia cauſa ejus, quod futurum eſt, ſed id, quod futurum eſt, cauſa eſt præſcientiæ.* Intellige cauſam impropriè dictam, & merè terminativam, non determinativam, quæ ſit potiùs conditio, ſine qua Deus illud non præſciret futurum. S. Damaſcenus, l. contra Manichæos. *Eſt quidem præſcientia Dei vera, & infallibilis; verùm ipſa nequaquam eſt cauſa, cur omninò fiat, quod futurum eſt: quin potiùs, quia hoc, vel illud facturi ſumus, ideo præneſcit.*

Prob. 2. Quia ſcientia viſionis eſt ea, qua Deus cognoſcit exiſtentiam rerum ut actualem pro eo tempore, pro quo actualis eſt, ideoque ut cauſatam, ſeu productam pro eo tempore, pro quo eſt producta. Ergo ſcientia viſionis ſupponit exiſtentiam rerum ut productam, eſtque ratione poſterior, quàm illa ut cauſata: ergo non eſt cauſa exiſtentiæ rerum.

Obj. 1. S. Auguſtinus, l. 15. de Trinit. c. 13. ait: *Univerſas creaturas ſuas, & ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideo novit, ſed ideo ſunt, quia novit ..... Non enim neſcivit, quæ fuerat creaturus: quia ergo ſcivit, creavit; non quia creavit, ſcivit.*

Reſp. Loquitur de ſcientia ſimplicis intelligentiæ: nam loquitur de ſcientia præcedente decretum producendi creaturas, ut patet ex his: *Non enim neſcivit, quæ fuerat creaturus.* Itaque ſenſus eſt, exiſtentiam rerum non eſſe cauſam determinativam, cur Deus res clarè cognoſcat, quaſi res illæ per realem ſui præſentiam determinarent Deum ad claram ſui cognitionem: è contra ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe cauſam exiſtentiæ rerum, directivam ſcilicet. Eodem ſenſu explicabis ſimiles locutiones aliorum Patrum.

Inſt. S. Auguſtinus, l. 13. Confeſſ. c. ult. ait: *Nos iſta, quæ feciſti, videmus, quia ſunt: tu autem quia vides, ea ſunt.*

Reſp. Per verbum videndi intelligit, non ſcientiam viſionis, ſed ſcientiam ſimplicis intelligentiæ. Verbum enim videndi uſurpatur à Patribus ad ſignificandam quamlibet Dei ſcientiam ratione ſuæ claritatis, & certitudinis.

Obj. 2. S. Thomas, de veritate, q. 2. art. 13. ait: *Scientia Dei, ſecundùm quod ordinatur ad opus, quod facit voluntas, tantùm eſt exiſtentium in præſenti, præterito, vel futuro.* Ergo ex S. Thoma ſcientia viſionis eſt cauſa rerum.

Reſp. Nego conſeq. Quia S. Doctor ibi ſolùm dicit ſcientiam Dei, quatenus per ejus voluntatem applicatur ad cauſandum, dirigendo potentiam executivam in ſuis operibus, eſſe duntaxat rerum exiſtentium. At non eſt cauſa illarum, quatenus contemplatur illas exiſtentes, ideoque quatenus ſcientia viſionis: ſed quatenus oſtendit modum, quo fieri debent, ideoque quatenus ſcientia ſimplicis intelligentiæ.

Dico 2. Scientia ſimplicis intelligentiæ eſt cauſa rerum, directiva ſcilicet, quatenus dirigit omnipotentiam in creaturarum productione, & in operibus ad extra.

Prob. Deus nihil agit ad extra, niſi ut ſapientiſſimus Artifex, ac proinde niſi ex cognitione prævia modi, quo res fieri debent, ſeu exemplaris, ſecundùm quod res fieri debent. Atqui talis cognitio eſt ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ repræſentat in Deo eſſentias, naturam, & proprietates rerum omnium poſſibilium. Ergo Deus nihil agit ad extra, niſi ex directione ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ: & conſequenter hæc ſcientia eſt cauſa directiva rerum omnium creatarum.

Obj. 1. Scientia, quæ eſt cauſa rerum, debet eſſe libera. At ſcientia ſimplicis intelligentiæ non eſt libera, ergo non eſt cauſa rerum.

Resp. Disting. maj. Debet esse libera quoad productionem rerum creatarum, *conc. maj.* Quoad sui existentiam, *nego maj.* Scientia autem simplicis intelligentiæ, licèt sit absolutè necessaria secundùm suam existentiam, est tamen libera in causando, quatenus non causat, nisi per liberam voluntatis divinæ determinationem applicata ad dirigendam potentiam productivam rerum. Unde scientia simplicis intelligentiæ non est causa rerum, nisi adjuncta voluntate Dei.

Obj. 2. Scientia, qua Deus producit creaturas, terminatur ad rem ut aliquando existentem: ergo talis scientia est scientia visionis, non simplicis intelligentiæ.

Resp. Disting. anteced. Terminatur ad rem ut existentem tanquam causa ad effectum per ejus directionem productum, *conc. anteced.* Tanquam cognitio ad objectum ab ipsa repræsentatum ut existens, *nego antec. & conseq.* Scientia autem simplicis intelligentiæ, quando per voluntatem divinam applicatur ad dirigendam potentiam productivam rerum, ideoque quando est causa rerum, non terminatur tantùm ad rem, ut possibilem; nam tunc terminatur etiam ad rem ut existentem pro eo tempore, pro quo reipsa existit, terminatur (inquam) ut causa directiva ad effectum directione sua productum.

Dico 3. Scientia media est etiam suo modo causa directiva actuum salutarium, quatenus dirigit decreta prædefinitiva, quæ sunt illorum causa remota. Item dirigit decreta permissiva peccatorum. Nam nisi illa decreta dirigat, conciliari non potest eorum certitudo cum libertate voluntatis creatæ, ut probatum est.

Quæres, quid sint Ideæ Divinæ?

Nota Duplex distinguitur Idea: nempe objectiva, & formalis. Idea objectiva, quæ est simpliciter idea, est forma, seu exemplar existens in mente Artificis, ad cujus imitationem Artifex operatur. Idea formalis est ipsa cognitio formæ, seu exemplaris, quod Artifex sibi in suo opere exprimendum proponit.

Resp. 1. Divina Idea objectiva rerum omnium conditarum est realiter ipsa essentia divina, quatenus est omnium perfectionum cumulus, & in se modo quodam excellenti continet omnes perfectiones creaturarum. Nam sic sumpta est participabilis à creaturis, & aptissima, ut modo quodam excellenti sit exemplar rerum omnium, quæ à Deo fieri possunt; estque perfectissima quædam imago rerum omnium producibilium, illarum repræsentativa secundùm naturam, essentiam, proprietates omnes, & modum, quo fieri debent. Quare Idea objectiva, quam Deus habet rerum à se productarum, est unica, & simplex realiter, sed virtualiter, & logicè multiplex: siquidem illa Idea est ipsissima essentia divina, quatenus est participabilis, & imitabilis à creaturis, quæ licèt sit realiter unica, & simplex, tamen æquivalet Ideis innumeris realiter inter se distinctis; nam seclusis imperfectionibus per se ipsam modo quodam excellenti præstat in ratione exemplaris id, quod præstarent Ideæ realiter inter se distinctæ, & propriæ singulorum entium producibilium.

Resp. 2. Idea formalis divina, est divina cognitio omnium, & singulorum entium producibilium ut producibilium, secundùm propriam cujusque essentiam, naturam, proprietates, & differentiam individualem, sufficiens ad Deum dirigendum in rerum productione. Quare hæc Idea est ipsa scientia simplicis intelligentiæ, spectata quatenus dirigit Deum in rerum productione.

CAPUT VI.

De Voluntate DEI.

ARTICULUS I.

Utrùm Voluntas Dei sit libera, & circa quæ?

Nota. EX dictis constat, & per se patet 1. Inesse Deo voluntatem, quia voluntas est perfectio simpliciter simplex; cùm sit facultas appetendi bonum, & aversandi malum, spiritualiter cognitum. 2. Voluntatem divinam non distingui realiter ab actibus suis, & ab essentia divina, ita ut Deus

per

per se ipsum realiter sit sua voluntas, & volitio actualis eorum omnium, quæ vult: alioqui daretur in Deo compositio realis, & Deus non esset Ens simplicissimum. 3. Dei voluntatem esse essentialiter infinitè rectam, impeccabilem, & immutabilem; nam est infinitè perfecta: alioqui Deus non esset Ens, quo nihil melius, ac perfectius cogitari potest. 4. Dei voluntatem esse liberam à coactione, quæ est violenta ad unum determinatio, proveniens ab agente extrinseco; nam Deus à nullo agente extrinseco violentiam pati potest.

Dico 1. Deus habet voluntatem liberam libertate propriè dicta, hoc est, immunem à simplici necessitate antecedente circa omnia, quæ agit ad extra. Fide, & ratione constat.

Prob. 1. Ex Script. Psal. 113. *Omnia, quæcunque voluit, fecit.* Ubi dicitur, *quæcunque voluit*, non quæcunque potuit. Ergo Deus voluit liberè, quæcunque fecit: alioqui voluisset, quæcunque potuisset. Ephes. c. 1. *Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.*

2. Ex Patribus. Pro omnibus sint S. Augustinus, l. 22. de Civitate Dei c. ult. ubi ait: *Deus ipse nunquid, quoniam peccare non potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est?* Et l. 83. quæstionum, q. 22. *Ubi nulla indigentia, nulla necessitas: ubi nullus defectus, nulla indigentia. Nullus autem defectus in Deo: nulla ergo necessitas* Et S. Ambrosius, l. 2. de Fide, c. 3. *Omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis, prout vult, inquit, hoc est, pro liberæ voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.*

3. Ratione. Tum quia libertas propriè dicta, seu immunitas ab omni necessitate circa omnia creata, est perfectio simpliciter simplex: nam non est incompossibilis cum alia perfectione æquali, aut meliore. Tum quia Deus est sibi sufficientissimus; alioqui non esset Ens, quo nihil melius excogitari potest. Ergo nulla creatura eget, ut sit, aut bene sit. Ergo non potest necessitari ad volendum ullum ens creatum.

Dico 2. Deus habet voluntatem liberam libertate contradictionis, & specificationis, non contrarietatis.

Prob. 1. pars. Quia Deus habet facultatem volendi, & non volendi alia à se: nam potuit pro arbitrio velle productionem mundi, & simul potuit non velle illam; cùm sit liber circa productionem creaturarum.

Prob. 2. pars. Nam libertas specificationis est facultas se determinandi ad bonum aliquod, vel aliud specie diversum, & incompossibile. Deus autem hanc facultatem habet; nam potest se determinare pro arbitrio ad actum misericordiæ, parcendo peccatori: vel ad actum justitiæ, puniendo peccatorem.

Prob. 3. pars. Quia libertas contrarietatis est facultas se determinandi ad bonum, vel malum. Deus autem non habet hanc facultatem; nam non potest se ipsum determinare ad malum: cùm habeat voluntatem essentialiter infinitè rectam, & sanctam.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Deus nunquam fuit indifferens ad volendum producere mundum. Ergo non fuit liber.

Resp. Nego anteced. Nam Deus semper habuit indifferentiam activam ad volendum productionem mundi: semper enim ita fuit determinatus ad producendum mundum, ut potuerit pro æterno se determinare ad non producendum mundum.

Inst. 1. Non potest assignari ulla pars virtualis æternitatis, pro qua Deus potuerit non habere volitionem producendi mundum. Ergo non potuit pro æterno se determinare ad non producendum mundum.

Resp. Nego conf. Quia quamvis non potuerit non habere volitionem illam pro ulla parte virtuali æternitatis seorsim sumpta ab aliis; cùm non possit ulla assignari, ante quam non fuerit alia, ideoque ante quam non extiterit volitio producendi mundum: tamen sine sui mutatione potuit non habere illam volitionem pro tota æternitate, seu pro omnibus æternitatis partibus virtualibus collectivè sumptis.

Inst. 2. Deus habet volitionem producend

mundum pro tota æternitate: ergo non potest illam non habere pro tota æternitate.

Resp. Disting. conseq. Non potest non habere impotentia consequente liberam ejus determinationem, *con. conseq.* impotentia antecedente, *nego conseq.*

Obj. 2. Deus necessariò vult sibi omne bonum; nam necessariò se amat. At manifestatio perfectionum Dei per productionem creaturarum est bonum Dei. Ergo Deus necessariò vult, &c.

Resp. Disting. maj. Deus necessariò sibi vult omne bonum intrinsecum, *conc. maj.* Omne bonum extrinsecum *nego maj.* Bonum Dei intrinsecum consistit in suis perfectionibus infinitis. Dei bonum extrinsecum consistit in manifestatione suarum perfectionum communicando se creaturis. Hoc autem bonum extrinsecum, quod dicitur etiam gloria Dei extrinseca, Deus non necessariò sibi vult; quia Deus sine illo est infinitè beatus, & perfectus. Et quia manifestatio perfectionum Dei addita suis perfectionibus non facit aliquid intensivè majus, sed tantùm extensivè: bonum enim creatum, & finitum quantumcunque multiplicetur, additum bono increato, & infinito non facit aliquid intensivè melius, quàm solum bonum increatum, ac infinitum. Unde Deus sine illa manifestatione est æquè bonus, perfectus, & beatus intensivè, & essentialiter, ac cum illa. Igitur Deus volendo sibi manifestationem suarum perfectionum, ad summum se magis amat extensivè, non intensivè.

Inst. 1. Qui se ipsum efficaciter amat, vult sibi omnia bona non solùm intrinseca, sed etiam extrinseca, quæ sibi procurare potest. Ergo.

Resp. Disting. anteced. si sine bonis illis extrinsecis non sit infinitè beatus, *conc. ant.* si sine illis sit infinitè beatus, ideóque per illa non fiat beatior, *nego ant. & conseq.* Deus autem est in se per suas perfectiones infinitas infinitè beatus, unde non potest fieri beatior.

Inst. 2. Actus, quo Deus vult manifestare perfectiones suas, ideoque se communicare creaturis, est perfectio.

Resp. Est perfectio extensiva tantum, non intensiva. Nam sicut manifestatio divinarum perfectionum addita ipsis perfectionibus divinis non facit aliquid intensivè majus in ratione boni: ita actus, quo Deus vult manifestare suas perfectiones, additus actui, quo perfectiones illas sibi vult, non facit aliquid intensivè majus in ratione perfectionis.

Inst. 3. Actus, quo Deus vult manifestare suas perfectiones, additus actui, quo sibi vult suas perfectiones, reddit Deum magis laudabilem. Ergo.

Resp. Nego antec. Nam actus, quo Deus nollet suas perfectiones manifestare, & creaturis communicare, tantam habet honestatem, ideóque tantam laudabilitatem, quantam habet actus, quo vult illas manifestare; quia esset actus ejusdem virtutis elicitus propter suam bonitatem infinitè amatam: & imperatus ab infinita illa complacentia, qua Deus sibi in suis perfectionibus complacet. Unde Deus sive velit, sive nolit manifestare suas perfectiones, est æquè perfectus tùm intensivè, tùm extensivè, & tam duplici titulo laudabilis, nimirum & quia vult sibi perfectiones suas, & quia vult, aut non vult manifestare illas propter suam bonitatem infinitè amatam.

Inst. 4. Deus essentialiter habet non solùm virtualiter, & eminenter, sed etiam formaliter omnes perfectiones, quæ nullam involvunt imperfectionem. At talis est volitio manifestandi suas perfectiones. Ergo.

Resp. Disting. maj. Si perfectiones illæ sint meliores Deo, quàm aliæ secum incompossibiles, *conc. maj.* secus, *nego maj.* Nam tunc non est ratio, cur essentialiter una inesset Deo potiùs, quàm altera incompossibilis.

Inst. 5. Si volitio manifestandi suas perfectiones sit libera Deo, in Deo erunt aliquæ perfectiones contingentes. Falsum conseq. ergo.

Resp. Non erunt in Deo aliquæ perfectiones simpliciter simplices contingentes; sed erunt in Deo aliquæ perfectiones non simpliciter simplices, contingentes, quæ tamen nullam involvant imperfectionem. Duplex

quip-

quippe est perfectio contingens : una, quæ imperfectionem involvit ; & est ea, quæ non solùm potest esse, vel non esse, sed etiam quæ non semper inest enti, vel quæ definit ei inesse : & altera omnis imperfectionis expers, quæ nempe sic potest esse, vel non esse, ut vel nunquam sit : vel si sit, ab æterno, & pro æterno sit. Sunt autem in Deo hujusmodi perfectiones extensivæ tantùm, & secundùm quid, utpote incompossibiles cum alia æquali. Tales sunt volitiones liberæ Dei, quæ dicuntur *contingentes, non* quia transire possunt à non esse ad esse, vel ab esse ad non esse; sed quia non sunt necessariæ, & potuerunt non inesse Deo. Ex hypothesi tamen quod sint, non possunt non esse ab æterno, & pro æterno : nam quidquid Deus etiam liberè vult, id ab æterno, & pro æterno vult. Unde contingentia illarum perfectionum nullam dicit in Deo imperfectionem ; imò arguit summam perfectionem : nam ideo Deus ab æterno quæcunque vult extra se, sic vult, ut posset non velle, quia sibi sufficientissimus est, quia sivè velit, sivè non velit aliquid extra se, semper est summè, ac infinitè perfectus, beatus, & laudabilis.

Nota. Deus propter suas perfectiones infinitè laudabilis est, sed laudabilitate physica. At habet laudabilitatem moralem, seu in genere moris, propter actus suos liberos, quibus vult aliquam gloriam suam extrinsecam, cùm posset velle minorem. Laudabilitas autem moralis nihil perfectionis superaddit laudabilitati physicæ, sed solùm dignitatem ad præmium in subjecto, si haberet superiorem, vel æqualem, à quo præmiari possit.

ARTICULUS II.

Quid actus liber superaddat voluntati divinæ, & actui ejus necessario, & in quo consistat?

Dico 1. Actus Dei liber superaddit tantùm voluntati, & actui necessario aliquid Deo extrinsecum, nempe aliquid creatum productum in aliqua temporis differentia ; ita, ut actus Dei liber compleatur per connotatum aliquod reale Deo extrinsecum.

Prob. Actus Dei liber superaddit aliquid ejus voluntati, & actui necessario : nam Deus non est liberè volens aliquid, putà productionem mundi, ex eo præcisè, quod potest velle producere mundum, aut quod habet actum, quo sibi necessariò complacet in se, & in possibilitate mundi. At illud, quod superaddit, est aliquid Deo extrinsecum. Ergo. *Prob. min.* Illud, quod superaddit, vel est intrinsecum Deo, vel non intrinsecum, ideóque extrinsecum : Atqui illud non est quid intrinsecum Deo, ergo est quid extrinsecum. *Prob. min.* Libera Dei voluntas ut libera potuit non esse. Atqui quod potuit non esse, non est adæquatè intrinsecum Deo : nam quidquid est adæquatè intrinsecum Deo, est adæquatè identificatum Deo ; alioqui esset realis compositio in Deo : ac proinde quod est adæquatè intrinsecum Deo, est adæquatè Deus, qui est aliquid absolutè necessarium. Ergo libera Dei volitio non est aliquid adæquatè intrinsecum Deo. Ergo est aliquid inadæquatè saltem extrinsecum Deo. Hinc

Dico. 2. Libera volitio Dei consistit formaliter in duobus, nempe principaliter, ac primariò in actu voluntatis necessario, quo Deus se infinitè amat ; & minus principaliter in productione rei creatæ, vel illius positionis positæ.

Prob. Nam consistit 1. in actu voluntatis, quo Deus se summè amat : quidquid enim Deus operatur ad extra, illud operatur propter suam bonitatem infinitè amatam, ideoque ex amore sui. 2. Consistit in productione rei creatæ. Nam consistit in aliquo extrinseco complente illam volitionem in esse liberæ, ut probatum est : at verò volitio divina non potest compleri, ut sit libera, per aliquid absolutè necessarium, qualis est Deus, & quale est id omne, quod identificatur Deo. Illud autem extrinsecum nil aliud esse potest, quàm terminus immediatè productus vitalis volitionis, sivè actio productiva alicujus rei.

Sol.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Illud connotatum Deo extrinsecum, quod complet volitionem Dei in esse volitionis liberæ, est etiam aliquid extrinsecum volitioni divinæ: *ergo* non complet illam intrinsecè,

Resp. Illud extrinsecum Deo, quod includit libera volitio Dei, est extrinsecum volitioni liberæ, ut volitio est, non ut libera est; & est quid intrinsecum volitioni, ut libera est, non autem volitioni, ut volitio est.

Obj. 2. Libera Dei volitio est actus, seu tendentia vitalis: Ergo est aliquid adæquatè intrinsecum Deo.

Resp. Distinguo anteced. Est tendentia vitalis, terminata ad aliquid creatum, *conc. ant.* Est tendentia vitalis præcisè; *nego ant.* Dei volitio libera, ut libera, non est adæquatè vitalis, seu non est vitalis secundùm omnia, quæ importat: nam præter volitionem divinam importat etiam connotatum aliquod Deo extrinsecum. Est tamen vitalis simpliciter, quia est vitalis secundùm id, quod dicit principaliter, & in recto.

Porro actus Dei liber est tantùm contingens ratione terminationis ad effectum productum. Quæ terminatio consistit immediatè in productione rei contingentis, & mediatè in re ipsa producta; nam complementum, per quod Deus primo, & immediatè suam libertatem exercet, est actio productiva alicujus rei, mediatè verò res producta.

Obj. 3. Libera volitio Dei est æterna, & connotatum extrinsecum est solùm in tempore. At quod est tantùm in tempore, non potest complere id, quod est æternum Ergo.

Resp. Disting. maj. Libera Dei volitio est æterna secundùm id, quod includit principaliter, *conc. maj.* Est æterna secundùm id, quod includit minus principaliter, *neg. maj.* Libera volitio Dei duo includit, unum quidem principaliter, quod est aliquid Deo intrinsecum, & æternum; nempe actum voluntatis, quo Deus se summè amat: & aliud minus principaliter, quod est aliquid productum vi hujus actus voluntatis. Libera autem volitio Dei est tantum æterna secundùm suum principale constitutivum, ratione cujus dicitur æterna. Nec dici potest temporanea, vel extrinseca simpliciter, quamvis ejus complementum extrinsecum sit temporaneum, & Deo extrinsecum; quia denominatio petitur à potiori parte. Quare libera volitio Dei dici debet simpliciter vitalis, æterna, Deo intrinseca.

Item creatio mundi v. g. non potest dici simpliciter, esse partialiter libera volitio Dei, nisi in sensu physico, nec usitato. Quia non omnia, quæ quomodocunque concurrunt ad aliquam, denominationem, possunt, aut debent secundùm se ipsa sola participare illam denominationem, sed solùm ea, quæ ad illam principaliter concurrunt.

Nota. Totum quidem involvit suas partes, quæ tamen non semper debent omnes coexistere. Nam multa sunt, quæ affirmantur existere, quamvis non habeant omnes partes suas, seu essentialia denominationi. Sic homo dicitur senex à duratione præterita, & Deus dicitur creator ab actione creativa præterita, &c.

Obj. 4. Actus vitalis hoc ipso liber est, quod est à potentia vitali activè indifferenti ad utrumlibet. Ergo ad ejus libertatem non requiritur aliquid extrinsecum.

Resp. Disting. anteced. Actus vitalis hoc ipso liber est, quod est à potentia activè indifferenti ad ponendum actum illum vitalem secundùm se sumptum, *conc. ant.* secus, *nego*, *ant.* & *conseq.* voluntas autem divina non est activè indifferens ad ponendum illum actum vitalem secundùm se sumptum, utpotè sibi identificatum; sed est solùm activè indifferens ad objecta contingentia volendum, & non volendum, producendum, & non producendum. Unde libertas divina radicaliter sumpta non consistit in indifferentia activa potentiæ ad suos actus vitales, sed in indifferentia activa actus vitalis ad objecta contingentia. Item libera voluntas in Deo est per modum actus secundi, per se summè actualis quoad intrinseca, seu quoad actus vitales: indifferentis tamen ad res contingentes volendum, vel

non

non volendum efficaciter, & vi ſuæ efficaciæ producendas, vel non producendas.

Obj. 5. Prius eſt Deum velle creationem mundi, quàm ſit ipſa mundi creatio; nam decretum liberum condendi mundi eſt cauſa creationis mundi: ergo libera volitio creandi mundi non completur per ipſam creationem, cum jam illi præſupponatur.

Reſp. Diſting. antec. Si volitio creandi mundum ſumatur ſecundùm efficaciam, & aliam omnem perfectionem Deo intrinſecam tantùm, *conc. ant.* Si illa volitio ſumatur adæquatè penes omnia, quæ includit, ut eſt libera, *nego ant. & conſeq.* volitio creandi mundi ſpectata ſecundùm efficaciam, & omnem perfectionem ipſi volitioni identificatam eſt prior ipſa creatione mundi, & cauſa creationis mundi, talisque ſimpliciter dici debet; quia volitio divina cauſat illam creationem, ut continet antecedentem efficaciam, & totam ſuam perfectionem. Sed hoc non impedit, quominus ſit complete, ac formaliter libera in actu ſecundo per productionem mundi, cùm per ipſam productionem mundi compleatur, ut ſit formaliter libera. Hinc iſta Propoſitio: Deus operatur, quia liberè vult; eſt vera in hoc ſenſu, quod Deus operetur, quia habet volitionem efficacem, quæ eſt completè, ac formaliter libera per ipſam actionem productivam. Ad ſolvendas alias objectiones, & difficultates.

Nota 1. Dei voli io neceſſaria, qua Deus infinitè ſe amat, cùm ſit infinitè perfecta in ratione volitionis, continet in ſe formaliter, aut ſaltem æquivalenter, & eminenter omnem perfectionem, quæ reperiri poteſt in quacunque alia volitione poſſibili. Nam ſi eſſet aliquid perfectionis, quod in ea formaliter, aut eminenter non contineretur, non foret infinitè perfecta in ratione volitionis; poſſet enim adhuc aſſignari perfectior. Hinc ſequitur volitionem Dei neceſſariam eſſe æquivalenter, & eminenter omnem volitionem poſſibilem, ita ut velit æquivalenter, & eminenter omne volibile omni modo, quo voluntas illud velle honeſte poteſt; alioqui non contineret æquivalenter, & eminenter, quidquid perfectionis convenire poteſt omni volitioni poſſibili: igitur volitio Dei neceſſaria eſt eminenter volitio, & nolitio creandi mundum, & quidlibet aliud poſſibile; quatenus continet in ſe formaliter, aut æquivalenter, & eminenter, quidquid perfectionis conveniret hujuſmodi actibus, ſi realiter inter ſe diſtinguerentur. Eſt autem volitio creandi mundum formaliter libera per ipſam mundi creationem. Item Dei volitio neceſſaria, qua nempe ſe infinitè amat, eſt eminenter volitio faciendi aliquid, & nolitio faciendi aliud, aut etiam idem propter unum, aut alios fines. Eadem denique eſt eminenter volitio efficax; inefficax, abſoluta, conditionata, &c.

Nota 2. Quamvis volitio Dei neceſſaria ſit una, & ſimplex realiter, eſt tamen logicè, & virtualiter multiplex; cùm ſit ratione ſuæ infinitæ perfectionis æquivalenter, & eminenter omnis volitio, & nolitio honeſta poſſibils. Quare poteſt à nobis conſiderari modo, quatenus æquivalet volitioni, vel nolitioni creatæ unius objecti, ob talem finem, ejuſque perfectionem, quam in ſe eminenter continet: modo quatenus æquivalet volitioni, vel nolitioni creatæ alterius objecti ob talem finem. Atque ita diſtinguere poſſumus in Deo volitionem creandi hunc mundum à nolitione creandi eundem, vel alterum, volitionem faciendi aliquid propter unum finem à volitione idem faciendi propter alium finem. Hinc Deum velle ab æterno creare mundum hunc, nil aliud eſt, quàm volitionem divinam, quatenus æquivalet volitioni diſtinctæ, & efficaci creandi hunc mundum, terminari ad mundi hujus creationem. Similiter Deum velle rem aliquam propter aliquem finem, eſt volitionem divinam, quatenus æquivalet volitioni creatæ tendenti in rem illam propter illum finem, terminari ad hanc rem. Non velle autem eandem rem propter alium finem eſt volitionem divinam, quatenus æquivalet nolitioni creatæ circa rem illam propter talem finem, non terminari ad illam rem.

Nota. 3. Quæ hactenus dicta ſunt de volitione Dei libera, cum proportione applicanda ſunt ſcientiæ Dei liberæ, & contingenti,

genti, ut ſcientiæ viſionis creaturarum. Ac proinde intellectio divina, quæ de ſe eſt formaliter ſimplex repræſentatio omnium ſcibilium, & eſt eminenter omnis affirmatio, & negatio poſſibilis, completur, ut ſit formaliter viſio, ſeu affirmatio exiſtentiæ objecti, per ipſam objecti exiſtentiam in tali differentia temporis: ſicut volitio per eandem completur, ut ſit volitio formaliter libera; cum hoc tamen diſcrimine, quod volitio tendat modo practico in exiſtentiam, qua completur, ut ſit libera, nempe illi dando eſſe, ideóque ſit illa prior modo ſupra explicato: è contra verò ſcientia viſionis terminatur modo ſpeculativo ad exiſtentiam, qua completur, ſupponendo illam eſſe ita, ut illâ ſit poſterior ratione.

Quæres, utrum omnes actus divinæ voluntatis habeant infinitam ſimpliciter honeſtatem: ideóque ſint æqualiter honeſti, etiam ut virtualiter inter ſe diſtincti?

Reſp. Affirm. Quia omnes actus divinæ voluntatis, etiam ut inter ſe virtualiter diſtincti, habent motivum infinitè honeſtum, & infinitè amatum, nempe bonitatem divinam infinitè propter ſe amatam. Ergo ſunt omnes infinitè honeſti; cùm actus habeant bonitatem, & honeſtatem motivi, prout in illam afficitur voluntas. Ergo ſunt etiam æqualiter honeſti: nam infinito in aliqua ratione non poteſt dari aliquid melius, & majus in eadem ratione; cùm repugnet infinitum infinito majus.

ARTICULUS III.

De variis actibus divinæ voluntatis.

Quæres 1. *Utrum ſit amor in Deo erga ſe ipſum, & creaturas?*

Nota. Amor ſpecialis, & propriè dictus, eſt affectus, quo voluntas adhæret bono præcisè quia bonum eſt. Duplex eſt, nempe charitatis, ſeu benevolentiæ, & concupiſcentiæ. Amor charitatis, ſeu benevolentiæ eſt ille, quo quis amat alterum propter ipſum, & vult illi bonum, quia ſibi complacet in illius perſona propter propriam, ac intrinſecam ejus perfectionem. Hinc amor vocatur amicitia, quando perſona amata amantem ſic redamat: nam amicitia nihil aliud eſt, quàm mutua benevolentia. Amor concupiſcentiæ eſt ille, quo quis amat ſe ipſum, & bona ſua tanquam ſua, vel alium tanquam ſibi bonum

Reſp. 1. Deus ſe ipſum amat neceſſario: Quia ſummum bonum clarè viſum neceſſitat ad ſui amorem: alioqui cogitari poſſet aliquod bonum ſummo bono præſtantius, & potentius ad rapiendas in ſui amorem voluntates, illud nempe, quod clare videntem neceſſitaret ad ſui amorem. At Deus eſt ſummum bonum, & ſeipſum clarè videt: ergo ſe ipſum amat neceſſario.

Item Deus ſe amat amore comprehenſivo: nam ſe amat, quantùm amabilis eſt, nempe infinitè. Amor quippe comprehenſivus eſt ille, qui amabilitati objecti perfectè adæquatur.

Reſp. 2. Deus amat bona ſua intrinſeca, nempe perfectiones ſuas infinitas amore ſpeciali. Nam Deus habet complacentiam bonorum ſuorum intrinſecorum, quatenus ſunt bona, & ſibi conveniunt.

Reſp. 3. In Deo verus eſt amor charitatis inter Perſonas divinas, ideoque verè, & propriè dicta amicitia. Nam in divinis una Perſona amat aliam propter ipſam, & bona illius, quia ſibi complacet in illa propter intrinſecam illius bonitatem, ac perfectionem; & in Perſonis divinis perſona amata amantem redamat. Perſonæ autem divinæ ſeſe mutuo propter ſe amant per unum, & eundem realiter amorem; quia habent unam, & eandem numero naturam. Quæ quidem unitas, & identitas amoris perficit, nedum tollit, veram rationem amicitiæ, ad quam ſufficit diſtinctio perſonarum cum mutuo amore charitatis. Neque enim ad eam requiritur communicatio bonorum, & conſiliorum realiter diſtincta, quando adeſt aliquid melius, videlicet bonorum, & conſiliorum identitas cum amore mutuo neceſſario: nam tunc amicitia fomento non eget.

Reſp. 4. Deus amat etiam neceſſariò omnia poſſibilia amore complacentiæ. Nam Deus ſibi neceſſariò complacet in omnibus ſuis perfectionibus, cùm neceſſariò ſe

ipſum

ipsum infinitè amet. Ergo necessariò sibi complacet in sua omnipotentia. Ergo sibi necessariò complacet in eo, quòd producere potest hæc, & ista, & illa &c. Hoc est autem Deum sibi necessariò complacere in rebus possibilibus.

Resp. 5. Deus amat creaturas existentes, ut existentes, sed amore libero.

Prob. 1. Illas amat; nam, Sap. c. 11. dicitur: *Diligis omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Ratio est, quia Deus bene vult creaturis existentibus ut existentibus, dando scilicet, & conservando illis esse.

2. Amat illas liberè; quia cùm Deus sit sibi sufficientissimus, nulla re indiget. Unde non necessitatur ad producendas creaturas, productasque conservandas, ideóque ad eas amandas amore efficaci, iis benevolendo.

Resp 6. Deus creaturas rationales existentes aliquas amat etiam amore charitatis. Nam, Ephes. c. 2. dicitur: *Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos.* Præterea fide constat justos esse Dei amicos. Amicus autem amat amicum amore Charitatis, nempe propter propriam bonitatem, & amabilitatem illius.

Creaturas verò irrationales omnes Deus amat amore concupiscentiæ. Nam illas sibi amat tanquam bonum suum extrinsecum; illas enim amat, quia sunt quædam participationes bonitatis suæ, quam decet participari, & quam amat propter se. Amat quoque illas propter creaturas rationales, quatenus etiam vult illas esse, quia sunt utiles creaturis rationalibus. Quare sic amando creaturas irrationales ut bonum creaturarum rationalium, amat creaturas rationales amore benevolentiæ.

Resp. 7. Deus non amat æqualiter omnia. Nam 1. Deus magis æstimativè afficitur ad meliora, cùm quodlibet objectum æstimet secundùm meritum, & bonitatem illius.

2. Intensiùs amat affectu complacentiæ id, quod magis bonum est, & amabile: nam unumquodque ei placet secundùm gradum bonitatis, & amabilitatis suæ, quo nempe participat bonitatem, & amabilitatem divinam.

3. Amore efficaci benevolentiæ plus diligit unam creaturam, quàm aliam, quamvis sint æquales: nam ex duobus æqualiter justis uni plus boni vult, & facit, quàm alteri.

Quæres 2. *Utrum in Deo sit desiderium, & spes?*

Nota. Desiderium est affectus, quo voluntas vult, & tendit in bonum ut absens. Spes verò est affectus, quo voluntas fertur in bonum absens, & arduum, seu difficilè obtinendum.

Resp. 1. Non est in Deo desiderium circa bona sua intrinseca, sed duntaxat gaudium. Quia bona illa sunt semper necessariò præsentia Deo, & in illis semper suaviter conquiescit. At in Deo est desiderium circa bona Dei extrinseca, hoc est, circa multa, quæ ad laudem, & cultum Dei pertinent, eique placent: nam vult ea, antequam sint. Imò multa sunt ejusmodi, quæ Deus vult esse, & tamen hominum culpa nunquam erunt, ut patet in observatione omnium præceptorum, & salute omnium reproborum.

Resp. 2. In Deo non est propriè spes dicta. Quia Deo nihil est arduum, ac difficile, cùm Deus sit omnipotens.

Quæres 3. *An in Deo sit odium?*

Nota. Odium duplex est, nempe inimicitiæ, & abominationis. Odium inimicitiæ est illud, quo alicui personæ volumus malum, quatenus malum ejus est, quia ipsa nobis displicet. Odium abominationis est illud, quo rem, aut personam aliquam aversamur ut malam sive nobis, sive alteri, volut malam præcisè.

Resp. 1. Deus habet formaliter odium abominationis tùm contra peccata, tùm etiam contra peccatores.

Prob. 1. Ex Sap. c. 14. *Similiter odio sunt Deo impius, & impietas ejus.*

2. Quia tùm peccata, tùm etiam ipsi peccatores propter peccata, displicent Deo: nam voluntas divina, utpote rectissima, aversatur omnia, quæ aversione digna sunt, & quæ voluntas rationabiliter aversari potest. Atqui non solùm peccata, sed etiam ipsi peccatores propter peccata aversione digni sunt; quia non solùm peccata mala sunt, sed etiam

ipſi peccatores ſunt mali propter peccata. Ergo.

Quare illud, Sap. c. 11. *Diligis omnia, quæ ſunt: & nihil odiſti eorum, quæ feciſti*, ſignificat Deum, quamvis velit peccatoribus pœnam debitam, tamen ſimul velle ſincerè eorum converſionem, & ſalutem, quamdiu vivunt, & propterea illos conſervare, & ad hunc finem dirigere pœnas, quibus illos in hac vita afficit; nec eos odiſſe quoad naturalia.

Reſp. 2. Deus etiam habet formaliter odium inimicitiæ contra peccatores.

Prob. 1. Ex Pſal. 91. *Inimici tui peribunt, & diſpergentur omnes, qui operantur iniquitatem.* Ubi vox *inimici* ſumitur activè, etiam ex parte Dei.

2. Quia Deus amat Juſtos amore amicitiæ, ſibi complacendo in illis propter gratiam ſanctificantem, & ex tali complacentia volendo illis beatitudinem æternam, & alia bona ſupernaturalia, quia ſunt illorum bona. Ergo pariter Deus peccatores odit odio inimicitiæ propter peccata, ſibi diſplicendo in illis, & ex tali diſplicentia volendo illis pœnam debitam, ut illorum pœna eſt, quod præcipuè verum eſt de damnatis. Deus tamen poteſt pœnam peccatoribus viatoribus infligere, & ex affectu odii; quia in illis ſibi propter peccata diſplicet: & ex affectu miſericordiæ; quia illorum converſionem deſiderat.

Porro Patres non negant in Deo odium, niſi illud, quod cum paſſione, & commotione conjunctum eſt.

ARTICULUS IV.

Utrùm Deus habeat ſinceram voluntatem ſalvandi omnes omnino homines, etiam reprobos?

§. I.

Prænotanda.

NOta 1. Divinæ voluntatis actus, qui eſt unicus realiter, ſed virtualiter multiplex dividitur logicè in plures actus.

1. In efficacem, & inefficacem. Voluntas, ſeu volitio efficax eſt ea, qua Deus ſic vult aliquid, ut determinatus ſit ad ſuperanda omnia impedimenta, & ad adhibenda media, quibus re ipſa illud fiat. Quare voluntas efficax effectum ſemper habet, eſtque incompoſſibilis cum oppoſito illius, quod Deus intendit. Talis eſt voluntas ſalvandi electos. Voluntas inefficax eſt ea, qua Deus ſic vult aliquid, ut non ſit determinatus ad ſuperanda omnia impedimenta: unde compoſſibilis eſt cum oppoſito illius, quod Deus intendit. Talis eſt voluntas ſalvandi reprobos.

2. In abſolutam, & conditionatam. Voluntas abſoluta eſt ea, quæ nullam involvit conditionem ex parte objecti, ſeu rei volitæ. Talis eſt volitio, qua Deus vult mandata ſua ſervari ab hominibus. Voluntas conditionata eſt ea, quæ includit aliquam conditionem ex parte objecti voliti. Talis eſt volitio, qua Deus voluit poſteros Adami donare juſtitia originali, ſi ipſe Adamus non peccaret comedendo fructum vetitum.

Porro omnis voluntas efficax eſt etiam abſoluta: ſed non omnis voluntas abſoluta eſt efficax, ut patet in voluntate abſoluta, qua Deus vult mandatorum ſuorum obſervationem. Tamen per voluntatem abſolutam ſæpe intelligitur efficax.

3. In antecedentem, & conſequentem. Voluntas antecedens, juxta S. Damaſcenum, eſt volitio, quam Deus habet ex ſeipſo ſolo, & independenter à bonis, & malis operibus creaturæ. Talis eſt voluntas ſalvandi reprobos. Voluntas conſequens eſt volitio, quam Deus habet non ex ſe ſolo, ſed data occaſione, vel cauſa ex parte creaturæ, ſive dependenter à bonis, vel malis operibus creaturæ. Talis eſt voluntas damnandi reprobos propter eorum peccata per impœnitentiam finalem conſummata. Latiùs autem loquendo, voluntas antecedens eſt quælibet volitio divina, quæ non ſupponit uſum libertatis creaturæ: conſequens, quæ illum ſupponit.

4. In voluntatem beneplaciti, & voluntatem ſigni. Voluntas beneplaciti eſt quælibet Dei volitio vera, & propriè dicta. Voluntas

ſigni

signi est signum volitionis, non volitio: unde non est voluntas propriè, sed tantùm metaphoricè. Tale est præceptum, quo Deus mandavit Abrahamo immolationem Isaaci, quam nullo modo volebat, nec inefficaciter quidem; sed solùm volebat, ut Abrahamus ad eum obligaretur, eamque vellet exequi.

Nota 2. Nemo negat Deum habere sinceram voluntatem salvandi eos, qui reipsa salvantur, nempe electos. Nam cùm Deus illis præbeat in tempore media efficacia ad salutem consequendam, & post illorum mortẽ retribuat eis vitam æternam, patet, quòd habuerit ab æterno voluntatem sinceram, imò & efficacem illos salvandi. Deus enim nil facit in tempore, quod non velit facere: & nil vult facere in tempore, quod ab æterno non voluerit facere; cùm omnis volitio Dei sit ab æterno, & æterna, sicut Deus. Itaque sola potest esse quæstio de voluntate Dei circa salutem reproborum.

Nota 3. Calvinus, in cap. 2. 1. ad Timoth. & l. 3. instit. c. 24. docuit, Deum non habere sinceram voluntatem salvandi omnes homines. Unde, in cap. 2. Epist. 1. Joann. consequenter negat Christum esse mortuum pro omnibus hominibus. Calvino consentit in hoc Jansenius Iprensis Episcopus: nam, l. 3. de Gratia Christi, c. 20. asserit doctrinam de generali Dei voluntate salvandi omnes homines, à Semipelagianis ortam esse, & inde in scholas derivatam: additque voluntatem salvandi omnes homines, si quam Deus habet post Adæ lapsum, esse nudam velleitatem, qualem Deus habet circa homines, vel Angelos damnatos. Quare, c. 21. docet, Christum mortuum esse pro salute æterna solorum electorum, nec magis pro cæterorum hominum salute sanguinem suum fudisse, aut orasse, quàm pro salute diaboli. Fatetur tamen, multis reprobis propter merita Christi conferri fidem, charitatem, & justificationem, & sic aliquatenus Christum pro multis reprobis mortuum esse, quamvis pro eorum salute æterna mortuus non sit, ideoque illi justificationem necessariò amittant, nec possint in gratia accepta perseverare. In quo solùm discrepat à Calvino, docente nullis reprobis ullam gratiam ex meritis Christi concedi. Sed Jansenii verba, c. 21. l. de Gratia Christi referre juvat: *sicut ergo non voluit (* Augustinus *) voluntatem Dei ad salutem omnium omnino hominum extendi, sed illorum duntaxat, qui* ex *omni gente, & lingua, ex omni hominum genere prædestinati sunt; ita nec voluit effectus istius voluntatis, hoc est, mortem, sanguinem, redemptionem, propitiationem, orationem Christi, ad omnes homines dilatari: Sed vel ad solos illos, qui prædestinati sunt: quatenus pro æterna, & totali eorum salute offeruntur: vel certè aliquatenus quoque ad illos, qui ratione temporalis fidei, aut charitatis, effectus aliquos redemtionis, & propitiationis assequuntur. Nam illa extensio tam vaga modernorum Scriptorum non ex alio capite, quàm ex ista generali, & indifferenti voluntate Dei erga salutem omnium, & ex illa sufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit: quorum utrumque Augustinus, Prosper, Fulgentius, & antiqua Ecclesia velut machinam à Semipelagianis introductam repudiavit.*

§. II.

Dico. Deus habet ab æterno sinceram voluntatem salvandi omnes omnino homines, etiam reprobos, nullo excepto.

Prob. 1. Ex Scriptura, 1. Tim. c. 2. *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus... Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei, & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Apostolus autem per hæc verba (*omnes homines vult salvos fieri*) intelligit omnes omnino homines nullo excepto; Nam 1. Hæc vox *omnes* in sensu proprio id significat; & verba Scripturæ, juxta regulam S. Augustini ab omnibus receptam, sumi debent in sensu proprio, nisi alia Scriptura, aut Traditio, aut evidens aliqua ratio obstet: hic autem nihil horum obstat. 2.

Tam generaliter intelligit, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, quàm orandum eſſe pro omnibus hominibus: nam probat orandum eſſe pro omnibus hominibus, eò, quòd Deus velit omnes homines ſalvos fieri. Non poteſt autem probari propoſitio univerſalis per aliam minùs univerſalem: nam concluſio non poteſt eſſe univerſalior præmiſſa, à qua deducitur. At cùm Apoſtolus dicit orandum eſſe pro omnibus hominibus, intelligit omnes nullo excepto, ut patet ex praxi Eccleſiæ hæc verba ſic interpretantis, & idcirco pro omnibus orantis, ut expreſsè docet Sanctus Proſper, in reſp. ad 2. objectionem Vincent. Ergo etiam cùm Apoſtolus dicit *omnes homines vult ſalvos fieri*, intelligit omnes omnino nullo excepto. 3. Cùm Apoſtolus aſſerit Deum velle omnes homines ſalvos fieri, tam generaliter loquitur, quàm cùm poſtea aſſerit unum eſſe Deum omnium, & Chriſtum ſemetipſum dediſſe redemptionem pro omnibus: nam probat, Deum velle ſalutem omnium, quia eſt Deus omnium, & Chriſtus eſt Redemptor omnium, ut patet ex hac voce cauſali: *enim.* At cùm aſſerit, unum eſſe Deum omnium, & Chriſtum dediſſe redemptionem ſemetipſum pro omnibus, intelligit omnes nullo excepto. Ergo, &c.

Ex multis aliis textibus duos addam. 2. Petri, c. 3. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam; ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Ergo Deus vult converſionem, ideoque ſalutem omnium peccatorum. Et Ezech. c. 18. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat?*

Prob. 2. Ex Patribus. ut Cypriano, Ambroſio, Chryſoſtomo, Hieronymo, Paulino, Damaſceno, ſed imprimis ex S. Auguſtino, qui, l. de ſpiritu, & littera, cap. 33. ſic ait: *Vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene, vel male utentes, juſtiſſimè judicentur. Quod cùm fit, infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cùm ejus Evangelio non credunt; nec ideo tamen eam vincunt. Verùm ſeipſos fraudant magno, & ſummo bono, malisque pœnalibus implicant, experturi in ſupplicis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.* Ergo ex Sancto Auguſtino, alludente ad verba Apoſtoli laudata, Deus ſincerè vult ſalvos fieri eos omnes, quos judicaturus eſt. Atqui Deus judicaturus eſt omnes omnino homines, etiam reprobos, nullo excepto. Ergo ex Sancto Auguſtino Deus ſincerè vult omnes homines nullo excepto ſalvos fieri. Illa autem Dei voluntas ex S. Doctore eſt vera, ac ſincera; cùm vi illius concedantur reprobis dona, quibus ſalutem conſequi poſſint.

Porro Sanctus Auguſtinus ibi loquitur ex propria ſententia, ut patet ex toto contextu, non autem ex ſententia Semipelagianorum, ut falsò aſſerit Janſenius.

Sancto Auguſtino addo Sanctum Proſperum ejus Diſcipulum, & Interpretem fideliſſimum, qui in reſponſione ad 2. objectionem Vincentii ait: *Sinceriſſimè credendum, atque profitendum eſt, Deum velle, ut omnes homines ſalvi fiant; ſiquidem Apoſtolus, cujus iſta ſententia eſt, ſollicitiſſimè præcipit, quòd in omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtodiatur, ut Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur: ex quibus quòd multi pereant, pereuntium eſt meritum: quod multi ſalvantur, ſalvantis eſt donum.*

Prob. 3. Argumento Theologico. Deus habet ſinceram voluntatem ſalvandi eos omnes, pro quorum ſalute Chriſtus mortuus eſt: nam Chriſtus, utpote omnino conformis voluntati Patris, nihil fecit, nec obtulit Patri, niſi quod Pater æternus volebat, eo modo, quo volebat, & iis, pro quibus volebat fieri, & offerri à Chriſto. Deus autem non voluit, ut Chriſtus mortem ſuam offerret, niſi pro ſalute æterna eorum, quos ipſe Pater volebat ſalvos fieri, ut patet; nam Chriſti mors à Deo decreta, & ordinata eſt ad ſalutem hominum tanquam finem proximum. Atqui Chriſtus mortuus eſt pro ſalute æterna omnium hominum, etiam reproborum, nullo excepto. Ergo Deus habet ſinceram voluntatem ſalvandi omnes homines, etiam reprobos, nullo excepto.

Prob.

Prob. min. 1. Ex Scriptura, 1. Tim. c. 2. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus,* Et 2. Cor. c. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; & pro omnibus mortuus est Christus.* Ubi Apostolus colligit omnes omnino homines esse mortuos per peccatum Adami, ex eo, quòd Christus pro omnibus mortuus sit: quæ conclusio esset falsa, si Christus non esset mortuus pro omnibus omnino hominibus, nullo excepto: nam conclusio universalis inferri non potest, nisi ex propositione saltem æque universali. Apostolum autem sic universaliter intellexit Sanctus Augustinus, l. 5. operis imperfecti contra Julian. c. 64. *Unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt. Conclusio hæc Apostoli invicta est: ac per hoc, quia & pro parvulis mortuus est, profecto etiam parvuli mortui sunt.* Et l. 2. c. 163. *Clamat Apostolus: ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est; & vos reclamatis, non sunt mortui parvuli: clamate, & quod sequitur: ergo non pro ipsis mortuus est.* Item, 1. Joann. c. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Porro mori pro omnibus, in sensu proprio, & in sensu Ecclesiæ, est mori ea intentione, ut mors illa prosit omnibus ad vitam æternam: sicut mori pro aliquo, est mortem subire ex intentione, ut mors prosit alicui. Præterea Christum mori pro electis, est Christum mori pro salute æterna electorum. Ergo Christum mori pro omnibus omnino hominibus, est Christum mori pro salute æterna omnium omnino hominum.

Prob. 2. eadem minor. Ex Traditione, cujus testes sunt Patres. Hic sufficiant, Clemens Alexandr. l. 7 stromatum. *Servator propter suam excellentem benignitatem, & in hominem charitatem, non despecta carnis humanæ imbecillitate, sed ea indutus, ad communem venit hominum salutem.* S. Greg. Naz. orat. 42. de Christo ait: *Quantum ad ejus voluntatem, & intentionem universus mundus salutem accepit. Pro omnibus enim Christus mortuus est.... Non exiguæ cujusdam partis terrarum, nec ad exiguum tempus, sed totius mundi nunquam interitura expiatio.* S. Athan. ser. 3. contra Arianos. *Deus ut bonus, ut Pater Domini nostri J. C. nostram vicem dolens.... author fuit Filio suo, ut induto corpore humano homo fieret..... atque in eo corpore seipsum offerens pro omnibus omnes liberaret ab ignorantia Deitatis, & corruptione,* scilicet ex parte sua, & mediorum sufficientium. S. Basil. Homil. in Psal. 48. *Inventum unum est pro omnibus simul hominibus dignum pretium, nempe sanctus, & omni pretio superior pretiosus sanguis Domini nostri Jesu Christi, quem pro nobis omnibus effudit.* S. Ambrosius, serm. 8. in Psal. 118. *Sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit.... Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis fenestris radios Solis excludat.* Et l. de Paradiso, cap. 8. *Venerat Dominus Jesus omnes salvos facere: etiam circa impios ostendere suam debuit voluntatem. Et ideo nec proditorem debuit præterire.....& quod in Deo fuit, ostendit omnibus, quòd omnes voluerit liberare.* Sanctus Epiphanius, hæresi 69. *Pontifex idcirco* (Christus) *quòd pro humano genere Patri semetipsum obtulerit. Idem & Sacerdos simul, & Hostia.* Sanctus Hieronymus, in cap. 5. epist. 2. ad Corinth. *Solus inventus est, qui ut immaculata Hostia pro omnibus, qui erant in peccatis mortui, offerretur.* Sanctus Augustinus, in Psal. 65. *Judicavit orbem terrarum in æquitate, non partem, quia non partem emit: totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Sanctus Cyrillus Alexandrinus, in epist. ad monachos. *Unus ex omnibus resurgens, qui pro omnibus mortuus erat, ut proprio sanguine redimeret, quidquid sub Cœlo est, & acquireret Deo, ac Patri omnes, qui in universa terra consistunt.* S. Leo serm. 1. de Nativ. Domini. *Sicut nullum à reatu liberum reperit, ita pro liberandis omnibus venit.*

Prob. 3. eadem minor. Tùm ex Symbolo Nicæno: *Qui propter nos homines, & propter*

pter noſtram ſalutem deſcendit: & *incarnatus eſt*, & *homo factus*, *paſſus eſt*. Ergo Filius Dei incarnatus, & paſſus eſt ſupplicia, & mortem pro omnibus hominibus: nam non dicit: *propter nos fideles*, *ſed*, *homines*, quales ſunt etiam infideles. Tùm ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 2. ubi de Chriſto ait: *Hunc propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris*: *non ſolùm autem pro noſtris*, *ſed etiam pro totius mundi*. Et c. 3. *Verum etſi ille pro omnibus mortuus eſt*, *non tamen omnes mortis ejus beneficium* (ſcilicet conſummatum in hac vita per juſtificationem, de qua ibi agit) *recipiunt*; *ſed ii duntaxat*, *quibus meritum paſſionis ejus communicatur*. Ergo Chriſtus mortuus eſt etiam pro iis, quibus meritum paſſionis ejus non communicatur per juſtificationem: ideoque pro omnibus nullo excepto.

§. III.

Hujus noſtræ Aſſertionis certitudo exponitur.

Antequam exponatur, ſupponendum eſt principium ab omnibus tùm Catholicis, tùm hæreticis admiſſum, nempe eſſe de fide Deum velle ſincerè ſalvare eos omnes, & ſolos homines, pro quorum ſalute æterna Chriſtus mortuus eſt; ita ut eadem certitudine certum ſit Deum velle ſalvare hos omnes, qua certitudine certum eſt Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute horum omnium; & hæc duo inter ſe convertantur: *Deus vult ſalvare hos omnes: Chriſtus mortuus eſt pro ſalute horum omnium.* Enim verò de fide eſt, Patrem æternum voluiſſe, ut Chriſtus moreretur pro ſalute eorum omnium, quos ipſe Pater vult ſalvari, cum DEUS non velit quemquam ſalvari, niſi per mortem Chriſti; & Chriſtum omnem Patris voluntatem impleviſſe, ideoque mortem obtuliſſe pro ſalute æterna eorum omnium, & ſolorum, pro quibus, & eo modo, quo Pater æternus volebat offerri, ut conſtat ex Joann. c. 6. *Deſcendi de Cœlo*, *non ut faciam voluntatem meam*, *ſed voluntatem ejus*, *qui miſit me.*

Dico 1. Eſt de fide, Deum habere ſinceram voluntatem ſalvandi aliquos reprobos.

Prob. Ex conſtitutione Innocentii X. contra quinque famoſas Janſenii propoſitiones ad conſultationem Epiſcoporum Galliæ data, & ab univerſa Eccleſia recepta, quæ ſic habet: *Quintam*; *Semipelagianum eſt dicere*, *Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe*, *aut ſanguinem fudiſſe*; *falſam*, *temerariam*, *ſcandaloſam*, & *intellectam eo ſenſu*, *ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit*; *impiam*, *blaſphemam*, *contumelioſam*, *divinæ pietati derogantem*, & *hæreticam declaramus*, & *uti talem damnamus.* Igitur hæc propoſitio, Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus eſt, eſt hæretica. Ergo contradictoria, Chriſtus non eſt mortuus pro ſalute ſolorum prædeſtinatorum, eſt dogma fidei. Ergo (quod idem eſt) Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute aliquorum non prædeſtinatorum, eſt dogma fidei. Ergo Deum velle ſincerè ſalvare aliquos non prædeſtinatos, eſt dogma fidei, juxta principium ſupra poſitum.

Nota. Hanc conſtitutionem Innocentii X. Alexandri VII. in Bulla edita ann. 1656. relatam probat, & renovat, atque quinque propoſitiones ex libro Janſenii excerptas, & in ſenſu doctrinæ ejuſdem libri damnatas fuiſſe decernit. Et utramque Innocentii, & Alexandri conſtitutionem confirmavit Clemens XI. Bulla *Vineam Domini Sabaoth*, qua definivit, fideles teneri has propoſitiones in ſenſu doctrinæ Janſenii in ejus opere traditæ damnare. Quæ omnes Bullæ, ſeu conſtitutiones ab Eccleſia Catholica receptæ ſunt, & ab omnibus Galliarum Epiſcopis in ſuis Diœceſibus promulgatæ.

Hinc fide quoque conſtat, ineſſe Deo aliquam veram, & ſinceram voluntatem ineffi-cacem, & quæ non impleatur.

Dices. Summi Pontifices ſolùm definierunt eſſe hæreticum dicere, quòd Chriſtus mortuus ſit pro ſalute duntaxat, id eſt, ſolùm pro ſalute *æterna* prædeſtinatorum, & non etiam pro ſalute temporaria, ſeu juſtificatione aliquorum reproborum, qui ex ſtatu gratiæ ſanctificantis excidunt: ita ut vox *duntaxat* cadat in to *mortuus*, non in to *Prædeſtinatorum*.

Reſp. Nego. Sed inſuper definierunt hæreticum

reticum esse dicere, Christum mortuum esse pro æterna salute solorum prædestinatorum, & non etiam pro æterna salute reproborum, saltem aliquorum. **Nam** 1. Hic est sensus **proprius**, & obvius propositionis. 2. **Alexander VII.** declaravit has quinque propositiones damnatas esse in sensu à Jansenio intento, scilicet per doctrinam in suo libro traditam, & Clemens XI. declaravit eas damnatas esse in sensu doctrinæ Jansenii, & hanc condemnationem *in hoc sensu* recepit Ecclesia. Atqui sensus hujus propositionis (*Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus est*) à Jansenio in suo opere expressus, est, quòd Christus mortuus sit pro salute æterna solorum prædestinatorum, & non pro salute æterna ullius reprobi; quamvis fateatur, mortuum esse etiam aliquatenus pro aliquibus reprobis, quatenus nempe mortem obtulit pro obtinenda multis reprobis justificatione temporaria, ut patet linguam Latinam intelligenti. Ergo 3. Summi Pontifices definierunt illam propositionem in sensu Catholicos inter, & Jansenistas controverso, & non solùm in alio, de quo non erat quæstio; alioqui inutilis, & inepta fuisset illorum definitio: sensus autem propositionis inter illos controversæ non erat, quòd Christus solùm mortuus sit pro æterna salute prædestinatorum, & non etiam pro salute temporaria, seu justificatione aliquorum reproborum: in hoc enim ambæ partes consentiebant contra Calvinistas: sed controversia erat, an Christus mortuus sit pro salute æterna aliorum, quàm prædestinatorum, quod affirmabant Catholici, negabant Jansenistæ.

Dico 2. Est de fide, Deum velle sincerè salvare omnes reprobos fideles, nullo excepto.

Prob. Est de fide, Deum velle sincerè salvare omnes, pro quorum salute æterna Christus mortuus est, ut constat ex dictis. Atqui de fide est, Christum mortuum esse pro salute æterna omnium omninò fidelium etiam reproborum, nullo excepto. Ergo est de fide, Deum velle sincerè salvare omnes fideles etiam reprobos. *Prob. min.* Ex Symbolo Nicæno, ubi de Filio Dei dicitur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem homo factus, passus est.* Ubi nomen salutis significat salutem æternam. Nam hæc vox in sensu proprio, & in sensu Ecclesiæ, & à fidelibus intellecto, ac usitato, significat vitam æternam. **Ex** quo sic argumentor. Omnia, quæ in Symbolo continentur, sunt de fide. Ergo est de fide, Dei Filium factum esse hominem, & passum crucem, ac mortem pro salute eorum omnium, qui exprimuntur his vocibus, *nos*, *nostram*. At his vocibus exprimuntur saltem omnes omnino fideles, nullo excepto: nam omnes omnino fideles possunt, imò debent credere omnia in isto Symbolo contenta, & hoc Symbolum pro omnibus fidelibus conditum est. Ergo est de fide, Dei Filium factum esse hominem, & passum esse crucis supplicium, ac mortem pro salute æterna omnium omnino fidelium, nullo excepto.

Idem constat ex Symbolo Athanasiano à tota Ecclesia recepto, in quo dicitur de Christo: *Qui passus est pro salute nostra*, & in fine additur, hanc esse fidem Catholicam, nimirum doctrinam totam in illo contentam. Ubi vox *nostra* supponit pro omnibus, qui tenentur omnia in hoc Symbolo contenta credere. Omnes autem fideles, nullo excepto, tenentur credere omnia in hoc Symbolo contenta, nam in fine Symboli dicitur: *Hæc est Fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

Denique fide constat, quemlibet fidelem teneri firmiter sperare salutem æternam, & media ad illam necessaria, quantum est ex parte Dei: ideoque debere credere, Deum velle illum salvare, eique media salutis providisse per merita Christi, nam ex Apostolo, Heb. c. 11. Fides est sperandarum rerum substantia, id est, fundamentum.

Hinc de fide est, Deum velle sincerè salutem omnium reproborum, qui aliquando justificantur, cùm omnes, qui justificantur, sint fideles: nam in justificatione infunditur habitus fidei, ut docet Concil. Trident. Imò adulti justificari non possunt sine prævia fide actuali, ut dispositione necessaria ad justificationem. Præterea Deus vult sincerè salutem

tem eorum omnium, quos adoptat in filios, & constituit Regni sui hæredes, & quidem in perpetuum, quantùm est ex parte sua sufficienter. Est autem de fide, quòd Deus omnes, qui justificantur, adoptat in filios, & constituit Regni sui hæredes, ut constat ex Conc. Tird. sess. 6. cap. 4. & 7 idque in perpetuum, quantùm est ex parte sua sufficienter: siquidem iis omnibus, quos justificat, dat auxilia gratiæ, quibus possunt in statu justitiæ usque in finem perseverare, ut etiam docet idem Concil. eadem sess. c. 11. ubi definit, Dei præcepta homini justificato ad observandum non esse impossibilia, & addit: *Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur.*

Dico 3. Deum velle sincerè salutem omnium omnino reproborum, nullo excepto, etiam infidelium, qui nihil unquam audierunt de Christo, & parvulorum in utero materno morientium. Si non est de fide, certè hoc est Catholicum; & huic assertioni nihil deest, ut sit expresse de fide, præter expressam, & publicam Ecclesiæ definitionem, atque mihi videtur certa certitudine fidei.

Prob. Certum est certitudine fidei, Christum mortuum esse pro salute omnium omnino hominum, etiam reproborum, nullo excepto. Ergo certum est etiam certitudine fidei, Deum velle sincerè salutem omnium omnino hominum, nullo excepto: ideoque omnium infidelium, & parvulorum in utero materno morientium. *Prob. ant.* Illud est certum certitudine fidei, quod evidenter continetur in propositione expresse revelata. Atqui Christum mortuum esse pro salute omnium omnino hominum, etiam infidelium, & parvulorum, nullo excepto, id evidenter continetur in propositione expresse revelata, nempe hac: Christus mortuus est pro salute eorum, qui sunt inquinati peccato originali, quales sunt omnes omnino homines, præter B. Virginem, quæ tamen in Adamo peccavit, & mortua est, quamvis in se peccatum, & mortem non contraxerit, sicut alii omnes puri homines contraxerunt; nam Apostolus 2. Cor. c. 5. ait: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; & pro omnibus mortuus est Christus.* Ubi Apostolus clarè docet, Christum esse mortuum pro iis omnibus, qui mortui sunt in Adamo, & peccatum originale contraxerunt: nam concludit, omnes mortuos esse per peccatum Adami ex eo, quòd Christus pro omnibus mortuus sit; & evidens est, conclusionem non posse inferri ex propositione, quæ non sit saltem æquè universalis. Idque expresse docet S. August. l. 6. contra Julianum, c. 4 his verbis: *Ex hoc probavit* (Apostolus) *omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco, infercio recusanti. Accipe, salubre est, nolo, moriaris. Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide, quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quia ergo non in corpore, restat, ut in peccato esse mortuos omnes, pro quibus Christus mortuus est, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat, aut dubitat, esse Christianum.* Christum autem esse mortuum pro omnibus in sensu proprio, & ab Ecclesia intellecto, est, Christum mortem suam obtulisse pro salute æterna omnium, ex sincera voluntate, ut omnibus prosit ad salutem. Eadem veritas constat etiam ex sensu, & doctrina Ecclesiæ: nam in Canone Missæ feria V. in Cœna Domini paulò ante verba Consecrationis, hæc dicuntur: *qui pridie, quàm pro nostra, omniumque salute pateretur, accepit panem, &c.* Hinc meritò ab Alexandro VIII. damnata est hæc propositio: *Dedit Christus semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis electis, sed pro omnibus, & solis fidelibus.*

Dices. Aliqui Theologi negarunt, Deum velle salutem parvulorum in utero materno morientium.

Resp. Pauci illi Theologi in hoc errarunt, non tamen ex animo hæretico, sed solùm ex inconsideratione, non satis expendendo sensum Scripturæ, & Patrum in hac materia.

§. IV.

Solvuntur Objectiones contra sinceram Dei voluntatem salvandi omnes homines, etiam reprobos.

Obj. 1. Verba Apostoli (Deus vult omnes ho-

homines ſalvos fieri) ſignificant tantùm velleitatem; vel voluntatem ſigni. Ergo.

Reſp. Nego antec. Nam hæc verba in ſenſu proprio, & ab Eccleſia intellecto ſignificant veram, ac propriè dictam voluntatem ſalvandi omnes omnino homines; præſertim cùm ex morte Chriſti pro omnibus oblata conſtet, Deum habere voluntatem veram, propriam, ac ſinceram ſalutis omnium hominum: nam Chriſtus non eſt mortuus, niſi pro ſalute eorum, pro quorum ſalute Deus volebat, ut moreretur. Igitur voluntas ſalvandi reprobos eſt proprius, ac formalis, & liber divinæ voluntatis affectus, quo Deus propriè, ac ſincere vult, & deſiderat ſalutem reproborum. Unde hæc voluntas non eſt ſolùm de mediis ad ſalutem idoneis, ſed etiam de ipſa ſalute reproborum. Neque eſt actus ſimplicis complacentiæ, qualem Deus habet circa ſalutem dæmonum ut poſſibilem; ſed eſt actus proſecutivus, quo Deus ſincerè intendit ſalutem omnium hominum etiam reproborum, & vi hujus intentionis præparat media ad eam obtinendam idonea, ſecundùm modum, quo intendit obtinere, nempe ſufficienter erga reprobos. Nam vi illius voluntatis Deus præparat reprobis media, quibus poſſent ſalvari, ita ut ſola ſua culpa non ſalventur. Eadem hæc voluntas eſt voluntas beneplaciti, ſi per illam intelligatur voluntas omnis, qua Deus ſincerè deſiderat aliquid fieri, & vi illius decernit media ad illud ſufficientia: non eſt autem, ſi voluntas beneplaciti ſumatur tantùm pro voluntate abſoluta, & efficaci. Unde quoad hanc appellationem poteſt eſſe mera quæſtio de voce.

Nota. Duplex eſt Dei voluntas circa ſalutem hominum, una abſoluta, ac efficax: & altera conditionata. Voluntas abſoluta, & efficax eſt ea, qua Deus vult abſolutè, & efficaciter ſalutem electorum, & per quam determinatus eſt ad conferenda eis media efficacia: quæ voluntas dicitur abſoluta, quia nullam involvit conditionem, vel quia conditionem cooperationis efficaciter vult, & ſupponit. Voluntas conditionata eſt ea, qua Deus vult ſalutem hominum, ſi ejus gratiæ cooperaturi ſint.

Obj. 2. S. Auguſt. locum illum Apoſtoli (Deus vult omnes homines ſalvos fieri) exponit cum limitatione, & reſtrictione ad ſolos electos. Nam, 1. Enchirid. c. 105. hunc locum interpretatur pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum, hoc ſcilicet ſenſu, quòd nulla ſit hominum ætas, conditio, natio, in qua Deus non velit aliquos ſalvos fieri. Quo ſenſu dicitur, omne animal fuiſſe in Arca Noe, quatenus ex omni animalium ſpecie fuerunt aliqua in Arca Noe. 2. l. *de Prædeſt. Sanct.* c. 8. dicit, Deum velle omnes homines ſalvos fieri, quatenus vult ſalutem eorum omnium, qui reipſa ſalvantur. Sicut alicujus Civitatis Magiſter dicitur docere omnes pueros, quia docet omnes, qui docentur. 3. l. *de corrept. & gratia*, c. 15. Explicat verba illa Apoſtoli de voluntate ſalvandi omnes homines, non formali, ſed cauſali; quatenus Deus facit, ut Sancti velint ſalutem omnium, eamque, quantùm poſſunt, procurent. Ergo textus Apoſtoli laudatus non ſignificat veram voluntatem ſalvandi omnes, & ſingulos homines.

Reſp. Nego conſeq. Quia 1. S. Aug. textum hunc Apoſtoli alibi, ut l. *de ſpiritu, & litera*, cap. 33. ſuprà laudato exponit de voluntate ſincera ſalvandi omnes omnino homines, etiam reprobos infideles, ut alii Patres etiam intellexerunt. 2. Sic Apoſtoli verba locis objectis exponit ſolùm ex ſuppoſitione, quòd intelligantur de voluntate ſalvandi omnes homines abſoluta, & efficaci ex parte volentis, ut volebant intelligi Pelagiani, & Semipelagiani: non autem quòd ipſe ſenſerit, illa verba *non poſſe intelligi de voluntate* ſincera ſalvandi omnes omninò homines, nullo excepto, licèt inæquali, cùm ipſemet ea ſic intellexerit, & intelligenda eſſe ſuppoſuerit. Quare ad ſummum S. Doctor admittit duplicem ſenſum hujus textus Apoſtoli, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* Primus maximè proprius, & ab Eccleſia intellectus, eſt, quòd Deus antecedenter ad poſitivam reprobationem hominum abſolutè præviſam, velit ſincerè omnes ſalvare, eisque media ad ſalutem ſufficientia ſuppeditare. Secundus, quòd Deus velit voluntate

absolutè efficaci salvare aliquos homines ex omni ætate, sexu, conditione, & natione, illisque conferre media salutis efficacia. Qui sensus non excludit alium, cùm voluntas efficax salvandi electos non excludat voluntatem sinceram, & sufficientem salvandi reprobos. Quare triplex illa explicatio, quæ nobis objicitur, non est exclusiva, nempe non excludit à Deo voluntatem generalem salvandi omnes omninò homines, quam admittit aliis in locis, ut l. *de spiritu, & litera*, c. 33. & l. *de catechizandis rudibus*, n. 52. ubi sic ait: *A pœnis sempiternis Deus misericors volens homines liberare, si sibi ipsi non sint inimici, & non resistant misericordiæ Creatoris sui, misit Unigenitum Filium suum.... ut quemadmodum per unum hominem mors intravit in genus humanum.... sic per unum hominem, qui etiam Deus est, delezis omnibus peccatis, credentes in eum omnes in æternam vitam ingrederentur.* Ubi voluntas generalis, & conditionata salvandi omnes omnino homines clarè exprimitur.

Dices. S. Augustinus, Epist. 107. ait: *Quomodo dicitur omnes homines eam* (gratiam sanctificantem) *fuisse accepturos.... cùm multis non detur parvulis, & sine illa plerique moriuntur.... & aliquando cupientibus, festinantibusque Parentibus, Ministris quoque volentibus, ac paratis, Deo nolente, non detur, cum repente antequam detur, exspirat, pro quo, ut acciperet, currebatur.*

Resp. S. Doctor per has voces (*Deo nolente*) intelligit negationem voluntatis efficacis procurandi parvulis illis baptismi gratiam. Nam si Deus efficaciter vellet ex parte sua eos baptizari, baptizarentur. Vel intelligit positivam volitionem non procurandi parvulis illis gratiam Baptismi, sed consequentem, quam scilicet Deus non habet, nisi consequenter ad absolutam prævisionem defectus causarum secundarum, vel alicujus culpæ, vel incuriæ, aut omissionis præcedentis Parentum, vel aliorum; sed nihilominus Deus habuit aliam voluntatem antecedentem, qua pro alio signo priori, sincerè, licèt inefficaciter, vult, & desiderat salutem illorum infantium, & vi cujus voluntatis præbet media ad hunc finem sufficientia, aut saltem paravit, & adhiberet, si homines non apponerent impedimentum. Et verò S. Augustinus, l. 1. *operis imperfecti*, c. 64. & l. 6. contra Julianum, c. 4. suprà laudatis expressè docet, Christum mortuum esse pro salute omnium omnino hominum peccato originali inquinatorum, & nominatim parvulorum omnium: unde probat, parvulos omnes esse mortuos per peccatum Adami.

Inst. S. Augustinus ibidem addit: *Cùm tam multi salvi non fiant, non quia ipsi, sed quia Deus non vult, quod sine ulla caligine manifestatur in parvulis*

Resp. Loquitur de negatione voluntatis efficacis. Cùm autem dicit tam multos perire, *non quia ipsi non volunt*, loquitur de parvulis carentibus contrario propriæ voluntatis actu, & de infidelibus negativis, qui nunquam respuerunt salutem, quam ignorabant.

Porrò S. Augustinus ideo sic locutus est, quia in illa Epistola refellit errorem Semipelagianorum, qui docebant, Deum voluntate æquali, & efficaci ex parte sua, velle salutem omnium, & primam radicem salutis esse actum desiderii salutis ex solis naturæ viribus elicitum, absolutè, vel conditionatè futurum, & alios ideo salvari præ aliis, quia habuerunt actum desiderii salutis merè naturalem; alios verò non salvari, quia caruerunt hoc actu naturali: ex parvulis autem morientibus ideo alios Baptismi gratiam accipere, quia prævidebantur bene usuri libero arbitrio, & desideraturi salutem, si ad adultam ætatem pervenissent: alios verò Baptismi gratia carere, quia prævidebantur malè usuri libero arbitrio.

Obj. 3. S. Fulgentius reprehendit Pelagianos, & Semipelagianos, quòd hæc verba Apostoli (*omnes homines vult salvos fieri*) intelligerent de voluntate generali salvandi omnes homines. Ergo non datur ejusmodi voluntas in Deo.

Resp. Nego anteced. Sed eos reprehendit, quòd verba illa Apostoli explicarent de voluntate salvandi omnes homines æquali, & efficaci ex parte Dei. Unde sequebatur vo-

lun-

luntatem Dei efficacem ſuo effectu fruſtrari poſſe, & reipſa fruſtrari in omnibus, qui non ſalvantur: quod falſum, & abſurdum eſt, & contra illud, Pſal. 118. *Omnia, quæcunque voluit*, (efficaciter) *fecit.* Veritas hujus reſponſionis patet ex S. Fulgentio, l. *de Incarnat. & Gratia*, c. 29. quod nobis objicitur; nam hoc caput ſic concludit: *Proinde hi, qui voluntatem Dei, qua omnes homines vult ſalvos fieri, æqualem circa redimendos, & damnandos exiſtimant, cùm interrogati fuerint, cur velit Deus omnes homines ſalvos fieri, nec tamen omnes ſalvi fiant, quid reſpondebunt?*

Porrò cùm dicitur Deus velle ſalutem omnium hominum, quantùm eſt de ſe, hæc verba (*quantùm eſt de ſe*) non ſignificant voluntatem abſolutè efficacem ex parte volentis, ut per illa intelligebant Semipelagiani; ſed ſolùm ſignificant voluntatem ex parte volentis ſinceram, qua media ſufficientia ſuppeditantur, vel ſaltem præparantur, ita ut per illum non ſtet, ut effectus dependeat ab alterius arbitrio non ponatur.

Obj. 4. Ex S. Thoma, 1. p. q. 19. a. 6. ad 1. Voluntas, quæ non eſt abſoluta, eſt ſolùm voluntas ſecundùm quid, ſeu velleitas potiùs, quàm voluntas. Sed voluntas circa ſalutem reproborum non eſt abſoluta, ergo eſt mera velleitas, &c.

Reſp. S. Doctor per voluntatem illam ſecundùm quid, non intelligit voluntatem impropriè dictam, & meram velleitatem, quæ nihil præſtet; ſed ſolùm intelligit voluntatem, quæ non eſt de objecto ſecundùm omnes ſuas circumſtantias conſiderato, neque de adhibendo medio efficaci ad illud obtinendum; nec illam vocat velleitatem comparatè ad omnem veram, ac ſinceram voluntatem, qualis poteſt eſſe voluntas inefficax, & conditionata, ſed comparatè ad abſolutam. Unde non dicit, quòd ſit potiùs velleitas, quàm voluntas ſimpliciter, ſed tantùm, quòd illa *magis poteſt dici velleitas, quàm abſoluta voluntas.* Enim verò S. Thom. ibid. ait: *Deus antecedenter vult omnem hominem ſalvari, ſed conſequenter vult quosdam damnari, ſecundùm exigentiam ſuæ Juſtitiæ.* Et contra Gentes, c. 159. ait: *Deus, quantùm eſt in ſe, paratus eſt omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Igitur Deus vult omnium ſalutem, quantùm in ſe eſt, id eſt, voluntate de ſe ſufficienti, providente omnibus media ſaltem ſufficientia ad ſalutem.

Obj. 5. Voluntas ſalutis reproborum eſt inefficax, & conditionata, ergo non eſt ſufficiens, nec ſincera.

Reſp. nego conſeq. Nam voluntas Dei circa ſalutem reproborum eſt ea, qua Deus poſt prævisionem peccati originalis, ſed ante prævisionem abſolutam peccatorum perſonalium, vult ſincerè, ut reprobi ſalutem conſequantur, ſi cooperentur mediis ſalutis, ſibi gratis concedendis intuitu meritorum Chriſti, & vult illis dare media verè ſufficientia, quamvis inefficacia ex culpa reproborum, nolentium illis rectè uti. Quare hæc Dei voluntas, quamvis ſit inefficax ex parte ſalutis, eſt tamen verè efficax ex parte mediorum ſufficientium; ſiquidem re vera Deus per illam vult efficaciter dare, & reipſa dat pro tempore, & loco media ad ſalutem de ſe ſufficientia, quibus reipſa ſalvarentur homines, ſi illis cooperarentur: quibus tamen non ſalvantur, quia illis cooperari nolunt. Hæc voluntas inefficax eſt etiam conditionata; quia involvit conditionem cooperationis hominum, non eam ſupponit.

Hinc Deus aliter vult ſalutem omnium reproborum viatorũ, quam damnatorum: nam quamvis etiam erga damnatorum ſalutem, ut poſſibilem habeat aliquem affectum complacentiæ, vi illius tamen non providet media ullo modo ſufficientia ad ſalutem, ſicut providet viatoribus, quorum ſalutem actualem vult voluntate ſincera, & de ſe ſufficienti, licèt inefficaci.

Obj. 6. Deus vult abſolutè, & efficaciter damnare omnes reprobos, ergo non vult illorum ſalutem.

Reſp. diſtinguo anteced. Vult damnare reprobos voluntate conſequente, *conc. ant.* Nam conſequenter ad prævisionem abſolutam peccatorum reproborum per finalem

impœnitentiam consummatorum vult absolutè illos damnare, propter illorum demerita Personalia, & etiam propter peccatum originale non deletum. Deus vult efficaciter damnare reprobos voluntate antecedente, *neg. ant.* Nam non vult damnare reprobos adultos, nisi propter demerita personalia, & etiam propter peccatum originale non deletum, parvulos verò nisi propter peccatum originale non deletum ex culpa, aut incuria parentum, vel aliorum, ad quos cura illorum pertinebat, aut saltem ex defectu causarum secundarum. Sola autem voluntate antecedente prævisionem absolutam demeritorum, ac finalis impœnitentiæ adultorum, & defectus Baptismi parvulorum, Deus vult salutem omnium reproborum, vi cujus voluntatis præbet omnibus media ad salutem verè sufficientia, aut saltem paratus est dare, & re ipsa daret, si non apponeretur impedimentum ab hominibus.

Inst. Deus non potest sincere velle id, quod præscit non esse futurum. Sed præscit, non esse futuram salutem reproborum, ergo non potest illam sincerè velle.

Resp. disting. maj Deus non potest velle, quod præscit non esse futurum ex defectu se tenente ex parte sui, *conc. maj.* Ex defectu se tenente ex parte hominum, subdisting. non potest velle voluntate consequente, *conc. iterum maj.* voluntate antecedente, *nego maj.* Deus autem præscit damnationem hominum ex eorum culpa futuram, quia nempe nolunt cooperari gratiis sufficientibus sibi à Deo concedendis.

Obj. 7. Deus non dat omnibus reprobis media ad salutem sufficientia. Ergo non vult sincerè omnium reproborum salutem.

Resp. nego anteced. Itaque Deus media ad salutem consequendam verè sufficientia dat immediatè, vel mediatè omnibus omnino reprobis, sed pro loco, & tempore. Nam certum est Deum velle sincerè salutem omnium omnino reproborum, & Christum mortem suam obtulisse pro salute omnium omnino hominum, qui in Adamo peccarunt, & mortui sunt. At Deus non potest velle sincerè salutem omnium reproborum, nisi vi illius voluntatis præparet, & suo tempore det omnibus auxilia ad salutem sufficientia: alioqui sincerè vellet rem impossibilem, nempe salutem sine mediis ad eam sufficientibus, & à se dependentibus, quod absurdum est. Et verò homo non potest velle sincerè finem, nisi velit adhibere media idonea ad finem secundùm modum, quo vult finem. Item mors Christi non potuit à Deo decerni pro salute omnium omnino hominum, nisi ut ex ejus meritis omnes homines verè salutem consequi possent. Ergo.

Obj. 8. Fideles reprobi non habent gratias verè sufficientes ad perseverandum in Justitia accepta. Ergo.

Resp. nego anteced. Cujus oppositum fide constat. Nam habere auxilium sufficiens ad perseverandum, est habere auxilium sufficiens ad servanda omnia mandata, & ad non peccandum mortaliter usque ad finem vitæ; perseverare enim in gratia nihil aliud est, quam servare omnia mandata, non peccare mortaliter usque in finem vitæ. fide autem constat quemlibet justificatum habere auxilium sufficiens ad servanda omnia mandata, ideoque ad non peccandum mortaliter: nam id definit Conc. Trident. sess. 6. cap. 11. & constat etiam ex prima Jansenii propositione ab Ecclesia damnata ut impia, blasphema, & hæretica: *Aliqua Dei Præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua illis possibilia fiant.* Hujus autem propositionis damnatæ sensus est, quòd omnis justus, cùm aliquod mandatum violat, destituatur gratia, qua ei illud tunc possibile reddatur. Nam hic est sensus à Jansenio in suo opere expressus, ac intentus, & quinque propositiones damnatæ sunt in sensu doctrinæ libri Jansenii. *Vide Tractatum de Gratia, cap.* 4. *art.* 2.

Obj. 9. Obcæcati, & obdurati carent auxilio sufficienti ad conversionem. Ergo.

Resp. Esto antecedens. Quod non est hujus loci, nego conseq. quia illi ante obdurationem acceperunt gratiam sufficientem

ad

ad converſionem, & ſalutem, & ſic potuerunt vitare obdurationem, & obcæcationem; nec pereunt, niſi ſua culpa; cùm potuerint ſalutem conſequi non peccando mortaliter, vel poſt peccatum pœnitentiam agendo.

Obj. 10. Infideles, præſertim ii, qui nihil unquam audiverunt de Chriſto, nullum habent auxilium ad ſalutem. Ergo Deus non vult ſincerè eos ſalvare.

Reſp. nego. anteced. Tùm ob rationem generalem ſuprà allatam, nempe voluntatem Dei ſinceram illos ſalvandi, & mortis Chriſti pro illorum ſalute oblationem ſuprà probatam; tûm ex illo, 1. Tim. c. 4. *Speramus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium hominum, maximè fidelium.* Ergo Deus eſt ſalvator etiam aliorum, quàm fidelium. Quomodo autem Deus eſſet Salvator infidelium, ſi non daret eis aliquando media ad ſalutem ſufficientia?

Vide Tractatum de Gratia, cap. 4. art. 4.

Obj. 11. Omnis, qui ſincerè vult aliquem finem, ad eum obtinendum adhibet media efficacia, ſi habeat in ſua poteſtate; ut patet in Medico circa ſanitatem reſtituendam, in Exercitus Imperatore circa victoriam obtinendam, &c. Ergo cùm Deus non det reprobis media efficacia ſalutis, quæ poteſt dare, non vult ſincerè eorum ſalutem.

Reſp. diſting. anteced. Si non habeat juſtam cauſam non adhibendi media efficacia, nec verè ſufficientia adhibeat, *conc. ant.* Si habeat juſtam cauſam non adhibendi media efficacia, & adhibeat alia media verè de ſe ſufficientia, quæ non ſint inefficacia, niſi ex culpa eorum, quibus dantur, *nego ant.* Deus autem juſtas habet cauſas non dandi omnibus media ſalutis efficacia, puta ad manifeſtandas plures perfectiones, nempe præſertim maximam miſericordiam, ac benignitatem in prædeſtinatos, & juſtitiam in reprobos, quibus ſolùm dat media ſufficientia. E contra ſi omnibus daret media ſalutis efficacia, ideoque omnes ſalvaret, ſolam miſericordiam oſtenderet. Et aliunde dat reprobis media verè ſufficientia, quæ non ſunt inefficacia, niſi ex eorum culpa.

§. V.

Solvuntur objectiones contra mortem Chriſti pro omnibus oblatam.

Obj. 1. Scriptura redemptionem Chriſti reſtringit ad prædeſtinatos, & fideles, ut Apoc. cap. 5. *Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo ex omni tribu, & lingua.* Et Joann. cap. 3. *Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat.* Et c. 10. *Animam meam pono pro ovibus meis.* Ergo Chriſtus non eſt mortuus pro infidelibus reprobis.

Reſp. nego anteced. Nam Scriptura in locis objectis loquitur præciſivè, non excluſivè; nempe præcisè dicit Chriſtum mortuum eſſe pro electis, pro credentibus, pro ovibus ſuis, ſed ſine excluſione aliorum. Neque enim negat alios eſſe redemptos ſufficienter, & in actu primo, quantùm eſt ex parte Chriſti: & alibi clarè docet Chriſtum eſſe mortuum pro omnibus omnino hominibus.

Obj. 2. Matth. cap. 20. Chriſtus dicit ſe veniſſe *dare animam ſuam redemptionem pro multis.* Et cap. 26. *Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur.* Ergo non eſt mortuus pro omnibus.

Reſp. nego conſeq. Quia 1. *Vox multi* non excludit omnes. 2. Vox *multi* in illis locis ſignificat omnes, ut conſtat ex aliis locis ſuprà allatis, quia omnes ſunt multi. Quando autem omnes ſunt multi, vox *multi* aptè ponitur pro omnibus, ut notat S. Auguſt. l. 2. Operis imperfecti, n. 175. *Ad hoc*, inquit, *jam reſponſum eſt, non repugnare omnibus multos, quia ipſi omnes, non pauci, ſed multi ſunt.* Et verò ſæpè in Scriptura vox *multi* ſumitur pro omnibus: ſic, Rom. cap. 5. *Si unius delicto multi mortui ſunt*, hoc eſt, omnes Adami pecca to mortui ſunt.

Obj. 3. Illud, Matth. c. 15. *Non ſum miſſus, niſi ad oves, quæ perierunt domus Iſrael.*

Reſp. Senſus eſt: non ſum à Patre miſſus ad prædicandum Evangelium per me ipſum, niſi ad Iſraelitas. Enim verò multi

gen-

gentiles, & quidem plures, quàm Judæi, prædestinati sunt, ideoque redempti morte Christi.

Obj. 4. Daniel. c. 9. Christus dicitur venturus, *ut deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna.*

Resp. Hoc re vera Christus præstitit in prædestinatis, pro quibus mortuus est ex affectu speciali, & efficaci salutis. Imò hoc verum est etiam, quantùm est ex parte Christi, & quoad sufficientiam, respectu reproborum; pro quibus satisfecit Patri, & quibus meruit, ac obtinuit media ad hunc finem sufficientia.

Obj. 5. Hebr. cap. 9. de Christo dicitur: *Per proprium sanguinem introivit semel in sancta, æterna redemptione invent.*

Resp. Redemptio à Christo facta dicitur æterna, quia (ut patet ex contextu) ad redemptionem omnium hominum mors Christi non debet iterari, sicut debebant Sacrificia veteris Legis, quibus ibi comparatur Sacrificium mortis Christi: nam ad redemptionem omnium omnino hominum sufficit, quòd Christus se ipsum obtulerit semel moriendo in Cruce.

Obj. 6. Illud, Joann. cap. 17. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi.*

Resp. Ad summum sequitur Christum hac vice, seu his verbis non orasse pro reprobis. Sed aliàs Christus oravit etiam pro reprobis. Enim verò (ut ex aliis textibus constat) mortem suam pro omnibus omnino hominibus obtulit, quæ oblatio mortis est vera oratio. Imò Christus ibidem oravit etiam pro aliquibus reprobis. *Sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Certè aliqui ex iis, qui crediturí erant per prædicationem Apostolorum, fuerunt reprobi, ut Simon Magus, & alii, qui, teste Apostolo, circa fidem naufragarunt.

Inst. Omnis oratio Christi fuit efficax juxta illud, Joann. c. 11. *Semper me audis.* Ergo Christus non oravit pro salute reproborum.

Resp. Disting antec. Omnis oratio Christi absoluta fuit efficax, *conc. ant.* Conditionata, *nego antec. & conseq.* Duplex fuit oratio Christi, sicut & voluntas circa salutem hominum, una absoluta, & specialis pro salute electorum, qua rogavit Patrem, ut eis vitam æternam, & media efficacia ad eam obtinendam concederet, quæ oratio fuit exaudita; alia verò conditionata pro salute reproborum, qua oravit Patrem, ut vitam æternam eis daret, si velint rectè uti mediis salutis verè sufficientibus, quæ pro illis rogavit. Hæc oratio non fuit exaudita quoad consecutionem salutis, defectu conditionis ab hominibus non impletæ ex sua culpa: fuit tamen exaudita quoad possibilitatem salutis, & impetrationem mediorum ad salutem sufficientium: nam circa hoc fuit absoluta; unde fuit etiam circa hoc efficax.

Igitur Christus oravit, & mortem suam obtulit pro prædestinatis, & reprobis omnibus, sed ex affectu diverso, & conformi voluntati Patris. Oravit, & mortem obtulit pro prædestinatis ex affectu efficaci, & absoluto impetrandi illis salutem, & media salutis efficacia: pro reprobis verò ex affectu sufficienti, & conditionato salutis eorum, quo impetravit illis media ad eam consequendam sufficientia.

Obj. 7. S. Augustinus, epist. 102. ait: *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est* (Christus) Et l. de Adulterinis conjugiis, c. 15. *Omnis, qui Sanguine Christi redemptus est, homo est: non tamen omnis, qui homo est, etiam Sanguine Christi redemptus est.*

Resp. S. Doctor in primo textu loquitur de iis, pro quibus Christus mortuus est ex voluntate absoluta, & efficaci illos salvandi: in secundo autem de redemptione efficaci, & consummata ex parte effectus, quæ scilicet effectum suum ultimum, nempe beatitudinem æternam habeat. Duplex quippe distinguitur redemptio, nempe quoad sufficientiã, & quoad efficientiam, seu in actu primo, & actu secundo. Homines redimi à Christo quoad sufficientiam, & in actu primo est, Christum fecisse ex parte sua omnia, quæ erant necessaria ex parte Redemptoris, ut homines liberarentur à peccato, & damnatione æterna, & vitam æternam consequerentur: nimirum obtulisse mortem in pretium ex intentione, ut *illis* prodesset ad salutem, & meritum

fuisse,

fuisse, ac obtinuisse omnibus gratias sufficientes ad vitam æternam consequendam. Redimi quoad efficientiam *perfectam*, est homines ex meritis Christi re ipsa liberari à peccato, justificari, & consequi beatitudinem æternam per applicationem meritorum Christi.

Dico, *perfectam*, nam duplex est redemptio quoad efficientiam: alia enim est quoad efficientiam perfectam, seu consummatam, & est ea, quæ re ipsa consequitur, seu includit redemptionis effectum ultimum, ac consummatum, nempe vitam æternam: alia est quoad efficientiam imperfectam, & est ea, qua homo consequitur justificationem temporaneam, non tamen salutem æternam, defectu perseverantiæ finalis.

Porro omnes homines redempti sunt à Christo quoad sufficientiam, soli electi quoad efficientiam perfectam, ac consummatam, & soli fideles quoad efficientiam imperfectam.

Inst. 1. Ex S. Augustino, non omnes homines quoad sufficientiam veram redempti sunt à Christo. Ergo.

Resp. Nego anteced. Nam ex S. Doctore ita pro omnibus sanguis Christi fusus est, ut sit in potestate cujuslibet, ab ipso re ipsa redimi quoad efficientiam perfectam, si velit: *Sanguis Domini tui* (inquit, serm. 344.) *si vis, datus est pro te: si nolueris, non est datus pro te..... Sanguis Christi volenti est salus, nolenti supplicium.* Et serm. 102. *Ergo tibi dicitur, omnis homo, salus tua Christus est: hanc salutem, si volueris, obtinebis.* Et tract. 36. in Joann. *Venit Christus, sed primò salvare, postea judicare: eos judicando in pœnam, qui salvari noluerunt: eos perducendo ad vitam, qui credendo salutem non respuerunt..... Quia ergo vidit omnes peccatores, & omnino neminem esse immunem à morte peccati; priùs erat ejus misericordia præroganda, & post exercendum judicium.*

Inst. 2. S. Augustinus, l. 21. de Civit. c. 24. dicit, quòd Ecclesia tam non oraret pro reprobis, quam pro dæmone, si nosset, quinam sint illi reprobi. Ergo cùm Christus nosset, quinam essent reprobi, nullatenus pro illis mortem obtulit.

Resp. nego conseq. Quia sensus S. Doctoris est, quòd si Ecclesia cognosceret aliquorum conversionem æque esse impossibilem, ac est diaboli conversio, pro illis non oraret; quia scilicet hæc oratio esset inutilis, & contraria voluntati divinæ. Verùm quia res aliter se habet, & (ut docet S. Augustinus) toto hujus vitæ tempore converti possunt, pro illis orat Ecclesia.

Hanc ob causam Christus oravit pro salute, & conservatione eorum, quos prævidebat damnandos, quia scilicet eos considerabat in statu, in quo poterant converti, & consequenter obtinere salutem, quam pro illis precabatur. Hæc responsio patet etiam ex scopo S. Augustini. Nam hoc loco probare vult Sanctos in extremo judicio non oraturos esse pro dæmonibus, & hominibus damnatis.

Inst. 3. S. Augustinus nullibi docet Christum mortuum esse pro salute æterna reproborum. Ergo.

Resp. Nego anteced. Nam præter multos textus jam laudatos, sic ait, in c. 3. epist. ad Galatas: *addidit* (Crucifixus) *ut hinc eos maximè moveret, cùm considerarent, quo pretio emerit possessionem, quam in eis amittebat: ut parum esset gratis eum mortuum, quod superiùs dixerat. Illud enim ita sonat, tamquam non pervenerit ad possessionem, pro qua Sanguinem dedit.* Ergo ex S. Augustino Christus Sanguinem dedit ad obtinendam possessionem horum reproborum, quam non obtinuit. Atqui hæc possessio, ad quam non pervenit, est illorum possessio æterna: nam pervenit ad illorum possessionem temporaneam per justificationem, cùm asserat possessionem in eis amisisse. Ergo Christus Sanguinem dedit ad obtinendam possessionem æternam horum reproborum per vitam æternam. Sed quid opus est multos textus congerere: cùm hic unus jam laudatus sufficiat, nempe, in Psal. 95. *Judicabit orbem terrarum in æquitate: non partem; quia non partem emit: totum judicare habet; quia pro toto pretium dedit.* Ergo ex S. Augustino Christus obtulit pretium mortis pro redemptione omnium hominum, quos judicaturus est. At judicaturus est omnes omnino homi-

homines, etiam reprobos. Ergo pretium mortis obtulit pro redemptione omnium omnino hominum, etiam reproborum.

Obj. 8. S. Hieronymus, in Psal. 43. asserit non esse effusum Sanguinem Agni pro Judæis. Et S. Anselmus, in elucidario dicit: *Christus pro solis electis mortuus est.... Nihil contulit reprobis ob sua demerita mors Christi.*

Resp. Illi Patres solùm volunt, Christum non esse mortuum pro reprobis efficaciter, seu ex affectu efficaci salutis eorum, qui nempe effectum suum consecutus sit. Quod non impedit, quominus mortuus sit pro salute æterna reproborum sufficienter, seu ex affectu sincero; & de se sufficienti, licèt inefficaci salutis eorum. Nam, S. Hieronymus, in cap. 5. epist. 2. ad Corinthios asserit Christum, ut immaculatam Hostiam, oblatum fuisse pro omnibus, qui erant in peccatis mortui. Et S. Anselmus, in cap. 2. epist. 1. ad Timoth. ait: *Mediator Deus, quem Deus inter se, & homines posuit, mortem pro omnibus sustinuit, ut omnes à morte redimeret. Et ideo qui non salvantur, non est, quod de Deo, vel Mediatore possint conqueri, sed de se ipsis, qui nec redemptionem, quam Mediator dedit, nec salutem, quam Deus obtulit, voluerunt accipere.*

Obj. 9. Semipelagiani errarunt circa mortem Christi: sed non errarunt, nisi quia asserebant eam oblatam fuisse generaliter pro omnibus omnino hominibus, etiam reprobis. Ergo.

Resp. nego min. Sed eorum error circa mortem Christi in eo consistebat, quòd assererent Christum mortuum esse ex affectu æquali, & efficaci ex parte ipsius Christi pro omnibus omnino hominibus. Igitur quamvis Christus pro salute æterna omnium omnino hominum, nullo excepto, mortuus sit, non tamen pro omnibus æqualiter, seu ex æquali affectu mortuus est, sed inæquali. Nam mortem suam pro electis obtulit ex affectu efficaci, & absoluto, ut salutem consequerentur, & ut proinde media salutis efficacia eis obtineret: pro reprobis verò mortem obtulit ex affectu de se sufficienti eorum salutis, sed conditionato, nempe si cooperentur auxiliis sufficientibus illis dandis, & ut illis obtineret media de se ad beatitudinem æternam assequendam sufficientia, quamvis inefficacia ex culpa ipsorum reproborum, vel aliorum, ad quos eorum cura pertinet.

Imò inæqualiter adhuc mortuus est Christus pro reprobis: nam ex majore affectu mortem obtulit pro fidelibus reprobis, quibus plura gratiæ auxilia impetravit, quam pro infidelibus. Ratio est, quia voluntas Dei, cui Christus in omnibus se conformavit, inæqualis est circa salutem hominum: nam est absoluta, & efficax circa salutem prædestinatorum: inefficax verò & conditionata, licèt de se sufficiens, circa salutem reproborum. Imò hæc Dei voluntas non est æqualis respectu omnium reproborum, sed inæqualis. Nam Deus non desiderat omnibus reprobis æqualem gloriam, sed aliis majorem, aliis minorem: nec proinde omnibus æqualia præparavit media, sed aliis majora, aliis minora; tamen omnibus salutem sincerè desiderat, & media de se sufficientia suppeditat.

Obj. 10. Sæculo nono, Concilium Valentinum III. ex tribus Provinciis congregatum Can. 4. damnat quatuor capitula Concilii Carisiaci, in quorum ultimo definiebat Christum esse mortuum pro omnibus omnino hominibus. Et hanc damnationem confirmarunt Synodi Lingonenses, & Tullenses apud Saponarias ex duodecim Provinciis congregatæ. Imo Canones Concilii Valentini à Nicolao Papa confirmati sunt.

Resp. Concilium Valentinum non damnavit capitula Concilii Carisiaci in sensu assertionis nostræ, nec in sensu ab ipsa Synodo Carisiaca intellecto, sed in sensu ipsi falsò attributo, & ex falsa suppositione, quòd (ut quidam jactabant) iis significatur Christum esse mortuum pro liberandis ab igne inferni *illis impiis, qui à mundi exordio usque ad passionem Domini, in sua impietate mortui, æterna damnatione puniti sunt*, ut Conc. Valent. ibidem habet. Vel ex falsa suppositione, quod illa capitula docerent Christum æqualiter, seu ex æquali affectu mortuum esse pro omnibus. Nam idem Concilium Valenti-

lentinum doctrinam de morte Christi pro omnibus etiam reprobis oblata manifestè supponit, Can. 2. ubi ait: *Nec ipsos malos ideo perire, quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis, vel merito originali, vel etiam actuali permanserunt.* Quibus verbis docet malos generaliter potuisse esse bonos, nec perire, nisi sua culpa, ideoque potuisse salvari, & auxilia ad salutem sufficientia accepisse ex meritis mortis Christi pro eis oblatæ; nam aliter haberi nequeunt. Et Can. 5. docet omnes tam reprobos, quàm prædestinatos, Sanguine Christi redemptos esse.

Jam verò damnatio illa quatuor capitulorum Carisiacorum inconsultè, & ex falsa suppositione facta, non fuit approbata à Conciliis Lingonensi, & Tullensi, nec à Nicolao 1. Imò illæ Synodi approbarunt quartum Canonem Concilii Valentini, rejecta illa damnatione quatuor capitulorum Synodi Carisiacæ, & sola capitulorum 19. Joannis Scoti retenta censura. Nicolaus verò 1. definitionem Concilii Valentini solùm confirmavit circa dogmata fidei, nulla facta mentione censuræ quatuor capitulorum Carisiacorum, ut testatur Prudentius in annalibus ab Hincmaro, epist. 24. citatis, & annalibus Berthinianis ad annum 859. ubi dicitur. *Nicolaus Pontifex Romanus de Gratia Dei, & libero arbitrio, de veritate geminæ prædestinationis, & Sanguine Christi, ut pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmat, & Catholicè decernit.* Porro ibi non excluduntur infideles.

Obj. 11. Ecclesia Lugdunensis, seu potiùs Remigius Lugdunensis Episcopus, in l. de tribus Episcopis dicit Christum mortuum esse pro solis fidelibus, & l. de tenenda veritate Scripturæ quartum capitulum Carisiacum reprehendit ut erroneum.

Resp. Secundùm aliquos Doctores intelligi debet de morte, & passione Christi oblata ex voluntate efficaci, & absoluta salutis, aut justificationis. Vel Certè si sensit Christum pro solis fidelibus, & nullatenus pro infidelibus mortuum esse, in hoc non erravit ex contumacia, sed ex ignorantia nostrorum argumentorum, quæ si expendisset, nostram sententiam amplexus esset. Quartum autem capitulum Carisiacum damnavit ex errore facti; quia nempe illud falsò intelligebat de morte Christi oblata ad impios, æterno judicio jam condemnatos, ab inferis redimendos. Similiter sententiam Gotescalci de prædestinatione, & reprobatione non approbavit, nisi ex falsa suppositione, & interpretatione illius.

Obj. 12. Prudentius Trecensis Episcopus, in Tractoria ab eo missa ad Concilium Senonense, articulo 3. dicit, *Christi Sanguinem pro solis credentibus fusum.*

Resp. Aliqui Doctores eum intelligunt de effusione Sanguinis, & morte oblata ex affectu efficaci obtinendæ justificationis, vel salutis æternæ. Alii verò dicunt ejus auctoritatem nullius hac in re esse ponderis, eò quòd ejus doctrina apud Catholicos olim suspecta fuerit, ut constat tùm ex annalibus Berthinianis, ubi dicitur Gotescalci hæresim, quam anteà impugnaverat, postea defendisse, & non modica fidei adversa scripitasse: tùm ex vetustissimo Monasterii Altivillarensis codice MSS operis ipsius Prudentii contra Joannem Scotum Erigenam, ubi in aversa pagina legitur hæc monitio: *Hic liber ..... cautè legendus est .... nam compositor ejus Prudentius de quibusdam Ecclesiasticis dogmatibus non sensit Catholicè, sicut alia ejus scripta demonstrant.*

Nec refert, quòd in aliqua particulari Ecclesia colatur ut Sanctus. Nam sic etiam colitur Faustus Regiensis, qui tamen fuit Semipelagianus.

Obj. 13. Lupus Abbas Ferariensis, in l. de tribus quæstionibus, q. 2. docet Christum non esse mortuum pro omnibus hominibus, nisi in eo sensu, quo ipse asserit Deum velle salutem omnium hominum; nempe quia vult salvare omnes, qui salvantur; vel quia ex omni hominum genere colligit ad salutem; vel quia nos facit velle salutem omnium. Addit tamen dici probabiliter posse Christum esse mortuum pro omnibus fidelibus.

Resp. Aliqui eum exponunt de morte Christi efficaciter oblata pro obtinenda salute, vel saltem justificatione, aut de morte æqualiter pro omnibus oblata, & de voluntate Dei efficaci salvandi homines. Alii verò dicunt nullam esse Lupi hac in re auctoritatem, qui Goteschalco plurimùm faviſſe videtur

Obj. 14. Christus sciebat decretum Dei immutabile damnandi reprobos ob demerita absolutè prævisa. Ergo non potuit sincerè mortem suam offerre pro eorum salute.

Resp. disting. conseq. Ergo non potuit mortem suam offerre pro salute illorum, consideratorum secundùm instans rationis, pro quo Deus habet decretum illos damnandi, *conc. conseq.* Ut consideratorum secundùm aliud instans rationis virtualiter prius hoc decreto, *nego conseq.* Nam pro illo instanti Deus habet voluntatem sinceram, licet conditionatam, & inefficacem eos salvandi, & sic ad hunc finem acceptavit mortem Christi absolutè prævisam ut oblatam pro illis, & propter ejus merita præparavit illis media salutis de se sufficientia.

Porro Christus pœnas peccatis reproborum debitas luit morte sua, non absolutè, sed sub conditione, quòd per media à Deo constituta, sibi applicarent meritum mortis ejus. Quam conditionem cùm non impleant, ex culpa sua, meritò ob peccata sua suppliciis æternis mulctantur.

Obj. 15. Indignum est Deo, quòd velit sincerè aliquid, quod tamen non fiat.

Resp. disting. Si illud velit sub conditione, quam ipse non appoſuerit; *conc.* Si ipsemet appoſuerit conditionem, *nego.*

Dices. Ergo voluntas divina fruſtratur, & irritatur à creatura.

Resp. nego. Quia per hanc voluntatem conditionatam, & inefficacem salutis reproborum, Deus vult absolutè, ut ejus præcepta observentur, & si non observentur, peccatores puniantur. Ita docet S. Augustinus, in Psal. 110. ibi: *Non sic constituta sunt opera Domini, ut creatura in arbitrio libero constituta Creatoris superet voluntatem, etiamsi contra ejus faciat voluntatem. Non vult Deus, ut pecces; nam prohibet: tamen si peccaveris, ne putes hominem feciſſe, quod voluit, & Deo accidiſſe, quod noluit. Sicut enim vult, ut homo non peccet, ita vult peccanti parcere, ut revertatur, & vivat; ita vult postremò in peccato perseverantem punire, ut Justitiæ potentiam contumax non evadat.*

CAPUT VII.

De Prædestinatione, & Reprobatione.

ARTICULUS I.

Quid, & quotuplex sit Prædestinatio?

Dico 1. Prædestinatio completè, & adæquatè sumpta, est absoluta, & efficax voluntas in Deo ab æterno existens dandi gratiam, & gloriam. Sive est efficax præparatio gratiæ reipsa perducentis ad gloriam, & ipsius gloriæ. Nomine autem gratiæ hic intelliguntur omnia media electis ad consequendam salutem gratis collata, & cum salute connexa.

Prædestinatio simpliciter, & completè sumpta, rectè etiam definitur à S. Augustino, l. de bono perseverantiæ, cap. 14. *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur.*

Nomine beneficii non solùm intelliguntur auxilia gratiæ efficacia cum perseverantia finali conjuncta, sed etiam omnes actus salutares conducentes infallibiliter ad salutem sive de congruo, sive de condigno. Et per verbum, liberantur, intelligitur, salvantur, & ipsa præsertim gloria, quæ est perfecta, & consummata libertas, ac salus. Quare à S. Thoma prædestinatio definitur præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro. Deum autem præparare, est Deum velle dare.

Prædestinatio dividitur velut totum in suas partes, in prædestinationem ad gratiam, & prædestinationem ad gloriam. Prædestinatio ad gratiam est voluntas divina absoluta, & efficax dandi gratiam re ipsa certò perducentem

tem ad gloriam: sive est efficax præparatio gratiæ re ipsa perducentis ad gloriam. Per gratiam hic intelligitur quodlibet medium ad salutem conducens, & ipsa perseverantia finalis. Dicitur: *gratia re ipsa perducens ad gloriam.* Nam voluntas absoluta, & efficax dandi reprobis gratiam sive habitualem; sive actualem efficacem, non est prædestinatio, sed præcisè pertinet ad providentiam supernaturalem; prædestinatio enim est præparatio beneficiorum, quibus re ipsa homines salvantur.

Prædestinatio ad gloriam est voluntas absoluta, & efficax dandi gloriam.

Dico 2. Prædestinatio physicè sumpta consistit tùm in actu intellectus, quo gloria, & media ad eam perducentia cognoscuntur: tùm, & quidem principaliùs, in actu voluntatis, quo ista efficaciter decernuntur, ut patet ex ejus *definitione* à S. Augustino tradita. Prædestinatio autem formaliter sumpta consistit in solo actu voluntatis præsupponente actum intellectus, tùm quia Apostolus, & post eum S. Augustinus, illam vocat electionem, & propositum, & SS. Prosper, & Hilarius definitionem, & constitutionem Dei: quia prædestinatio formaliter est absoluta, & efficax volitio divina dandi gratiam, & gloriam.

Porro scientia illa, quæ ad prædestinationem prærequiritur, est tùm scientia simplicis intelligentiæ, qua Deus cognoscit gloriam, & quidquid facere potest; tùm præcipuè scientia media, qua cognoscuntur in particulari omnia media, quæ certò, & infallibiliter, & tamen liberè habitura sunt effectum, & ad gloriam perductura, si dentur. Nam scientia illa, est scientia, quæ præcedit decretum, cùm illud dirigat, ut docet S. Augustinus, l. de bono persever. c. 17. ubi ait. *Ista igitur sua dona quibuscunque Deus donat, procul dubio se donaturum esse præscivit, & in sua scientia præparavit.*

ARTICULUS II.

Utrùm prædestinatio ad gratiam sit gratuita?

Nota. 1. Prædestinatio ad gratiam, ut jam dixi, est absoluta, & efficax volitio dandi gratiam re ipsa perducentem ad beatitudinem. Nomine gratiæ hic intelligitur omne medium efficax ad beatitudinem perducens: ac proinde intelliguntur gratia actualis, & habitualis, opera, & perseverantia finalis, imò & gratiæ externæ. Quæritur, utrùm hæc Dei voluntas sit purè gratuita? hoc est, utrùm Deus ab æterno gratiam, seu media ad beatitudinem certò perducentia dare voluerit ex mero suo beneplacito, & nullatenus ex prævisione, & intuitu boni alicujus operis, & boni usus liberi arbitrii, sive tamquam meriti de condigno, aut de congruo, sive tamquam meræ *conditionis*, sine qua non?

Nota. 2. Pelagiani docentes liberum arbitrium solis naturalibus viribus instructum cum externa gratia legis, & doctrinæ, quibus ad summum adjunxerunt exempla Christi, sufficere ad servandam totam legem, ad consequendam justificationem, ad perseverandum in bono, & ad vitam æternam obtinendam, consequenter negarunt gratuitam prædestinationem ad gratiam; contenderuntque causam electionis ad gloriam esse bona opera ex solis naturæ viribus facta, absolutè prævisa: sicut mala liberi arbitrii opera absolutè prævisa sunt causa decernendi supplicium æternum. Unde ante prævisionem bonorum, & malorum operum absolutè futurorum, non aliam admisere in Deo voluntatem salvandi homines, quàm indifferentem, & æqualem circa omnes: sicque omnem gratuitam prædestinationem, & electionem tùm ad gratiam, tùm ad gloriam repudiarunt.

Semipelagiani verò docentes præire (saltem regulariter, seu ordinariè) gratiæ aliquos liberi arbitrii actus, ac conatus ex solis naturæ viribus elicitos; sic ut semper detur gratia iis, qui actus, seu conatus illos naturales eliciunt, & non detur saltem ordinariè iis, qui non eliciunt, consequenter asseruerunt Deum ab æterno præparasse gratiam iis, quos absolutè prævidit esse aliquos actus, & conatus merè naturales elicituros, aliis non præparasse: sicque negarunt gratuitam prædestinationem ad gratiam

tiam, & ad perseverantiam finalem, quam negabant esse donum Dei. A fortiori negabant gratuitam prædestinationem ad gloriam; sed in hoc ultimo puncto non erant hæretici, cùm Ecclesia eam nondum expressè definierit.

§. I.

Dico. Prædestinatio ad gratiam est gratuita, ita ut nulla detur ejus ratio, seu causa ex parte prædestinati. Est de fide.

Prob. 1 Ex Scriptura, 2. Tim. c. 1. *Nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Jesu ante tempora sæcularia.* Id est, Deus nullis operibus nostris prævisis provocatus nos vocavit vocatione illa, seu collectione vocationum, quibus re ipsa liberemur, & salvemur, secundùm merum beneplacitum suum, & gratuitam benevolentiam, vi cujus propter merita Christi absolutè prævisa statuit ab æterno salvare eos, quos re ipsa salvat. Nam nomen gratiæ non significat ibi donum aliquod creatum datum in tempore, sed gratuitam benevolentiam efficacem, qua Deus ab æterno prosequitur electos propter merita Christi, ut patet ex illis vocibus: *secundùm gratiam, quæ data est ante tempora sæcularia.*

Rom. c. 9. *Non volentis, neque currentis sed miserentis est Dei... ergo cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Hoc est, nemo ex ullo actu suæ voluntatis, aut conatu electus est à Deo ad gratiam, & sanctitatem, sed ex solo libero beneplacito Dei, qui pro jure suo aliquos, quia misericorditer vult, liberat: reliquos, quia non vult voluntate illa speciali, & efficaci, non liberat. Neque potest quisquam idcirco jure conqueri; nam, ut addit Apostolus: *An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

Item, Rom. c. 11. *Reliquiæ secundùm electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia.* Id est, pauci Judæi, qui tunc salvantur, salvantur secundùm electionem gratuitam, seu quia gratuitò electi sunt cæteris non electis: ac proinde salvantur, non ex ullo bono actu, vel usu liberi arbitrii absolutè prævisо, tanquam causa hujus electionis: alioqui hæc electio gratuita, esset simul gratuita, & non esset. Hæc autem electio gratuita, secundùm quam salvantur illi Judæi ad fidem conversi, est saltem gratuita præparatio mediorum efficacium, quibus re ipsa salvantur.

Ephes. c. 1. *Elegit nos in ipso (Christo) ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate. Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio suo.* Igitur ex Apostolo Deus propter merita Christi nos elegit, non quia eramus, aut futuri eramus Sancti, sed ut essemus Sancti, tum habitualiter per gratiam sanctificantem, tùm sanctitate actuali per bona opera ex gratia liberè facta. Item Deus nos per merita Christi ad procurandam ejus gloriam prædestinavit, non propter aliquod bonum opus nostrum, sed secundum propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ, hoc est, ex mero beneplacito suo ad commendandam gratuitam suam erga nos benevolentiam, in qua nos gratificavit in dilecto filio suo, id est, quam erga nos gratuitò exhibuit propter dilectum filium suum.

Deinde ibidem addit: *in quo etiam & nos sorte vocati sumus, prædestinati secundùm propositum ejus, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ, ut simus in laudem gloriæ ejus.* Sensus est: propter quem nos sorte, hoc est, planè fortuitò, quantùm est ex parte nostra, sive nulla data ratione ex parte nostra, vocati sumus ad fidem, sanctitatem, & salutem; quia prædestinati eramus ex mero beneplacito illius, qui operatur omnia secundùm liberum beneplacitum suum, ut ipse propter gratuitum hoc in nos beneficium glorificetur ab Angelis, & hominibus, ejus bonitatem, misericordiam, sapientiam, ac potentiam laudibus extollendo.

Prob.

Prob. 2. Ex Traditione Patrum Auguſtino antiquiorum, argumento, quo ipſe S. Doctor utitur, l. de bono perſever: Ex SS. Patribus antiquioribus, fides etiam initialis, & omnia alia opera ſalutaria, ipſaque finalis perſeverantia ſunt dona Dei, id eſt, beneficium Dei gratuitum. Ergo Deus dat gratuitò fidem etiam initialem, opera ſalutaria, & perſeverantiam finalem. Sed iſta Deus eatenus gratis dat, quatenus gratis, ac miſericorditer confert in tempore gratias, quibus re ipſa ii, qui ſalvantur, credunt, opera ſalutaria faciunt, & in charitate perſeverant uſque ad mortem. Ergo. Atqui quod Deus dat gratis in tempore, voluit gratis ab æterno dare: nam Deus nihil facit, nec vult in tempore, niſi quod ab æterno voluit facere. Ergo Deus ab æterno voluit gratis dare gratias, quibus certo ſalvantur, quicunque ſalvantur. Ergo fuit ab æterno in Deo voluntas efficax, & gratuita dandi gratiam re ipſa ad gloriam perducentem; ac proinde datur gratuita prædeſtinatio ad gratiam.

Prob. 3. Ex S. Aug. qui gratuitam prædeſtinationem ad gratiam, & ad perſeverantiam finalem ut dogma fidei propugnat contra Semipelagianos, in libris de prædeſtinatione Sanctorum, & de bono perſeverantiæ. Sic enim, l. de dono perſever. c. 18. ait: *Hoc ſcio, neminem contra iſtam prædeſtinationem, quam ſecundùm Scripturas Sanctas defendimus, niſi errando, diſputare potuiſſe.* Et c. 23. *Ille dicat Eccleſiam aliquando in fide ſua non habuiſſe veritatem prædeſtinationis hujus, & gratiæ, quæ nunc contrà novos hæreticos cura diligentiore defenditur, ille, inquam, hoc dicat, qui dicere audet, aliquando eam non oraſſe, vel non veraciter oraſſe, ſive ut crederent infideles, ſive ut perſeverarent fideles. Quæ bona ſi ſemper oravit, ſemper ea Dei dona eſſe utique credidit; nec ab illo eſſe præcognita, unquam ei negare fas fuit. Ac per hoc prædeſtinationis hujus fidem, quæ contra novos hæreticos nova ſolicitudine nunc defenditur, nunquam Eccleſia Chriſti non habuit.*

Prædeſtinationem autem illam, quam contra novos hæreticos defendit S. Doctor, eſſe gratuitam prædeſtinationem ad gratiam cum ſalute connexam, patet tùm ex textu citato, tùm ex multis locis librorum laudatorum. Unus hic ſufficiat ex l. de prædeſtin. Sanct. c. 6. ubi ait: *Cùm aliis præparetur, aliis non præparetur voluntas à Domino; diſcernendum eſt utique, quid veniat de miſericordia ejus, quid de judicio. Quod quærebat Iſrael, ait Apoſtolus.* Rom. 11. *Hoc non eſt conſecutus, electio autem conſecuta eſt, cæteri verò excæcati ſunt ... ecce miſericordia, & judicium: miſericordia in electione, quæ conſecuta eſt juſtitiam Dei: judicium verò in cæteros, qui excæcati ſunt ... electio quippe iſta gratiæ eſt, non utique meritorum. Superius enim dixerat: ſi ergo & in hoc tempore reliquiæ per electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt ... gratis ergo conſecuta eſt, quod conſecuta eſt electio: non præceſſit eorum aliquid, quod priores darent, & retribueretur illis: pro nihilo enim ſalvos fecit eos. Cæteris autem, qui excæcati ſunt, in retributione factum eſt. Univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas. Inveſtigabiles ſunt autem viæ ejus. Inveſtigabiles igitur ſunt, & miſericordia, qua gratis liberat, & veritas, qua juſtè judicat.*

Præterea ex S. Auguſt. Eccleſia ſemper habuit in ſua fide veritatem prædeſtinationis, quæ contra novos hæreticos, nempe Semipelagianos, defendebatur ab ipſo S. Doctore, ideoque quam negabant Semipelagiani. Atqui Semipelagiani negabant ſolam prædeſtinationem ad gratiam, quæ eſſet gratuita; nam non negabant, nec negare poterant in Deo voluntatem dandi gratias ad ſalutem perducentes; ſiquidem docebant Deum re vera dare gratias illas, ſed volebant eas dari non gratuitò, ſed intuitu alicujus actus, vel conatus merè naturalis prævii: ergo ex S. Auguſtino Eccleſia ſemper habuit in fide veritatem prædeſtinationis gratuitæ ad gratiam.

Neque dici poteſt in hoc exceſſiſſe S. Auguſtinum. Nam cùm SS. Proſper, & Hilarius ejus diſcipuli ſignificaſſent Cæleſtino I. A quibusdam Galliæ Presbyteris ſententiam Auguſtini de prædeſtinatione, & gratuita electorum à reprobis diſcretione reprehendi,

prehendi, S. ille ſummus Pontifex ſcripſit ad Epiſcopos Galliæ Epiſtolam, in qua, c. 2. hæc ait: *Auguſtinum Sanctæ recordationis virum pro vita ſua, atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus: nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor adſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter Magiſtros optimos, etiam ante à meis deceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerunt, utpote qui utique & amori fuerit, & honori. Unde reſiſtatur talibus, quos malè creſcere videmus.* Item Gelaſius Papa in Concilio Romano 70. Epiſcoporum approbavit opera SS. Auguſtini, & Proſperi, & multorum aliorum Patrum: Caſſiani verò, & Fauſti Regienſis opera de materia gratiæ ut Apocrypha rejecit. S. Auguſtino adjungo duos fideliſſimos ejus diſcipulos, 1. S. Proſperum, qui in 1. reſponſione ad objectiones Gallorum, ait: *Prædeſtinationem Dei nullus Catholicus negat.* Et in Epiſt. ad Rufin. de liber. arbitr. *Tam impium eſt negare* (Prædeſtinationem) *quàm ipſi gratiæ contraire....* certum eſt autem eum loqui de gratuita prædeſtinatione ad gratiam, qua homines reipſa ſalvantur: nam loquitur de prædeſtinatione, quam S. Auguſtinus propugnabat, & quam Caſſianus, & alii Semipelagiani negabant. 2. Fulgentium, qui in 1. de Incarnat., & Gratia, c. ult. aſſerit eum, qui *Prædeſtinationis veritatem, qua nos ante mundi conſtitutionem prædeſtinatos in Chriſto teſtatur Apoſtolus, detrectat cordis credulitate recipere, non pertinere ad numerum prædeſtinatorum.*

Prob. 4. Ratione Theologica. Prædeſtinatio ad gratiam eſt præparatio gratiæ re ipſa ad gloriam perducentis, id eſt, voluntas efficax dandi media ſalutis ad beatitudinem æternam re ipſa perducentia. *Prædeſtinatio Dei, quæ in bono eſt, gratiæ eſt præparatio: gratia verò eſt ipſius prædeſtinationis effectus*, inquit S. Auguſtinus, l. de Prædeſtin. Sanct. c. 10. Atqui præparatio gratiæ non habet cauſam, ſeu rationem ex parte hominis. Ergo prædeſtinatio ad gratiam non habet cauſam, ſeu rationem ex parte hominis, ideoque gratuita eſt. *Prob. min.* Si præparatio gratiæ, id eſt, voluntas efficax dandi gratiam, habet cauſam ex parte prædeſtinandi, illa cauſa eſt bonus uſus liberi arbitrii, ſeu opus bonum. Atqui hoc eſſe nequit: Nam bonum illud opus vel eſſet opus naturale, vel ſupernaturale. Non primum, alioqui 1. gratia jam non eſſet gratia; non enim gratis præpararetur, nec proinde gratis daretur, ſed propter opus naturale, ut docet Apoſtolus, Rom. cap. 11. *Si gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non eſt gratia.* 2. Falsò dixiſſet Apoſtolus, Rom. c. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei?* Nam homo daret aliquid Deo, nempe opus naturale, propter quod retribuerentur ei auxilia gratiæ efficacia. 3. Homo poſſet ex ſolis naturæ viribus aliquid conducens ad ſalutem: contra illud Chriſti, Joan. cap. 14. *Sine me nihil poteſtis facere.* Et contra Canonem 7. Concilii Arauſicani II. ubi dicitur: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad ſalutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, aut eligere poſſe confirmat ....., hæretico fallitur ſpiritu.* 4. Prædeſtinatus ſe ipſum ex ſolis naturæ viribus primariò diſcerneret à non prædeſtinato: & diſcretio prædeſtinatorum à non prædeſtinatis, jam non eſſet arcanum altiſſimum, & inſcrutabile, contra illud, Rom. c. 11. *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei! quàm incomprehenſibilia ſunt Judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! quis enim cognovit ſenſum Domini? &c.* Nam diceretur: hic eſt prædeſtinatus, & electus à Deo; quia præviſus eſt bene uſurus libero arbitrio, & idcirco ei præparata ſunt media cum ſalute connexa: ille verò non eſt prædeſtinatus; quia præviſus eſt malè uſurus libero arbitrio.

Non ſecundùm, nempe bonum opus ſupernaturale non poteſt eſſe cauſa, ob quam Deus præparaverit gratiam efficacem. Nam omne opus ſupernaturale ſupponit præparationem gratiæ: omne enim opus ſupernaturale præſcitum ſupponit collationem gratiæ præſcitam: ſicut omne opus ſupernaturale actu exiſtens ſupponit collationem gratiæ actu factam. Collatio autem gratiæ ut præſcita ſupponit gratiæ præparationem: nam prius

eſt

est gratiam præparari, quàm præsciri collatam, seu (quod idem est) prius est Deum velle dare gratiam, quàm præscire eam esse conferendam. Ergo Deus non præparat gratiam, quia præscit opus supernaturale futurum; sed è contra præscit opus supernaturale futurum, quia præparat gratiam. Ergo Deus non præparat gratiam, quia opus supernaturale futurum est; sed è contra opus supernaturale futurum est, quia Deus præparat gratiam.

Prob. denique alia ratione Theologica. Prædestinatio, quam S. Augustinus dicit rejici non posse sine errore, est ex eodem S. Doctore, l. de bono persever. c. 14. *Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur,* id est, salvantur. Atqui hæc præparatio est gratuita. Ergo prædestinatio ad gratiam est gratuita. *Minor* constat ex Apostolo, Phil. c. 2. *Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate.* Ubi apertè significat gratiam efficacem conferri à Deo pro mero beneplacito suo, & sic semper esse formaliter, & immediatè, & non tantùm radicaliter, donum gratuitum. Atqui præparatio doni gratuiti est sanè gratuita; alioqui donum jam non esset gratuitum. Ergo præparatio gratiæ efficacis, ideoque & aliorum mediorum salutis efficacium, est gratuita. Præterea præparatio beneficiorum Dei est præparatio donorum Dei: beneficia enim Dei sunt dona à Deo gratis data. Ergo præparatio beneficiorum Dei est gratuita.

Porrò Deum præparare gratiam, est Deum ab æterno velle absolutè dare gratiam, & præparatio gratiæ idem est, ac æterna, & absoluta voluntas dandi gratiam.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Math. c. 15. dicitur Paterfamilias dedisse talenta *unicuique secundùm propriam virtutem.* Ergo Deus dat gratiam pro dispositione naturæ. Ergo &c.

Resp. Nego conseq. Quia hæ voces (*secundùm propriam virtutem*) vel sunt tantùm in parabola appositæ ad ornatum, & verisimilitudinem parabolæ; quia nempe sic fit inter homines, à quibus sumitur parabola, non autem ad aliquid docendum: vel nomine propriæ virtutis intelligitur gratia cuique data, ut talento sibi credito uti rectè possit, ut Bellarminus exponit.

Obj. 2. Apostolus, 1. Tim. c. 1. ait: *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate.*

Resp. Sensus est, quòd peccando solùm ex ignorantia, non ex malitia, non posuerit tantùm impedimentum misericordiæ Dei, quo posito non accepisset gratiam conversionis. Sed hæc impedimenti amotio tribui debet gratiæ, vel providentiæ speciali gratuitæ, quæ Paulum præservavit à peccato malitiæ, & ab impedimento majore vocationis divinæ.

Obj. 3. S. Chrysostomus, in cap. 9. Epist. ad Romanos de Matthæo loquens ait: *Qui arcana novit, qui cogitationis aptitudinem probare potest, is & in cœno Margaritam jacentem novit; omissisque aliis, admiratus hujus pulchritudinem, illum elegit, voluntatisque nobilitati suam cùm adjunxisset gratiam, probatum illum esse pronuntiavit.*

Resp. S. Doctor per illam pulchritudinem, nobilitatem voluntatis, & aptitudinem ad Apostolatum intelligit ipsam prædestinationis gratiam: & ita vult Christum vocasse Matthæum, quia vidit eum esse ab æterno prædestinatum ad magnam gloriam, ad Apostolatum, & ad eximias dotes Apostoli propria, ipsi donandas.

Cùm autem ait, Matthæum, etiam antequam vocabatur, fuisse Margaritam, cujus pulchritudinem admiratus est Christus, solùm vult, illum fuisse Margaritam in prædestinatione, non autem in re: non enim alio sensu vocat eum Margaritam, quàm quo Christus Ethnicos prædestinatos vocabat oves suas, dum, Joann. c. 10. dicebat: *Alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient.* Et verò Matthæus à Christo priusquàm vocaretur, erat Publicanus, & peccator: ac proinde non erat Margarita in re, sed duntaxat in prædestinatione, id est, non erat reipsa Margari-

ta, ſed duntaxat prædeſtinatus erat, ut eſſet. Chriſtus autem ſciens Matthæum eſſe prædeſtinatum ad excellentem ſanctitatem, & ad Apoſtolatum, idque admirans, ut hanc exequeretur prædeſtinationem, *eum vocavit eo modo*, quo ſciebat ei congruere, ut vocantem ſequeretur.

Veritas hujus reſponſionis patet ex eo, quòd S. Chryſoſtomus tradit principium, ex quo evidenter colligitur prædeſtinationis gratuitas. Nempe docet omnes actus ſalutares, & merita omnia eſſe dona Dei, ſic enim, Homil. 12. in 1. ad Cor. ait: *Igitur quod accepiſti, habes; neque hoc tantùm, aut illud, ſed quidquid habes. Non enim merita tua hæc ſunt, ſed dona Dei.* Donum autem eſt bonum gratis datum.

Obj. 4. Origenes, l. 1. in Epiſt. ad Romanos dicit propoſitum, de quo Apoſtolus c. 8. loquitur, eſſe propoſitum hominis, non Dei.

Reſp. Origenes non rectè ſenſit de gratia, & prædeſtinatione. Nam S. Hieronymus epiſt. ad Cteſiphont. dicit: *Doctrina Pelagii, Origenis ramuſculus fuit.*

Obj. 5. S. Auguſtinus, l. 83. quæſtionum, qu. 68. ait: *Cujus vult, miſeretur, & quem vult, obdurat: ſed hæc voluntas Dei injuſta eſſe non poteſt: venit enim de occultiſſimis meritis.*

Reſp. Ibi ſolùm agit de juſtificatione, & obduratione peccatorum, quæ habet cauſas ex parte ipſorum peccatorum, licèt occultiſſimas, ut patet ex iis, quæ ſubjungit: *Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo digni efficiantur juſtificatione: & item præcedit in aliis peccatoribus, quo digni ſint obtuſione.* Præterea S. Doctor hæc verba Apoſtoli, in ſuis contra Pelagianos, & Semipelagianos libris conſtanter exponit de gratuita prædeſtinatione.

Obj. 6. Facienti, quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam. Ergo collatio gratiæ, ideoque ejus præparatio eſt à bono uſu liberi arbitrii.

Reſp. Diſting. anteced. Facienti, quod in ſe eſt ex viribus gratiæ, Deus non denegat gratiam actualem ulteriorem, majorem, vel gratiam habitualem, ſi fecerit, quod in ſe eſt ex viribus gratiæ proximè diſponentis, & excitantis ad actus Fidei, Spei, & Charitatis perfectæ, vel imperfectæ cum Sacramento, tales actus eliciendo, *conc. antec.* Facienti, quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, Deus non denegat gratiam, *nego antec. & conſeq.*

Inſt. 1. Facienti, quod in ſe eſt etiam ex ſolis naturæ viribus, Deus non denegat gratiam ſaltem remotam, qua ſi bene uteretur, acciperet majora auxilia, & tandem Fidem, & Juſtificationem. Ergo.

Reſp. Nego anteced. Sive intelligatur de gratia actuali, ſive habituali, etiamſi bonum, quod fit ex ſolis naturæ viribus, dicatur ſe habere duntaxat ad collationem gratiæ per modum conditionis, ſine qua non, vel occaſioni. Nam ſi facienti, quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, non denegatur gratia, certè datur ex nobis initium aliquod, quo gratia prævenitur; in negotio ſalutis liberum arbitrium prævenit, & gratia ſubſequitur; gratia voluntatis pediſſequa eſt; homo poteſt ex ſolis naturæ viribus aliquid aliquo modo conducens ad ſalutem; item homo ex ſolis naturæ viribus ſe diſcerneret à non prædeſtinato. Quæ omnia fidei adverſantur, & in Pelagianis, ac Semipelagianis reprobata ſunt à Summis Pontificibus, Conciliis, & Patribus.

Addit Bellarminus, l. 2. de gratia, & libero arbitrio, c. 12. iſtam propoſitionem incidere in illam damnatam ſententiam Pelagianorum: *gratiam ſecundùm merita noſtra dari.* Meritum enim appellant Patres in hac materia quodlibet opus bonum, ratione cujus gratia homini datur, ut patet ex S. Auguſtino, l. 2. ad Bonifacium, c. 8. & ex S. Proſpero, l. contra Collatorem, c. 6.

Præte ea hæc propoſitio (*facienti, quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, Deus non denegat gratiam*) evidenter repugnat 1. Apoſtolo dicenti, Rom. c. 11. *Si gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia jam non eſt gratia.* 2. Capitulis, quæ Epiſtolæ Cœleſtini I. ad Epiſcopos Galliarum ſubjiciuntur, & ex definitionibus ſummorum Pontificum, & Conciliorum Africanorum in materia gratiæ excerpta

cerpta sunt, nempe, c. 4. ubi dicitur: *Quòd nemo, nisi per Christum, libero bene uratur arbitrio*, scilicet in iis, quæ ad salutem aliquo modo conducere possunt. Et cap. 6. *Quòd ita Deus in cordibus hominum, atque in ipso libero operatur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex Deo sit*, (per gratiam scilicet) *quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.* 3. Concilio Arausicano II. cujus Canones, ut fidei dogmata continentes, confirmati sunt à Bonifacio II. & recepti à tota Ecclesia: nam Can. 6. damnat eum, *qui sine gratia Dei conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, &c. nobis misericordiam dicit conferri.* Et Can. 22. ait: *Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum*, in ordine scilicet ad salutem; hoc est, nemo in ordine ad salutem absque gratia quidquam potest, nisi demereri.

Inst. 2. Aliqui Theologi docuerunt istam propositionem: facienti, quod in se est per vires naturæ, Deus non denegat gratiam.

Resp. Vel supponunt cum viribus naturæ aliqua auxilia gratiæ: Vel si nulla supponunt, in hoc lapsi sunt, non satis expendentes momenta nostræ doctrinæ.

Obj. 7. Perseverantia non pendet à solo beneplacito Dei. Ergo prædestinatio non est merè gratuita.

Resp. Nego anteced. Nam perseverantia finalis formalis secundùm se est vitæ terminus, seu mors in statu gratiæ, quæ à solo Dei beneplacito pendet. Is enim omnis, & solus habet perseverantiam usque in finem, qui in statu gratiæ moritur; nec perseverantia finalis formalis habetur, nisi cùm perseveratum est usque in finem, ut docet S. Augustinus, l. de bono perseverantiæ, c. 6. ubi ait: *De illa perseverantia loquimur, qua perseveratur usque in finem: quæ si data est, perseveratum est usque in finem: si autem non est perseveratum usque in finem, non est data.* Et paulò post: *Perseverantiam usque in finem quoniam non habet quisquam, nisi qui perseveraverit usque in finem; multi possunt eam habere, nullus amittere. Neque enim metuendum est, ne fortè cùm perseveraverit homo usque in finem, aliqua in eo mala voluntas oriatur, ne perseveret usque in finem. Hoc ergo Dei donum suppliciter emereri potest*, (id est, oratione impetrari,) *sed cùm datum fuerit, amitti contumaciter non potest.* Mors autem in statu gratiæ pendet à solo beneplacito Dei, qui homines, cùm vult, & prout vult, eripit è vita, cùm solus sit vitæ, & mortis Dominus: & sic pro arbitrio justum rapere potest ante lapsum, & peccatorem conservare, donec convertatur; è contra verò justum in vita relinquere, donec peccaverit, & peccatorem è medio tollere antequam conversus fuerit. Quare S. Augustinus, l. de bono perseverantiæ, c. 17. ait: *Videte jam à veritate quàm sit alienum, negare donum Dei esse perseverantiam usque in finem hujus vitæ; cùm vitæ huic, quando voluerit ipse, det finem: quem si dat ante imminentem lapsum, facit hominem perseverare usque in finem.*

Inst. 1. Perseverantia potest aliquid aliud significare, quàm mortem in statu gratiæ, quod pendeat ab homine. Ergo.

Resp. Perseverantia finalis formalis nihil aliud est, quàm mors in statu gratiæ, ut constat ex S. Augustino. Perseverantiæ tamen donum sumi etiam potest pro complexo tùm ex gratiis efficacibus, quibus status gratiæ comparatur, & conservatur per observationem omnium præceptorum: tùm ex ipsa perseverantia finali formali, seu beneficio, quo quis moritur in statu gratiæ. Et donum perseverantiæ sic sumptum est etiam à solo beneplacito Dei, qui ex mera misericordia ab æterno præparat, & dat in tempore gratias congruas certis hominibus, quos elegit, & quos è vita eripit in statu gratiæ: aliis verò, quos non elegit, quia non voluit, præparat, & dat solùm gratias merè sufficientes, quibuscum possunt salvari, sed quibus non salvantur ex sua culpa, eosque eripit è vita, cùm in statu peccati versantur.

Inst. 2. Præter gratias illas efficaces requiritur ad salutem libera cooperatio voluntatis humanæ, seu opus salutare liberum.

Resp. Hæc cooperatio, seu opus salutare est quidem à voluntate hominis; sed secundariò tantùm, & ut præmota, excitata, elevata,

vata, corroborata, adjuta, & completa per gratiam: à gratia verò ut à causa principali superiore, dante voluntati vires, & nihil ab ea accipiente, atque influente priùs natura tùm in ipsam voluntatem, tùm in ejus consensum.

Inst. 3. Si perseverantia quoad executionem, seu usum gratiarum non pendet à solo Deo, perseverantia saltem completè, & ex omni parte spectata non est donum Dei.

Resp. Nego sequelam. Nam fides actualis, & alia opera salutaria non sunt à solo Deo, seu à sola Dei gratia, sed à gratia primariò, & secundariò à voluntate per gratiam congruam præventa, excitata, & corroborata; & tamen fides etiam actualis, & opera omnia salutaria sunt dona Dei, ut constat tùm ex Apostolo, Ephes. c. 2. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est: non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus:* tùm ex Conc. Trident. declarante merita nostra esse dona Dei. Igitur omnis actus, & consensus salutaris est donum Dei; quatenu Deus per gratiam efficacem gratis datam facit, non solùm ut possimus velle, sed etiam ut re ipsa velimus bonum salutare.

Inst. 4. Perseverantia finalis cadit sub meritum, non quidem de condigno, sed de congruo, ergo non præparatur, nisi ex prævisione meriti de congruo, ergo non præparatur vi electionis gratuitæ.

Resp. Perseverantia finalis gratuitò donatur non solùm parvulis, & multis adultis eam de congruo non merentibus, sed etiam illis, qui eam per meritum aliquod de congruo impetrant: ideoque gratis præparata fuit. Nam Deus gratuitò donat in tempore, & ab æterno præparavit gratiam efficacem, per quam illi perseverantiam impetrant. Præterea ex antecedente sequitur solùm, quod perseverantia finalis præparata fuerit secundùm ordinem executionis illis, qui eam impetrant ex prævisione absoluta alicujus meriti de congruo. At in ordine intentionis gratuitò præparata fuit efficaciter ante absolutam prævisionem cujusvis meriti: & secundùm hunc ordinem meritum de congruo, per quod impetratur, est effectus gratuitæ ejus præparationis. Nam meritum de congruo, per quod suppliciter emereri potest perseverantia finalis: ut loquitur S. Augustinus, nempe oratio, est etiam donum Dei; quod proinde non donatur à Deo in tempore, nisi quia fuit ab æterno gratuitò præparatum, & quidem ex efficaci voluntate perseverantiæ, ad quam tanquam medium ad finem ordinatum fuit.

Nota. Perseverantiam finalem esse donum Dei, ideoque beneficium gratuitò datum, constat tùm ex dictis, tùm ex Apostolo Phil. c. 2. ubi ait: *Cum metu, & tremore vestram salutem operamini. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle, & perficere, pro bona voluntate:* hoc est, pro suo beneplacito, ac sua mera benevolentia. Quanto magis pro suo mero beneplacito operatur in nobis perseveranter velle, & perficere; tùm ex praxi Ecclesiæ, quæ perpetuò orat pro fidelibus, ut perseverent: *Ecclesia* (inquit S. August. l. de bono persever. c. 7.) *orat, ut credentes perseverent: Deus ergo donat perseverantiam usque in finem:* enim verò non petitur à Deo, nisi quod ab eo donatur. Denique S. Augustinus librum de bono perseverantiæ scripsit, ut hanc veritatem contra Semipelagianos ostenderet ex Scriptura, & Traditione.

Obj. 8. Si nulla datur causa prædestinationis ad gratiam ex parte prædestinati, sed Deus hunc potiùs, quàm illum prædestinet, præcisè quia vult, erit acceptio personarum, & iniquitas apud Deum. Falsum consequens ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam accipere personam est indigno, vel minùs digno dare, quod digniori aliqua ratione debetur. Deus autem hunc, non illum prædestinando, nihil dat indigno, vel minùs digno, quod digniori debetur, cùm uterque æqualiter indignus sit; sed duntaxat misericordiam uni præstat, non alteri indigno. Non idcirco igitur Deus est acceptor personæ-

sonarum: multò minùs est injustus in dando; quia non dat uni quidquam, ad quod jus habeat alter, cui non dat. Nam gratia, & quodlibet donum supernaturale non debetur ulli homini: imò omnes homines ante prævisionem absolutam ullius meriti, & demeriti sunt positivè indigni quolibet dono supernaturali propter peccatum Adami, quod fuit omnium proprium.

Obj. 9. Prædestinatio est electio juxta *S.* Augustinum, l. de prædestinat. Sanct. c. 18. ubi ait: *Elegit prædestinans nos.* At electio supponit dignitatem majorem in eo, qui eligitur præ alio: nam qui sapienter eligit, id, quod melius est, eligit. Ergo prædestinatio supponit aliquam dignitatem, seu bonitatem in prædestinato, qua caret non prædestinatus. Hæc autem major bonitas non potest esse, nisi bonus usus libertatis prævisus. Ergo.

Resp. Disting. maj. Prædestinatio est electio non supponens dignitatem in eo, qui eligitur, *conc. maj.* Est electio supponens dignitatem in eo, qui eligitur, *nego maj.* Duplex est electio, una gratuita, quæ est ad gratuita beneficia, & quæ proinde non supponit dignitatem in eo, qui eligitur, sed eam facit; nihilque aliud est, quàm gratuita assumptio unius, alio relicto. Altera est remuneratoria, seu ad mercedem, quæ supponit dignitatem, ac disparitatem electi ab eo, qui relinquitur. Prædestinatio autem ad gratiam est gratuita electio, quæ nullam dignitatem, nec disparitatem supponit, sed postea facit.

ARTICULUS III.

Utrum prædestinatio ad gloriam sit gratuita, seu independens à prævisione meritorum absolutè futurorum?

§. I.

Prænotanda.

I. STatus quæstionis est: an Deus independenter à prævisione meritorum supernaturalium absolutè futurorum, seu ratione priùs, quàm præviderit merita salvandorum absolutè futura, voluerit absolutè, & efficaciter dare gloriam, seu beatitudinem æternam, & quidem in tali gradu, quo re ipsa obtinetur, comparandam tamen per merita supernaturalia?

II. Prædestinatio ad gloriam, quæ est voluntas absoluta, & efficax dandi gloriam, duplex distinguitur; una ex parte intentionis, quæ est volitio, qua Deus ante prævisionem meritorum absolutè futurorum vult absolutè, & efficaciter, ut electi gloriam in tali gradu consequantur per merita comparandam: & altera ex parte executionis, quæ est volitio, qua Deus vult absolutè, & efficaciter retribuere electis gloriam in tali gradu, ut mercedem eis debitam propter merita absolutè prævisa.

III. Certum est radicalem, seu virtualem electionem ad gloriam factam esse antecedenter ad merita absolutè prævisa. Nam fide constat Deum independenter à meritis absolutè prævisis pro solo suo beneplacito decrevisse dare prædestinatis gratias efficaces cum perseverantia finali conjunctas, proinde eos ad salutem re ipsa perducentes, & cum gloriæ assecutione connexas. Hoc autem decretum gratuitum supposita generali voluntate, quam Deus habet dandi gloriam omnibus in charitate, & statu gratiæ morientibus, est saltem virtualiter efficax volitio dandi gloriam prædestinatis; cùm vi illius decreti Deus sit determinatus ad dandam illis gloriam, idque independenter à prævisione meritorum absolutè futurorum: unde patet *virtualem* hanc electionem ad gloriam esse gratuitam: Nec ipsa differt à formali electione, (si tamen differre potest) nisi quod hæc illi superaddat affectum specialem Dei erga prædestinatos omnino gratuitum; nam quoad effectum prædestinationis non differt. Igitur solùm quæstio est de formali electione ad gloriam, quæ est absoluta, & efficax volitio dandi gloriam in tali gradu his præ aliis, an scilicet hæc volitio sit in Deo independenter à prævisione meritorum absolutè futurorum, sive an sit ratione priùs, quàm absolutè præviderit bona merita prædestinatorum?

§. II.

Dico. Prædeſtinatio ad gloriam eſt gratuita: ita ut Deus ante prævisionem quorumlibet operum ſalutarium abſolutè futurorum, ſeu independenter à meritis prævisis ut abſolutè futuris, ex ſolo ſuo beneplacito, & mera benevolentia voluerit abſolutè, & efficaciter, ut prædeſtinati beatitudinem æternam, & quidem in tali gradu aſſequerentur. Ita Bellarminus, Toletus, Suarez, Ruis, & alii multi è noſtra Societate, & Thomiſtæ communiter cum S. Thom. qui, 1. p. q. 23. art. 5. ad 3. ait: *Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, niſi divinam voluntatem.*

Prob. 1. Ex Scriptura, Joann. c. 15. *Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Ubi Chriſtus loquitur de prædeſtinatione adæquata, id eſt, de ea, quæ ſimul eſt ad gratiam, & gloriam, ut patet ex his verbis (*& fructus veſter maneat*) in æterna ſcilicet gloria. Et ſenſus eſt: ego nullis veſtris meritis provocatus, ſed gratuitò vos elegi ad ſancta opera, & ad beatitudinem æternam. Act. c. 13. *Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Ubi prima cauſa, cur aliqui crediderint, aliis non credentibus, affertur ipſa præordinatio efficax ad beatitudinem. Nam illa verba indicant eos omnes, & ſolos, qui tunc crediderunt, credidiſſe, quia erant præordinati ad gloriam: ac proinde Deus illis dederat gratiam efficacem ad credendum, & in fide, quæ per dilectionem operatur, perſeverandum; quia prædeſtinavit eos ad gloriam. Ergo Deus priùs ratione prædeſtinavit ad gloriam, quàm velit dare gratiam efficacem ad credendum, ideoque quàm videat fidem abſolutè futuram, & conſequenter merita abſolutè futura, quæ fidem præſupponunt; ita S. Auguſt. l. de correptione, & gratia, c. 6. hunc locum exponit.

Prob. 2. Ex S. Auguſtino, qui, in ſuis contra Pelagianos, & Semipelagianos libris, propugnat diſcretionem gratuitam electorum à reprobis, vi cujus electi infallibiliter perſeverant, & ſalvantur, & cui tanquam primæ cauſæ adſcribit omnia electorum merita. Atqui hæc diſcretio eſt abſoluta, & efficax voluntas ſalvandi electos, ideoque gloriam donandi, vel ſaltem eam ſupponit. Ergo ex S. Auguſtino extat in Deo gratuita, & abſoluta, ac efficax voluntas dandi gloriam electis, antecedens omnia merita abſolutè prævisa. Præterea S. Doctor, l. de correptione, & gratia, c. 7. ſic ait: *Hæc omnia* (fidem ſcilicet, & perſeverantiam finalem) *operatur in eis, qui vaſa miſericordiæ operatus eſt eos, qui & elegit eos in Filio ſuo ante conſtitutionem mundi per electionem gratiæ.... Exiſtis nullus perit, quia omnes electi ſunt .... Electi autem ſunt ad regnandum cum Chriſto.... Illos debemus intelligere electos per miſericordiam.* Ergo ex S. Auguſtino, omnes, qui ſalvantur, electi ſunt ad regnandum cum Chriſto, ideoque ad gloriam, & ad hoc electi ſunt per miſericordiam, proindeque gratuitò, & non intuitu bonorum meritorum abſolutè futurorum.

Prob. 3. Ratione Theologica efficaci. Fide conſtat dari gratuitam prædeſtinationem ad gratiam, quæ eſt gratuita voluntas dandi media ad gloriam certò perducentia: nam ex S. Auguſtino prædeſtinatio, quam Eccleſia ſemper habuit in ſua fide, & contra quam nemo, niſi errando, diſputare potuit, eſt gratuita præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur, id eſt, ſalvantur. Atqui voluntas efficax dandi media ad gloriam certò perducentia præſupponit in Deo intentionem, ſeu voluntatem efficacem dandi gloriam prædeſtinatis. Ergo gratuita voluntas dandi media ad gloriam certò perducentia, præſupponit voluntatem efficacem dandi gloriam iis, quibus hæc media præparantur, nempe prædeſtinatis. Ergo prævisio meritorum abſolutè futurorum præſupponit etiam voluntatem efficacem dandi gloriam prædeſtinatis: nam prævisio meritorum abſolutè futurorum præſupponit gratuitam voluntatem dandi media ad gloriam certò perducentia, ut primam cauſam illorum, & ſine qua nul-

la

la ſunt futura merita; cùm nulla merita ſint abſolutè futura, nec proinde prævisa ut futura, ſine gratiis efficacibus, nec gratiæ efficaces prævideantur concedendæ, niſi dependenter à voluntate gratuita, & efficaci eas dandi. Ergo voluntas abſoluta, & efficax dandi gloriam, antecedit prævisionem meritorum abſolutè futurorum; ſiquidem ei præſupponitur; & conſequenter hæc voluntas eſt in Deo independenter à prævisione meritorum abſolutè futurorum, & à meritis abſolutè futuris, nec eſt intuitu illorum ut abſolutè prævisorum, ideoque gratuita eſt.

Paulò aliter. Datur in Deo gratuita, & efficax voluntas dandi media ad ſalutem certò perducentia: nam datur gratuita prædeſtinatio, quæ eſt præparatio beneficiorum, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur. Atqui talis voluntas neceſſariò ſupponit voluntatem abſolutam, & efficacem dandi gloriam. Ergo voluntas efficax, & gratuita dandi media ſalutis efficacia ſupponit voluntatem efficacem dandi gloriam. Ergo voluntas efficax dandi gloriam antecedit ratione voluntatem dandi media ſalutis efficacia, quæ antecedit prævisionem meritorum abſolutè futurorum. Ergo datur in Deo voluntas efficax dandi gloriam, quæ antecedit prævisionem meritorum abſolutè futurorum, & quæ proinde eſt independenter ab illis, & conſequenter gratuita eſt.

Minor patet. Nam libera præparatio, & electio mediorum efficacium ad finem, præ aliis idoneis, ſed non efficacibus, neceſſariò ſupponit intentionem, ſeu voluntatem efficacem finis in volente ordinatè, & ſapienter. Media enim efficacia ad finem, cognita ut efficacia, non eliguntur ſapienter, & ordinatè præ aliis, niſi ob aliquam cauſam, quæ non poteſt eſſe alia, quam voluntas efficax finis; nam media efficacia non ſunt ſapienter eligibilia præ aliis merè ſufficientibus, niſi quia per illa finis re ipſa obtinetur, & per alia ſolùm obtineri poteſt. Et verò media non appetuntur, niſi propter finem præintentum: ac proinde media efficacia non eliguntur, niſi propter finem efficaciter præintentum.

Dices 1. Deus equidem gratuitò præparavit electis media ſalutis efficacia: at non præparavit illa ut efficacia, ſed ſolùm ut idonea: ac proinde hæc præparatio non ſupponit in Deo voluntatem abſolutam, & efficacem dandi gloriam electis præ aliis, ſed ſolùm conditionatam voluntatem, quam habet reſpectu eorum, quibus præparavit media merè ſufficientia ad ſalutem. Ergo non datur in Deo voluntas abſoluta, & efficax dandi gloriam electis, niſi poſt prævisionem abſolutam meritorum, & perſeverantiæ finalis electorum.

Reſp. Nego anteced. Nam 1. certum eſt Deum iis omnibus, qui ſalvantur, gratuitò præparaſſe, & elegiſſe media efficacia, cognita ut efficacia, præ aliis mediis merè ſufficientibus, quæ potuiſſet illis præparare: è contra iis omnibus, qui damnantur, præparaſſe media ſolùm idonea, & merè ſufficientia, cùm potuiſſet præparare efficacia. At media efficacia, cognita ut efficacia, non eliguntur, nec præparantur ſapienter, ac ordinatè præ aliis idoneis, ſed inefficacibus, niſi ob aliquam cauſam, quæ non conveniat præparationi mediorum inefficacium. Hæc autem cauſa nulla poteſt eſſe alia, quàm voluntas efficax ſalvandi eos, quibus præparantur illa media efficacia cum ſalute connexa. Item nulla poteſt eſſe cauſa, cur Deus iis, qui non ſalvantur, præparaverit media idonea, ſed inefficacia, niſi quia illos ſalvare non vult voluntate abſoluta, & efficaci, ſed ſolùm conditionata, & inefficaci, licèt ſincera, & ſufficienti. 2. Illa doctrina tollit, aut ſaltem minuit ſpecialem illum erga electos benevolentiæ, ac miſericordiæ affectum, quem Apoſtolus tantopere extollit, & commendat. Unde electos vocat vaſa miſericordiæ, in quæ Deus divitias miſericordiæ ſuæ largiter effudit. 3. Voces illæ: *propoſitum voluntatis*, *electio*, *prædeſtinatio*, quibus Apoſtolus utitur, clarè ſignificant media efficacia, quibus Deus electos ſuos perducit ad ſalutem, à Deo præparata eſſe, ut efficacia, & ex intentione efficaci ſalutis eorum. 4. Eſt de fide dari gratuitam prædeſtinationem ad gratiam, quæ eſt gratuita præparatio beneficiorum

ciorum Dei, quibus certissimè salvantur, quicunque salvantur: ac proinde fide constat Deum ab æterno gratuitò præparasse perseverantiam finalem iis, qui salvantur. At evidenter absurdum est dicere, Deum non præparasse, nec dare, perseverantiam finalem, nisi ut medium salutis sufficiens; cùm voluntas non possit illi resistere, nec eam amittere. Ergo absurdum est dicere, Deum præparasse omnia media salutis efficacia ut præcisè sufficientia, & nulla ut efficacia. Ergo Deus gratuitò præparavit electis perseverantiam finalem ut medium cum salute connexum, & ratione cujus alia media sunt cum salute connexa. Deus autem non potuit velle gratuitò dare electis medium cum salute connexum ut tale; quin priùs ratione voluerit gratuitò, & efficaciter dare illis salutem. 5. Denique ex Scriptura, & traditione Patrum constat omnes actus salutares prædestinatorum esse dona Dei. At non sunt dona Dei, nisi quia Deus ex voluntate efficaci, ut fiant, dat gratuitò gratias efficaces, quibus fiant: ac proinde Deus ab æterno habuit voluntatem efficacem, ut illi actus fierent, & idcirco præparavit gratias efficaces qua efficaces: nam quidquid Deus in tempore facit, voluit ab æterno illud facere eo modo, quo facit.

Dices 2. Deus præparando non electis media merè sufficientia, & inefficacia, hæc eis non præparavit, nec donat ut merè sufficientia, & inefficacia, sed ut verè idonea, & quibus verè salvari possunt, si velint. Ergo etiam non præparavit, nec donat electis media efficacia, nisi ut præcisè idonea, non autem ut efficacia.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quia si Deus præpararet reprobis media merè sufficientia ut merè sufficientia, & inefficacia, hoc ipso non haberet voluntatem sinceram antecedentem illos salvandi: vellet enim illis dare media non habitura effectum præcisè, quia non essent habitura effectum, nec proinde perductura ad salutem: & sic Deus priùs ratione vellet, ut illi non salvarentur. At voluntas gratuita dandi certis hominibus media salutis efficacia ut efficacia, & cum salute connexa, non excludit sinceram voluntatem salvandi alios omnes: imò simul, & pro eodem signo, seu instanti rationis Deus præparat certis hominibus media salutis efficacia ut efficacia ex intentione efficaci eorum salutis, & præparat aliis ex intentione sincera eorum salutis, licet non efficaci, media verè sufficientia, quibuscum salvari poterunt, & salvabuntur, si velint, quibus tamen non salvabuntur, quia nolent eis uti; sicque ex sua culpa damnabuntur, non ex carentia mediorum salutis verè sufficientium.

§. III.

Solvuntur objectiones ex Scriptura petitæ.

Obj. 1. Ex Scriptura gloria est merces, & corona justitiæ. At non datur gratuita prædestinatio ad mercedem, & ad coronam justitiæ: nam ista præsupponunt merita, quibus rependantur. Ergo ad gloriam &c. Major constat ex Matth. cap. 5. *Merces vestra copiosa est in Cœlis.* 2. Tim. cap. 4. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ.*

Resp. Disting. maj. Gloria æterna in ordine executionis est merces, & corona justitiæ, *conc. maj.* In ordine intentionis, *nego maj.* Gloria in ordine executionis, est gloria spectata secundùm executionem decreti dandi gloriam in tempore, ut præmium per merita comparatum. Gloria in ordine intentionis, est gloria spectata secundùm decretum dandi gloriam per merita comparandam. In Deo autem duplex est prædestinatio, & electio ad gloriam, seu voluntas absoluta, & efficax dandi gloriam iis, qui salvantur. Prima gratuita, quæ pertinet ad ordinem intentionis, est voluntas, qua Deus ante prævisionem meritorum absolutè futurorum, seu independenter à meritis absolutè futuris prævisis, vult absolutè, & efficaciter, ut certi homines gloriam consequantur per merita comparanda. Secunda remuneratoria, quæ pertinet ad ordinem executionis, est voluntas, qua Deus absolutè, & efficaciter vult dare electis gloriam propter merita comparata absolutè prævisa. Prima est omnino gratuita: nam virtualiter prior est prioritate rationis, quam

prædc-

prædefinitio bonorum operum, & à fortiori quàm meritorum absoluta futuritio, eorumque absoluta prævisio. Secunda est remuneratoria: nam virtualiter præsupponit merita absolutè futura, & prævisa. Prima determinat Deum ad prædefinienda merita, & præparanda auxilia efficacia cum perseverantia finali, eaque in tempore danda. Secunda determinat Deum ad dandam in tempore gloriam ut mercedem, & coronam debitam propter bona merita à se donata, & per finalem perseverantiam consummata. Prima fertur in gloriam ut finem electis à Deo procurandum per bona ipsorum merita; quæ idcirco instanti rationis subsequenti prædefiniuntur à Deo. Secunda fertur in gloriam ut mercedem electis debitam, & retribuendam propter bona eorum merita jam prædefinita, & absolutè futura. Igitur gloria præparata est electis ante, & post prævisionem meritorum absolutè futurorum, per duplicem illam voluntatem, ita inter se connexam, ut neutra possit esse sine altera.

In Textibus autem objectis significatur præparatio gloriæ, seu prædestinatio ad gloriam remuneratoria, se tenens ex parte executionis. Sed alibi significatur alia gratuita, se tenens ex parte intentionis, ut patet ex Textibus in probatione allatis. Quare hæc nostra distinctio, de duplici prædestinatione ad gloriam, necessaria est ad conciliandos Textus Scripturæ exprimentes prædestinationem remuneratoriam, cum aliis significantibus gratuitam prædestinationem ad gratiam, & gloriam.

Inst. Sufficit prædestinatio remuneratoria. Ergo non datur gratuita.

Resp. Nego anteced. Nempe non sufficit simpliciter, sed solùm in sua linea. Nam adulti electi salvari nequeunt sine meritis, & perseverantia finali. Electi autem non possunt potentia reducenda ad actum habere merita, & perseverantiam finalem, nisi Deus ab æterno voluerit absolutè, & efficaciter, ut habeant, præparando illis gratuitò media efficacia ad hunc finem, & ipsam perseverantiam finalem. Quare prædestinatio remuneratoria ad gloriam supponit necessariò prædestinationem gratuitam ad gratiam; & prædestinatio gratuita ad gratiam necessariò supponit prædestinationem gratuitam ad gloriam, ut probatum est. Ergo prædestinatio remuneratoria supponit necessariò prædestinationem gratuitam ad gloriam: ac proinde sola non sufficit simpliciter.

Obj. 2. Christus, Matth. cap. 25. sic electos alloquitur: *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi: esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.* Ergo Regnum gloriæ præparatum fuit electis solùm propter eorum bona opera absolutè prævisa.

Resp. Disting. conseq. Præparatum fuit, &c. voluntate pertinente ad ordinem executionis, *esto*, voluntate pertinente ad ordinem intentionis, *nego conseq.*

Dixi, *esto*: nam istæ voces (*esurivi enim, &c.*) non referuntur ad verbum (*paratum*) sed ad hæc alia (*venite, & possidete*) ut probatur ex opposita sententia, qua reprobis dicitur: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & Angelis ejus. Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Ubi propositio causalis (*esurivi enim*) non refertur ad istam (*qui paratus est diabolo*) nam non ideo paratus est ignis æternus diabolo, & Angelis ejus, quia homines omissuri erant opera misericordiæ. Igitur sicut voces (*esurivi enim, &c.*) in sententia, quæ in reprobos feretur, referuntur ad istas (*discedite à me in ignem æternum,*) sic in sententia, quæ electis dicetur, eædem voces (*esurivi enim, &c.*) referuntur ad istas (*venite, possidete.*)

Inst. 1. Christus, Matth. c. 25. significat ignem æternum non fuisse præparatum reprobis, nisi propter sua demerita, sic enim ait: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.... Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, &c.* Ergo cùm eodem modo loquatur electis per hæc verba: *Venite, possidete. Esurivi enim, &c.* Significat gloriam non fuisse paratam electis, nisi propter bona merita.

Resp. Esto antecedens. Nam Christus id potiùs supponit, quàm significat; *nego conseq.* disparitas est, quia æquitas sententiæ à

Christo contra reprobos ferendæ postulat, ut supplicium ignis æterni non fuerit illis præparatum, nisi propter demerita prævisa ut absolutè futura, & ut demerita illa non fuerint à Deo præparata. At æquitas sententiæ pro electis ferendæ non postulat, ut gloria non fuerit electis præparata, nisi propter merita absolutè futura, sed solùm ut electi re ipsa gloriam mereantur, & ita gloria non fuerit illis præparata ut merces, & corona, nisi propter merita prævisa ut absolutè futura.

Præterea Deus præter voluntatem damnandi reprobos, propter eorum demerita absolutè futura, non potest habere aliam ratione priorem, qua velit eos incurrere damnationem æternam propter demerita à se prædestinanda. Nam hæc voluntas repugnat in Deo, qui ut summè bonus nihil eorum, quæ fecit, potest odisse sine causa ex parte eorum data, & ut summè justus neminem punire potest, nisi propter demerita à solo reo provenientia. At Deus præter voluntatem dandi electis gloriam ut mercedem, propter eorum merita absolutè prævisa, potest etiam aliam habere ratione priorem, qua velit, ut gloriam tanquam mercedem consequantur per bona opera à se gratuitò prædefinienda. Nam hæc voluntas Dei misericordiam, & benignitatem commendat: imò non potest non inesse Deo ex hypothesi, quòd aliam habeat.

Inst. 2. Christus per hæc verba (*esurivi enim, & dedistis mihi manducare, &c.*) affert totam causam discretionis electorum à reprobis. Ergo docet, Deum non voluisse absolutè, & efficaciter dare electis gloriam, nisi propter merita absolutè prævisa.

Resp. Disting. anteced. Affert causam discretionis secundariam, *conc. anteced.* primariam, *nego antec. & conseq.* Duplex est causa discretionis electorum à reprobis, nempe primaria, & secundaria. Primaria se tenet ex parte Dei, & est beneplacitum divinum merè gratuitum, quo certos homines, & non alios, elegit Deus efficaciter ad gloriam consequendam per merita; & illis, non aliis merita, quibus gloriam consequentur, prædefinivit. Secundaria causa discretionis se tenet ex parte ipsorum electorum, & sunt ipsa merita misericorditer ab æterno prædefinita & donata in tempore. Sunt autem secundaria causa, quia proveniunt à gratuito Dei beneplacito, tanquam à prima radice, sine qua non essent ab æterno præparata, nec in tempore donata. In Textu objecto affertur secundaria causa discretionis electorū à reprobis.

Obj. 3. Illud, Rom. c. 8. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.* Ergo prædestinatio ad conformitatem cum Christo per gloriam supponit præscientiam meritorum absolutè futurorum.

Resp. 1. Nego conseq. Quia verbum *præscivit* ibi significat *prædilexit*, sicut cùm idem Apostolus, cap. 11. ait: *Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit.* Nam verbum *scire, cognoscere*, sæpè in Scriptura significat scientiam cum speciali affectu, & benevolentia conjunctam, ut cùm Paulus dicit, 2. Tim. 2. *Cognovit Dominus, qui sunt ejus.* Idque patet à contrario; nam verbum, *nescio*, Deo attributum significat, odio habeo, rejicio, ut cùm Christus, Matth. c. 7. dicit: *Nescio vos.* Quare Textus objectus probat potiùs nostram assertionem; nam hic est ejus sensus: quos Deus antecedenter ad omne meritum absolutè futurum, & ex pura misericordia prædilexit amore efficaci benevolentiæ, hos prædestinavit ad conformitatem cum Filio suo per sanctitatem, & gloriam.

Resp. 2. Disting. conseq. Prædestinatio in ordine executionis supponit præscientiam meritorum absolutè futurorum, *conced. conseq.* prædestinatio in ordine intentionis supponit præscientiam meritorum, &c. *nego conseq.* Igitur ex hypothesi, quòd verbum *præscivit*, ibi significet præscientiam meritorum absolutè futurorum; textus intelligi debet de prædestinatione in ordine executionis, non in ordine intentionis.

Obj. 4. Ex Apostolo, Rom. c. 2. *Non est acceptio personarum apud Deum;* at esset, si Deus antecedenter ad merita, & demerita absolutè prævisa, hos, non illos eligeret ad gloriam. Ergo Deus sic non eligit.

Resp. Nego min. Quia Deus nulli indigno, aut minùs digno dat, quod digniori aliqua ratione debetur: & sic non est acce-

ptor

ptor personarum. Neque etiam iniquus est, quia nulli debitum subtrahit. Nam nemo pro illo signo, seu instanti rationis dignus est: imò omnes sunt positivè indigni, qui eligantur ad gloriam per merita obtinendam; cùm omnes peccatum originale contraxerint: & ipsa etiam Virgo Deipara illius contrahendi debitum contraxerit, & peccaverit in Adamo.

Igitur D.us alios antecedenter ad merita absolutè futura, & prævisa eligendo ad gloriam, alios non eligendo, misericordiam, ac benignitatem erga electos; justitiam, ac severitatem erga non electos ostendit.

Obj. 5. Multos alios Textus Scripturæ.

1. Illud, 2. Petri, cap. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.*

Resp. Sensus est: date operam, ut gratiam vi divinæ vocationis, & electionis perceptam, constanter per bona opera usque in finem vitæ retineatis. Quare hic locus spectat ordinem executionis.

2. Illud, Rom. cap. 8. *Si autem filii, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi; si tamen compatimur, ut & conglorificemur.*

Resp. Ibi Apostolus solùm docet, electos non assequi gloriam ut mercedem, nisi patientiæ merito.

3. Illud, Apoc. cap. 3. *Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

Resp. Deus justum merito adhortatur ad vigilantiam, & ad perseverantiam in statu gratiæ, faciendo bonum, & vitando malum; ne per peccatum mortale justitiam amittens, amittat jus ad coronam gloriæ, quod habet propter præsentem justitiam. Et verò cùm Deus non velit quemquam salvare, nisi per opera bona perseveranter facta, indiscriminatim justos omnes ad perseverantiam adhortatur, ne coronam sibi destinatam amittant; quamvis prædestinati jus ad coronam vitæ in perpetuum ex parte Dei amittere nequeant. Ut autem non amittant, adhortationes, & comminationes sunt utiles. Quare ex Textu objecto sequitur solùm, Deum uti comminationibus ad exequendam salutem electorum. Nam quamvis ex parte Dei impossibile sit electum antecedenter ad gloriam non salvari, & quidem liberè, ac meritoriè; tamen cùm de sua prædestinatione incertus sit, ejusmodi comminationibus utiliter concutitur; & re ipsa Deus per illas comminationes, gratia interna munitas, perseverantiam electorum operatur.

Nec dic, coronam gloriæ amitti non posse, si sit destinata efficaciter independenter à meritis prævisis ut absolutè futuris. Nam (ut S. Thom. 1. p. qu 23, art. 6. ad 1. docet) corona gloriæ est electis destinata dupliciter. 1. ex prædestinatione divina, & sub hoc respectu amitti non potest. 2. Propter præsentem justitiam, qua homo constituitur Filius Dei adoptivus, & hæres vitæ æternæ; & sub hoc respectu corona gloriæ amitti potest.

4. Illud, Rom. c. 11. *Vide ergo bonitatem, & severitatem Dei: in eos quidem, qui ceciderunt, severitatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate; alioquin & tu excideris: Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur.*

Resp. Apostolus ibi solùm docet nullum fidelem salutem consecuturum esse, nisi in fide, & charitate perseveret; & Judæos à societate fidelium propter incredulitatem excisos, posse in illam inseri, & inserendos, si fidem susceperint.

5. Illud, 2. Timoth. c. 2. *In magna domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emundaverit se ab istis, erit vas in honorem, sanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.*

Resp. Electi sunt vas in honorem duobus modis, 1. per prædestinationem in æternitate; quatenus Deus efficaciter eos elegit ad gloriam per merita aquirendam, & eorum merita prædefinivit, mediaque efficacia ad sanctitatem, & gloriam certò assequendam præparavit.

2. Electi fiunt vas in honorem per executionem prædestinationis in tempore; quatenus electi cooperantur Deo, donanti illa media efficacia ab æterno præparata, bona opera faciendo, & mandata servando usque in finem vitæ. Unde hoc secundo modo electi

non fiunt, nec ſunt vaſa in honorem, niſi dependenter à libera eorum cooperatione; & ſic in eorum poteſtate eſt, ut ſint, vel non ſint vaſa in honorem quoad executionem prædeſtinationis, quamvis tamen certò, & infallibiliter futuri ſint ob ſummam certitudinem, & infallibilitatem prædeſtinationis.

Electi autem non fiunt hoc ſecundo modo vaſa in honorem, niſi quia priùs gratuitò facti ſunt vaſa in honorem primo modo, id eſt, niſi quia priùs gratuitò deſtinati ſunt efficaciter à Deo ad gloriam per bona merita obtinendam. Jam verò Apoſtolus in loco citato loquitur ſolùm de ſecundo modo, quo quis fit vas in honorem, nempe in executione prædeſtinationis.

Ex dictis patet, Textus omnes Scripturæ, qui nobis objiciuntur, ſpectare ſolum ordinem executionis, non intentionis.

§. IV.

Solvuntur Objectiones ex Patribus petitæ.

Obj. 1. Patres Auguſtino antiquiores non admiſerunt prædeſtinationem ad gloriam, niſi propter merita abſolutè prævisa. Nam S. Irenæus, lib. 4. contra hæreſes, cap. 49. ait: *Quotquot ſunt non crediturí, Deus cùm ſit omnium præcognitor, tradidit eos infidelitati eorum, & avertit faciem ab hujusmodi, relinquens eos in tenebris, quas ſibi elegerunt.* S. Hilarius in Pſal. 64. *Non res indiſcreti judicii eſt electio, ſed ex meriti delectu facta diſcretio eſt.* S. Ambroſius l. 5. de fide, c. 3. *Deus perſonarum acceptor non eſt. Unde & Apoſtolus ait: quos præſcivit, hos & prædeſtinavit, quia non ante prædeſtinavit, quàm præſciret; ſed quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit.* S. Hieronymus, lib. 1. in Epiſt. ad Galat. *Ex præſcientia evenit, ut quem ſcit juſtum futurum, priùs diligat, quàm oriatur ex utero.* Ergo non datur prædeſtinatio gratuita ad gloriam.

Reſp. Nego anteced. Patres objecti intelligi debent de prædeſtinatione ad gloriam remuneratoria, & in ordine executionis, quæ ſupponit gratuitam prædeſtinationem ad gloriam per merita obtinendam, cum prædeſtinatione gratuita ad gratiam, quam admiſere Patres Auguſtino antiquiores, ut probatum eſt.

Ad Irenæum.

Reſp. Eum aſſerere ſolùm, quòd Deus eos, qui nolunt credere, & eligunt tenebras infidelitatis, tradat in tempore infidelitati eorum, & ab æterno decreverit, eos tradere infidelitati eorum, cùm omnia futura prævideat. Sed quid inde: An idcirco negat gratuitam prædeſtinationem electorum ad gloriam?

Ad Hilarium, & Ambroſium.

Reſp. Eos loqui de prædeſtinatione remuneratoria ad gloriam, ut meritam debitam, quæ pertinet ad ordinem executionis: quod patet ex ratione, quam afferunt. Nam Hilarius hanc affert; quia nempe electio prudens fieri debet ex meriti delectu: quæ ratio non valet pro electione ad gratuitum beneficium, pendens à ſolo eligentis beneplacito, ſed ſolùm pro electione ad meritam debitam. Ambroſii verò ratio hæc eſt; quia Deus non eſt acceptor perſonarum: quæ ratio evidenter falſa eſt de ordine intentionis: nam evidens eſt, Deum ſine acceptione perſonarum, & injuſtitia ex hominibus eodem peccato originali inquinatis, proindeque omni beneficio ſupernaturali æqualiter indignis, poſſe alios eligere, ut gloriam per merita præparanda conſequantur, alios non eligere: alioqui falſum eſſet illud Apoſtoli: Rom. cap. 9. *Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei..... ergo cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat.... an non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.*

Porro Commentarius Epiſtolæ ad Romanos adſcriptus S. Ambroſio, non eſt Ambroſii fœtus, ſed incerti auctoris, & continet in aliquibus doctrinam non probatam.

Ad Hieronymum.

Reſp. Rectè dicere, Deum ab æterno diligere, quos præſcit juſtos eſſe futuros; quia præſcit juſtos eſſe futuros, ſeu quia juſti ſunt futuri. Sed præter hunc amorem, qui habet cauſam ex parte hominis, eſt alius amor benevolentiæ in Deo omnino gratuitus, & illo amore ratione prior, quo Deus ab æterno gratuitò, & ex pura miſericordia bene vult hominibus necdum ſpectatis, ut juſtis,

juſtis, eos gratuitò prædeſtinando ad ſanctitatem, & gloriam.

Inſt. S. Proſper, Epiſt. ad S. Auguſt. ait: *Retractatis priorum de hac re opinionibus; pene omnium par invenitur, & una ſententia, qua propoſitum, & prædeſtinationem Dei ſecundùm præſcientiam acceperunt: ut ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit; quia finem uniuscujusque prævideret, & ſub ipſo gratiæ adjutorio, in qua futurus eſſet voluntate, & actione, præſcierit.* Ergo ex Proſpero Patres Auguſtino antiquiores non admiſerunt prædeſtinationem ad gloriam, niſi poſt prævisa merita.

Reſp. Nego conſeq. Quia 1. hæc Proſperi verba continent Maſſilienſium Semipelagianorum objectionem, quam S. Auguſtinus lib. *de prædeſtinatione Sanctorum*, diluit. 2. Ex verbis objectionis ſequitur ſolùm, quòd Patres Auguſtino antiquiores non locuti ſint expreſsè, niſi de hominum prædeſtinatione remuneratoria, & reprobatione poſitiva; quia nempe illi non habuerunt neceſſitatem differendi de alia prædeſtinatione gratuita; & reprobatione negativa, antecedente omnia merita, & demerita perſonalia abſolutè prævisa: cùm nondum exorta eſſet hæreſis Pelagiana, & Semipelagiana, negans gratuitam prædeſtinationem ad gratiam, quæ præſupponit gratuitam prædeſtinationem ad gloriam, ut probatum eſt. Unde Patres illi cùm toti eſſent in informandis fidelium moribus, isque ad bona opera excitandis, ad hunc finem proponebant ſolùm divinam voluntatem dandi gloriam iis, qui bonum uſque ad mortem acturi erant; damnandi verò eos omnes, qui peccaturi, & in peccato moriturі erant. Sed ſemper ſupponebant aliam prædeſtinationem gratuitam ad gloriam, quæ pertinet ad ordinem intentionis, & ſine qua non poteſt eſſe prædeſtinatio remuneratoria ad gloriam.

Quare non indigemus Textibus expreſſis Patrum Auguſtino antiquiorum ad probandam gratuitam prædeſtinationem ad gloriam; cùm illi hanc materiam ex profeſſo non tractarint ob rationem allatam; ſed ſolùm obiter attigerint, ſtatuendo principium, ex quo efficaciter eruitur gratuita prædeſtinatio ad gloriam, nempe docendo opera ſalutaria, & perſeverantiam finalem eſſe dona Dei, ideoque gratis ea præparari à Deo, ſicque dari prædeſtinationem gratuitam ad gratiam cum ſalute connexam, quæ ſupponit, & arguit gratuitam prædeſtinationem ad gloriam in ordine intentionis. *Quid opus eſt* (inquit S. Auguſtinus lib. de prædeſtinat. Sanctor. cap. 14.) *ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui priusquàm iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari? Quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur. Unde factum eſt, ut de gratia Dei* (ac proinde de prædeſtinatione gratuita) *quid ſentirent, breviter quibusdam ſcriptorum ſuorum locis, & tranſeunter attingerent.*

Obj. 2. S. Auguſtinus, l. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. rejicit omnem electionem gratuitam; ſic enim ait: *Quomodo eſt juſta, aut qualiscunque omnino electio, ubi nulla diſtantia eſt? Si enim nullo merito electus eſt Jacob nondum natus, & nihil operatus, nec omnino eligi potuit, nulla exiſtente differentia, qua eligeretur ..... nulla ergo electio eſt, antequam eſſet, quod eligeretur ..... non itaque electus eſt* (Jacob) *ut fieret bonus, ſed bonus factus eligi potuit ... non electio præcedit juſtificationem, ſed electionem juſtificatio. Nemo enim eligitur, niſi jam diſtans ab illo, qui rejicitur. Unde quod dictum eſt, quia elegit nos Deus ante mundi conſtitutionem, non video, quomodo ſit dictum, niſi præſcientia.* Ergo.

Reſp. Diſting. anteced. Rejicit omnem electionem gratuitam, & tunc ſumit nomen electionis ſpecificè; ſeu pro una duntaxat ſpecie, & in ſenſu valde reſtricto, *conc. ant.* & tunc, ſumit nomen electionis genericè, & in ſenſu, quem habere poteſt, & quem poſtea ei tribuit, *nego antec.* Electio generatim eſt aſs ſumptio unius, alio relicto. Duplex eſt ejuſpecies, quam poſtea diſtinguit S. Auguſtinus. Nam alia eſt gratuita, quæ non habet cauſam ex parte illius, qui eligitur: & altera remuneratoria, quæ habet cauſam ex parte illius, qui eligitur, eſtque aſſumptio unius diſparis

& distantis ab eo, qui relinquitur. Itaque S. Augustinus, cùm hunc librum ad Simplicianum scriberet initio sui Episcopatus, ideo solùm in eo libro rejicit omnem electionem gratuitam, quia tunc nomine electionis intelligebat duntaxat assumptionem unius disparis, & distantis ab eo, qui relinquitur. At omnem electionem gratuitam non rejiciebat ex eo; non enim rejiciebat gratuitam prædestinationem ad gratiam, & ad gloriam. Nam cùm hunc librum scriberet, agnoscebat gratuitam prædestinationem ad gratiam, quæ necessariò præsupponit gratuitam prædestinationem ad gloriam, & necessariò cum illa connexa est.

Inst. 1. Cùm S. Doctor libros ad Simplicianum scriberet, non agnoscebat gratuitam prædestinationem ad gratiam Ergo.

Resp. Nego antec. Nam agnoscebat omnia opera salutaria, & perseverantiam finalem esse Dei dona, ut ipse testatur, l. 2. Retractation. c 1. Sed si sunt dona Dei, ergo Deus ea gratis dat in tempore iis, qui salvantur, ideoque ab æterno ea gratis voluit absolutè, & efficaciter dare: & consequenter Deus ab æterno voluit gratis dare iis, qui salvantur, media salutis efficacia ad gloriam perducentia præ aliis mediis idoneis, sed inefficacibus. Jam verò Deus non potuit velle efficaciter dare gratis media ad gloriam assequendam efficacia, præ aliis, cognita ut efficacia, nisi ratione priùs voluerit, ut illi, quibus talia media præparavit, assequerentur gloriam. Nam media efficacia non eliguntur, nisi propter finem efficaciter præintentum: media enim non appetuntur, nisi propter finem præintentum, ac proinde non appetuntur, nisi secundùm modum, quo finis præintenditur.

Inst. 2. Saltem S. Augustinus, cùm scriberet libos ad Simplicianum, non admittebat gratuitam prædestinationem ad gloriam.

Resp. Neg. Nam eam ut ratione priorem prædestinatione ad gratiam expressè tunc agnovisse constat ex lib. de bono perseveran. tiæ, cap. 21. Ubi recolit libros ad Simplicianum; sic enim ait: *Videant* (Semipelagiani) *utrùm eorum duorum, quos mei Episcoparus initio, antequam Pelagiana hæresis appareret, ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum scripsi, remanserit aliquid, quo vocetur in dubium, gratiam Dei non secundùm merita nostra dari: & utrùm tibi non satis egerim, etiam initium fidei esse donum Dei: & utrùm ex iis, quæ ibi dicta sunt, non consequenter eluceat, etsi non sit expressum, etiam usque in finem perseverantiam non nisi ab eo donari, qui nos prædestinavit in suum Regnum, & Gloriam?* Quibus verbis (*qui nos prædestinavit in suum Regnum, & Gloriam*) significat causam, cur Deus electis donet perseverantiam finalem, nempe gratuitam prædestinationem ad gloriam. Unde, c. 22. dicit eos, qui non sunt prædestinati ad gloriam, non perseverare: *Si qui autem obediunt*, inquit, *Sed in regnum ejus, & gloriam prædestinati non sunt, temporales sunt, nec usque in finem in eadem obedientia permanebunt.* Igitur S. Augustinus, cùm scriberet libros ad Simplicianum, admittebat prædestinationem gratuitam ad gratiam, & gloriam: Sed solùm electionis notionem nimis restringebat, quod minùs cum modo loquendi Scripturæ consentaneum est.

Inst. 3. S. Augustinus, in lib. retractationum, & in aliis libris, ubi quæstionem objectam recolit, nihil ex ea emendat, imò eam commendat.

Resp. Ideo nihil ex ea emendavit: quia nihil in ea docuit contra fidem, aut aliquid cùm errore connexum: sed solùm minùs propriè locutus est, & nomen electionis in sensu nimis restricto accepit, & verba Apostoli de prædestinatione differentis impropriè, ac violenter, non tamen erroneè exposuit. Imò, in eo libro ad Simplicianum eadem quæst. 2. agnovit gratuitam prædestinationem ad gratiam, quæ supponit prædestinationem ad gloriam; sic enim ibi habet: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui securi sunt vocationem . . . . . quia etiamsi multos vocet, eorum tantùm miseretur* (efficaciter) *quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur . . . nunquid iniquitas est apud Deum exigentem, à quo pla-*

placet: donantem, cui placet: qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum?... illud inconcussa fide teneatur, quod non sit iniquitas apud Deum: qui sive donet, sive exigat debitum, neque ille, à quo exigit, potest de iniquitate ejus conqueri: nec ille, cui donat, debet de suis meritis gloriari.

Suarez autem censet S. Augustinum nihil ex ea quæstione retractasse, eò quòd judicasset ea, quæ in illa de electione dixisset, posse explicari de electione ad gloriam secundùm ordinem executionis, in quo electio supponit dignitatem, & meritum in eo, qui eligitur.

Porro cùm S. Augustinus postea contra Pelagianos, & Semipelagianos scriberet, electionem, ac propositum divinum accuratiùs, & ad modum loquendi, ac sensum Apostoli accomodatiùs pertractavit; & nomen electionis in sensu latiore, & Scripturæ proprio accepit, per eam intelligendo assumptionem unius, altero relicto; duplicemque electionem distinguendo, unam scilicet gratuitam, quæ est ad beneficia gratuita, nec supponit, sed facit electi disparitatem, ac distantiam ab eo, qui non assumitur: & alteram remuneratoriam, quæ est ad mercedem, & quæ non facit, sed supponit hanc disparitatem, ac distantiam.

Obj. 3. S. Augustinus, l. de bono perfever. c. 22. ait: *Si qui nondum sunt vocati, quos gratia sua prædestinavit eligendos, accipient eandem gratiam, qua electi velint esse, & sint.* Ergo non admisit gratuitam, &c.

Resp. Nego conseq. Quia loquitur de electione temporanea, seu secundùm ordinem executionis. Nempe S. Augustinus in suis contra Pelagianos, & Semipelagianos libris multiplicem admittit electionem: videlicet æternam, & temporaneam, quam utramque duplicem distinguit. Nam ex S. Doctore electio æterna duplex est, nempe gratuita, & remuneratoria. Electio æterna remuneratoria est ea, qua Deus post prævisionem absolutam meritorum, ac perseverantiæ finalis electorum, & demeritorum, ac impœnitentiæ finalis reproborum, prædestinatos præ reprobis ad gloriam ut mercedem debitam eligit. Hæc electio gratuitam prædestinationem ad gloriam supponit; cùm supponat præscientiam meritorum, & finalis perseverantiæ, quæ sunt prædestinationis gratuitæ effectus. Electio æterna gratuita duplex est, nempe ad gloriam, & ad gratiam. Electio gratuita ad gloriam est ea, qua Deus gratuitò his præ illis vult efficaciter gloriam ut obtinendam per merita à se prædefinienda. Electio ad gratiam est ea, qua Deus his præ illis præparat, seu vult dare media salutis efficacia, quibus certissimè gloriam assecuturi sunt. Hæc electio supponit primam, & ex ea sequitur.

Electio temporanea est executio electionis gratuitæ ad gratiam, & gloriam, estque duplex, una, quæ est à solo Deo, & altera à Deo simul, & electo. Electio temporanea, quæ est à solo Deo, iterum duplex est, una gratuita, quæ consistit in donatione gratiarum efficacium, & finalis perseverantiæ: altera remuneratoria, quæ est ipsa collatio gloriæ ut mercedis meritis debitæ. Electio, quæ est à Deo simul, & ab electo congrue vocato consistit in fide, & aliis operibus salutaribus per finalem perseverantiam consumatis. De hac loquitur l. de prædestin. Sanctorum, c. 17. His verbis: *Procul dubio elegerunt eum, quando crediderunt in eum.*

Quare sensus loci objecti est: si qui nondum sunt vocati per gratiam congruam, quos tamen Deus gratis prædestinavit eligendos electione temporanea, seu electione pertinente ad ordinem executionis in tempore, hi accipient eandem gratiam, qua electi velint esse, & sint, electione scilicet temporanea, quæ est tum à Deo, tum ab electo, hoc est, accipient multiplicem gratiam efficacem, qua opera salutaria usque ad mortem præstare velint, & re ipsa præstent.

Obj. 4. S. Aug. serm. 233. de tempore ait: *Multi scire volunt, quare illum vocat ad se Dominus, & illum non vocat: uni subvenit, & uni non: hunc dignum habet, & illum indignum.... audi, homo, hunc dignum habet pro bonis operibus suis, illum habet indignum pro operibus suis malis.*

Resp.

Resp. Ibi agitur de electione in ordine executionis, in quo Deus electos dignos habet gloria propter bona opera; sed præter illam datur electio gratuita secundùm ordinem intentionis, vi cujus bona opera gratis prædefiniuntur, ac præparantur.

Obj. 5. S. Augustinus, serm. 7. de verbis Domini in hæc verba Apostoli ad Rom. c. 11. (*Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genu ante Baal*) hæc ait: *Quid est, reliqui mihi? Ego illos elegi, quia vidi mentes eorum de me præsumentes, non de se, nec de Baal.*

Resp. S. Doctor hunc locum ibi quidem exponit de electione remuneratoria, & in ordine executionis: quæ interpretatio est violenta, nec consentanea menti Apostoli. Sed hunc locum Apostoli, lib. de bono perseverantiæ, c. 18. exponit de gratuita electione secundùm verum ejus sensum.

Porro liber de prædestinatione, & gratia non est S. Augustini, ut censent viri eruditi cum Bellarmino.

§. V.

Solvuntur Objectiones à ratione petitæ.

Obj. 1. Si datur gratuita prædestinatio ad gloriam, illa facta est ante, vel post *prævisionem peccati originalis*. Neutrum dici potest. Ergo.

Resp. Nego min. Et dico factam esse post prævisionem peccati originalis, & debiti proximi illud contrahendi absolutè futuri: tum quia gratuita illa prædestinatio facta est propter merita Christi, qui non fuit decretus, nisi post prævisionem absolutam peccati originalis. Tùm quia prædestinati vocantur ab Apostolo vasa misericordiæ, utpote ob peccatum originale, & lapsum in Adamo omni beneficio divino indigni, sic enim ait, Rom. c. 9. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Si autem homines antecedenter ad prævisionem lapsus omnium hominum in Adamo fuissent prædestinati, non essent vasa misericordiæ, sed vasa liberalitatis, & beneficentiæ tantùm, quales sunt Angeli beati.

Obj. 2. Deus nemini adulto vult dare gloriam gratis. Ergo non datur gratuita prædestinatio ad gloriam.

Resp. Ut tollatur æquivocatio, quæ est in antecedente, dico Deum gratis velle dare electis gloriam, non gratis, sed per merita obtinendam: ita ut vox *gratis* cadat in voluntatem dandi, non in ipsam dationem gloriæ.

Obj. 3. Ex gratuita prædestinatione ad gloriam sequuntur errores Prædestinatianorum Ergo rejicienda est.

Resp. Nego anteced. Nam illorum errores consistebant 1. In eo, quòd docerent, Deum antecedenter ad prævisionem peccati originalis, & cujuslibet personalis absolutè futuri aliquos ad supplicia æterna efficaciter destinasse, eosque ad peccatum prædestinasse. 2. In eo, quòd assererent per prædestinationem induci fatum, seu necessitatem, qua tolleretur libertas arbitrii, & vi cujus prædestinati ad gloriam necessariò, non liberè bonum agerent: prædestinati verò ad supplicium æternum necessariò peccarent. Neuter autem error sequitur ex gratuita prædestinatione ad gloriam, qualem admittimus.

Obj. 4. Nostra doctrina derogat bonitati divinæ: nam non est consentaneum bonitati divinæ, quòd tam paucos antecedenter eligat ad gloriam, innumeros verò rejiciat.

Resp. Nego. Nam DFUS etsi infinitè bonus potuit illæsa sua bonitate pauciores, imò nullos eligere ad gloriam, omnesque in massa perditionis relinquere; quia omnes homines propter peccatum originale, & lapsum in Adamo sunt omni beneficio divino indigni, imò damnatione æterna digni, & ipsa B. Virgo contraxit debitum proximum contrahendi peccati originalis, ideoque debitum incurrendi damnationem æternam; cùm in Adamo verè peccaverit. Quare magna sanè Dei bonitas, ac misericordia est, quòd tam multos absolutè, quamvis paucos præ multitudine reproborum, misericorditer prædestinet ad gloriam; præsertim cùm sincerè velit salutem omnium reproborum, & ex

ſincero affectu eorum ſalutis det omnibus media ad ſalutem verè ſufficientia, quorum tamen abuſum vult permittere ob juſtiſſimas cauſas.

Præterea non magis ſententia noſtra bonitati divinæ derogat, quàm ſententia adverſariorum, docentium Deum ex voluntate generali, & conditionata tantùm ſalvandi omnes homines, elegiſſe eum ordinem providentiæ, & eam ſeriem gratiarum, in qua prævidebat paucos ſalvatum, innumeros verò damnatum iri: quamvis æquè facile potuerit eligere alium providentiæ ordinem, & aliam ſeriem gratiarum, in qua longè plures, imò omnes ſalvarentur. In quo ſanè ſyſtemate non magis commendatur Dei bonitas, quàm in noſtro; & in noſtro eſt major Dei benevolentia erga eos, qui ſalvantur.

Cur autem Deus minorem partem hominum prædeſtinarit, hanc affert rationem S. Auguſtinus, epiſt. 157. nempe ut intelligeremus, quid omnibus deberetur.

Obj. 5. Noſtra doctrina tollit curam, ac ſtudium bonorum operum, & ſalutis, tantoperè commendata in Scripturis. Ergo rejicienda eſt.

Reſp. Nego anteced. Quia Deus neminem adultum gratuitò prædeſtinavit ad gloriam, niſi obtinendam per bona opera meritoria, ideoque libera, & per media, quæ effectum ſuum habere nequeunt ſine libera cooperatione, ac proinde ſine induſtria, conatu, & cura prædeſtinati.

Imò verò noſtra hæc doctrina per ſe plurimùm bonis moribus prodeſt. Nam ſuperbiam coercet, humilitatem ſuadet, tollit præſumptionem humanam, nos impellit ad totam fiduciam noſtram in Deo collocandam, atque magis excitat ad amorem Dei, qui tantum, ac tam ſpecialem benevolentiæ affectum gerit erga ſuos electos, & à quo tantum electionis beneficium accepiſſe humiliter confidimus. Hæc tamen doctrina non eſt temerè populo proponenda, & præſertim rudibus, & impiis. Sed ea potius proponi debent, quæ multùm valent ad homines impellendos ad exercitium bonorum operum, & fugam peccati.

Inſt. Juxta noſtram doctrinam poterit quis ſic ratiocinari? Vel ſum prædeſtinatus antecedenter ad gloriam, vel non ſum, ſi ſum: impoſſibile eſt ut damner, quidquid agam: ſi non ſum, fruſtra bonum ago; nam certum eſt me nunquam fore in numero prædeſtinatorum, nec proinde in numero ſalvandorum.

Reſp. Falſum, & abſurdum eſt hoc ratiocinium. Nam falſum eſt illud dictum: ſi ſum antecedenter prædeſtinatus ad gloriam, impoſſibile eſt ut damner, quidquid egero; quia nemo antecedenter electus eſt ad gloriam, niſi ut obtinendam per bona opera liberè, ac perſeveranter facienda. Unde omnes, qui ea non faciunt, & in peccato moriuntur, certò damnabuntur. Item falſum eſt illud: ſi non ſum prædeſtinatus, fruſtra bonum ago: nam omnes, qui bonum agent uſque ad mortem, ſalvabuntur: & nemo adultus damnabitur, niſi ſua culpa perſonali. Nam non obſtante gratuita, & antecedenti prædeſtinatione eorum omnium, qui ſalvantur, certum eſt Deum velle ſincerè ſalutem omnium hominum, & vi illius voluntatis ſuppeditare omnibus media ad ſalutem verè ſufficientia, ideóque omnes poſſe ſalutem conſequi, neminem damnatum iri, niſi ex culpa ſua. Item certum eſt eos, qui bonum uſque ad mortem agent, eſſe de numero prædeſtinatorum, & ita infallibiliter ſalutem conſecuturos.

Rejecto igitur falſo illo ratiocinio, humiliemus nos ſub potenti manu Dei, ut nos exaltet in tempore viſitationis, omnem ſollicitudinem noſtram projicientes in eum, quoniam ipſi eſt cura de nobis. Et ſatagamus, ut per bona opera certam noſtram vocationem, & electionem faciamus, cum metu, & tremore ſalutem noſtram operantes: ideóque cum humili, & firma fiducia dicamus Deo: in manibus tuis ſortes noſtræ, ubi quæſo poſſunt eſſe melius?

Obſerva. Hoc ratiocinium falſum non plus valet, quàm iſtud contra præſcientiam rerum abſolutè futurarum, nempe: Deus præſcit vel me eſſe ſalvandum, vel non eſſe ſalvandum: ſi præſcit me eſſe ſalvandum, quid-

quidquid egero, ſalvus ero. Si præſcit me damnandum, fruſtra bonum egero. igitur hæc, & ſimilia ſolvi debent ab adverſariis: nam objici poſſunt tùm contra præſcientiam divinam, tùm etiam contra gratuitam prædeſtinationem ad gratiam, quæ ſunt fidei dogmata. Certum eſt enim eos omnes, & ſolos ſalvos fore, qui antecedenter, & gratuitò prædeſtinati ſunt ad gratiam, & perſeverantiam finalem: cæteros verò omnes damnatum iri, ſive Deus media ſalutis efficacia præparaverit ut efficacia, ſive præcisè ut idonea. Nam etiamſi præparata fuerint non ut efficacia, ſed præcisè ut ſufficientia, non minùs ſunt efficacia, nec minùs certò prævidentur à Deo conſecutura effectum ſuum. Unde Semipelagiani olim objiciebant prædeſtinationem gratuitam ad gratiam cum ſalute connexam tollere ſtudium ſalutis, & virtutum, ut teſtatur S. Proſper, in ſua ad Auguſtin. epiſt. & ipſe S. Auguſtinus, l. de bono perſever. c. 15. ubi ſic reſpondet: *Iſta cùm dicunt, ita nos à confitenda vera Dei gratia, ideſt, quæ non ſecundùm merita noſtra datur, & à confitenda ſecundùm eam prædeſtinatione Sanctorum deterrere non debent: ſicut non deterremur à confitenda præſcientia Dei, ſi quis de illa populo ſic loquatur, ut dicat: ſive nunc rectè vivatis, ſive non rectè, tales vos eritis poſtea, quales vos Deus futuros eſſe præſcivit; vel boni, ſi bonos: vel mali, ſi malos. Numquid enim, ſi hoc audito nonnulli in torporem, ſegnitiemque vertantur, & à labore proclives ad libidinem poſt concupiſcentias ſuas eant, propterea de præſcientia Dei falſum putandum eſt eſſe, quod dictum eſt?*

Obj. 6. Noſtra ſententia orationes, correptiones, & adhortationes impedit; imò deſperationem affert.

Reſp. Nego. Imò noſtra ſententia neceſſitatem orationis, correptionis, & adhortationum aſtruit. Quia Deus neminem prædeſtinat ad gloriam, niſi per bona opera libera aſſequendam, & per media, quibus vult electos ad gloriam pervenire. Inter hæc autem media locum habent orationes, correptiones, adhortationes. Neque etiam deſperationem affert, ſed coercet elationem, & præſumptionem, nos impellendo ad fiduciam noſtram non in nobis, ſed in Deo collocandam, *An timendum eſt, ne tunc de ſe homo deſperet, quando ſpes ejus ponenda demonſtratur in Deo? Non autem deſperaret, ſi eam in ſe ipſo ſuperbiſſimus, & infeliciſſimus poneret?* ait S. Auguſtinus, l. de bono perſever. c. 22.

Obj. 7. Si datur prædeſtinatio ad gloriam, Deus non poteſt velle efficaciter damnare prædeſtinatum; cum ante prævisionem meritorum, & demeritorum abſolutè futurorum habeat efficax decretum, & invariabile eum ſalvandi. Falſum conſeq. ergo. *Prob. min.* Alioqui prædeſtinatus non poterit peccare mortaliter.

Reſp. Nego min. & ejus probationem. Itaque prædeſtinatus non poteſt damnari, quantùm eſt ex parte Dei, ſed poteſt damnari, quantùm eſt ex parte ſua, potentia tamen reducibili tantùm, & nunquam certò reducenda ad actum; quatenus poteſt peccare mortaliter, & poſtea nolle pœnitentiam agere: quam tamen certò aget, ſi peccet mortaliter; quia certò, & infallibiliter moriturus eſt in ſtatu gratiæ.

Inſt. 1. Deus non poteſt velle damnationem æternam prædeſtinato. Ergo is non poteſt eam incurrere, peccando mortaliter.

Reſp. Nego anteced. Nam cùm prædeſtinatus poſſit peccare mortaliter, & conſequenter contrahere reatum damnationis æternæ, Deus etiam poteſt ei velle damnationem æternam: & re ipſa ei vult, cùm peccat mortaliter; ſed hanc ei vult conditionatè tantum, ſi nempe in ſtatu peccati moriatur.

Inſt. 2. Prædeſtinatus non poteſt amittere amicitiam Dei, ergo nec Deum graviter offendere. *Nego antecedens. Probabis.* Si prædeſtinatus poſſet amittere amicitiam Dei, affectus ille, quo Deus antecedenter vult illi gloriam, non eſſet invariabilis, & immutabilis. Falſum conſeq. ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Quia affectus ille non eſt affectus amicitiæ; nam non eſt erga perſonam ut gratam Deo, & dilectam propter intrinſecam aliquam perfectionem; ſed eſt affectus puræ miſericordiæ, & gratui-

tæ

tæ benevolentiæ; quia est erga personam ut infectam peccato originali, aut saltem debito proximo illud contrahendi, & sic omni amore, & beneficio divino indignam. Quamvis autem affectus ille misericordiæ, & gratuitæ benevolentiæ, quo Deus vult efficaciter tali homini indigno gloriam per merita obtinendam, dissolvi non possit; quia invariabilis est, & inest Deo independenter à prævisione meritorum, ac demeritorum personalium absolutè futurorum; potest tamen prædestinatus Deum graviter offendendo amittere amicitiam Dei, & ejus odium ad tempus incurrere: nam Deus prædestinatum graviter peccantem privat gratia sanctificante, & odit pro eo tempore, quo manet in statu peccati, vultque illi supplicium æternum ut debitum secundùm præsentem injustitiam: in qua si usque in finem vitæ permaneret, supplicium æternum ut pœnam sibi debitam subiret. Sed in statu peccati non permanebit usque ad mortem; quia Deus ab æterno ex pura misericordia voluit efficaciter eum ab illo miseriæ statu ante mortem liberare, eique finalem perseverantiam donare; idque voluit, quia ex pura misericordia eum gratuitò prædestinavit ad gloriam.

Inst. 3. Si prædestinatus potest peccare mortaliter, potest etiam post peccatum non velle pœnitentiam agere. Ergo potest damnari.

Resp. Disting. anteced. Potest non velle pœnitentiam agere potentia reducibili tantùm, *conc. anteced.* Potentia reducenda ad actum, *nego ant.* Nam re ipsa pœnitentiam agere volet, gratia congrua instructus.

Obj. 8. Prædestinatio gratuita ad gloriam destruit libertatem. Ergo repudiari debet.

Resp. Nego anteced. Quia gratuita prædestinatio ad gloriam, non est ad gloriam, qualicunque modo obtinendam, sed est ad gloriam obtinendam per merita liberè comparanda mediis ex se repudiabilibus, quamvis infallibiliter habituris effectum. Quare hæc prædestinatio non minuit laudem, ac meritum electorum; quia non minuit eorum libertatem; & bona opera electorum non sunt minùs propria electorum merita ex eo, quòd sint Dei dona, ab ipso in æternitate præparata, vi electionis gratuitæ ad gloriam per merita obtinendam.

Inst. 1. Gratuita prædestinatio ad gloriam facit hypothesim antecedentem invariabilem, ac insuperabilem, & consequenter necessitatem antecedentem, invariabilem, & insuperabilem. Ergo necessarium est necessitate antecedenti, invariabili, & insuperabili, ut prædestinatus credat, bona opera faciat usque in finem. Ergo prædestinatio illa destruit libertatem. *Antecedens constat*; nam gratuita prædestinatio ad gloriam 1. Facit hypothesim antecedentem, seu independentem à voluntate prædestinatorum: nam hæc hypothesis ut sit, vel non sit, pendet à solo Dei beneplacito; cùm ab illo solo pendeat gratuita prædestinatio ad gloriam. 2. Facit hypothesim invariabilem; nam gratuita illa prædestinatio si semel existit, variari nequit; cùm existat ab æterno, & pro æterno. 3. Facit hypothesim insuperabilem: nam gratuita illa prædestinatio est volitio divina absoluta, & efficax, quæ vinci nequit, nec effectu suo frustrari potest.

Resp. Disting. conseq. Necessarium est necessitate antecedenti, invariabili, & insuperabili extrinseca, ut prædestinatus credat, & bona opera faciat usque in finem, sed liberè, *conc. conseq.* Necessitate intrinseca, ut prædestinatus bona opera usque in finem faciat necessariò, non liberè, *nego conseq.* Itaque propter gratuitam prædestinationem ad gloriam est necessarium, ut adulti prædestinati credant, & bona opera usque in finem vitæ faciant, sed liberè, non necessariò; quia gratuita prædestinatio ad gloriam non est ad gloriam qualicunque modo obtinendam, sed ad gloriam obtinendam per merita, ideoque obtinendam per bona opera liberè facta, & mediis ex se repudiabilibus, licèt effectum infallibiliter habituris. Quare gratuita prædestinatio ad gloriam libertatem prædestinati certò astruit, nedum destruit; cùm propter hanc prædestinationem necessarium sit necessitate insuperabili, ut prædestinati non solùm bonum agant, sed etiam liberè agant: & absolutè repugnet Deum, utpote omni-

scientem, & omnipotentem, in mediis adhibendis falli, aut vinci, ac proinde non assequi finem, quem efficaciter intendit, & non assequi eo modo, quo assequi intendit.

Ex quo patet, salutem prædestinatorum esse liberam ex parte mediorum, & causarum proximarum, & simul summè necessariam ex parte Dei media adhibentis, & causas secundas ordinantis ad finem assequendum, & eo modo assequendum, quo intendit absolutè, & efficaciter consequi. Hinc etiam suppositâ prædestinatione divina, perseverantia finalis, seu mors in statu gratiæ est necessaria ex parte Dei, illam absolutè, & efficaciter volentis, & bonam mortem gratuitò præparantis sub directione scientiæ infallibilis. At non est necessaria ex parte causarum secundarum, quæ sunt contingentes, & ex se fallibiles: & sic salus prædestinati est contingens, & defectibilis ex parte causarum secundarum, sed certa, & infallibilis ex parte Dei.

Inst. 2. Libertas opponitur necessitati antecedenti. Ergo salus prædestinati non potest simul esse libera, & necessaria.

Resp. Disting. anteced. Libertas opponitur necessitati antecedenti intrinsecæ, *conc. ant.* extrinsecæ, vi cujus applicantur media de se repudiabilia, licèt infallibilia, *nego ant. & conseq.* Necessitas antecedens intrinseca est ea, quæ recipitur in voluntate, eamque alligat, aut determinat ad unum, ideoque opponitur libertati. Necessitas antecedens extrinseca est ea, quæ non recipitur in voluntate, nec eam alligat, aut determinat ad unum, unde non opponitur libertati: nam non est necessitas, qua aliquid necessariò fit, sed solùm qua necesse est, ut aliquid fiat, & tali modo fiat. Necessitas autem antecedens, qua necessaria est salus prædestinatorum, est necessitas extrinseca, qua necesse est, non solùm ut salus fiat, sed etiam ut liberè fiat. Nam oritur ex decreto Dei absoluto, & efficaci, quo Deus vult absolutè, & efficaciter, ut prædestinati liberè salventur, & vi cujus adhibet media de se repudiabilia simul, & absolutè infallibilia: ac proinde absolutè necessarium est, ut prædestinati liberè salventur.

Inst. 3. Hæc necessitas extrinseca est quid novum, & inauditum.

Resp. Nego. Nam hanc docet S. Augustinus pluribus locis, ut, Enchirid. c. 102. ubi ait: *Omnipotentis voluntas semper invicta est.* Et, c. 103. dicit, quòd Deus *ideo sit rogandus, ut velit* (efficaciter scilicet) *quia necesse est fieri, si voluerit* (efficaciter.) Et, l. de correptione, & gratia, c. 14. *Non est dubitandum voluntati Dei, qui in Cœlo, & in terra omnia, quæcunque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominùs faciat ipse, quod vult. Quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit .... Magis habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas.* Ergo ex S. Augustino voluntas Dei efficax vinci, & frustrari non potest, nec voluntates humanæ possunt resistere voluntati Dei efficaci. Ergo si Deus absolutè, & efficaciter velit, ut aliquid liberè velimus, necesse est absolutè nos illud velle, & liberè velle; alioqui vinci posset voluntas Dei absoluta, & efficax, eique resisti posset. Eandem necessitatem docet etiam S. Thomas, 1. p. q. 19. a. 8. ad 1. ubi hæc verba S. Augustini citata (*necesse est fieri, si voluerit*) exponens ait: *per illud verbum Augustini intelligenda est necessitas in rebus volitis à Deo, non absoluta, sed conditionalis: necesse est enim hanc conditionalem veram esse, si hoc vult, necesse est hoc esse.*

Inst. 4. Medium de se repudiabile, fallibile, & contingens, quod dicimus Deum adhibere ad bona opera electorum, non potest esse absolutè infallibile. Ergo non est necessitas extrinseca, insuperabilis, ut electi faciant bona opera, si non adsit etiam medium necessitans intrinsecè eorum voluntatem.

Resp. Disting. anteced. Non potest esse absolutè infallibile infallibilitate intrinseca *conc. ant.* Infallibilitate extrinseca, petita à scientia divina, sub cujus directione

datur,

datur, *nego ant. & conſeq.* Medium quantumvis de ſe fallibile, & repudiabile, ut præſcitum à Deo habiturum effectum, abſoluta infallibilitate habiturum eſt effectum; cùm præſcientia Dei ſit ſummè infallibilis; & tam repugnet illud medium non habere effectum, ſi detur, quàm repugnat præſcientiam Dei falli. Quare gratia de ſe repudiabilis eſt medium proportionatum decreto efficaci, quando præſcitur habitura effectum, ſi detur.

Inſt. 5. Si prædeſtinatus non accipiat, niſi gratias de ſe repudiabiles, poteſt illas repudiare, quamvis præſcitas ut habituras effectum. Ergo non ſunt abſolutè infallibiles etiam extrinſecè.

Reſp. Diſting. anteced. Poteſt illas repudiare potentia reducibili tantùm, *conc. ant.* potentia reducenda, *nego ant.* Nam tam repugnat gratiam, quæ à Deo præſcitur habitura effectum, repudiari, quàm repugnat ſcientiam Dei falli.

Inſt. 6. Si prædeſtinatus poteſt repudiare gratiam efficacem, poteſt ſupponi illam repudiare, nam poſſibile poteſt ſupponi. Ergo.

Reſp. Nego anteced. Nam poſſibile non poteſt ſupponi fieri, ſi priùs ſupponatur non fieri; quia duo contradictoria ſimul ſupponi non poſſunt. Igitur non poteſt prædeſtinatus ſupponi repudiare gratiam, ſi ſupponatur Deus prævidiſſe gratiam illam habituram effectum, ideoque ſi gratia ſupponatur non repudiari: alioqui duo contradictoria ſupponerentur, nempe quòd gratia ſit habitura effectum, cùm ſupponatur Deus prævidiſſe eam habituram effectum, & ſimul quòd non ſit habitura effectum.

Inſt. 7. Si prædeſtinatus poteſt repudiare media ſalutis, poteſt ſaltem indirectè impedire ſuam prædeſtinationem. Falſum conſeq. Ergo.

Reſp. Diſting. ſequel. maj. Poteſt indirectè impedire ſuam prædeſtinationem ſecundùm quid, *conc. ſeq. maj.* Simpliciter, *nego ſeq. maj.* Prædeſtinatus poteſt indirectè impedire, ne ſit prædeſtinatus ſecundùm quid tantùm, id eſt, ne ſit prædeſtinatus per hæc pecie. & numero media; quia poteſt illa repudiare, & repudiando facere, ne fuerint à Deo prævisa ut connexa cum ejus ſalute, & ſic poteſt indirectè facere, ne potuerint ut talia ei præparari, ac proinde ne ipſe potuerit per illa ad gloriam prædeſtinari. Hæc tamen potentia ſic eſt ad actum reducibilis, ut ſimul ſuma certitudine nunquam ſit reducenda, propter ſummam infallibilitatem ſcientiæ divinæ, ſub cujus directione dantur illa media repudiabilia. At prædeſtinatus ne indirectè quidem poteſt impedire, ne fuerit à Deo prædeſtinatus ſimpliciter, hoc eſt, ne fuerit prædeſtinatus per alia media: quia nullatenus impedire poteſt, ne Deus in ſua poteſtate habeat media etiam ex ſe repudiabilia, quibus illum efficaciter ſalvare poſſit, ſi velit. Repugnat enim Deum carere mediis, quibus infallibiliter conſequatur fines, quos abſolutè, & efficaciter intendit, aut falli in delectu mediorum, aut à mediorum, quæ eligit, executione impediri.

Obj. 9. Gratuita prædeſtinatio ad gloriam non prædeſtinatos excludit poſitivè à gloria, ſaltem implicitè, & æquivalenter, ante prævisionem abſolutam demeritorum, & impœnitentiæ finalis. Ergo non debet admitti. *Nego anteced. Probabis.* Per gratuitam prædeſtinationem ad gloriam Deus intendit Regnum Cœleſte, velut totum quoddam determinatum conſtans tot determinatè, & in particulari partibus. Ergo Deus cæteros omnes poſitivè excludit, ſaltem æquivalenter à Regno Cœleſti: ſicut, v. g. Architectus intendens conſtruere domum ex tot determinatè, & in particulari lapidibus, cæteros omnes lapides poſitivè excludit à conſtructione domus. Item ſicut Vir primarius civitatis intendens convivium ex tot determinatè, & in particulari civibus conſtans, hoc ipſo cæteros omnes cives poſitivè excludit à convivio.

Reſp. nego conſeq. Quia Deus gratuitò volens efficaciter dare gloriam certis hominibus, & ex illis intendens efficaciter componere Regnum Cœleſte etiam ut totum quoddam ex tot determinatè, & in particulari partibus conſtans, ſimul, & pro eodem ſigno, ſeu in tanti rationis ſincerè, licèt conditio

natè vult totum illud ex pluribus partibus constare, & Regnum Cæleste componi etiam ex iis omnibus, quos non prædestinavit. Nam Deus non solùm vult absolutè, & efficaciter certos homines, & tot in particulari salvari, sed etiam sincere, & sufficienter, licèt conditionatè tantùm vult salutem cæterorum omnium, & vi illius voluntatis determinatus est ad danda illis media ad gloriam assequendam verè sufficientia. At in exemplis aliatis ita Architectus intendit construere domum ex tot lapidibus in particulari, ut non simul velit sincerè ulla voluntate illam etiam constrúi ex aliis lapidibus. Item homo intendens convivium ex tot in particulari civibus, non vult simul sincerè illud ex pluribus constare, nec ulla adhibet media, ut plures ad illud veniant.

Inst. 1. Hæ duæ voluntates dandi gloriam, quarum una est absoluta, & efficax erga certos homines, & alia inefficax, ac conditionata erga alios, non possunt esse simul. Ergo.

Resp. nego anteced. Nam illæ voluntates nullum habent inter se ordinem prioris, & posterioris, ac proinde simul, & pro eodem instanti rationis sunt in Deo. Quare Deus pro eodem instanti rationis, quo certò scit numerum salvandorum, certò scit cæteros etiam salvari posse, & salvatum iri, si vellent, nec nisi sua culpa damnandos.

Inst. 2. Facto decreto prædestinationis gratuitæ ad gloriam, non est ampliùs liberum Deo non electos admittere ad gloriam. Ergo non sunt simul in Deo duæ illæ voluntates, &c.

Resp. nego anteced. Nam pro eodem instanti, seu signo rationis, quo Deus certos homines gratuitò eligit ad gloriam, vult sincerè alios salvare, si velint rectè uti mediis verè sufficientibus, quæ illis præparat: quibus si rectè uterentur, Deus illos admitteret ad gloriam. Non tamen illos admittet, quia nolunt illis mediis rectè uti.

Inst. 3. Deus per voluntatem illam gratuitam, & efficacem salvandi certos homines determinatur ad seligenda media incongrua, ac inefficacia cæteris non electis, Ergo.

Resp. nego anteced. Quia gratuita prædestinatio ad gloriam non agit, nisi circa prædestinatos, quos solos spectat, & præcisivè se habet ad alios, id est, alios nec includit, nec excludit: quare Deus per gratuitam illam prædestinationem determinatur tantùm ad præparanda prædestinatis media efficacia cum perseverantia finali conjuncta. Sed simul, & pro eodem instanti rationis per sinceram voluntatem salvandi etiam cæteros homines determinatur ad præparanda illis media verè sufficientia, quibuscum salvari possunt, & re ipsa salvarentur, si vellent. Quare non prædestinati possunt verè salvari, quamvis hanc potentiam non sint reducturi ad actum, quia nolent.

Inst. 4. Prædestinatio est absolutè necessaria ad salutem: nam illud est absolutè necessarium ad salutem, sine quo nemo unquam salvatur. Ergo non prædestinati non possunt salvari.

Resp. nego anteced. ad probationem disting. Illud est absolutè necessarium ad salurem, sine quo nemo unquam salvatur ob defectum alicujus auxilii ad salutem necessarii, *conc.* ob defectum propriæ cooperationis, *nego*: Nullus autem adultus reprobus salvatur, solùm ob defectum propriæ cooperationis.

Inst. 5. Deus per voluntatem illam inefficacem, & conditionatam salvandi non prædestinatos determinatur ad danda illis media incongrua, & inefficacia ut talia. Ergo illa voluntas non est sincera. Ergo, &c.

Resp. nego anteced. Nam Deus per voluntatem illam conditionatam salvandi non electos determinatur solùm ad præparanda illis media verè sufficientia, quibuscum salvari poterunt, & salvabuntur, si velint, quamvis salvandi non sint, quia nolent, Deo justissimas ob causas id permittente. Quare quamvis Deus non præparaverit reprobis, nisi media merè sufficientia, & inefficacia ex illorum culpa, tamen dici non potest selegisse illis media incongrua, & inefficacia, aut ea de industria præparasse; quia hoc significaret Deum ilis præparasse illa media ut incongrua, & merè sufficientia, ideoque ex intentione, ne salvarentur.

Inst.

Inst. 6. Deus præparando non electis media merè sufficientia, voluit positivè permittere illorum abusum. Ergo voluit à salute excludere non electos.

Resp. nego consequ. Nam horum mediorum abusum permittere voluit, non ex aliqua antecedenti voluntate excludendi à salute non electos, sed ob alias justissimas causas, licèt nobis occultas. Itaque Deus præparavit non electis media sufficientia ad salutem, quia sincerè voluit illos salvare: quæ media non sunt merè sufficientia, & inefficacia, nisi ex illorum culpa: non tamen præparavit media efficacia, quia licèt sincerè, non tamen efficaciter voluit eos salvare.

Inst. 7. Deus in nostro systemate omnibus reprobis, seu non electis præparavit terminum vitæ pro eo tempore, quo decessuri sunt in statu peccati, licèt eorum multi fuerint aliquando justificati. Ergo non voluit sincerè illos salvare.

Resp. Deus non elegit illis hunc terminum vitæ ex intentione, ut moriantur in statu peccati, & ut damnentur. Sed solùm non præparat reprobis aliquando justificandis perseverantiam finalem, nec illam iis in tempore donat: simul tamen illis præparat ab æterno, & dat in tempore media sufficientia, quibuscum in statu gratiæ perseverarent, si vellent: nam Deus neminem deserit, nisi priùs ab eo deseratur, ut docet Conc. Trident. Quòd si Deus prævidens illos esse peccaturos, si diutiùs viverent, non illos rapit ante peccatum, non ideo eis conservat vitam, ut peccent, & gratiam amittant, sed propter alias causas justissimas, sincerè desiderans, & illis præbens media sufficientia, ut servent mandata, ideoque vitent mortale peccatum. Postquam autem mortaliter peccarunt, non tenetur illos conservare in vita, donec pœnitentiam egerint, nec dare illis gratiam efficacem, qua convertantur ante terminum vitæ illis constitutum; sed justè illos in peccati statu eripit in pœnam peccatorum.

Porro Deus nemini debet gratiam efficacem, nec perseverantiam finalem, cùm utraque sit donum Dei, nemini promissum, ideoque beneficium gratuitum, nemini debitum, etiam ex *fidelitate Dei in promissis.*

Nota. Deus reprobum justum amat amore amicitiæ pro eo toto tempore, quo justus est, vultque illi gloriam æternam, ut mercedem illi debitam secundùm præsentem justitiam, in qua si usque ad mortem permaneret, ut potest, re vera gloriam æternam ut mercedem sibi debitam assequeretur.

§. VI.

Exponitur ordo actuum divinorum ad prædestinatorum salutem pertinentium.

I. Deus per scientiam simplicis intelligentiæ novit, quidquid omnes homines possibiles possint facere, & non facere; & per scientiam mediam, quid re ipsa facturi, vel non facturi essent sub quacunque conditione possibili, & in quavis circumstantia possibili.

II. Voluit creare homines, Adamum primum parentem, & omnes ejus posteros, eosque ordinare ad beatitudinem supernaturalem, quæ consistit in perfecta Dei fruitione, seu in Dei visione intuitiva, & amore fruitivo.

III. Ex voluntate antecedenti sincera, sed conditionata dandi illam beatitudinem Adamo innocenti, ejusque posteris, voluit creare Adamum in statu innocentiæ, eumque instruere tùm habitibus supernaturalibus Fidei, Spei, & Charitatis: aliarumque virtutum infusarum: tùm etiam integritatis dono, quo corpus animæ, & appetitus sensitivus rationali perfectè subjiceretur; atque Adamum tot, tantisque ornandum donis constituere caput morale generis humani, & omnium, qui ab eo per viam naturalem descensuri erant, voluntates in ejus voluntate moraliter includere, quantùm ad observationem, vel violationem præcepti de non comedendo certo fructu; ita ut eo violante hoc præceptum censerentur omnes violare, ideoque peccato infecti nascerentur, secluso speciali privilegio: eo autem observante omnes posteri censerentur observare, & ideo in justitia nasciturі essent.

IV. Deus absolutè prævidit Adami, & in Adamo generis humani lapsum.

V. Deus ex voluntate absoluta, & efficaci Adamum, & totum genus humanum redimendi decrevit Incarnationem Verbi, & Christi merita, ac præsertim passionem, & mortem prædefinivit.

VI. Christi merita per passionem, & mortem consummata absolutè prævidit.

VII. Propter merita Christi prævisa ut absolutè futura voluit absolutè, & efficaciter, ut certi homines determinatè, & in particulari re ipsa salvarentur, & simul sincerè, sed conditionatè tantùm voluit, ut cæteri omnes etiam salvarentur, si rectè uterentur mediis sufficientibus à se eis præparandis, & pro eo, ac tempore donandis.

VIII. Ex absoluta, & efficaci voluntate dandi gloriam certis illis hominibus electis, iis præparavit, seu dare decrevit media efficacia cum salutè certò, & infallibiliter connexa, nempe justificationem, gratias congruas, & perseverantiam finalem, & bona illorum opera simul prædefinivit.

IX. Absolutè prævidit adultorum prædestinatorum merita per finalem perseverantiam consummata: prædestinatorum verò infantium ante usum rationis morientium finem in statu gratiæ acceptæ per baptismum, vel martyrium, vel per aliud remedium peccati originalis, si moriantur ante Christi ascensionem.

X. Decrevit dare electis parvulis gloriam ut hæreditatem, adultis verò ut hæreditatem simul, & mercedem propter bona opera absolutè prævisa. Unde hæc voluntas dandi gloriam electis adultis est remuneratoria, & supponit aliam gratuitam ut rationem priorem.

Quæres: utrùm Angeli beati fuerint etiam gratuitò prædestinati ad gloriam?

Resp. Affirm. Nam non perseverarunt in gratia sanctificante accepta in creatione, nisi quia gratia congrua instructi observarunt mandatum Dei. Illa autem gratia cum gloria connexa non fuit eis ab æterno præparata, & in tempore donata, nisi quia Deus eos gratuitò elegerat ad gloriam; nam præparatio, & donatio medii efficacis ad finem supponit voluntatem efficacem finis.

Prædestinatio tamen Angelorum differt à prædestinatione hominum in eo, quòd homines non solùm ex gratuita Dei benevolentia, benignitate, ac liberalitate, sicut Angeli, sed etiam ex pura misericordia prædestinati fuerint propter merita Christi; quia homines erant infecti peccato originali, & sic positivè indigni omni beneficio divino: Beata autem Virgo contraxerat debitum proximum illius infectionis, & in Adamo peccaverat, sicut alii; sed peccatum originale non contraxit, quia primo instanti animationis fuit prævenia, & donata gratia sanctificante.

ARTICULUS IV.

Quantus sit hominum prædestinatorum numerus?

Sic respondet S. Thomas, 1. p. q. 23. a. 7. *De numero omnium prædestinatorum hominum, quis sit, dicunt quidam, quòd tot ex hominibus salvabuntur, quot Angeli ceciderunt. Quidam verò, quòd tot salvabuntur, quot Angeli remanserunt. Quidam verò, quòd tot ex hominibus salvabuntur, quot Angeli ceciderunt. & insuper tot, quot fuerunt Angeli creati. Sed melius dicitur, quòd soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus.* Et ita habet Ecclesia in oratione, quæ dicitur secretò in Missa de Feriis Quadragesimæ.

Quamvis autem soli Deo cognitus sit numerus electorum tùm Angelorum, tùm hominum determinatè sumptus, & nobis incertum sit, an numerus hominum prædestinatorum superet numerum Angelorum lapsorum, tamen constare videtur numerum hominum prædestinatorum saltem non minorem esse numero Angelorum damnatorum. Nam Patres docent Angelorum ruinas, per homines Christi gratia sanctificatos, reparandas esse. Pro omnibus sit S. Augustinus, qui l. 22. de Civitate Dei, cap. 1. ait: *De mortali progenie meritò, justèque damnata tantum populum per gratiam suam colligit* (Deus) *ut inde suppleat, & instauret partem*

tem, quæ lapsa est Angelorum: ac sic ista dilecta, ac superna Civitas non frustretur suorum numero civium, quin etiam fortassis & uberiore lætetur. Quod etiam significat Apostolus, Ephes. c. 1. his verbis: *Secundùm beneplacitum ejus*(Dei)*quod proposuit in eo*(Christo)*in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in Cœlis, & quæ in Terra sunt.*

Certum est autem numerum hominum reproborum longè majorem esse comparatè ad omnium hominum universitatem, juxta illud, Matth. 20. *Multi vocati, pauci verò electi.* Imò etiam inter ipsos fideles numerum reproborum majorem esse, comuniùs docent Theologi cum S. Chrysostomo, Homil. 40. ad popul. S. Augustino, l. 2. operis imperfecti, n. 142. S. Gregorio, Homil. 19. in Evang. &c. Nihilominùs numerus electorum secundùm se, & absolutè est maximus: nam Joannes, Apoc. 7. testatur se vidisse in Cœlo *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & populis.*

Item certum est neminem sine speciali revelatione divina scire posse se, vel alium quemlibet seorsim sumptum esse prædestinatum, ut docet Conc. Trid. Nam quæ pendent à libera Dei voluntate, nobis innotescere non possunt, nisi per revelationem ipsius. Cùm autem revelationes divinæ generales, quæ in Scriptura, & Traditione continentur, hoc non manifestent, opus est alia speciali revelatione.

ARTICULUS V.

De proprietatibus, & effectibus prædestinationis.

DUæ sunt ejus proprietates, nimirum certitudo, & immutabilitas.

Dico 1. Prædestinatio est summè certa. Fide constat.

Prob. 1. Ex Scriptura, Joann. c. 10. Christus loquens de ovibus suis, scilicet electis, ait: *Non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.*

2. Ex S. Aug. lib. de corrept. & gratia, c. 7. ubi de prædestinatis hæc ait: *Horum si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed nemo eorum perit, quia nullare vincitur Deus.* Ergo ex Sancto Doctore tanta certitudine certum est, nullum prædestinatum esse periturum, quanta certum est, Deum nunquam esse fallendum, aut humano vitio vincendum. At hoc est certum certitudine summa, ergo & illud.

3. Ratione, quia absoluta, & efficax voluntas Dei omniscientis, & omnipotentis summa certitudine assequitur finem intentum. Quare salus prædestinati est certa, & infallibilis ex parte Dei.

Obj. 1. Si prædestinatio est summè certa, imponit necessitatem salutis prædestinati.

Resp. Imponit tantùm necessitatem extrinsecam salutis liberè consequendæ. Nam Deus vult absolutè, & efficaciter, ut prædestinatus salvetur, sed liberè, seu per bona opera meritoria, ideoque liberè facta: ac proinde adhibet media de se repudiabilia, sed tamen infallibiliter habitura effectum.

Obj. 2. Prædestinatus potest absolutè mori in statu peccati.

Resp. Id fieri non potest ex parte Dei; licèt ex parte prædestinati possit; quia prædestinatus potest peccare mortaliter, & nolle converti, vel ab alio occidi in statu peccati, sed potentia reducibili tantùm, & certissimè non reducenda ad actum.

Dico 2. Prædestinatio est absolutè immutabilis. Nam Dei voluntas absoluta, & efficax mutari non potest. Ex hypothesi enim quòd Deus semel vult aliquid, non potest non velle ab æterno, & pro æterno id, quod vult, nec potest desinere velle, aut nolle, quod semel voluit. Unde quod Deus semel voluit, semper vult; alioqui non esset immutabilis. Hinc illud, 2. Tim. c. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus, qui sunt ejus.*

Obj. Prædestinatio est idem, ac liber vi-

tæ. At liber vitæ non est immutabilis: nam qui in eo scripti sunt, possunt ex eo deleri, & vicissim. Ergo.

Resp. Disting. maj. Idem est, ac liber vitæ strictè sumptus, *esto maj.* Latè sumptus, *nego maj.* Liber vitæ strictè sumptus est notitia, qua Deus scit, & firmiter retinet, qui nam sint prædestinati ad gloriam: unde omnes, & solos prædestinatos continet: sed tamen ratione distinguitur à prædestinatione. Liber vitæ latè sumptus est *notitia Dei*, qua novit omnes, qui jus ad vitam æternam aliquando habituri sunt per justificationem, sive omnes, qui aliquando justificandi sunt, quamvis non omnes in statu gratiæ perseveraturi sint.

Ex dictis collige 1. Neminem salvari, qui non sit Prædestinatus. Nam nemo salvatur, nisi qui accipit à Deo media salutis efficacia, & cum salute connexa per finalem perseverantiam, ac proinde nisi cui Deus in tempore donat, & ab æterno præparavit hæc media: & consequenter nisi qui prædestinatus est ad gratiam, & gloriam. 2. Numerum prædestinatorum esse certum, ac definitum. Hinc illud, Sancti Augustini, l. de corrept. & grat. c. 18. *De his loquor, qui prædestinati sunt in Regnum Dei, quorum ita certus est numerus, ut nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis.*

Dico 3. Effectus prædestinationis sunt illa omnia, & sola, quæ à Deo volita, seu decreta sunt ex speciali affectu erga salutem prædestinati, & ad eam re ipsa conducunt sive per modum meriti, ejusve principii, sive per modum occasionis, aut amotionis impedimenti, sive quovis alio modo ex ordinatione, & intentione divina. Hinc gratia actualis, & habitualis, bona opera, perseverantia finalis, & gloria sunt effectus adæquatus prædestinationis per se primariò intentus: nam ista donantur à Deo vi prædestinationis, & cætera omnia ad hos effectus ordinantur. Effectus verò secundarii sunt gratiæ externæ, miracula, prædicatio, libri pii, exempla virtutum, nativitas ex Catholicis, ac probis parentibus, recta educatio, instructio, morbi, calamitates, flagella à Deo immissa ad salutem electorum, vita longior, vel mors præmatura, quando est occasio salutis; imò & permissio peccati; quando permittitur ad bonum prædestinati, ut inde humilior, & cautior fiat, ut Deum tam in se misericordem perfectiùs amet, ut deinceps de se non præsumat, sæpiùs, ac ferventiùs oret, bona opera, & plura perfectiùs præstet, &c. Item bona ordinis naturalis, per accidens, & ex ordinatione divina sunt in electis, qui iis rectè utuntur ad Dei gloriam, & propriam salutem, effectus secundarii prædestinationis: nam eorum bonus usus ex gratia factus conducit ad merita, & actus virtutum. Hinc illud Apostoli, Rom. c. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti.*

ARTICULUS VI.

Utrùm Deus prædefiniverit omnes actus salutares prædestinatorum?

Nota. Prædestinatio est absoluta, & efficax voluntas, qua Deus antecedenter ad usum libertatis creaturæ absolutè prævisum decrevit, ut à creatura actus aliqui boni liberè fierent in tempore.

Dico. Deus prædefinivit omnes actus salutares prædestinatorum.

Prob. Deum prædefinivisse omnes actus salutares prædestinatorum nihil aliud est, quàm Deum ab æterno voluisse absolutè, & efficaciter, ut illi actus boni ab illis liberè fierent in tempore tanquam media, quibus prædestinati perducerentur ad gloriam. At qui res ita se habet. Ergo Deus prædefinivit omnes actus salutares prædestinatorum. *Prob. min.* 1. Ex Scriptura, Ephes. c. 2. *Ipsius sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Deum autem præparasse bona opera, nihil aliud est, quàm absolutè, & efficaciter ab æterno voluisse, ut illa opera determinatè, & in particulari liberè fierent in tempore. 2. Ex S. Aug. l. de bono persev. c. 17. ubi de operibus salutaribus electorum sic loquitur: *An fortè nec ipsa dicunt prædestinata? Ergo nec dantur à Deo.*

Deo .... quòd si dantur .... profectò prædestinavit. Deum autem prædestinare ex S. Augustino idem est, ac velle absolutè, & efficaciter aliquid ante absolutam ejus prævisionem. 3. Ex S. Fulgentio, l. 1. ad Monimum, c. 9. *Bona opera nostra Paulus à Domino asserit præparata, hoc est, in prædestinatione dispositа.* 4. Ex Sancto Thoma, in verborum Apostoli commentario. *Nihil aliud est prædestinatio, quàm præparatio beneficiorum Dei, inter quæ beneficia computantur & ipsa bona opera nostra: dicitur autem Deus nobis aliqua præparare; in quantùm disposuit se nobis daturum.*

Ratio, quam affert Sanctus Augustinus, id evincit. Nam opera salutaria, & merita nostra omnia sunt dona Dei, ut declarat Conc. Trident. Ergo donantur in particulari à Deo. Ergo Deus ab æterno voluit ea absolutè, & efficaciter donare in tempore: nam Deus nihil facit in tempore, quod non voluerit in æternitate facere. Ergo Deus ab æterno voluit absolutè, & efficaciter, ut bona opera in particulari fierent ab electis per gratias scilicet congruas, quas statuit simul ad hunc finem donare.

Obj. 1. Si Deus prædefinivit omnes actus salutares prædestinatorum, prædefinivit etiam eorum pœnitentiam. Falsum conseq. Alioquin prædefinivit etiam eorum peccata. Ergo.

Resp. Nego minorem, & ejus probationem. Nam quamvis pœnitentia supponat peccatum admissum, non idcirco ad prædefiniendum actum pœnitentiæ necesse est, ut prædefiniatur peccatum; sed sufficit, quòd Deus velit illud permittere. Pœnitentiam enim prædefinire est velle absolutè, & efficaciter, ut fiat pœnitentia de peccatis commissis.

Obj. 2. Deus in Scriptura queritur de paucitate, & remissione bonorum operum, & hæc querela cadit etiam in prædestinatos. At si Deus omnes, & singulos actus salutares prædestinatorum prædefinivit, non posset sic conqueri, nisi irrisoriè. Nam si Deus prædefinivit omnia opera bona prædestinatorum, prædestinati faciunt omnia opera, quæ Deus vult ab illis fieri, & cum ea perfectione, qua vult ab illis fieri. Ergo.

Resp. Nego min. ad probationem *Resp.* Prædestinati faciunt quidem omnia opera, quæ Deus vult absolutè, & efficaciter ab illis fieri: at non faciunt omnia opera, quæ Deus vult sincerè, sed conditionatè tantùm, & inefficaciter ab illis fieri, & cum hac perfectione, qua Deus sincerè, sed inefficaciter, & conditionatè tantùm vult ab illis fieri. Itaque prædestinati, saltem regulariter, & ordinariè loquendo, non faciunt plura bona opera, quæ possent facere, & quæ Deus sincerè, sed ineffeaciter vult ab illis fieri; aut ea, quæ faciunt, & quæ à Deo prædefinita fuerunt, non semper tam perfectè faciunt, quàm Deus sincerè, sed inefficaciter, & conditionatè tantùm, vult ab illis fieri. Nam rarò homines volunt, & agunt secundùm totam virtutem gratiæ, cui consentiunt: & sic rarò eorum bona opera tantam habent perfectionem, quantam habere possunt. Quare prædestinati promerituri sunt quidem tot gloriæ gradus, ad quos Deus eos gratuito prædestinavit. At non promerituri sunt, nec assequentur tot gloriæ gradus, quot Deus vult sincerè, sed inefficaciter, & conditionatè tantùm ab iis acquiri. Deus quippe ex voluntate partim efficaci, & absoluta, partim inefficaci, & conditionata, sed sincera, vult, ut prædestinati tot gloriæ gradus mereantur: ideoque dat illis gratias efficaces ad merendum tot gloriæ gradus, quot vult absolutè, & efficaciter, ut mereantur; & dat etiam alias gratias verè sufficientes, quibus possent, si vellent, plures gradus mereri, sed hos plures non sunt merituri, quia nolent facere plura bona opera, quæ possent facere, vel cum ea perfectione, qua possent facere. Unde Deus meritò de illis conqueritur.

Obj. 3. Prædefinitio divina tollit libertatem actus prædefiniti, ergo non datur.

Resp. Nego anteced. Quia prædefinitio, quæ per scientiam mediam dirigitur, neque per se, neque per aliud necessitat voluntatem; sed solùm vi illius dantur gratiæ de se repudiabiles, quæ tamen certò habituræ sunt

effectum. Nam prædefinitio est voluntas absoluta, & efficax non solùm ut talis actus fiat, sed etiam ut liberè fiat, ideoque ut fiat per medium ex se repudiabile, certò tamen habiturum effectum, prout scilicet datur sub directione scientiæ absolutè infallibilis.

Inst. 1. Voluntas non potest non elicere actum prædefinitum. Ergo prædefinitio tollit libertatem actus.

Resp. Disting. antec. Et hæc impotentia est consequens, *conc. antec.* Est antecedens, & intrinseca, *nego antec.* Nam prædefinitio actus supponit liberam determinationem creaturæ ut futuribilem sub conditione talis gratiæ. Quod exercitium libertatis solùm penes statum differt ab exercitio libertatis absolutè futuro. Est tamen necessitas extrinseca antecedens, ut actus prædefinitus fiat, sed liberè: quæ necessitas oritur à Dei voluntate absoluta, & efficaci adhibente medium repudiabile quidem, sed infallibile ob scientiam, sub cujus directione datur.

Inst. 2. Repugnat actum prædefinitum non fieri: ergo non potest non elici impotentia antecedente intrinseca.

Resp. Disting. anteced. Et illa repugnantia supponit liberam determinationem creaturæ futuribilem præviſam, *conc. antec.* Secus, *nego ant. & conseq.* Actus prædefinitus est ille, quem Deus absolutè, & efficaciter vult liberè fieri à creatura, ideoque vult illum ab ea fieri per gratiam ex se repudiabilem, sed quam prævidet habituram effectum, si detur. Ergo posita prædefinitione voluntas certò accipiet gratiam, cui Deus prævidit illam esse consensuram. Ergo verum est voluntatem tali gratiæ consensuram esse; cùm præscientia Dei sit summè certa, & infallibilis. At si consensura est, non potest non esse consensura: nam non potest simul esse consensura, & non consensura: ac proinde repugnat voluntatem tali gratiæ non consentire. Sed hæc repugnantia est consequens, & supponit usum libertatis creatæ prævisum.

Itaque supponendo prædefinitionem, supponitur verum esse, quòd homo bonum liberè faceret, si talem gratiam acciperet, & quòd talem gratiam accepturus sit: ac proinde supponitur simpliciter verum esse, quòd homo bonum liberè facturus sit. Supposito autem, quòd bonum facturus sit, non potest non esse bonum facturus; sicut supposito, quòd homo velit, & faciat bonum, non potest non velle, & non facere bonum.

Inst. 3. Prædefinitio est necessariò connexa cum actu prædefinito. Ergo.

Resp. Dist. antec. Cùm actu prædefinito liberè faciendo, *conc. ant.* Secus, *nego ant.* Quare illa connexio supponit exercitium libertatis creatæ ut futuribile sub conditione. Et verò Deus non prædefinit actum, nisi ratione priùs noverit per scientiam mediam se habere in sua potestate media in particulari, quibuscum voluntas creata re ipsa bonum actura sit, quamvis ex se repudiabilia sint.

Nota. Præparatio gratiæ efficacis est etiam præparatio operum salutarium. Nam hoc ipso, quòd Deus electo præparat has numero gratias congruas, quibuscum electus hæc numero opera facturus est, præparantur etiam hæc numero opera salutaria. Et verò hæc prædestinationis definitio à S. Augustino, l. de bono persever. c. 14. tradita (*Præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur,*) includit bona opera; nam sunt Dei beneficia; cùm sint dona Dei, & per illa electi salventur. Quare cùm Sanctus Augustinus dicit prædestinationem esse præparationem gratiæ, & gratiam esse effectum prædestinationis; per gratiam intelligit etiam ipsam donationem operum salutarium. Idque patet etiam ex l. de prædestinat. Sanctorum, c. 10. ubi ait: *Prædestinatio est gratiæ præparatio. Gratia verò jam ipsa donatio. Quod itaque ait Apostolus, non ex operibus, ne fortè quis extollatur: ipsius enim sumus figmentum, creati in Christo Jesu in operibus bonis: gratia est. Quod autem sequitur: quæ præparavit, ut in illis ambulemus, prædestinatio est.* Ergo ex Sancto Augustino præparatio operum bonorum, quam vocamus prædefinitionem, est etiam prædestinatio.

AR-

ARTICULUS VII.

De reprobatione.

Nota 1. Reprobi sunt ii omnes, & soli, qui in statu peccati mortalis moriuntur, & sic in æternum damnantur: sive illud peccatum sit solùm originale, ut in parvulis; sive solùm personale, ut in adultis baptizatis, sive utrumque tùm originale, tùm personale, ut in adultis non baptizatis. Dicuntur autem reprobi, seu reprobati, quia rejiciuntur à Deo tùm negativè, quatenùs non eliguntur ad gloriam, tùm positivè, quatenùs æterno supplicio addicuntur propter peccatum originale, vel personale, vel utrumque.

Nota. 2. Duplex est reprobatio, nempe positiva, & negativa. Reprobatio positiva est absoluta, & efficax voluntas damnandi suppliciis æternis eos omnes, qui moriuntur in statu peccati mortalis. Reprobatio negativa est negatio gratuitæ prædestinationis, seu electionis ad gloriam.

§. I.

De reprobatione positiva.

An detur, & an habeat causam ex parte reproborum?

Nota. Calvinus docet Deum ab æterno antecedenter ad prævisionem cujusque peccati tùm originalis, tùm personalis absolutè futuri, & independenter ab illis destinasse absolutè, & efficaciter alios ad vitam æternam, alios verò ad supplicium æternum. Huic blasphemo errori alium addit, nempe quòd illud Dei decretum absolutum, & efficax libertatem arbitrii tollat, imponatque necessitatem antecedentem insuperabilem illis bene agendi, istis verò malè agendi. Unde patet eum fuisse Prædestinatianum.

Dico 1. Datur reprobatio positiva.

Prob. Reprobatio positiva est absoluta, & efficax voluntas damnandi suppliciis æternis omnes, qui moriuntur in statu peccati mortalis. Atqui datur in Deo hæc voluntas, ergo & reprobatio positiva. *Prob. min.* Nam Deus re ipsa eos omnes, qui in statu peccati mortalis moriuntur, damnat suppliciis æternis. Ergo Deus ab æterno habuit voluntatem absolutã, & efficacem eos dãnándi suppliciis æternis: Deus enim ea tantùm facit in tempore, quæ absolutè, & efficaciter facere voluit ab æterno: nam Deus nihil facit in tempore, quòd non velit facere; & nihil vult facere in tempore, quod ab æterno non voluerit facere, cùm omnis voluntas Dei sit æterna.

Dico 2. Reprobatio positiva habet causam ex parte reproborum, nempe peccatum mortale absolutè prævisum. Est de fide.

Prob. 1. Ex Script. Matth. c. 15. *Ite maledicti in ignem æternum.... Esurivi enim & non dediſtis mihi manducare.* Ergo Deus reprobos damnat propter eorum peccata, proindeque ab æterno voluit eos damnare propter eorum peccata absolutè prævisa. Deus autem nullum damnat, nisi qui moritur in statu peccati. Nam omnes, qui moriuntur in statu gratiæ, sunt filii Dei, & hæredes ejus Regni, ut constat ex Scriptura.

2. Ex Patribus, pro omnibus sit S. Augustinus, l. 3. contra Julianum, c. 18. ubi ait: *Bonus est Deus, justus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare; quia bonus est: non potest quemquam sine malis meritis damnare, quia justus est.*

3. Ratione. Quia voluntas damnandi antecedens prævisionem cujuslibet peccati absolutè futuri, qualem admittit Calvinus, non solùm repugnat divinæ bonitati, & voluntati sinceræ salvandi omnes homines, quam Scriptura, & Traditio docent, sed etiam justitiæ. Nam sicut est injusta damnatio, & inflictio pœnæ sine justa causa, qualis est sola culpa: ita & injusta est voluntas damnandi, & infligendi pœnas æternas sine justa causa, nempe culpa gravi. *Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur*, inquit S. Augustinus, l. 3. de libero arbitrio, c. 18.

Porrò qui justificati sunt per Baptismum, damnari non possunt, nisi propter peccatum mortale personale. Quia per Baptismum tollitur omnis reatus culpæ, & pœnæ æternæ. Unde de Baptizatis Apostolus Rom.

8. 8. ait: *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu.* Id est, Justificatis per Baptismum nulla est jam damnationis causa, ut explicat Conc. Trident.

Obj. 1. Illud, Prov. c. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum.*

Resp. Sensus est, Deum omnia propter suam gloriam ultimatè fecisse, ita ut eam etiam ex peccatoribus illum inhonorantibus percepturus sit, manifestando in eorum punitione suam Potentiam, Justitiam, &c. Unde voluntate tantùm consequente impium destinavit ad vindictæ diem, quo in ejus punitione glorificandus est.

Obj. 2. Patres aliqui dicunt reprobos prædestinatos esse ad supplicium æternum.

Resp. His verbis intelligunt reprobos ab æterno destinari ad supplicium æternum propter demerita sua absolutè prævisa.

§. II.

De reprobatione negativa.

An detur, quandonam facta sit, & an habeat causam ex parte reproborum?

Dico 1. Datur reprobatio negativa. Nam hæc reprobatio est negatio gratuitæ prædestinationis ad gloriam. Atqui datur in Deo negatio gratuitæ prædestinationis ad gloriam respectu omnium, qui damnantur; omnes enim gratuitò prædestinati ad gloriam certò salvantur; cùm prædestinatio sit voluntas divina absoluta, & efficax, ideoque infustrabilis eos salvandi. Ergo datur reprobatio negativa, *Prob. maj.* Negatio gratuitæ prædestinationis ad gloriam est quædam reprobatio, seu rejectio: iis enim, qui non sunt prædestinati ad gloriam, non sunt præparata media cum salute connexa: præsertim perseverantia finalis, sine qua nullus salvatur. Hæc autem non prædestinatio est quid negativum: nam non est voluntas neque formalis, neque interpretativa excludendi à gloria non prædestinatos, & à fortiori non est voluntas damnandi; sed est formaliter negatio voluntatis absolutæ, & efficacis dandi gloriam, cum qua connexa est negatio præparationis mediorum salutis efficacium, & præsertim perseverantiæ finalis.

Obj. Reprobatio negativa connexa est cum damnatione reproborum: ergo est voluntas positiva, saltem interpretativa, eos damnandi.

Resp. Non est connexa, nisi per accidens, nempe per malitiam liberam ipsorum reproborum. Nam per se connexa non est cum illorum damnatione: per illam enim reprobationem negativam reprobi non accipiunt aliquid connexum cum damnatione, nec privantur aliquo necessario ad vitandam damnationem. Nam Deus non obstante hac negativa rejectione habet sinceram voluntatem eos salvandi, & vi illius voluntatis suppeditat illis media ad salutem sufficientia, quibuscum possunt bonum agere, & salvari, & quibus si rectè uterentur bonum agendo, non damnarentur, quamvis non sint antecedenter prædestinati ad gloriam.

Dico 2. Reprobatio negativa facta est post prævisionem peccati originalis absolutè futuri.

Prob. Nam reprobatio negativa facta est pro eo signo, seu instanti rationis, pro quo facta est prædestinatio electorum: nam Deus non aliter reprobos non prædestinat, quàm certis personis, non aliis, absolutè, & efficaciter volendo gloriam, & vi hujus voluntatis præparando media ad gloriam perducentia. Atqui gratuita electorum ad gloriam prædestinatio facta est post prævisionem peccati originalis absolutè futuri, ergo & reprobatio negativa. *Prob. min.* Nam nulli homines sunt prædestinati, nisi propter merita Christi prævisa ut absolutè futura, juxta illud, Ephes. cap. 1. *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in Cœlestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate: qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum in ipsum, secundùm propositum voluntatis suæ.* Christus autem non fuit decretus, nisi post prævisionem peccati originalis

nalis absolutè futuri: nam si Adamus non peccasset, Verbum vi præsentis decreti Incarnatum non fuisset.

Dico 3. Reprobatio negativa certorum hominum potiùs, quàm aliorum, non habet aliam causam præter Dei beneplacitum.

Prob. 1. Ex Apostolo causam reprobationis negativæ hominum, qui damnantur, refundente in solùm beneplacitum Dei, Rom. c. 9. *Quid ergo dicemus? Nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: miserebor, cujus misereor, & misericordiam præstabo, cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.... Ergo cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat, &c.* Negativè scilicet, hoc est, non miseretur specialiter, & efficaciter quoad salutem. Hinc S. Augustinus ad inscrutabilia Dei judicia hac in re confugit, l. de bono persever. c. 12. his verbis: *Quare illos potiùs* (liberet) *quàm illos? Iterum, atque iterum dicimus, nec nos piget: oh homo! Tu quis es, qui respondeas Deo? Inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.*

Prob. 2. Ratione, ex parte reproborum negativè, non datur causa, cur potiùs ipsi non prædestinentur ad gloriam, quàm alii, qui ad eam prædestinantur. Ergo ex parte reproborum non datur causa reprobationis negativæ sumptæ comparativè. *Prob. antec.* Si ex parte reproborum daretur causa aliqua, certè esset peccatum originale. Atqui peccatum originale non potest esse causa ejusmodi: nam est commune omnibus, ac proinde non potest esse causa, cur unus rejiciatur, quàm alius. Ergo ex parte reproborum non datur causa, cur ipsi non prædestinentur, &c. *Major constat*; nam peccatum personale non potest esse causa reprobationis negativæ: quia prædestinatio, ideoque & non prædestinatio, facta est ante prævisionem meritorum, & demeritorum absolutè futurorum: nam (ut probatum est) prædestinatio ad gratiam, & ad gloriam planè gratuita est, ideoque ante prævisa merita absolutè futura.

§. III.

Exponitur ordo inter actus divinos in reprobatione omnium damnatorum.

1. Deus ex sincera voluntate salvandi omnes homines creavit Adamum in statu innocentiæ, eumque totius generis humani caput morale constituit in ordine ad observationem, vel violationem Præcepti de non comedendo certo fructu, ita ut omnes homines ab eo via naturali descendentes in Justitia nascituri essent, si ille Præceptum servaret: si autem violaret, omnes peccato originali inquinarentur, secluso speciali privilegio.

2. Absolutè prævidit peccatum Adami, & in Adamo lapsum generis humani.

3. Voluit genus humanum redimere per Incarnationem Verbi, & Christi merita, ac præsertim Passionem, & Mortem prædefinivit.

4. Christi merita per Passionem, & Mortem consummata absolutè prævidit.

5 Propter merita Christi absolutè futura voluit absolutè, & efficaciter certos determinatè homines salvare; cæteros verò omnes non voluit absolutè, & efficaciter, sed solùm inefficaciter, & conditionatè, quamvis sufficienter, & sincerè voluit salvare.

6. Iis, quos voluit efficaciter salvare, præparavit media re ipsa ad salutem perducentia: cæteris verò omnibus media, quibus salvari possent, & salvarentur, si vellent, quibus tamen ex culpa non salvabuntur.

7. Prædestinatorum merita per finalem perseverantiam consummata, reproborum verò demerita, & mortem in statu peccati absolutè prævidit.

8. Denique efficaciter, & absolutè voluit reprobos propter peccatum originale, vel personale, vel utrumque damnare: prædestinatis verò dare gloriam æternam, vel ut hæreditatem simul, & mercedem bonis eorum operibus debitam; si nempe essent adulti: vel duntaxat ut hæreditatem, si ante adultam ætatem morituri essent.

ARTI-

ARTICULUS VIII.

De Prædestinatianis.

Quinam ante Calvinum Prædestinatiani fuerint?

§. I.

Dico 1. Inter Monachos Adrumetinos aliqui ex malè intellecta S. Augustini epistola ad Sixtum, in prædestinatianorum errorem lapsi sunt, sed sine pertinacia.

Prob. 1. *pars* Testimonio S. Augustini, epist. 46. ad Valentinum Adrumetini Monasterii Abbatem, & ejusdem Monachos scripta, ubi ait: *Venerunt ad nos duo juvenes, Cresconius, & Felix, de vestra Congregatione se esse dicentes, qui nobis retulerunt Monasterium vestrum nonnulla dissensione turbatum, eò quòd quidam in vobis sic gratiam prædicent, ut negent hominis esse liberum arbitrium .... Etiam hoc tamen indicaverunt, quòd plures vestrum non ita sentiant, sed liberum arbitrium adjuvari fateantur per Dei gratiàm, ut recta sapiamus, & faciamus.*

Prob. 2. *pars*, Nam illi pauci Monachi brevi posteà tempore, lecto S. Augustini libro de Gratia, & libero arbitrio, errorem suum emendarunt, ut testatur Valentinus eorum Abbas, in sua ad Sanctum Augustinum epistola.

Obj. Hæc Cresconii, & Felicis relatio fuit valde suspecta Sancto Augustino, nec proinde fidem meretur.

Resp. Nego. Nam Sanctus Augustinus in sua epistola supradicta de illis sic loquitur: *Nullas ad nos vestræ charitatis litteras attulerunt, tamen suscepimus eos, quoniam simplicitas eorum satis indicabat, nihil nobis potuisse confingere.*

§. II.

Dico 2. Lucidus Presbyter verè fuit prædestinatianus.

Prob. 1. Ex epist. Fausti Regiensis apud Sirmondum ad ipsum Lucidum scripta, in qua sex dogmata prædestinatianam hæresim continentia, ipsi damnanda proponit, quæ nisi anathemate confixerit, atque subscripserit suæ epistolæ, ipsum ad Concilium se delaturum, comminatur. Quam epistolam Concilium Arelatense approbavit, & approbatione suam fecit.

2. Ex libello Emendationis ipsius Lucidi ad Episcopos Gallicanos, in quo pravos illos errores ejurat, & juxta decretum Concilii Arelatensis III. damnat his verbis: *Correctio vestra salus publica, & scientia vestra medicina est. Unde & ego summum remedium duco, ut præteritos errores accusando excusem, & salutifera professione me diluam. Proinde juxta prædicandi recentia statuta Concilii damno vobiscum sensum illum, qui dicit, humanæ obedientiæ laborem divinæ gratiæ non esse jungendum: qui dicit, post primi hominis lapsum ex toto arbitrium voluntatis extinctum: qui dicit, quod Christus Dominus, & Salvator noster mortem non pro omnium salute susceperit: qui dicit, quod præscientia Dei hominem violenter compellat ad mortem: vel quod cum Dei pereant voluntate, qui pereunt: qui dicit, quòd post acceptum legitimè Baptismum, in Adam moriatur, quicunque deliquerit: qui dicit ab Adam usque ad Christum nullum ex gentibus per primam Dei gratiam, id est, per legem naturæ in adventum Christi fuisse salvatum, eò quòd liberum arbitrium in primo Parente perdiderint: qui dicit Patriarchas, ac Prophetas, vel Summos quosque Sanctorum, etiam ante redemptionis tempora intra Paradisum deguisse. Hæc omnia quasi impia, & sacrilegiis repleta condemno.*

3. Ex Conciliis Arelatensi, & Lugdunensi, in quibus Lucidi errores damnati sunt: quorum quidem Conciliorum acta non extant, sed hoc iis commune est cum multis aliis.

Obj. 1. Henricus Canisius asserit in manuscripto codice non reperiri subscriptiones Episcoporum in fine epistolæ Fausti, quæ in vulgatis editionibus leguntur. Ergo hæc epistola non fuit approbata à Concilio Arelatensi.

Resp. Canisius asserit solùm illas subscriptiones non reperiri in manuscripto codice, quem

quem habuit ex Bibliotheca Monasterii Sancti Galli. At inde non sequitur nullas in aliis codicibus extare, ex quibus in lucem edita fuit Fausti ad Lucidum epistola, quique anteponendi sunt manuscripto illi, quem testatur ipse Canisius fuisse perturbatissimum.

Obj. 2. Hic Articulus libelli Lucidi: *Damno sensum illum .... qui dicit, ab Adam usque ad Christum nullum ex gentibus per primam Dei gratiam, id est, per legem naturæ in adventum Christi fuisse salvatum, &c.* continet Pelagianam hæresim; nam sensus est, per legem naturæ præcisè sumptam, & ab omni gratia interna Christi separatam aliquos salutem consecutos fuisse.

Resp. Nego eum esse sensum hujus articuli. Sed hic est verus illius sensus, nempe quòd aliqui ante Christi adventum salutem sine lege scripta tùm Mosaica, tùm Evangelica consecuti sint per primam Dei gratiam, id est, per legem naturæ conjunctam scilicet cum gratia interna, accepta ex prævisis Christi venturi meritis: quod indicant illæ voces *in adventum Christi*)& (*per legem naturæ*) hunc sensum probant et iam verba, quæ in libello Lucidi paulò post sequuntur: *Per rationem, & ordinationem sæculorum, alios lege gratiæ, alios lege Moysis, alios lege naturæ, quam Deus in omnium cordibus scripsit, in spe adventus Christi fuisse salvatos, tamen ab initio mundi ab originali nexu, nisi intercessione Sacri Sanguinis, non absolutos.*

§. III.

Dico 3. Sæculo nono Gothescalcus Monachus Monasterii Orbacensis in Suessionica Diœcesi verè fuit prædestinatianus.

Prob Nam asseruit Deum, sicut antecedenter ad prævisionem meritorum, & demeritorum absolutè futurorum, quosdam ad vitam æternam prædestinavit, sic alios ad mortem æternam prædestinasse, & vi suæ prædestinationis eos ad interitum necessitasse. Deum non velle salvare omnes homines, sed eos duntaxat, qui salvantur: nec alios posse salvari Christum pro solorum electorum salutè passum esse. Id constat ex Rabani Mauri Moguntini Archiepiscopi epistolis ad Notingum, & ad Eberardum Comitem; ex epistola Amolonis, Archiepiscopi Lugdunensis, ad ipsum Gothescalcum, ex Hincmaro in l. de prædestinat. annalibus Berthinianis; & ex Conciliis Moguntino, & Carisiaco, in quibus damnatus est Gothescalcus.

Hic juvat referre epistolam Synodicam Rabani ad Hincmarum, Rhemensem Archiepiscopum, quæ sic habet: *Notum sit dilectioni vestræ, quod quidam Gyrovagus Monachus nomine Gothescalco, qui se asserit Sacerdotem in vestra Parochia ordinatum, de Italia venit ad nos Moguntiam, novas superstitiones, & noxiam doctrinam de prædestinatione Dei introducens, & populos in errorem mittens: dicens, quod prædestinatio Dei sicut in bono, sit ita & in malo; & tales sint in hoc mundo quidam, qui propter prædestinationem Dei, quæ eos cogat in mortem ire, non possint ab errore, & peccato se corrigere, quasi Deus eos feciſſet ab initio incorrigibiles esse, & pœnæ obnoxios in interitum ire. Hanc ergo opinionem nuper in Synodo apud Moguntiam habita, ab eo audientes, & incorrigibilem eum reperientes, annuente, atque jubente piissimo Rege nostro Ludovico, decrevimus eum cum pernicioſa doctrina ſua damnatum mittere ad vos, quatenus eum recludatis in vestra Parochia, unde primùm inordinatè recessit, & non sinatis eum ampliùs errorem docere, & seducere populum Christianum; quia jam multos seductos, ut audivi, habet, & minùs devotos erga suam salutem, qui dicunt: quid mihi prodeſt laborare in servitio Dei? Quia si prædestinatus sum ad mortem, nunquam illam evadam: si autem malè egero, & prædestinatus sum ad vitam, sine ulla dubitatione ad æternam requiem vado.*

A Synodo verò Carisiaca compulsus est Gothescalcus libellum, in quo Scripturarum, & SS. Patrum testimonia ad suos errores accommodata, & in pravum sensum detorta describserat, coram Patribus igni tradere. Idem Concilium decrevit eum ob pravos ejus mores, ac errores pertinaciter propugnatos, ob divagationem extra Monasterium sine licentia Abbatis, & ob ordinationem

contra Canones ſuſceptam, verberibus caſtigari, & in ergaſtulo recludi. Quod factum eſt. Sed ipſe pertinaciter ſuis erroribus ſemper adhæſit, maluitque abſque Sacramentis mori, & Chriſtiana ſepultura privari, quam illis, ſuum eſſe Sanctum Auguſtinum proca citer jactitans, ut teſtatur Hincmarus, l. de non trina deitate, ubi hæc addit: *Et cùm jam finis ejus appropinquaret, Fratribus, qui a derant, ut à pravo ſenſu ſuo, & perverſa ſententia ſe revocaret, & Communionem ſacram perciperet, ſuadentibus reſpondit: à ſuo ſenſu, & ſententia revocare, & Communionem per auctoritatem non poſſe accipere. Sicque indignam vitam digna morte finivit, & abiit in locum ſuum.*

Obj. Remigius Lugdunenſis Archiepiſcopus Amolonis ſucceſſor, in l. de tribus epiſtolis ſignificat Gotheſcalcum immunem fuiſſe ab hæreſi prædeſtinatiana. Ergo Gotheſcalcus non fuit prædeſtinatianus.

Reſp. Nego conſeq. Quia Nottingus, Rabanus, Hincmarus, & Concilia Moguntinum, ac Cariſiacum melius perſpectam, ac exploratam habuere mentem, ac ſcientiam Gotheſcalci, quam Remigius: ipſi quippe eum præſentem interrogarunt, & ejus doctrinam diligenter expenderunt.

§. IV.

Dico 4. Quamvis aliqui Monachi Adrumetini, Lucidus Præsbyter, & Gotheſcalcus cum aliquibus ab eo ſeductis fuerint prædeſtinatiani; tamen ante Calvinum nulla fuit ſecta prædeſtinatianorum.

Prob. Nomine ſectæ intelligitur multitudo aliqua hominum non ignotorum, qui propriam aliquam doctrinam notabili tempore ſectantur. Atqui ante Calvinum non extitit multitudo aliqua hominum prædeſtinatianam hæreſim notabili tempore ſectantium. Ergo ante Calvinum nulla fuit ſecta prædeſtinatianorum, *Prob. min.* Nam pauci Monachi Adrumetini brevi duntaxat tempore ſine pertinacia in hunc errorem lapſi ſunt. Lucidus autem hanc hæreſim ejuravit, & ejus ſocii, ſeu diſcipuli (ſi quos habuit) pauci, & ii quidem obſcuri nominis fuere, & probabiliter cum Lucido hanc hæreſim ejurarunt. Gotheſcalcus verò, quamvis aliquos ex plebe ſeduxerit, nullos tamen, aut certè paucos ſuorum errorum ſectatores reliquit; nec alii, ſaltem qui multitudinem faciant, proferri poſſunt prædeſtinatiani.

Obj. 1. Secta prædeſtinatianorum in Galliis emerſit circa ann. circiter 428. adversùs quam SS. Proſper, & Hilarius opem S. Auguſtini, & poſteà Cœleſtini I. implorarunt. Ergo.

Reſp. Nego anteced. Nam SS. Proſper, & Hilarius nunquam aliquem hujus hæreſeos ſectatorem inſimularunt; & opem S. Auguſtini, ac poſtea Cœleſtini contra ſolos Semipelagianos implorarunt, ut conſtat ex eorum ſcriptis, in quibus ſolùm agunt de Semipelagianorum erroribus, eorumque querimoniis, & calumniis contra doctrinam Sancti Auguſtini. Ipſe verò S. Auguſtinus, in libris de prædeſtinatione Sanctorum, & de bono perſeverantiæ ad SS. Proſperum, & Hilarium ſcriptis nullos prædeſtinatianos, ſed ſolos Semipelagianos refellit.

Obj. 2. S. Proſper, in ſua ad S. Auguſtinum epiſtola ab eo efflagitat, ut aperiat, quomodo per gratiam prævenientem liberum non impediatur arbitrium? quomodo divinum propoſitum, ſeu gratuita prædeſtinatio non tollat exhortationes, curam, ac ſtudium virtutis, nec deſperationem affera? Ergo ſupponit tunc vigere errores Prædeſtinatianorum.

Reſp. Neg. conſeq. Iſta enim à S. Auguſtino poſtulat, quia Semipelagiani iſta objiciebant; & ut S. Doctoris doctrinam odioſam redderent, iſtos errores ei adſcribebant, cùm probè ſcirent eos ab omnibus damnari, ac rejici.

Obj. 3. Hincmari teſtimonium, in ep. ad Nicolaum I. ubi ait: *Ex veteri hæreſi Prædeſtinatiana, quæ primùm in Africa, & poſtea in Gallia per idem tempus, quando & Neſtoriana hæreſis eſt exorta, & tempore Cœleſtini Papæ, ipſius auctoritate, & inſtinctu eſt revincta.*

Reſp. Hincmarus lapſus eſt, nam 1. facilè refellitur ex ipſa Cœleſtini epiſtola: nam

eos

eos solos compescit Pontifex, *qui niuntur quiescentium fratrum memoriam dissipare*, & imprimis S. Augustini doctrinam insectari, quem hac occasione ob doctrinam, & virtutem plurimùm laudat. Prædestinatiani autem doctrinam S. Augustini non solùm non vituperabant, sed potiùs eam sequi se gloriabantur, quamvis falsò 2. Cœlestinus, in sua ad Episcopos Galliarum epistola doctrinam opponitam solis erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum exponit. 3. Ipse Hincmarus Semipelagianos interdum cum Prædestinatianis confundit, nam Prædestinatianis istud dogma tribuit, lib. de prædestinat. cap. 15. *Quorum unum est*, inquit, *quia secundùm præscientiam Deus homines damnat pro meritis iuæ vitæ, quæ non habuerunt morte præventi.* At hoc fuisse dogma Semipelagianorum proprium, constat ex S. Prospero, epist. ad S. Augustinum.

Obj. 4. Auctor prædestinati testatur librum Prædestinatianorum erroribus scatentem, & Augustino falsò attributum, à Cœlestino damnatum fuisse.

Resp. Prædestinati auctori fides in omnibus adhiberi non debet. Nam Pelagianorum errores tuetur, & Catholicos sub Prædestinatianorum nomine insectatur, & infelix vocat hoc dogma Catholicum, nempe ut ex Adami prævaricatione dicatur processisse hominis concupiscentia, & asserit concupiscentiam esse bonam. Præterea nemo alius hujusmodi librum S. Augustini nomine confictum, & Cœlestino oblatum, cujus errores totum mundum, ut ait, vulnerarent, meminit.

Obj. 5. Photium, in Bibliotheca sua, c. 54.

Resp. Photius toto illo capite de Pelagianorum, & Nestorianorum hæresi agit, atque testatur Cœlestinum compescuisse eos, qui S. Augustino obloquebantur, & ejus doctrinam insectabantur, tanquam liberi arbitrii interitum induxisset. Quod non Prædestinatianis, qui liberum arbitrium negabant, sed Semipelagianis convenit. Addit errorem nuper revocatum cohibuisse Cœlestinum, in epistola ad Episcopos Galliæ, in qua solos Pelagianorum, & Semipelagianorum errores damnat.

Obj. 6. Concilia Arelatense, Lugdunense, & Arausicanum II. damnarunt hæresim Prædestinatianam. Ergo tunc vigebat secta Prædestinatianorum.

Resp. Neg. conseq. Nam Concilia Arelatense, & Lugdunense damnarunt, non sectam, sed unum Lucidum Presbyterum, qui nullos habuit sui erroris sectatores: aut si quos habuit, non nisi paucos, & obscuri nominis, qui cum eo errorem suum emendarunt. Concilium verò Arausicanum totum est in damnandis Semipelagianorum erroribus, nec nisi obiter hæresim Prædestinatianam confixit, nempe, Can. 25. his verbis: *Aliquos verò ad malum divina potestate prædestinatos esse non solùm non credimus; sed etiam, si qui sunt, qui tantum malum credere volunt, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Certè hæc verba, *si qui sunt*, manifestè significant, tunc nullam sectam Prædestinatianorum extitisse: nam si extitisset, certè innotuisset Concilio.

Obj. 7. Faustus Regiensis jussu Concilii Arelatensis suos de gratia, & libero arbitrio libros scripsit contra Prædestinatianos.

Resp. Faustus à Concilio jussus contra Pelagianos scribere, neque contra illos, neque contra Prædestinatianos, sed contra S. Augustini doctrinam exaravit libros de gratia, & libero arbitrio, qui à Gelasio in Concilio Romano rejecti sunt.

Cætera, quæ objiciuntur, vel non merentur fidem, vel certè nullarenùs probant extitisse sectam Prædestinatianorum.

CAPUT VIII.

De Providentia Dei.

Quæres 1. *Quid sit, & utrùm detur Providentia?*

Resp. 1. PRovidentia est dispositio mediorum ad finem: sive ordinatio medi-

mediorum, quibus res ad fines ſuos perduci poſſunt. Quare quoad rem complectitur tùm actum intellectus, quo Deus novit rerum fines, & media ad illos obtinendos apta: tùm actum voluntatis, quo Deus res quaslibet ad ſuos fines ordinat, & perducit mediis convenientibus.

Reſp. 2. Extat in Deo Providentia. Eſt de Fide. Nam 1. Id clarè, & expreſsè docet Scriptura, ut Sap. c. 14. *Tua autem, Pater, Providentia gubernat.* Item Scriptura docet Deum omnia videre, curare, & regere, quod eſt providere. 2. Hoc conſtat ex Traditione orali, & ſenſu Eccleſiæ. Idque ratio evincit: nam ſapientis Artificis eſt operis ſui curam gerere, & illud ad debitum finem ordinare, ac perducere. Atqui Deus eſt ſapientiſſimus Artifex, & creaturæ omnes ſunt ejus opera. Ergo Deus omnium creaturarum curam gerit, eaſque ad fines ſuos ordinat, & perducit. 3. Ex unanimi Patrum conſenſu. Pro omnibus ſit S. Damaſc. l. 2. Orthod. fidei c. 29. *Providentia eſt rerum procuratio, qua Deus fungitur.... Eundem etenim & rerum Procreatorem, & Adminiſtratorem eſſe oportet... Solus Deus natura bonus, ac Sapiens eſt. Qua igitur bonus providet: (neque enim bonus eſt, qui non providet. Nam & homines, & bruta proli ſuæ naturali quodam affectu proſpiciunt: & vituperatur, qui non proſpicit.) Qua autem Sapiens, ea, quæ ſunt, optimè procurat.*

Quæres 2. *Quodnam eſt objectum Providentiæ divinæ?*

Reſp. Omnes omninò creaturæ in particulari, & ſeorſim ſubjacent divinæ Providentiæ. Conſtat 1. Ex Scriptura, Sap. c. 8. *Diſponit omnia ſuaviter.* Et Matth. c. 6. *Reſpicite volatilia Cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & Pater veſter Cœleſtis paſcit illa... conſiderate lilia agri... Si autem fœnum agri... Deus ſic veſtit, &c.* Et c. 10. *Nonne duo paſſeres aſſe væneunt: & unus ex illis non cadet ſuper terram ſine Patre veſtro? Veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt.*

2. Quia Deus eſt omnium, & ſingularum rerum non ſolùm cauſa efficiens, ſed etiam finis ultimus. Ergo quemadmodum rebus omnibus dat, & conſervat eſſe, ita quoque omnes in finem dirigit. Præterea ſapientis eſt Artificis quodvis opus ſuum ad debitum finem ordinare.

3. Ex Patribus: pro omnibus ſufficiat S. Auguſtinus, lib. 5. de Geneſi ad litteram, c. 21. *Nonne confirmat (Chriſtus) viliſſimas ejuſmodi, abjectiſſimasque particulas divina providentia regi?*

Obj. 1. Si Deus provideret rebus omnibus, non eſſent tot defectus, & mala in mundo. Falſum conſeq. ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Quia Deus mala illa ordinat ad bonum Univerſi. Enimverò ſi nulla eſſent mala, multa bona deeſſent Univerſo, cujus perfectionem procurare ad Deum ſpectat tanquam ad Supremum, & Univerſalem Proviſorem. Unde Providentiæ divinæ etiam ſubjacent peccata, quatenus Deus illorum permiſſionem, ſeu tolerantiam ad optimos fines ordinat: nam ea ordinat tùm ad manifeſtationem ſuarum perfectionum; putà miſericoriæ, benignitatis, juſtitiæ, &c. ùm ad electorum exercitationem, & perfectionem.

Obj. 2. Multa caſu, & fortuitò fiunt. Ergo non omnia ſubjacent Providentiæ divinæ.

Reſp. Nego anteced. Nam nihil caſu fit, niſi reſpectu noſtri; quatenùs ignoramus cauſas multorum effectuum & finem, ad quem omnia ex intentione Dei diriguntur. At ſecundùm rei veritatem nihil fit caſu: nam nihil fit, quod Deus non voluerit, aut ſcienter permiſerit fieri, & ad optimum finem non dirigat. Quare (ut monet S. Auguſtinus) Chriſtiani à nomine fortunæ abſtinere debent. Et per fortunam nihil aliud intelligi debet, quàm Providentia divina, quatenùs cauſas occultas, & media nobis ignota ad certos effectus ordinat, ipſoſque effectus ad fines nobis ignotos.

Obj. 3. Illud, 1. Cor. cap. 9. *Nunquid de bobus cura eſt Deo?*

Reſp. Senſus eſt, quòd Deus non gerat curam ſpecialem, ac præcipuam de brutis animantibus, ſicut de hominibus. Nam Apoſtolus

ſtolus in illo loco, ubi citat illud veteris Teſtamenti: *Non alligabis os bovi trituranti*: vult ſolùm Deum in hoc mandato non attendiſſe præcipuè ad bovem, ſed ad Eccleſiæ miniſtros, qui habent jus accipiendi ſtipendium ſuſtentationis ab iis, quibus ſpiritualia ſubminiſtrant.

*Obj.*4. Multa fiunt fruſtrà in rerum natura.

Reſp. Fruſtrà fiunt reſpectivè ad res aliquas particulares: non autem reſpectivè ad Deum ut Proviſorem generalem, & ad fines efficaciter à Deo intentos.

Quæres 3. *An Providentia divina ſemper finem ſuum aſſequatur?*

Reſp. Semper aſſequitur ſuum finem ultimum, & generalem, nempe Dei gloriam extrinſecam, poſitam in manifeſtatione perfectionum divinarum, & fines quoſvis particulares efficaciter intentos. At non aſſequitur fines particulares inefficaciter, & conditionatè tantùm intentos. Sed ad rationem Providentiæ perfectæ non requiritur, ut Proviſor finem inefficaciter, & conditionatè tantùm intentum aſſequatur, præſertim ſi illa deviatio à fine ſic volito ſit medium ſapienter ordinatum ad finem ultimum & generalem efficaciter intentum.

TRACTATUS DE SS.MA TRINITATE, SEU DE DEO TRINO.

PROOEMIUM.

MYSTERIUM SS. Trinitatis eſt omnium Religionis Chriſtianæ ſublimiſſimum, & intellectu difficillimum: de quo S. Auguſtinus, l. de Trinitate, c. 3. ait: *Nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid invenitur.* Ut autem de illo rectè loquamur, & vitemus errores, atque intelligamus, quæ fides circa illud doceat, operæ pretium eſt tradere quaſdam regulas rectè loquendi circa Trinitatem. Sed priùs quædam notanda ſunt.

I. Terminus duplex eſt, nempe abſtractus, & concretus. Abſtractus eſt ille, qui ſignificat tantùm formam, ideoque unicum habet ſignificatum, ut divinitas. Concretus eſt ille, qui ſignificat formam, & ſubjectum ejus, ſeu id, quod habet formam: unde habet duplex ſignificatum, unum formale, & immediatum, quod eſt forma: & alterum materiale, & mediatum, quod eſt ſubjectum, ſeu ſuppoſitum habens formam. Sic vox *Deus* ſignificat divinitatem, quæ eſt forma, & ſuppoſitum habens divinitatem: nam Deus eſt ſuppoſitum habens divinitatem.

II. Terminus abſtractus duplex eſt, nempe univerſalis, & ſingularis. Singularis eſt ille, qui ſignificat formam uni tantùm convenientem, ut Petreitas; nam forma hoc nomine ſignificata ſoli Petro convenit. Univerſalis duplex eſt, nempe formaliter, & æquivalenter talis. Terminus abſtractus univerſalis formaliter eſt ille, qui ſignificat formam pluribus convenientem per realem ſui multiplicationem, ut humanitas: nam natura humana ineſt pluribus, & quidem multi

plex realiter. Universalis æquivalenter est ille, qui significat formam pluribus convenientem, sed sine reali multiplicatione sui, ut divinitas: quæ pluribus suppositis una, & eadem numero inest per identitatem. Similiter terminus concretus duplex est, universalis, & singularis. Terminus concretus singularis est ille, cujus formale significatum, seu forma per eum significata uni tantùm convenit, ut Petrus. Universalis duplex est, nempe formaliter, & æquivalenter talis. Terminus concretus universalis formaliter est ille, cujus formale significatum pluribus convenit per realem sui multiplicationem, ut homo. Universalis æquivalenter est ille, cujus formale significatum est commune pluribus, sed sine reali multiplicatione sui, ut Deus.

III. Suppositio est acceptio termini in propositione positi. Duplex est, nempe simplex, seu formalis: & personalis, seu materialis. Suppositio simplex est acceptio termini concreti pro suo formali significato tantùm, seu forma per eum significata, ut cùm dicitur, *homo* est species, vox *homo* accipitur pro suo formali significato, nempe pro natura humana. Suppositio personalis est acceptio termini concreti pro suo materiali, ac mediato significato tantùm, seu supposito, ut cùm dicitur: homo est animal, vox *homo* accipitur pro suo materiali significato, seu supposito, nempe pro individuis naturæ humanæ.

Suppositio personalis subdividitur in universalem, & particularem. Universalis est acceptio termini concreti universalis pro omnibus materialibus, seu mediatis suis significatis, ut cùm dicitur: omnis homo est rationalis; nam vox *homo* accipitur pro omnibus individuis, seu suppositis naturæ humanæ. Particularis est acceptio termini concreti universalis pro aliquo, aut aliquibus duntaxat è suis mediatis significatis, ut cùm dicitur: aliquis homo est Sanctus, vox *homo* sumitur pro aliquo individuo naturæ humanæ. Suppositio universalis iterùm subdividitur in distributivam, & copulativam. Distributiva est acceptio termini concreti universalis pro omnibus mediatis suis significatis singillatim, ut cùm dicitur: omnis homo est animal, vox *homo* accipitur pro omnibus individuis naturæ humanæ singillatim sumptis: nam sensus est: & Petrus est animal, & Paulus, & Joannes, &c. Copulativa est acceptio termini concreti universalis pro omnibus mediatis suis significatis simul sumptis, ut cùm dicitur: omnes Apostoli sunt duodecim; nam pro Apostoli sumitur pro Petro, Andrea, Joanne; &c. simul sumptis.

Similiter suppositio particularis duplex est, nempe determinata, & confusa. Determinata est acceptio termini concreti universalis pro aliquo, aut aliquibus è suis mediatis significatis determinatè, ut cùm dicitur: aliqui homines sunt Sociniani, vox *homines* accipitur pro aliquibus individuis naturæ humanæ determinatè. Confusa est acceptio termini concreti universalis pro aliquo, aut aliquibus è suis mediatis significatis, sed confusè, & indeterminatè, ut cùm dicitur: aliquis equus est necessarius ad trahendam hanc rhedam.

IV. In divinis terminus concretus est vel personalis, vel essentialis. Personalis est ille, qui convenit Deo ratione personalitatis, ut Pater. Essentialis est ille, qui convenit Deo ratione essentiæ, seu naturæ divinæ, ut Omnipotens. Omnis autem terminus concretus essentialis est universalis æquivalenter; nam ejus formale, & immediatum significatum est commune tribus Personis divinis sine reali sui multiplicatione. Terminus verò concretus personalis est vel singularis, vel universalis. Singularis est ille, cujus formale significatum convenit uni tantùm supposito, ut Filius. Universalis duplex est: nam alius est universalis formaliter, cujus scilicet formale significatum convenit omnibus personis per realem sui multiplicationem, ut persona, relativè existens: alius est universalis æquivalenter, cujus scilicet formale significatum convenit pluribus personis sine reali sui multiplicatione, ut Spirator.

Item in divinis terminus abstractus vel est personalis, ac notionalis, ut Paternitas, Filiatio, &c. vel essentialis, ut divinitas, omnipotentia, &c. Omnis autem terminus abstractus

ſtractus eſſentialis eſt univerſalis æquivalenter; nam ejus ſignificatum eſt commune tribus Perſonis ſine reali multiplicatione ſui. Terminus verò abſtractus perſonalis triplex eſt: nempe alius eſt ſingularis, ut Paternitas: nam ejus ſignificatum uni tantùm perſonæ convenit; alius eſt univerſalis, formaliter, ut perſonalitas, exiſtentia relativa, &c. nam horum terminorum ſignificatum convenit tribus Perſonis divinis cum reali ſui multiplicatione; alius denique eſt univerſalis æqui valenter, ut ſpiratio activa; nam ejus ſignificatum eſt commune duabus perſonis ſine reali multiplicatione ſui, ſed per identitatem. His præmiſſis rectè aſſignantur ſequentes regulæ.

Prima regula. Terminus concretus univerſalis æquivalenter, accipi poteſt in iiſdem omnibus ſuppoſitionibus, in quibus accipi poteſt terminus concretus univerſalis formaliter. Quia tam habet duplex ſignificatum, unum ſcilicet formale, ac immediatum, & alterum materiale, ac mediatum, & tam habet mediatum ſignificatum realiter multiplex, & tam eſt univocus. Quare tam poteſt accipi modò pro formali, modò pro materiali ſuo ſignificato; modò pro omnibus materialibus, ſeu mediatis ſuis ſignificatis; modò pro aliquo, aut aliquibus tantùm: cum hoc tamen diſcrimine, quòd ei nunquam præponi poſſint hæ voces ſincategorematicæ, *omnis*, *nullus*, *aliquis*; eò quòd connotent realem multiplicationem formæ ſignificatæ per terminum concretum, cui præponuntur.

Secunda regula. Termini abſtracti eſſentiales non poſſunt accipi in ſuppoſitione perſonali, quia non habent materiale, ſeu mediatum ſignificatum: unde accipi non poſſunt pro perſonis divinis. Hinc nomina adjectiva perſonalia non poſſunt affirmari de terminis abſtractis eſſentialibus. Sic falſa eſt hæc propoſitio: *Divinitas eſt generans*: nam ſignificat eſſentiam divinam eſſe rationem formalem proximam generandi, quod falſum eſt. Nomina tamen ſubſtantiva perſonalia poſſunt affirmari de terminis abſtractis eſſentialibus ob identitatem realem. Sic vera eſt hæc propoſitio: *Divinitas eſt Pater.* nam ſenſus eſt, eſſentiam divinam eſſe idem realiter cum ſuppoſito habente Paternitatem.

Tertia regula. In divinis termini concreti eſſentiales accipi poſſunt in multiplici ſuppoſitione, ut conſtat ex prænotatis, & 1. Quidem in ſuppoſitione ſimplici, id eſt, pro formali, & immediato ſignificato, ſeu forma, quam ſignificant. Sic vera eſt hæc propoſitio: *Unicus eſt Deus*; nam ſenſus ejus eſt: unica eſt divinitas, unica eſſentia, ac natura divina. 2. In ſuppoſitione perſonali, id eſt, pro materiali, ac mediato ſuo ſignificato, nempe pro ſuppoſito divino. Sic vera eſt hæc propoſitio: *Pater eſt Deus*; nam ſenſus eſt: Pater eſt ſuppoſitum habens divinitatem. 3. In ſuppoſitione diſtributiva, id eſt, pro omnibus ſuis materialibus ſignificatis, nempe ſuppoſitis divinis ſingillatim ſumptis. Sic vera eſt hæc propoſitio: *Deus eſt Omnipotens*; nam ſenſus eſt, Pater eſt omnipotens, Filius eſt omnipotens, Spiritus Sanctus eſt omnipotens. 4. In ſuppoſitione copulata, id eſt, pro omnibus ſuis materialibus ſignificatis ſimul ſumptis, ſeu pro omnibus ſuppoſitis divinis ſimul ſumptis. Sic vera eſt hæc propoſitio: *Deus eſt trinus*; nam ſenſus eſt: omnes Perſonæ habentes divinitatem ſimul ſumptæ, ſunt tres. 5. In ſuppoſitione particulari determinata, id eſt, pro aliquo, vel aliquibus ſuis materialibus ſignificatis, ſeu ſuppoſitis determinatè, ideóque pro uno, vel duobus ſuppoſitis divinis determinatè. Sic vera eſt hæc propoſitio; *Deus generat*; nam ſenſus eſt: prima Perſona divinitatem habens generat. Item vera eſt iſta; *Deus ſpirat*; nam ſenſus eſt: prima, & ſecunda Perſona divinitatem habentes ſpirant. 6. In ſuppoſitione particulari confuſa, id eſt, pro aliquo è ſuis materialibus ſignificatis, ſeu ſuppoſitis indeterminatè. Sic vera eſt hæc propoſitio: *Ad condignam ſatisfactionem pro peccato neceſſe eſt Deum incarnari*, nam ſenſus eſt: ad exhibendam Deo ſatisfactionem æqualem offenſæ neceſſe eſt incarnari vel primam, vel ſecundam, vel tertiam Perſonam habentem divinitatem.

Quar-

Quarta regula. In divinis terminus concretus essentialis accipitur in suppositione formali, vel personali, in universali, vel particulari, pro ratione alterius termini, qui ei in propositione adjungitur per affirmationem. Sic in hac propositione, *Deus est unicus*, tò *unicus* determinat tò *Deus* ad suppositionem formalem; quia nempe unitas non convenit Deo, nisi ratione divinitatis, quæ est formale significatum vocis, *Deus*. Item in hac propositione: *Deus generat*, verbum *generat* determinat nomen *Deus* ad suppositionem particularem determinatã: nam determinat illud ad significãdã solã primã Personam; quia generare convenit soli primæ Personæ, quæ est unum è materialibus significatis vocis, *Deus*. Si autem termino concreto essentiali simpliciter, & sine addito adjungatur alter terminus cum negatione, tunc ex usu communi terminus ille concretus essentialis semper determinatur ad suppositionem universalem distributivam, & in propositione terminus adjunctus removetur ab omni mediato significato ejus, seu ab omni supposito divino. Sic in hac propositione, *Deus non generat*, nomen *Deus* non determinatur ad suppositionem particularem pro secunda, aut tertia Persona, quæ re vera non generent, sed ad suppositionem universalem distributivam pro omnibus Personis divinis; & sensus est: nullus, qui est Deus, generat. Unde hæc propositio, & quælibet alia similis, est falsa.

Quinta regula. Termini substantivi essentiales prædicantur de Personis divinis singulariter tantùm. Quia ex usu communi non multiplicantur nomina substantiva, nisi multiplicato realiter eorum formali significato, seu forma significata. Sic vera est hæc propositio: *Petrus, & Paulus sunt homines*: quia formale significatum vocis *homo*, nempe natura humana, est multiplex realiter in Petro, & Paulo. Contrà verò falsa est ista: *Tres Personæ Divinæ sunt Dii*: quia formale significatum vocis *Deus*, nempe divinitas, est unum, & idem numero in tribus Personis. Sed vera est hæc propositio: *Tres Personæ divinæ sunt Deus.*

Sexta regula. Termini essentiales adjectivi prædicantur de Personis divinis in plurali tantùm. Quia ex communi usu nomina adjectiva multiplicantur multiplicato realiter eorum materiali significato, nempe supposito. Sic tres Personæ divinæ sunt tres Sancti, quamvis habeant eandem numero sanctitatem, quia nempe materiale significatum vocis *Sancti* est triplex, scilicet Pater, Filius, Spiritus Sanctus: Sicut si tres parietes haberent eandem numero albedinem, essent nihilominùs tres albi. Quandoque tamen nomina essentialia, de se, & grammaticaliter adjectiva, sumuntur substantivè à Patribus, & Doctoribus Scholasticis, & habentur pro substantivis, unde dici possunt substantiva Theologicè: quare tunc non prædicantur in plurali, sed duntaxat in singulari de Personis divinis, ut videre est in Symbolo Athanasiano, ubi dicitur de tribus Personis: *Et tamen non tres æterni, sed unus æternus: sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus & unus immensus .... & tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens*

Septima regula. Voces significativæ unitatis, aut pluralitatis, identitatis, aut diversitatis; item voces exclusivæ, additæ terminis essentialibus adjectivis afficiunt materiale significatum, seu suppositum. Quia nomina adjectiva accipiunt unitatem, & identitatem à materiali suo significato, seu supposito. Sic falsæ sunt hæ propositiones, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt hic Sanctus: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt idem Sanctus: Pater est solus Sanctus*, nisi tamen vox *Sanctus* sumatur substantivè, ut sumi potest, & interdum sumitur; nam alioqui sensu illarum propositionum erit; *Pater Filius, & Spiritus Sanctus sunt hoc suppositum habens sanctitatem: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt idem suppositum habens sanctitatem: Pater est suppositum habens sanctitatem, præter quod non est aliud habens sanctitatem.* Quod patet etiam in istis propositionibus: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt hic creans, & conservans mundum*, vel *sunt idem creans, ac conservans mundum,*

quæ

quæ ſunt falſæ; ſed dici debet: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt tres creantes, & conſervantes mundum.*

Octava regula. Voces ſignificativæ unitatis, aut pluralitatis, identitatis, aut diverſitatis, additæ terminis eſſentialibus ſubſtantivis afficiunt formale ſignificatum, ſeu formam ſignificatam. Quia nomina ſubſtantiva accipiunt unitatem, & identitatem à formali ſignificato. Sic vera eſt hæc propoſitio: *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt hic Deus*; nam ſenſus eſt: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus habent hanc numero divinitatem. Idem dic de vocibus excluſivis ob eandem rationem. Sic vera eſt hæc propoſitio: *Pater eſt ſolus Deus*; nam ſenſus eſt: Pater habet divinitatem, præter quam non eſt alia.

Nona denique regula. In exprimenda naturæ unitate vitandæ ſunt voces illæ, quibus inſinuatur confuſio perſonarum; & viciſſim in exprimenda diſtinctione perſonarum cavendæ ſunt voces, quibus inſinuatur diſtinctio naturæ. Hinc à Conciliis, & Patribus rejicitur hæc propoſitio: *Pater eſt aliud à Filio*; & admittitur iſta: *Pater eſt alius à Filio.* Quia nempe ex communi uſu tò *aliud* ſignificat diſtinctam naturam, & tò *alius* diſtinctam perſonam tantùm. Verè tamen dicitur: *Pater eſt aliud ſuppoſitum à Filio*; contrà verò malè dicitur: *Pater eſt alius Deus à Filio:* quia tò *aliud* in prima propoſitione afficit formale ſignificatum vocis *ſuppoſitum*, nempe ſuppoſitalitatem, ſeu ſubſiſtentiam; & tò *alius* in ſecunda afficit formale ſignificatum vocis *Deus*, nempe divinitatem. Unde ſenſus primæ propoſitionis eſt: Pater habet aliam perſonalitatem à perſonalitate Filii, quod verum eſt: & ſenſus ſecundæ eſt: Pater habet aliam divinitatem à divinitate Filii, quod falſum eſt.

CAPUT I.

De SS. Trinitatis exiſtentia.

SAnctiſſima Trinitas conſiſtit in tribus Perſonis divinis realiter diſtinctis, quæ unam & eandem numero divinitatem habeant, ſintque unus Deus: ſive conſiſtit in tribus Perſonis, quæ ſint unus Deus propter identitatem naturæ divinæ.

ARTICULUS I.

Utrùm ſint in Deo tres Perſonæ realiter diſtinctæ?

Nota. Pluralitatem Perſonarum in Deo, præter Judæos, negarunt plurimi Hæretici, ut Praxeas, Noetus, & Sabellius ex Lybia oriundus, à quo hæc hæreſis Sabelliana dicta eſt, eò quòd ejus opera multùm propagata ſit. Sabellius quippe docuit Deum eſſe unicum in Perſona, ſicut in natura: appellari tamen diverſis nominibus per ordinem ad diverſas operationes; & dici Patrem, quatenus eſt Principium rerum omnium; Filium, quatenus eſt Sapientia; & Spiritum Sanctum, quatenus eſt Auctor Sanctitatis. Ejus ſectatores dicti ſunt Sabelliani, & Patripaſſiani, eò quòd unicam in Deo perſonam admittentes, quæ modò Pater, modò Filius, modò Spiritus Sanctus nominaretur, aſſerebant Patrem eſſe incarnatum, paſſum, & mortuum, &c. Errorem Sabellii amplexi ſunt Paulus Samoſatenus, Antiochenus Epiſcopus; Photinus, Epiſcopus Sirmienſis; Priſcillianus, Epiſcopus Abulenſis; Servetus natione Hiſpanus, Genevæ ob hanc hæreſim operâ Calvini flammis combuſtus; Fauſtus Socinus Italus, & ejus Diſcipuli Sociniani dicti, qui docent in Deo unicam eſſe perſonam, nempe Patrem æternum, Chriſtum eſſe purum hominem, & Spiritum Sanctum eſſe duntaxat virtutem, & efficaciam Dei.

§. I.

Dic. Tres ſunt Perſonæ in Deo realiter inter ſe diſtinctæ cum unica natura. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Matth. c. ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ubi realis diſtinctio Perſonarum ſignificatur vocibus Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Filius enim diſtingui debet realiter à Patre, à

quo gignitur: nam nemo potest esse sui ipsius Filius, & à se ipso generari. Spiritus verò Sanctus annumeratur Patri, & Filio velut distinctus ab utroque. Unitas autem naturæ earundem Personarum significatur per vocem *nomine*, quæ indicat tres illas Personas habere unicum nomen divinitatis, unicam auctoritatem, & virtutem, qua à peccato mundamur, & sanctificamur, unicam proinde divinitatem. Et verò, si tres illæ Personæ non essent Deus, sequeretur Christum in forma baptismi, qui est professio fidei, creaturas Deo ex æquo adjungi, & sub eodem nomine, eademque authoritate illas exprimi.

Item, 1. Joann. c. 5. *Tres sunt, qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Ubi cùm dicatur, *tres sunt*, & addatur, *& hi tres unum sunt*, non verò, unus sunt, clarè significatur ternarius numerus Personarum divinarum in unitate essentiæ, & naturæ; ita ut sensus sit: hæ tres personæ sunt una res, una substantia, una natura, & divinitas.

Præterea extant alia testimonia de distinctione Patris à Filio, & Patris, ac Filii à Spiritu Sancto.

Nam 1. Dicitur Joann. cap. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum.... Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*: & *vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.*

Hoc textu clarè exprimitur distinctio personæ Verbi à persona Patris. Nam dicitur, quòd *Verbum erat apud Deum*, & quòd vidimus gloriam Verbi, *quasi Unigeniti à Patre.* Nemo autem dicitur esse apud se ipsum, & nemo dici potest sui ipsius Filius à se ipso unigenitus; sed hæc necessariò conveniunt personis realiter distinctis. Deinde dicitur, quòd *Deus erat Verbum*, & quòd Verbum *erat in principio apud Deum*; ideóque dicitur, quòd in principio, id est, ab æterno, Deus erat apud Deum. At nomen *Deus* significat Ens vivens, & per se subsistens: ac proinde significatur, Personam divinam, nempe Verbum, esse apud aliam Personam divinam, nempe Patrem. Denique hæc verba: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, &c.* significant propriam, & distinctam Verbi hypostasim: nam de solo Ente per se subsistente dici potest, quòd factum sit homo. Hoc autem dicitur de Verbo, quod simul vocatur Unigenitus à Patre: ac proinde significatur Verbum, ut est Persona distincta à Patre, suscepisse naturam humanam. Ita ferè ex hoc textu argumentatur Tertullianus, lib. contra Praxeam, cap. 21. & S. Athanasius, oratione adversùs Sabellianos.

Item distinctionem Patris, & Filii in unitate essentiæ clarè ostendunt hæc Christi verba, Joan. c. 10 *Ego, & Pater unum sumus.* Hæ voces (*Ego, & Pater*) aperte exprimunt Personarum pluralitatem; eadem enim Persona non potest esse sui ipsius Pater: unde etiam additur verbum *sumus* in plurali. Vox autem *unum*, significat unitatem naturæ: nam non dixit *unus*, sed *unum*, quod significat unam rem absolutam, unam substantiam, & naturam Ita ferè differunt S. Ambrosius, lib. 3. de Spiritu Sancto; & S. August. tract. 35. in Joan.

2. Distinctionem Patris, & Filii à Spiritu Sancto ostendunt textus sequentes. Joann. cap. 14. *Ego rogabo Patem, & alium Paraclitum dabit vobis .... Spiritum veritatis.... Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Certè Filius rogans realiter distinguitur à Patre rogato, cùm nullus se ipsum roget, sed alium à se ipso realiter distinctum. Paraclitus autem Spiritus Sanctus cùm sit mittendus à Patre, & dicatur alius à Filio, manifestè distinguitur realiter ab utroque, Et, cap. 15. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.* Et cap. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.*

Ex his textibus patet 1. Spiritum Sanctum esse Personam: nam ei attribuuntur, quæ non possunt convenire, nisi Enti per se subsistenti, nempe quòd mittatur, & procedat

ab

ab aliis Perſonis, quòd doceat, &c. 2. Eſſe Perſonam diſtinctam à Perſonis Patris, & Filii: nam dicitur mitti, & procedere à Patre, mitti, & accipere à Filio. Nulla autem Perſona mittitur, & procedit à ſe ipſa. Illam autem Perſonam Spiritus Sancti diſtinctam à Patre, & Filio, eſſe verum, & unicum Deum cum utroque, infra ſuo loco probabitur.

Prob. 2. Pluralitas Perſonarum divinarum in unitate naturæ ex Traditione, ſeu ex unanimi Patrum conſenſu, quorum multi de SS. Trinitate ex profeſſo ſcripſerunt; ut Tertullianus, l. contra Praxeam; Athanaſius, multis locis; Baſilius, libris contra Eunomium; Hilarius, 12. libris; Gregorius Nazianzenus, & Gregorius Nyſſenus, pluribus orationibus; Chryſoſtomus, quinque Homiliis; Ambroſius, libris de Spiritu Sancto; Auguſtinus, libris 15. Fulgentius, lib. adversùs Arianorum objectiones; Damaſcenus, lib. 1. de fide. Sed quia Hæretici non dubitant de ſententia Patrum ſæculi quarti, & ſequentium ſæculorum circa hanc veritatem, operæ pretium eſt hoc fidei dogma, & Religionis noſtræ fundamentum probare teſtimonio Patrum trium priorum Eccleſiæ ſæculorum. Brevitatis tamen cauſa indicabo ſolùm loca, ubi extant.

Primo itaque ſæculo, Clemens Romanus, in ſua ad Corinthios epiſt. Et S. Polycarpus Martyr, in oratione, quam martyrium jam ſubiturus fudit, & quæ extat in actis ejus martyrii apud Euſebium, lib. 4. Hiſt. Eccleſ. cap. 14.

Secundo ſæculo. Athenagoras, Athenienſis Philoſophus Chriſtianus, in legatione pro Chriſtianis. Et S. Irenæus, in ſuis libris.

Tertio ſæculo. Tertulianus, l. contra Praxeam. Dionyſius Alexandrinus, in epiſtola, quam ſuo, & Alexandrinæ Eccleſiæ nomine ſcripſit ad Paulum Samoſatenum. S. Gregorius Thaumaturgus, in ſua fidei expoſitione.

Præterea textus Patrum infrà citandi de divinitate Filii, & Spiritus Sancti eandem veritatem oſtendunt.

Prob. 3. Trinitas Perſonarum divinarum in unitate eſſentiæ ex Conciliis generalibus.

Nam 1. Concil. Nicænum I. in Symbolo ait: *Credimus in unum Patrem omnipotentem.... Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei, ex Patre natum Unigenitum.... Deum verum ex Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri.... Et in Spiritum Sanctum.*

2. Concil. Conſtantinopolitanum I. in ſuo Symbolo: *Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem... Et in unum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante ſæcula, Deum verum ex Deo vero... Credimus in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum, qui locutus eſt per Prophetas.*

3. Concil. Epheſinum, actione 6. poſt prolatum Symbolum Nicænum, ſic ait: *Huic ſanctæ Fidei omnes conſentire convenit: continet enim pietatem*, &c. Et poſtea vetat, ne quis contrariam huic Symbolo Fidem proferat, aut doceat. *His igitur perlectis*, inquit, *ſtatuit ſancta Synodus alteram Fidem nemini licere proferre, aut conſcribere, aut componere, præter definitam à ſanctis Patribus, qui in Nicæa cum Spiritu Sancto congregati ſunt.*

4. Conc. Chalcedonenſe, Conc. Conſtantinopolitanum II. act. 6. & Conſtantinopolitanum III. act. 17. Symbolum Nicænum, & Symbolum Conſtantinopolitanum approbant, & confirmant.

5. Conc. Nicænum II. ſex priora Concilia hactenus laudata confirmat.

6. Conc. Conſtantinopolitanum IV actione 10. ait: *Credimus in unum Deum in tribus conſubſtantialibus, & divinis, ac principalibus Perſonis... Unum quidem, & ſingularem Deum ſecundùm rationem ſubſtantiæ, trinum autem, vel tria, ſi eum ſecundùm rationem Perſonarum prædicamus.*

7. Concil. Lateranenſe IV. c. 1. ſic definit. *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd unus ſolus Deus, æternus, immenſus; omnipotens, incommutabilis; incomprehenſibilis, & ineffabilis, Pater, & Filius,*

& Spiritus Sanctus: tres quidem Perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino.

8. Conc. Lugdunenſe II. Can. 1. & Florentinum, in decreto unionis, definiunt Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio, & non à ſolo Patre: ac proinde manifeſtè ſupponunt Trinitatem Perſonarum.

9. Denique Concil. Tridentinum, ſeſſ. 3. confirmat Symbolum Conſtantinopolitanum cum additione vocis, *Filioque*. His adde Symbolum Athanaſianum à tota Eccleſia uſu receptum, & approbatum, quod ſic habet: *Fides Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur: neque confundentes Perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes. Alia eſt enim Perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti. Sed Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una eſt divinitas, æqualis gloria, coæterna Majeſtas.*

Omitto plurima Concilia particularia.

Prob. 4. Argumento theologico. A tempore Apoſtolorum, qui negavit Trinitatem Perſonarum, vel divinitatem Filii, aut Spiritus Sancti, aut unitatem naturæ, ſtatim in Eccleſia habitus eſt Hæreticus, & ut talis damnatus, ut conſtat ex Hiſtoria Eccleſiæ. Ergo Fides Trinitatis Perſonarum in unitate naturæ ſemper fuit Fides Eccleſiæ Catholicæ, & ab Apoſtolis tradita. Ergo Fides Myſterii Trinitatis eſt vera Fides.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Verſiculus ſeptimus primæ epiſtolæ Joannis citatus, nempe, *Tres ſunt, qui Teſtimonium dant in Cœlo, &c.* quo probatur Trinitas perſonarum in unitate naturæ, non eſt Joannis, ſed multis poſt ſæculis inſertus eſt ejus epiſtolæ. Nam ille verſiculus non legitur in Codicibus Græcis, imò nec in multis veteribus Latinis; & multi Patres, ut Ambroſius, Auguſtinus, & Leo Maximus, qui contra Trinitatis hoſtes ſcripſerunt, nunquam eum adhibuerunt, qui tamen ſolus rem conficiebat.

Reſp. Ad 1. Verſiculus ille non in omnibus quidem exemplaribus græcis, ſed tamen in multis reperitur; & Robertus Stephanus ex ſexdecim exemplaribus græcis, ex Italia, Gallia, & Hiſpania collectis, ſolummodo notat ſeptem, in quibus verſiculus ille non legitur. Item verſiculus ille in multis quidem vetuſtiſſimis exemplaribus latinis omittitur in contextu; at in pluribus ejuſdem ætatis ſuppletur ad marginem: in recentioribus verò omnibus legitur, *quāvis non ſemper* ſeptimus, ſed ſæpiſſimè octavus legatur. Quare licèt textus ille in Codicibus multis incuria Amanuenſium omiſſus ſit, tamen in aliis pluribus reperitur.

Reſp. Ad 2. Patres illi textum hunc ideo non citarunt, vel quia uſi ſunt imperfectis Codicibus, vel quia tunc temporis ille textus non erat ab omnibus particularibus Eccleſiis cognitus ut certò divinus, & ab hæreticis, contra quos diſputabant, non admittebatur ut certò Canonicus. At inde non ſequitur, quòd non ſit Joannis verus textus: tùm quia Concilium Tridentinum declaravit epiſtolam Joannis, cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia legi conſueverunt, canonicam: hic autem ſeptimus verſiculus in Eccleſia publicè legitur Dominica in Albis: tùm quia multi Patres antiqui textum hunc tanquam verum, & divinum citant; ut Cyprianus, l. de unitate Eccleſiæ: Athanaſius, l. 1. ad Theophilum; Epiphanius, l. de hæreſ. Hieronymus, in prologo epiſtolarum canonicarum; Fulgentius, l. contra objectiones Arianorum; Idacius Clarus; Victor Uticenſis; Eugenius Carthaginenſis, in profeſſione Fidei, quam ſuo, & aliorum Africæ Epiſcoporum nomine Hunerico Vandalorum Regi obtulit.

Inſt, Saltem in eo verſiculo ſeptimo hæ voces (*& hi tres unum ſunt*) non ſignificant unitatem eſſentiæ, ac naturæ, ſed ſolùm teſtificationis: ſicut hanc ſolùm ſignificant verba ſimilia verſiculi ſequentis: *& tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis: & hi tres unum ſunt.*

Reſp. Nego. Nam 1. Verba Scripturæ ſumi debent pro ſubjecta materia: ex aliis autem

tem textibus Scripturæ, & ex Traditione constat Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum habere unam, eandemque naturam, ac divinitatem. Unde cùm hic dicantur esse unum, tò *unum* significat unitatem naturæ, consensus, & consequenter testificationis. At Spiritus, id est, anima humana Christi, & Sanguis, ac Aqua, quæ ex Christi mortui Latere fluxerunt, non possunt esse, nisi unum compositione, & testimonio. 2. Quia in omnibus Codicibus græcis verba versiculi octavi leguntur cum præpositione *in*, hoc modo; *& hi tres in unum sunt*, supple, testimonium: quæ propositio omissa est in Codicibus latinis vel Scribarum incuria, vel Hæreticorum fraude. Unde sensus textus latini ita explicari debet, ac si in eo præpositio *in*, quæ subintelligitur, adesset, nempe in hunc modum: hæc tria in unam, eandemque rem, Humanitatis nimirùm à Verbo assumptæ veritatem testandam consentiunt. E contra in septimo versiculo præpositio *in* nullibi reperitur.

Obj. 2. Isai. c. 44. dicitur: *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens Cœlos solus, stabiliens terram, & nullus mecum.* Ergo unica est Persona in Deo.

Resp. Nego cons. Nam pronomen *ego* supponit pro tribus Personis, quæ sunt unus Dominus; & vox exclusiva *solus* excludit solùm cooperationem creaturarum in creando mundo.

Obj. 3. Illud, Isai. cap. 45. *Ego sum Deus, & non est alius præter me.* Ergo.

Resp. Nego conseq. Quia 1. pronomen *ego* supponit pro tribus Personis divinis, nempe Patre, Filio, & Spiritu Sancto: nam supponit pro ea, & omni Persona, quæ est verus Deus, præter quem non est alius Deus. Tres autem illæ Personæ sunt verus Deus, utpote habentes unam, eandemque divinitatem. 2. Etiamsi pronomen *ego* supponeret pro sola Persona Patris, non ideo excluderetur pluralitas Personarum: nam ibi non dicitur, non est alia Persona præter me, sed, non est alius Deus præter me; quod excludit solùm aliam divinitatem à divinitate Patris, ita ut sensus sit: non est Ens præter me habens aliam divinitatem, ideoque quod sit alius Deus. Quare supponendo solùm Patrem loqui, ibi solùm negat alias esse Personas, quæ sint alius Deus, non autem esse alias Personas, quæ sint Deus. Jam verò Filius non est alius Deus à Patre, nec Spiritus Sanctus alius Deus à Patre, & Filio; sed Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt unus, & idem numero Deus, præter quem *non* est alius.

Obj. 4. Priores Christiani non crediderunt Mysterium Trinitatis: ergo non existit; *Probo anteced.* Si priores Christiani hoc Mysterium credidissent, id non latuisset Gentiles, qui eis objecissent innumeras difficultates, quæ sponte cuique illud consideranti sese objiciunt, & ex eo desumpsissent argumentum pro pluralitate Deorum, quam illis Christiani passim exprobrabant. At Gentiles neutrum fecerunt: nam nec in illorum libris, nec in Christianorum apologiis istæ objectiones reperiuntur. Ergo.

Resp. 1. Quamvis Pastores Ecclesiæ prioribus sæculis diligenter Mysterium Trinitatis Fideles explicitè docerent, nec baptizarent Cathecumenos, antequam Symbolum, in quo continetur, memoriter tenerent, ac recitassent; tamen illud passim gentilibus non vulgabant, ne projicerent Margaritas ante porcos, ne videlicet propter difficultates, quas continet, eorum animos exulcerarent, neve illud ob nonnulla, quæ rationem superant, irrisioni exponerent. Quare Patres trium priorum sæculorum de illo Mysterio aut scribentes, aut coram Gentilibus loquentes, œconomiæ causa, subobscuris phrasibus usi sunt, quas tamen fidelibus postea clarè explicabant.

Resp. 2. Nego min. & ejus probationem. Quia 1. plurimi libri contra Religionem Christianam ab Ethnicis scripti exciderunt partim injuria temporum, partim Christianorum Principum, & Prælatorum Ecclesiæ diligentia: multæ quoque Christianorum apologiæ temporum injuria, atque etiam Fidei hostium malitia exciderunt. 2. Plinius l. 10. epist. 87. ad Trajanum à Christianis ait, *Carmina Christo tanquam Deo canta ri solita.* Et Justinus Martyr, in prima sua

pro Christianis apologia refert Christianos ab Ethnicis insipientiæ insimulari, quòd Christum tanquam Dei Filium colant. Christi autem divina Filiatio cognosci nequit sine pluralitate Personarum in Deo. 3. Sub finem secundi sæculi Praxeas scripsit contra Trinitatem, & ex ea Deorum pluralitatem adversùs Catholicos probare nititur. 4. Celsus Gentilis Philosophus apud Origenem, in l. contra eundem Celsum conatur probare ex Fide Trinitatis sequi Deorum pluralitatem. His adde acta sincera Martyrum, quæ continent innumera testimonia divinitatis, & Filiationis divinæ Christi, quæ cognosci non potest sine pluralitate Personarum in Deo.

Obj. 5. Si essent tres Personæ in Deo, esset compositio realis in Deo. Falsum conseq. ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam compositio est unio multorum realiter distinctorum. At in Deo Personæ divinæ non uniuntur adinvicem, sed identificantur in natura. Unde Personæ divinæ non se habent ut plures unius totius partes, sed ut simplicissima entitas; nam unaquæque Persona cum natura sibi realiter identificata constituit unã Personam simplicem ab aliis Personis realiter distinctam: ita ut Deus sit in natura simplicissimus, & unicus, & tamen in Personis trinus.

Inst. 1. In Deo est pluralitas, ac distinctio realis, ergo & compositio.

Resp. Nego conseq. Nam ad compositionem realem non sufficit pluralitas realis, sed requiritur unio multorum inter se realiter distinctorum.

Inst. 2. Si daretur distinctio, & pluralitas realis in attributis divinis, daretur compositio realis in Deo. Ergo à pari si datur pluralitas realis Personarum in Deo, datur compositio realis.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quia si attributa divina essent inter se realiter distincta, non essent in Deo simul, nisi per unionem, & sic facerent compositionem realem: nam non possunt esse in Deo per identitatem in natura, quin inter se identificentur, cum inter illa non sit oppositio realis, quæ consistit in processione reali unius ab alio. At tres Personæ realiter distinctæ, sunt in Deo per identitatem naturæ, seu identificantur eidem naturæ, & tamen sunt realiter inter se distinctæ propter oppositionem realem, quam habent inter se per processionem realem secundæ à prima, & tertiæ à duabus aliis.

Obj. 6. Aliqui Patres dicunt esse in Deo unicam hypostasim. Ergo est in Deo unica Persona.

Resp. Nego conseq. Quia illi Patres per hypostasim intelligunt naturam, seu essentiam. Nam hæc vox *hypostasis* ab antiquis interdum pro natura, interdum pro persona, ac suppositò usurpata est: sicut *ousia* promiscuè pro supposito, & etiam pro natura ab aliquibus Patribus usurpata reperitur: unde ex aliis vocibus additis ejus significatio determinabatur. Nunc autem usus à multis sæculis invaluit, ut *ousia* solam naturam, & substantiam, hypostasis verò solam personam significaret. Imò ab aliquibus, sed paucissimis, nomen *subsistentia* acceptum est pro persona, & nomen *subsistentia* pro natura.

Obj. 7. Ex S. Gregorio Nysseno, in lib. ad Ablavium. Personæ divinæ se habent respectu divinitatis, sicut Petrus, & Paulus, & Jacobus se habent respectu humanitatis. Ergo sicut hi tres ita sunt unus homo logicè, ut tamen sint tres homines, quia sunt tres Personæ: ita, &c.

Resp. Nego conseq. Quia non intendit in stituere omnimodam comparationem personarum divinarum cum personis humanis, ita ut non aliter tres Personæ divinæ sint unus Deus, quam tres personæ humanæ sunt unus homo, ut patet ex ejusdem orat. cathec. cap. 3. sed solùm vult significare, quòd sicut Petrus, Paulus, & Jacobus ita sunt unus homo, ut tamen sint tres personæ humanæ: sic Pater, Filius, & Spiritus S. sic sunt unus, ut tamen sint tres Personæ divinæ: & vicissim quòd sicut Petrus, Paulus, & Jacobus ita sunt tres personæ humanæ, ut tamen sint unus homo: sic Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ita sunt tres Personæ divinæ, ut tamen sint unus Deus: cum hoc tamen discrimine, quòd plures personæ humanæ

manæ ſint unus homo logicè tantùm, & ſpecie, ſeu unus unitate convenientiæ, & conceptibilitatis; tres autem Perſonæ divinæ ſint unus Deus phyſicè, & numero, ſeu unitate numerica; quia plures perſonæ humanæ habent humanitates plures numero, & realiter diſtinctas; tres autem Perſonæ divinæ habent unam, eandemque numero divinitatem.

Obj. 8. Si eſſent tres Perſonæ divinæ, tres eſſent Dii. Falſum conſeq. ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Quia tres illæ Perſonæ divinæ habent unam, eandemque numero divinitatem. Ad multiplicationem autem concreti ſubſtantivi requiritur tùm ſubjecti, ſeu ſuppoſiti, tùm etiam formæ multiplicatio, ut docent Philoſophi, & conſtat ex uſu.

Obj. 9. Hoc axioma: quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe. At tres Perſonæ Trinitatis ſunt eædem uni tertio, nempe divinitati, ergo ſunt eædem inter ſe, proindeque ſunt eadem Perſona.

Reſp. 1. Diſting. maj. Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe, illa ratione, in qua ſunt eadem uni tertio, *conc. maj.* alia ratione, *nego maj.* Sic quamvis Petrus, & Paulus ſint idem cum homine ſecundùm ſpeciem ſumpto; uterque enim eſt homo ejuſdem ſpeciei, tamen non ſunt idem inter ſe ſecundùm numerum, & individuum, ſed duntaxat ſecundùm ſpeciem. Tres autem Perſonæ Trinitatis ſunt tantùm eædem in ratione Dei, ſeu in divinitate, unde ſunt tantùm idem inter ſe in illa ratione, nempe ſunt idem Deus. At non ſunt idem in perſonalitate, unde non ſunt eadem Perſona.

Reſp. 2. Quæ ſunt eadem uni tertio adæquatè ſumpto, ſunt eadem inter ſe, *conc. maj.* Quæ ſunt eadem uni tertio inadæquatè ſumpto, ſunt eadem inter ſe, *nego maj.* At tres Perſonæ Trinitatis non ſunt idem uni tertio, nempe divinitati, niſi inadæquatè ſumpto: nam ſingulæ non ſunt id omne, cui identificatur divinitas; Pater, v. g. eſt idem cum divinitate ſumpta ſecundùm omnem perfectionem abſolutam, quam includit: at non eſt idem cum ea ſumpta ſecundùm omnem entitatem relativam, cui ipſa identificatur. Paternitas enim non identificatur Filiationi, & ſpirationi paſſivæ, utpote Paternitati oppoſitis, quibus tamen identificatur divinitas.

Poteſt adhuc ſic diſtingui major. Quæ ſunt eadem uni tertio finitito, & incommunicabili, ſunt eadem inter ſe, *eſto maj.* Quæ ſunt eadem uni tertio infinito in omni genere, & propter infinitam fœcunditatem communicabili pluribus relativè oppoſitis, ſunt eadem inter ſe, *nego maj.* Divinitas autem eſt infinita in omni genere, & ratione infinitæ ſuæ fœcunditatis communicabilis pluribus relativè oppoſitis, ideoque realiter inter ſe diſtinctis, tribus ſcilicet Perſonis divinis. Unde ex eo, quod tres Perſonæ identificentur divinitati, ſequitur tantùm, quòd ſint idem, & unus Deus.

Sunt, qui reſpondent hoc axioma etiamſi valeret in creatis, non valere tamen in divinis. Quia Myſteria Religionis noſtræ, cùm humanæ rationis captum ſuperent, non ſunt Philoſophicis principiis explicanda, ſed Scriptura, & Traditione, quæ divinam revelationem continent: *Si inter nos, & Deum nihil eſt diſcriminis* (inquit S. Cyrillus Alexandri. l. 11. in Joann.) *divina noſtris metiamur. Sin autem incomprehenſibile eſt intervallum, cur naturæ noſtræ defectus regulam, ac normam Deo præfiniunt?* Sic olim apud Philoſophos hoc dictum (*ex nihilo nihil fit*) habebatur principium certum, & tamen reſpectu Dei falſum eſſe fatentur ipſi Sabelliani, & Sociniani: nam ſentiunt Deum hocce univerſum ex nihilo, & independenter à materia præjacente condidiſſe.

Porrò duo abſoluta identificata uni tertio identificantur inter ſe, quia non poſſunt habere oppoſitionem relativam producentis, & producti, quæ eſt cauſa diſtinctionis realis: ſicut eam habent relativa.

Obj. 10. Si ſint in Deo tres Perſonæ identificatæ divinitati, ſunt quatuor res in Deo. Ergo eſt quaternitas, non Trinitas.

Reſp. Nego anteced. Nam non ſunt quatuor realiter inter ſe diſtincta; divinitas enim identificatur tribus perſonalitatibus. Quamvis

vis igitur sint in Deo tres res relativæ, nempe personalitates, & una res absoluta, nempe divinitas; tamen tres illæ res relativæ, cùm identificentur illi rei absolutæ, seu divinitati, non faciunt cum illa numerum: nam in omni numero unitas distinguitur realiter ab unitate, quacum numerum facit. Sic corpus, & anima rationalis, & unio Physica, & homo, qui ex illis constituitur, non faciunt quatuor, sed duntaxat tria, & unum; quia homo, qui est totum ex anima, & corpore unitis constitutum, cùm iis identificetur, non facit, nec facere potest cum illis numerum. Igitur in DEO est Trinitas, & unitas, Trinitas personarum, & unitas essentiæ: quare DEUS est trinus, & unus.

Obj 11. Si Pater, & Filius habeant eandem divinitatem, valebit hic sillogismus expositorius: hæc divinitas est Pater, hæc divinitas est Filius, ergo Filius est Pater, ideoque sunt una Persona.

Resp. Nego. Nam hic sillogismus non est verè expositorius, sed categoricus, aut saltem categorico æquivalet. Est autem vitiosus; quia medius terminus, nempe divinitas non sumitur universaliter distributivè, ut sumi deberet, nempe hoc modo: quidquid est divinitas: & tamen sic sumi non potest; nam falsæ sunt istæ propositiones: quidquid est divinitas: est Pater, quidquid est divinitas, est Filius. Quare sillogismus non est in forma, ac proinde conclusio nulla est. Porrò divinitas est capax distributionis, exprimibilis hoc modo: quidquid est divinitas: nam divinitas est terminus universalis æquivalenter, cùm pluribus realiter distinctis communicetur.

Obj. 12. Rationi repugnat, quod una numero natura tribus Personis realiter inter se distinctis identificetur. Ergo repugnat Mysterium Trinitatis.

Resp. Nego anteced. Id quidem humanæ mentis captum superat, & est supra, non contra rationem naturalem. Imo ipsa ratio naturalis docet divinum esse, utpote infinitum, & incomprehensibile, existere posse variis modis, qui intellectus finiti captum superent, & ejus modum existendi debere esse incomprehensibilem cuilibet intellectui finito, juxta illud axioma Philosophicum; modus existendi sequitur esse: ac proinde modus existendi Entis infiniti, & incomprehensibilis, qualis est Deus, est incomprehensibilis intellectui finito, ideoque Mysterium. Fides verò nos docet, quisnam sit ille incomprehensibilis modus esse divini, docendo eum consistere in eo, quòd una, eademque natura divina tribus Personalitatibus realiter inter se distinctis, quarum secunda à prima, & tertia à duabus aliis procedit, identificetur.

Obj. 13. Beatius est dare, quàm accipere, ut docet Christus. At solus Pater non accipit, & aliæ accipiunt à Patre. Ergo solus Pater est beatior aliis, ideòque solus Deus.

Resp. Explicando. Beatiùs est dare, quàm accipere cum dependentia, & sine exigentia infrustrabili accipiendi, *conc. maj.* Beatiùs est dare, quàm accipere, quando qui accipit, per se, & ex natura sua infrustrabiliter exigit accipere sine dependentia id, quod accipit, nec est in potentia ad recipiendum, sed semper habet. *nego maj.* Filius autem, & Spiritus Sanctus infrustrabiliter ex natura sua exigunt accipere divinitatem per communicationem, & personalitatem per productionem sine ulla dependentia. Nam ipsa natura divina, quæ est tam Filii, & Spiritus Sancti natura, quam natura Patris, exigit infrustrabiliter illis communicari, & personalitates duas sibi identificatas produci; ita ut Pater non esset Deus, nisi communicaret totam naturam suam Filio, & Spiritui Sancto, & illorum personalitates produceret.

Obj. 14. Mysterium Trinitatis hæc duo contradictoria admittit: *Deus est genitus*, *Deus non est genitus*, nam Pater est Deus, & Filius est Deus, & tamen Pater non est genitus, Filius verò est genitus, Ergo repugnat.

Resp. Nego anteced. Quamvis enim prima propositio (*Deus est genitus*) sit vera, quia tò *Deus* supponit pro Filio; tamen secunda est falsa; nam sensus illius est: nulla Persona, quæ sit Deus, est genita. Ratio est, quia nomen *Deus* absolutè accipitur pro Per-

sonis

ſonis indiſtinctè, niſi per prædicatum notionale reſtringatur ad unam Perſonam divinam: ſic verum eſt, *Deus generat*, quia nomen *Deus* reſtringitur ad Patrem. At quando propoſitio eſt negativa, ſubjectum non reſtringitur per prædicatum; & nomen *Deus*, quod eſt terminus univerſalis æquivalenter, determinatur per negationem ad ſuppoſitionem univerſalem. Quare cùm dicitur: *Deus non generat*, vel, *Deus non eſt genitus*, ſenſus eſt: nulla Perſona divina generat, nulla eſt genita: quod falſum eſt. Equidem Myſterium Trinitatis admittit has propoſitiones: *Deus eſt genitus*, *Deus eſt ingenitus*. Nam ſenſus eſt: aliqua Perſona habens divinitatem eſt genita, aliqua eſt ingenita; quia cùm propoſitiones illæ ſint affirmantes, nomen *Deus* reſtringitur per prædicatum ad unam Perſonam, ita ut in prima propoſitione ſupponat pro Perſona Verbi, & in ſecunda pro Perſona Patris.

Item: unus Deus in eſſentia verè gignit, gignitur, & procedit. Nam ille unus Deus in eſſentia eſt Pater, qui gignit: eſt Filius, qui gignitur: eſt Spiritus Sanctus, qui procedit: quippe unus Deus in eſſentia ſumitur pro Perſonis in communi. Falſum eſt enim, quòd Deus in eſſentia nihil aliud ſit, quàm ipſa eſſentia divina formaliter ſumpta, & prout à tribus perſonalitatibus virtualiter diſtinguitur.

Obj. 15. Tres Perſonæ divinæ ſunt tres intelligentis naturæ ſubſiſtentiæ individuæ, & incommunicabiles alteri ut ſuppoſito. Ergo ſunt tres Dii.

Reſp. Neg. conſ. Quia tres illæ ſubſiſtentiæ ſunt ſubſiſtentiæ relativæ ejuſdem naturæ, illis abſque ulla ſui multiplicatione identificatæ.

ARTICULUS II.

Expediuntur duæ quæſtiones circa Trinitatem.

Quæres 1. *Utrùm Trinitas Perſonarum divinarum in unitate naturæ probari poſſit ex veteri Teſtamento.*

Reſp. Affirm. Nam 1. Geneſ. c. 1. Deus hominem conditurus ſic loquitur de ſe ipſo in plurali. *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* Verbum *faciamus* clarè ſignificat plurium inter ſe ſe conſultationem: hæ verò voces (*ad imaginem*, & *ſimilitudinem noſtram*) ſignificant unitatem naturæ, alioqui debuiſſet dici: *ad imagines*, & *ſimilitudines noſtras.*

Nec die, Deum in unica Perſona ſecum loqui. Nam (ut ait S. Baſilius, Homil. 9. in Hexameron) *Quis faber aut ærarius, aut lignarius, ſolus ipſe quidem, nec alio quoquam ſibi cooperante ſtipatus, interque ſuæ artis inſtrumenta deſidens, ſibi ipſi admurmurat dicens: faciamus gladium, aut compingamus aratrum; ac non potiùs ſilentio ſuam, cum libuerit, accommodatam ad artem exequitur operationem? Sunt enim inſignes profectò nugæ unum aliquem inveniri, qui ſibi imperet, ſive præceptorem deſiderare, ac heriliter ſe ipſum, vehementerque urgere, & adhortari.*

Neque dici poteſt, Deum hic alloqui Angelos. Nam Deus Pater hic non alloquitur, niſi illos, quibus dicit, *ad imaginem noſtram.* Angeli autem non habent unam, eandemque imaginem cum Deo. Ita reſpondit idem S. Baſilius, loco citato.

Neque etiam dici poteſt, Deum hic loqui in plurali numero ad commendandam auctoritatem ſuam. Tum quia hic nulla eſt cauſa commendandæ auctoritatis divinæ; cùm Deus hic creaturas non alloquatur. Tùm quia Deus in Scriptura ferè ſemper loquitur in ſingulari numero, præſertim ubi commendat auctoritatem ſuam, ut cùm dicit; *Ego Dominus Deus veſter. Ego ſum Dominus.* Nec in plurali numero loquitur, niſi ad ſignificandam pluralitatem Perſonarum, ut Geneſ. c. 3. *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt, ſciens bonum, & malum.* Et, c. 11. *Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* Certè in his omnibus locis Deus non alloquitur creaturas, nec illis quidquam præcipit: ergo non loquitur in numero plurali ad commendandam auctoritatem ſuam, ſed ad ſignificandam Perſonarum pluralitatem.

2. Ex variis Pſalmis, ut, Pſal. 2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui*

genui te. Et Psalm. 109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis... Ex utero ante luciferum genui te.* Unde clarè exprimitur duplex Persona distincta in una natura. Nam Pater, & Filius non possunt esse una, eademque Persona; nemo enim se ipsum generare potest. Pater autem non genuit Filium, nisi ex sua substantia, communicando illi suam substantiam, totam nempe divinitatem; non autem partem substantiæ, aut aliam substantiam divinam, cùm natura divina sit indivisibilis, & numero unica. Ex quibus locis divinitatem Christi probat Apostolus, Heb. c. 2.

3. Isai c. 9. dicitur de Seraphim: *Clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Ubi Trinitas Personarum in una natura non obscurè indicatur; nam trina vocis *Sanctus* repetitio cum singulari nomine Domini, & Dei significat Trinitatem Personarum in una natura divina. Ita differit S. Ambrosius, l. 2. de Fide ad Gratian. c. 4.

Quæres 2. *Utrùm Mysterium Trinitatis cognosci possit solo lumine naturali?*

Resp. Neg. Ita omnes Theologi contra Raymundum Lullum. Et constat, imò juxta aliquos est de Fide.

Prob. 1. Ex Math. c. 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* 2. Ex Patribus apud auctores. 3. Quia Deus non cognoscitur naturaliter, nisi ex creaturis. At ex creaturis non potest cognosci Deus, nisi ut unus in essentia, non verò trinus in Personis. Nam creaturæ non sunt motivum cognoscendi Deum, nisi ut unum in natura; eò quòd producantur à Deo per omnipotentiam, quæ una, eademque est in tribus Personis. Præterea nullum in rebus creatis extat Trinitatis vestigium prorsus simile.

Obj. Ex Patribus: multi veteres Philosophi mentionem aliquam Trinitatis fecerunt. Ergo hoc Mysterium *solo lumine naturali* cognosci potest.

Resp. Nego conseq. Nam si Philosophi illi re ipsa Trinitatis notitiam habuerunt, eam vel ex lectione Scripturarum sacrarum, vel ex Traditione Fidelium hauserunt, non verò ex aliquo naturali discursu.

ARTICULUS III.

Utrùm Filius Dei sit verus Deus?

Nota 1. Ex dictis articulo 1. patet, tres Personas divinas esse unum verum Deum. Quia tamen hæretici divinitatem Filii, & Spiritus Sancti speciatim impugnarunt, operæ pretium est illam adhuc probare. Patris autem divinitatem neque Judæi, neque Hæretici ulli negarunt. Enimverò qui Deum unum agnoscunt, consequenter admittere debent unam saltem Personam in Deo, quæ possit vocari Pater, cùm sit principium rerum omnium. Patris tamen nomen, ut primæ Personæ proprium, aliquid aliud significat, nempe principium Filii consubstantialis: nam in Scriptura Pater vocatur specialiter, & singulariter Pater Domini nostri Jesu Christi, & Filii unigeniti.

Nota 2. Arius Presbyter Alexandrinus negavit Filium esse verum Deum, fuisse ab æterno, esse ejusdem substantiæ cum Patre; & asseruit eum ex nihilo factum esse, esse creaturam, sed cæteris omnibus excellentiorem. Hæc hæresis plurimos sectatores habuit, & diu in orbe Christiano grassata est. Ejus sectatores dicti sunt Ariani, quorum multi vocati sunt quoque *Anomœi*, eò quòd assererent Filium per omnia Patri dissimilem, quod palàm asserere non audebant Ariani politici, quamvis tamen Ariani omnes dissimilitudinem in substantia admitterent in SS. Trinitate, sentientes Filium Patri, & Spiritum Sanctum utrique esse dissimilem, & inferiorem.

§. I.

Dico. Filius est verus Deus. Est de Fide, & Religionis Christianæ fundamentum.

Prob. 1. Ex Scriptura, & 1. quidem ex Joan. c. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Hæc verba

(&

(*& Deus erat Verbum*) clarè exprimunt divinitatem Verbi. Nam hic est ordo verborum secundùm sensum: & Verbum erat Deus. Præterea si Deus est Verbum, Verbum est etiam Deus: nam Deus non est creatura, & Deus secundùm se, & secluſa unione ſubſtantiali cum creatura, non est, nisi Deus. Deinde omnia per Filium facta sunt, ergo Filius non est factus: ergo Filius non est creatura; nam omnis creatura facta est. Item omnia per Filium facta sunt, quæ scilicet facta sunt, id est, omnis creatura per Filium facta est. Ergo Filius non est creatura; alioqui Filius se ipsum fecit, quod repugnat. At si Filius non est creatura, est Deus: nam omne ens verum vel est Deus, vel creatura.

2. Joann. c. 10. *Ego, & Pater unum sumus.* Id est, una res, una ſubſtantia, natura, & divinitas. Quibus verbis Christus clarè exprimit suam cum Patre æqualitatem, & unitatem in essentia, ita ut Judæi hoc statim intellexerint, ut patet ex verbis immediatè sequentibus, *Ego, & Pater unum sumus. Sustulerunt ergo lapides Judæi, ut lapidarent eum. Respondit eis Jesus: multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo, propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Judæi: de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia: & quia tu homo cùm sis, facis te ipsum Deum.*

Certè si Christus non esset Deus, debuisset hoc illis Judæis clarè significare, & verba sua explicarè de unitate morali, ut tolleret scandalum, & Deo debitam gloriam redderet, quod tamen non fecit. Contrà verò ad veritatem sensus verborum illorum (*Ego, & Pater unum sumus*) intellecti à Judæis, nempe de unitate, & identitate naturæ cum Patre, probandam provocat ad miracula, quæ coram iis patrarat. *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum*, inquit, *vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite; ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre*, per identitatem scilicet naturæ. Per hanc autem mutuam immanentiam clarè adhuc exprimit suam divinitatem: nam in Deo nihil est, quod non sit Deus per identificationem divinitatis. Et verò si Christus voluisset tantùm significare his ultimis verbis se esse in Patre, & viciſſim Patrem esse in ipso, eo modo, quo sumus in Deo Patre, & Deus viciſſim in nobis est, non dixisset, *operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre*: nam cum Judæi putarent, Christum esse purum hominem, non alio modo existimabant Christum esse in Deo, quam quo sunt alii homines.

3. Christus, Joann. c. 16. ait de se ut Filio Dei: *omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt.* Certè qui habet omnia, quæcunque habet verus Deus, is est verus Deus; nam habet etiam divinitatem. Atqui Filius asserit se habere omnia, quæcunque habet verus Deus; ergo est verus Deus. *Nihil Patre minus habet ille, qui dicit: omnia, quæ habet Pater, mea sunt. Æqualis est igitur*, inquit S. Augustinus, l. 1. contra Maximum, cap. 14.

4. Ep. 1. Joan. c. 5. *Scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum DEUM* (Patrem) *& simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna.*

5. Rom. c. 9. *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Et, Phil. c. 2. *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Et, Hebr. cap. 1. *Ad Filium autem: thronus tuus, Deus in sæculum sæculi.*

Prob. 2. Divinitas Filii ex Traditione, quæ clarè elucet in unanimi Patrum omnium consensu. Sed quia ejus hostes consentiunt de Patribus, qui post tertium sæculum floruerunt, satis erit, si referantur testimonia Patrum, qui ante exortam Arianam hæresim scripserunt.

1. Itaque S. Ignatius Martyr, epist. ad Ephesios ait: *Dominus noster, & Deus Jesus Christus Filius Dei viventis primùm fuit.* Priùs dixerat: *habemus etiam medicum Je-*

ſum Chriſtum ante ſæcula unigenitum, & Verbum, poſtea vero & hominem factum.

2. S. Juſtinus Martyr, in cohortatione ad Græcos de Chriſto hæc ait: *Qui cùm Dei ſit Verbum, virtute, ac potentia ab eo indiſcretum, homine ..... aſſumpto, ad meam nos priſcorum parentum religionis revocavit.* Et in apologia 2. *Qui enim Filium Patrem eſſe dicunt, comperiuntur neque Patrem ſcire: neque Filium eſſe Patri univerſorum, noſſe: qui quòd Verbum, & primogenitus Dei ſit, Deus etiam eſt.* Et in apologia prima expreſsè dicit Verbum ſimul cum Deo patre exiſtere ante creaturas. *Porrò*, inquit, *Filius ejus, qui ſolus propriè dicitur Filius, Verbum, ſimul cum illo ante creaturas, & exiſtens, & naſcens, quoniam primùm per eum cuncta condidit.*

3. Athenagoras Athenienſis Philoſophus Chriſtianus, in legatione pro Chriſtianis. *Unum prædicamus Deum, quin & Dei Filium mente complectimur ..... Filius Dei eſt Verbum Patris, in idea, & efficacia. Ab ipſo enim, & per ipſum facta ſunt omnia, cùm Pater, & Filius unum ſint.* Et inferius. *Nequaquam nos eſſe à Deo alienos, qui univerſitatis ejus opificem, ſimulque ejus Verbum, ſeu verum Deum, veneramur, demonſtratum eſt.* Superius autem clarè totam Trinitatem profitetur his verbis. *Deum aſſerimus, & Filium ejus Verbum, & Spiritum Sanctum.... eſſentia unum.*

4. Theophilus, qui Eccleſiam Antiochenam ſub Marco Aurelio rexit, ſic ait, l. 3. Allegoriarum in Evangelium: *ſciendum eſt, quod Chriſtus Dominus noſter ita verus homo, & verus eſt Deus, de Patre Deo Deus, de Matre homine homo.*

5. S. Irenæus, S. Polycarpi diſcipulus, l. 3. contra hæreſes, c. 6. *Neque igitur Dominus, neque Spiritus Sanctus, neque Apoſtoli eum, qui non eſſet Deus, definitivè, & abſolutè Deum nominaſſent aliquando, niſi eſſet verus Deus... Similiter illud: ſedes tua Deus in æternum, virga directionis virga Regni tui. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus. Uterque enim Dei appellationem ſignificavit Spiritus; & eum, qui ungitur Filium; & eum, qui ungit, id eſt, Patrem... Hæc enim eſt Synagoga Dei, quam Deus, hoc eſt, Filius ipſe per ſemetipſum collegit, de quo iterùm dixit: Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vocavit terram. Quis Deus? de quo dixit; Deus manifeſtè veniet, Deus noſter, & non ſilebit: hoc eſt, Filius, qui ſecundùm manifeſtationem hominibus advenit.... Nemo igitur alius, quemadmodum prædixi, Deus nominatur, aut Dominus appellatur, niſi qui eſt omnium Deus, & Dominus, qui & Moyſi dixit, ego ſum, qui ſum, & hujus Filius Jeſus Chriſtus Dominus noſter.*

6. Clemens Alexandrinus Presbyter, in admonitione ad Græcos; ſeu ad Gentes. *Nunc autem apparuit hominibus hic ipſe Verbum, qui ſolus eſt ambo, Deus, & Homo... Verbum divinum, qui re vera eſt Deus manifeſtiſſimus, qui eſt Univerſorum Dominus exæquatus, quoniam erat ejus Filius, & Verbum erat in Deo.* Et, l. 1. Pædagogi, c. 8. *Nihil ergo odio habet Deus, ſed neque Verbum: utrumque enim unum eſt, nempe Deus. Dixit enim: in principio erat Verbum, & Verbum erat in Deo, & Deus erat Verbum.* Et, l. 3. in fine. *Laudamus unum Patrem, & Filium... una cum Sancto Spiritu, qui unus eſt omnia, &c.*

7. S. Cyprianus Carthaginenſis Epiſcopus, l. de unitate Eccleſiæ. *Dixit Dominus: ego, & Pater unum ſumus. Et iterum de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto ſcriptum eſt: & hi tres unum ſunt.*

8. Methodius Tyri Epiſcopus, & Martyr ſub Diocletiano, in l. de Simeone, & Anna, de Chriſto dicit: *Venit..... Lumen ſempiternum... Lumen Deo, ac Patri conſubſtantiale... Lumen illuminans Cœleſtia, terreſtria, Chriſtus verus Deus noſter.* Et inferiùs ſic Chriſtum alloquitur: *Tu Lumen verum ex vero Lumine, Deus verus ex Deo vero, à Te ipſo, non per gratiam Deus.... quoniam tua eſt gloria, & poteſtas, & magnificentia, ac majeſtas cum Patre, & Spiritu Sancto in ſæcula ſæculorum.*

9. S. Zeno Veronenſis circa ann. 260. ſic

ſic, ſerm. 1. de æterna Filii Dei generatione, ait de Filio: *de Deo naſcitur Deus, de ingenito unigenitus, de ſolo ſolus, de toto totus, de vero verus, de perfecto perfectus. Totum Patris habens* (quoad naturam) *nihil derogans Patri.* Et, ſerm. 2. dicit Filium eſſe æqualem in omnibus Patri.

His adde teſtimonia Martyrum de divinitate Filii, quæ extant in eorum actis ſinceris, & Patrum Concilii Antiocheni contra Paulum Samoſatenum congregati, in ſua ad eundem Paulum epiſtola infra citanda.

Prob. 3. Divinitas Filii ex Conciliis generalibus. 1. Ex Conc. Nicæno I. contra Arium coacto, quod in Symbolo definiit Filium eſſe *Deum verum ex Deo vero, natum non factum, conſubſtantialem Patri.* 2. Ex Conc. Conſtantinopolitano I. in Symbolo, ubi dicitur: *Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem..... Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum: Filium Dei unigenitum..... Deum verum ex Deo vero, homouſion Patri, hoc eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ.* 3. Ex pluribus aliis Conciliis generalibus, nimirum Epheſino, Chalcedonenſi, Conſtantinopolitano ſecundo, & tertio, & Nicæno II. quæ approbant, & confirmant Symbolum, ac definitionem Concilii Nicæni I. 4. Ex Conc. Lateranenſi IV. quod, cap. 1. definit Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum eſſe tres Perſonas, ſed unam eſſentiam, & ſubſtantiam, ſeu naturam, & eſſe *conſubſtantiales, & coæquales, coomnipotentes, & coæternos.* 5. Ex Conc. Viennenſi, Clementina 1. de Summa Trinitate. 6. Ex Conc. Florentino, in definitione, ubi ait: *omnia, quæ Patris ſunt, ipſum Patrem unigenito Filio gignendo dediſſe præter eſſe Patrem.* 7. Ex Conc. Tridentino ſeſ. 3. ubi approbat, & confirmat Symbolum Fidei, quod in Miſſa legitur. His adde Symbolum Athanaſianum, in quo dicitur; *Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una eſt divinitas, æqualis gloria, coæterna majeſtas.*

Prob. 4. Argumento præſcriptionis. Eccleſia initio quarti ſæculi damnavit hæreſim Arianam, aſſerentem Filium Dei eſſe creaturam, & definiit eum eſſe verum Deum, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ. Ergo *initio* quarti ſæculi, Eccleſia credebat Filium eſſe verum Deum. Ergo Eccleſia etiam tribus prioribus ſæculis credidit divinitatem Filii. Nam ſi prioribus ſæculis fuiſſet alia Fides, Doctrina Eccleſiæ mutata fuiſſet initio quarti ſæculi, vel tertio ſæculo. At hoc dici non poteſt: nam dici non poteſt, quo tempore, qua ratione, quo auctore hæc mutatio cœperit, quas contentiones excitarit, quos adverſarios habuerit, quibus promotoribus, & quibus præſidiis omnes Eccleſias particulares pervaſerit. Tantam enim doctrinæ Catholicæ ab Apoſtolis traditæ mutationem, ac corruptionem in re tanti momenti factam eſſe incerto auctore, & tempore, nemine reclamante & obſiſtente, conſentientibus omnibus Eccleſiæ Præſulibus, & Doctoribus, prorſus incredibile eſt, & evidenter repugnat experientiæ cujuslibet mutationis, præſertim in re tam gravi; atque Chriſti promiſſionibus de conſervanda Eccleſia Sponſa ſua in vera Fide, ab ipſo, & Apoſtolis ejus accepta.

§. II.

Solvuntur objectiones à Scriptura petitæ.

Obj. 1. Filius vocatur Deus in Scriptura figuratè tantùm, ſicut Moyſes dicitur Deus Pharaonis, Exodi cap. 7. *Conſtitui te Deum Pharaonis*: & ſicut Judices, ac Magiſtratus dicuntur Dii, Pſalm. 81. *Ego dixi, Dii eſtis, & Filii excelſi omnes.* Item non vocatur Filius Dei, niſi per adoptionem. Ergo Filius non eſt verè Deus.

Reſp. Nego antec. Nam 1. Filius Dei dicitur Deus ſimpliciter, & abſolutè, & in ſingulari. Nullus autem in Scriptura vocatur Deus ſimpliciter, & ſine addito, & in ſingulari numero, niſi verus Deus. At Moyſes dicitur tantùm Deus cum addito deſtruente veram rationem Dei, nempe dicitur conſtitutus Deus Pharaonis, id eſt, conſtitutus cum poteſtate Miniſtri Dei in Pharaonem: Judices verò dicuntur in plurali Dii, qui certè non poſſunt eſſe tales verè, ſed

solùm in sensu metaphorico, quatenus sunt Ministri Dei, & ejus vices gerunt erga alios. 2. Filius dicitur in Scriptura *Deus super omnia benedictus, verus Deus*, unum cum vero Deo; quæ omnia dici non possunt, nisi de vero Deo. 3. In Scriptura tribuuntur Filio attributa, & opera Dei propria, ut omnipotentia, æternitas, creatio, &c. & de eo ab Apostolis exponuntur plures textus veteris Testamenti solum verum Deum spectantes, ut videre est apud Bellarminum, l. 1. de Christo, c. 4. 4. Denique dicitur Dei Filius proprius, & Unigenitus, ut, Rom. c. 8. *Proprio Filio suo non pepercit.* Et Joann. c. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, cùm tamen sint multi filii adoptivi. Item dicitur Filius per oppositionem ad Angelos, Hebr. c. 1. *cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Igitur est Filius Dei naturalis; ideoque ejusdem cum Patre substantiæ, ac naturæ: & verus Deus, sicut ipse Pater. Nam Dei Filius naturalis est ille, qui est ex substantia Dei, nempe divinitate: quæ cùm sit unica, & indivisibilis, debuit tota communicari per generationem. Item Pater non genuit Filum, nisi ex sua substantia, communicando illi suam substantiam totam, nempe divinitatem, non verò partem substantiæ, aut aliam substantiam divinam; cùm natura divina sit indivisibilis, & unica etiam numero.

Inst. Cùm Judæi, Joann. c. 10. dicerent de Christo, quòd se faceret Deum, ipse respondit: *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, Dii estis?* Ergo Christus se dicebat Deum figurate, sicut Judices dicuntur Dii.

Resp. Nego conseq. Imò hac sua responsione Christus confirmat se etiam verum hominem existentem, esse etiam verum Deum: nam addidit: *si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solvi Scriptura; quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio.... operibus credite, ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre.* Hoc est, si Judices, & Magistratus in Scriptura rectè vocantur Dii, quia nempe sunt Vicarii Dei in judicando, & regendo mundo; quo jure me de blasphemia arguitis, eò, quòd me Filium Dei vocem, & unum cum illo me dicam, quem ipse Pater sanctificavit per communicationem divinæ suæ naturæ, & quem opera miraculosa ostendunt esse in Patre, & Patrem in me esse, per identitatem naturæ?

Obj. 2. Illud, Joann. c. 17. *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Ergo solus Pater est Deus.

Resp. Nego conseq. Quia Christus ibi non vocat Patrem solum verum Deum cum exclusione eorum, qui eandem habent divinitatem cum Patre, nempe cum exclusione sui, & Spiritus Sancti, sed duntaxat cum exclusione creaturarũ, quibus Ethnici divinitatem affingebant. Quare sensus hujus loci est: hæc est vita æterna, ut cognoscant te, ò Pater, qui es Deus ille, qui solus verus Deus est. Nam cùm aliqua Persona divina dicitur esse unus Deus, solus Deus, vox exclusiva cadit in vocem *Deus*, non in Personam, quæ dicitur Deus.

Obj. 3. Illud, 1. Cor. cap. 8. *Nobis tamen unus Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum: & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Ergo.

Resp. Nego conseq. Quia vox *unus* non excludit à divinitate Filium, & Spiritum Sanctum, sed duntaxat Ethnicorum Deos: quod patet ex his verbis præcedentibus: *nam etsi sunt, qui dicantur Dii, sive in Cœlo, sive in terra, siquidem sunt Dii multi, & Domini multi: nobis tamen unus Deus Pater, &c.* Et verò sicut Apostolus ibi dicendo unum Dominum Jesum Christum, non excludit Patrem ab apppellatione Domini: ita dicendo unum Deum Patrem, non excludit Christum ab appellatione Dei. Imò ex eò, quòd Christus dicatur unus Dominus, rectè infertur, illum esse unum Deum: sicut ex eò, quòd Pater dicatur unus Deus, rectè infertur, eum etiam esse unum Dominum.

Obj.

Obj. 4. Illud, Prov. c. 8. *Dominus creavit me initio viarum suarum.* Ergo Filius factus est ex nihilo, ergo est creatura.

Resp. Nego consec. Quia verbum *creare* ibi sumitur latè, non strictè. Nam creare in sensu lato est præcisè producere sine ulla mutatione, & diminutione producentis. Creare verò in sensu stricto est producere aliquid ex nihilo tùm sui, tùm subjecti, sine mutatione, & diminutione producentis. Igitur Pater creavit Filium, quia produxit illum absque ulla mutatione, & diminutione sua: nam illum producit, totam suam substantiam ei sic dando, ut totam retineat. Unde non produxit Filium ex nihilo, sed ex sua substantia genuit, eam totam illi communicando.

Obj. 5. Illud, Act. c. 2. *Dominum eum, & Christum fecit Deus hunc Jesum, quem vos crucifixistis.* Ergo Christus factus est.

Resp Christus factus est secundùm naturam humanam assumptam, seu factus est ut homo. At non est factus secundùm personam assumentem: nam illa Persona est æternum Dei Verbum, genitum, non factum, consubstantiale Patri, quod in tempore homo factum est.

Obj. 6. Illud, Joann. c. 1. *Ante me factus est.*

Resp. Sensus est: in majore dignitate, & honore, quàm ego, constitutus est, ut homo scilicet: nempe ut sit Redemptor, & Rex omnium; cùm ego Redemptoris Minister sim. Quod patet ex verbis sequentibus: *quia prior me erat*: id est, natu major, non secundùm naturam humanam, (nam Christus post Joannem Baptistam conceptus, & natus est ex Maria Virgine) sed secundùm naturam divinam, secundùm quam tota æternitate Joannem Baptistam anteceſſit, & ideo dicebat Judæis: *Amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum.* Joann. c. 8.

Porrò illud, Hebr. c. 1. (*tantò melior Angelis effectus*) significat: tantò magis præ Angelis honoratus est.

Obj. 7. Illud, Rom. c. 1. *Qui prædestinatus est Filius Dei, in virtute secundùm Spiritum sanctificationis.* At prædestinatio est eorum, quæ sunt per gratiam, non per naturam.

Resp. Id dicitur de Christo ut homine, seu secundùm humanitatem, non secundùm Personam. Itaque Christus ut homo prædestinatus est duntaxat secundùm humanitatem, ut esset Filius Dei; quia humanitati per se non competebat; ut uniretur Verbo in unitatem Personæ. At non est prædestinatus secundùm Personam: nam Persona Christi est Persona Verbi, quæ est tam necessaria, quàm Persona Patris, cui consubstantialis est

Obj. 8. Verba hæc. Col. cap. 1. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*, Ergo Filius est creatura omnium excellentissima.

Resp. Nego consec. Nam Filius dicitur primogenitus omnis creaturæ, quia genitus est ab æterno, ac proinde antequam ulla esset creatura: sive hæ voces (*primogenitus omnis creaturæ*) significant genitum, antequam esset ulla creatura. Id etiam intellexit Conc. Toletanum XI. de Christo ut homine, & tunc sensus est, Christum ut hominem esse excellentiorem omnibus creaturis.

Obj. 9. Filius omnia accepit à Patre, ex Matth. c. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Ergo est creatura.

Resp. Nego consec. Nam Filius quidem à Patre omnia, quæ habet, accepit, sed sine ulla dependentia, ac imperfectione, & ex summa, ac infrustrabili exigentia suæ essentiæ, naturæ scilicet divinæ, omninò necessariæ, independentis, & infinitè perfectæ, quæ exigit, ut communicetur Filio à Patre modo perfectissimo. Unde non est melius Patri dare, quàm Filio accipere.

Porrò Pater omnia, quæ habet, dedit Filio, excepta scilicet sola proprietate paternitatis, quæ sola ex his, quæ habet Pater est incommunicabilis Filio, propter oppositionem realem, quam habet cum proprietate filiationis.

Obj. 10. Hæc verba, Joann. c. 6. *Descendi de Cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.* Et ista, 1. Cor. c. 15. *Cùm subjecta fuerint illi omnia, tunc*

&

& ipse Filius subjectus erit ei, qui subjecit sibi omnia. Ergo Filius est subjectus, & obedit Patri, ideòque non est Deus.

Resp. In his locis agitur de Filio ut homo est, non ut Deus est. Et re vera Filius ut homo, est, & erit subjectus Patri in æternum. Sensus autem primi loci est, Filium Dei assumpsisse naturam humanam in utero Virginis, ut voluntatem humanam suam subjiceret voluntati divinæ, quæ est voluntas Patris, & sua, ut Deus est: nam hæc verba (*descendi de Cœlo*) idem sonant, ac assumpsi naturam humanam; quia Filius Dei per assumptionem humanitatis fuit novo modo in terris, quo anteà non erat. In Filio autem Dei incarnato sicut duæ naturæ, ita & duæ voluntates sunt, una divina, quæ tribus Personis communis est; & alter humana, quæ propria est Filio, ut homini facto, & subjecta est priori voluntati. Unde Filius secundùm unam sui voluntatem sibi ipsi, & aliis Personis subjectus est.

Obj. 11. Illud Joann. c. 14. *Pater major me est.*

Resp. Filius est minor Patre, ut homo est, seu secundum naturam humanam, quam assumpsit in utero Virginis: non autem secundùm naturam, quam ab æterno, & pro æterno accepit à Patre per generationem æternam; nam secundùm hanc est æqualis Patri; cum à Patre accipiat ab æterno eandem numero naturam, quam habet ipse Pater. Quare Christus ibi loquitur de se ut homine, ut patet etiam ex verbis præcedentibus: *si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem; quia Pater major me est.* Igitur Pater Christo major est sub eo respectu, sub quo Christus vadit ad Patrem in Cœlum, ut patet ex particula causali: *quia.* At Christus vadit in Cœlum dumraxat, quatenus est homo. Ergo Pater Christo major est solùm, quatenùs Christus homo est. Itaque in Filio Dei incarnato duæ sunt naturæ, una per identitatem cum personalitate Filii, nempe divina: altera per unionem substantialem cum eadem personalitate, nempe humana. Per primam Filius est verus Deus, & æqualis Patri: per secundam Filius est verus homo, & minor Patre, & passus, ac mortuus est. Quare Scriptura de Filio Dei incarnato modò loquitur secundùm humanam, ut in locis objectis: modò secundùm naturam divinam, ut Joan. c. 10. *Ego, & Pater unum sumus.* Et Phil. c. 2. *Cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Et Joan. c. 5. *Hic est verus Deus, & vita æterna.*

Obj. 12. Illud Marc. 10. *Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus.* Ergo Christus fatetur se non esse Deum.

Resp. Nego conseq. Nam ibi Christus hominem increpat, eò, quòd ipsum appellaret singulariter bonum, & tamen non crederet Deum. Deus enim solus dignus est, qui singulariter bonus dicatur; cum solus sit bonus per essentiam, & à se ipso; creaturæ verò bonæ sint contingenter tantùm, & per bonitatem acceptam à Deo, eamque limitatam. Quare sensus est: cur me vocas singulariter bonum, & non credis esse Deum, cum nemo singulariter bonus sit, nisi solus Deus?

Obj. 13. Joan. c. 5. Christus ait: *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei.* Et Marc. 13. *De die autem illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater.*

Resp. Ad 1. Sensus est, quòd Pater omnia demonstret Filio, non docendo, sed generando, & per generationem communicando ei naturam divinam primariò, ut est scientia rerum omnium: unde Filius est Verbum Patris. Item cùm Christus, Joann. c. 15. dicit: *quæcunque audivi à Patre, nota feci vobis:* vel ibi loquitur de se, ut homine: vel si loquitur de se, ut Deo, audit à Patre non discendo, sed nascendo; nam rerum omnium scientiam per nativitatem accepit à Patre.

Resp. Ad 2. Christus ibi loquitur de se ut homine, & de scientia communicabili aliis: ita ut sensus sit, se ut hominem nescire diem Judicii ea scientia, quæ aliis communicari possit, quamvis id sciret etiam ut homo est: nam in illo *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi,* ut ait Apostolus, Col. c. 2. Et cognitio diei Judicii

perti-

pertinet ad munus Judicis omnium hominum, quod Christus ut homo gerit. Christus autem ut homo non poterat hanc cognitionem diei Judicii communicare hominibus, quia Deus volebat, ut dies ille lateret hominibus. Neque Christus ibi usus est restrictione mentali, nam loquebatur ad mentem audientium.

Inst. Hæ voces (*nisi Pater*) excludunt quamlibet aliam personam à cognitione diei Judicii.

Resp. Nego. Sed ab ea excludunt eos solos, qui eandem cum Patre naturam, & intelligentiam non habent; sicut cum Christus, Matth. cap. 11. dicit: *nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius*, particula: *nisi* non excludit à Patre cognitionem sui.

Obj. 14. Illud, Matt. c. 20. *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.*

Resp. Ibi Christus loquitur de se ut homine, & sensus est: non debeo ex humana, & naturali inclinatione primas Regni mei sedes dare vobis; quia præcisè estis affines mei, & eas petitis; sed iis, quibus paratæ sunt voluntate divina Patris mei, quæ est etiam mea, nempe iis, qui illas merebuntur.

Obj. 15. Illud, Joann. c. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Ergo Filius fuit duntaxat instrumentum Patris in creatione Mundi.

Resp. Nego conseq. Nam Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt una causa principalis productionis Mundi; cùm Mundus ex nihilo conditus sit per omnipotentiam communem, & identificatam tribus Personis; præpositio autem *per* hic significat causam principalem; ita ut cùm dicitur: *omnia per ipsum facta sunt*, perinde sit, ac si diceretur: omnia ab ipso facta sunt: sicut hæc præpositio in multis aliis Scripturæ locis causam principalem, non instrumentalem significat ut Genes. c. 4. *Possedi hominem per Deum.* Prov. c. 8. *Per me Reges regnant.* Sic etiam dicimus omne opus salutare fit per Dei gratiam. Scriptura autem cùm de Filio loquitur, sæpè utitur præpositione *per*, ut indicet Filium agere per potentiam acceptam à Patre, sed absque dependentia, & eandem numero potentiam, quam ipse Pater habet.

Obj. 16. Nullus est alius Deus, quam qui in veteri Testamento dicitur Deus Abraham, Isaac, & Jacob. At sola Persona Patris est Deus Abraham, Ergo sola est verus Deus, *Nego minorem, probabis.* Deus Abraham, Isaac, & Jacob in Scriptura opponitur Filio, nam Act. c. 3. dicitur: *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos tradidistis &c.* Et Hebr. c. 1. Deus Pater, qui in Prophetis locutus fuerat, dicitur novissimè locutus fuisse nobis in Filio. Ergo.

Resp. Disting. anteced. Opponitur Filio ut homo est, *conc. ant.* Ut est Verbum, *nego antec. & conseq.*

Obj. ult. Illùd Joann. c. 5. *Non potest Filius à se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem.* Ergo Filius non est omnipotens.

Resp. Nego conseq. Nam statim Christus ibidem subjungit; *quæcunque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit,* Itaque Filius dicitur nihil facere à se ipso, tum quia quidquid habet Filius, id à Patre accepit per generationem: tùm quia eadem est voluntas, ac natura Patris, & Filii.

§. III.

Solvuntur objectiones à Patribus petitæ.

Obj. 1. Justinus Martyr, in dialogo cum Tryphone dicit 1. *Esse, & dici Deum, & Dominum alium præter factorem omnium, qui & Angelus, sive nuncius vocatur, eò quòd annuncies mortalibus, quæcunque annunciari eis vult universitatis fabricator, supra quem alius Deus non est.* 2. Filium *Factoris rerum omnium voluntati ministrare, & administrum esse Deo.* 3. Deum ingenitum nec Moysi, nec Patriarchis apparuisse; quia non potest alloqui ullo modo aliquem, nec conspici, nec Cœlo descendere. 4. Patrem esse Dominum

rerum universarum, & ipsius Christi. 5. Filium esse Deum juxta consilium, & voluntatem Patris. 6. Patrem esse Filio causam, ut sit. 7. Denique, apologia 2. Filium secundo loco, & Spiritum Sanctum tertio ordine à Christianis cum ratione coli. Addit Patrem esse verum, ac singularem Deum.

Resp. Sanctus Justinus ista omnia in bono sensu intellexit; nam certum est ex iisdem libris eum divinitatem Verbi credidisse, & docuisse: Itaque.

Resp. ad 1. Solùm vult Filium esse alium Deum, ac Dominum ratione personalitatis, non ratione naturæ, & divinitatis, id est, præter Personam Patris, qui Deus est, esse aliam Personam divinam, quæ ejus Filius est, ideóque Deus per eandem substantiam. Cùm addit supra Patrem non esse alium Deum, intelligit non esse aliam Personam divinam, à qua Pater procedat: vel solùm excludit Deos Gentilium. Cùm autem vocat Filium Angelum, nuncium Patris, loquitur de Filio ut homine, vel impropriè locutus est.

Resp. ad 2. Cùm vocat Filium Creatoris administrum, & dicit Filium ministrasse voluntati Patris, loquitur de administratione impropriè dicta, in eo posita, quòd Filius agat cum Patre in rerum productione, & conservatione per virtutem acceptam à Patre in sui generatione, unde dicitur virtus Patris. Cùm autem dicit Filium non esse Conditorem universorum Deum, solùm intendit Filium esse alterum à Patre, qui per appropriationem dicitur rerum omnium Conditor; quatenus est principium sine principio, & omnia creavit per potentiam à nullo acceptam; cùm Filius, & Spiritus Sanctus etiam omnia condant cum Patre per eandem potentiam, sed acceptam à Patre.

Resp. ad 3. Cùm dicit Filium apparuisse antiquis Patriarchis, & ad eos de Cœlo descendisse, non Patrem, &c. non intelligit Filium secundùm naturam divinam posse magis loco moveri, & loco circumscribi, quam Patrem: sed duntaxat secundùm sensibilem figuram, sub qua dicitur apparuisse Filius, non Pater; per quamdam accommodationem, eò quòd Filius dicatur mitti, non Pater. Unde sensus est, quòd Filius non Pater, per quamdam appropriationem Patriarchis apparuerit, eò quòd Filius mittatur, non Pater. Missio enim Personæ duo dicit, nempe effectum de novo productum, & processionem Personæ, cui per appropriationem talis effectus specialiter attribuitur. Itaque ex Justino Filius secundùm se sumptus non minùs est invisibilis, quàm Pater, sed sumptus sub specie humana visibilis fuit, descendit de Cœlo, conspectus est exigua terræ parte.

Resp. ad 4. Loquitur de Christo ut homine, vel nomen Domini impropriè usurpat, nempe pro principio cum quadam dignitate relativa ei conjuncta, quæ non impedit tamen perfectam æqualitatem in perfectionibus absolutis.

Resp. ad 5. Cùm dicit Filium esse Deum voluntate Patris, intelligit voluntatem necessariam, quatenus Pater voluntariè, non coactè, sed necessariò generat Filium.

Resp. ad 6. Per causam intelligit principium.

Resp. ad 7. Solùm vult Filium coli ut Personam secundam, & posteriorem origine: & Spiritum Sanctum ut tertiam Personam ab utroque productam. Item dicit Filium esse post Patrem potestatem primam ratione scilicet originis, quia nempe Filius est posterior origine, quàm Pater, à quo procedit. Rectè addit, Patrem esse verum, & singularem Deum: nam re ipsa Pater cum Filio, & Spiritu Sancto est unicus DEUS.

Porrò Justinus in his locis intendit probare numericam Personarum divinarum distinctionem in unitate naturæ. Et ut hanc veritatem probet, multa durè, & parùm accuratè dixit, quæ benignè, & juxta ejus mentem exponenda sunt. Et ad summum vult Patrem, non quatenus est Deus, sed quatenus est Pater, habere aliquam dignitatem, ac prærogativam supra Filium, sed relativam, & notionalem.

Obj. 2. Athenagoras docuit Verbum fuisse per totam æternitatem *anypostaton*, id est, sine

sine propria hypostasi. Item non prodiisse à Patre, nisi cùm voluit mundum condere.

Resp. ad 1. Solùm vult Verbum non habere hypostasim, seu personalitatem improductam, sicut Pater habet: vel non habere hypostasim separatam ab hypostasi Patris; cùm ejus personalitas immaneat personalitati Patris propter identitatem naturæ. Nam ipse docet Verbum esse Filium Patris, & genitum à Patre At eadem Persona non potest esse simul Genitor, & Filius, & totalis terminus generationis; ergo debet esse aliqua hypostasis.

Resp. ad 2. Solùm vult Verbum in tempore prodiisse, non interiùs; cùm doceat Verbum esse æternum; sed exteriùs, quatenus per ipsum conditum est hoc Universum. Unde in tempore prodiit, non secundùm se, sed secundùm effectus ab ipso productos.

Similiter Theophilus distinguit duplicem Verbi generationem, seu prolationem; unam internam, qua Pater illud ab æterno immanenter, & intrinsecùs produxit, protulit, genuit: & aliam externam, qua dedit esse creaturis per ipsum Verbum, per illud imperando, ut essent. Sed hæc valdè impropriè dicuntur.

Obj. 3. Irenæus, l. 2. c. 49. dicit solum Patrem scire diem Judicii, & Patrem esse majorem Filio. Et l. 3. c. 8. in hæc verba Psalmi (*ipse præcepit, & creata sunt*) ait: *Cui ergo præcepit? Verbo scilicet, per quod, inquit, Cœli firmati sunt.* Et lib. 4. cap. 17 sic ait: *Ministrat ei ad omnia sua progenies, & figuratio sua.*

Resp. ad 1. Sanctus Irenæus loquitur de Filio ut homine facto: nam loquitur de Filio, ut nos exteriùs docente, *ut discamus per ipsum*, inquit.

Resp. ad 2. Vult Patrem Filio præcipere impropriè tantùm, nempe hoc sensu, quòd Pater voluit Mundum fieri per Verbum, sed voluntate, & potentia utrique communi, & à Patre accepta.

Resp. ad 3. Iuxta Irenæum Filius ministrat Patri impropriè tantùm, quatenus Filius agit cum Patre per virtutem ab illo acceptam, sed sine dependentia propriè dicta. Tamen videtur Irenæus cum aliis quibusdam Patribus sensisse Patrem notionali prærogativa Patris Filio excellere, quæ tamen perfectam in natura & perfectionibus absolutis æqualitatem non excludat: & hanc quandam prærogativam, & excellentiam relativam indicare voluisse his vocibus, *ministrare, præcipere.*

Obj. 4. Clemens Alexandrinus, l. 7. stromatum dicit *naturam Filii esse soli omnipotenti propinquissimam.* Et inferiùs dicit Filium *Omnipotentis Patris voluntati servire.*

Resp. ad 1. Ibi sumit naturæ nomen pro Persona, & solùm vult Personam Filii esse Personæ Patris conjunctissimam, & immanentem. Quod mirum videri minimè debet: nam vox *physis* seu natura illis temporibus sumebatur etiam pro Persona. Imò etiam post exortam Arianam hæresim sic usurpata fuit à Catholicis, ut ab Alexandro Alexandriæ Episcopo, in epist. ad Alexandrum Constantinopolitanum.

Resp. ad 2. Loquitur de Filio, ut homo est. Præterea si id diceret de Filio ut Verbo, tò *servire* sumeretur impropriè, nempe pro consentire, seu agere conformiter voluntati Patris, quæ est etiam voluntas Verbi, sed accepta à Patre.

Obj. 5. Origenes negavit divinitatem Verbi.

Resp. Ita SS. Hieronymus, epist. ad Avitum; Augustinus l. de hæresibus, c. 48. Epiphanius hæres. 64. & post ipsos multi Doctores, qui id etiam probant ex ejus textibus excerptis ex tom. 1. & tom. 2. in Joannem, & aliis. Ad auctoritatem Sancti Athanasii eum citantis pro divinitate Verbi contra Arianos, & ad multos textus ejus librorum contra Celsum, quibus probatur divinitas Verbi responderi potest, Origenem re vera aliqua interdum rectè scripsisse de Verbo, eique attribuisse, quæ convenire non possunt, nisi vero Deo, sed id fecisse compulsum auctoritate, ac vi Traditionis, sicut idem eum fecisse circa divinitatem Spiritus Sancti asserit S. Basilius, l. de Spiritu sancto; c. 29. ubi ait: *Origenem multis in locis expositio-*

num, quas in Psalmos edidit, deprehendimus cum Sancto Spiritu gloriam deferentem Deo, virum, qui non omnino sanas habet in omnibus de Spiritu opiniones: nihilominùs & hic reveritus consuetudinis robur, pias voces emisit de Spiritu .... ad hunc modum, opinor, Traditionis vis sæpe compulit homines suis ipsorum dogmatibus contradicere. Quare Origenes pugnantia scripsit, falsa, & hæretica ex nimio in Platonis doctrinam studio; vera, & Catholica ex vi, ac authoritate Traditionis. Equidem Rufinus asserit libros Origenis ab hæreticis corruptos fuisse, iisque errores insertos. Sed dissentiunt Patres fide digniores, nimirum Hieronymus, Augustinus, & Epiphanius.

Obj. 6. Tertullianum.

Resp. Ille rectè sensit de SS. Trinitate, & divinitate Verbi. Nam, l. contra Praxeam, c. 2. de Christo dicit: *hunc missum à Patre in Virginem, & ex ea natum hominem, & Deum, cognominatum Jesum Christum.* Et in fine asserit. *Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum unius esse substantiæ, unius status, unius potestatis.* Et c. 22. de Filio ait: *unum sumus, dicens, ego, & Pater, ostendit duos esse, quos æquat, & jungit.* Et lib. de pudicit. c. 21. dicit, *Trinitatem unius divinitatis, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum.*

Dices. Tertullianus multa docet, quæ pugnant cum divinitate Filii.

Nam 1. l. contra Praxeam, c. 6. docet Filium esse à Patre separatum; de sapientia enim, quæ est Filius, ait: *adsistentem eam ipsa separatione cognosce.*

Resp. Solùm vult Filium esse realiter distinctum à Patre, & per separationem illam intelligit distinctionem realem. Nam Tertullianus duplicem distinguit separationem, nempe unam latè, & impropriè dictam, quæ solùm est realis personalitatum distinctio: alteram verò propriè, ac strictè dictam, quæ est realis, tùm personalitatum, tùm substantiarum distinctio, ac diversitas, quam quidem negat in Patre, & Filio, ut patet ex c. 9.

2. Eodem libro, c. 9. ait: *Pater tota substantia est, Filius verò derivatio totius, & portio, sicut ipse profitetur: Pater major me est.*

Resp. Tertullianus solùm intendit totam substantiam divinam esse in Patre tanquam in fonte, unde profluit in Filium, & Spiritum Sanctum: Filium verò esse veluti rivum ex hoc fonte profluentem, & velut portionem illius: non quòd non habeat totam naturam, ac substantiam divinam; sed quia non habet id totum, quod est Pater, nempe non habet prærogativam notionalem Patris, positam in eo, quòd Pater sit fons, unde profluunt aliæ Personæ divinæ; sive in eo, quòd Pater sit principium sine principio: propter quam prærogativam Filius dicit: *Pater major me est.* Ita sentire Tertullianum, patet, quia eodem illo capite negat esse in Patre, & Filio substantiarum distinctionem, & diversitatem: ac proinde in utroque admittit unitatem, & identitatem substantiæ.

3. Eod. lib. c. 14. comparat Patrem Soli, & Filium radio.

Resp. Hæc similitudo apud ipsum non valet quoad omnia, sed ad hoc solum, ut indicet notionalem prærogativam, quam attribuit Patri supra Filium; eò quòd Pater sit principium sine principio; & vi cujus prærogativæ congruum fuit, ut Pater nunquam, Filius verò aliquando hominibus in assumpta forma visibili appareret.

4. Tertullianus eod. lib. c. 14. &. 15. docet Patrem invisibilem, Filium verò visibilem esse, & visum fuisse etiam ante incarnationem.

Resp. Docet Filium visibilem esse, & visum fuisse, non sub propria specie, sed solùm sub assumpta specie sensibili, atque hominibus ante incarnationem apparuisse in corpore aereo ad tempus assumpto: post incarnationem verò in carne vera, & animata, quam sibi personaliter univit in utero B. Virginis.

Docet quidem Patrem invisibilem esse etiam in forma assumpta, sed de lege ordinaria, quia nempe Pater ab æterno decrevit nunquã hominibus apparere in forma assũpta.

5.

5. Idem, l. contra Hermogenem, c. 3. ait: *Quia & Pater Deus est, & Judex Deus est: non tamen ideo Pater, & Judex semper .... fuit autem tempus, cùm & delictum, & Filius non fuit.*

Resp. Tertullianus solùm vult Personam illam divinam, quam Pater ab æterno generat, & quæ fuit ab æterno sophia, seu sapientia, non extitisse in nomine Filii, nisi postquam à Patre prolata est exteriùs per creaturarum productionem: tunc enim primùm juxta Tertullianum perfectè nata est, cùm exteriùs per creaturarum productionem ex utero paterno, in quo ab æterno concepta est, in lucem prodiit. Quare tunc primùm juxta illum secunda Persona Trinitatis cœpit existere in nomine Filii propriè, & strictè, & Pater tunc denominatus est propriè, & strictè Pater. Quod quidem falsum est, cùm secunda Persona ab æterno sit verè, ac propriè Filius, & prima propriè ac strictè Pater: sed tamen hæc falsitas non evertit divinitatem Filii.

Obj. 7. Patres non pauci, Athanasius, orat. 2. contra Arianos, Basilius l. 1. contra Eunomium, Gregorius Nazianz. orat. 4. de Theologia. Chrysostomus, hom. 75. in Joann. Hilarius, l. 3. de Trinitate, dicunt Patrem esse majorem Filio, quatenus Filius est, & non solùm, ut homo est.

Resp. Docuerunt quidem Patrem esse majorem Filio ut Filio, non secundùm naturam ab eo acceptam per generationem, sed secundùm personalitatem; quia putarunt rationem Patris, seu paternitatem includere aliquam dignitatem; seu prærogativam relativam notionalem supra Filium, seu filiationem: sed simul docuerunt Filium esse Patri natura, substantia, & divinitate omnino æqualem, & tam Deum verum, ac perfectum, quàm Patrem, ut constat ex eorum operibus. Nam dignitas, eminentia, seu prærogativa relativa, ac notionalis Patris supra Filium non impedit perfectam æqualitatem Filii cum Patre in omnibus perfectionibus essentialibus, & absolutis, nec ullam in Filio imperfectionem dicit.

Dices. Ergo est aliqua subjectio notionalis in Filio.

Resp. Hæc subjectio nullam etiam dicit imperfectionem in Filio; quia illa non impedit perfectam æqualitatem Filii cum Patre in essentialibus. Nam hæc notionalis eminentia Patris, & notionalis inferioritas Filii (si sic appellari potest) juxta illos Patres in eo consistit, quòd Pater generet Filium, & Filius à Patre, quidquid habet, accipiat. Hoc autem non impedit perfectam æqualitatem Filii cum Patre in natura, Deitate, & perfectionibus absolutis, ut rectè probat S. Augustinus, lib. 3. contra Maximum, c. 14. ubi ait: *quidquid eum dicis à Patre accepisse, fatemur & nos: prorsus Pater dedit, Filius accepit. Sed cùm Pater omnia, quæ habet, gignendo dederit, æqualem utique genuit, quoniam nihil minus dedit. Quomodo ergo tu dicis, quia ille dedit, ille accepit, æqualem Filium Patri non esse: cùm eum, cui data sunt omnia, & ipsam æqualitatem videas accepisse? .... Nihil enim Patre minus habet ille, qui dicit: omnia, quæ habet Pater, mea sunt. Æqualis est igitur.*

Obj. 8. Aliqui Patres, ut Basilius, Chrysostomus, &c. dicunt Patrem esse causam Filii.

Resp. Sumunt causam latè, nempe pro principio, & origine.

Obj. 9. Patres Concilii Antiocheni contra Paulum Samosatenum congregati sæculo tertio definierunt Filium non esse *omousion*, id est, consubstantialem Patri, ut testatur S. Athanasius, lib. de Synodis. Ergo non senserunt Filium esse verum Deum.

Resp. Disting. anteced. Definierunt Filium non esse consubstantialem in sensu pravo, & profano, quem huic voci attribuebat Paulus Samosatenus ab illo Conc. damnatus, *conc. ant.* In sensu proprio, & à Catholicis intellecto, *nego ant. & conseq.*

Paulus Samosatenus, voci *consubstantialis* sensum erroneum, & ab Ecclesiastico sensu alienum affingebat sive quia (ut docet S. Hilarius, l. de Synodis) hanc vocem sumebat in sensu Sabellii, personas in Trinitate non distin-

distinguentis, ita ut vellet cum Sabellio per vocem *consubstantialis* significari Filium unam cum Patre personam constituere. Sive quia (ut asserit S. Athanasius, l. de Synodis) Paulus hanc vocem intelligebat corporaliter, id est, in sensu, in quo res corporea dicitur consubstantialis alteri, quatenus nempe habet substantiã ejusdem speciei cum substantia alterius, numero distinctam ab illa: sicut in humanis Filius dicitur consubstantialis Patri, quatenus substantia Filii est ejusdem speciei cum substantia Patris, à qua derivatur, & à qua numero distincta est.

At Patres Antiocheni vocem *consubstantialis* non repudiarunt in sensu Ecclesiastico, seu in sensu in Ecclesia jam diu accepto, nempe ut significantem id, quod unam, eandemque numero cum alio substantiam, ac naturam habet: nam in sua ad Paulum Samosatenum epistola sic ajunt: *Qui autem contrà dicit Filium Dei non esse ante constitutionem Mundi, dicitque credere, & confiteri esse Deum, non esse aliud, quàm duos Deos prædicare: qui Filium Dei non esse Deum prædicat, hunc alienum esse ab Ecclesiastica regula arbitramur, & omnes Ecclesiæ Catholicæ nobiscum consentiunt.* Et inferiùs. *Qua de causa idem Deus, & homo Jesus Christus prophetabatur in lege & Prophetis, & ab omnibus in Ecclesia, quæ sub Cælo est, creditus est Deus quidem, qui se ipsum exinanivit, cùm esset æqualis Deo, homo verò ex semine David secundùm carnem, &c.* Sed qui dicunt Patrem, & Filium non esse duos Deos, & Filium esse Deum, hoc ipso dicunt Patrem, & Filium habere unam, eandemque substantiam, ac naturam divinam, idcóque esse verè consubstantiales in sensu Ecclesiastico.

Nota. Vox *usia* sumebatur ab Ethnicis pro persona, seu substantia singulari per se subsistente, & divisa à quavis alia. Unde vox *omousion* apud illos significabat id, quod cum alio est una, & eadem persona. At Doctores, & Scriptores Ecclesiastici nomen *usia* sumebant pro substantia, natura, essentia: ac proinde per *omousion* intelligebant personam ejusdem substantiæ, ac naturæ cum alia persona.

Inst. 1. Ergo Patres Concilii Nicæni non debuerunt vocem *omousion* adhibere in Symbolo propter abusum, & malum sensum hujus vocis.

Resp. Nego. Itaque jure merito Concilium hanc vocem adhibuit in Symbolo, quia vox illa aptissima erat ad damnandam hæresim Arianam, contra quam coactum erat, & ad stabiliendam Fidem Catholicam. Nam vox illa *consubstantialis* significat in sensu Ecclesiastico jam pridem usitato Verbum esse unius, ejusdemque substantiæ, ac naturæ cum Patre: proindeque esse verè, ac substantialiter Deum, sicut Pater est Deus, & nulla ratione dici posse creaturam.

Inst. 2. Sabellius dicebat Filium *omousion* Patri, & tamen damnatus est à Catholicis. Ergo Conc. Nic. non debuit hanc vocem adhibere.

Resp. Sabellius dicebat Filium *omousion* Patri, sed in sensu pravo, & profano, non in sensu Ecclesiastico, seu in sensu à Scriptoribus, & Doctoribus Ecclesiasticis usurpato, in quo hanc vocem adhibuit Concilium Nicænum. Nam Sabellius per *omousion* intelligebat id, quod est ejusdem cum alio personæ, & damnatus est, quòd in hoc sensu diceret Filium *omousion*, seu consubstantialem Patri.

Inst. 3. Nomen *consubstantialis* non reperitur in Scriptura. Ergo male usurpatum fuit in Symbolo Fidei.

Resp. Nego conseq. Nam ut vocabulum aliquod meritò adhibeatur ad Fidem explicandam, satis est, quòd res per illud significata reperiatur in Scriptura, vel Traditione; & sic quòd vocabulum illud in verbo Dei reperiatur quoad sensum, atque aptum sit ad damnandum errorem contra Fidem. Tale autem est vocabulum *consubstantialis*: Nam quoad sensum continetur in illo textu, Joann. cap. 10. *Ego, & Pater unum sumus;* & penitùs evertit Arianam hæresim.

Inst. 4. Tempore Concilii Nicæni nomen *consubstantialis* erat inusitatum. At non

non licet ad explicanda Fidei Mysteria novis, ac inusitatis vocibus uti. Ergo.

Resp. 1. Nego maj. Nam tribus prioribus Ecclesiæ sæculis jam Filius à Patribus *omousion*, seu consubstantialis dictus fuerat, ut testatur S. Dionysius Alexandrinus, in sua ad Paulum Samosatenum epistola, in qua eum sic redarguit: *deserum dicis eum, qui e at natura Dominus, & Verbum Patris, per quem omnia Pater fecit, & quem Sancti Patres omousion Patri vocarunt*, Et S. Athanasius, l. de Synodo Nic. scribit ipsum Dionysium Alexandrinum à Pentapolitanis hæresis accusatum fuisse apud Dionysium Romanum Pontificem, quòd in *suis contra Sabellianos* epistolis dixisset, Filium non esse consubstantialem Patri, & hanc consubstantialitatem negantium sententiam in Concilio Romæ coacto damnatam fuisse, Pontificemque hoc Episcoporum judicium scripsisse ad Dionysium Alexandrinum, & consubstantialitatis Filii confessionem ab eo exegisse, ut haberetur Catholicus: ipsum verò Alexandrinum sese purgare jussum, apologiam edidisse, in qua ait: *ego & in alia epistola scripsi, ubi ostendo crimen, quod deferunt contra me, falsum esse, quasi qui dicerem Christum non consubstantialem esse Deo.* Adeò vox illa *consubstantialis* in Ecclesia usitata, & necessaria erat, ne quis in hæresis suspicionem veniret.

Resp. 2. Nego min. Nam Ecclesia graves ob causas potest aliquas novas voces adhibere ad fidei dogma contra insurgentes hæreses clariùs explicandum, & impediendas omnes Hæreticorum cavillationes.

Observa. Filius est in essentia, ac substantia idem cum Patre, & simul ei similis. Nam quatenus uterque habet eandem essentiam, ac substantiam, sunt idem in essentia, & consubstantiales: quatenus verò sunt duæ personæ realiter distinctæ, & habent eandem substantiam, & essentiam, sicque in illa conveniunt, sunt similes in essentia, ac substantia, & quidem perfectè. Nam ea dicuntur similia, quæ habent eandem formam: ac proinde illa sunt perfectè similia, quæ eandem numero formam habent. Quare S. Athanasius in expositione fidei probat Verbum non esse creaturam, eò, quòd sit simile Patri in substantia. Et S. Hilarius, l. de Synodis probat Filium esse æqualem Patri, eò, quòd sit illi similis in substantia. Igitur Filius rectè dicitur *omœusios*, id est, similis Patri in substantia; & simul dici debet *omousios*, consubstantialis Patri.

ARTICULUS VI.

De Fide Liberii Papæ circa Divinitatem Filii.

Liberius Vir singulari prudentia, ac virtute præditus, Julio in summo Pontificatu successit, anno 352. Statim multa sapienter, fortiterque pro Fide Catholica adversus Arianam hæresim gessit. Cùm autem nec *donis*, nec *minis* ad *damnandum* S. Athanasium, & ad communicandum cum Arianis adduci potuisset, à Constantio Imperatore Beræam Thraciæ relegatus est. At biennio vix expleto, à Fortunatiano Aquilejensi sollicitatus, & fractus, (ut scribit S. Hieronymus, in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, c. 97.) exilii tædio, ac ærumnis victus, mortis ab Arianis intentatæ minis territus (ut testatur S. Athanasius, epist. ad Solitar.) atque recuperandæ sedis studio exæstuans, unam è Sirmiensibus formulis sibi à Demophilo Episcopo Ariano oblatam subscripsit, Athanasium damnavit; & à sua communione separavit, quam impertiit Orientalibus Episcopis, & Ursacio, Valenti, Epicteto, & Auxentio, Episcopis Arianis, epistolis ad *ipsos* scriptis. Posteà Liberius literas scripsit Vincentio Capuano, quibus mandat, ut Campaniæ Episcopos moneret de sua ab Athanasio separatione, & de communione cum Orientalibus Episcopis à se inita, eosque induceret, ut sese cum iisde in omnibus, quibuscum communicaret ipse Liberius, pacem habere, Imperatori significarent.

Denique anno 358. cùm Constantius Sirmii versaretur, Liberium Beræa accersivit, eumque ad damnandum *omousion* cogere voluit,

luit. Verùm Liberius, licèt exilii impatientissimus, & mœrore, ac ærumnis confectus, Imperatori hac in re constanter restitit. Quare Orientales Legati Liberio subscribendum obtulerunt libellum continentem ea, quæ contra Paulum Samosatenum duobus Conciliis Antiochenis, & quæ contra Photinum in Synodo Sirmiensi decreta fuerant, cum Antiochena formula in Encæniis conscripta. Subscripsit Liberius cum Ursacio, Valente, Germinio Arianis, & Orientalibus, quotquot erant, Episcopis, qui etiam formulam fidei à Liberio editam subscripserunt, in qua Liberius eos, *qui Filium secundùm substantiam, & per omnia Patri similem non esse assererent, alienos ab Ecclesia pronuntiabat.* Sozom. l. 4. c. 15.

His itaque gestis, Liberius à Constantio obtinet facultatem redeundi Romam, ubi Felix Romanæ Ecclesiæ Diaconus in Liberii exulis sedem ab Arianis intrusus fuerat. Sed cum Felice *nemo* ex *Civibus Romanis* communicare voluit; & cùm epistola ab Imperatore ad Romanos scripta, qua jubebat, ut Felix simul, & Liberius ambo in commune Ecclesiam administrarent, recitata fuisset in Circo, à populo Romano explosa, *& omnes una voce exclamarunt: unus Deus, unus Christus, unus Episcopus*; inquit Theodoretus, l. 2. Hist. c. 17. Quare Felice cedere coacto, Liberius, quem (ut scribit S. Hieronymus in chronico) *utpote Virum undequaque egregium, & qui pro Religione Imperatori fortiter restitisset, populus Romanus impensè diligebat*, Ecclesiam Romanam rexit solus, & Fidem Catholicam contra Arianos, ut antea, acerrimè defendit. Nam acta Synodi Ariminensis anno sequenti habitæ improbavit, ut testatur S. Damasus, epist. ad Illir. & quæ in Alexandrino Concilio à *S.* Athanasio, Eusebio Vercellensi, & aliis Catholicis Episcopis decreta fuerant, confirmavit; & Episcopis Arimini lapsis sub pœnis Ecclesiasticis præcepit, ut subscriptionem suam retractarent, fidemque Nicænam subscriberent, ut constat ex ejus epistola ad Episcopos Italiæ; nec Lampsacenæ Synodi Legatos in suam communionem recipere voluit, nisi postquàm definitionem Nicænam, & *omousion* voce, & scripto professi sunt. S. Hilar. frag. 12. Socrat. l. 4. c. 12.

Nota. Tres sunt formulæ fidei, quæ dicuntur Sirmienses. Prima formula in Synodo Syrmiensi contra Photinum ann. 351. edita *est*, quam S. Hilarius l. de Synodis expendit, & in sensum Catholicum exponit. Secunda Syrmiensis formula Syrmii edita anno 357. Arianam impietatem clarè continet, & ideo à S. Hilario blasphemia vocatur. Tertia denique formula Syrmiensis, post magnam coram Constantio de fide altercationem, à Marco Arethusio conscripta est, & ab omnibus, qui aderant, Episcopis subscripta Syrmii ann. 359. Hæc suprimit vocem *consubstantialis*, sed Filium profitetur similis cum Patre substantiæ.

Dico. 1. Liberius, cùm Berææ exularet, non subscripsit formulæ, nec ulli propositioni Arianæ.

Prob. Liberius Berææ subscripsit tantùm primæ formulæ Sirmiensi, quæ nullatenus est Ariana, & quam in sensum catholicum exponit S. Hilarius, non autem secundæ, aut tertiæ. Ergo Liberius Berææ non subscripsit formulæ Arianæ. *Prob. ant.* Liberium non subscripsisse tertiæ formulæ Syrmiensi, planè constat: nam hæc edita fuit ann. 359. & ipse anno superiore, nempe 358. Beræa Romam reversus est. Eum autem neque subscripsisse secundæ, sic *prob.* Quia 1. Liberius Berææ subscripsit formulam, quæ Syrmii ab Orientalibus edita fuerat, ut constat ex ipsius Liberii epistola ad Episcopos Orientales. At secunda Syrmiensis formula non ab Orientalibus, sed ab Occidentalibus composita fuit, Valente scilicet, Ursacio, & Germinio. 2. Liberius Berææ subscripsit formulam, cui edendæ interfuit, vel etiam præfuit Basilius Ancyranus. At Basilius Ancyranus neque præfuit, neque interfuit condendæ secundæ Syrmiensi formulæ: nam eo absente, & ignorante condita fuit anno 357. eamque anno sequenti, cùm de ea admonitus fuisset, coacta Ancyræ Synodo damnavit, ut constat ex S. Epiphanio, hæres. 71. continuóque Sirmium veniens, postulavit à Constantio,

tio, *ut diligenter provideret, ut ea, quæ in Sardicenſi, Syrmienſi, aliisque Conciliis definita erant, firma, ac ſtabilia permanerent: quibus in Conciliis definitum erat communi conſenſu, Filium Patri ſimilem eſſe ſecundùm ſubſtantiam.* Ita Sozomen. l. 4. c. 13. 3. Denique ſecunda Sirmienſis formula repudiabat vocabula, *uſia, homœuſion, & homouſion*, ſeu voces *ſimilis in ſubſtantia, & conſubſtantialis.* At veriſimile non eſt Liberium tali formulæ ſubſcripſiſſe Berææ, cùm paulò poſt Sirmii Imperatori ipſum ad *homouſion* rejiciendum urgenti conſtanter reſtiterit, & ipſe Conſtantius ipſum ad illud repudiandum non induxiſſet, ſi jam paulò ante repudiaſſet. Præterea ipſe Liberius, in epiſtola à ſe poſt ſubſcriptionem ſuam Beræa ad Orientales ſcripta, teſtatur ſe eorum fidem libenti animo ſuſcepiſſe, in nullo contradixiſſe. At Orientales *uſiam, & omœuſion* profitebantur, & *anomœon* deteſtabantur.

Igitur Liberius Berææ exul ſubſcripſit ſolùm primam formulam Syrmienſem. Hæc autem formula non erat Ariana; tùm quia S. Hilarius, in l. de Synodis eam velut Catholicam exponit: tùm quia in illa formula Filius aſſeritur eſſe Deus ex Deo, ex Patre natus ante omnia ſæcula; & anathematizantur, qui dicunt Filium de nullis extantibus; vel de altera ſubſtantia, & non ex Deo eſſe. Sicque in illa formula hæreſis Ariana damnatur.

Dico 2. Liberius Syrmii, quò ab Imperatore accerſitus fuit, non ſubſcripſit formulæ Arianæ.

Prob. Quia nihil Arianum continebat, neque libellus à Synodi Ancyranæ Legatis oblatus, neque formula fidei, quam ipſe Liberius Syrmii contra Anomœos, ſeu eos, qui nolebant Filium eſſe Patri ſimilem in ſubſtantia, edidit, ut libellum illum, & profeſſionem Liberii rectè expendenti facile patebit: imò in illis Arianum dogma damnatur.

Quòd ſi in iis, quæ Antiochiæ contra Paulum Samoſatenum decreta fuerant, rejicitur vox conſubſtantialis, rejicitur tantùm in ſenſu Sabelliano, & ſimul æquivalenter aſſerebatur in ſenſu Catholico. Nam damnatur, qui dicit Patrem, & Filium eſſe duos Deos, & Filium non eſſe Deum, & ſic aſſeritur æquivalenter, & quoad ſenſum Filius eſſe unus, ac idem Deus cum Patre, ideóque unam, eandemque cum Patre ſubſtantiam, ac divinitatem habere.

Dico 3. Liberius etiam exul Arianam hæreſim damnavit.

Prob. Nam 1. Berææ ſubſcribendo primam Syrmienſem formulam, & poſtea Syrmii ſubſcribendo ea, quæ in Synodo Syrmienſi contra Photinum decreta fuerant, anathematizavit eos, qui dicunt Filium ex nullis extantibus, aut ex alia ſubſtantia, non ex Deo, ſeu ex Dei ſubſtantia eſſe. Quod ſanè eſt damnare Arianam hæreſim, & æquivalenter profiteri Filium eſſe conſubſtantialem Patri, & nullatenus creaturam. 2. Subſcribendo formulam Antiochenam in Encæniis editam profeſſus eſt Filium eſſe immutabilem, & inalterabilem deitatis, ſubſtantiæ, voluntatis, potentiæ, & gloriæ Patris absque omni diſſimilitudine imaginem. Iſta autem in ſenſu proprio, & obvio ſignificant Filium eſſe verè Deum, & conſubſtantialem Patri. 3. Liberius in formula à ſe edita alienos ab Eccleſia pronuntiat eos, qui Filium ſecundùm ſubſtantiam, & per omnia Patri ſimilem non eſſe aſſerunt. At hoc eſt æquivalenter profiteri Filium eſſe conſubſtantialem Patri. Nam ea ſola ſunt ſimilia, quæ eandem formam habent: ergo ea ſola ſunt ſimilia in ſubſtantia, quæ habent ſubſtantiam eandem, vel ſpecie, vel numero. Cùm autem ſubſtantia divina, ſeu divinitas ſit unica numero, Filius non poteſt eſſe ſimilis Patri in ſubſtantia, quin habeat eandem numero ſubſtantiam divinam, quam Pater habet, & conſequenter quin ſit Patri conſubſtantialis.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Liberius communicavit cum *homœuſianis*, rejicientibus vocem *homouſion*, conſubſtantialem; imò cum Arianis, videlicet Urſacio, Valente, & aliis. Ergo conſenſit hæreſi Arianæ.

Reſp.

Resp. Nego conseq. Quia 1. Homœusiani, seu ii, qui asserebant Filium esse Patri similem in substantia, quales erant Orientales Episcopi, quibuscum Liberius communicavit, non erant Ariani, quamvis communione conjuncti essent cum Arianis, & cum illis Athanasium, & alios *Homousianos*, insequerentur, & vocem *omousion*, pertinaciter rejicerent: nam admittebant divinitatem Verbi; sed erant Schismatici, eo quòd Ecclesiæ, in admittenda voce *omousios*, seu consubstantialis, obedire abnuerent. 2. Liberius communionem suam non impertiit Arianis ex affectu Arianæ hæreseos, seu quia illis in dogmate consentire cœpit, sed solùm pro bono pacis, & concordiæ, ut ipse testatur in sua ad illos epistola. Adde etiam aliam causam, nempe infirmitatem humanam, qua diutiùs exilii tædium, ac ærumnas pati noluit, & mortem intentatam timuit.

Obj. 2. Liberius damnavit S. Athanasium Nicænæ fidei acerrimum propugnatorem.

Resp. Damnavit illum, non quòd fidem Nicænam profiteretur, ac tueretur, & ex affectu Arianæ hæresis, ut Ariani faciebant; sed propter crimina ei falsò imposita, & ut exilii ærumnis, ac mortis sibi intentatæ periculo liberaretur. *Liberius* (inquit S. Athanasius, epist. ad Solitar.) *post exactum in exilio biennium inflexus est, minisque mortis ad subscriptionem inductus est. Verum illud ipsum quoque, & eorum violentiam, & Liberii in hæresim odium, & suum pro Athanasio suffragium, cùm liberos affectus habebat, satis coarguit. Quæ enim per tormenta contra priorem ejus sententiam extorta sunt, ea jam non metuentium, sed cogentium voluntates habendæ sunt.*

Inst. Liberius in sua ad Orientales epistola agnoscit Athanasium justè damnatum fuisse. Ergo damnavit ejus fidem.

Resp. Nego conseq. Quia Athanasius ab Eusebianis damnatus non fuit ob causam fidei, sed ob varia crimina in eum conficta. Unde qui asserit Athanasium justè damnatum fuisse, asserit tantùm ab illo admissa fuisse crimina, propter quæ damnatus, & depositus fuit ab Eusebianis. Eusebiani quidem Athanasium, eo quod acerrimus Arianæ hæresis hostis esset, persequebantur; sed aliam eum damnandi, & abdicandi causam prætexebant.

Obj. 3. S. Hilarius, in fragmento 6. formulam Berææ à Liberio subscriptam vocat Arianam perfidiam, & idcireo ter dicit anathema Liberio: *Hoc est*, inquit, *perfidia Ariana. Hoc ego notavi; Liberius sequentia... Anathema tibi à me dictum Liberi, & sociis tuis. Iterum tibi anathema, & tertiò prævericator Liberi.*

Resp. 1. Verba illa, quibus interrumpitur series epistolæ Liberii ad Orientales, non sunt S. Hilarii, sed ab aliquo, qui librum fragmentorum exscripsit, Liberii epistolæ inserta sunt. Nam 1. verba illa intercalaria sunt frigida, nugatoria, & prorsus Hilario indigna. 2. Librum fragmentorum, aut librum, ex quo fragmenta excerpta sunt, non inchoavit, aut saltem non absolvit Hilarius, nisi pluribus annis post reditum Liberii ex exilio. At probabile non est S. Hilarium Sedis Apostolicæ observantissimum scripsisse, aut permisisse librum suum prodire in lucem cum tam diris conviciis contra summum Pontificem eo tempore, quo culpam suam emerdarat, Ecclesiam sanctissimè administrabat, Nicænam fidem acerrimè tuebatur, & Episcopos Arimini lapsos ad retractandam subscriptionem suam, & Nicænam definitionem subscribendam intentatis pœnis Ecclesiasticis compellebat 3. Ipse Hilarius primam formulam Syrmiensem, cui subscripsit Liberius, exponit ut Orthodoxam, & illius auctores Fratres appellat, l. de Synod.

Resp. 2. Si verba intercalaria sunt Hilarii; ipse Hilarius, qui tunc in Phrygia exulabat, falsis rumoribus fuit deceptus, & falsò putavit secundam Syrmiensem formulam à Liberio subscriptam fuisse: nam certum est solam primam ab eo subscriptam fuisse.

Obj. 4. S. Hieronymus, in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, c. 97. de Fortunatiano Aquilejensi Episcopo ait: *In hoc habetur detestabilis, qui Liberium Romanæ Urbis*

bis Episcopum, pro fide ad exilium pergentem primus sollicitavit, ac fregit, & ad subscriptionem hæreseos compulit. Ergo Liberius subscripsit hæresi.

Resp. Liberius ab Hieronymo, & aliis nonnullis hæreseos accusatus est, non quòd Arianam hæresim professus fuerit; sed quia subscripsit condemnationi Athanasii acerrimi Nicænæ fidei propugnatoris, & formulæ subscriptæ ab Orientalibus Schismaticis, cum Arianis communione conjunctis; & quia communicavit cum Arianis, sicque hæresis Arianæ fautoribus, & sectatoribus faverit.

Obj. 5. Liberius Syrmii, quo ab Imperatore accersitus fuit, subscripsit secundam formulam Syrmiensem.

Resp. Hoc est evidenter falsum; nam Syrmii subscripsit libellum sibi à legatis Orientalium oblatum, in quo continebatur formula Antiochena, secundæ Syrmiensi omnino opposita, & ipse in formula à se edita alienos ab Ecclesia declarat eos, qui negant Filium esse Patri secundùm substantiam, & per omnia similem.

Inst. Ursacius, Valens, & Germinius, ubi erant in comitatu Imperatoris, procul dubio postularunt, ut Liberius formulæ, cujus auctores erant, subscriberet; nec aliter Liberius reditum ab Imperatore obtinere potuit.

Resp. Nego. Nam certum est, Imperatorem secundam Syrmiensem formulam improbasse, & illius auctores ad subscribendam Antiochenam formulam compulisse. Ergo non compulit Liberium ad subscribendam secundam Syrmiensem; nec Liberius unquam consensisset, siquidem Imperatori postulanti, ut *omousion* damnaret, fortiter, ac constanter restitit.

ARTICULUS V.

De Ariminensis Synodi Fide circa divinitatem Filii.

I. CUm Constantius Imperator Concilium generale convocare statuisset, Ursacius, Valens, & alii Ariani Episcopi verentes, ne Orientalibus cum Occidentalibus in unum locum convenientibus, facilè Arii dogma iterum damnaretur, & vox *omousion*, seu consubstantialis confirmaretur, vel etiam sperantes se, si in duo Concilia Episcopi divisi essent, ab utroque, vel saltem ab altero Concilio consubstantialis abolitionem obtenturos, solitis artibus ab Imperatore impetrarunt, ut soli Orientales Seleuciam, Occidentales verò Ariminum Italiæ urbem convenirent. Quare anno 359. Ariminum convenerunt Occidentales Episcopi, numero fermè ducenti Catholici, ut scribit S. Athanasius, epist. ad African. & octoginta Arianæ factionis, ut refert Severus Sulpicius, l. 2. histor. qui proinde omnes trecentorum numerum non explent.

II. *Episcopis Arimini congregatis* redditæ sunt Imperatoris literæ, quibus vetabat, ne quid contra Orientales statuerent, & jubebat, de fide, atque unitate tractari. Postea Ursacius, & Valens Arianæ factionis duces cum Germinio, & Cajo, lecta formula fidei paulo ante Syrmii coram Imperatore conscripta, in qua voce substantiæ omissa, Filius dicebatur Patri per omnia similis, postularunt, ut reliquis omnibus fidei expositionibus, quæ antea scriptæ fuerunt, abrogatis, illa una rata esset, utpote à vocum novitate aliena, & ab Imperatore approbata; atque ad pacem, ac concordiam Ecclesiarum conciliandam necessaria. Respondérunt Catholici Nicænam fidei expositionem sufficere, & Ursacio, ac sociis ejus jusserunt, ut si Catholici haberi vellent, palam Arii hæresim damnarent. Quòd cùm recusassent, Synodus Nicænam expositionem legi jussit, confirmavitque edito decreto, quo statuit retinendum esse Symbolum Nic. nihil ei addendum, nilve detrahendum, nec novam Fidei formulam edendam, & substantiæ vocem retinendam esse. *Huic definitioni omnes in unum Catholici conspirantes subscripserunt*, inquit S. Hilarius, fragmento 7. & additi sunt decem Anathematisini, quibus de novo damnantur impia Arii dogmata. Cùm autem huic fidei decreto subscribere, & Arianam hæresim palam damnare abnuissent Ursacius, & ejus socii, post aliquot

quot dies iis ad resipiscendum concessos, sententia excommunicationis, & depositionis contra illos prolata fuit, & ab omnibus Episcopis subscripta. *Sozom. Arban. l. de Syn.*

III. Edito Fidei decreto, damnatisque Ursacio, & *ejus sociis*, epistola Synodalis ad Constantium scripta est, & ab omnibus subscripta, in qua Synodus, quæ à se acta erant, significat, oratque, ut legatos benignè suscipiat, & audiat; ne faciles Ursacio, & Valenti aures præbeat, neve novitatem aliquam ab eis patiatur induci; demùm ut omnibus Episcopis quamprimùm ad suas Ecclesias redire liceat. Ad ferendam hanc epistolam multi electi sunt Episcopi, quos *adolescentes fuisse parum doctos, & parum cautos*, scribit Sulpicius, l. 2. hist. Hos legatos cùm Ursacius, & Valens celeri cursu prævertissent, Synodum apud levissimum Imperatorem criminati sunt, quòd formulam Syrmii conscriptam, & ab eo approbatam repudiasset. Commotus Imperator Ursacio, & Valente benignè, ac honorificè exceptis, Synodi legatos admittere noluit, diuturnaque dilatione fatigatos frangere statuit. Hoc intellexere Patres Ariminenses, & acceptis ab Imperatore literis, quibus se excusabat, quòd propter urgentem quamdam contra Barbaros expeditionem, legatos eorum minimè videre potuisset, ad eum rescripserunt, se in suscepto nihil circa fidem innovandi proposito permanere, & permansuros esse, legatisque suis mandasse, ne quid contra id, quod communi omnium consensu constitutum fuerat, statuerent: Rogabant etiam iterum, ut legatis quamprimùm auditis, omnibus ad suas Ecclesias ante hyemis asperitatem redire liceret. Imperator hac Synodi epistola minimè mitigatus est, & illius legati inviti abducti sunt Nicen, seu Nicæam Thraciæ urbem, ubi partim dolis Arianorum decepti, partim metu oppressi, formulam ibi ab Arianis conscriptam, in qua dicebatur tantùm Filius Patri *similis* secundùm Scripturas, omnes præeunte Restituto Carthaginensi, legationis Principe, subscripserunt, *sententiam contra* Ursacium; Valentem, & eorum socios Arimini latam rescidérunt, atque cum illis communicarunt, omniaque suis subscriptionibus munierunt. Sozom. Theodor. Socrat. S. Hilar. fragm. 8. Sulpit.

IV. Legatis prævaricatoribus copia data est Ariminum redeundi, & cum illis rediit Valens, formulam à legatis subscriptam secum deferens cum Imperatoris ad Taurum Prætorii Præfectum mandato, quo vetabat, ne Episcopos abire permitteret, *nisi* priùs formulæ supradictæ subscripsissent, & jubebat renuentes in exilium pelli, modo quindecim *numerum non* superarent. Statim restitit fortiter Synodus, & legatos, licèt vim sibi ab Imperatore factam asserent, in communionem suam admittere noluit. Sed aliquamdiu post, animis tædio, minis, mœrore debilitatis, Valente, Ursacio, cæterisque Arianis se Catholicos, & solius concordiæ inter Episcopos restituendæ sollicitos asserentibus, & rumore, quòd omnes Orientales Seleuciæ nomen usiæ, seu substantiæ suppressissent, sparso, aliqui primùm subscripsere formulæ, deinde plures alii, ita ut viginti tantùm superessent, qui subscribere renuerent, inter quos eminebant duo Galliarum Antistites S. Fæbadius Agennensis Episcopus, & S. Servatius Tungrensis, ambo ad dirissima quæque supplicia potiùs, quam fidem prodendam paratissimi.

Taurus autem Prætorii Præfectus, cui Imperator Consulatus dignitatem promiserat, si omnes Episcopos ad subscribendum induceret, Fæbadium & Servatium, aliosque paucos, qui nondum cesserant, minis primùm frustra tentatos, lachrymis, & precibus aggressus est, iis exponens calamitatem Episcoporum Arimini, donec omnes subscripsissent, detinendorum cum suarum Ecclesiarum magno damno. Illis verò constanter formulam subscribere, & cum Arianis communicare renuentibus, Valens ut se, suosque ab omni hæresis suspicione purgaret, in frequenti Episcoporum, & Laicorum conventu, suo, suorumque nomine plures pronunciavit anathematismos, quibus Arianam hæresim damnare visus est omnibus; nullus enim ex Catholicis animadvertit fraudem latentem sub hoc anathematismo:

si

si quis dixerit creaturam Filium Dei, ut sunt cæteræ creaturæ, anathema sit: quia nempe primus anathematiſmus divinitatem Filii clarè exprimebat his verbis: *ſi quis negat Chriſtum Deum, Dei Filium, ante ſæcula ex Patre genitum, anathema ſit.* Cùm igitur ſublata jam eſſet omnis hæreſeos ſuſpicio adverſùs Valentem, & ejus ſocios, & ipſi ſuis mendaciis Catholicis omnibus perſuaſiſſent, Orientales Seleuciæ congregatos in ſuppreſſionem vocis *uſiæ*, ſeu ſubſtantiæ conſenſiſſe, controverſiarum, quæ eatenus Orientales inter, & Occidentales magno Eccleſiæ malo interceſſerant, finiendarum cauſa, reliqui, qui aderant Epiſcopi, tandem Nicenſem formulam ſubſcripſerunt. Sulpit. S. Hieron. dialog. contra Lucifer.

Rebus ita ſecundùm Arianorum vota fœdo exitu peractis, nomine totius Concilii Synodalis ad Conſtantium epiſtola conſcripta eſt ab Epiſcopis Arianis, non autem à Catholicis: nam in ea Epiſcopi impiè Imperatorem laudant, quòd ejus opera tandem proſcripta ſint nomina ſubſtantiæ, & conſubſtantialis, cùm ſint nomina ignota Eccleſiæ Dei, & indigna Deo, Imò & ſacrilega; & addunt ſe eandem ſemper tenuiſſe fidem cum Orientalibus. S. Hilar. frag. 9.

V. Poſt diſſolutionem Concilii, ubi primùm Epiſcopi Orthodoxi in libertatem reſtituti ſunt, publicè retractarunt id, quod vi, & dolo malè egerant, & teſtificati ſunt ſe ſemper tenere, & retenturos Fidem Nicænam, ut conſtat tùm ex epiſtola Synodali Concilii Pariſienſis anno ſequenti, ſcilicet 360. celebrati, quæ exſtat apud S. Hilarium, frag. 11. tùm ex epiſtola Liberii Papæ apud eundem Hilarium, in qua præſcribuntur conditiones, quibus Epiſcopi pœnitentes recipiendi ſint: & ex alia ejusdem Liberii ad Orientales epiſtola apud Socratem, ubi teſtatur ferè omnes, qui Arimini decepti fuerant, reſipuiſſe: tùm ex epiſtola S. Damaſi, Liberii ſucceſſoris, ad Epiſcopos Illyrici ſcripta, quæ extat apud Theodoretum, l. 2. cap. 22. in qua ſic loquitur Pontifex: *neque enim præjudicium aliquod naſci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt; cùm conſtet neque Romanum Epiſcopum, cujus ante omnes fuit expetenda ſententia, neque Vincentium, qui tot annos ſacerdotium illibatè ſervavit, neque alios hujuſmodi ſtatutis conſenſum aliquem commodaſſe; cùm præſertim, ut diximus, iidem ipſi, qui per impreſſionem ſuccubuiſſe videbantur, iidem conſilio meliore diſplicere ſibi fuerint proteſtati.* Ex quo Damaſi teſtimonio conſtat Vincentium Capuanum, qui ut Sedis Apoſtolicæ legatus Synodo Ariminenſi interfuit, nuſquam tamen ſubſcripſiſſe formulæ Nicenſi. Ideóque probabile eſt, eum clam fugiſſe antequam ad ſubſcribendum compelleretur.

Dico. Epiſcopi Synodi Ariminenſis, quamvis graviter peccarint, conſentiendo in ſuppreſſionem *uſiæ*, ſeu ſubſtantiæ, & ſuo facto contra ſuam intentionem Arianiſmo faverint, & malam de ſe ſuſpicionem concitarint, ſcandalumque præbuerint; tamen in hæreſim Arianam non conſenſerunt.

Prob. In hæreſim Arianam conſenſiſſe dici non poſſunt Epiſcopi Synodi Ariminenſis, niſi quia ſubſcripſerunt Nicenſi formulæ, ut patebit objectionum ſolutione. At ſubſcribendo Nicenſi formulæ non conſenſerunt in Arianam hæreſim: ergo nullatenus in eam conſenſerunt. *Prob. min.* Nam hæc formula in ſenſu proprio, & obvio non eſt Ariana, & ab Epiſcopis illis in bono, ac Catholico ſenſu ſubſcripta eſt. Et 1. quidem formula Nicenſis in ſenſu proprio, & obvio verborum non eſt Ariana, ſed Catholica; nam Filii divinitatem exprimit; ſic enim de Filio habet: *Credimus in unigenitum Dei Filium, qui ante omnia ſæcula, & ante omne principium natus eſt ex Deo: natum autem unigenitum ſolum ex ſolo Patre, Deum ex Deo, ſimilem Genitori ſuo Patri ſecundùm Scripturas: cujus nativitatem nullus novit, niſi qui ſolus eum genuit, Pater.* Atqui hæc formula in ſenſu proprio, & obvio verborum eſt Catholica; nam aſſerit Filium ante omnia ſæcula, & omne principium natum eſſe ex Deo, & Filium eſſe Deum ex Deo: quæ omnia in ſenſu proprio, & in Eccleſia Catholica uſurpato

significant Filium natum esse ex Deo ab æterno, & esse verum Deum, habentem eandem substantiam divinam, quam Pater habet. Item asserit Filii productionem esse nativitatem. Nativitas autem in sensu proprio sumpta opponitur creationi strictè sumptæ: nam creatio strictè sumpta est productio rei ex nihilo tùm sui, tùm subjecti præexistentis: nativitas verò propriè sumpta est processio supposîti viventis à vivente supposito; ipsum de propria substantia producente. Quod observavit S. Hieronymus, in dialogo contra Luciferianos: *nunquid his insertum est*, inquit, *erat tempus, quando non erat? vel, de nullis extantibus, creatura est Filius Dei? Perfecta fides est, Deum de Deo credere. Et natum ajebant Unigenitum solum ex Patre: Quid est natum? Certè non factum. Nativitas suspicionem auferebat creaturæ.*

2. Quod Episcopi Synodi Ariminensis huic formulæ subscripserint in sensu proprio, & Catholico, non ex affectu hæresis, constat tùm ex iis, quæ ante subscriptionem suam, & post eam in libertatem restituti egerunt; & præsertim ex eo, quòd Arianos compulerunt ad Arium; & ejus doctrinam anathematizandam: tùm ex S. Hieronymo, dialogo contra Luciferianos, ubi ait: *concurrebant Episcopi, qui Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia Hæretici, ferebantur, contestantes Corpus Domini, & quidquid in Ecclesia sanctum est, se nihil mali in sua fide* (id est, in formula Nicensi à se subscripta) *suspicatos. Putavimus, ajebant, sensum congruere cum verbis: nec in Ecclesia Dei, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus. Decepit nos bona de malis existimatio. Non sumus arbitrati Sacerdotes Christi adversùs Christum pugnare. Multaque alia, quæ brevitatis studio prætereo, flentes asserebant, parati & subscriptionem pristinam, & omnes Arianorum blasphemias condemnare.*

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. In formula Nicensi asserebatur Filius esse similis Patri secundùm Scripturas, omissa voce consubstantialis. Ergo hæc formula est Ariana in sensu proprio. Ergo, &c.

Resp. Nego conseq. Nam hæc verba objecta quoad sensum significant, Filium esse consubstantialem Patri, quod sic ostendo. Secundùm Scripturas in sensu proprio, & vero sumptas Filius est similis Patri in substantia: nam ex Heb. c. 1. Filius est *figura substantiæ* Patris. Ergo Filius convenit cum Patre in substantia, nempe divinitate; quæ cùm sit numero unica, Filius non potest convenire in illa cum Patre, nisi illam eandem habeat: ac proinde nisi sit consubstantialis Patri, & verus Deus, ut Pater. Præterea eadem formula asserit Patrem genuisse Filium: ac proinde æquivalenter, & quoad sensum asserit Filium habere eandem numero substantiam, quam habet Pater, ideóque Patri consubstantialem esse. Nam genera[tio] aliò propriè est, esse ex alterius substantia: cùm autem substantia Dei Patris sit indivisibilis, Filius non potest esse de substantia Patris, nisi ab eo accipiat totam substantiam Patris.

Obj. 2. Patres Ariminenses Synodi rejecerunt vocem *usiæ*, seu substantiæ, & consequenter vocem *omousion*, id est consubstantialis, qua usi sunt Patres Nicæni in suo Symbolo. Ergo consenserunt in hæresim.

Resp. Nego conseq. Quia supprimendo hanc vocem, semper retinuerunt sensum per illam expressum. Nam prius quam nomen substantiæ supprimerent, professi sunt se credere *Filium Deum ex Deo:* quæ voces in sensu proprio, in quo ab illis accipiebantur, significant Filium habere eandem numero divinitatem, proindeque substantiam, quam habet Pater, & consequenter esse ejusdem substantiæ cum Patre, esse consubstantialem Patri. Nemo autem hæreticus est ex eo præcisè, quòd vocabula rejiciat, nisi etiam repudiando vocabula, contumaciter repudiet Catholicum dogma per illa expressum, vel neget infallibilitatem Ecclesiæ in docendo. Nam hæresis est error voluntarius cum pertinacia circa aliquod dogma catholicum, Fidelibus ad credendum ab Ecclesia

cleſia propoſitùm. Dogma autem non in vocabulis, ſed in rebus per vocabula expreſſis conſiſtit.

Eſſet tamen hæreticus, qui pertinaciter aſſereret Eccleſiam errare in vocabulis, quibus utitur in ſuis definitionibus; quia hoc ipſo ſentiret Eccleſiam non eſſe infallibilem in docendo; nam Eccleſia non poteſt docere, niſi per vocabula, unde ſi in illis erraret, errorem in ſenſu proprio verborum traderet, & ſic Fideles in errorem induceret.

Inſt. Patres Ariminenſes rejecerunt vocem *ſubſtantia*, quia putarunt Eccleſiam erraſſe in approbanda voce *conſubſtantialis*. Ergo ex hac parte fuerunt Hæretici.

Reſp. Nego antec. Nam cenſebant Concilium Nicænum rectè expreſſiſſe divinitatem Filii per nomen *conſubſtantialis*. Sed tamen conſenſerunt in ſuppreſſionem hujus vocis, ut non neceſſariæ ad exprimendum illud dogma, & quia putarunt hanc ſuppreſſionem neceſſariam eſſe ad vitanda magna mala, quæ imminebant Eccleſiis: nempe timebant, ne, ſi illam vocem non ſupprimerent, ipſis in exilium miſſis, Epiſcopi Ariani in ſuas Eccleſias intruderentur, & populum chriſtianum perverterent, ut teſtatur S. Athanaſius. S. Hieronymus, dialog. contra Lucif. addit aliam cauſam, quia nempe non inveniebatur hæc vox in Scripturis, & multos ſimpliciores ſua novitate offendere videbatur: *de uſiæ verò nomine abjiciendo*, inquit, *veriſimilis ratio præbebatur, quia in Scripturis, ajebant, non invenitur, & multos ſimpliciores novitate ſua ſcandalizat, placuit auferri. Non erat curæ Epiſcopis de vocabulo, cùm ſenſus eſſet in tuto.*

Has igitur ob cauſas Patres Ariminenſes in ſuppreſſionem vocis ſubſtantiæ conſenſerunt, ſed cum priùs viderent dogma fidei circa divinitatem Filii eſſe ſufficienter expreſſum in formula fidei, præſertim his vocibus, *Deum ex Deo.*

Obj. 3. Ariminenſes communionem cum Arianis inierunt, & cum eis communem fidei formulam ſubſcripſerunt. Ergo in hæreſim Arianam conſenſerunt.

Reſp. Nego conſ. Quia communionem cum Arianis non inierunt, niſi poſtquam hæretici illi errores ſuos damnarunt, anathematizando eos, qui negant Chriſtum Filium Dei eſſe Deum, ante ſæcula ex Patre genitum; & eos, qui dicunt: erat tempus, quando non erat Filius; qui dicunt de non extantibus Filium, vel non de Deo Patre. Quamvis autem Ariani illi non ſincerè loquerentur, nec verba illa in ſenſu proprio, & obvio, & Eccleſiaſtico acciperent, ſed in ſenſum alienum, & improprium detorquerent; tamen Ariminenſes putabant eos ſincerè loqui, *putabant ſenſum congruere cum verbis*, inquit S. Hieronymus ſupra cit. Eandem fidei profeſſionem cum Arianis ſubſcripſerunt, ſed (ut dixi) hæc fidei profeſſio in ſenſu proprio, & ab Ariminenſibus accepto erat catholica.

Inſt. Lucifer Calaritanus Ariminenſes habuit ut Hæreticos, & damnavit Epiſcopos Catholicos, qui eos in ſuam communionem recepiſſent.

Reſp. In hoc erravit Lucifer: & ipſe, ac ejus diſcipuli Luciferiani dicti, habiti ſunt in Eccleſia ſchiſmatici, eò, quòd cum Epiſcopis Catholicis, qui Ariminenſes reſipiſcentes in ſuam communionē recepiſſent, communicare noluerint, eoſque damnarint. Et S. Hieronymus dialogum contra iſtos Luciferianos ſcripſit, ubi Luciferiano reprehendenti Confeſſores Epiſcopos, quòd in communionem ſuam recepiſſent Ariminenſes, ſic reſpondet: *cur damnaſſent eos, qui Ariani non erant? Cur Eccleſiam ſcinderent in concordia fidei permanentem? Cur denique credentes bene, obſtinatione ſua facerent Arianos?* Hinc mortuo Conſtantio tùm à multis Conciliis in variis orbis partibus, ut Alexandriæ ſub S. Athanaſio, in Græcia, Hiſpania, & Gallia celebratis; tùm à Liberio Papa ſtatutum eſt, ut exceptis Valente, & Urſacio, & aliis ejusdem factionis ſociis, omnes, qui Arimini ſubſcripſerunt, in communione Eccleſiæ permanerent, & locum ſuum in Clero retinerent, modo damnarent formulam Nicenſem, quoad eam ſcilicet partem, qua rejiciebatur vox *uſiæ*, & conſequenter *omouſion*, conſubſtantialis: atque

Nicæ-

Nicænam definitionem ſubſcriberent: quod ſtatim, exceptis paucis Illyricianis, præſtitere omnes.

Obj. 4. Valens Arianus in Synodo exclamavit: *ſi quis dixerit creaturam Filium Dei, ut ſunt cæteræ creaturæ, anathema ſit.* Et ab omnibus Epiſcopis *ſimiliter dictum eſt, anathema ſit*; ut refert S. Hieronymus dialog. cit.

Reſp. Patres Ariminenſes hunc anathematiſmum in ſenſu catholico intellexerunt, nempe ſic: ſi quis dixerit Filium eſſe creaturam, ideóque ex nihilo productum fuiſſe, ſicut ex nihilo producta ſunt cætera, quæ à Deo in tempore producta ſunt, anathema ſit. Quamvis enim hic anathematiſmus in ſenſu proprio acceptus indicet Filium eſſe creaturam, ſed non ſimilem cæteris creaturis, & in hoc ſenſu intellectus ſit à Valente, tamen quia hic ſenſus excludebatur per alios anathematiſmos anteriores, quibus Valens anathematizabat eos, qui negarunt Chriſtum eſſe Deum, & Dei Filium ante ſæcula ex Patre genitum, Ariminenſes prædictum anathematiſmum poſteriorem in bono ſenſu intellexerunt.

Obj. 5. Liberius Papa, in ſua ad *Omouſianos* epiſtola apud Socratem, l. 4. c. 12. dicit Epiſcopos Ariminenſes poſt diſſolutionē Synodi ad ſanam mentem reverſos eſſe; & addit eos formulam à ſe ſubſcriptam damnaſſe, & Catholicæ, atque Apoſtolicæ Fidei, olim apud Nicæam promulgatæ, ſubſcripſiſſe, & nobiſcum inita communione, adverſùs Arii doctrinam, ejuſque diſcipulos graviori indignatione commotos eſſe.

Reſp. Ad 1. ſic loquitur, quia Ariminenſes à ſuppreſſione vocis *ſubſtantiæ*, & conſequenter vocis *conſubſtantialis*, ad ejusdem vocis profeſſionem expreſſam reverſi ſunt.

Reſp. Ad 2. equidem rejecto ſubſtantiæ vocabulo, cum Liberio, & aliis Catholicis communicare non poterant ampliùs in *conſubſtantialis* profeſſione, atque ita aliquo pacto ſe ipſi præſciderant, ſed tamen ſemper retenta fide divinitatis Filii, & ejus ſubſtantiæ identitatis cum ſubſtantia Patris, proindeque rei ſignificatæ per vocem conſubſtantialis.

Obj. 6. S. Ambroſius, in cap. 6. Lucæ exponens verba illa (*væ vobis, cùm benedixerint vobis omnes homines: ſecundùm hæc enim faciebant pſeudo-Prophetis Patres eorum*) ſic ait: *nonne tibi videtur his dicere, qui dudum in Ariminenſi Concilio perfidæ prævaricationis auctores, dum Imperatoris gratiam ſequuntur, Dei gratiam perdiderunt? Qui cùm placere potentibus aucupantur, maledicto ſe perpetuò ſubdidere.*

Reſp. Hæc verba intelligi debent ſolùm de Valente, Urſacio, & aliis Arianis: nam ii ſoli fuerunt perfidæ prævaricationis auctores, mendaciis ſuis Epiſcopos Catholicos inducendo ad ſupprimendum ſubſtantiæ nomen. Præterea, ut ex dictis conſtat, ii ſoli ſupradicti Ariani maledicto ſe perpetuò ſubdidere; cùm ex monumentis citatis planè conſtet, omnes, paucis exceptis, Epiſcopos Ariminenſis Concilii ea, quæ malè geſta fuerant, ſincerè retractaſſe, & Nicænam definitionem ſubſcripſiſſe, fortiterque poſteà propugnaſſe.

Inſt. Saltem ex Ambroſio Ariminenſes perfidæ prævaricationis rei fuerunt, Ergo & hæreſeos.

Reſp. Nego conſeq. Nam ideo ſolùm perfidæ prævaricationis rei fuerant, quia ſubſtantiæ nomen rejecerunt, & conſequenter etiam conſubſtantialis nomen à Concilio generali Nicæno conſecratum. Synodus quippe particularis, qualis fuit Ariminenſis, ſine aliqua perfidia non potuit ſub quocumque prætextu abolere vocabulum à Concilio generali conſecratum.

Obj. 7. S. Hieronymus, in dialogo contra Luciferianos, loquens de iis, quæ in Ariminenſi Synodo geſta ſunt, hæc ait: *tunc uſiæ nomen abolitum eſt: tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata eſt. Ingemuit totus orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt.* Ergo Patres Ariminenſes Arianæ hæreſi conſenſerunt.

Reſp. Nego conſeq. Nam ex ipſo Hieronymo uſiæ, ſeu ſubſtantiæ nomen ab Ariminenſibus abolitum non eſt, niſi poſtquam ſenſus, & dogma in tuto collocatū eſt: *non erat curæ Epiſcopis de vocabulo*, inquit ibidem; cum

cùm sensus esset in tuto. Ac proinde nomen illud ab illis abolitum non fuit ex affectu hæresis, sed ob alias causas supradictas.

Nicænæ autem fidei damnatio conclamata est, sed à solis Episcopis Arianis, qui cùm Arimini publicè Arii blasphemias damnare simulassent, posteà depositâ larvâ ubique terrarum mentiebantur, Episcopos Arimini congregatos doctrinæ suæ hæreticæ subscripsisse, & ad Nicænam fidem evertendam usiæ nomen abstulisse.

Cùm verò Hieronymus dicit totum orbem miratum esse, se esse Arianum, solùm vult orbem miratum esse, se esse Arianum, non quidem sententia, & dogmate, sed communione, & quadam suspicione; quatenus Ariminenses cum Arianis, quos putabant Orthodoxos, communicarunt, & in abolitionem vocis *substantiæ* consenserunt: & sic orbis Christianus per illos Ariminenses quasi censebatur cum Arianis communione conjunctus, & voces *substantiæ*, & *consubstantialis*, quibus Ariana hæresis evertebatur, repudiare. At sensus non est, quòd orbis Christianus propter Ariminenses re vera censeretur Arianus dogmate, siquidem juxta ipsum Hieronymum ne Ariminenses quidem in hæresim Arianam unquam consenserunt. *Cur damnassent eos* (Ariminenses) *qui Ariani non erant?* inquit, in dialogo cit. *Cur denique credentes bene, obstinatione sua facerent Arianos?* Et verò nemo ingemiscit, quòd sit is, quem vult se esse. Si ergo orbis ingemiscebat se esse Arianum, non volebat se esse Arianum; ergo re vera non erat Arianus: nam nemo hæreticus est, nisi ex propria voluntate; cùm hæresis sit error voluntarius.

Dices. Quare ergo ingemiscebat orbis?

Resp. Ingemuit eò, quòd Episcopi in abolitionem vocis substantiæ, & consubstantialis consensissent, & per illam abolitionem grave scandalum fidei dedissent, & in suspicionem hæresis venissent apud eos, qui eorum mentem ignorarent.

Porrò Hieronymus ibi locutus est per quamdam exaggerationem, & figuram, qua toti tribuitur id, quod convenit tantùm parti, ut cùm dicimus: talis natio est crudelis ac ferox; non quòd omnes tales sint, sed quòd multi, licèt minorem partem constituentes, tales sint.

Obj. 8. S. Augustinus, epist. 50. de Ecclesiæ erga Ariminenses indulgentia loquens, ait: *hoc displicuisse Lucifero, quia factum est in suscipiendis, atque sanandis, qui veneno perierant Ariano*

Resp. Ex S. Aug. Ariminenses veneno perierunt Ariano, hoc est, peccarunt, non quòd in Arianam hæresim lapsi sint, sed quòd malis Arianorum artibus inducti in perfidam quamdam prævaricationem inciderint, abolendo nomen consubstantialis à Concilio generali approbatum, & consecratum ad fidem conservandam, & hæresim Arianam evertendam: quod sine perfidia, & gravi peccato facere non potuerunt.

Obj. 9. Facundus Hermianensis, l. 5. c. 3. dicit Orthodoxos Episcopos *apud Ariminum in Arianum dogma fuisse subactos, opprimente Constantio.* Et inferius. *In Ariminensi concilio multos Ariano dogmati conniventes, tres diversas ejusdem Sanctæ Trinitatis fuisse mentitos esse naturas.*

Resp. Falsa sunt, quæ hic dicit Facundus, ut constat tùm ex S. Athanasio, qui Ariminensibus contemporaneus fuit: tùm ex S. Hieron. qui apud se Concilii Ariminensis acta habuit, & eodem illo sæculo floruit, testibus sanè Facundo, qui sexto sæculo scripsit, anteponendis.

ARTICULUS VI.

Utrùm Spiritus Sanctus sit DEUS?

Nota. Arius, & alii Hæretici, qui Filium esse creaturam asserebant, negabant quoque divinitatem Spiritus Sancti: nemo enim Hæreticus unquam Spiritum Sanctum Filio antepositit. Cùm tamen Arius Spiritus Sancti divinitatem expressis verbis non negasset, nec Concilium Alexandrinum, nec Nicænum hanc hæresim expressè damnarunt. Sed Spiritus Sancti divinitatem apertè impugnarunt Aëtius, & ejus discipulus Eunomius, ambo Ariani, sub Imperatore Constantio

ſtantio. Eandem hæreſim apertiùs propugnavit Macedonius Conſtantinopolitanus Epiſcopus, cujus ſectatores ab ejus nomine dicti ſunt Macedoniani, qui etiam ſemi-Ariani appellati ſunt, quia partim Arianis conſenſerunt, negando divinitatem Spiritus Sancti; partim ab illis diſſenſerunt, confitendo divinitatem Filii. Vocati ſunt quoque ab illa hæreſi *Pneumatomachi.*

§. I.

Dico. Spiritus Sanctus eſt verus DEUS. Eſt de Fide.

Prob. 1. Ex Scriptura, Matth. c. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Ubi Spiritui Sancto, tanquam Perſonæ à Patre, & Filio diſtinctæ, tribuitur idem nomen, ſcilicet auctoritatis, ac virtutis cum Patre, & Filio. Ergo Spiritus Sanctus tam eſt verus DEUS, quàm Pater, & Filius

1. Joann. c. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, Et hi tres unum ſunt.* Ergo Spiritus Sanctus eſt una res, una ſubſtantia, ac natura cum Patre, & Filio, proindeque eandem habet divinitatem cum utroque.

Act. c. 5. Petrus ait Ananiæ: *cur tentavit ſatanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto?* Et verſu ſequenti ait: *non es mentitus hominibus, ſed DEO.* Ubi Spiritus Sanctus dicitur ſimpliciter, & abſolutè DEUS, & opponitur creaturæ.

Item multi textus veteris Scripturæ, in quibus dicitur DEUS locutus fuiſſe, ab Apoſtolis explicantur de Spiritu Sancto. Sic hæc verba: *vade, & dices populo huic: audite audientes, & nolite intelligere*: quæ Iſaias, cap. 6. DEO exercituum tribuit, dicuntur à Paulo, Act. c. ult. fuiſſe à Spiritu Sancto prolata. *Bene*, inquit, *Spiritus Sanctus locutus eſt per Iſaiam Prophetam ad Patres noſtros, dicens: vade ad populum iſtum, & dic ad eos: aure audietis, & non intelligetis.* Et Pſal. 94. David de DEO loquens ait: *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in irritatione ſecundùm diem tentationis in deſerto, ubi tentaverunt me Patres veſtri, &c.* Deus autem ille, cui obtemperandum eſt, & quem tentaverunt Iſraelitæ, à Paulo dicitur eſſe Spiritus Sanctus, Heb. c. 3. *Quapropter ſicut dicit Spiritus Sanctus: hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione, ſecundùm diem tentationis in deſerto, ubi tentaverunt me Patres veſtri, &c.* Item Apoſtolus, 1. Cor. c. 3. Fideles vocat Templum DEI. & poſtea, c. 6. eosdem dicit eſſe Templum Spiritus Sancti.

Denique in Scripturis Spiritui Sancto attribuuntur ea, quæ ſoli DEO conveniunt, ut perfecta comprehenſio divinitatis, creatio, & conſervatio Univerſi, ſanctificatio animarum, &c. Ex quibus ſic diſſerit S. Fulgentius, l. 3. ad Traſimundum, c. 35. *Dicatur igitur, ſi Cœlorum virtutem potuit firmare, qui non eſt DEUS: ſi poteſt vivificare, qui non eſt DEUS: ſi poteſt in baptiſmatis regeneratione ſanctificare, qui non eſt DEUS: ſi poteſt charitatem tribuere, qui non eſt DEUS: ſi poteſt gratiam dare, qui non eſt DEUS: ſi poteſt Templum membra Chriſti habere, qui non eſt DEUS: & dignè Spiritus Sanctus negabitur DEUS ... Si autem hæc creaturæ poſſibilia nunquam fuerunt, & inveniuntur in Spiritu Sancto; quæ tamen ſoli competunt DEO, non debemus naturaliter diverſum à Patre, Filioque dicere, quem in operum potentia diverſum non poſſumus invenire: Ac ſic ex unitate operis unitas eſt agnoſcenda virtutis.* Ex unitate autem virtutis agnoſci debet unitas naturæ, & divinitatis.

Accedit conſenſus Patrum, quorum plurimi ex profeſſo ſcripſerunt de Spiritus Sancti divinitate, nimirum Athanaſius, epiſt. ad Serapion. Baſilius, l. 3. & 5. contra Eunomium, & l. de Spiritu Sancto: Gregorius Naz. l. 5. de Theologia. Nyſſenus, l. ad Euſtat. Epiphanius, hæreſi 74. Didimus, libris duobus de Spiritu Sancto; Cyrillus Jeroſol. Catecheſi 16. & 17. Chryſoſtomus, in Homiliis aliquot; Cyrillus Alexand. l. 7. de Trinitate, & l. 13. & 14. Theſauri, & in lib. ſpeciali de Spiritu Sancto; S. Hilarius, libris de Trinitate.

Ambro-

Ambroſius, libris tribus de Spiritu Sancto; Auguſtinus, l. 1. de Trinitate, c. 6. &c.

Prob. 2. Ex Conciliis generalibus. Et 1. quidem ex Conſtantinopolitano I. In Symbolo, ubi dicitur: *Credimus in Spiritum Sanctum, Dominum, & vivificantem, cum Patre, & Filio adorandum, & conglorificandum:* ideóque Patri, & Filio æqualem, ac conſubſtantialem. Qamvis autem hoc Concilium eſſet duntaxat 150. Epiſcoporum Orientalium, tamen quia anno ſequenti ſcilicet 382. Damaſus Romæ Concil. Epiſcoporum Occidentalium congregavit, in quo Symbolum Concilii illius Conſtantinopolitani approbatum, & confirmatum fuit, hæc definitio Symboli habita eſt ut duorum Conciliorum, Orientis ſcilicet, & Occidentis in unum coaleſcentium definitio, ideóque ut definitio Concilii Generalis, quod quidem nomen attributum eſt Conſtantinopolitano Concilio, à quo illud Symbolum editum fuit. 2. Ex Conciliis Chalcedonenſi, Conſtantinopolitano II. & III. & Nicæno II. quæ Symbolum Conſtantinopolitanum approbarunt, & confirmarunt. 3. Ex Conſtantinopolitano IV. quod non ſolùm Conſtantinopolitanum I. ſuſcepit, ſed etiam nominatim damnat Macedonium, & aſſerit Spiritum Sanctum eſſe Patri, & Filio conſubſtantialem. 4. Ex Conc. Lateranenſi IV. c. 1. jam citato, ubi definit: *quòd unus ſolus eſt verus DEUS.... Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidem Perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omninò.* Et quòd ſint *conſubſtantiales, coæquales, coomnipotentes, & coæterni, unum univerſorum principium.* 5. Ex Conc. Trident. profitente in Symbolo Spiritum Sanctum cum Patre, & Filio ſimul adorari, & conglorificari. His adde Symbolum Athanaſ. in tota Eccleſia receptum, ubi divinitas Spiritus Sancti clarè exprimitur.

Adde etiam omnia primo articulo allata de Trinitate Perſonarum in unitate naturæ.

Prob. 3. Argumento præſcriptionis. Sæculo quarto Eccleſiam credidiſſe Spiritum Sanctum eſſe verum DEUM, evidenter conſtat: nam qui tunc Spiritus Sancti divinitatem negarunt, ab Eccleſia damnati ſunt ut Hæretici. Ergo aliis etiam prioribus ſæculis fuit fides Eccleſiæ, quòd Spiritus Sanctus ſit DEUS: nam dici non poteſt, quo tempore, ubi, à quo, quibus præſidiis, quibus obſiſtentibus mutata fuerit Eccleſiæ doctrina circa Spiritum Sanctum; cùm tamen hæc omnia in omni mutatione, præſertim religionis, aſſignari poſſint.

§. II.

Solvuntur objectiones

Obj. 1. Illud Joann. c. 15. *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Ergo Spiritus Sanctus mittitur: ſed qui mittitur, minor eſt eo, à quo mittitur, Ergo, &c.

Reſp. Diſting. conſeq. Spiritus Sanctus mittitur per proceſſionem, *conc. conſeq.* Per imperium, *nego conſeq.* Spiritus Sanctus non mittitur à Patre, & Filio per imperium, aut quovis modo imperfectionem indicante in miſſo; ſed mittitur duntaxat per proceſſionem; quatenus nempe ab utroque procedit, & incipit eſſe novo modo in creatura per effectum, qui ei per appropriationem tribuitur. Nam miſſio in divinis nihil aliud eſt, quàm Perſonæ ab alia procedentis præſentia in creatura per effectum aliquem temporaneum, qui perſonæ procedenti ſpecialiter adſcribitur, propter ſpecialem aliquam ejus notionem.

Obj. 2. Verba, Joann. c. 16. *non loquetur à ſemetipſo: ſed quæcunque audiet, loquetur .. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet*

Reſp. Spiritus Sanctus à Patre, & Filio accipit ſcientiam rerum omnium, ſed abſque ulla dependentia: nec diſcendo, ſed procedendo, & per proceſſionem accipiendo naturam divinam, quæ per ſe ipſam rerum omnium ſcibilium cognitio eſt. Item omnia, quæ habet, accipit à Patre, & Filio, ſed ſine dependentia, indigentia, & imperfectione; verùm ex inf uſtrabili exigentia naturæ ſuæ, ſcilicet divinæ, quæ tam

est Spiritus Sancti, quàm Patris, & Filii natura.

Obj. 3. Illud, Rom. c. 8. *Ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Ergo Spiritus Sanctus est capax gemituum, & orat ut inferior, ideóque non est DEUS.

Resp. Nego conseq. Nam sensus est: ipse Spiritus per interiorem gratiam facit nos postulantes gemitibus, qui enarrari nequeunt. Unde ibi metaphoricè ponitur verbum effectum significans pro verbo causali. Sic 2. Cor. c. 2. dicitur, *DEO autem gratias, qui semper triumphat nos in Christo Jesu.* Id est, qui nos triumphare, seu triumphantes facit per gratiam ex meritis Christi data.

Inst. Si ita est, tum Pater rectè dicetur postulare pro nobis: nam omnes effectus ad extra sunt Trinitati communes.

Resp. Nego sequel. Quia invaluit usus, Scripturarum consvetudine confirmatus, ut quædam opera, licèt toti Trinitati communia, imò & perfectiones, certo quodam modo, qui appropriatio dicitur, uni Personæ non alteri tribuantur. Sic quia Pater est fons, & origo Trinitatis, omnipotentia, & creatio Patri attribuitur: quia Filius est Verbum Patris, & procedit per intellectum, dicitur sapientia: denique quia Spiritus Sanctus per mutuum Patris, & Filii amorem producitur, dona supernaturalia, quæ sunt effectus specialis DEI erga homines amoris, ac benevolentiæ, ei specialiter attribuuntur.

Obj. 4. Omnia per Verbum facta sunt, ex Joann. c. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Ergo Spiritus Sanctus factus est, ideóque est creatura.

Resp. Cùm dicitur: *omnia per ipsum facta sunt;* intellige, quæ facta sunt, ut patet ex integro textu: *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* At non omnia, quæ sunt, facta sunt: alioqui Pater ipse factus esset per Verbum, quod evidenter falsum. Spiritus autem Sanctus non est factus, sed ex Patre, & Filio tanquam ex uno principio procedit, absoluta necessitate, & sine ulla dependentia.

Obj. 5. Quarto sæculo adhibebatur hæc glorificationis formula: *Gloria Patri, & Filio, in Spiritu Sancto.* Ergo Spiritus Sanctus non annumerabatur ut æqualis Patri, & Filio.

Resp. Nego conseq. Quia 1. quarto sæculo, imò etiam tribus prioribus Ecclesiæ sæculis, in Ecclesia tùm Orientali, tùm Occidentali usitatissima fuit hæc glorificationis formula: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, seu, *cum Spiritu Sancto*: ut testatur S. Basilius, l. de Spiritu Sancto, cap. 29. Porrò præpositio, *cum*, idem planè significat, quod conjunctio, *&*, ut idem S. Doctor notat, c. 27. ejusdem libri. 2. In ista glorificationis formula, *Gloria Patri, & Filio, in Spiritu Sancto*, quæ longè minùs usitata est, præpositio, *in* eandem significationem habet, quam præpositio, *cum*, ut probat S. Basilius, eod. lib. c. 25.

Nota. Cùm in Scriptura de Patre dicitur, *ex quo*, de Filio, *per quem*, de Spiritu Sancto, *in quo*, hæ voces idem significant. Nam voces, *ex ipso*, *per ipsum*, *in ipso*, dicuntur de Deo in Scriptura, ut, Rom. c. 11. *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia: ipsi gloria in sæcula.*

Obj. 6. Dionysius Alexandrinus negavit divinitatem Spiritus Sancti: nam S. Basilius, epist. 41. de hoc Dionysio hæc ait: *De Spiritu Sancto voces edidit, quæ nulla prorsus sui parte competunt Sancto Spiritui, divinam illi, atque adorandam adimens Majestatem: & eundem ad hæc inferiora devexum creatæ adnumerat, ac servili creaturæ*

Resp. S. Basilius, cùm hanc epistolam scriberet, non habebat præ manibus apologeticum à Dionysio compositum, ut ipse Basilius ibi testatur: unde Dionysii mentem, & doctrinam non satis perspectam habuit. Quare anteponendum est testimonium S. Athanasii, qui libros apologeticos à Dionysio conscriptos habuit, & eum hac hæresi purgavit in epistola de sententia Dionysii, ubi refert verba Dionysii, quibus ipse expressè testatur, se nunquam separasse, vel divisisse, vel nunquam existimasse separatã, vel divisam esse substantiam Filii à substantia Patris: aut substantiam

tiam Spiritus Sancti à ſubſtantia Patris, & Filii: quod eſt teſtari ſe ſemper ſenſiſſe eandem eſſe ſubſtantiam, ideóque divinitatem Patris, Filii, & Spiritus Sancti. Et Idem Dionyſius in ſua reſponſione ad propoſitiones Pauli Samoſateni, ſic ait: *non impunè gerer, qui adversùs Spiritum Sanctum blaſphemus eſt. Spiritus autem eſt Deus.*

Obj. 7. S. Baſilius aliquibus locis conſultò non dicebat, Spiritum Sanctum eſſe Deum. Hancque omiſſionem laudat S. Gregorius Nazianzenus.

Reſp. S. Baſilius aliquoties tantum in publicis concionibus non dixit expreſſis verbis Spiritum Sanctum eſſe Deum, ne hæretici inde occaſionem ſumerent Eccleſiam, cui præerat, invadendi, ac pervertendi. Sed ita à nuncupatione Dei, de Spiritu Sancto loquens, abſtinebat, ut aliis verbis æquivalentibus ſignificaret Spiritum Sanctum eſſe verum Deum, eique, quæ ſoli vero Deo conveniunt, attribueret. Præterea etiam in concionibus publicis ſæpe, quando nullum periculum Eccleſiæ imminebat, Spiritum Sanctum Deum appellabat; & ſemper in privatis colloquiis, interrogantibus de divinitate Spiritus Sancti, expreſsè reſpondebat, illum eſſe Deum. Ita refert S. Gregorius Nazianz. orat. 20. qui non præcisè omiſſionem illam, ſed œconomiam S. Baſilii laudat.

Porrò S. Baſilium rectè ſenſiſſe de divinitate Spiritus Sancti, patet ex innumeris locis; præſertim l. de Spiritu Sancto, & l. 5. adversùs Eunomium; ubi, tit. 1. ait *Dùm quæ communia ſunt creaturis, Spiritui Sancto non communicentur; & quæ Spiritus propria ſunt, creaturæ non communicentur; colligitur hinc Spiritum non eſſe creaturam: quoniam quæ communia ſunt Patri, & Filio, eadem communia ſunt & Spiritui. Nam quibus deſignatur in Scriptura, Pater, & Filius eſſe, eiſdem deſignatur & Spiritus Sanctus Deus. Quibus colligitur ejusdem Spiritum eſſe deitatis cum Patre..... Ex quo patet Trinitatem eſſe conſubſtantialem.*

Obj. 8. Illa Perſona non eſt Deus, quæ nec eſt genita, nec ingenita. At talis eſt Spiritus Sanctus. Ergo non eſt Deus.

Reſp. Nego maj. Nam inter genitum, & ingenitum datur aliquod medium: ſcilicet procedens alia via, quàm per generationem

ARTICULUS VII.

Utrùm tres Perſonæ divinæ ſint unus Deus?

Nota. Olim Peratæ apud Theodoretum exiſtimarunt tres Perſonas divinas eſſe tres Deos, tres mentes, &c. Tamen Philoponus Alexandrinus, qui ſexto ſæculo hunc errorem docuit, Tritheitarum parens habetur. Ab his vocetenus diſſenſit Joachimus Abbas duodecimo ſæculo: nam aſſeruit tres Perſonas divinas eſſe tres eſſentias, ſeu naturas numero diſtinctas; nec eſſe unum Deum, niſi unitate logica, vel collectionis, ſicut multi homines ſunt unus populus, & multi fideles una Eccleſia.

Dico. Tres Perſonæ divinæ ſunt unus Deus. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex textibus Scripturæ, Patrum, & Conciliorum generalium, quibus articulo 1. oſtenſum eſt, eſſe in Deo tres Perſonas realiter inter ſe diſtinctas. Nam illi textus non ſolùm exprimunt Trinitatem Perſonarum in Deo, ſed etiam unitatem numericam, & identitatem naturæ, ac divinitatis, in tribus Perſonis.

His accedit unanimis Patrum conſenſus, & Symbolum in Eccleſia cani ſolitum, & Symbolum Athanaſianum ab Eccleſia uſu receptum, & cujus recitatio omnibus ejus Miniſtris præcepta eſt, quòd ſic habet: *Fides Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in unitate veneremur.... Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una eſt divinitas, æqualis gloria, coæterna majeſtas..... Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus: & tamen non tres Dii, ſed unus Deus.*

Prob. 2. Ex Conc. generali Lateranenſi IV. c. 1. ubi ait; *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quod unus ſolus eſt verus Deus.... Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus: tres quidem Perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura ſimplex omnino.* Et c. 2 ſic contra Joachimum definit:

Credimus, & confitemur, quòd una quædam ſumma res eſt, incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres ſimul Perſonæ, & ſingulatim quælibet earundem. Et ideo in Deo Trinitas eſt ſolummodò, non quaternitas; quia quælibet trium Perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſive natura divina, quæ ſola eſt univerſorum principium.

Prob. 3. Argumento Theologico. Pater eſt verus Deus, Filius eſt verus Deus, Spiritus Sanctus eſt verus Deus, ut oſtendi ex Scriptura, & Traditione. Atqui unicus eſt Deus, ut evidenter demonſtratur in tractatu de Deo, & conſtat ex Scriptura, Iſai, c. 43. *Ego ſum Dominus, & absque me non eſt Deus.* Et 1. Cor. c. 8. *Nullus eſt Deus, niſi unus.* Ergo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt unicus Deus.

Solvuntur Objectiones

Obj. 1. Tres Perſonæ divinæ ſunt tres ſubſtantiæ, ergo ſunt tres Dii.

Reſp. Tres Perſonæ divinæ ſunt tres ſubſtantiæ relativæ, identificatæ uni ſubſtantiæ abſolutæ, nempe divinitati: & ſic ſunt tres ſubſtantiæ relativæ habentes unam eandemque eſſentiam, ac ſubſtantiam abſolutam, quæ eſt divinitas, & conſequenter illæ tres ſubſtantiæ relativæ ſunt unus, & idem Deus.

Obj. 2. Si Pater, & Filius ſunt unus Deus, unus & idem Deus eſt genitus, & non eſt genitus: quæ ſunt duo contradictoria.

Reſp. Unus, & idem Deus ſumptus pro multiplici ſuppoſito divinitatis eſt genitus ſecundùm unam Perſonam, & non eſt genitus ſecundùm aliam, ſive eſt genitus, quatenus eſt Filius, & non eſt genitus, quatenus eſt Pater. In quo nulla eſt contradictio; nam hæc eſt affirmatio, & negatio ejuſdem de eodem ſecundùm idem. Quare in uno, & eodem, qui ſimul eſt plures perſonæ realiter diſtinctæ, poſſunt eſſe prædicata contradictoria ſine contradictione.

Obj. 3. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt alius, & alius, & alius. Sed illæ tres Perſonæ ſunt Deus. Ergo Deus eſt alius, & alius, & alius, &c.

Reſp. Diſtinguo maj. Sunt alius, & alius, & alius ratione perſonalitatum, *conc. maj.* Ratione eſſentiæ, *nego maj.* Unde ſequitur verum Deum eſſe trinum in Perſonis, & unum in eſſentia.

Obj. 4. Unus, & verus Deus eſt Pater Chriſti. At tres Perſonæ divinæ non ſunt Pater Chriſti. Ergo nec unus verus Deus.

Reſp. Diſting. maj. Unus, & verus Deus ſumptus in ſuppoſitione perſonali inadæquata, ſeu ſumptus pro prima Perſona habente divinitatem, eſt Pater Chriſti, *conc. maj.* Unus, & verus Deus ſumptus in ſuppoſitione perſonali adæquata, ſive ſumptus pro omni Perſona habente divinitatem, eſt Pater Chriſti *nego maj. & conceſſa minore, diſting. conſeq.* Ergo tres Perſonæ non ſunt unus verus Deus ſumptus in ſuppoſitione materiali, ſeu perſonali inadæquata, id eſt, ſumptus pro uno tantùm ſuppoſito habente divinitatem, *conc. conſeq.* Nam non ſunt unicum ſuppoſitum habens veram divinitatem: Sumptus in ſuppoſitione perſonali adæquata, hoc eſt, pro omni ſuppoſito habente divinitatem, *nego conſeq.* Nam tres Perſonæ ſunt omne, & ſolum ſuppoſitum habens divinitatem.

Obj. 5. Si tres Perſonæ divinæ ſunt unus Deus, ſimul ſunt tres res, & una tantùm res. Conſeq. implicat, Ergo.

Reſp. Tres Perſonæ ſunt tres res relativæ ratione perſonalitatum, & una res abſoluta ratione eſſentiæ, ſeu naturæ identificatæ tribus illis rebus relativis. Quare non ſunt tres, & una res ſub eadem ratione, & conſideratione, ſed ſub diverſa

Obj. 6. Valet hoc argumentum: Pater eſt Perſona divina, Filius eſt Perſona divina, Spiritus Sanctus eſt Perſona divina, ergo ſunt tres Perſonæ divinæ. Ergo à pari valet & iſtud: Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus Sanctus eſt Deus: ergo ſunt tres Dii.

Reſp. Nego conſeq. Diſparitatis ratio eſt, quia perſonalitas multiplicatur in Deo, non divinitas.

Iuſt.

Inst. Per nomen Dei intelligitur Persona. Ergo si tres sunt Personæ, tres quoque sunt Dii.

Resp. Nomen Dei distinctè significat naturam divinam una, vel multiplici personalitate subsistentem. Personam verò confusè tantùm significat. Nam nomina concreta distinctè formam, confusè verò subjectum, seu suppositum exprimunt.

Porrò nomen personæ expressè, & distinctè significat personalitatem tanquam formam: indirectè verò, & confusè naturam. Nam persona idem est, ac habens personalitatem, quæ est ultimum naturæ intellectualis complementum, seu terminus.

Obj. 7. Ex Boetio persona est naturæ intelligentis individua substantia. Ergo si sunt tres Personæ, sunt quoque tres substantiæ divinæ individuæ.

Resp. In hac definitione nomen substantiæ non significat essentiam, seu naturam; alioqui idem bis exprimeretur: sed significat, subsistentiam, seu substantiam singularem; alteri tanquam supposito incommunicabilem, quæ est substantia relativa in Deo.

Observa. Tempore S. Hieronymi, & ante illud, Catholici in Oriente inter se dissidebant de significatione vocis, *hypostasis*. Alii volebant per illam significari substantiam, naturam, ideoque esse in Deo unicam hypostasim. Alii verò contendebant hypostasim significare subsistentiam, seu rem per se subsistentem, quæ in entibus intellectualibus persona vocatur, ideoque esse tres hypostases in Deo. Concilium Alexandrinum sub S. Athanasio hanc quæstionem definire noluit, sed singulis liberam reliquit unius, vel trium hypostaseon usurpationem; quia videbat esse meram quæstionem de voce. Sed sententia pro tribus hypostasibus, quam SS. Basilius, & Epiphanius defenderunt, sensim prævaluit. Et jam à multis sæculis usus in universa Ecclesia invaluit, ut dicantur tres esse in Deo hypostases; quia usus sensim invaluit, ut vox *hypostasis* accipiatur tantùm pro subsistentia, seu, supposito.

COROLLARIUM.

Ex dictis sic facilè probatur existentia SS. Trinitatis. Trinitas est Deus trinus in personis, & unus in natura, ac essentia. At existit Deus trinus in personis, & unus in natura, ac essentia: nam ut ex Scriptura, & Traditione ostensum est, tres sunt Personæ, & illæ sunt unus Deus: Ergo existit SS. Trinitas.

CAPUT II.

De Processionibus Divinis.

ARTICULUS I.

Utrùm dentur in Deo processiones reales adintra?

Nota. 1. PRocessio est emanatio, seu origo unius ab alio. Sic fluvius dicitur procedere a fonte, quia ab eo emanat, & oritur. Unde processio in divinis est emanatio, seu origo unius Personæ ab alia.

Nota. 2 Processio duplex est, nempe transiens, seu ad extra: & immanens, seu adintra. Processio transiens, & adextra est ea, per quam potentia extra se ipsam producit aliquid: sive est ea, cujus terminus productus est extra principium producens: talis dicitur processio luminis à sole. Processio immanens, & adintra est ea, cujus terminus productus est in principio producente: sic intellectio procedit ab intellectu.

Dico. Dantur in Deo processiones reales adintra. Nam re vera Filius procedit immanenter à Patre, & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, ut sequentibus articulis probabitur. Ergo.

ARTICULUS II.

Utrùm Filius in Divinis procedat à Patre, & quidem solo?

Dico. 1. Filius in divinis procedit à Patre. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura, Joann. c. 7. sic

sic Christus Filius Dei loquitur: *Ab ipso sum, & ipse me misit.* Et, c. 8. *Ego enim ex Deo processi, & veni: neque enim à me ipso veni, sed ille me misit.* Et c. 16. *Exivi à Patre, & veni in mundum.* Et, Psal. 109. Deus Pater sic Filium alloquitur: *ex utero ante luciferum genui te.*

2. Ex unanimi Patrum consensu.

3. Ex Conciliis: Nicæno I. & Constantinopolitano I. in Symbolo, ubi dicitur: *Credimus in unum Dominum Jesum Christum Filium DEI, ex Patre natum ante omnia sæcula, DEUM de DEO, DEUM verum de DEO vero.* Et ex aliis Conciliis generalibus supra dictis, hoc Symbolum approbantibus, & confirmantibus.

4. Ratione. Quia secunda Persona in divinis est verè Filius. At est de ratione Filii, ut procedat à Patre. Ergo Filius in divinis procedit à Patre. Præterea, si Filius non procederet à Patre, non distingueretur realiter ab illo. Falsum consequ. ergo. *Prob. sequel. maj.* In divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio. At si Filius non procederet à Patre, non haberet cum eo relativam oppositionem; nam in DEO nulla alia oppositio relativa præter eam, quæ fundatur in processione unius Personæ ab alia, esse potest, quæ non adversetur infinitæ ejus perfectioni. Ergo si Filius non procederet à Patre, esset una, & eadem Persona cum illo, & sic non distingueretur realiter ab illo.

Dico. 2. Filius in divinis procedit à solo Patre. Est de fide.

Prob. 2. Ex Scriptura, quæ nullam aliam processionem Filii, nisi à Patre assignat.

2. Ex Conc. generali Lateranensi IV. c. 1. ibi: *Pater à nullo, Filius autem à solo Patre, ac Spiritus Sanctus ab utroque pariter absque initio, semper, ac sine fine.*

3. Ex Symbolo Athanasiano, in quo dicitur: *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.*

4. Quia si Filius procederet ab aliquo alio, maximè à Spiritu Sancto: nam non potest procedere realiter ab essentia, seu natura divina, cùm ei identificetur: nec à se ipso, cùm nihil possit se ipsum producere: nec ab alia Persona, cùm in Deo sint tantùm tres Personæ. Atqui Filius non procedit à Spiritu Sancto; nam ipse Spiritus Sanctus à Filio procedit. Ergo.

Dico 3. Processio Filii à Patre in divinis est processio adintra, seu immanens. Est de fide.

Prob. Processio immanens est, per quam terminus productus immanet principio producenti. At talis est Filii processio à Patre in divinis; nam Filius in divinis perfectissimè immanet Patri; cùm una, eademque sit natura, ac substantia Patris, & Filii. Unde Filius ipse, Joann. c. 14. ait: *Ego in Patre, & Pater in me est.* Ergo processio Filii à Patre est immanens.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Si Pater genuit Filium, vel eum genuit jam existentem, vel nondum existentem. Neutrum dici potest. Non primum; nam si Filius jam existebat, cùm illum Pater genuit, frustra illum genuit. Non etiam secundùm: alioqui Filius aliquando non extitit, & sic non est æternus, nec proinde DEUS.

Resp. Nego sequel. maj. Quia supponit falsum: nam supponit generationem Filii non esse æternam, sed temporaneam. De re enim per generationem æternam existente negatoriè dicitur; vel jam existens, vel nondum existens genita est. Nam si ab æterno genita est, ab æterno extitit: & si ab æterno extitit, quia ab æterno genita est, nunquam extitit priùs, quàm gigneretur.

Igitur Pater neque genuit Filium jam existentem; quia Filius pro nullo instanti sive reali, sive originis priùs extitit, quàm gigneretur à Patre: Filius enim ab æterno existit; quia ab æterno Pater eum generat: qui autem existit, quia gignitur, in nullo sensu priùs existit, quàm gignatur. Neque etiam Pater genuit Filium non existentem; quia nullum in tota æternitate instans reale assignari potest, quo Pater non genuerit Filium: & sic nullum in tota æternitate instans

ſtans reale aſſignari poteſt, quo Filius non extiterit. Quare Filius neque jam exiſtens, neque nondum exiſtens, aliquando genitus eſt: quod enim ſemper ab æterno habuit exiſtentiam, quia eam ſemper accepit, neque aliquando non habuit, neque habuit unquam priùs, quàm acciperet.

Obj. 2. Si Filius procederet ab alio, ejus proceſſio eſſet effectio. Ergo non eſſet Deus.

Reſp. Nego ſequel. anteced. Quod repugnat Symbolo Nicæno, & Conſtantinopolitano, ubi dicitur Filius natus, non factus. Ratio eſt, quia effectio propriè dicta vel eſt actio, qua res, quæ producitur, accipit naturam realiter diſtinctam à natura rei producentis: vel actio, qua res tranſit à non eſſe ad eſſe: vel productio rei contingentis, & & libera Deo. At Filius non accipit naturam realiter diſtinctam à natura Patris, ſed accipit eandem numero, cùm ſit ei conſubſtantialis: neque tranſit à non eſſe ad eſſe, ut conſtat tùm ex Symbolo Nicæno docente, *Filium ex Patre natum ante omnia ſæcula*: tùm ex Conc. Lateranenſi IV. definiente, c. 1. *Filium eſſe à Patre abſque initio*: Et c. 2. Patrem ab æterno generando Filium, ſuam ei ſubſtantiam dediſſe. Neque Filius eſt ens contingens, neque liberè producitur à Patre; cùm ſit DEUS, ideóque ens abſolutè neceſſarium. Ergo Filii proceſſio non eſt effectio, ſed generatio.

Obj. 3. Si Filius procedit à Patre, Pater eſt prior Filio. Falſum conſeq. ergo.

Reſp. Diſting. ſequel maj. Pater eſt prior Filio prioritate originis, *conc. ſequel. maj.* Prioritate naturæ, vel temporis, vel dignitatis, *nego ſeq. maj.* Pater equidem prior eſt Filio prioritate originis: nam prius originе dicitur illud, quod eſt principium alterius. At Pater non eſt prior Filio neque prioritate naturæ; quia non eſt cauſa Filii: neque prioritate temporis; quia non exiſtit ante Filium: nam non fuit priùs, quàm eſſet Pater: nec fuit Pater, antequam haberet Filium: neque demum prioritate dignitatis; nam Filius eſt æqualis Patri; habet enim totam divinitatem, ſicut Pater, & æquivalenter paternitatem: filiatio enim æquivalet paternitati, & tam perfectum, ac dignum eſt in Deo eſſe Filium, quàm eſſe Patrem.

Dices. Perfectiùs eſt dare, quàm accipere.

Reſp. Hoc eſt verum in creatis, non in divinis; quia in divinis receptio fit abſque dependentia, & ex intrinſeca, ac abſoluta neceſſitate exiſtendi in recipiente. Nam in divinis Perſona, quæ accipit eſſe ab alia, habet in ſe ſummam neceſſitatem ſuæ exiſtentiæ. Quare exiſtit ex intrinſeca, & abſoluta neceſſitate exiſtendi: proindeque non exiſtit beneficio Perſonæ, à qua accipit eſſe, nec magis illi debet exiſtentiam ſuam, quam ſibi. Aliud eſt in creatis: nam in creatis receptio fit cum recipientis dependentia ab eo, à quo recipit eſſe.

Obj. 4. Si Filius procedit à Patre, Pater eſt cauſa Filii. Falſum conſeq. ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Quia cauſa ſtrictè dicta apud Latinos ſignificat id, à quo eſt aliquid contingens, dependens, & naturæ realiter diſtinctæ à natura cauſæ. At Filius non procedit à Patre ut *aliquid contigens*, & cum dependentia accipiens naturam realiter *diſtinctam à natura Patris*. Ergo in divinis Pater non eſt cauſa Filii, nec Filius eſt effectus *Patris*.

Inſt. Patres Græci appellant Patrem æternum *aition*, id eſt, cauſam Filii.

Reſp. Per hanc vocem intelligunt principium. Et Latini, qui uſi ſunt nomine cauſæ, illud accipiunt latè, nempe pro principio. Pater autem eſt principium Filii, non tamen cauſa ſtrictè dicta; quia principium ſignificat præcisè id, à quo eſt aliquid, præſcindendo, an ab eo ſit cum dependentia, an ſine dependentia. At cauſa ſtrictè, ac propriè ſumpta apud Latinos ſignificat id, à quo eſt aliquid cum dependentia, & habens naturam realiter diſtinctam ab illo.

Obj. 5. Si Filius procedit à Patre, non eſt ens à ſe. Ergo non eſt Deus.

Reſp. Nego ſequel. antec. Quia per ens à ſe intelligitur ens abſolutè neceſſarium, ex ſua eſſentia exiſtens, independens ab omni alio, & improductum ratione eſſentiæ, ac naturæ. At Filius, quamvis procedat à Pa-

Patre, est ejusmodi ens: nam existit ex intrinseca, & absoluta necessitate suæ essentiæ, ac naturæ, nempe divinæ, quæ est improducta, nec ullatenus procedit à Patre.

Inst. Quod ab alio producitur, non est ens à se, sed ab illo alio. Ergo si Filius producitur à Patre, non est ens à se.

Resp. Disting. anteced. Quod ab alio producitur secundùm essentiam, non est ens à se *conc. ant.* Quod ab alio producitur secundùm solam personalitatem, cui identificatur natura improducta, non est ens à se *nego ant.* Filius autem in divinis producitur tantùm secundùm personalitatem, seu proprietatem relativam, nempe filiationem, cui essentialiter identificatur natura divina planè improducta.

Porrò Filius est Deus vi productionis suæ; quia vi productionis suæ est consubstantialis principio producenti: nam filiatio divina est per se idem cum substantia producentis.

Obj. 6. Deus est essentialiter primum ens, à quo est omne aliud ens. At si Filius producitur à Patre, non est primum ens, ergo non est Deus.

Resp. Disting. maj. Deus est primum ens ratione essentiæ, *conc. maj.* Ratione cujuscunque proprietatis personalis, *nego maj. Deus est ens primum*, seu improductum ratione essentiæ, ac naturæ; non autem ratione proprietatis personalis, nisi identicè; quatenus hæc proprietas personalis vi productionis suæ identificatur essentiæ divinæ, quæ est prorsus improducta & quæ exigit secundam personalitatem divinam produci à prima.

Inst. Si Filius procedit à Patre, accipit suam essentiam, ac naturam ab illo: Ergo non est ens primum, etiam ratione essentiæ.

Resp. Disting. sequel. anteced. Accipit suam essentiam, seu naturam ab illo per communicationem ipsius essentiæ, *conc. ant.* Per productionem ipsius essentiæ, *nego ant* Filius in divinis sic procedit à Patre, ut ab illo accipiat proprietatem personalem, seu personalitatem, nempe filiationem per productionem: & essentiam divinam per communicationem: quæ quidem essentia ex se infrustrabiliter exigit communicari Filio, & ei identificari: quare essentia, seu natura divina, etiam ut est in Filio, est improducta, est ens à se, est ens primum: ac proinde Filius ratione essentiæ suæ est ens improductum, ens à se, ens primum, & consequenter Deus.

Obj. 7. Si Filius habet à Patre suam essentiam, & suam personalitatem, dependet à Patre, & eo indiget ad existendum. Ergo non est Deus.

Resp. Nego sequel. anteced. Quia Filius tanta necessitate intrinseca suæ naturæ existit, quanta Pater; & Filius tanta necessitate habet divinitatem, quanta Pater. Nam ipsa essentia divina, quæ est essentia Filii, & Spiritus Sancti, tam exigit communicari utrisque per identitatem, quàm esse in Patre: & tam necesse est Filium, & Spiritum Sanctum esse Deum, quam necesse est Patrem esse Deum. Unde Filius, & Spiritus Sanctus non indigent alio ad existendum, sed ex determinatione, & absoluta necessitate suæ naturæ, non ex alterius beneficio, existunt procedendo.

Igitur ex eo, quòd una Persona procedat ab alia, sequitur tantùm, quòd inter illas sit ratio principii, & termini, ratio producentis, & producti, ratio dantis, & accipientis: sed absque ulla imperfectione, ac dependentia accipientis, & producti. Et vero Pater communicat Filio, & uterque Spiritui Sancto eandem numero naturam divinam, quæ in quacunque Persona spectetur, est omnino independens; & cùm Personæ realiter identificetur, facit, ut Persona procedens sit independens ab ea, à qua procedit.

Inst. Filius non existit necessariò, nisi quia Pater est principium necessarium suæ productionis. At hæc ratio non impedit, quin Filius dependeat à Patre, & eo indigeat ad existendum. Ergo.

Resp. Nego maj. Itaque in divinis Persona producta existit necessariò, & est necessariò ab alia, non solùm quia alia est principium necessarium productionis ejus, sed etiam quia ipsa per se, & ex sua essentia infru-

infrustrabilem habet exigentiam existendi, & esse à tali Persona: sive quia ipsa per se, & ex sua essentia exigit infrustrabiliter habere tale principium necessarium suæ productionis. Item persona producta tam exigit per se infrustrabiliter, ut sit persona producens, quàm persona producens per se infrustrabiliter exigit, ut si persona producta. Quare persona producta non magis debet suum esse personæ producenti, quam sibi. Igitur neutra persona ab alia pendet; sed est inter utramque mutua connexio, mutua exigentia infrustrabilis, æqualis, & absoluta existendi necessitas.

Obj. 8. Est de essentia Dei, ut sit Deus à se ipso. At si Filius procedit à Patre, non est Deus à se ipso, ergo.

Resp. Disting. maj. Est de essentia Dei, ut sit Deus à se ipso, hoc est, ut ex se, & ex sua essentia habeat divinitatem, & naturam improductam, *conc. maj.* hoc est, ut careat principio originis, à quo per se infrustrabiliter exigat accipere divinitatem per communicationem, & personalitatem per productionem, *nego maj.*

Obj. 9. Perfectiùs est esse ens improductum non solùm ratione essentiæ, sed etiam ratione proprietatis personalis.

Resp. Nego. Nam proprietas personalis, seu personalitas divina, quæ producitur ab alia persona, producitur ab illa sine ulla dependentia, & ex exigentia infrustrabili suæ naturæ, habetque eandem cum illa essentiam, & necessitatem absolutam existendi.

ARTICULUS III.

Utrum Spiritus Sanctus procedat à Patre, & Filio?

NOta. Ariani, teste S. Augustino, l. de hæresibus, c. 49. dixerunt Spiritum Sanctum à solo Filio productum esse. Idem docuit Macedonius: unde in Symbolo Constantinopolitano additum est pro Spiritu Sancto: *qui ex Patre procedit.* Alii in oppositum errorem lapsi dixere, Spiritum Sanctum à solo Patre procedere. Theodoretus à multis existimatur prior hunc errorem quinto sæculo docuisse, quia in confutatione noni anathematismi S. Cyrilli asseruit impium, & blasphemum esse dicere, quòd Spiritus Sanctus etiam ex Filio sit. Sed alii Theodoretum ab hoc errore purgant: & volunt verbis illis solùm intellexisse, Spiritum Sanctum non esse ex Filio ut facturam, seu creaturam Filii. Ut ut sit, certum est Theodoretum ea omnia, quæ contra S. Cyrillum scripsit, in Concilio Chalcedonensi damnasse.

Octavo sæculo sub Imperatore Constantino Copronymo, Græci quæstionem de processione Spiritus Sancti ex Filio cum Latinis agitarunt in Concilio Gentiliaco ad Lutetiam, ut testatur Ado in chronico.

Nono sæculo Photius hunc errorem pertinaciter contra Latinos defendit, Latinos hæresis insimulans, quòd assererent Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere. Ideóque auctor hujus hæresis habetur: præsertim cùm ei Græci adhæserint. Mortuo Photio Græci sæpe cum Latinis de hac re decertarunt.

Undecimo sæculo Michael Cerularius, Constantinopolitanus Episcopus, contra Latinam Ecclesiam debacchatus est, & promulgavit Romanum Pontificem, omnesque Latinos excommunicatos esse, quòd contra decretum Concilii Ephesini has voces, *Filióque* Symbolo addidissent.

Sæculo decimo tertio in Concil. Later. IV. Græci *in Ecclesiæ Romanæ communionem* rediere. Sed brevi posteà pro sua levitate ad suos errores reversi sunt. Eodem sæculo iterum suam hæresim, & schisma opera Gregorii X. & Michaelis Palæologi Græcorum Imperatoris abjurarunt in generali Concilio Lugdunensi, in quo ter græcè, & latinè hæc verba Symboli (*qui ex Patre, Filioque procedit*) repetita sunt in Missa solemni. Sed mortuo Imperatore rursus ad vomitum redierunt Græci.

Anno 1439. imperante Joanne Palæologo suos errores iterum in Conc. Flor. ejurarunt. Sed paulo post opera Marci Ephes. qui decreto Concilii subscribere renuerat, in omnes suos errores relapsi sunt. Verùm post annos quatuordecim justo Dei judicio

Græcorum Imperium à Turcis funditùs eversum est die solemni Pentecostes.

§. I.

Dico. 1. Spiritus Sanctus procedit à Patre. Est de fide.

Prob. 1. Ex Joann. c. 15. *Cùm venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.*

2. Ex Traditione Patrum.

3. Ex Symbolo Constantinopolitano, in quo de Spiritu Sancto dicitur: *qui ex Patre procedit.*

Dico. 2. Spiritus Sanctus procedit etiam à Filio. Est de Fide.

Prob. 1. Ex Scriptura, Joann. cap. 16. Christus ait: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos.* Ergo Spiritus Sanctus mittitur à Filio, ergo ab illo procedit. Nam Filius non mittit Spiritum Sanctum, neque per imperium, sicut Dominus mittit servum: neque per consilium, sicut Sapiens mittit eum, quem instruit: neque per impetum, sicut Sagittarius mittit sagittam; nam verus Deus nullis his modis mitti potest. Ergo Filius mittit Spiritum Sanctum per productionem naturalem, sicut planta mittit flores, & folia, seclusis imperfectionibus; nam non sunt alii modi mittendi.

Eodem cap. sic Christus de Spiritu Sancto loquitur: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Omnia, quæcunque habet Pater, mea sunt. Propterea dixi, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis,* Ergo Spiritus Sanctus scientiam à Filio accipit. At eam non accipit per doctrinam, aut infusionem; cùm hic uterque modus repugnet Deo. Ergo accipit per productionem personalitatis suæ, identificatæ essentiæ divinæ, quæ est per se scientia rerum omnium. Item ex eodem textu Filius habet omnia, quæ habet Pater, excepta scilicet proprietate paternitatis ei opposita, ut exponunt Patres, & Concilia. Sed Pater habet virtutem spirandi, seu producendi Spiritum Sanctum, ergo eam etiam habet Filius. Ita S. Ambrosius, lib. 2. de Spiritu Sancto argumentatur.

Item Gal. c. 4. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Et Matt. c. 10. *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ergo Spiritus Sanctus est Spiritus Patris, & Filii. At non est Spiritus Patris, nisi quia à Patre procedit: ergo nec est Spiritus Filii, nisi quia à Filio procedit. Sic differit S. August. tr. 99. in Joan. ubi ait: *Cur non credamus, quòd etiam de Filio procedat Spiritus Sanctus, cùm Filii quoque ipse sit Spiritus?*

Prob. 2. Ex Patribus Græcis. 1. S. Athanasius, ep. ad Serapion. ait: *Filius à Patre mittitur .... Filius Spiritum mittit. ... Spiritus à Filio accipit ... Cùm igitur istiusmodi ordinem, & naturam habeat Spiritus ad Filium, qualem Filius habet ad Patrem, quî fieri potest, ut qui Spiritum creaturam dicit, non illud idem necessariò & de Filio sentiat? si enim Filii Spiritus creatura est, consequens est, ut dicant etiam Verbum Patris creaturam esse.*

Ergo ex S. Doctore Filius Spiritum mittit, sicut ipse Filius mittitur à Patre per processionem, ergo & Spiritus Sanctus à Filio mittitur per processionem. Item Spiritus Sanctus eam relationem habet ad Filium, quam Filius habet ad Patrem. Atqui Filius habet relationem producti ad Patrem. Ergo etiam Spiritus Sanctus habet producti relationem ad Filium.

Idem, serm. 4. contra Arianos sic ait: *Non .... tria principia, aut tres Patres introducimus, sicut Marcionistæ; cùm non tres soles ad comparationem adducamus, sed unicum solem, ejusque splendorem, unicamque ex ambobus lucem: ita unum principium agnoscimus, &c.* Ubi comparat Patrem soli, qui nec est à splendore, nec à luce; Filium splendori, qui est à sole; & Spiritum Sanctum luci, quæ est ex ambobus, id est, ex sole, & splendore. Ergo sensit Spiritum Sanctum à Patre, & Filio procedere.

2. S. Basilius, l. 2. contra Eunomium, docentem Spiritum Sanctum à solo Filio esse, probat Spiritum Sanctum non solùm à Filio,

lio, ſed etiam à Patre procedere, nam ſic ait: *Illud verò cui non patet, quòd nulla Filii operatio à Patre diviſa eſt? Nec eſt aliquid in rebus, quod Filio inſit, & à Patre alienum ſit? Omnia, inquit, mea tua ſunt, & tua mea. Quomodo ergo Spiritus cauſam, & originem unigenito ſoli attribuit* (Eunomius,) *& ad ejus accuſandam naturam, hujus creationem accipit.* Ubi manifeſtè ſupponit, & indicat Spiritum Sanctum eſſe à Filio; imò id expreſsè ſignificat, aſſerendo actionem productivam omnem eſſe communem Patri, & Filio; quia omnia, quæ habet Filius, ſunt communia Patri, & viciſſim.

3. S. Gregor. Nazianz. orat. in Pentecoſt. *Omnia, quæcunque Pater habet, ſunt Filii, præterquam quod ingenitus non eſt.* Ergo ex S. Gregorio Filius habet vim ſpirandi, ſicut Pater: ergo ſpirat, ſeu producit Spiritum Sanctum, ſicut Pater. Et, orat. 5. de Theologia docet Spiritum Sanctum non eſſe Filium, & tamen nihil eſſentiale deeſſe ei, ut ſit Filius, cùm habeat totam eſſentiam divinam, ſicut totam habet Filius, ſed non eſſe Filium propter differentiam relationum, ſcilicet producti, & producentis: ſicut Filius non eſt Pater propter differentiã relationum, quamvis Filio nihil deſit eſſentiale, ut ſit Pater, cùm totam eſſentiam divinam habeat, ſicut Pater habet.

4. S. Chryſoſt. Hom. 1. de Symb. *Iſte eſt Spiritus procedens de Patre, & Filio, qui dividit ſingulis propria dona, prout vult.* Et, Hom. 2. *Iſtum Spiritum Sanctum dicimus Patri, & Filio coæternum, & procedentem de Patre, & Filio.*

5. S. Epiphanius, hæreſ. 74. *Dei Spiritus à Chriſto, utpote qui ab utroque procedit; id quod Chriſtus ipſe teſtatur: qui à Patre procedit*, inquit; &, *hic de meo accipiet.... Spiritus adoptione ſunt, aut vocatione complures, qui & in peccatum proni ſunt, ac proclives. At Spiritus Sanctus ſolus à Patre, & Filio, Spiritus veritatis, & Dei Spiritus, & Spiritus Chriſti, & Spiritus gratiæ nominatur.*

6. S. Cyrillus Alexandrinus Theſauri lib. ſeu aſſertione 34. *Cùm igitur Spiritus Sanctus nobis immiſſus, conformes nos Deo efficiat, procedat verò is à Patre, & Filio, manifeſtum eſt ex divina eſſentia ipſum eſſe.*

Prob. 3. Ex Patribus Latinis. S. Hilar. l. 2. de Trinit. n. 29. *De Spiritu autem Sancto nec tacere oportet, nec loqui neceſſe eſt: ſed ſcleri à nobis, eorum cauſa, qui neſciunt, non poteſt. Loqui autem de eo non neceſſe eſt, qui Patre, & Filio auctoribus confitendus eſt.* S. Ambroſ. l. 1. de Spiritu Sancto, c. 10. *Spiritus Sanctus cùm procedit à Patre, & Filio, non ſeparatus à Patre, non ſeparatur à Filio.* S. Auguſtinus, l. 4. de Trinit. cap. 20. *Nec poſſumus dicere, quòd Spiritus Sanctus & à Filio non procedat: neque enim fruſtra idem Spiritus & Patris, & Filii Spiritus dicitur.... Neque enim ſtatus ille corporeus ſubſtantia Spiritus Sancti fuit, ſed demonſtratio per congruam ſignificationem, non tantùm à Patre, ſed & à Filio procedere Spiritum Sanctum.... Qui ergo à Patre procedit, & Filio, ad eum refertur, à quo natus eſt Filius.* S. Leo, ep. 93. cap. 1. *Demonſtratur, quàm impiè ſentiant de Trinitate divina, qui & Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unam, atque eandem aſſerunt eſſe Perſonam: tanquam idem Deus nunc Pater, nunc Filius, nunc Spiritus Sanctus nominetur: nec alius ſit, qui genuit, alius, qui genitus eſt, alius, qui de utroque proceſſit.* S. Fulgentius, lib. de fide c. 2. *Nec natus eſt ipſe* (Spiritus Sanctus) *nec genuit, ſed ſolus de Patre, Filioque procedit.*

Prob. 4. Ex Conciliis generalibus. Nam 1. Concil. Epheſinum, & poſteà Chalcedonenſe, & Conſtantinopolitanum ſecundum, & tertium approbarunt Synodicam S. Cyrilli Alexandrini epiſtolam, in qua dicitur, *Spiritus appellatus eſt veritatis, & veritas Chriſtus eſt. Unde & ab ipſo ſimiliter, ſicut ex Patre procedit.* 2. Conc. Lateran. IV. conſentientibus Græcis, ſic definit, c. 1. *Pater à nullo, Filius autem à ſolo Patre, ac Spiritus Sanctus ab utroque pariter, abſque initio ſemper, ac ſine fine.* 3. Conc. Lugdunenſe II. conſentientibus quoque, qui aderant, Græcis, ſic definit. *Fideli, ac de-*

vera profeſſione fatemur, quòd Spiritus Sanctus æqualiter ex Patre, & Filio, non tanquam duobus principiis, ſed tanquam ab uno principio: non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione procedit. 4. Conc. Florentinum, in fidei definitione per Eugenium IV. definit: *Ut hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur, & ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur, quòd Spiritus Sanctus ex Patre, & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre, & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno principio, & una ſpiratione, procedit.... Definimus inſuper explicationem verborum illorum, Filioque, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licitè, ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam.* Huic definitioni omnes Græci, uno excepto Marco Epheſino Epiſcopo, conſenſerunt, ea tamen lege, ut quamvis fatererentur, voces *Filioque* rationabiliter à Latinis inſertas fuiſſe Symbolo, eas tamen ipſi non inſererent. His adde Concil. Tridentinum, quod, ſeſſ. 3. recitat, & approbat Symbolum Conſtantinopolitanum cum additione *Filioque*.

Prob. denique ratione duplici. Prima. Filius accipit à Patre omnem perfectionem compoſſibilem cum filiatione, juxta illud Chriſti, Joann. c. 16. *Omnia, quæcunque habet Pater, mea ſunt.* Atqui virtus ſpirandi eſt compoſſibilis cum filiatione: nam non habet cum illa relativam oppoſitionem producentis, & producti. Ergo Filius accipit à Patre virtutem ſpirandi: ergo Filius cum Patre ſpirat, ſeu producit Spiritum Sanctum.

Secunda ratio. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non diſtingueretur realiter ab illo. Falſum conſeq. ergo. *Prob. ſequel. maj.* In divinis omnia ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio. At ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, non haberet cum eo relationis oppoſitionem: nam in Deo nulla alia oppoſitio relativa, quæ non adverſetur infinitæ ejus perfectioni, eſſe poteſt præter eam, quæ fundatur in proceſſione unius ab alio. Ergo ſi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, eſſet una, & eadem Perſona cum Filio, & ſic non diſtingueretur realiter ab illo. Major eſt axioma theologicum, quod conſtat tùm ex communi conſenſu Patrum, tùm quia in ente in omni perfectione infinito, & ſimpliciſſimo ea omnia neceſſario idem, ac unum realiter eſſe debent, quæ inter ſe non opponuntur, & in tali ente nulla alia oppoſitio excogitari poteſt, quàm relativa.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Scriptura facit tantùm mentionem proceſſionis Spiritus Sancti à Patre, ut Joann. c. 15. *mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.*

Reſp. In hoc textu, qui non eſt excluſivus, & in aliis ſaltem virtualiter, & æquivalenter continetur proceſſio Spiritus Sancti à Filio: nam ibi dicitur Spiritus Sanctus mitti à Filio, & alibi accipere de Filio, eſſe Spiritus Filii.

Porrò ſæpe in ſcriptura quæ pluribus perſonis communia ſunt, uni tribuuntur, ſed non cum aliarum excluſione; & ſæpiſſimè quidem Patri, eò quòd ſit fons Trinitatis, & principium ſine principio, à quo aliæ Perſonæ accipiunt, quidquid habent.

Obj. 2. In Concilio Epheſino publicè lectum fuit Symbolum Neſtorii cum libro Theodoreti contra Anathematiſmos S. Cyrilli, in quorum utroque expreſsè negabatur proceſſio Spiritus Sancti à Filio; & tamen Concilium id non damnavit: ergo tacitè approbavit.

Reſp. Concilium implicitè damnavit errorem proceſſionis Spiritus Sancti à ſolo Patre, tanquam Catholicam approbando epiſtolam à S. Cyrillo, & à Synodo Alexandrina ſcriptam ad Neſtorium, in qua dicitur Spiritus Sanctus etiam à Filio procedere. Quam quidem epiſtolam etiam approbarunt alia Concilia generalia, nempe quartum, quintum, ſextum, & ſeptimum. Epheſinum autem non damnavit expreſsè errorem proceſſionis Spiritus Sancti à ſolo Patre, quia non fuit expreſsè agere de proceſſione Spiritus San-

Sancti, cùm propter aliud dogma congregatum esset. Porrò sæpe Concilia, ut omninò incumbant scopo, quem sibi proponunt, quæstiones incidentes, licèt gravissimas, omittunt.

Obj 3. Concilium Constantinopolitanum definit solùm in Symbolo, Spiritum Sanctum à Patre procedere, omisso Filio. Ergo non procedit à Filio.

Resp. Nego conseq. Quia hoc Concilium coactum erat contra errores Macedonii, qui asserebat Spiritum Sanctum à solo Filio procedere. Unde satis erat ad scopum Concilii, ut definiret Spiritum Sanctum à Patre procedere, non negando, sed cum Hæreticis supponendo, procedere etiam à Filio. Concilium autem non debuit, nec voluit assignare expressè principium adæquatum Spiritus Sancti: nam solùm debuit, & voluit damnare errores Macedonii.

Obj. 4. Aliquos Patres Græcos. 1. S. Dionysius, de divinis nominibus cap. 2. ait: *Solus fons supersubstantialis Deitatis est Pater.*

Resp. Solus Pater dicitur fons Deitatis, quia aliæ Personæ ab ipso procedunt, & ipse non procedit ab alia Persona, & sic est principium sine principio: Filius verò est principium de principio, quia Filius producit, & producitur.

2. S. Athanas. in quæst. Quid est Deus? *Deus*, inquit, *& Pater ipse solus est causa duobus.*

Resp. Solùm vult unum Patrem esse principium duarum aliarum Personarum, quamvis Filius sit etiam principium unius Personæ.

3. S. Basilius, epist. 43. dicit Filium secundùm propriam notionem nullam habere communionem cum Patre. Ergo spiratio activa non communicatur Filio.

Resp. Nego conseq. Nam solùm vult Filium secundùm filiationem realiter distingui à Patre, & filiationem nullatenus identificari Patri. Quamvis autem Filius cum Patre non conveniat ratione filiationis, cum eo tamen convenit ratione spirationis activæ.

4. S. Gregorius Nazianz. orat. ad Epi- scopos Ægypti ait: *omnia, quæ habet Pater, Filii sunt præter principium.*

Resp. Solùm vult Filium non esse primum fontem, seu principium sine principio, sicut est Pater. Nam, ut notat Petavius, Græci nomine principii sæpe intelligunt primum fontem.

Obj. 5. Patres Græci dicunt Spiritum Sanctum non esse ex Filio, sed per Filium. Sic S. Damascenus, lib. 1. de fide c. 11. ait: *Ex Filio Spiritum non dicimus, sed eum Filii Spiritum nominamus.* Et, c. 13. *Filii Spiritus est, non tanquam ex ipso, sed quòd per ipsum ex Patre procedat.*

Resp. 1. Multi Patres Græci etiam dicunt expressè, Spiritum Sanctum esse ex Filio, ut Chrysostomus, Epiphanius, Cyrillus Alex. supra adducti.

Resp. 2. Cùm Patres Græci dicunt, Spiritum Sanctum esse per Filium, per tò *per* intelligunt idem, quod significatur per tò *ex*: nam præpositio *per* sæpe significat actionem principii, ut cùm Joann. cap. 1. dicitur: *omnia per ipsum facta sunt.* Aliquando tamen præpositione *per*, cùm agitur de Filio, volunt insuper significare, Filium agere per virtutem acceptam à Patre. Quare cùm Damascenus dicit, Spiritum Sanctum procedere per Filium, non ex Filio, solùm vult, non procedere à Filio, ut à principio quod ab alio suum esse, & virtutem producendi non acceperit; sed procedere à Filio tanquam à principio, quod ab alio suum esse, & suam virtutem producendi accepit: ita ut præpositione *per* significare velit principium agens per virtutem ab alio acceptam, & præpositione *ex* principium sine principio.

Obj. 6. Pater est sufficiens principium Spiritus Sancti. Ergo solus Pater producit Spiritum Sanctum.

Resp.. Disting. anteced. Et virtus spirandi, quæ inest Patri, eadem inest Filio, *conc. ant.* Et eadem virtus non inest Filio, *nego ant. & conseq.* Quamvis Pater sit principium sufficiens Spiritus Sancti, tamen non producit solus Spiritum Sanctum, sed cum Filio; eò quòd Filius eandem habet spirandi virtutem, quam habet Pater. Sic quamvis

vis Pater ſit ſufficiens principium creationis mundi, tamen non ſolus creat mundum, ſed creat cum Filio, & Spiritu Sancto; quia potentia creandi eſt communis tribus Perſonis.

Obj. 7. Si Spiritus Sanctus procederet à Patre, & Filio, vel procederet ab illis tanquam duobus principiis, vel tanquam unico principio. Neutrum dici poteſt. Ergo.

Reſp. Nego min. Et dico Spiritum Sanctum procedere à Patre, & Filio tanquam uno principio, & unica ſpiratione, ſeu actione productiva. Quia I. ita expreſsè definiunt Concilia Lugdunenſe II. & Florentinum ſupra laudata. 2. Quia Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum una ſpiratione per unam, eandemque ſpirandi virtutem. Concreta autem ſubſtantiva non multiplicantur, niſi multiplicato formali eorum ſignificato, ſeu forma per illa ſignificata: unde ad multiplicitatem principiorum, præter multiplicitatem ſuppoſitorum, requiritur multiplicitas actionum. Sic Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt unicum principium mundi; quia producunt mundum una actione per unam, eandemque potentiam agendi ad extra.

Inſt. 1. S. Hilarius, lib. 2. de Trinit. dicit Spiritum Sanctum eſſe à Patre, & Filio auctoribus.

Reſp. Cum S. Thoma Hilarius ſumit tò *auctoribus* adjectivè, non ſubſtantivè. Unde impropriè locutus eſt.

Inſt. 2. Pater, & Filius ſunt duo ſpirantes, ergo ſunt etiam duo ſpiratores.

Reſp. Nego conſeq. Diſparitas eſt, quia nomina adjectiva multiplicantur pro multiplicitate ſuppoſitorum. At nomina ſubſtantiva non multiplicantur, niſi etiam multiplicetur forma illis ſignificata. Forma autem per nomen ſpiratoris ſignificata eſt virtus ſpirandi, ſeu producendi Spiritum Sanctum, quæ una, & eadem numero eſt in Patre, & Filio; ac proinde non facit duos ſpiratores: quemadmodum divinitas, quæ eſt una, & eadem numero in tribus Perſonis non facit tres Deos. *Adjectiva nomina habent numerum ſecundùm ſuppoſita; ſubſtantiva verò à ſe ipſis ſecundùm formam ſignificatam*, ait S. Thomas, q. 36. a. 4. ad 7.

Inſt. 3. Si Pater, & Filius ſunt unum principium *quod* propter unicam virtutem ſpirandi, Pater eſt duplex principium *quod* propter duplicem virtutem, unam ſcilicet generandi, & alteram ſpirandi. Falſum conſeq. Erg.

Reſp. Nego ſequel. maj. Quia ut ſit duplex principium *quod*, requiritur non ſolùm duplex virtus producendi, ſed etiam duplex ſuppoſitum. Ratio eſt, quia nomina ſubſtantiva non multiplicantur, niſi multiplicetur non ſolùm forma illis ſignificata, ſed etiam ſuppoſitum habens talem formam.

Nota. Nomen *ſpirator* præſcindit ab hoc, vel illo ſuppoſito in particulari, & ab uno, vel duobus ſuppoſitis. Unde accipi poteſt, & accipitur modò pro duobus ſuppoſitis, modò pro unico, modò pro pluribus ſimul, & uno. Hinc veræ ſunt iſtæ propoſitiones: *Pater, & Filius ſunt ſpirator: Pater eſt ſpirator; Filius eſt ſpirator: Pater, & Filius ſunt ſpirator, qui eſt Pater.* Nam ſenſus eſt: Pater, & Filius ſunt ſuppoſita habentia ſpirationem activam, quam re vera habet Pater.

Obj. 8. Cùm vox *Filioque* jam addita eſſet Symbolo in Hiſpaniarum Eccleſiis, Leo III. Symbolum Conſtantinopolitanum in tabula argentea deſcribi juſſit ſine additione illa, & poni in Altari poſt corpus S. Pauli. Ergo additionem illam improbravit.

Reſp. Nego conſeq. Nam Leo hoc fecit, ut hujus Symboli, quale fuerat à Concilio Conſtantinopolitano conditum, memoria honorificè in Eccleſia conſervaretur, & ut tolleret Græcis occaſionem exiſtimandi hoc Symbolum à Latinis contemni.

Dices. Conc. Aquiſgranenſe, poſtquam additionem (*Filioque*) approbavit, miſit legatos ad eundem Leonem, qui eum orarent, ut illam approbaret; & Symbolum cum hac additione juberet cantari in Eccleſia Romana: Pontifex verò utrumque recuſavit.

Reſp. Leo neutrum præſtare voluit, ne Græcis videretur contemnere Symbolum Conſtantinopolitanum, quale primum conditum

ditum fuit, & quod nondum in Ecclesia Romana cantatum fuerat cum hac additione. Sed simul ipse palam professus est, Spiritum Sanctum procedere etiam à Filio, ut testantur acta legationis.

Obj. 9. Etiamsi Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc tamen distingueretur realiter ab illo. Ergo ratio supra allata nulla est.

Resp. Nego anteced. Nam Patres distinctionem personarum repetunt à sola processione unius ab alia. Pro omnibus sint S. Gregorius Nyssenus, lib. ad Ablavium, ubi ait: *distinguitur Spiritus à Filio, quod per ipsum est.* S. Augustinus, tract. 39. in Joann. *Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt*, S. Damascenus, l. 1. de fide, c. 11. *In solis autem proprietatibus, nimirum paternitatis, filiationis, & processionis secundùm causam, & causatum discrimen advertimus.* Conc. Tolet. XI. c. 1. *In relatione personarum numerus cernitur. Hoc solo numerum insinuant, quòd ad invicem sunt.*

Inst. 1. SS. Athanasius, Augustinus, & Anselmus dicunt ideo Spiritum Sanctum non esse Filium, & vicissim, quia Filius per viam intellectus, & Spiritus Sanctus per viam voluntatis procedit. Ergo Filius, & Spiritus Sanctus distinguerentur realiter inter se, etiamsi Spiritus Sanctus non procederet à Filio; quia adhuc unus per intellectum, & alter per voluntatem procederet.

Resp. Neg. conseq. Quia Patres illi tunc non assignant rationem formalem, & proximam distinctionis realis Filii à Spiritu Sancto: nam hæc ratio est sola oppositio relativa, fundata in processione unius ab alio; sed afferunt solùm rationem radicalem, positam in eo, quod Filius procedat per intellectum, & Spiritus per voluntatem; nam propterea Filius accepit à Patre vim spirandi Spiritum Sanctum.

Porrò quamvis hac in re obscura, & dubia sit Anselmi mens, tamen cùm hoc axioma (*in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio*) admittat, in lib. de processione Spiritus Sancti, secum pugnaret, si Scoto consentiret.

Inst. 2. Si Spiritus Sanctus non procederet à Filio, adhuc Filius, & Spiritus Sanctus procederent per diversa principia formalia, intellectum scilicet, & voluntatem. Ergo adhuc essent duæ productiones totales, ut nunc. At eadem persona non potest procedere per duas productiones totales: nam alioqui una ex illis esset superflua, omnis autem superfluitas in divinis implicat. Ergo adhuc essent duæ personæ realiter distinctæ.

Resp. Nego conseq. Nam tunc esset unica realiter productio totalis: sicut enim duo principia formalia, intellectus scilicet, & voluntas non distinguuntur realiter, sed solùm logicè, & virtualiter ob defectum oppositionis relativæ: ita duæ productiones ob eundem defectum non distinguerentur realiter, sed per identitatē conflarent unicā productionem totalem, cujus terminus totalis esset una persona, per intellectum, & voluntatem producta, & quæ proinde simul esset Filius, & Spiritus Sanctus, sicut re ipsa eadem persona est Pater, & Spirator, quia producit per intellectum, & voluntatem.

Inst. 3. In allata hypothesi Spiritus Sanctus esset cum Filio respectu Patris terminus disparatus: ergo adhuc opponeretur Filio.

Resp. Esto anteced. distinq. conseq. Opponeretur disparatè, *conc. conseq.* relativè *nego conseq.* Equidem in creatis termini disparati distinguuntur realiter, sed non in divinis. Disparitas est, quia in creatis unum disparatum, cùm sit finitum, & limitatum, non habet entitatem, vel perfectiones alterius. At in divinis terminus, qui supponitur disparatus, adhuc esset infinitus, proindeque contineret tùm entitatem, tùm perfectiones alterius termini disparati. Nam infinitum in ente, & perfectione includit omnes entitates, & perfectiones, quæ sese invicem non excludunt, quales sunt eæ, quæ inter se non habent rationem producentis, & producti.

Inst. 4. Si Spiritus Sanctus produceretur à solo Filio, adhuc distingueretur à Patre: ergo similiter distingueretur à Filio, etiamsi à solo Patre procederet.

Resp. Nego conseq. Quia si Spiritus Sanctus

ctus à solo Filio immediatè produceretur, adhuc procederet à Patre mediatè, velut à principio reali sui principii, & sic haberet oppositionem relativam sufficientem ad distinctionem realem. Cùm nullum ens possit à se ipso produci sive immediatè, sive mediatè. At Si Spiritus Sanctus à solo Patre procederet, nullam haberet cum Filio oppositionem relativam, ne mediatam quidem, ac proinde non distingueretur realiter ab ipso.

Inst. 5. In creatis Amor distinguitur realiter à Verbo, quamvis non producatur ab illo. Ergo idem in divinis posset esse.

Resp. Nego conseq. *Disparitas est*, quia in creatis distinctio realis repetitur non solùm ab oppositione relativa, sed etiam à limitatione: nam in creatis multa ob solam limitationem distinguuntur realiter inter se, quamvis nullam habeant oppositionem. At in divinis propter infinitudinem, & summam identitatem ea omnia sunt unum realiter, quæ non habent inter se relationem producentis, & producti, in qua consistit oppositio relativa.

Ex dictis collige Spiritum Sanctum æquè immediatè procedere à Patre, & à Filio, ut sunt spirator, tùm immediatione virtutis; cùm una, eademque virtus spirandi sit in Patre, & Filio, & sic virtus unius non mediet inter virtutem alterius: tùm immediatione suppositi; cum Pater, & Filius sint unum, & idem principium *quod* Spiritus Sancti, & producant una, eademque spiratione; & sic unum suppositum non mediat inter alterum. Tamen Spiritus Sanctus procedit etiam mediatè à Patre; quatenus procedit à Filio, qui procedit à Patre, & ab eo accipit virtutem spirandi.

Observa. Pater, & Filius sese mutuò redamantes, producunt personam, quæ vi suæ processionis per se primò est amor ille, quo se mutuò redamant: ideóque per identitatem est illud omne divinum, cui identificatur amor ille, & quocum ipsa persona non habet oppositionem relativam; sicque Spiritus Sanctus totam habet Patris, & Filii substantiam.

ARTICULUS IV.

Utrum Pater in divinis procedat ab alio?

DIco, Pater in divinis est planè improductus, nec procedit realiter ab alio. Est de fide.

Prob. 1. Ex Conc. Lateranensi IV. cap. 1. Ibi: *Pater à nullo.*

2. Ex Symbolo Athanasiano.

3. Ex Patribus passim vocantibus Patrem ingenitum, innascibilem, prout hæ voces omnem processionem passivam excludunt.

4. Ratione. Quia Pater neque producitur à se ipso; nam nulla res se ipsam producere potest; alioqui aliquid esset se ipso prius origine, & non esset, quod implicat: neque producitur à natura divina; alioqui distingueretur realiter ab illa; nam producens, & productum distinguuntur realiter; cùm nihil se ipsum producere possit: neque à Filio, vel Spiritu Sancto; nam illi producuntur à Patre; nihil autem produci potest ab eo, quod ipsum producit; cum producens sit semper origine prior producto: neque etiam Pater producitur ab alia persona; nam fide constat, non esse in Deo, nisi tres Personas. Ergo Pater in divinis nullatenus producitur; cùm in divinis nihil præter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & naturam divinam assignari possit, quod fingi possit esse principium Patris.

Porrò ad summum dici potest natura divina emanare virtualiter tantum paternitatem, quatenus ob infinitam suam excellentiam exigit subsistere in paternitate, sicut & in filiatione, & spiratione passiva.

ARTICULUS V.

Quot sint in DEO processiones?

NOta. Processio sumi potest dupliciter, scilicet activè & passivè. Processio activè sumpta est actio, qua datur esse personæ divinæ: sumpta passivè est receptio esse, quod datur per processionem activam, sive est terminus, qui per productionem activam produc ur

Dico

Dico 1. In divinis duæ tantùm ſunt proceſſiones activæ virtualiter inter ſe diſtinctæ.

Prob. Proceſſio activa eſt actio, qua datur eſſe Perſonæ divinæ. Sed duæ duntaxat ſunt ejusmodi actiones, videlicet generatio Verbi, & ſpiratio activa, ſeu productio Spiritus Sancti: quæ etſi ſint una, & eadem entitas ſimplex, ſunt tamen virtualiter duplices, quatenus idem præſtant, ac ſi revera eſſent duæ actiones realiter, & adæquatè inter ſe diſtinctæ; cùm producant duos terminos, ſeu duas perſonas. Ergo.

Illæ autem proceſſiones ſunt vitales: nam ſunt per intellectionem, & volitionem, & ſic ſunt actiones viventis ut viventis.

Dico. 2. In divinis duæ tantum ſunt proceſſiones paſſivæ.

Prob. Tot ſunt proceſſiones paſſivæ, quot ſunt termini producti per proceſſiones activas. At duo tantum ſunt termini producti, nempe Filius, & Spiritus Sanctus; cum Pater ſit planè improductus. Ergo duæ tantùm ſunt proceſſiones paſſivæ.

Illæ autem proceſſiones paſſivæ ſunt immanentes; nam exiſtunt in ſuo principio: & non ſunt ex nihilo; nam termini producti producuntur de ſubſtantia producentium: Filius enim eſt ex ſubſtantia Patris, & Spiritus Sanctus ex ſubſtantia Patris, & Filii.

Quæres quinam ſint termini proceſſionum divinarum?

Reſp. 1. Termini formales proceſſionum divinarum, ut ſunt productiones, ſunt proprietates relativæ perſonarum productarum, nempe filiatio, & ſpiratio paſſiva: nam terminus formalis productionis dicitur id, quod proximè, ac ſecundùm ſe, ſeu ratione ſui producitur, & ratione cujus totum, cujus eſt pars, aut quaſi pars, dicitur produci. At proprietas relativa perſonæ productæ, per quam ſcilicet perſona producta relativè opponitur producenti, eſt id, quod proximè, ſecundùm ſe, & ratione ſui producitur, & ratione cujus tota perſona denominatur producta. Ergo proprietas relativa perſonæ productæ eſt terminus formalis proceſſionum divinarum.

Reſp. 2. Termini totales proceſſionum divinarum ſunt perſonæ productæ, nempe Filius, & Spiritus Sanctus. Nam terminus totalis productionis eſt totum illud, quod per eam denominatur produci. Sed perſona producta eſt id, quod denominatur produci per proceſſionem divinam. Ergo termini totales proceſſionum divinarum ſunt perſonæ productæ.

ARTICULUS VI.

Utrùm in divinis Filius procedat per intellectum, & Spiritus Sanctus per voluntatem?

Dico 1. Filius in divinis procedit per intellectum.

Prob. 1. Ex Script. Joann. c. 1. *In principio erat Verbum... Verbum caro factum eſt.* Ergo Filius in divinis eſt Verbum. Atqui Verbum procedit tantùm dictione, & dictio in DEO eſt per intellectum, ut conſentiunt omnes. Ergo.

2. Ex Patribus. Pro omnibus ſufficiant Sanctus Baſilius, Homilia 16. ubi in hæc verba (*In principio erat Verbum*) ſic ait: *Cur Verbum? ut quod ex mente procedit, oſtendatur.* Et S. Cyrillus Alexand. l. 1. in Joann. c. 5. *Filius apellatur Verbum, ac ſapientia; quoniam ex intellectu immediatè, atque indiviſibiliter eſt.*

Dico 2. Spiritus S. procedit per voluntatem.

Pro. Spiritus Sanctus ab Eccleſia, Patribus, & Theologis appellatur ſpecialiter charitas, amor, dilectio. Unde S. Auguſt. l. 9. de Trinit. c. 12. ait: *ſicut DEI Verbum Filium eſſe nullus Chriſtianus dubitat, ita charitatem eſſe Spiritum Sanctum.* Sed charitas pertinet ad voluntatem. Ergo Spiritus Sancti proceſſio pertinet ad voluntatem.

Præterea Filius procedit per intellectum, ergo Spiritus Sanctus per voluntatem.

Porrò utraque hæc aſſertio ita certa eſt, ut oppoſita Durandi, & Nominalium opinio cenſeatur à Suare, & aliis temeraria, ac erronea; eò quòd repugnet Scripturæ, Patribus, & rationibus theologicis.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Si Filius procedit per actum intelle-

tellectus, & Spiritus Sanctus per actum voluntatis, virtus producendi Filium, & Spiritum Sanctum est communis tribus Personis; nam uterque actus est illis communis. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Quia Filius non producitur per intellectionem absolutè sumptam, sed ut determinatam, & fœcundam per proprietatem generantis in ipsa intellectione proximè fundatam. Similiter Spiritus Sanctus non producitur per volitionem absolutè consideratam, sed ut determinatam, & fœcundam per proprietatem spiratoris in ipsa volitione proximè fundatam.

Obj. 2. Si Filius producitur per intellectionem, & Spiritus Sanctus per volitionem, illi actus sunt productiones personarum. Falsum conseq. ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Sed actus sunt principia productionum per fœcunditatem generandi, & spirandi in illis proximè fundatã, illisque per se primò identificatam. At non sunt productiones personarum; nam productiones personarum sunt actus notionales, non essentiales: intellectus verò; & volitio sunt actus essentiales, seu actus essentiæ divinæ.

Obj. 3. Productio Filii, & Spiritus Sancti est ex fœcunditate naturæ divinæ. Sed natura divina habet fœcunditatem hanc ex sua infinitudine, non ex sua intellectione, & volitione, Ergo.

Resp. Disting. min. Habet remotè, *conc. min.* proximè, *nego min.* Natura divina fœcunditatem generandi, & spirandi habet radicaliter, ac remotè à sua infinitudine, & proximè à sua intellectione, & volitione; quatenus natura divina ob infinitam suam excellentiam exigit esse fœcunda modo excellentissimo, ideóque ratione suorum actuum excellentissimorum, qui sunt intellectio, & volitio. Qui quidem actus fundant proximè fœcunditatem generandi, & spirandi, quatenus fœcunditas generandi, & spirandi convenit proximè Deo ratione intellectionis, & volitionis, & sic natura divina est fœcunda remotè per infinitam suam excellentiam, proximè verò per intellectionem, & volitionem.

Obj. 4. Patres dicunt Filium esse per naturam, ergo non procedit per intellectionem.

Resp. Nego conseq. Quia Patres per hanc locutionem significare volunt, Filium esse absolutè necessarium, habere naturam divinam per se, & infrustrabiliter exigentem ipsi identificari: nam opponunt naturam voluntati liberæ.

Obj. 5. Hinc sequitur Deum esse formaliter intelligentem per Filium, & volentem per Spiritum Sanctum. Falsum conseq. ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam Filius, & Spiritus Sanctus producuntur duntaxat ut termini actuum intelligendi, & amandi, non autem ut actus formales intelligendi, & amandi, quibus Deus fit formaliter intelligens, & amans. Nam Deus fit formaliter intelligens per intellectionem, & amans per amorem: qui actus sunt tribus Personis comunes.

Observa. In Deo duplex est Verbum: unum scilicet essentiale, seu formale, commune tribus Personis, & est actus, quo Deus fit formaliter intelligens, nempe intellectio: alterum notionale, & est Filius, qui producitur per intellectionem: unde natura divina communicatur Filio per se primò, ut est intellectio. Similiter in Deo duplex est amor, unus scilicet essentialis, seu formalis, communis tribus Personis; & est actus, quo Deus fit formaliter amans, nempe ipsa essentia divina ut per se ipsam formaliter tendens in objectum: alter verò notionalis, & est Spiritus Sanctus, qui producitur per actum amandi. Unde natura divina communicatur Spiritui Sancto per se primò, ut est amor.

Ex dictis sequitur productionem Verbi esse posteriorem intellectione, utpote ab ea procedentem; & productionem Spiritus Sancti esse posteriorem amore, cùm ab eo procedat. Hæc autem posterioritas est virtualis tantùm; quia Filius, & Spiritus Sanctus distinguuntur virtualiter tantùm ab intellectione, & amore essentiali.

ARTI-

ARTICULUS VII.

Quænam ſint principia formalia proceſſionis Filii, & Spiritus Sancti?

Nota. Duplex diſtinguitur principium, nempe principium *quod*, & principium *quo*. Principium *quod* eſt ſuppoſitum, cui actio tribuitur: unde dicitur etiam principium denominationis; quia actiones ſunt ſuppoſitorum. Principium *quo* eſt virtus, per quam principium *quod* agit, ſive eſt virtus, à qua eſt actio productiva. Vocatur etiam principium formale; quia illa virtus eſt forma, ſeu quaſi forma, à qua eſt actio. Subdividitur in remotum, & proximum. Principium formale proximum eſt id, à quo eſt immediatè actio productiva. Principium formale remotum eſt illud, à quo actio eſt mediatè, ſive eſt illud, à quo principium proximum eſt vel formaliter, vel virtualiter.

Porrò illud eſt formaliter ab alio, quod verè producitur ab illo. Illud eſt virtualiter ab alio, quando illud aliud eſt fundamentum, ſeu ratio, cur ſit.

Dico 1. Solus Pater eſt principium *quod* proceſſionis Filii; & Pater, ac Filius ſoli ſunt per modum unius ſpiratoris principium *quod* Spiritus Sancti. Ita omnes. Conſtat ex dictis. Nam principium *quod* proceſſionis eſt ſuppoſitum producens. Atqui ſolus Pater producit Filium: & Pater, ac Filius ſoli per modum unius ſpiratoris producunt Spiritum Sanctum, ut fide conſtat. Ergo ſolus Pater eſt Principium *quod* Filii; & Pater, ac Filius ſunt principium *quod* Spiritus Sancti.

Dico 2. Intellectio divina non eſt principium formale proximum proceſſionis Filii.

Prob. Principium formale proximum proceſſionis Filii diſtinguitur realiter à Filio. Sed intellectio divina non diſtinguitur realiter à Filio, ergo non eſt principium formale, &c. *Prob. maj.* Principium formale proximum proceſſionis Filii per ſe immediatè influit in Filium, ut ex ejus notione liquet. Sed omne principium per ſe influens in aliquem terminum diſtinguitur realiter ab illo: alioqui idem produceretur à ſe ipſo: ergo principium formale proximum proceſſionis Filii diſtinguitur realiter à Filio.

Dico 3. Intellectio divina eſt tamen principium remotum proceſſionis Filii. Nam intellectio divina eſt principium formale proceſſionis Filii; ſiquidem Filius procedit per intellectionem. At non eſt principium proximum, ergo eſt principium remotum. Præterea principium formale proximum proceſſionis Filii oritur virtualiter ex intellectione divina; cùm in ea proximè fundetur fœcunditas generandi: principium autem remotum eſt illud, à quo principium proximum oritur virtualiter.

Dico 4. Sola proprietas relativa Patris, ſeu paternitas eſt principium formale proximum proceſſionis Filii.

Prob. 1. Ex Patribus. S. Athanaſius, dialog. 1. de Trinit. contra Anomæos ſic de Patre loquitur: *hypoſtaſi gignit, & mandato creat.* S. Ambroſ. l. 4. de fide, c. 4. *Generatio paternæ proprietatis eſt: non potentiæ.* S. Damaſcenus; l. de duabus voluntatibus Chriſti. *Omnia, quæ habet Pater, ſunt Filii, ſola gignendi vi excedit*: ſed Filius habet omnia, quæ Pater habet, excepta ſola paternitate. Ergo ſola paternitas eſt vis gignendi.

Prob. 2. Ex Conc. Lateranenſi IV. c. 2. ubi de natura divina dicit: *illa res non eſt generans, neque genita, nec procedens.* Nomine autem naturæ divinæ Concilium intelligit omnia attributa abſoluta. Ergo nullum attributum generat. Ergo à nullo attributo abſoluto eſt immediatè actio generativa. Ergo nullum attributum abſolutum eſt principium formale proximum generationis Filii. Ergo ſupereſt, ut ſola paternitas ſit tale principium.

Prob. 3. ratione. Principium formale proximum proceſſionis Filii diſtinguitur realiter à Filio; nam in illum per ſe immediatè influit: nihil autem in ſe ipſum immediatè influit; alioqui aliquid eſſet ſimul origine prius, & poſterius ſe ipſo. Sed ex iis, quæ ſunt in Patre, ſola proprietas Patris, ſeu paternitas diſtinguitur realiter à Filio:

ergo sola paternitas est principium formale proximum processionis Filii.

Obj. 1. Concilia docent Filium esse de substantia Patris, procedere de substantia Patris.

Resp. Sensus est, quòd Filius nascendo accipiat à Patre ipsammet substantiam, ac naturam per se absolutè, ac infrustrabiliter exigentem communicari, & identificari Filio, qui ex substantia, seu natura divina, & filiatione, tanquam ex duobus virtualiter distinctis, constituitur.

Porrò hæc verba, quæ in actis Concilii Florentini, sess. 18. reperiuntur, scilicet: *divina quidem substantia non generat, sed est principium, quo generatio fit*: hæc inquam verba non sunt Concilii, sed privati cujusdam ex propria sententia loquentis.

Obj. 2. Aliquos Patres. 1. S. Dionysius, l. de divinis nominibus, c. 2. appellat Filium, & Spiritum Sanctum *fœcundæ divinitatis germina.* 2. S. Basilius, l. 2. contra Eunomium vocat Filium splendorem majestatis DEI. At splendor est à luce, ut lux est, & Pater est lux secundùm divinitatem. 3. S. Cyrillus, l. 1. Thesauri, c. 7. appellat essentiam divinam generativam. 4. S. Damascenus, l. de fide, c. 8. de generatione Filii sic loquitur: *generatio ignara principii, & sempiterna est, ut quæ naturæ opus sit, atque ex ipsius essentia procedat.* Ergo essentia divina est principium formale proximum processionis Filii.

Resp. Ad 1. Divinitas est quidem ex se fœcunda, sed remotè, & radicaliter; quatenus ut intelligens, & volens, radix est fœcunditatis generandi, & spirandi.

Resp. Ad 2. In divinis splendor est à luce remotè tantùm, & radicaliter: nam Pater est lux secundùm divinitatem ut intelligentem, & Pater secundùm divinitatem ut intelligentem non generat splendorem suum, videlicet Filium, nisi remotè, & radicaliter: divinitas enim non est proximè generativa; alioquin generaret.

Resp. Ad 3. Cyrillus vocat essentiam divinam generativam remotè, non proximè: alioqui generaret, quod repugnat Concilio Lateranensi.

Resp. Ad 4. Damascenus solùm vult generationem Verbi carere initio, & æternam esse, quia est absolutè necessaria; eò quòd essentia divina per se infrustrabiliter exigat communicari Filio à Patre.

Obj. 3. Generatio Verbi est dictio, seu locutio. At locutio est proximè ab intellectu. Ergo generatio Verbi est proximè ab intellectu. Ergo intellectus divinus est principium formale proximum processionis Filii.

Resp. Disting. maj. Verbi generatio est dictio, seu locutio, qua Pater loquitur alteri, nempe Verbo, ei intellectionem suam communicando, *conc. maj.* Est locutio, qua Pater sibi loquitur, seu se ipsum reddit intelligentem, *nego maj.* Nam Pater non intelligit formaliter per Verbum notionale, sed essentiale. Locutio autem, qua quis alteri loquitur, præsupponit quidem intellectionem: at non est immediatè ab ea, sed ab ore, aut simili potentia locutiva, quæ in ente merè spirituali respondet ori. Unde generatio Verbi est proximè ab ore Patris, quod est paternitas: & est remotè ab intellectione divina, quæ fundat paternitatem.

Obj. 4. Paternitas non est activa; nam est relatio, & personalitas, quæ non sunt activæ: ergo paternitas non producit Filium. Ergo, &c.

Resp. Paternitas est relatio transcendentalis, ideóque activa: personalitas autem aliqua divina, nempe paternitas, est activa: nam habet duplicem perfectionem; unam, qua respondet, & æquivalet personalitati creatæ; & alteram, qua respondet potentiæ creatæ: paternitas enim divina est simul naturæ divinæ terminus, & fœcunditas formalis.

Obj. 5. In productione univoca terminus productus debet esse similis producenti in principio formali proximo. At in divinis generatio Filii est univoca, & Filius assimilatur Patri in intellectione, & natura, non in proprietate relativa. Ergo.

Resp. Nego maj. Nam ut productio sit univoca, sufficit, quòd terminus totalis productus sit ejusdem naturæ cum termino totali pro-

producente; sive natura sit principium formale proximum productionis, sive remotum tantùm. Quare *Filii* productio in divinis est univoca: nam Filius est ejusdem planè naturæ cum Patre, quamvis natura divina sit duntaxat *principium* formale remotum productionis Filii, sicque Filius assimiletur Patri solùm in principio remoto suæ productionis.

Obj. 6. Si paternitas est principium formale proximum processionis Filii, est in Patre potentia aliqua, quæ non est in Filio. Falsum conseq. ergo.

Resp. Illa potentia est in Filio, non formaliter, sed æquivalenter, & eminenter. Nam filiatio æquivalet paternitati; cùm sit æque perfecta: & essentia, seu natura Filii est eminenter proxima potentia generandi.

Inst. Si Pater habet aliquam potentiam, quam non habet formaliter Filius, nempe potentiam proximam generandi, Pater est major, ac perfectior Filio. Falsum conseq. ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam in DEO tam perfectum est esse terminum generationis, quàm ejus principium: tùm quia eadem est utriusque natura, & essentia in omni ratione infinitè perfecta: tùm quia generatio passiva, nempe filiatio tantam habet excellentiam, quantam generatio activa, nempe paternitas. Nam par est utriusque existendi necessitas, tamque filiatio ex se habet, ut accipiat esse à Patre, quàm paternitas habet ex se, ut det esse filiationi. Unde persona ex essentia divina, & filiatione constituta omninò æqualis est personæ, ex eadem essentia divina, & paternitate constitutæ.

Dico 5. Volitio divina non est principium formale proximum processionis Spiritus Sancti, sed duntaxat remotum.

Prob. 1. pars. Quia si volitio divina esset ejusmodi principium, distingueretur realiter à Spir. S. Falsum conseq. ergo. Major constat; nam principium formale proximum distinguitur realiter à suo termino; cum in illum per se immediatè influat, nihil enim in se ipsum immediatè influit.

Prob. 2. pars. Volitio divina est principium formale processionis Spiritus Sancti; cùm Spiritus Sanctus procedat per volitionem. Ergo si non est principium proximum, debet esse remotum. Præterea fœcunditas spirandi DEO proximè convenit ratione volitionis divinæ, & sic ex ea virtualiter oritur.

Dico 6. Sola proprietas relativa Spiratoris est principium formale proximum processionis Spiritus Sancti.

Prob. Quia tale principium non potest esse, nisi vel volitio divina, vel proprietas relativa spirationis. Non primum; ergo secundùm.

ARTICULUS VIII.

Quodnam sit principium formale, quo essentia divina communicatur Filio, & Spiritui Sancto?

Dico 1. Pater generando Filium, communicat illi essentiam, seu naturam divinam. Est de fide. Constat tùm ex Conc. Lateranensi IV. c. 2. ubi dicitur: *Pater enim ab æterno Filium generando, suam substantiam ei dedit.... Patet ergo, quòd sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit: & ita Pater, & Filius habent eandem substantiam.* Tum ex Florentino, in decreto unionis definiente; *omnia, quæ Patris sunt, ipsum Patrem unigenito Filio suo gignendo dedisse, præter esse Patrem.* Ergo Pater generando Filium, dat ei essentiam divinam, quam habet. At non dat per productionem; nam essentia divina non producitur; ergo dat per communicationem.

Dico 2. Principium formale proximum, quo communicatur essentia divina Filio, est paternitas, remotum verò est intellectio.

Prob. 1. pars Quia principium formale, quo proximè, & immediate producitur proprietas relativa Filii, nempe filiatio, est etiam principium formale proximum, quo communicatur essentia divina Filio. Aqui paternitas est principium formale, quo proximè, & immediatè producitur proprietas relativa Filii, ut probatum est, art. 7. Ergo. *Prob. maj.* Principium formale proximè, ac immediate producens proprietatem relativam Filii, proximè, ac immediatè producit termi-

minum essentialiter identificatum essentiæ, seu naturæ divinæ. Atqui principium formale proximè, ac immediatè producens terminum essentialiter identificatum essentiæ divinæ hoc ipso proximè, & immediatè communicat essentiam divinam: nam principium producens terminum essentialiter eundem realiter cum essentia divina, hoc ipso præcisè communicat essentiam divinam: cùm hoc ipso, quòd terminus ille producitur, habeat essentiam divinam improductam. Ergo.

Prob. 2. *pars.* Quia principium formale remotum est illud, in quo proximè fundatur, & ex quo virtualiter oritur principium formale proximum. Atqui principium formale proximum, quo communicatur Filio essentia divina, nempe paternitas, proximè fundatur, & virtualiter oritur ex intellectione divina: nam intellectio divina proximè exigit esse paternitatem, ut supra probatum est. Ergo intellectio divina est principium formale remotum, quo essentia divina communicatur Filio.

Dico 3. Pater, & Filius producendo Spiritum Sanctum, ei communicant essentiam divinam. Est de fide.

Prob. Quia Spiritus Sanctus habet essentiam divinam à principio, à quo producitur. Atqui Spiritus Sanctus producitur à Patre, & Filio. Ergo ab utroque habet essentiam divinam: & quidem per communicationem, producendo terminum essentialiter identificatum essentiæ divinæ, non autem per productionem, cùm essentia divina non producatur.

Dico 4. Principium formale proximum, quo communicatur essentia divina Spiritui Sancto, est proprietas relativa spiratoris; remotum verò est volitio divina.

Prob. 1. *pars.* Quia proprietas relativa spiratoris est principium formale, quo proximè, & immediatè producitur terminus essentialiter idem cum essentia divina: ergo est etiam principium formale, quo proximè ei communicatur essentia divina.

Prob. 2. *pars.* Quia illud est principium formale remotum communicandi Spiritui Sancto essentiam divinam, in quo proximè fundatur, & ex quo virtualiter oritur principium formale proximum, quo communicatur essentia divina Spiritui Sancto. At hoc principium proximè fundatur, & virtualiter oritur ex volitione divina: nam volitio divina proximè fundat, & exigit proprietatem relativam spiratoris. Ergo.

Obj. Essentia divina se ipsam immediatè communicat Filio, & Spiritui Sancto. Ergo.

Resp. Disting. antec. Formaliter, *conc. ant.* Activè, *nego ant. & conseq.* Essentia divina se ipsam quidem immediatè Filio, & Spiritui Sancto communicat formaliter, seu per modum causæ formalis, sicut filiatio Filio, & spiratio passiva Spiritui Sancto se communicat; sed præterea utrique communicatur activè à paternitate, & à spiratione activa.

ARTICULUS IX.

Ex qua cognitione procedat Filius?

§. I.

Dico 1. Filius procedit ex perfectissima cognitione essentiæ divinæ. Ita omnes.

Prob. Filius procedit ex illa cognitione, in qua proximè fundatur fœcunditas generandi. Atqui fœcunditas generandi fundatur proximè in perfectissima cognitione essentiæ divinæ: nam cùm fœcunditas generandi sit absolutè necessaria, & perfectissima, & DEO conveniat ratione alicujus intellectionis, certè convenit ratione intellectionis absolutè necessariæ, & circa objectum præstantissimum modo perfectissimo versantis. Ergo Filius procedit ex perfectissima cognitione essentiæ divinæ.

§. II.

Dico 2. Filius procedit ex cognitione intuitiva omnium Personarum.

Prob. Filius procedit ex perfectissima cognitione essentiæ divinæ. Atqui cognitio perfectissima essentiæ divinæ est etiam cognitio trium Personarum. *Prob. min.* Non potest cognosci perfectissimè essentia divina, quin

quin cognoſcatur ut communicabilis adintra, & radix proprietatum perſonalium. Atqui ſic cognoſci non poteſt, quin etiam perfectiſſimè cognoſcantur proprietates perſonales, & perſonæ. Ergo cognoſci non poteſt perfectiſſimè eſſentia divina, quin ſimul cognoſcantur tres Perſonæ: ac proinde cognitio perfectiſſima eſſentiæ divinæ eſt etiam cognitio trium Perſonarum.

Jam verò illa notitia trium Perſonarum, ex qua procedit Filius, eſt intuitiva: nam eſt perfectiſſima notitia illarum ut exiſtentium, & ipſi proquolibet inſtanti reali coexiſtentium: ſiquidem re ipſa exiſtunt, & ipſi coexiſtunt, pro quolibet inſtanti reali durationis.

Obj. 1. Cognitio intuitiva Filii non eſt radix fœcunditatis generandi. Ergo Filius non procedit ex cognitione intuitiva Filii. *nego anteced. Probabis.* Omnis cognitio objecti exiſtentis ſupponit objecti exiſtentiam. Ergo cognitio Filii ut exiſtentis ſupponit Filium exiſtentem, ideoque non poteſt eſſe radix fœcunditatis generandi Filium.

Reſp. Nego anteced. Nam cognitio divina objecti exiſtentis non ſupponit exiſtentiam objecti; quia objectum exiſtens non concurrit phyſicè ad cognitionem ſui intuitivam, nec per ſe, nec per ſpeciem; cùm intellectus divinus ex infinita ſua perfectione per ſe ſit determinatus ad cognoſcendum omne cognoſcibile, & omni modo perfectiſſimo, quo cognoſcibile eſt, hoc ipſo, quòd eſt cognoſcibile. Unde in Deo cognitio objecti ut exiſtentis nequidem exigit ejus exiſtentiam: ſic Deus ab æterno intuitivè cognoſcit creaturas ut exiſtentes in tempore. Aliud eſt de cognitione humana, cujus objectum exiſtens concurrit phyſicè vel per ſe, vel per ſpeciem ſui vicariam ad cognitionem ſui intuitivam.

Obj. 2. Cognitio, qua Deus intuitivè agnoſcit creaturas, non eſt cauſa illarum exiſtentiæ. Ergo nec cognitio, qua Pater cognoſcit Filium, eſt principium formale generationis Filii.

Reſp. Nego conſeq. Quia ratione priùs eſt creaturas eſſe exiſtentes pro tali differentia temporis, quàm Deum eas intueri ut exiſtentes pro tali differentia; nam cùm creaturæ exiſtentes ſint objectum contingens, intellectus divinus eſt ex ſe indifferens ad illas cognoſcendas ut exiſtentes, vel non exiſtentes. Unde ut cognoſcat illas ut exiſtentes potiùs, quam non exiſtentes, debet aliquo modo determinari ab illarum exiſtentia tamquam occaſione, & objecto terminativo offerente hanc veritatem præ alia, quæ ejus loco poſſet æquè cognoſci: ac proinde cognitio, qua Deus intuitivè cognoſcit creaturas ut exiſtentes, non eſt ullatenus cauſa illarum exiſtentiæ; cùm illarum exiſtentia præſupponatur cognitioni divinæ intuitivæ. Secus eſt de cognitione, qua Deus Pater intuitivè cognoſcit Filium; cùm exiſtentia Filii ſit abſolutè neceſſaria, & intellectus divinus non poſſit abſolutè non cognoſcere eum ut exiſtentem.

Obj. 3. Pater priùs cognoſcit cognitione, qua generat Filium, quàm generet Filium: & priùs generat Filium, quam ſit Filius. Ergo cognitio, qua Pater generat Filium, eſt cognitio Filii ut futuri, non ut exiſtentis, proindeque non eſt intuitiva.

Reſp. Nego conſeq. Quia Pater priùs duntaxat ratione cognoſcit, quàm generet; & generat priùs proprietate originis tantum, quàm ſit Filius, non verò priùs prioritate durationis. Quare Filius exiſtit pro omni inſtanti reali, pro quo Pater generat, & cognoſcit cognitione, qua generat.

Obj. 4. Si Filius procederet ex notitia Spiritus Sancti, procederet a Spiritu Sancto. Falſum conſeq. ergo. *Nego ſequel. maj.* Quia non ipſe Spiritus Sanctus, ſed ejus notitia fundat fœcunditatem generandi. *Probabis ſequel. maj.* Si Filius procedit à notitia Spiritus Sancti, notitia illa eſt prior origine Filio. Ergo Spiritus Sanctus eſt prior origine Filio, ideoque Filius ab eo procedit. *Nego conſeq. probabis.* Spiritus Sanctus eſt natura prior notitia ſui. Ergo ſi notitia Spiritus Sancti eſt prior Filio, Spiritus Sanctus eſt prior Filio.

Reſp. Nego antec. Nam notitia Spiritus Sancti non producitur; & ſic non poteſt eſſe

esse à Spiritu Sancto, ut objecto ad eam physicè concurrente cum intellectu divino: & consequenter Spiritus Sanctus non est causa notitiæ sui, nec proinde natura prior notitia sui.

Obj. 5. Spiritus Sanctus est saltem ratione prior notitia sui. Ergo Filius non potest ex ejus notitia procedere. *Nego anteced. probabis.* Objectum etiam terminativum est ratione priùs, quàm cognitio sui. Sed Spiritus Sanctus est objectum terminativum notitiæ, qua cognoscitur: ergo est saltem ratione prior illa.

Resp. Objectum terminativum contingens, ad quod proinde cognoscendum intellectus divinus de se non est determinatus absolutè, & antecedenter, est quidem ratione prius cognitione sui. At objectum terminativum absolutè necessarium, ad quod proinde cognoscendum intellectus divinus per se essentialiter determinatus est, non est ratione prius, quàm sui cognitio. Spiritus autem Sanctus ut existens est objectum absolutè necessarium unde intellectus divinus ex se essentialiter determinatus est ad illum ut existentem cognoscendum. Quare Spiritus Sanctus non debet *supponi* ratione prius existens, quàm cognoscatur.

Porro Spiritus Sanctus non se habet ad notitiam sui ut objectum motivum: nam non movet ad sui cognitionem.

Obj. 6. Si Filius procedit ex notitia Spiritus Sancti: est ejus imago. *Falsum cons.* ergo.

Resp: Nego sequel. maj. Quia in divinis una persona non est imago alterius, nisi ab ea procedat. Filius autem non procedit à Spiritu Sancto, sed solum ex notitia illius.

§. III.

Dico 3. Filius procedit ex cognitione creaturarum possibilium.

Prob. Filius procedit ex perfectissima notitia essentiæ divinæ. *Atqui perfectissima notitia essentiæ divinæ est perfectissima notitia omnipotentiæ; & perfectissima notitia omnipotentiæ est perfectissima cognitio omnium rerum possibilium, quæ sunt termini omnipotentiæ; nam correlativa sunt simul in cognitione.* Ergo Filius procedit ex cognitione creaturarum possibilium.

Obj. Si Filius procedit ex cognitione possibilium, est Verbum creaturarum. Falsum conseq. ergo.

Resp. Dist. seq. maj. Est Verbum creaturarum possibilium objective *conc. seq. maj.* productivè, *nego. seq. maj.* Filius non est Verbum creaturarum possibi um productivè; quia non procedit à creaturis possibilibus. At est illarum Verbum objectivè; quia procedit à cognitione creaturarum possibilium: nam fœcunditas generandi convenit Deo ratione cognitionis possibilium, non tamen ratione ipsarum rerum possibilium. Quare creaturæ possibiles sunt objectum principii formalis remoti processionis Filii, non verò ejus principium.

§. IV.

Dico. 4. Filius non procedit ex cognitione creaturarum ut existentium, aut futurarum absolutè, aut liberè futuribilium sub conditione: ac proinde non procedit à scientia visionis, quatenus versatur circa creaturas, nec à scientia media.

Prob. Cognitio, ex qua Verbum procedit, tam necessaria est, quàm Verbum ipsum, & ejus productio; nam principium debet esse proportionatum productioni, & termino producto. Atqui cognitio creaturarum ut existentium, & liberè futuribilium non est tam necessaria, quam Verbum, & ejus productio: nam hæc cognitio non est absolutè necessaria, sed contingens; Verbum autem, & ejus productio sunt absolutè necessaria. Ergo Verbum non procedit ex cognitione creaturarum existentium, & liberè futuribilium.

Paulò aliter. Verbum non procedit, nisi ex eo, quod est absolutè necessarium: nam Verbum, & principium, & modus, quo procedit, sunt absolutè necessaria. Atqui cognitio creaturarum ut existentium pro aliqua differentia temporis, & liberè futuribi-

lium

lium non est absolutè necessaria: nam potuit non esse in Deo; siquidem creaturæ potuerunt non existere, & non esse futuribiles sub tali conditione. Ergo Verbum non procedit ex cognitione creaturarum ut existentium pro aliqua differentia temporis, & liberè futuribilium.

Obj. 1. Ex S. Augustino. Verbum est de omnibus, quæ sunt in scientia Dei. At creaturæ existentes sunt in scientia Dei. Ergo.

Resp. S. Doctor loquitur de scientia Dei necessaria, non contingenti. Cùm autem l. 15. de Trinit. c. 14. dicit: *quid quid est in ea scientia, de qua genitum est* (Verbum,) *in ipso est, quod autem in ea non est, nec in ipso est.* Intellige in ipso est, vel formaliter, vel consequenter, seu in radice.

Obj. 2. Verbum procedit ex scientia comprehensiva divinitatis adæquatè sumpta. Sed hæc scientia est rerum non solùm necessariarum, sed etiam contingentium. Ergo Verbum procedit ex scientia rerum etiam contingentium.

Resp. Nego maj. Nam Verbum non procedit ex *scientia comprehensiva divinitatis*, prout se extendit ad contingentia: scientia enim divinitatis, prout se extendit ad talia objecta, est quid contingens: acproinde non est principium proportionatum generationi Verbi, quæ est absolutè necessaria.

Obj. 3. Verbum procedit (remotè scilicet) ex scientia eorum omnium, quæ ipso dicuntur, & exprimuntur. Sed creaturæ existentes, & futuribiles dicuntur, ac exprimuntur Verbo: nam Pater illas exprimit ipsi Verbo tanquam personæ, cui loquitur. Ergo Verbum procedit ex scientia creaturarum existentium, &c.

Resp. Disting. maj. Verbum procedit ex scientia eorum, quæ ipso dicuntur formaliter, *conc. maj.* Quæ dicuntur consequenter tantùm, & quasi in radice, *nego. maj.* Verbum procedit solùm ex scientia eorum, quæ dicuntur ipso formaliter; quia talis scientia est absolutè necessaria, ideoque est principium proportionatum generationi Verbi. At Verbum non procedit ex scientia eorum, quæ dicuntur ipso consequenter tantum; quia talis scientia est contingens, ideoque non est principium proportionatum processioni absolute necessariæ; nec fundare potest fœcunditatem generandi, quæ est absolutè necessaria; & consequenter ratione prior, quàm omnis scientia contingens. Creaturæ autem existentes, utpote contingentes, non dicuntur, nec exprimuntur Verbo, nisi consequenter, & in radice.

Inst. Creaturæ ut existentes, & futuribiles dicuntur Verbo formaliter perinde, ac objecta necessaria. Ergo Verbum procedit etiam ex illarum scientia.

Resp. Nego anteced. Nam illa dicuntur, & exprimuntur Verbo formaliter, quorum scientiam per se primò Pater communicat Verbo, *ipsum generando*: Pater *enim dicit*, ac loquitur Filio communicando illi scientiam: & *eo modo dicit*, ac *loquitur*, quo communicat illi scientiam, ipsum producendo. Pater autem generando Verbum, non communicat illi naturam divinam per se primò, ut est scientia creaturarum existentium, & liberè futuribilium, quæ scientia contingentium est ratione posterior generatione Verbi. Igitur objecta contingentia dicuntur Verbo tantùm consequenter: nam illa dicuntur Verbo tantum consequenter, quorum notitiam Pater non comunicat Verbo, nisi consequenter, & in radice. Pater autem scientiam creaturarum ut existentium, & futuribilium non communicat Verbo, nisi consequenter, & in radice. Nam eatenus Pater communicat Verbo scientiam creaturarum existentium, & futuribilium, quatenus scientia necessaria essentiæ divinæ, trium Personarum, & rerum possibilium, quam illi formaliter, & per se primò communicat, apta est fieri, & ratione post ipsius Verbi generationem fit scientia creaturarum ut existentium, & futuribilium, suppositâ earum veritate objectiva: quod est scientiam illam communicari Verbo tantùm consequenter, & in radice, & objecta contingentia dici, ac exprimi consequenter tantùm. Quare solùm essentia divina, tres Personæ, & possibilia dicuntur formaliter Verbo; cùm horum duntaxat objectorum notitiam Pater per se primò communi-

cet Verbo: communicando ei naturam divinam per se primò, ut est perfectissima notitia essentiæ divinæ, trium Personarum, & possibilium.

Obj. 4. Verbum procedit ex scientia eorum omnium, quæ audit à Patre. At Verbum audit à Patre etiam contingentia. Ergo Verbum procedit etiam ex scientia contingentium.

Resp. Disting. maj. Quæ audit à Patre formaliter, *conc. maj.* consequenter tantum, *nego. maj.* Verbum procedit solùm ex scientia eorum, quæ audit à Patre formaliter, id est, quæ scit accipiendo a Patre naturam divinam primò, & per se ut est scientia illorum; quia hæc sola scientia necessaria est. Verbum autem non audit à Patre contingentia, nisi consequenter: nam audit ea à Patre, quatenus nascendo accipit à Patre scientiam illorum; ac proinde eo modo à Patre ea audit, quo à Patre accipit eorum scientiam. Non accipi autem à Patre eorum scientiam, nisi consequenter: nam non accipit à Patre naturam divinam per se primò, ut est scientia contingentium, sed solùm quatenus illa natura est apta fieri, & ratione post Verbi productionem fit scientia contingentium, suppositâ eorum existentia.

Porro Verbum audire à Patre formaliter, est Verbum accipere à Patre scientiam formaliter: & accipere scientiam alicujus objecti formaliter à Patre, est accipere à Patre naturam divinam per se primò ut est scientia talis objecti. Filius autem à Patre accipit naturam divinam primò, & per se ut est scientia necessaria tantùm, & consequenter, seu ratione post sui productionem, ut est scientia contingentium.

Obj. 5. Filius procedit ex omni scientia, quam habet vi suæ processionis. Sed Filius habet vi suæ processionis scientiam contingentium, ergo ex ea procedit.

Resp. Disting. maj. Filius procedit ex omni scientia, quam habet formaliter, & per se primò vi suæ processionis, *conc. maj.* Nam omnis ejusmodi cognitio est necessaria, ideoque est principium formale remotum, proportionatum productioni Verbi. Filius procedit ex omni scientia, quam habet consequenter tantùm vi suæ processionis, *nego maj.* Nam omnis ejusmodi scientia est contingens, ideoque est improportionata generationi Verbi, quæ est absolutè necessaria, & ratione prior omni scientia contingenti.

Obj. 6. Verbum procedit ex cognitione rerum, quas repræsentat: at repræsentat creaturas ut existentes: ergo procedit ex earum cognitione. *Resp.* Verbum procedit ex cognitione rerum, quas repræsentat necessariò necessitate absoluta: non autem rerum, quas repræsentat contingenter.

COROLLARIUM.

Ex dictis facilè intelligitur Spiritum-sanctum procedere ex omni, & solo amore necessario essentiæ divinæ, trium Personarum, & rerum possibilium; non autem ex amore libero creaturarum, ut existentium pro aliqua differentia temporis. Quia scilicet solus amor absolutè necessarius est principium proportionatum productioni Spiritus sancti, quæ est absolutè necessaria, & ratione prior omni amore libero, ac contingenti. Unde natura divina communicatur Spiritui sancto per se primò, ut est amor necessarius, & ideo Spiritus-sanctus dicitur charitas amor.

ARTICULUS X.

Utrùm sola processio secundæ Personæ sit generatio? Et cur sit potiùs generatio, quam processio tertiæ Personæ?

NOta. Generatio strictissimè, seu specifice sumpta, & prout solis viventibus convenit, communiter definitur: origo viventis à vivente, tanquam à principio conjuncto in similitudinem naturæ. Dicitur 1. *Origo*, id est, productio. 2. *Viventis à vivente*; quia generatio strictissimè sumpta est vitalis, 3. *Tanquam à principio conjuncto*, scilicet per participationem vel totalem, vel partialem substantiæ generantis: nam generans debet communicare genito aliquid, quod sibi sit, vel fuerit conjunctum. Hinc creatura quamvis vivens, & à Deo vivente producta, non est, strictissimè loquendo, genita à Deo.

4. In

4. *In similitudinem*, ita ut generatio per se, & non per accidens tendat in similitudinem geniti cum generante. Ex hujus defectu Eva non est filia Adami, licèt processerit ab Adamo; quia nempe communicatio costæ non tendebat per se in similitudinem Evæ cum Adamo, sed tetendit solùm per accidens; quatenus Deus præter ordinem naturalem ex Adami costa Evam efformavit. 5. *In similitudinem naturæ*, perfectam scilicet, & adæquatam, nisi forte per accidens impediatur. Unde generans, & genitus debent habere eandem vel specie, vel numero naturam.

Dico 1. In divinis processio Filii à Patre est generatio propriè dicta. Est de fide.

Prob. 1. Ex Script. Psal. 2. Pater æternus sic Filium alloquitur: *Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Et Isai. c. 53. *Generationem ejus quis enarrabit?*

2. Ex Conciliis generalibus Nicæno 1. Constantinopolitano 1. & Lateranensi IV. definientibus Filium Dei esse genitum. Idem habet Symbolum Athanasianum.

3. Ratione. Quia in divinis Pater est propriè Pater, & Filius est propriè Filius. Nam uterque sic vocatur simpliciter in Scriptura, à Patribus, & conciliis: unde S. Gregorius Nazianz. tract. de fide ait: *Quis Catholicorum ignorat, Patrem verè esse Patrem, Filium verè esse Filium?* At nemo est propriè Pater, nisi generet: nec quis est propriè Filius, nisi generatur. Ergo in divinis Filius generetur à Patre, ac processio Filii à Patre est generatio.

Dico 2. Processio Spiritus sancti non est generatio. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura, quæ vocat secundam Personam Filium Unigenitum, ut, Joann. c. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.*

2. Ex Conciliis Nicæno I. & Constantinopolitano I. in Symbolo definientibus secundam Personam esse Filium Dei unigenitum. Ergo sola secunda Persona est genita. Ergo Spiritus sanctus non est genitus, ergo ejus processio non est generatio. His adde Symbolum Athanasianum, ubi dicitur: *Spiritus sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Unde processio Spiritus Sancti dicitur simpliciter processio, vel spiratio, seu actio spirativa, qua Spiritus-sanctus à Patre, & Filio producitur, & accipit naturam divinam eandem numero sine fœcunditate.

Dico 3. Processio Filii est generatio, non processio Spiritus-sancti; quia Filius procedit per intellectum, quæ processio per se, & formaliter tendit, ac ordinatur in similitudinem producti cum producente, quod non convenit processioni Spiritus-sancti.

Prob. 1. Quia Scriptura hanc rationem indicat, dum Filio tanquam aliquid ipsi proprium, ideoque constitutivum in ratione Filii, specialiter tribuit rationem imaginis, & figuræ Patris; ob specialem scilicet similitudinem, quam ex vi suæ processionis habet cum Patre, ut Col. c. 1. *Qui est imago Dei invisibilis.* Et Heb c. 1. *Figura substantiæ ejus.*

Prob. 2. Quia Patres passim docent Filium in divinis ideo esse Filium, seu vera generatione productum, quia est verbum, seu terminus intellectione per se assimilativa productus, tanquam vitalis imago sui principii. Pro omnibus sint, S. Athanasius, l. de decret. Synod. Nic. *Si imaginem nominas, Filium eo ipso indicaveris: quid enim est simile Deo, nisi sua ipsius progenies.* S. Augustinus, lib. 7. de Trinitate c. 2. *Eo Filius, quo Verbum; & eo Verbum, quo Filius.* Et tract. 48. in Joann. *Verbum Dei semper cum Patre, & semper Verbum: & quia Verbum, ideo Filius.* S. Ambrosius, l. de Incarnat. c. 3. *Si multa Verba, multi Filii.* S. Anselmus, in monolog. c. 53. *Verbum mox ut consideratur, se prolem ejus, à quo est, evidentissimè probat, perfectam præferendo Patris imaginem. At amor pertè se prolem negat; quia dum à Patre, & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti ejus, ex quo est, similitudinem.* His adde S. Thomam, 1. p. q. 27. art. 2. ubi ait: *Processio Verbi in divinis, habet rationem generationis: procedit enim per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ; & à principio conjuncto; & secundùm*

eundùm rationem similitudinis, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ; & in eadem natura, quia in Deo idem est intelligere, & esse. Unde processio Verbi in divinis dicitur generatio, & ipsum Verbum procedens dicitur Filius. Et q. 34. art. 2. *Persona, quæ procedit in divinis secundùm emanationem intellectus, dicitur Filius, & hujusmodi processio dicitur generatio.*

Prob. 3. Ratione. Quia hoc ipso, quod processio Verbi est per intellectionem, ejus processio est in similitudinem naturæ principii producentis; cùm intellectio divina ordinetur, ac tendat ad exprimendam similitudinem perfectam sui objecti, nempe naturæ divinæ: imò fit per se formaliter perfectissima repræsentatio, & expressio naturæ divinæ. Unde processio Verbi est origo viventis à vivente, ut principio conjuncto in similitudinem naturæ, ideòque verè, ac propriè generatio: & Filius procedit in similitudinem naturæ Patris: nam vi suæ processionis accipit naturam divinam per se primò ut est similitudo formalis, seu repræsentatio, & expressio ipsiusmet naturæ divinæ, quæ est natura Patris. At Spiritus sancti processio non est generatio; quia cùm procedat per actum voluntatis, seu per amorem, ejus processio non est per se primo secundùm rationem similitudinis, sed secundùm rationem vitalis impulsus; nam amor non est per se ordinatus ad exprimendam similitudinem sui objecti, sed est inclinatio vitalis in objectum: & motio amantis ad amatum.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Processio Filii à Patre in humanis ideo est generatio, quia per eam Pater Filio impertit naturam eandem cum sua. At in divinis Pater, & Filius per processionem, qua producunt Spiritum-sanctum, ei impertiunt naturam eandem cum sua. Ergo Spiritus-sancti processio est generatio.

Resp. Disting. maj. Quia Pater impertit Filio eandem naturam cum sua, eam producendo, *conc. maj.* Eam præcisè communicando, *nego. maj.* Ad minorem dico naturam divinam in Filio, & Spiritu-sancto communicari, non produci, & eandem esse numero, non specie. Itaque si in productione hominis non produceretur natura, sed solùm communicaretur, non essent duo homines; & qui eam acciperet, non esset Filius, nisi eam communicans produceret aliquid, quod naturæ suæ similitudinem referret. Jam verò in divinis Pater communicando naturam suam Filio, simul producit aliquid, nempe Verbum, in quo est similitudo naturæ suæ, quæ productio est relativa ad communicationem naturæ. Nihil autem tale Pater, & Filius producunt, dum naturam suam Spiritui-sancto communicant.

Obj. 2. Homo de homine procedens est ejus Filius. Ergo Deus de Deo procedens est Filius Dei. At Spiritus-sanctus est Deus de Deo procedens, ergo est Filius Dei.

Resp. Nego 1. conseq. Disparitas est, quia cùm homo ab homine producitur, non solùm communicatur, sed etiam producitur natura eadem specie: unde eo ipso actio est in similitudinem naturæ. Secùs, cùm Spiritus-sanctus producitur.

Obj. 3. Ideo processio Verbi est generatio, non autem processio Spiritus-sancti, quia Pater communicat Verbo naturam fœcundam, & in hoc similem sibi: sive quia communicat naturam cum fœcunditate proxima communicandi eandem naturam alteri, talem autem non communicat Spiritui sancto.

Resp. Nego. Quia 1. hic modus explicandi fuit incognitus Patribus. 2. Fœcunditas, quæ datur Filio, non pertinet ad naturam, alioqui Spiritus sanctus illam acciperet: ergo non facit ut Filius sit similis in natura. 3. Non datur Filio eadem fœcunditas, quæ est in Patre; nam non datur fœcunditas generandi, seu communicandi naturam fœcundam, quam habet Pater. Ergo si Filius procederet in similitudinem cum Patre propter fœcunditatem sibi communicatam, non procederet in perfectam similitudinem cum Patre, & sic non esset Filius, vel esset Filius degener. 4. Quia ratio, qua nititur hæc opinio, nimium probat, ac proinde nihil probat.

probat. Nam hæc ratio est, quia in creatis per generationem datur termino producto fœcunditas dandi naturam alteri. Atqui hæc ratio petita à generatione creaturarum nimium probat: nam in creatis semper datur termino producto fœcunditas dandi alteri non solum naturam, sed etiam ipsam fœcunditatem generandi; nam semper datur natura fœcunda per se proximè. Ergo si generatio Verbi per se consisteret in hac convenientia cum generatione creata, Verbum deberet accipere vi suæ processionis fœcunditatem dandi alteri non solùm eandem naturam, sed etiam fœcunditatem, seu naturam ut fœcundam: cum Filius in creatis semper naturam fœcundam accipiat, nec nisi per accidens impediatur hæc fœcunditas in actu secundo.

Obj. 4. *Similitudo, in quam procedit* Verbum, est intentionalis; ergo non sufficit ad generationem.

Resp. Nego conseq. Itaque illa similitudo intentionalis, quæ est substantialis, non accidentalis, sufficit ad rationem generationis, quando natura non producitur, sed eadem numero communicatur. Imò hæc similitudo magis constituit similitudinem inter naturam repræsentatam, & Verbum repræsentans, quam inter naturas ejusdem speciei, quarum una non est similis alteri, nisi objectivè, quatenus non est similitudo alterius, sed est solùm similis alteri.

Obj. 5. Spiritus sanctus est pefectè similis Patri, & Filio. Ergo ab iis procedit in similitudinem naturæ.

Resp. Disting. anteced. Est Perfectè similis, sed aliunde, quam vi suæ processionis, *conc. ant.* Vi suæ processionis, *nego ant. & conseq.* Spiritus sanctus equidem perfectè similis est Patri, & Filio; at hòc non habet ex vi processionis suæ; sed solùm ex eo, quod natura divina identificetur amori, per quem procedit.

Inst. Spiritus sanctus vi suæ processionis procedit ut Deus. Ergo est perfectè similis Patri, & Filio vi suæ processionis.

Resp. Disting. anteced. procedit ut Deus identicè, *conc. antec.* formaliter *nego antec.* Nam Spiritus sanctus vi suæ processionis procedit ut amor subsistens subsistentia relativa, cui identificatur divinitas. Unde non procedit ut Deus, nisi propter identitatem divinitatis cum illo amore.

CAPUT III.

De Relationibus divinis.

ARTICULUS I.

An, quales, & quot sint in Deo relationes adintra?

Dico 1. Dantur in Deo relationes reales adintra.

Prob. 1. Quia Scriptura Personas divinas secundùm suum esse proprium, & reale revelans exprimit illas nominibus relativis: ut Matth. c. ult. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Et Concilia Nicænum, & Constantinopolitanum in Symbolo, Lateranense IV. & alia iisdem nominibus relativis apellant Personas divinas. Atqui Pater ad Filium, Filius ad Patrem: Spirator ad spiritum, Spiritus ad Spiratorem habent relationem realem: ut patet. Nam ratio producti, & producentis est relatio unius ad alium independenter à mente. Et ita docet S. Augustinus, l. 5. de Trinitate, c. 5. his verbis: *Quia & Pater non dicitur Pater, nisi ex eo, quod est ei Filius; & Filius non dicitur, nisi ex eo, quod habet Patrem; non secundùm substantiam hæc dicuntur; quia non quisque eorum ad seipsum: sed ad invicem, atque ad alterutrum ista dicuntur.* Et Concil. Toletanum XI. in professione fidei, ubi ait: *Quod Pater est, non ad se, sed ad Filium est. Et quod Filius est, non ad se, sed ad Patrem est. Similiter & Spiritus sanctus non ad se, sed ad Patrem, & Filium relative refertur, in eo, quod spiritus Patris, & Filii prædicatur.*

2. Ratione. Quia si non essent in Deo relationes ad intra reales, non essent in Deo personæ realiter distinctæ: nam juxta axioma theologicum, in Deo omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio.

Dico

Dico 2. Relationes Dei ad intra ſunt tranſcendentales.

Prob. Relatio tranſcendentalis eſt ea, quæ non reſpicit terminum purè ut terminum. At in Deo una relatio non reſpicit aliam ut purè terminum, ſed ut quid producens, vel ut productum. Ergo relationes in Deo ſunt tranſcendentales.

Relationibus tamen divinis multa conveniunt, quæ relationibus categoricis attribuuntur. Nam 1. non poſſunt eſſe ſine termino. Pater enim non poteſt eſſe Pater ſine Filio, & viciſſim: nec poteſt eſſe Spirator ſine Spiritu ſancto, & viciſſim. 2. Id totum, quod ſunt, ad illud ſunt: ſic, v. g. id totum, quod Pater eſt, quatenus Pater, eſt ad Filium, & viciſſim. 3. Sunt ſimul cognitione: nam perfectè cognosci non poteſt Pater ſine Filio, & viciſſim: nec Spirator ſine Spiritu Sancto, & viciſſim.

Dico 3. Relationes adintra ſunt quatuor in Deo, videlicet paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & ſpiratio paſſiva.

Prob. 1. Quia datur in Deo tum fœcunditas generandi, nempe paternitas, & ejus terminus, nempe filiatio: tùm fœcunditas ſpirandi, nempe ſpiratio activa: & ejus terminus, nempe ſpiratio paſſiva.

2. Fide conſtat eſſe in Deo tres perſonas. Ergo jam conſtat eſſe in Deo tres relationes adintra, nempe Paternitatem, filiationem, & ſpirationem paſſivam. Sed præter has tres datur adhuc alia, nempe ſpiratio activa. Ergo dantur in Deo quatuor relationes. *Prob. min.* Datur in Deo principium formale proximum proceſſionis Spiritus ſancti. At *tale principium* eſt *aliquid* relativum, virtualiter diſtinctum à paternitate, & filiatione: & realiter diſtinctum à ſpiratione paſſiva, nempe fœcunditas ſpirandi, ſeu ſpiratio activa. Ergo datur in Deo aliqua relatio realiter diſtincta à ſpiratione paſſiva, & virtualiter, ac logicè diſtincta à paternitate, & filiatione, nempe ſpiratio activa. Ergo præter tres relationes ſupra dictas datur quarta, nempe ſpiratio activa.

Prob. min. quoad. 1. partem, quæ ſola eget probatione. Nam tale principium non eſt paternitas ſola; alioqui Spiritus-ſanctus non eſſet à Filio: neque eſt ſola filiatio; alioqui Spiritus Sanctus non eſſet à Patre: neque eſt ſimul paternitas, & Filiatio; alioqui principium formale proximum Spiritus-ſancti non eſt totum in Patre; nec totum in Filio. Ergo neceſſe eſt, ut tale principium ſit aliquid virtualiter, ac logice diſtinctum à paternitate, & filiatione, nempe ſpiratio activa.

ARTICULUS II.

Quomodo relationes adintra diſtinguantur inter ſe?

Dico 1. Paternitas à filiatione, & Spiratio activa à ſpiratione paſſiva diſtinguuntur realiter.

Prob. Relationes, quæ ſe habent ut quid realiter producens, & productum, diſtinguuntur realiter inter ſe; nam nihil poteſt ſe ipſum producere realiter. Atqui paternitas, & filiatio, item ſpiratio activa, & ſpiratio paſſiva ſe habent ut producens, & productum; ergo diſtinguuntur realiter inter ſe.

Dico 2. Paternitas, & filiatio diſtinguuntur realiter à ſpiratione paſſiva.

Prob. Relationes, quæ non poſſunt eſſe per identitatem in eodem ſuppoſito, habent inter ſe oppoſitionem ſufficientem ad diſtinctionem realem, ut per ſe patet. Atqui paternitas, & filiatio non poſſunt eſſe per identitatem in eodem ſuppoſito cum ſpiratione paſſiva: ergo habent cum illa oppoſitionem ſufficientem ad diſtinctionem realem, & ſic diſtinguuntur realiter ab illa.

Prob. min. Paternitas, & filiatio ex ſe eſſentialiter exigunt identificari ſpirationi activæ; nam neceſſariò ei identificantur. Ergo ſpiratio activa eſt per identitatem in omni ſuppoſito, in quo Paternitas, & filiatio ſunt per identitatem. Ergo ſpiratio paſſiva non poteſt eſſe per identitatem in eodem ſuppoſito cum paternitate, & filiatione: alioqui ſpiratio paſſiva poſſet eſſe per identitatem in eodem ſuppoſito cum ſpiratione activa, & ſic idem ſuppoſitum poſſet eſſe ſimul ſpirans, & ſpiratum, quod repugnat.

Porro

Porro oppositio realis, quam habent paternitas, & filiatio cum spiratione passiva, non est immediata, & per se: nam spiratio passiva non est à paternitate, & filiatione; sed est mediata, & per spirationem activam.

Dico 3. Paternitas, & filiatio distinguuntur virtualiter tantùm à spiratione activa.

Prob. Paternitas, & filiatio distinguuntur à spiratone activa; nam affirmatur aliquid de paternitate, & filiatione, quod negatur de spiratione activa, & viciſſim: nempe paternitas generat, spiratio activa non generat; filiatio producitur, spiratio activa non producitur; spiratio spirat, paternitas, & filiatio non spirat. At paternitas, & filiatio non distinguuntur à spiratione activa neque formaliter ex natura rei; cùm non detur distinctio formalis ex natura rei, ut supponitur alibi probatum: neque realiter; cum spiratio activa sit in eodem supposito cùm paternitate, & filiatione, & quidem per identitatem; non enim potest esse aliter, nempe per aggregationem, vel unionem. Ergo superest, ut distinguantur virtualiter tantum.

Itaque spiratio activa se habet ad Patrem: & Filium, sicut divinitas ad tres personas: nam est una, & eadem numero per identitatem in Patre, & Filio: sicut natura divina est in tribus Personis. Item per eam Pater, & Filius sunt unus spirator, sicut per naturam divinam tres Personæ sunt unus Deus. Differt tamen spiratio activa à natura divina in eo, quòd opponitur uni Personæ, nempè tertiæ, & quod sit per se principium formale proximum productionis unius personæ: quod utrumquè non convenit naturæ divinæ.

Obj. Relationes Dei adintra reales sunt quatuor. Ergo sunt quatuor res inter se distinctæ; ideoque paternitas, & filiatio distinguuntur realiter à spiratione activa.

Resp. Nego conseq. Quia relationes Dei adintra, licèt reales, sunt tantùm tres res relativæ; cùm res communiter significet entitatem propriam, & distinctam: nec sunt quatuor, nisi virtualiter, & logicè; cùm una non distinguatur à duabus, nisi virtualiter, & logice. Sic attributa absoluta quantumvis realia, tamen quia non sunt plura, nisi virtualiter, & logicè, sunt unica res.

Porro argumentum à proportione commutata valet solùm in quantitativis.

Observa. In Patre est una entitas relativa simplex realiter, sed virtualiter duplex. Quæ entitas quatenus est paternitas, producit Filium; & quatenus est spiratio activa, producit Spiritum-sanctum: perinde, ac si constaret duabus entitatibus realiter inter se distinctis. Similiter in Filio est una entitas relativa simplex realiter, & virtualiter duplex. Quæ quatenus est filiatio, producitur à Patre; & quatenus est spiratio activa producit Spiritum-sanctum: perinde, ac si illa entitas constaret ex duabus entitatibus partialibus realiter distinctis, quarum una produceretur à Patre & altera non produceretur ab illo, sed produceret Spiritum-sanctum. Quare Pater producit Filium per entitatem relativam, quæ simul est paternitas, & spiratio activa: sed producit Filium per illam, quatenùs est paternitas: non quatenus est spiratio activa. Similiter Filius producit Spiritum-sanctum per entitatem, quæ simul est filiatio, & spiratio; sed producit Spiritum sanctum per illam, quatenus est spiratio activa, non quatenus est filiatio. Hæc autem distinctio virtualis sufficit ad tollendam contradictionem.

ARTICULUS III.

Quomodo relationes divinæ distinguantur ab essentia divina?

Nota. Essentia latè sumpta significat quidditatem, seu constitutivum cujuslibet rei. Unde sunt in Deo ut trino tres essentiæ relativæ, identificatæ uni absolutæ, si nomen essentiæ latè summatur: nam in Deo sunt tres quidditates relativæ inter se realiter distinctæ. Essentia verò strictè, & magis propriè sumpta est id, quod est primum in toto substantiali, sive in substantia completa, distinctivum illius ab omni alio, & radix proprietatum ejus. Unde in Deo essen-

tia ſtrictè ſumpta idem eſt, ac aſeitas. A Conciliis eſſentia divina ſumitur etiam pro cumulo omnium perfectionum abſolutarum, ſeu pro ipſa natura divina, & in hoc ſenſu hic ſumitur.

Dico. 1. Relationes divinæ non diſtinguuntur realiter ab eſſentia divina, ſeu divinitate. Eſt de fide.

Conſtat ex Conc. generali Lateranenſi IV. c. 2. ibi: *Credimus, & confitemur cum Petro, quòd una quædam ſumma res eſt, incomprehenſibilis quidem, & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: tres ſimul Perſonæ, ac ſingulatim quælibet earundem. Et ideo in Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas; quia quælibet trium Perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia, eſſentia, ſeu natura divina, quæ ſola eſt Univerſorum principium, præter quod aliud inveniri non poteſt. Et illa res non eſt generans: neque genita, nec procedens: ſed eſt Pater, qui generat: & Filius, qui gignitur: & Spiritus ſanctus, qui procedit: ut diſtinctiones ſint in perſonis; & unitas in natura. Licèt igitur alius ſit Pater, alius Filius, alius ſpiritus ſanctus, non tamen aliud; ſed, quod eſt Pater, eſt Filius, & Spiritus-ſanctus idem omnino: ut ſecundum Orthodoxam, & catholicam fidem conſubſtantiales eſſe credantur.*

Ratio eſt, quia in divinis omnia ſunt unum, ubi non obviat relationis oppoſitio, quæ conſiſtit in relatione producentis, & producti. Atqui relationes adintra nullam habent oppoſitionem relativam cum eſſentia, ſeu natura divina: nam nec producunt eam, nec ab ea producuntur. Ergo relationes adintra ſunt unum, & idem realiter cum eſſentia, ſeu natura divina: ergo non diſtinguuntur realiter ab illa.

Obj. Illa diſtinguuntur realiter, quibus conveniunt prædicata contradictoria. At eſſentiæ divinæ, & relationibus conveniunt prædicata contradictoria; nam eſſentia communicatur Filio: Paternitas non communicatur Filio: paternitas generat, eſſentia non generat: filiatio, & ſpiratio paſſiva producuntur, eſſentia non producitur. Ergo eſſentia divina, & relationes inter ſe diſtinguuntur realiter.

Reſp. 1. Nego maj. Nam ad verificanda prædicata contradictoria ſufficit diſtinctio virtualis, quæ æquivalet quoad hoc diſtinctioni reali, quamvis tamen tunc non ſint verè contradictoria.

Reſp. 2. Nego min. Nam eſſentiæ divinæ, & relationibus non conveniunt prædicata verè, ſed apparenter tantùm contradictoria. Non enim tunc idem affirmatur, & negatur de eodem ſecundum idem, ſeu ſecundùm eandem conſiderationem; ſed reſpectu eſſentiæ, & relationum idem affirmatur, & negatur de eodem ſecundum diverſas conſiderationes, & æquivalentias ſumpto. Sic cùm dicitur eſſentia divina communicatur Filio, paternitas non communicatur; ſenſus eſt: entitas divina, ſumpta quatenus eſt cumulus omnium perfectionum abſolutarum, communicatur Filio; & ſumpta quatenus eſt paternitas, non communicatur Filio: quod verum eſt, & ad quod ſufficit virtualis amplitudo in entitate divina, & diſtinctio virtualis inter paternitatem, & eſſentiam. Nam res ſimplex poteſt eſſe virtualiter multiplex, & habere amplitudinem virtualem, vi cujus æquivaleat multis realiter diſtinctis in ordine ad præſtanda diverſa, & ad terminandos diverſos conceptus inadæquatos, proinde ad verificanda prædicata apparenter tantùm contradictoria; ut patet in Angelo, & anima rationali. Entitas autem divina in ſe ſimpliciſſima habet virtualem amplitudinem infinitam, & æquivalet (ſecluſa omni imperfectione) creaturis pluribus, & pluribus in infinitum.

Hinc entitati divinæ convenit aliquid prout æquivalet alicui enti creato, non prout æquivalet alteri: ac proinde entitas divina repræſentabilis eſt diverſis, & inadæquatis conceptibus: uno ſcilicet, prout æquivalet uni enti creato: & altero, prout æquivalet alteri. Quare verè dicitur: paternitas generat, eſſentia non generat; quamvis paternitas, & eſſentia non diſtinguantur realiter inter ſe. Nam ſenſus eſt: entitas divina generat, prout eſt talis entitas relativa, non prout

eſt

est cumulus omnium perfectionum absolutarum: entitas divina generat, prout æquivalet potentiæ creatæ, non prout æquivalet essentiæ creatæ.

Dico 2. Relationes divinæ distinguuntur virtualiter ab essentia divina.

Prob. Illa distinguuntur saltem virtualiter, de quorum uno affirmatur aliquid, quod negatur de alio. Nam idem non potest affirmari, & negari de eodem secundum idem omnino sine contradictione, & absurditate. Atqui de paternitate, & spiratione activa affirmatur, quod producant, de filiatione, & spiratione passiva, quòd producantur: utrumque autem negatur de essentia divina; & hæc affirmatio, & negatio erit de eodem secundum idem omnino, si non distinguantur virtualiter relationes ab essentia. Ergo revera illæ relationes distinguuntur virtualiter ab essentia: non enim distinguuntur realiter, ut probatum est.

Dici tamen potest, quod relationes divinæ distinguantur realiter inadæquatè ab essentia, non quatenus est essentia præcisè, sed ab essentia sumpta physicè pro eo omni, quod est realiter essentia. Nam singulæ relationes non sunt realiter idem cum eo omni, quòd est essentia, cùm distinguantur a relationibus sibi oppositis, essentiæ realiter identificatis.

ARTICULUS IV.

Utrùm relationes divinæ sint de conceptu essentiæ divinæ?

Dico 1. Relationes adintra non sunt de conceptu essentiæ divinæ, quæ proinde ab illis præscindit.

Prob. Quidquid est de conceptu essentiæ divinæ, convenit perfectè singulis tribus personis. At relationes adintra non conveniunt singulis personis: sic paternitas non convenit Filio, nec filiatio Patri: alioqui Filius esset Pater, & Pater esset Filius. Ergo relationes adintra non sunt de conceptu essentiæ divinæ. Major constat, quia quælibet persona est plenè, & perfectè Deus, & habet totam essentiam divinam, ut definit Conc. Lateran. IV. c. 2. ubi ait: *quælibet trium Personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, seu natura divina.*

Obj. 1. S. Th. 1. p. q. 27. art. 2. ad 3. dicit paternitatem, & filiationem includi in esse divino.

Resp. Includuntur in esse divino adæquatè sumpto, seu in esse, ut trinus, & unus est: non verò in esse divino inadæquatè sumpto, seu in esse Dei præcisè, ut unus est. Nam esse divinum adæquatè sumptum præter essentiam dicit relationes, quæ cum essentia constituunt Deum unum, & trinum.

Obj. 2. Hæc prædicatio: Deus est Pater, Filius, & Spiritus-sanctus: est essentialis. Ergo relationes sunt de conceptu essentiæ.

Resp. Nego anteced. Nam prædicatio illa neque est essentialis, seu spectans essentiam divinam; neque accidentalis; sed est substantialis; per substantiale intelligendo, quidquid pertinet ad constitutionem suppositi, quod est Totum substantiale. Igitur paternitas est aliquid substantiale; quia constituit Deum in esse talis suppositi; nempe in esse Patris: unde paternitas non est pars virtualis essentiæ, sed solùm suppositi. Idem dic de filiatione, & spiratione passiva.

Dico 2. Essentia divina non est de conceptu relationum divinarum. Unde relationes divinæ perfectè præscindunt ab essentia divina.

Prob. Si essentia divina esset de conceptu relationum, paternitas, & Filiatio formaliter sumptæ, essent in recto ipsa essentia divina. Falsum conseq. ergo. *Prob. min.* Si paternitas, & filiatio formaliter sumptæ, sunt in recto ipsa essentia, paternitas non potest generare, nec filiatio generari, quin ipsa essentia generet, & generetur: quod repugnat Concil Lateranensi IV. c. 2. *& illa res non est generans, neque genita, nec procedens.*

Obj. 1. Patres docent communia includi in conceptu propriorum. Ergo essentia divina est de conceptu relationum.

Resp. Nego conseq. Quia Patres loquuntur de propriis in concreto, id est, de per-

sonis divinis completè sumptis, quarum quælibet sic sumpta includit tùm proprietatem relativam, seu personalitatem, tùm essentiam divinam tribus Personis communem.

Obj. 2. Hæc propositio: paternitas est deitas, admissa est à concilio *Rhemensi.*

Resp. Admissa est non in sensu formali, seu secundum proprium utrique conceptum: sed in sensu reali, & identico contra Gilbertum Porretanum, essentiam à personis realiter distinguentem: ita ut sensus sit; paternitas est realiter, & entitativè deitas, sive entitas paternitatis est etiam entitas divinitatis. Sed non ideo idem est utriusque conceptus.

ARTICULUS V.

An, & quales perfectiones sint relationes divinæ?

DIco 1. Relationes adintra, etiam formaliter, ac secundùm se, & prout ab essentia virtualiter distinguuntur, sunt veræ perfectiones.

Prob. 1. Ex Patribus. S. Basilius, lib. 2. contra Eunomium ait: *bonum, & pulchrum est divinæ beatitudini Patrem esse.* S. Cyrill. Alex. lib. 2. Thesauri, c. 1. *Non potest esse perfecta deitas, nisi Filium habeat, & fructum ex se pariat.* S. Damascenus, l. 1. de fide, c. 11. relationes divinas vocat perfectiones personales.

2. Quia principia, & termini productionum præstantissimarum sunt veræ, ac positivæ perfectiones. Atqui ralationes adintra formaliter, & secundùm se sumptæ; vel sunt principia præstantissimarum productionum, ut paternitas, & spiratio activa: vel termini formales illarum, ut filiatio, & spiratio passiva. Ergo relationes divinæ secundùm se sunt perfectiones.

3. Relationes divinæ, prout virtualiter distinctæ ab essentia, sunt proprietates Deo convenientes ex infinitate ejus naturæ. At ejusmodi proprietates sunt sanè perfectiones. Ergo relationes divinæ sunt perfectiones.

Obj. 1. Si relationes divinæ sunt perfectiones, plus est perfectionis in tribus personis, quàm in una. Falsum consequens ergo.

Resp. Disting. sequel. maj. Plus est perfectionis relativæ, *conc. seq. maj.* Perfectionis absolutæ, *nego seq. maj.* Jam verò essentia divina, quæ est omnis perfectio absoluta, & inest singulis personis per identitatem, est eminenter omnis perfectio relativa. Quare singulæ personæ continent perfectiones relativas aliarum eminenter ratione essentiæ, quæ continet eminenter, quidquid est perfectionis relativæ in tribus personis: imo continet etiam radicaliter; quatenus natura divina per suam infinitam exellentiam est radix proprietatum relativarum, quippe quæ conveniunt Deo ratione infinitudinis naturæ divinæ.

Dices. Ex S. Augustino, l. de Trinitate c. 8. *Tantus est solus Pater, vel solus Filius, vel solus Spiritus-sanctus, quantus est simul Pater, Filius, & Spiritus-sanctus.*

Resp. Hoc ideo dicit, quia in una persona tantùm est perfectionis absolutæ, putà sapientiæ, bonitatis, potentiæ, &c. quantùm in tribus Personis simul. Et quia in qualibet Persona sunt eminenter omnes perfectiones relativæ.

Obj. 2. Hinc sequitur aliquam perfectionem relativam esse in Patre, quæ non est in Filio, putà paternitas.

Resp. Disting. Quæ non est in Filio formaliter, *conc.* æquivalenter, *nego.* Equidem paternitas non est in Filio formaliter; nam Filius non est formaliter Pater; sed est æquivalenter in Filio; quia filiatio æquivalet paternitati, & est tam bona Filio, quàm paternitas Patri. Nam filiatio in divinis tantam habet excellentiam, quantam paternitas; quia tantam habet intrinsecam necessitatem absolutam existendi, quantam habet paternitas, & tam essentialiter idem est cum divinitate, quàm paternitas.

Præterea, ut dixi, quælibet Persona habet etiam eminenter perfectiones omnes relativas: nam habet essentiam divinam, quæ est omnis perfectio absoluta, & simpliciter simplex: ideoque est eminenter omnis perfectio

fectio relativa, quæ est perfectio secundùm quid tantùm, & quam etiam continet radicaliter essentia divina; quatenus ratione infinitæ suæ excellentiæ radix est proprietatum relativarum.

Obj. 3. *Si relationes divinæ sunt perfectiones*, Pater est perfectior Spiritu sancto: nam habet duplicem relationem nempe paternitatem, & spirationem activam. Falsum conseq. ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Quia spiratio passiva est æqualis paternitati, & spirationi activæ simul sumptis; & spiratio passiva tam bona est Spiritui sancto, quam paternitas, & spiratio activa simul sumptæ, bonæ sunt Patri. Nam spiratio passiva tam essentialiter identificatur divinitati, & tantam habet intrinsecam necessitatem absolutam existendi. Quare in divinis tam perfectum est esse Spiritum sanctum, quam esse Patrem, & spiratorem.

Inst. Ergo spiratio passiva est melior paternitate sola.

Resp. Spiratio passiva non est melior paternitate entitativè sumpta. Nam paternitas, & spiratio activa sunt una, & eadem entitas relativa in Patre, cui æqualis est entitas relativa, quæ est in Spiritu sancto, nempe spiratio passiva. Unde sequitur solùm, quod entitas relativa Spiritus sancti sit perfectio major entitate relativa Patris inadæquatè sumpta, non verò adæquatè sumpta, nempe prout est paternitas simul, & spiratio activa.

Obj. 4. Unica est realiter in Deo perfectio. Ergo non dantur perfectiones relativæ, quæ essent plures realiter.

Resp. Disting. anteced. In Deo unica est realiter perfectio absoluta, *conc. ant.* relativa, *nego ant. & conseq.*

Dico 2. Relationes ad intra non sunt perfectiones simpliciter simplices, strictè loquendo, sed sunt perfectiones secundùm quid tantùm.

Prob. Perfectio simpliciter simplex, strictè loquendo, est ea, quæ in quovis ente, præcisè ut est ens, non excludit aliam perfectionem meliorem, vel æqualem: ita ut ens tali perfectione præditum, melius sit quobet alio ente ea destituto. Atqui relationes divinæ non sunt tales: nam paternitas à supposito aliquo divino excludit filiationem æque perfectam, ac bonam: filiatio paternitatem, spiratio passiva spirationem activam. Ergo relationes illæ non sunt perfectiones simpliciter simplices, strictè loquendo. Ergo cum sint perfectiones, restat, ut sint perfectiones secundùm quid.

Dici tamen possunt perfectiones simpliciter simplices, minùs strictè loquendo, seu per illas intelligendo perfectiones, quæ non excludunt alias meliores, sed solùm æquales.

Porro illæ relationes sunt infinitæ in ratione relationum. Nam sunt complementa substantialia naturæ divinæ in ratione naturæ; ideoque sunt infinita in genere relationum: complementa enim substantialia naturæ, debent proportionata esse naturæ, cujus sunt complementa. Itaque paternitas est infinita in ratione paternitatis, filiatio in ratione filiationis, &c.

ARTICULUS VI.

Utrùm relationes divinæ propriam existentiam habeant?

Dico relationes adintra habent propriam existentiam relativam, virtualiter distinctam ab existentia absoluta naturæ divinæ.

Prob. Quæ habent entitatem actualem propriam, habent existentiam propriam: nam entitas actualis, & existentia convertuntur. Atqui relationes divinæ adintra habent entitatem propriam relativam actualem, virtualiter distinctam ab entitate actuali absoluta naturæ divinæ: ergo habent etiam propriam existentiam relativam, &c. Minor constat; nam relationes adintra, prout distinctæ virtualiter ab essentia divina, sunt principia actualia productiva, vel termini actuales producti, ac proinde habent entitatem actualem.

Porrò cùm Patres agnoscunt in Deo unicum esse, seu existere, intelligunt esse, seu existere absolutum, & communicabile, non verò relativum.

COROLLARIUM.

Ex dictis intelliges 1. In Deo præter entitatem absolutam naturæ divinæ esse tres

entitates relativas inter se realiter distinctas, sed naturæ divinæ identificatas, nempe paternitatem, filiationem, & spirationem passivam.

2. In Deo præter unam existentiam absolutam esse etiam tres existentias relativas realiter inter se distinctas. Nam entitas actualis, & existentia sunt idem. Atqui in Deo est una entitas absoluta, & tres entitates actuales relativæ realiter inter se distinctæ. Ergo sunt etiam totidem existentiæ.

3. Præter æternitatem absolutam esse in Deo tres æternitates relativas. Nam in Deo præter existentiam absolutam interminatam sunt etiam tres existentiæ relativæ, carentes initio, & fine. Unde tres Personæ sunt tres æterni etiam substantivè, sed cum addito, *æternitate relativa*. Quod non repugnat Symbolo Athanasiano, in quo tres Personæ dicuntur non esse tres æterni, sed unus æternus: nam ibi agitur de æternitate absoluta.

4. In Deo præter unitatem, veritatem, & bonitatem transcendentalem absolutam, esse etiam tres unitates, tres veritates, & tres bonitates transcendentales relativas. Nam unitas, veritas, & bonitas transcendentales sunt affectiones, seu proprietates entitatis, ab ea inseparabiles. At in Deo præter unam entitatem absolutam, sunt tres entitates relativæ realiter inter se distinctæ. Ergo.

5. In Deo præter unam rem absolutam, esse etiam tres res relativas inter se realiter distinctas; nam omnis entitas est res. Ergo cùm in Deo sit una entitas absoluta cum tribus entitatibus relativis realiter inter se distinctis, sunt quoque una res absoluta, & tres res relativæ realiter inter se distinctæ.

CAPUT IV.

De Personis divinis generatim, & singillatim.

ARTICULUS I.

Quodnam sit constitutivum Personarum divinarum?

Nota 1. Persona à Boetio definitur, naturæ rationalis individua substantia, id est, naturæ intellectualis substantia singularis, totalis, & incommunicabilis alteri tanquam suppositò. Sive persona est intellectualis substantia, singularis, totalis, & ultimò completa, ideoque incommunicabilis alteri ut suppositò. Personalitas verò (quæ est abstractum personæ, & ejus constitutivum formale) est complementum ultimum, seu terminus naturæ intellectualis.

Nota 2. Suppositum est quid generalius, quàm persona. Nam suppositum est quælibet substantia singularis, totalis, & ultimò completa: sive ea sit purè materialis, ut brutum, & lapis: sive purè spiritualis, ut Deus, Angelus: sive partim spiritualis, & partim materialis, ut homo. Persona verò est suppositum intellectivum, sive dependenter à phantasmate, sive non: unde convenit tantùm Deo, Angelis, & hominibus.

Porro nunc usus Ecclesiæ obtinuit, ut vox hypostasis significet suppositum, & personam: aliquando tamen summitur in abstracto pro personalitate, vel subsistentia, seu suppositalitate.

Nota 3. In Deo sunt tres Personæ: nam in Deo sunt tres naturæ intellectualis substantiæ individuæ, & incommunicabiles alteri ut suppositò, sed relativæ: sunt tria complementa, seu tres termini naturæ. Cùm autem sint substantiæ individuæ, & complementa, seu termini unius, ejusdemque naturæ, habent aliquid commune, in quo conveniunt, & aliquid proprium, vi cujus inter se realiter distinguuntur, & incommunicabiles sunt alteri ut suppositò. Unde habent aliquid, quo materialiter (ut ajunt,) & quo formaliter constituuntur. Nam quando commune, & proprium in eandem rem conveniunt, res illa dicitur constitui materialiter per commune, & formaliter per proprium. Tota difficultas est de formali constitutivo personarum, an sit aliquid absolutum, an relativum. Nam evidens est materiale constitutivum personarum esse naturam divinam, utpote illis omnibus communem; cùm res constituatur materialiter per commune.

Dico. Personæ divinæ constituuntur formaliter, non per aliquid absolutum, sed per

per relationes adintra. Ita communiter, & ita constat, ut oppositum à multis censeatur errori proximum.

Prob. 1. Quia Scriptura, Patres, & Concilia Personas divinas semper exprimunt nominibus relativis, tanquam earum à se invicem distinctivis, ac singulis propriis; proindeque significantibus, aliquid relativum esse constitutivum formale illarum.

2. Quia prima Persona per relationem adintra constituitur formaliter, id est, tanquam per formale constitutivum. Ergo similiter aliæ Personæ sic constituuntur per relationem adintra: cùm eadem sit ratio pro omnibus. *Prob. antec.* Prima Persona constituitur formaliter per aliquid sibi proprium. Sed prima Persona nihil habet sibi proprium, nisi relationem adintra. Ergo prima Persona constituitur formaliter per relationem adintra, nempe paternitatem. *prob. min.* Ex Conc. Florentino, in decreto unionis, ubi ait: *omnia, quæ patris sunt, Pater ipse unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem.* Ergo Filius habet omnia, quæ Pater habet, præter solam paternitatem. Ergo Pater nihil habet proprium, nisi solam paternitatem, quæ est relatio adintra.

Sicut autem Pater nihil habet proprium, nec proinde aliud constitutivum formale, nisi solam paternitatem: ita Filius nil habet proprium, nisi solam filiationem; & Spiritus Sanctus nil habet proprium, nisi solam spirationem passivam. Nam Pater habet omnia, quæ habet Filius, præter esse Filium; item Pater, & Filius habent omnia, quæ habet Spiritus Sanctus, præter esse spiratum. Ergo sicut Pater nihil habet proprium, nisi relationem adintra, ita Filius, & Spiritus Sanctus. Ergo sicut Pater constituitur formaliter per relationem adintra, nempe per paternitatem, ita Filius per relationem adintra, nempe per filiationem, & Spiritus Sanctus per relationem adintra, nempe per spirationem passivam formaliter constituitur.

Obj. 1. Si Personæ divinæ constituuntur formaliter per relationes adintra, non sunt ad se, sed ad alterum. Falsum conseq. Alioqui persona Patris est persona Filii, & viciſſim. Ergo.

Resp. Personæ divinæ adæquatè sumptæ, sunt partim ad se, ratione scilicet naturæ divinæ, quæ est illarum materiale constitutivum; partim ad alterum ratione relationum, quæ sunt illarum formale constitutivum. Non idcirco tamen Pater dici potest Persona Filii, aut Filius Persona Patris: nam id, quod est ad alterum, non semper dicitur illius secundùm omnem denominationem; sed Persona patris est Persona Filii, quia est Filii pater, & viciſſim.

Obj. 2. Persona divina est simplex. Ergo non constituitur materialiter per essentiam, & formaliter per relationem adintra.

Resp. Nego conseq. Quia non constituitur sic per compositionem realem illarum, tanquam constitutivorum realiter distinctorum, sed per compositionem virtualem illarum, ut virtualiter distinctarum.

Obj. 3. Persona ut sic, seu persona, ut persona est aliquid absolutum. Ergo nulla constituitur formaliter per relationem.

Resp. Nego anteced. Nam persona ut sic, & prout abstrahit à creata, & increata, neque est absoluta, neque relativa; sed præscindit ab utraque, & dividitur in creatam, & increatam, creata est absoluta, increata est relativa.

ARTICULUS II.

Quot sunt subsistentiæ in Deo?

Nota. Subsistentia sumitur propriè, & impropriè. Sumpta impropriè idem sonat, quod perseitas; & est virtus existendi per se, id est, existendi independenter ab alio ut subjecto sustinente. Hinc constituit substantiam, estque illius abstractum: substantia enim est ens per se subsistens, id est, existens independenter ab alio tanquam subjecto sustentante.

Subsistentia propriè sumpta est abstractum suppositi, & idem est, ac suppositalitas; definiturque ultimum complementum substantiale naturæ; sive est complementum substantiale constituens cum natura substantiam individuam, totalem, completam, & incommuni

municabilem alteri ut ſuppoſito. Quare ſubſiſtentia eſt quid generalius, quàm perſonalitas; à qua differt ſicut genus á ſpecie: nam omnis perſonalitas eſt ſubſiſtentia, ſed non omnis ſubſiſtentia eſt perſonalitas; quia non omnis ſubſiſtentia eſt entis intellectualis. Subſiſtentia tamen aliquando ſumitur, & à Patribus ſæpe ſumpta eſt, concretè pro ſuppoſito.

Dico 1. In Deo ſunt tres ſubſiſtentiæ relativæ.

Prob. Subſiſtentiæ relativæ ſunt complementa ſubſtantialia relativa, naturam divinam ultimò terminantia. Atqui ſunt in Deo tria ejusmodi complementa. Ergo & tres ſubſiſtentiæ relativæ. *prob. maj.* Nam in Deo tres ſunt ſubſtantiæ relativæ incommunicabiles alteri ut ſuppoſito, nimirum Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: Ergo ſunt in Deo, tria complementa ſubſtantialia relativa naturam divinam ultimò terminantia.

Obj. Spiratio activa conſtituit ſpiratorem incommunicabilem Spiritui Sancto. Ergo ſpiratio activa eſt quarta ſubſiſtentia in Deo

Reſp. Nego conſeq, Quia ſpiratio activa non conſtituit ſpirationem incommunicabilem cuilibet alteri tanquam ſuppoſito: nam ſpirator reipſa communicatur Patri, & Filio tanquam ſuppoſitis. Unde ſpirator non eſt perſona a tribus aliis diſtincta, ſed duæ primæ perſonæ ſunt ſpirator, & tertia terminus ſpiratoris.

Dico 2. Non datur in Deo ſubſiſtentia eſſentialis, abſoluta, & communis, ſi ſubſiſtentia ſtrictè, ac propriè ſummatur, nempe pro perſonalitate.

Prob. Si daretur in Deo ſubſiſtentia, ſeu perſonalitas eſſentialis, abſoluta, & communis, eſſet in Deo ſuppoſitum eſſentiale, abſolutum, & commune tribus Perſonis. Quod repugnat: nam repugnat ſuppoſitū cōmune pluribus ſuppoſitis; ſuppoſitum enim eſt eſſentialiter incommunicabile alteri tanquam ſuppoſito.

Si autem ſubſiſtentia impropriè ſummatur, nempe pro perfeitate, conſtat eſſe in Deo ſubſiſtentiam eſſentialem, abſolutam, & communem tribus perſonis. Nam eſt in Deo virtus exiſtendi per ſe, & independenter ab omni ſubjecto ſuſtentante, quæ eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, eſſentialis, abſoluta, & communis tribus Perſonis.

Obj. 1. S. Agatho Papa in epiſtola ad Concilium ſextum generale ait: *Confitemur Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, non tres Deos, ſed unum Deum, non trium nominum ſubſiſtentiam, ſed trium ſubſtantiarum unam ſubſiſtentiam.*

Reſp. Eſt mendum in textu, & legi debet, *trium ſubſiſtentiarum unam ſubſtantiam*, ut re ipſa legitur in emendatioribus codicibus.

Obj. 2. Subſiſtere eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Ergo eſſentia divina ut ſic habet ſubſiſtentiam.

Reſp. Diſting. antec. Subſiſtere impropriè eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, *conc. ant.* Nam ſic ſubſiſtere eſt exiſtere per ſe independenter à ſubjecto ſuſtentante. Subſiſtere propriè eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, *nego ant.* Nam exiſtere incommunicabiliter non eſt perfectio melior, quàm alia incompoſſibilis, conveniens naturæ; cùm excludat à natura divina perfectionem meliorem, nempe communicabilitatem: melius eſt enim naturam divinam eſſe communicabilem tribus Perſonis divinis, quàm eſſe incommunicabilem.

Porro ſubſiſtere propriè non eſt perfectio in genere naturæ, ſed ſuppoſiti. Unde natura divina, ut virtualiter diſtincta à perſonalitatibus. non continet eam formaliter, ſed ſolùm radicaliter.

Obj. 3. Natura divina prout virtualiter diſtincta à perſonalitatibus divinis ſubſiſtit. Ergo datur ſubſiſtentia eſſentialis &c.

Reſp. Nego anteced. Si ſubſiſtentia propriè ſummatur. Nam non exiſtit incommunicabiliter; cum re ipſa tribus Perſonis divinis communicetur. Subſiſtit tamen ſubſiſtentia impropriè dicta; nam exiſtit per ſe, & independenter à ſubjecto ſuſtentante.

Obj. 4. Datur perſona communis tribus Perſonis. Ergo.

Reſp. Diſting. anteced. Datur perſona tribus Perſonis communis logicè, ſeu

cum-

cundùm conceptum, *conc. ant.* Nam conceptus personæ generatim sumptæ convenit tribus Personis divinis. Datur Persona tribus Personis communis physicè, seu secundùm entitatem, *nego ant.* Nam entitas relativa Patris non est entitas relativa Filii, nec Spiritus Sancti &, viciſſim.

ARTICULUS III.

De æqualitate, & prioritate, Personarum divinarum.

Nota. Æqualia dicuntur ea, quorum quantitas est eadem. Quantitas autem triplex est, nimirum quantitas molis, qualis est in continuis: quantitas numeri, qualis est in discretis: & quantitas perfectionis, qualis est in quibuslibet entibus sive corporeis, sive spiritualibus. Non potest hic agi, nisi de hac ultima quantitate.

Dico 1. Personæ divinæ sunt realiter æquales inter se. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Philipp. c. 2. *Qui cùm in forma DEI esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem DEO* (Patri,) 2. Ex doctrina Ecclesiæ, quæ in Præfatione Missæ de SS. Trinit. sic canit: *& in essentia unitas, & in Personis proprietas, & in majestate adoretur æqualitas.* 3. Ex Symbolo Athanasiano. *Totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* 4. Ratione. Quia ea sunt æqualia, quæ habent eandem quantitatem perfectionis sine excessu, & defectu. Nam æqualia dicuntur, quorum quantitas est eadem. Atqui Personæ divinæ habent eandem quantitatem perfectionis sine excessu, & defectu. Nam habent eandem numero essentiam, naturam, ac divinitatem, & omnes perfectiones absolutas, & simpliciter simplices: sicque sunt æquales secundùm essentiam, & perfectiones omnes simpliciter simplices. Habent quoque proprietates relativas æquè perfectas; sicque sunt æquales etiam secundùm proprietates illas: paternitas enim, filiatio, & spiratio passiva sibi invicem æquivalent, & nulla illarum superat, aut superatur in perfectione. Quare Personæ divinæ sunt inter se perfectè æquales secundùm omnes perfectiones tùm absolutas, tùm relativas.

Hinc Personæ divinæ sunt etiam inter se perfectè similes, cùm perfectè conveniant in perfectione. Ariani autem damnati sunt, quòd assererent Filium esse solùm similem Patri similitudine imperfecta, & adumbrata, qualem habere potest creatura cum DEO, negarentque esse æqualem, ac consubstantialem Patri.

Dico. 2. Datur in divinis vera, & realis prioritas Originis inter personam producentem, & productam. Ita Scotus, Suares, & alii multi.

Prob. Prioritas originis est ea, vi cujus unum est id, à quo est alterum, non viciſſim. Atqui hoc reperitur in divinis: nam persona producens est id, à quo est persona producta, non viciſſim. Ergo. Hinc in divinis Pater est prior origine, quàm Filius; & Pater, ac Filius sunt priores origine, quàm Spiritus Sanctus, secluſa omni imperfectione, & dependentia.

Obj. 1. Si datur prioritas originis inter Personas divinas, Pater est prior natura, quàm Filius. Falsum conseq. Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam prioritas naturæ propriè, ac strictè dicta est ea, vi cujus unum est id, à quo est alterum cum dependentia.

Obj. 2. In Symbolo Athanasiano dicitur: *In hac Trinitate nihil prius, aut posterius.*

Resp. Ibi agitur de prioritate, & posterioritate durationis, non originis, ut patet ex verbis immediatè sequentibus: *sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt.* Cum autem S. Thom. negat dari inter Personas divinas prioritatem, aut posterioritatem, nobis non contradicit, nisi penes voces. Nam admittit ordinem originis inter personam producentem, & productam: ordo autem dicit prioritatem, & posterioritatem.

ARTICULUS IV.

De Circum-insessione, & Missione in Personis divinis.

Dico 1. Datur circum insessio in Personis divinis.

Prob. Circum-insessio est mutua inexistentia

tia unius Personæ in alia. Sed quælibet Persona divina inexistit in alia reciprocè. Ergo. *Prob. min.* Ex Joann. c. 10. *Pater in me est, & ego in Patre.* Eadem autem est ratio pro Spiritu Sancto. Ratio est, quia in tribus Personis est una, eademque numero natura, cui identificantur personalitates. Unde ubicunque est natura divina, ibi sunt intimè præsentes Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: ac proinde Pater est in Filio, & Filius in Patre, & uterque in Spiritu Sancto, & hic in utroque.

Obj. Paternitas non est in Filio. Ergo Pater non est in Filio.

Resp. Paternitas non est in Filio constitutivè, seu ut constitutivum illius: at est in Filio præsentialiter.

Dico 2. Datur Missio in divinis.

Prob. 1. Ex Joann. c. 8. *Solus non sum; sed ego, &, qui misit me, Pater.* Et, c. 14. *Paraclitus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Et, c. 16. Christus de Spiritu Sancto dicit: *mittam eum ad vos.*

2. Ratione. Quia missio in divinis consistit in eo, quòd una Persona procedat ab alia, & in aliquo loco, in quo jam erat, incipiat novo modo esse per effectum, qui ei specialiter tribuatur. At in divinis una persona procedit ab alia, & in loco, in quo jam erat, incipit esse novo modo per effectum, qui ei specialiter tribuitur. Ergo datur missio in divinis, *major constat.* Nam missio dicit duplicem respectum, unum missi ad mittentem, & alterum missi ad terminum: qui enim mittitur, ab aliquo, & ad aliquem locum mittitur. Persona autem divina mitti non potest ab alia, nisi per processionem ab illa. Nam non potest mitti per imperium, ut servus à Domino mittitur: neque per consilium, ut ignarus à sapiente: neque per impetum, ut sagitta à sagittario mittitur; nam hi modi involvunt imperfectionem in misso. Ergo superest, ut Persona divina mittatur per originem, & processionem, sicut flores ab arboribus (secluså imperfectione) mittuntur; nam non est alius modus mittendi præter hos quatuor. Quoad secundùm respectum missionis, una Persona non potest mitti in locum, ubi priùs non erat, cùm habeat immensitatem, & sit semper ubique. Ergo superest, ut una Persona mittatur ad locum, in quo jam erat; sed in quo incipiat esse novo modo sine ulla imperfectione, nempe per effectum productum, qui Personæ missæ specialiter attribuatur.

Hinc Pater non potest mitti, cùm à nulla alia Persona procedat: at Filius verè mittitur à Patre: & Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, ut testatur etiam Scriptura.

Dico 3. Missio in divinis est temporanea, non æterna. Nam missio in divinis est complexum ex processione æterna, & productione effectus temporanei, vi cujus una Persona incipit esse novo modo in termino, ad quem mittitur. At illud complexum non est æternum, sed existit solùm in tempore. Ergo missio in divinis est temporanea. Hinc, illud, Gal. 4. *Ubi venit plenitudo temporis, misit DEUS Filium suum.*

Dico. 4. Missio Personæ divinæ aliquando invisibilis est, aliquando visibilis.

Prob. Nam missio invisibilis est, quando sine ullo signo sensibili producitur effectus internus, qui Personæ missæ specialiter attribuitur. Sic mittitur Spiritus Sanctus invisibiliter, quoties producitur in anima gratia sanctificans, nullo signo externo hujus gratiæ producto. Missio visibilis est, quando vel terminus, ad quem fit missio, est aliquid sensibile; sic visibiliter missus est Filius naturam humanam assumendo: vel producitur effectus internus, & spiritalis cum aliquo signo sensibili hujus effectus; sic missus fuit visibiliter Spiritus Sanctus die Pentecostes, cùm descendit super Apostolos in specie linguarum ignearum, eosque spiritualibus donis decoravit.

Porrò effectus creatus specialiter attribuitur Personæ alicui divinæ, vel ob modum, quo habet omnipotentiam; sic mundi creatio specialiter Patri tribuitur; quia habet à se, & à nullo alio potentiam creandi, eamque dat aliis Personis: vel ob modum processionis Personæ; sic gratia, & omnia dona supernaturalia, quæ sunt effectus specialis

lis benevolentiæ, & amoris DEI, attribuuntur ſpecialiter Spiritui Sancto; quia procedit per viam amoris, & accipit naturam divinam primò, & per ſe, ut eſt amor: vel ob unionem ſubſtantialem cum alia Perſona; ſic Incarnatio ſoli Filio attribuitur; quia ſolus Filius unitus eſt ſubſtantialiter naturæ humanæ, & ideo dicitur mitti à Patre in mundum.

ARTICULUS V.

Quot ſint notiones Perſonarum divinarum?

Nota. Notio generatim duplex eſt, nempe formalis, & objectiva. Notio formalis eſt actus cognoſcendi, ſeu cognitio. Notio objectiva eſt objectum ipſum, quod cognoſcitur: unde notio objectiva convenit cuilibet rei cognoſcibili. Notio autem prout ſpecialiter attribuitur Perſonis divinis eſt id, ex quo cognoſcitur una Perſona ut diſtincta ab alia, vel aliis: ſive eſt perfectio perſonalis, ſeu ratio objectiva per modum formæ ſignificata, per quam una Perſona diſtinguitur ab alia. Unde ex uſu notio, & actus notionales inter ſe differunt: nam actus notionalis idem eſt, ac perſonæ productio, quæ duplex eſt, nempe generatio, & ſpiratio activa.

Dico. Rectè à S. Thoma aſſignantur quinque notiones in divinis, ſcilicet innaſcibilitas, ſeu improducibilitas, paternitas, filiatio, ſpiratio activa, & ſpiratio paſſiva, ſeu proceſſio. Nam etſi fortè plures notiones Perſonarum divinarum aſſignari poſſint, ſaltem illæ quinque ſunt præcipuæ, & ad eas cæteræ facilè revocari poſſunt, atque ad notificationem, ac diſtinctionem perſonarum ſufficiunt.

Ex illis autem quinque notionibus quatuor duntaxat ſunt proprietates ſtrictè ſumptæ: nam ſpiratio activa non eſt proprietas; cùm Patri, & Filio conveniat. Item quatuor tantùm ſunt relationes: nam innaſcibilitas non eſt relatio, niſi per reductionem. Tres verò tantùm ſunt notiones perſonales, hoc eſt, conſtituentes perſonas, nempe paternitas, filiatio, & ſpiratio paſſiva, ſeu proceſſio; nam innaſcibilitas, & ſpiratio activa vocantur notiones perſonarum, non verò perſonales.

ARTICULUS VI.

Quænam ſit proprietas Patris?

Nota. 1. Nomen Patris, prout DEO tribuitur, ſumitur tripliciter. 1. Latè, pro Creatore. 2. Minùs latè, pro DEO ut juſtificatore, & creaturas intellectuales, nempe Angelos, & homines in filios adoptante. In hoc utroque ſenſu nomen Patris eſt commune tribus Perſonis. 3. Strictè, & notionaliter, pro principio generativo Filii conſubſtantialis, id eſt, unius, ejusdemque naturæ cum ſuo principio. Nomen Patris ſic ſumptum eſt proprium primæ Perſonæ.

Similiter Paternitas ſumitur tripliciter. 1. Latè pro creatione activa, qua DEUS eſt Creator. 2. Minùs latè, pro juſtificatione activa, qua DEUS eſt Juſtificator. Paternitas in hoc utroque ſenſu convenit tribus Perſonis. 3. Pro proprietate relativa, qua prima Perſona ſecundam poteſt proximè generare, & re vera generat. In hoc ſenſu hic ſumitur; poteſtque repræſentari duplici conceptu: uno, præcisè ut eſt id, quo Pater poteſt *generare Filium*; & ſic ſumpta eſt præcisè vis generandi: altero, ut eſt id, quo re vera Pater generat Filium; & ſic ſpectata eſt generatio activa, conſtituitque Patrem in eſſe Patris.

Nota. 2. Innaſcibilitas, ut ex uſu, & ſenſu Eccleſiæ tribuitur primæ Perſonæ, eſt negatio cujuslibet proceſſionis realis, in Deo poſſibilis. Dico, *realis*; nam Pater procedit virtualiter ab eſſentia divina, ut intellectio eſt; quatenus ab ea, ut intellectio eſt, emanat virtualiter paternitas; nam ideo eſt in DEO paternitas, quia eſt intellectio.

Dico 1. Paternitas eſt prima proprietas Patris.

Prob. Paternitas conſtituit Patrem; nam ex Conciliis prima Perſona eſt Pater, quia habet Filium. Paternitas autem non conſtitueret Patrem, ſi eſſet alia proprietas ipſa prior, ſed ſupponeret jam conſtitutum ab illa alia proprietate priore.

Dico 2. Paternitas convenit Patri proximè ratione intellectionis necessariæ.

Prob. Paternitas, quæ est fœcunditas adintra, convenit Patri secundùm intellectionem, vel volitionem: nam fœcunditas adintra convenit DEO modo perfectissimo; ideóque secundùm actus vitales immanentes, intellectionem scilicet, & volitionem, utpotè præstantissimos. Atqui paternitas non convenit Patri secundùm volitionem: nam terminus à Patre productus est Verbum, & sermo Patris; ideóque pertinet ad *intellectum*, non ad voluntatem. Ergo paternitas convenit Patri secundùm intellectionem, & quidem necessariam; cùm ei necessario conveniat.

Porrò intellectio, quæ est communis tribus Personis, fundat paternitatem, & exigit esse paternitatem in Patre tantùm: nam non fundat, nec exigit eam in Filio, & Spiritu Sancto; cùm paternitas sit tantùm in Patre per identitatem, non in aliis Personis.

Dico. 3. Innascibilitas est altera proprietas Patris. Nam soli Patri convenit: solus enim Pater habet negationem omnis processionis realis in DEO possibilis; cùm solus non procedat realiter, & aliæ Personæ procedant ab alia Persona.

ARTICULUS VII.

Utrùm Filius in divinis sit Verbum Patris? & quomodo?

NOta. Fide constat, Filium esse Verbum: nam Filius est Persona divina incarnata. Persona autem incarnata est Verbum, ex Joann. c. 1. *In principio erat Verbum .... Et Verbum caro factum est.* Quare secunda Persona est Filius, & Verbum: est Filius, quatenus est suppositum vivens, procedens à supposito vivente ut principio conjuncto in similitudinem naturæ: est Verbum, quatenus est aliquid primò, & immediate expressivum eorum, quæ novit Persona, à qua producitur: est autem sic expressivum, quatenus accipit naturâ divinâ primò, & per se, ut est intellectio, & scientia eorum omnium, quæ novit Pater. Hinc prima Persona producendo secundam generat, & loquitur alteri.

Dico 1. Filius est Verbum Patris notionale, non essentiale.

Prob. 1. Est Verbum Patris: nam est Verbum illius, à quo producitur. Filius autem producitur à Patre.

2. Est Verbum notionale Patris. Nam Verbum notionale est illud, quod à Patre productum, est primo, & immediatè vi processionis suæ expressio, seu repræsentatio eorum, quæ scit Pater. Atqui Filius est aliquid productum à Patre, quod primo, & immediatè vi processionis suæ est expressio eorum, quæ scit Pater. Ergo Filius est Verbum notionale Patris. *Prob. maj.* Nam Filius vi suæ processionis est primò, & imediatè intellectio Patris; quatenus cùm procedat per intellectum, identificatur naturæ divinæ primo, & per se, ut ipsa est intellectio, & scientia rerum omnium necessariarum.

Filius autem non est Verbum essentiale Patris. Quia Verbum essentiale Patris est, quo Pater sibi loquitur, seu quo Pater constituitur intelligens, estque ipsamet intellectio divina, quæ non producitur, & tribus Personis communis est.

Dico 2. Solus Filius est Verbum notionale Patris.

Prob. Quia solus Filius procedit per viam intellectus, & vi processionis suæ accipit naturam divinam primò, & per se, ut est intellectio, & scientia necessaria: unde solus vi suæ processionis est expressio vitalis eorum, quæ scit Pater. Nam Spiritus Sanctus procedit per viam voluntatis, & sic vi suæ processionis identificatur naturæ divinæ primò, & per se, ut est amor. Quare Verbum est nomen Personæ Filio proprium; cùm solus sit Verbum notionale.

Obj. S. Basilius, lib. 5. contra Eunomium ait: *DEI quidem Verbum est Filius: Verbum autem Filii Spiritus.*

Resp. Spiritus Sanctus dici potest Verbum Patris, & Filii latè, & impropriè quatenus à Patre, & Filio accipit naturam divinam

divinam consecutivè, non autem primò, & per se, ut est scientia.

Observa 1. In homine duplex est Verbum, nempe internum, & externum. Verbum internum est intellectio, qua homo fit formaliter intelligens. Externum sunt voces externæ, quibus homo manifestat alteri intellectionem suam. Internum respondet Verbo essentiali divino: externum notionali: cum hoc tamen discrimine, quòd Verbum internum hominis sit entitas modalis transiens, ac desinens: & externum consistat in sonis ex instituto hominum significantibus. Verbum verò essentiale in DEO sit realiter ipsa essentia divina, ut per se ipsam percipiens, ac intelligens: & notionale sit persona consubstantialis personæ loquenti. Sicut autem Verbum propriè dictum in humanis est Verbum externum; homo enim non loquitur propriè, ac strictè, cùm sibi, sed cùm alteri loquitur: nam non propriè, ac strictè loquitur, cùm intelligit; sed cùm alteri intellectionem suam communicat: ita in divinis Verbum propriè, ac strictè dictum est Verbum notionale. Quare in divinis solus Pater propriè, & strictè loquitur; cùm ab eo solo sit Verbum propriè, & strictè dictum. Hinc, cùm Scriptura toti Trinitati tribuit *verbum*, & *dicere*, ut, Psal. 32. *Verbo Domini Cœli firmati sunt.... Ipse dixit, & facta sunt*: sumit *verbum*, & *dicere* impropriè; nempe pro libero, & efficaci decreto divinæ voluntatis circa operationes adintra: aut etiam pro ipsis operationibus adextra. Similiter dum Scriptura ait, Filium, vel Spiritum Sanctum loqui ea, quæ audivit, loquitur de Verbo creato à tribus Personis producto, quod uni Personæ specialiter attribuitur; quodque duplex est, unum vocale consistens in vocibus externis: alterum mentale consistens in illustratione intellectus.

Itaque Pater propriè, ac strictè loquitur soli Filio; quatenus soli Filio communicat naturam divinam primò, & per se, ut est intellectio, ac proinde ut est expressio eorum, quæ scit Pater. Impropriè tamen, & latè Pater, & Filius, loquitur Spiritui Sancto; quatenus communicando illi naturam divinam, ut est amor, communicant illi consecutivè, ut est intellectio, & manifestatio eorum, quæ sciunt.

Observa 2. Prima Persona loquitur verbum ut terminum locutione productum: loquitur verbum ut objectum: loquitur per verbum: & loquitur verbo. 1. Loquitur verbum ut terminum locutione productum; quatenus verè producit Verbum. 2. Loquitur verbum ut objectum, sicut etiam essentiam divinam, se ipsum, Spiritum Sanctum, & possibilia; quatenus producendo secundam Personam, communicat illi essentiam divinam primò, & immediatè, ut est intelligentia sui, trium Personarum, & possibilium. 3. Loquitur per Verbum; quia cùm Verbum sit vi processionis suæ primò, & immediatè manifestatio eorum, quæ scit prima Persona, prima Persona Verbum producendo, primò, & immediatè manifestat ea, quæ scit. 4. Loquitur ipsi Verbo; quia producendo Verbum communicat ei primò, & immediatè intellectionem suam, & sic communicando, primo, & immediatè manifestat ei ea, quæ novit. Nam loqui alteri est ei manifestare suam cogitationem. Pater autem loquitur ipsi Verbo ut alteri Personæ, cùm Verbum sit Persona altera, realiter distincta à prima.

ARTICULUS VIII.

Utrùm Filius sit imago Patris?

Nota. Ex S. Thoma ad rationem imaginis requiruntur duo. 1. Similitudo in natura specifica, vel in signo aliquo naturæ specificæ, quod juxta ipsum in rebus corporeis est maximè figura. Natura autem individua longè magis ad rationem imaginis sufficit. 2. Origo, ita ut imago ab eo, cujus est imago, procedat aliquo modo, scilicet vel ut principio productivo, sicut Filius procedit á Patre; vel ut causa exemplari, ut pictura procedit à prototypo; vel ut determinante, ut cognitio procedit ab objecto intellectum determinante per se, vel per speciem sui ad cognitionem. Quare triplex

est imago: nimirum naturalis, artificialis, & intentionalis. Sic Filius est imago naturalis Patris: domus est imago artificialis sui exemplaris: & cognitio est imago intentionalis objecti, à quo ut determinante procedit.

Dico 1. Filius in divinis est imago Patris.

Prob. 1. Ex Scriptura, Coloss. c. 1. *Qui est imago DEI invisibilis*: ubi tò *DEI* supponit pro prima Persona, Et, Hebr. c. 1. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* 2. Ex Patribus, apud Petavium, & alios. 3. Ratione. Quia Filius procedit à Patre ut à principio productivo, & vi suæ processionis accipit eandem numero naturam, quam habet Pater, & quidem ut est expressio, & repræsentatio sui principii. Ergo est naturalis imago Patris. Est etiam ejus imago intentionalis, seclusis imperfectionibus, quæ in creatis reperiuntur; nam procedit à Patre ut principio productivo, & vi suæ processionis est primò, & immediatè perfectissima intellectio Patris, ideòque primò, & immediatè perfectissima ipsius expressio, ac similitudo intentionalis.

Obj. Una, eademque est natura in Patre, & in Filio. Ergo Filius non est similis Patri, nec proinde ejus imago.

Resp. Nego conseq. Nam ad similitudinem duo requiruntur, & sufficiunt, nempe distinctio realis plurium, & eorundem convenientia in aliqua forma, seu quasi forma: sive hæc forma, aut quasi forma sit in eis una, & eadem numero, sive non sit. Nam similia dicuntur ea, quorum qualitas, seu forma, aut quasi forma est eadem, scilicet vel specie, vel numero. Igitur Pater, & Filius sunt similes, & quidem perfectissimè; quia perfectissimè conveniunt in natura divina, cùm sit eadem numero in illis.

Dico 2. Filius est imago solius Patris. Quia in divinis ad rationem imaginis requiritur processio realis, & Filius à solo Patre procedit realiter. Cùm autem Filius dicitur esse figura subsantiæ Patris, sensus est, quòd Filius sit expressa, & perfectissima imago, ac similitudo Patris, per se primò immediatè naturam ejus perfectissimè exprimens; quatenus vi suæ processionis accipit naturam divinam, ut est primò, & per se intellectio, & expressio vitalis eorum, quæ novit Pater: nempe ipsius essentiæ divinæ, & personæ Patris, atque aliarum personarum.

Dico 3. Solus Filius in divinis est imago. Quia solus Filius realiter procedit in similitudinem naturæ, & sic solus est imago naturalis. Est etiam solus imago intentionalis; quia solus est vi suæ processionis primò, & per se expressio, ac repræsentatio sui principii: nam solus accipit naturam divinam primò, & per se, ut est intelligentia, & scientia necessaria.

Quare Spiritus Sanctus dici non potest, nisi latè, imago Patris, & Filii; quatenus ab utroque procedit cum perfecta similitudine in natura, quamvis non per se primò vi suæ processionis: quod tamen requiritur ad rationem imaginis strictè dictæ.

Porrò Filius est etiam sapientia Patris, non quidem essentialis, cùm non sit id, quo Pater constituitur formaliter sapiens: sed notionalis; quatenus vi processionis suæ accipit à Patre naturam divinam primò, & per se, ut est sapientia, seu scientia rerum omnium.

ARTICULUS IX.

De nominibus tertiæ Personæ.


Dico. Tria sunt præcipuè nomina tertiæ Personæ, videlicet spiritus, amor, & donum.

1. Nomen spiritus appropriatur tertiæ Personæ, eò, quòd procedat per viam amoris, cujus proprium est impellere amantem in amatum, & spiritus in rebus corporeis significet impulsum, & motionem, ut docet S. Thomas. Quare tertia Persona vocatur specialiter Spiritus, quia est persona procedens per modum impulsus personæ amantis in amatam; quatenus Spiritus S. vi suæ processionis accipit naturam divinam primò, & per se, ut est amor Patris, & Filii. Nomen verò spiritus secundùm primariam, & strictam significationem significat substantiam immaterialem, ac proinde in hac significatione est commune tribus Personis.

2.

2. Nomen amoris, quod propriè, & strictè significat actum voluntatis, quo quis formaliter amat, appropriatur Spiritui Sancto, eò, quòd procedat per viam amoris, & vi suæ processionis accipiat primò, ac immediatè naturam divinam, ut est actus, quo Pater, & Filius se mutuò formaliter amant: nam Pater, & Filius se mutuò formaliter amant amore essentiali: nec dici possunt, nisi impropriè, se amare Spiritu Sancto.

3. Nomen doni, quod est primariò, & strictè bonum alicui liberaliter datum, appropriatur Spiritui Sancto, eò, quòd procedat per modum amoris, & proinde per modum primi doni: nam amor est primum, & præcipuum donum, vi cujus cætera omnia liberaliter, & gratuitò dantur.



Erra-

Errata. *Corrigenda*

Fol.	*Colum.*		*Linea.*		
62.	1.	à fine	7.	ſed Semipelagianis.	ſed in Semipelagianis.
64.	1.	à fine	5.	objic. 2do.	objic. 3.
ibidem	2.		2.	convitione	conditione.
ibidem			33.	ut DEUS ſe habeat.	ut DEUS aliter ſe habeat.
105.	1.	à fine	6.	cap. 15.	cap. 25.
118.	2.		5.	Tibi	ibi.
146.	1.		13.	adjungi	adjungere.
ibidem			14.	exprimi	exprimere.
160.	1.		18.	alter	altera.
167.	2.		10.	Articulus VI.	Articulus IV.
187.	1.		8.	ſi	ſit.
201.	2.		28.	proprietate	prioritate.
205.	1.		33.	generetur	generatur.

TRACTATUS THEOLOGICUS DE GRATIA, MERITO, LEGIBUS, ET PECCATIS.

AUTHORE

R. P. PAULO GABRIELE ANTOINE Societatis Jesu Presbytero, Sacræ Theologiæ Doctore, & Professore.

CASSOVIÆ,

Typis Academicis Societatis JESU, Anno 1757.

INDEX TRACTATUS DE GRATIA.

QUæstio præambula de varia acceptione, & divisione Gratiæ. Pag. 1.

CAPUT I. *De erroribus Pelagianorum, Semipelagianorum, & Jansenii.* 3.

ARTICULUS I. *Pelagianorum errores circa Gratiam.* ibid.

Quæres, *Utrùm Pelagiani admiserint Gratiam habitualem, seu sanctificantem?* 5.

ART. II. *De qua Gratia controversia fuerit Catholicos inter & Pelagianos?* ibid.

ART. III. *Errores Semipelagianorum circa Gratiam.* 11.

ART. IV. *Utrùm Semipelagiani admiserint necessitatem Gratiæ interioris prævenientis ad initium salutis?* 13.

ART. V. *Utrùm controversia fuerit Catholicos inter & Semipelagionos de Gratia necessitante?* 17.

ART. VI. *De erroribus Jansenii Iprensis, & ejus Sectatorum.* 19.

CAPUT II. *De diversis naturæ statibus.* 23.

ART. I. *Utrùm status naturæ purè sit possibilis?* ibid.

ART. II. *Utrùm status naturæ integræ differat à statu naturæ purè, & statu naturæ innocentis?* 28.

ART. III. *Utrùm natura lapsa sit inferior, quàm esset natura pura?* 30.

ART. IV. *In quo differant Gratia medicinalis, quæ scilicet nunc hominibus lapsis datur: & Gratia sanitatis, quæ scilicet data est Adamo in statu innocentiæ?* 31.

CAPUT III. *De Gratia efficaci.* 35.

ART. I. *Utrùm Gratia efficax consistat in auxilio excitante voluntatem ad consensum physicè determinante, seu necessitante?* ibid.

Quæres 1. *Utrum doctrina Jansenii discrepet à doctrina Calvini de Gratia & libero arbitrio damnata à Concilio Tridentino?* 52.

Quæres 2. *In quibus capitibus doctrina Jansenii quoad Gratiam, & liberum arbitrium differat à doctrina defensorum Physicæ Prædeterminationis?* 54.

ART. II. *Utrùm Gratia efficax consistat in Gratia excitante moraliter determinante, seu necessitante voluntatem ad consensum?* 56.

ART. III. *Utrùm Gratia efficax consistat in Gratia adjuvante, physicè prædeterminante, seu in Prædeterminatione Physica ad bonum salutare?* 61.

ART. IV. *Exponitur sententia de Gratia efficaci, quæ videtur esse sententia S. Augustini, & vera.* 71.

CAPUT IV. *De Gratia sufficienti.* 95.

ART. I. *Utrum detur Gratia sufficiens?* ibid.

ART. II. *Utrùm Fidelibus justis detur Gratia sufficiens ad servanda DEI præcepta, & ad perseverandum in statu justitiæ?* 102.

ART. III. *Utrùm Fideles peccatores habeant Gratiam sufficientem ad conversionem?* 107.

Quæres. *Utrùm excæcati, & obdurati habeant Gratiam saltem remotè sufficientem ad servanda mandata, quando urgent?* 110.

ART. IV. *Utrùm Infidelibus omnibus detur Gratia sufficiens ad salutem?* 111.

CAPUT V. *De necessitate Gratiæ.* 119.

ART. I. *Utrùm homo possit sine Gratia interna aliquid conducens ad salutem?* ibid.

ART. II. *Utrùm, & quando justus indigeat Gratia actuali?* 125.

ART. III. *Utrùm homo sine Gratia possit superare aliquam tentationem?* 128.

ART. IV. *Utrùm ſine Gratia interiore credi poſſint myſteria Fidei?* 130.
ART. V. *Utrùm DEUS amari poſſit ſolis naturæ viribus?* 131.
ART. VI. *Utrùm ſine Gratia ſervari poſſint omnia Legis naturalis præcepta?* 133.
ART. VII. *Utrùm homo ſine Gratia poſſit bonum aliquod morale facere?* 134.

CAPUT VI. *De Juſtificatione Impii, ſeu Peccatoris.* 140.

ART. I. *In quo conſiſtat juſtificatio peccatoris?* ibid.
ART. II. *Utrùm in juſtificatione impii fiat vera peccatorum remiſſio?* 141.
ART. III. *Utrùm in juſtificatione impii infundatur juſtitia inhærens?* 142.
ART. IV. *Utrùm juſtitia inhærens ſit habitualis, an actualis?* 143.
ART. V. *In quo conſiſtat juſtitia inhærens habitualis, ſeu Gratia Sanctificans?* 145.
ART. VI. *Utrùm in juſtificatione infundantur etiam virtutes morales ſupernaturales in Entitate.* 147.
Quæres, *Utrùm etiam dona Spiritus Sancti in juſtificatione infundantur?* 148.
ART. VII. *Quinam ſint effectus formales Juſtitiæ inhærentis, ſeu Gratiæ habitualis?* ibi.
Quæres, *An poſſibilis ſit condonatio peccati merè extrinſeca?* 150.
ART. VIII. *Quænam ſint cauſæ juſtificationis impii?* ibid.
ART. IX. *Utrùm aliqua diſpoſitio requiratur ad juſtificationem?* ibid.

TRACTATUS DE MERITO.

ART. I. *Utrùm bona Juſtorum opera ſint meritoria vitæ æternæ, & quidem de condigno?* 154.
ART. II. *Quid ex parte DEI requiratur ad meritum de condigno?* 161.
ART. III. *Quid ex parte merentis requiratur ad meritum condignum?* 162.
ART. IV. *Quid ex parte operis requiratur ad meritum condignum?* 163.
ART. V. *Ex quibus capitibus creſcat meritum bonorum operum Juſti?* 167.
ART. VI. *Quænam cadunt ſub meritum?* ibid.
ART. VII. *De Merito congruo.* 170.
ART. VIII. *Utrùm liceat bonum agere intuitu mercedis æternæ?* ibid.
ART. IX. *Utrùm perfectio viæ, ſeu hujus vitæ excludat deſiderium, & amorem beatitudinis: ſeu includat indifferentiam circa ſuam ſalutem, ac felicitatem æternam?* 172.

TRACTATUS DE LEGIBUS.

SECTIO I. *De Lege in communi.* 177.

Quæſt. I. *Quid eſt Lex?* ibid.
Quæſt. II. *Quomodo Lex differt à præcepto?* 178.
Quæſt. III. *An Lex omnis neceſſariò obliget?* 179.
Quæſt. IV. *Quomodo dividitur Lex?* ibid.

SECTIO II. *De Lege Divina.* ibid.

Quæſt. I. *Quid eſt Lex æterna?* ibid.
Quæſt. II. *Quid eſt Lex naturalis?* ibid.
Quæſt. III. *An Lex naturalis præcipit, ut ſemper fiant actus honeſti, ac boni?* 180.
Quæſt. IV. *An Lex naturalis poteſt mutari?* ibid.
Quæſt. V. *An ſaltem DEUS poteſt diſpenſare in aliquo præcepto Legis naturalis?* ibid.
Quæſt. VI. *Quid eſt Lex poſitiva?* 182

SECTIO III. *De Lege Humana.* 183.

CAPUT I. *De cauſa efficiente, & materia Legis humanæ.* ibid.

Quæſt. I. *Quinam poſſunt ferre Leges, & quibus?* ibid.
Quæſt. II. *Quid poteſt ſtatuere Lex humana?* 184.
Quæſt. III. *An Lex humana poteſt præcipere actus internos?* 185.

Quæſt.

Quæſt. IV. *An Eccleſia poteſt præcipere, vel probibere actus merè internos?* 186.
Quæſt. V. *An Lex ponit rem præceptam in ea virtute, ex cujus motivo, etiam extrinſeco præcipitur?* 187.
Quæſt. VI. *An, qui violant Legem humanam de actu virtutis alicujus, v. gr. Religionis, peccet ſolùm contra obedientiam?* ibid.

CAPUT II. *De obligatione Legis humanæ.* ibid.

Quæſt. I. *An Principes Eccleſiaſtici, & Sæculares poſſint etiam Fidelibus ferre Leges obligatorias in conſcientia, ita ut earum transgreſſio ſit offenſa DEI, etiam mortalis in re gravi?* ibid.
Quæſt. II. *Quandonam Lex humana obligat ſub mortali culpa?* 189.
Quæſt. III. *An Legislator poteſt in materia gravi obligare ſolùm ſub veniali?* 190.
Quæſt. IV. *An Leges fundatæ in præſumptione obligant in conſcientia?* 191.
Quæſt. V. *An Lex humana poteſt obligare cum gravi nocumento ſeu damno?* ibid.
Quæſt. VI. *An, & qualis promulgatio requiritur, ut Lex obliget?* 192.
Quæſt. VII. *An, ut Leges Papæ obligent in Provinciis, debent eſſe in illis promulgatæ?* 194.
Quæſt. VIII. *An, ut Leges humanæ obligent, requiritur acceptatio, ſeu conſenſus majoris partis Communitatis?* ibid.

CAPUT III. *De modo, quo obſervandæ ſunt Leges?* 196.

Quæſt. I. *An ad ſatisfaciendum præcepto requiritur intentio illi ſatisfaciendi?* ibid.
Quæſt. II. *An ad ſatisfaciendum Legi debet intendi finis Legis?* 197.
Quæſt. III. *An ſatisfaciat præcepto qui opus illius exequitur actu ex fine, vel circumſtantia mala?* ibid.
Quæſt. IV. *An per unum eundemque actum poſſunt impleri plura præcepta?* 198.
Quæſt. V. *An eodem tempore pluribus præceptis ſatisfieri poteſt per plures actus?* ibid.
Quæſt. VI. *An peccat, qui ponit voluntariè impedimentum impletioni Legis?* ibid.
Quæſt. VII. *An, qui non poteſt totum opus præceptum implere, tenetur ad partem, quam poteſt?* 199.
Quæſt. VIII. *Quid agendum, quando ſimul occurrunt duo præcepta, quæ ſimul ſervari nequeunt?* ibid.

CAPUT IV. *De ſubjecto Legum.* 200.

Quæſt. I. *Quinam Legibus humanis ſubjiciuntur?* ibid.
Quæſt. II. *An exempti à jurisdictione Legislatoris obligantur illius Legibus ex vi illarum, ſi in ejus territorio habitent?* ibid.
Quæſt. III. *An Legislator obligatur Legibus ſuis, vel Prædeceſſorum?* 201.
Quæſt. IV. *An Clerici obligantur Legibus Civilibus?* 202.
Quæſt. V. *An Peregrini tenentur Legibus ſui territorii proprii?* ibid.
Quæſt. VI. *An, qui è ſuo domicilio, ubi Lex obligat, abit in locum, ubi non obligat, tenetur illam implere, antequam exeat?* 203.
Quæſt. VII. *An Peregrini tenentur Legibus ſpecialibus loci, in quo verſantur?* 204.

CAPUT V. *De Interpretatione, & Epikiia.* 205.

Quæſt. I. *Quid, & quotuplex eſt interpretatio Legis?* ibid.
Quæſt. II. *Quænam ſunt Regulæ aptæ ad rectè faciendam interpretationem doctrinalem?* ibid.
Quæſt. III. *Quandonam licet uti Epikija?* 207.

CAPUT VI. *De Diſpenſatione.* ibid.

Quæſt. I. *Quinam habent poteſtatem diſpenſandi?* ibid.
Quæſt. II. *An peccat, qui diſpenſat etiam in propria Lege ſine juſta cauſa?* 209.
Quæſt. III. *An diſpenſatio ſine juſta cauſa ſcienter data valida eſt?* ibid.
Quæſt. IV. *An licet uti diſpenſatione valida ſine juſta cauſa obtenta?* 210.
Quæſt. V. *Quandonam diſpenſatio invalida eſt ex parte petitionis?* 211.

Quæſt.

Quæst. VI. *An valet dispensatio, si post petitionem causa cesset?* ibid.

CAPUT VII. *De Abrogatione, & Cessatione Legis.* 222.

Quæst. I. *An Lex potest validè, & licitè abrogari?* ibid.

Quæst. II. *Quandonam Lex cessat per se ipsam?* 213.

CAPUT VIII. *De Lege pœnali, & irritante.* ibid.

Quæst. I. *An extent Leges pœnales?* ibid.

Quæst. II. *An, & quando Lex pœnalis obligat ad subeundam pœnam ante omnem sententiam Judicis?* 214.

Quæst. III. *An ignorantia excusat à reatu pœnæ?* 215.

Sed an, qui ponit actum aliquem Lege Divina, & humana prohibitum, excusatur à pœna Legis humanæ, si ignoret inculpabiliter solam Legem humanam? 216.

Quæst. IV. *Quid est Lex irritans, & quinam ejus effectus?* ibid.

CAPUT IX. *De Privilegio, & Consuetudine.* 217.

Quæst. I. *Quid, & quotuplex est Privilegium?* ibid.

Quæst. II. *Quis Privilegium concedere potest?* ibid.

Quæst. III. *Quot modis Privilegium amittitur?* 218.

Quæst. IV. *Quid est Consuetudo?* ibid.

Quæst. V. *An, & quæ Consuetudo habeat vim Legis?* ibid.

Quæst. VI. *An Consuetudo potest abrogare Legem?* 219.

Quæst VII. *An Consuetudo etiam immemorialis potest abrogari per Legem contrariam subsequentem?* 221.

TRACTATUS DE PECCATIS.

CAPUT I. *De Peccato generatim spectato.* 222.

ART. I. *Quid sit peccatum propriè, ac strictè sumptum?* ibid.

ART. II. *Quomodo dividatur peccatum?* 224.

CAPUT II. *De Peccato Personali, actuali, & Habituali.* ibid.

ART. I. *Utrùm detur peccatum mortale: & per quid constituatur?* ibid.

ART. II. *Utrùm peccatum mortale in ratione offensæ habeat malitiam, seu gravitatem simpliciter infinitam?* ibid.

ART. III. *Utrùm detur peccatum veniale ex natura sua?* 229

Quæres, *In quo peccatum mortale & veniale inter se differant?* 232.

ART. IV. *Quid sit peccatum habituale?* ibid.

ART. V. *Utrùm peccatum mortale non condonatum puniatur suppliciis æternis: sive (quod dictum est) Utrùm pœnæ damnatorum in æternum duraturæ sint?* 236.

CAPUT III. *De Peccato Originali.* 241.

ART. I. *Utrùm existat peccatum originale?* ibi.

ART. II. *Utrùm B. Virgo peccaverit in Adamo, & peccatum originale contraxerit?* 256.

ART. III. *In quo consistat peccatum originale: seu quodnam sit illius constitutivum?* 264.

ART. IV. *De pœnis peccati originalis in hac vita.* 269.

ART. V. *De pœnis peccati originalis post mortem.* 270.

APPENDIX, *De Facto Zosimi.* 277.

Utrùm Zosimus Papa approbaverit hæresim Pelagii, & Cœlestii de non existentia peccati originalis? ibid.

TRA-

TRACTATUS DE GRATIA.

QUÆSTIO PRÆAMBULA.

De varia acceptione, & divisione Gratiæ.

GRATIA generatim est bonum à DEO gratis datum: unde opponitur debito, juxta illud, ad Roman. c p. 11. *Si autem Gratia, jam non ex operibus: alioquin Gratia jam non est Gratia.*

Gratia dividi potest in naturalem, & supernaturalem. Naturalis est quodvis beneficium ordinis naturalis gratis datum; ùt Creatio, Conservatio, &c. Gratia supernaturalis est beneficium ordinis supernaturalis à DEO gratis datum. Supernaturale autem dicitur, quod naturæ ordinem, vires & exigentiam superat. De utraque Gratia sic loquitur Sanctus Augustinus, in Psalm. 43. *Non fuisti, factus es: quid DEO dedisti? malus fuisti, & liberatus es: quid DEO dedisti? quid non ab eo gratis accepisti? meritò & Gratia nominatur, quia gratis datur.*

De Gratia supernaturali hìc solùm agitur, quæ sola dicitur Gratia simpliciter & sine addito: tùm quia suppositò etiam creationis beneficio, non debetur naturæ: tùm quia superioris est ordinis ad alteram, quæ proinde non dicitur Gratia nisi secundùm quid, & cum addito diminuente, nempe naturalis.

Gratia supernaturalis duplex distinguitur. Alia, quæ ex mera DEI liberalitate non indignis, sed non dignis datur: talis fuit Gratia Angelis & Adamo in statu innocentiæ data. Nam id dicitur simpliciter Gratia, quod neque justitiæ, neque operibus, neque naturæ debetur. Alia, quæ non solùm ex liberalitate, sed etiam ex pura DEI misericordia hominibus lapsis & positivè indignis datur intuitu meritorum Christi: & est *Gratia* strictissimè sumpta, de qua præcipuè agunt Theologi, & quæ est Gratia Christi Redemptoris.

Gratia utroque hoc sensu, sed præsertim ultimo sumpta dividitur.

1. In creatam, & increatam. Gratia creata sunt beneficia vocationis & justificationis, &c. Increata est bona voluntas divina, prædestinatio, Unigenitus DEI Filius, &c.

2. In temporalem & æternam. Gratia temporalis est beneficium gratuitum in tempore collatum. Gratia æterna est ea, quæ existit ab æterno; ùt prædestinatio ad Gratiam & ad Gloriam, prædefinitio operum salutarium, &c.

3. In internam, & externam. Gratia interna est ea, quæ in nobis est; ùt illustratio mentis, pia motio voluntatis, habitus supernaturales, &c. Gratia externa est ea, quæ extra nos est; ùt doctrina Christi, exempla virtutum, piæ exhortationes, & alia, quibus, adjuncta interiore Gratia, excitamur & adjuvamur ad malum fugiendum, vel bonum agendum.

4. In Gratiam gratis datam, & Gratiam gratum facientem. Gratia gratis data est ea, quæ ad aliorum salutem præcipuè datur. Ejusmodi Gratias novem numerat Apostolus, 1. ad Cor. c. 12. nimirum sapientiam, scientiam, fidem, genera linguarum, interpretationem sermonum, gratiam sanitatum, operationem virtutum, prophetiam, & discretionem spirituum. Alias etiam enumerat, ad Rom. c. 12. Dicitur autem Gratia gratis data, non quòd ipsa sola, & non etiam Gratia gratum faciens, gratis detur: sed quia cùm proprio & specifico nomine careat, ei tribuitur nomen genericum, omni gratiæ conveniens. Gratia gratum faciens est ea, quæ ad propriam recipientis salutem præcipuè datur: qualis est Gratia actualis & habitualis.

Gratia interna & gratum faciens subdividitur in habitualem, & actualem. Gratia habitualis, quæ etiam dicitur Gratia sanctificans, est ea, qua homo constituitur permanenter justus seu sanctus, DEI amicus & filius adoptivus.

Gratia actualis est auxilium internum supernaturale, transiens, quo DEUS creaturam intellectualem illustrat, excitat, & adjuvat ad eliciendos actus salutares. Unde subdividitur in excitantem, & adjuvantem. Gratia excitans, quæ etiam prævéniens præparans, operans, præoperans, & vocatio appellatur, est auxilium consistens tum in supernaturali cognitione boni faciendi, vel mali fugiendi, & motivi circa alterutrum: tum in pia voluntatis motione ad bonum illud cognitum agendum, vel malum fugiendum liberè. Qui actus intellectus & voluntatis necessarii sunt, seu non sunt nobis liberi, sed à DEO producuntur in nobis, & nobiscum, physicè ac necessariò, non liberè agentibus: & idcircò dicuntur fieri in nobis, sed sine nobis, liberè scilicet operantibus. Quare Gratia excitans consistit tùm in supernaturali illustratione intellectus, tùm in pia ac indeliberata motione voluntatis, seu inspiratione. Dicitur autem excitans, & vocatio; quia hominem non cogitantem & quasi sopitum vocat, excitat ad bonum salutare, illustrando mentem, & movendo ac pulsando voluntatem. Dicitur etiam prævéniens, præparans, præoperans; quia prævenit & præparat salutarem libertatis usum: operans verò; quia DEUS per illam operatur in homine solus, hoc est, sine libera hominis operatione, quam scilicet prævenit ac præparat per hanc Gratiã.

Gratia adjuvans, quæ etiam cooperans, & concomitans dicitur, est auxilium, quo DEUS voluntatem Gratiæ excitanti liberè consentientem adjuvat, seu quo DEUS adjuvat voluntatem ad consentiendum Gratiæ excitanti, & cum ea physicè cooperatur ad salutarem ejus consensum: qui salutaris consensus voluntatis est ipsemet actus salutaris, ad quem Gratia excitans movet & sollicitat voluntatem. Gratia autem adjuvans, physicè & adæquatè sumpta, consistit tum in Gratia excitante perseverante seu continuata, tum in concursu DEI supernaturali. Nam Gratia adjuvans non producit consensum liberum voluntatis, nisi cum ipsa voluntate ùt mota, excitata, & corroborata per Gratiam excitantem: quæ quidem eo fine datur, ut homo possit & liberè velit agere salutariter. Unde voluntas nil salutare vult liberè, nisi ùt illustrata & excitata actu per Gratiam prævenientem. Hinc cùm Gratia adjuvans operatur consensum, Gratia excitans semper adest. Cùm autem datur Gratia excitans, semper præsto est Gratia adjuvans. Nam Gratia excitans semper datur à DEO ex intentione ut voluntas agat bonum, ad quod requiritur concursus supernaturalis. Unde DEUS, qui pro bona sua voluntate dedit Gratiam prævenientem, hoc ipso paratus est ex se ipso ad actu concurrendum cum creatura: & re ipsa si volun-

voluntas non reſiſtit motioni Gratiæ excitantis, DEUS ex certa ſcientia & providentia concurrit cum ipſa in eandem actionem liberam, & cum ea producit actum ſalutarem.

De utraque illa Gratia, ſcilicet excitante, & adiuvante ſic loquitur S. Auguſtinus, l. de Gratia & libero arbitrio, c. 17. *Præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit. Quoniam ipſe ut velimus, operatur incipiens, qui volentibus, cooperatur perficiens .... ut ergo velimus, ſine nobis operatur: cùm autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur. Tamen ſine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nil valemus.* Item Concil. Tridentinum, ſeſſ. 6. cap. 5. utriuſque Gratiæ meminit, ubi ait, quòd *per ejus excitantem atque adjuvantem Gratiam* peccatores ad juſtificationem diſponantur.

Porrò Gratia ſubſequens vel eſt ipſamet Gratia adjuvans, quæ dicitur ſubſequens, reſpectu Gratiæ prævenientis quam præſupponit: vel eſt ſimul Gratia præveniens & adjuvans prout à DEO continuantur ad perficiendum bonum propoſitum, præconceptum ex utriuſque Gratiæ auxilio, ùt explicat Sanctus Auguſtinus lib. 3. contra duas Epiſtolas Pelagianorum, c. 9. ubi ait: *Ut incipiamus, dictum eſt: miſericordia ejus præveniet me. Ut perficiamus, dictum eſt: miſericordia ejus ſubſequetur me.* Et cap. 10. *Hominis propoſitum bonum adjuvat quidem ſubſequens Gratia, ſed nec ipſum eſſet, niſi præcederet Gratia.*

Nota. Gratia excitans movet & corroborat non ſolùm moraliter, per illuſtrationem incitando, ſuadendo, exhortando, virtutis pulchritudinem & vitii turpitudinem oſtendendo, & ſuppliciorum acerbitatem proponendo; ſed etiam phyſicè per inſpirationem, ſeu indeliberatam voluntatis motionem, qua voluntas phyſicè movetur & inclinatur ad boni amorem, deſiderium, proſecutionem, vel ad mali fugam, & qua motus concupiſcentiæ vel extinguitur, vel minuitur, vel ejus vis eliditur aut retardatur, relinquendo tamen voluntati liberam ſui actus determinationem.

Gratia excitans ſubdividitur in ſufficientem, & efficacem. Gratia ſufficiens eſt ea, quæ poteſt habere, ſed non habet effectum, ad quem datur, idque ex ſola culpa voluntatis nolentis ei conſentire. Dicitur ſufficiens, non quòd Gratia efficax non ſit etiam verè ſufficiens, ſed quia cùm proprio ac ſpecifico nomine careat, commune utrique diviſionis membro accepit. Subintelligitur autem vox *merè*: nam revera eſt merè ſufficiens. Gratia verò efficax eſt verè ſufficiens, & inſuper efficax; nam Gratia efficax eſt ea, quæ non ſolùm poteſt habere, ſed etiam certò & infallibiliter habitura eſt effectum, ſi detur.

CAPUT I.

De erroribus Pelagianorum, Semipelagianorum, & Janſenii.

ARTICULUS I.

Pelagianorum errores circa Gratiam.

PElagius fuit natione Anglus, vel (ut alii volunt) Scotus, profeſſione monachus, acri ingenio præditus, & facundus, ſed vafer ac callidus, & quamdiu fidem rectam habuit, aut errores ſuos utcumque diſſimulavit, ſanctus habebatur. Ruffinum Magiſtrum errorum ſuorum anteſignanum, teſte S. Hieronymo, habuit: diſcipulum verò primarium Cœleſtium, ſibi ingenio non impàrem.

Pelagii hæreſim ad hæc duo capita generatim revocat Sanctus Auguſtinus: nempe quòd negaret peccatum originale: & neceſſitatem Gratiæ actualis interioris prævenientis ad quodlibet opus ſalutare, quæ gratis daretur. Sed ut Pelagianiſmus circa Gratiam meliùs innoteſcat, is in quatuor ſtatus diſtinguendus eſt.

Primus ſtatus eſt, in quo Pelagiani, omiſſo nomine Gratiæ, docuerunt naturales vires liberi arbitrii ſufficere ad ſervanda

omnia mandata, superandas quasvis tentationes, præstanda opera omnium virtutum, & assequendam æternam salutem. Constat ex Sancto Augustino, serm. 11. de verbis Apostoli, ubi Pelagianos sic loquentes inducit: *Ipsi fecimus nos, id est, ut justi essemus, justos nos libera voluntate fecimus. Quando conditi sumus, liberum arbitrium accepimus. Ut ergo justi simus, libero id arbitrio agimus. Quid adhuc DEUM invocamus, ut justos nos faciat, quod habemus in potestate, ut nos ipsi justos faciamus?*

Secundus status est, in quo Pelagiani ad decipiendos Catholicos, & vitandam eorum offensionem, ac hæresis notam, nomen Gratiæ admiserunt, liberum arbitrium appellando Gratiam, eò quòd scilicet gratis à DEO, nullis nostris præcedentibus meritis, nobis in creatione concedatur. Constat ex S. Augustino, serm. 11. de verbis Apostoli, ubi de Pelagianis hæc ait: *Disputantes ergo contra Gratiam pro libero arbitrio, fecerunt auribus piis & Catholicis offensionem, cœperunt horreri, cœperunt ùt certa pernicies devitari: cœpit de illis dici, quòd contra Gratiam disputarent. Et invenerunt ad relevandam istam invidiam tale commentum. Non, inquit, contra Gratiam DEI disputo. Unde probas? eo ipso, inquit, non contra Gratiam DEI disputo, quòd liberum arbitrium defendo. Vide acumen, sed vitreum, quasi lucet vanitate, sed frangitur veritate.*

Tertius status est is, in quo Pelagiani à Catholicis objurgati, quòd nullam præter liberum arbitrium admitterent Gratiam, novum Gratiæ genus agnoverunt, nempe legem & doctrinam. Constat ex Canone IV. Conc. Carthaginensis, & ex S. Augustino variis locis. Legi & doctrinæ addiderunt remissionem peccatorum, ùt testatur S. Augustinus, lib. de gestis Pelagii, c. 35. & remissioni peccatorum adjecerunt exempla Christi. Verùm hanc legis, doctrinæ, virtutum & exemplorum Christi Gratiam dixerunt non esse absolutè necessariam, sed sufficere liberum arbitrium ad bonum salutare agendum, & malum vitandum, ùt constat ex Sancto Augustino, l. de Gratia Christi, c. 41. ubi Pelagii doctrinam exponens, ait: *Sed hoc adjutorium legis atque doctrinæ etiam propheticis fuisse temporibus: adjutorium autem Gratiæ, quæ propriè Gratia nuncupatur, in Christi esse arbitratur exemplo: quod nihilominùs ad doctrinam pertinere perspicitis, quæ nobis Evangelica prædicatur: ut videlicet tanquam via demonstrata, qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, sufficiamus nobis, ne deficiamus in via: quamvis & ipsam viam contendat etiam sola inveniri posse natura: sed facilius, si adjuvet Gratia.*

Quartus & *ultimus* status est ille, in quo Pelagiani præter peccatorum remissionem, & externam Gratiam legis & doctrinæ atque exemplorum Christi, admiserunt Gratiam internam illustrationis. Constat ex Sancto Augustino, l. de Gratia Christi, c. 7. ubi hæc Pelagii verba refert: *Adjuvat nos DEUS per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit: dum nobis, ne præsentibus occupemur, futura demonstrat: dum diaboli pandit insidias: dum nos multiformi & ineffabili dono Gratiæ cœlestis illuminat.* Et lib. de Hæres. 88. sic ait: *Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio DEI ad ejus mandata facienda, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, &c.* Ergo Pelagius cessit increpationi, qua increpabatur quòd non admitteret Gratiam internam; nam externam admittebat. Ergo admisit aliquam Gratiam internam, illustrationis scilicet; nam Gratiam internam immediatè afficientem voluntatem nunquam agnovit, ùt Sanctus Doctor inferiùs docet his verbis: *Ac per hoc divinitùs nobis dari scientiam confitentur, qua ignorantia pellitur. Charitatem autem* (id est piam motionem voluntatis ad bonum) *dari negant, qua piè vivitur.*

Sed Pelagiani internam illustrationis Gratiam cum duplici errrore admisere. Nam 1. dicebant eam necessariam non esse nisi ad

ad faciliùs agendum bonum; Pelagius enim, teſte S. Auguſtino, l. de Hæreſ. 88. de hac Gratia dicebat, *Ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs poſſint implere per Gratiam. Dicendo utique, ut faciliùs poſſint, voluit credi, etiamſi difficiliùs, tamen poſſe homines ſine Gratia divina facere juſſa divina.* Quare, ùt addit S. Doctor, Pelagiani nullam aliam Gratiam ad bonum ſalutare agendum & malum vitandum neceſſariam agnoſcebant niſi liberum arbitrium, quod DEUS per ſolam legem & doctrinam, ſive exteriùs ſive interiùs propoſitam, adjuvaret ad faciliùs poſſe. *Illam verò*, inquit, *Gratiam DEI, ſine qua nihil poſſumus facere, non eſſe dicunt niſi in libero arbitrio, quod, nullis ſuis præcedentibus meritis, ab illo accepit noſtra natura, ad hoc tantùm ipſo adjuvante per ſuam legem atque doctrinam, ut diſcamus, quæ facere, & quæ ſperare debeamus.*

Ibidem 2. dicebant internam illuſtrationis Gratiam obtineri bonis operibus merè naturalibus: unde negabant eſſe gratuitam. Conſtat ex Sancto Auguſtino, l. de Gratia & libero arbitrio, c. 14. ubi ait: *Cùm fuerint convicti, non defenſores, ſed inflatores & præcipitatores liberi arbitrii, quia neque ſcientia divinæ legis, neque natura, neque ſola remiſſio peccatorum eſt illa Gratia, quæ per JESUM Chriſtum Dominum noſtrum datur; ſed ipſa facit, ut lex impleatur, ut natura liberetur, ne peccatum dominetur ... ad hoc ſe convertunt, ut quocunque modo conentur oſtendere, Gratiam DEI ſecundùm merita noſtra dari.*

Itaque Pelagianorum errores circa Gratiam, quibus ſemper pertinaciter adhæſerunt, in eo conſiſtebant, quòd negarent tum neceſſitatem, tum gratuitatem Gratiæ internæ, præſertim immediatè efficientis voluntatem, cujus ne exiſtentiam quidem admiſerunt, aut certè non niſi cum duplici illa corruptela. Nullos quoque actus ſupernaturales ſecundùm entitatem admiſit Pelagius. Et quamvis admiſerit interiorem illuminationem ex parte objecti: qua nempe Spiritus Sanctus clariùs & diſtinctiùs intellectui proponit aliquam veritatem, cui quidem ſolis viribus naturalibus aſſentiamur; nunquam tamen admiſit interiorem illuminationem ex parte potentiæ, ſeu intellectus, qua nempe intellectus à Spiritu Sancto elevetur & corroboretur ad meliùs intelligendum, & ad eliciendum actum ſupernaturalem, & nobiliorem, quàm poſſit naturæ viribus elicere, ùt teſtatur S. Auguſtinus, lib. de Gratia Chriſti, c. 41. his verbis: *Ita ut ipſaſquoque orationes, ùt in ſcriptis ſuis apertiſſimè affirmat (Pelagius) ad nihil aliud adhibendas opinetur, niſi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum eſſe didicerit, etiam dilectione & actione perficiat.*

Quæres, utrùm Pelagioni admiſerint Gratiam habitualem ſeu ſanctificantem?

Reſp. affirm. Prob. 1 Ex ipſo Pelagio, qui in commentario capitis 5. epiſtolæ ad Romanos, ſic ait: *Quare multa peccata dimiſit abundantia donationis Spiritus Sancti? Quia multa ſunt dona. Ipſa enim juſtitia donatur per Baptiſmum, non ex merito poſſidetur.* Juſtitia autem illa nil aliud eſt quàm Gratia Sanctificans. Nam Pelagius nunquam habitus ſupernaturales Fidei, Spei & Charitatis per ſe infuſos admiſit; ſemper enim ſenſit, liberum arbitrium cum lege & doctrina ſive forinſecus ſive intrinſecus propoſita ſufficere ad actus ſalutares: & conſequenter non agnovit habitus ſupernaturales, qui dent ſimpliciter poſſe ſalutariter operari. 2. Ex S. Auguſt. aſſerente Pelagianos dicere, *Non ideò parvulos baptizari, ut remiſſionem accipiant peccatorum, ſed ut ſanctificentur in Chriſto.*

ARTICULUS II.

De qua Gratia controverſia fuerit Catholicos inter & Pelagianos?

§. I.

Nota. JAnſenius Iprenſis Epiſcopus, ut ſuæ Gratiæ neceſſitanti præludere-

ret, docuit, l. 5. de hæresi Pelagiana, Pelagianos, admisisse Gratiam interiorem etiam inspirationis seu voluntatis, sed quæ relinqueret indifferentiam activam. Unde concludit S. Augustinum, ac proinde Catholicos, quorum partes agebat, nunquam contendisse cum Pelagianis de adjutorio Gratiæ, quocum maneret indifferentia activa voluntatis, sed de adjutorio necessitante, & excludente indifferentiam activam, quam ipse Jansenius passim dicit esse dogma Pelagianum.

Dico 1. Sancti Augustini & aliorum Catholicorum contentio cum Pelagianis non fuit de Gratia necessitante.

Prob. 1. Quia alioqui S. August. & alii Catholici graviter errassent; nam Gratia necessitans à Conc. Tridentino & ab Ecclesia damnata est ùt hæretica.

2. Quia S. Augustinus, in libris contra Pelagianos scriptis nunquam negavit, imò apertè docuit manere sub Gratia libertatem ab omni necessitate simplici antecedente, ùt, lib. de natura & Gratia, c. 65. infra citando, & l. 2. de nuptiis & concupiscentia, c. 3. ubi sic Julianum Pelagianum alloquens ait: *Non itaque, sicut te atque alios fallens loqueris, si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut DEUM esse nascentium Conditorem dixerit, Cælestianus & Pelagianus vocatur: ista quippe catholica fides dicit. Sed si quis ad colendum rectè DEUM sine ipsius adjutorio dicit esse in hominibus liberum arbitrium: & quisquis ita dicit DEUM nascentium Conditorem, ut parvulorum neget à potestate diaboli Redemptorem, ipse Pelagianus & Cælestianus vocatur. Liberum itaque in hominibus esse arbitrium, & DEUM esse nascentium Conditorem, utrique dicimus: non hinc estis Cælestiani & Pelagiani. Liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio DEI, & non erui à potestate tenebrarum & sic transferri in Regnum DEI, hoc vos dicitis: hinc estis Cælestiani & Pelagiani.*

Dico. 2. Sancti Augustini & aliorum Catholicorum contentio cum Pelagianis circa Gratiam fuit præcisè de adjutorio immediato ex parte voluntatis, eam præveniente, excitante & corroborante: quod esset simpliciter necessarium ad omnes actus salutares eliciendos, & gratuitum.

Prob. 1. Ex Concil. Milevitano, can. 4. ubi Pelagianorum errorem circa Gratiam damnat his verbis: *Quisquis dixerit, Gratiam DEI per JESUM Christum Dominum nostrum, propter hoc nos tantùm adjuvare ad non peccandum, quia per ipsam nobis revelatur & aperitur intelligentia mandatorum, ut sciamus, quid appetere, quid vitare debeamus: non autem per illam præstari, ut, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus, anathema sit.* Gratia autem, per quam præstatur, ut bonum facere diligamus atque valeamus, est Gratia inspirationis, seu pia motio voluntatis indeliberata & supernaturalis, qua voluntas inclinatur ad bonum, & corroboratur contra motus concupiscentiæ ei obsistentes.

Prob. 2. Ex Sancto Augustino, l. de Gratia Christi, cap. 47. ubi hæc de Pelagianis ait: *Quantum attinet ad istam de divina Gratia & adjutorio quæstionem, tria illa, quæ apertissimè distinxit, attendite, posse, velle, esse: id est, possibilitatem, voluntatem, actionem. Si ergo consenserit nobis, non solùm possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat bene, sed ipsam quoque voluntatem & actionem divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil bene velimus & agamus, eamque esse Gratiam DEI per JESUM Christum Dominum nostrum, in qua nos sua, non nostra justitia, justos facit, ut ea sit vera nostra justitia, quæ ab illo est: nihil de adjutorio Gratiæ DEI, quantùm arbitror, inter nos controversiæ relinquetur.* Ergo inter S. Augustinum & Pelagium nulla jam esset controversia de Gratia divina, si Pelagius præter legem & doctrinam, qua dicebat adjuvari possibilitatem, nempe liberum arbitrium, fateatur nos adjuvari per auxilium voluntatis gratuitum, sine quo nihil unquam bene, id est, salutariter velimus & agamus. Ergo contentio Augustinum inter

inter & Pelagium erat præcisè, de auxilio aliquo gratuito, immediatè se tenente ex parte voluntatis, ùt necessariò ad quodlibet opus salutare.

Item Sanctus Augustinus, lib. de Gratia, c. 10. ait: *Eam* (Gratiam) *aliquando fateatur* (Pelagius) *qua futuræ Gloriæ magnitudo non solùm promittitur, verùm etiam creditur & speratur: nec solùm revelatur sapientia, verùm & amatur: nec suadetur solùm omne quod bonum est, verùm & persuadetur.* Ex quo sic argumentor. Augustinum inter & Pelagium contentio erat de ea Gratia, cujus confessionem Sanctus Doctor à Pelagio postulabat. Atqui Sanctus Doctor à Pelagio postulabat confessionem Gratiæ, non quæ necessitaret, sed quæ vires ad credendum & sperandum suppeditat, qua amor omnis boni salutaris inspiratur. Ergo de ejusmodi Gratia erat contentio inter S. Augustinum & Pelagium.

Prob. 3. Contentio Augustinum inter & Pelagianos circa Gratiam fuit præcisè de ea Gratia, quæ secundùm Fidem catholicam admitti debet, & quam negabant Pelagiani, ùt patet. Sed adjutorium gratuitum, immediatè afficiens voluntatem, & necessarium ad quodvis opus salutare faciendum, debet secundùm Fidem catholicam admitti, ùt patet: & hoc pertinaciter negabant Pelagiani. Ergo de illo adjutorio erat præcisè contentio. *Minor* quoad 2. *partem* patet etiam ex dictis de *quarto* & *ultimo* statu Pelagianismi, & ex lib. de Gratia Christi, c. 3. ubi de Pelagio sic loquitur Sanctus Augustinus: *Nam Gratiam DEI & adjutorium, quo adjuvamur ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege atque doctrina: ut videlicet cùm adjuvat DEUS hominem, ut declinet à malo & faciat bonum, revelando & ostendendo quid fieri debeat, adjuvare credatur: non etiam cooperando, & dilectionem inspirando; ut id, quod faciendum esse cognoverit, faciat.* Et c. 8. *Hinc itaque apparet hanc eum Gratiam confiteri, qua demonstrat & revelat DEUS; quid agere debeamus: non qua donat atque adjuvat, ut agamus.* Et lib. 5. operis imperfecti, quod opus morte præventus absolvere non potuit, numero 48. sic Julianum alloquitur: *Quamvis & ipsum adjutorium, quod subministrare DEUM cogimini confiteri, quale dicatis esse, non lateat. Legem quippe, non spiritum dicitis, cùm Paulus Apostolus per subministrationem Spiritus Sancti nos doceat adjuvari: quod ideò commemorandum putavi, ne fortè qui audiunt vel legunt de subministratione divini adjutorii sententiam tuam, obliviscantur hæresim vestram.*

Aliqui tamen Pelagiani fateri visi sunt Gratiam illam inspirationis simpliciter necessariam esse, non quidem ad incipiendum, sed ad perficiendum opus salutare, sic tamen, ut cum cæteris docerent, eam propter præcedentia aliqua opera naturalia dari. Sed quoad hoc recensendi sunt inter Semipelagianos. Nam de illis hæc ait Sanctus Augustinus, lib. 2. contra duas Epist. Pelagian. c. 8. *Isti enim volunt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, ut hujus cæpti meritum etiam perficiendi Gratia consequatur: si tamen hoc volunt. Pelagius enim facilius dicit impleri quod bonum est, si adjuvet Gratia. Quo additamento, id est, addendo facilius, utique significat se hoc sapere, quòd etiamsi Gratiæ defuerit adjutorium, potest, quamvis difficilius, impleri bonum per liberum arbitrium. Sed ipsis, quid in hac re sentiunt, non de illo auctore hujus hæresis præscribamus .... fortassis ergo ipsi eo modo saltem servant locum Gratiæ, ut sine illa putent hominem posse boni sed imperfecti cupiditatem: perfecti autem non facilius per illam posse, sed nisi per illam omnino non posse. Verùm & sic Gratiam DEI dicunt secundùm merita nostra dari.*

Confirm. Quia Summi Pontifices & Concilia, à quibus Pelagiani damnati sunt, nunquam mentionem fecerunt Gratiæ necessitantis, sed solùm Gratiæ etiam immediatè afficientis voluntatem ùt necessariæ simpliciter ad quemvis actum salutarem, & gratis datæ. Ergo de hac, non de illa erat contentio Catholicorum cum Pelagianis.

§.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Pelagiani objiciebant S. Augustino, quòd admitteret fatum: non nisi quia S. Doctor postulabat ab illis confessionem Gratiæ necessitantis. Ergo contentio erat inter illos de Gratia necessitante, quam tuebatur Augustinus, & negabant Pelagiani.

Resp. Nego min. Sed Pelagiani fatum falsò objiciebant S. Doctori; quia præcisè exigebat necessitatem Gratiæ interioris, præsertim immediatè afficientis voluntatem, quæ gratis, & non secundùm merita naturalia, seu opera quædam bona solis naturæ viribus facta daretur, ùt constat ex ipso August. l. 2. contra duas ep. Pelagianorum, c. 5. ubi ait: *Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo. Ad bene autem piéque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis DEI Gratia fuerit liberata, & ad omne opus bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta.... nec sub nomine Gratiæ fatum asserimus, quia nullis hominum meritis DEI Gratiam dicimus antecedi.... unde autem eis visum fuerit nobis objicere, quòd fatum asseramus sub nomine Gratiæ, cùm aliquantò attentiùs cogitarem, priùs eorum verba, quæ consequuntur, inspexi. Sic enim hoc nobis objiciendum putarunt: sub nomine, inquiunt, Gratiæ ita fatum asserunt, ut dicant, quia nisi DEUS invito & reluctanti homini inspiraverit boni & ipsius imperfecti cupiditatem, nec à malo declinare, nec bonum possit arripere.... ex his eorum verbis intellexi, ob hoc illos vel putare vel putari velle, fatum nos asserere sub nomine Gratiæ: quia Gratiam DEI non secundùm merita nostra dicimus dari, sed secundùm ipsius misericordissimam voluntatem, &c.*

Obj. 2. Pelagiani accusarunt Sanctum Augustinum & alios catholicos Manichæismi: non nisi quia ab illis exigebant confessionem Gratiæ irrepudiabilis. Ergo.

Resp. Nego min. Sed Pelagiani Catholicos Manichæismi insimulabant, tùm quòd assererent homines nasci infectos peccato originali: Unde inferebant Pelagiani naturam humanam secundùm Catholicos à DEO creari malam, quod erat error Manichæorum. Tum quòd Catholici admitterent Gratiam prævenientem, quæ ex mera DEI misericordia non secundùm merita nostra daretur, & quæ voluntatem ita congruè moveret, ut eam infallibiliter ex nolente faceret volentem: unde Pelagiani dicebant induci fatum, & tolli liberum arbitrium, ùt sentiebant Manichæi.

Obj. 3. Pelagius admittebat adjutorium possibilitatis, & negabat adjutorium voluntatis & actionis. Sed per adjutorium possibilitatis intelligebat Gratiam, quæ sic moveret voluntatem, ut relinqueret potestatem resistendi. Ergo.

Resp. Nego min. Nam Pelagius per adjutorium, quo possibilitatem seu liberum arbitrium adjuvari dicebat, intelligebat legem & doctrinam, sub qua comprehendebat exempla Christi, & internas illustrationes, sive adjutorium ostendens quid agendum omittendumve sit: per adjutorium verò voluntatis & actionis intelligebat cum Catholicis Gratiam inspirationis, qua voluntas immediatè inclinatur & excitatur ad volendum bonum, & corroboratur ad illud agendum. Hoc constat ex S. Augustino, lib. de Gratia Christi, c. 6. ubi de Pelagio sic loquitur: *Hanc autem naturalem possibilitatem quam adjuvari DEI Gratia confitetur, non est hìc apertum, vel quam dicat Gratiam, vel quatenus ea naturam sentiat adjuvari. Sed sicut aliis locis, in quibus evidentiùs loquitur, intelligi potest, non vult aliud accipi quàm legem atque doctrinam, qua naturalis possibilitas adjuvetur.* Et c. 41. *In his etiam quatuor libris* (de libero arbitrio) *quæcunque pro Gratia videtur dicere* (Pelagius) *qua juvamur, ut declinemus à malo, bonumque faciamus, ita dicit, ut nullo modo à verborum ambiguitate discedat, quam discipulis sic possit exponere, ut nullum auxilium Gratiæ credant, qua naturæ possibilitas adjuvetur, nisi in lege, atque doctrina: ita ut ipsas quoque orationes*

ut in ſcriptis ſuis aperiſſimè affirmat, ad nihil aliud adhibendas opinetur, niſi ut nobis doctrina etiam divina revelatione aperiatur, non ut adjuvetur mens hominis, ut id quod faciendum didicerit, etiam dilectione & actione perficiat. Ab illo enim ſuo manifeſtiſſimo dogmate non recedit omnino, ubi tria illa conſtituit, poſſibilitatem, voluntatem, actionem: & ſolam poſſibilitatem dicit divino ſemper adjuvari auxilio: voluntatem autem & actionem nullo DEI adjutorio exiſtimat indigere. Ipſum verò auxilium, quo poſſibilitatem naturalem perhibet adjuvari, in lege conſtituit atque doctrina, quam nobis fatetur etiam Spiritu Sancto revelari, propter quod & orandum eſſe concedit. Sed hoc adjutorium legis atque doctrinæ etiam prophetiis fuiſſe temporibus: adjutorium autem Gratiæ, quæ propriè Gratia nuncupatur, in Chriſti eſſe arbitratur exemplo. Quod nihilominùs ad doctrinam pertinere perſpicitis, quæ nobis Evangelica prædicatur, ut videlicet tanquam via demonſtrata qua ambulare debeamus, jam viribus liberi arbitrii, adjutorio nullo alterius indigentes, ſufficiamus nobis, ne deficiamus in via.

Obj. 4. Sanctus Auguſtinus contendebat contra Pelagianos admitti debere Gratiam, quæ operatur in nobis velle & perficere, quæ facit hominem de nolente volentem, qua perſuadetur bonum. Sed talis Gratia non relinquit in voluntate indifferentiam activam. Ergo.

Reſp. Nego min. Nam Gratia congrua excitans verè operatur in nobis velle & perficere, facit hominem de nolente volentem, non neceſſitando & determinando, ſed excitando, phyſicè inclinando & roborando voluntatem eo modo, qui congruit ut velit & agat. Similiter Gratia congrua immediatè voluntatem ad bonum volendum & agendum movens & inclinans eo modo, qui congruit ut voluntas velit & agat, eſt Gratia, qua non ſolùm ſuadetur, quod bonum eſt, ſed etiam perſuadetur, quamvis voluntas poſſit ei diſſentire, ùt docet Conc. Trident.

Dices 1. Si Gratia illa relinquit voluntati indifferentiam agendi & non agendi, ipſum velle & agere debet tribui voluntati, non Gratiæ. Falſum conſeq. Ergo.

Reſp. Neg. ſeq. maj. Nam ipſum velle & agere tribui debet ſimpliciter, primariò & principaliter Gratiæ ùt cauſæ principi, ſuperioris ordinis, & totali in illo ordine, & danti voluntati vires volendi & agendi bonum ſalutare, nilque ab ea accipienti: ſiquidem voluntas reipſa volens & agens bonum ſalutare, non vult nec agit niſi dependenter à Gratia interna, illam phyſicè movente, excitante, roborante & adjuvante, nilque accipiente à voluntate ſed è contra dante voluntati vires ad volendum & agendum bonum ſalutare.

Dices 2. Voluntas cum Gratia relinquente indifferentiam activam, dat ſibi velle & agere. Ergo neutrum accipit à Gratia.

Reſp. Voluntas dat quidem ſibi velle & agere ùt cauſa minùs principalis, & dependenter à Gratia ùt cauſa ſuperiore, principali, dante ei vires ad volendum & agendum. Sed voluntas priùs natura accipit à Gratia velle & agere quàm ſibi utrumque tribuat; nam voluntas, non ſe ipſam determinat nec agit, niſi priùs à Gratia phyſicè moveatur, excitetur, elevetur, roboretur, & adjuvetur ad volendum & agendum.

Dices 3. Effectus à duabus cauſis ortus tribui debet ſoli cauſæ ſe ipſam determinanti. Ergo.

Reſp. Neg. ant. Nam in Angelis viatoribus, etiam ſecundùm Janſenium, voluntas erat cauſa ſeipſam determinans: & tamen quis dicat, conſenſum ſalutarem Angelorum viatorum tribuendum eſſe ſoli voluntati angelicæ? Itaque bonum ſalutare in omni ſtatu attribui debet etiam Gratiæ, & quidem primariò ac principaliter; utpote cauſæ principi, ſuperiori, & totali in ordine ſuperiori, & danti vires voluntati ad conſenſum ſalutarem, nilque ab ea accipienti: unde voluntas non ſe determinat niſi ex virtute Gratiæ. Et verò omnis effectus rectè attribuitur ſuæ cauſæ pro ratione influxus cauſæ in ipſum. Hinc actus ſupernatu-

naturales Fidei, Spei, Charitatis attribui possunt & debent habitibus supernaturalibus, quamvis non determinent voluntatem.

Obj. 5. S. Augustinus contendebat cum Pelagianis de Gratia, quam ipsi repudiabant, quia putabant eam tollere libertatem arbiterii, quam ponebant in indifferentia activa. Ergo contentio erat inter illos de Gratia necessitante; nam evidens est Gratiam repudiabilem non posse tollere libertatem.

Resp. Dist. ant. Quia putabant eam tollere libertatem arbitrii malè intellectam, *conc. ant.* Benè, & secundùm rei veritatem intellectam, *nego ant.* Equidem Pelagiani rejiciebant Gratiam voluntatem immediatè afficientem, inclinantem, excitantem, ùt gratuitam & necessariam ad actus salutares; quia putabant eum ea stare non posse libertatem indifferentiæ activæ. Sed ideò putabant ejusmodi Gratiam tollere libertatem indifferentiæ, quia malè intelligebant & definiebant hanc libertatem. Libertatem quippe indifferentiæ constituebant in completa facultate volendi & agendi etiam bonum salutare independenter ab omni auxilio voluntatem præveniente, excitante & corroborante, præsertim gratuito: quod nempe non esset in nostra potestate naturali, ut adesset. Unde sentiebant Gratiam prævenientem, gratuitam & necessariam ad quoslibet actus salutares repugnare indifferentiæ activæ, non prout est præcisè virtus se determinandi per electionem ad utrumlibet ex oppositis, sed ùt est virtus se sola completa, sibique sufficiens etiam ad bonum salutare: qualem intelligebant libertatem arbitrii etiam præsentis status.

Hoc constat tum ex S. Augustino, de gestis Pelagii, c. ult. ubi hanc ejus propositionem refert: *Quòd non sit liberum arbitrium, si indigeat auxilio DEI*: tum ex S. Hieronimo: in epist. ad Ctesiphontem, ubi sic Pelagianum loquentem inducit: *Frustra dedit arbitrii potestatem, quam implere non possum, nisi ipse me semper adjuverit. Destruitur enim voluntas, quæ alterius ope indiget. Sed liberum dedit arbitrium DEUS, quod aliter liberum non erit, nisi fecero quod voluero: ac per hoc aut utor semel potestate, quæ mihi data est, ut liberum servetur arbitrium: aut si alterius ope indigeo, libertas arbitrii in me destruitur.* Libertas verò arbitrii benè & Catholicè intellecta, est facultas completa & expedita se determinandi per electionem ad utrumlibet ex oppositis: facultas agendi vel non agendi positis omnibus ad agendum prærequisitis. Sed hæc facultas non est completa quoad actum salutarem nisi per Gratiam, quæ primum locum tenet inter requisita ad agendum salutariter.

Obj. 6. Pelagius admisit Gratiam inspirationis, quæ nempe immediatè afficeret voluntatem; nam sic loquitur apud S. Augustinum, l. de Gratia Christi, c. 10. *Operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodò præsentia diligentes, futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit, dum revelatione sapientiæ in desiderium DEI stupentem suscitat voluntatem, dum nobis.... suadet omne quod bonum est. Ergo.*

Resp. 1. *Ejto ant. neg. conseq.* Esto Pelagius admiserit Gratiam voluntatis & inspirationis quoad existentiam: at certum est, eum nunquam illam admisisse ùt necessariam simpliciter ad omnem actum salutarem, & ùt gratuitam. Nam ex S. Augustino constat Pelagium non admisisse ullam Gratiam internam nisi ad faciliùs posse bonum agere, & quæ secundùm merita naturalia daretur: unde semper manet, controversiam fuisse de Gratia interna ùt simpliciter necessaria ad quemvis actum salutarem, gratuita: seu de necessitate Gratiæ internæ ad quodvis opus salutare, quæ gratis daretur: non autem de Gratia quæ voluntatem determinaret. Quod nobis sufficit contra Jansenium, & alios falsò docentes fuisse controversiam de Gratia adjuvante prædeterminante.

Resp. 2. *Nego ant.* Nam Pelagius non admisit Gratiam, qua DEUS in nobis immedia-

mediatè operatur velle, ſed tantùm mediatè, mediante ſcilicet illuſtratione intellectus, oſtendendo per legem & doctrinam ſive exteriùs, ſive interiùs per Spiritum Sanctum propoſitam, vel proponendo præmia aut ſupplicia. Et verò Pelagius hoc loco ſolùm dicit, DEUM in nobis, operari velle bonum proponendo præmiorum magnitudinem, & DEUM in deſiderium ſui ſtupentem ſuſcitare voluntatem revelatione ſapientiæ. Et ita S. Auguſtinus hæc Pelagii verba à ſe relata exponit: *Quid manifeſtiùs*, inquit, *nihil aliud eum dicere Gratiam, qua DEUS in nobis operatur velle quod bonum eſt, quàm legem atque doctrinam; in lege namque & doctrina ſanctarum Scripturarum, futuræ gloriæ atque præmiorum promittitur magnitudo. Ad doctrinam pertinet etiam quòd ſapientia revelatur. Ad doctrinam pertinet, cùm ſuadetur omne quod bonum eſt.* Igitur Pelagius hoc loco nullam aliam Gratiam admittit, quàm legem atque doctrinam, & Gratiam illuminationis, quæ ad Gratiam legis & doctrinæ meritò à S. Auguſtino revocatur. Nam interna mentis illuſtratio præcisè docet, & ſimiliter docent lex atque doctrina interiùs propoſitæ.

Dices. S. Auguſtinus, l. de Gratia Chriſti, cap. 29. poſtquam retulit hæc Pelagii verba: *Ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, faciliùs poſſint implere per Gratiam*: ait: *tolle faciliùs, & non ſolùm plenus, verùm etiam ſanus eſt ſenſus, ſi ita dicatur: ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, poſſint implere per Gratiam.* Ergo Pelagius agnovit veram Gratiam quoad exiſtentiam.

Reſp. Neg. conſeq. Quia cùm S. Doctor dicit, *tolle faciliùs, &c.* vult ſolùm propoſitionem hanc (*ut quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, implere poſſint per Gratiam*) Catholicum eſſe in ſenſu obvio, quidquid tandem Pelagius nomine Gratiæ intelligat: quod hoc loco non expendit S. Auguſtinus; quia hìc intendit unum hunc ex Pelagii erroribus confutare, nempe quòd Gratia non requiratur niſi ad faciliùs agendum bonum ſalutare: & verò S. Doctor, c. 31. expendens hæc alia Pelagii verba: *Ad peccandum & non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos, quod omnibus bonis operibus divino ſemper adjuvatur auxilio:* aſſerit hæc poſtrema Pelagii verba ambigua eſſe, eumque poſſe per divinum auxlium, *ſicut ſolet, velle intelligi legem atque doctrinam.*

ARTICULUS III.

Errores Semipelagianorum circa Gratiam.

EX occaſione librorum à S. Auguſtino contra Pelagianos ſcriptorum, in quibus oſtendit Gratiam actualem interiorem prævenientem eſſe neceſſariam ad quodlibet opus ſalutare, & ſimul omninò gratuitam eſſe, nec omnibus dari ac præparari Gratiam efficacem, ſine qua nullum fit opus ſalutare, ſed iis ſolùm donari, quibus DEUS ex mera miſericordia eam præparavit, ideóque prædeſtinationem ad Fidem & Gratiam cum ſalute connexam, eſſe omnino gratuitam, erupit Semipelagianorum hæreſis in Gallia, quorundam ſcilicet Epiſcoporum ac Presbyterorum Provinciæ Lugdunenſis & Arelatenſis, & præſertim Presbyterorum Maſſilienſis Eccleſiæ: unde Semipelagiani Maſſilienſes dicti ſunt. Horum doctrinam S. Proſper & Hilar. vir laicus ſed Eruditus fusè exponunt, in ſuis ad S. Auguſtinum Epiſtolis, cujus opem contra illorum errores efflagitant.

Litteris Proſperi & Hilarii acceptis, S. Auguſtinus libros de prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeverantiæ compoſuit. Sed his non convicti ſunt Semipelagiani. Imò poſt S. Auguſtini mortem cœperunt vehementiùs doctrinam ejus impugnare, & tredecim capitula ediderunt, quibus dicebant contineri quidquid damnabile repererant in ſcriptis S. Doctoris. Quibus capitulis cùm reſpondiſſet Proſper, unus ex eis Vincentius nomine, alia ſexdecim capitula contrà ipſum Proſperum edidit.

Cùm autem Auguſtini obtrectatorum, inter quos eminebant Caſſianus & Faustus

Regiensis Episcopus, auctoritati resistere non possent Hilarius & Prosper, Cœlestini I. opem implorarunt. Is ad compescendas has turbas Epistolam ad Episcopos Galliæ scripsit, in qua graviter eos objurgat, quòd sinerent Presbyteros quosdam, Augustini scilicet obtrectatores, errores prædicare: jubet ut Presbyteri illi à concionibus arceantur: S. Augustinum ejusque doctrinam laudat. In fine Epistolæ aliquot capitulis exponuntur & comprobantur ea, quæ à Summis Pontificibus & à Conciliis Africanis definita fuerunt in materia Gratiæ. Sed hæc capitula à multis viris eruditis abjudicantur Cœlestino, & adscribuntur Prospero: quæ postea Cœlestini Epistolæ per modum cujusdam appendicis adjecta sunt. Sunt qui censent hæc eadem capitula fuisse postea à Cœlestino ipso confirmata.

Denique anno 529. celebratum est Conc. Arausicanum II. tredecim Episcoporum, Præside S. Cæsario Arelatensi, in quo aliquot capitula à Romano Pontifice missa ut ab omnibus observarentur, lecta & subscripta sunt ab omnibus Episcopis, ùt patet ex præfatione, quam sequuntur 25. capitula, quæ anno sequenti à Bonifacio II. approbata & confirmata sunt, & à tota Ecclesia ùt fidei dogmata opposita erroribus Semipelagianorum recepta sunt & habentur. Paulò post hoc Concilium extincta penitùs fuisse videtur Semipelagianorum Secta.

Inter Semipelagianos numerantur viri doctrina & pietate præstantes, scilicet Hilarius Arelatensis Episcopus, ùt colligitur ex Prosperi ad Augustinum Epistola. Joannes Cassianus Abbas, in sua collatione 13. Faustus Regiensis, &c.

Dico. Præcipuus Semipelagianorum error, ex quo alii sequebantur, in eo consistebat, quòd admitterent initia quædam fidei, justitiæ, & salutis, quæ non essent à Gratia præveniente, sed à solis naturæ viribus: nimirum volitionem credendi, fidem inchoatam seu imperfectam, desiderium sanitatis & salutis, orationem, & quosdam conatus emergendi è cœno peccati, & actus virtutum exercendi: per quæ initia fidei & salutis ex solis naturæ viribus elicita dicebant obtineri infallibiliter primam Gratiam, & alias Gratias interiores necessarias ad servanda mandata, & ad opera salutaria exercenda. Nam hæc salutis initia inter opera bona seu salutaria non numerabant: unde fatebantur Gratiam interiorem prævenientem tum illustrationis, tum piæ motionis voluntatis necessariam esse ad incipienda & perficienda opera salutaria.

Ex hac doctrina sequebantur alii Semipelagianorum errores, scilicet.

1. Primam Gratiam non dari gratis, sed utcunque debitam reddi quibusdam actibus ex solis naturæ viribus elicitis. Itaque sentiebant Gratiam illam, cujus ope homo se disponit ad justificationem, dari intuitu boni usus liberi arbitrii, eumque supponere: ita ut qui eam accipit, ideò accipiat, quia bono naturæ benè usus ad eam meruit pervenire: qui verò eam non accipit, ideò non accipiat, quia non benè usus bono naturæ, ad eam pervenire non meruit. Quidam tamen ex Semipelagianis putabant aliquibus interdum hanc Gratiam donari, etiamsi non benè usi sint libero arbitrio: sed negabant eam omnibus sic gratis dari.

2. Gratiam, quæ omnia humana merita prævenit, esse naturam, seu liberum arbitrium gratuitò nobis à DEO donatum, quo solo possimus velle credere, velle sanari, orare, &c. Et per volitionem credendi, fidem inchoatam, desiderium salutis, orationem ex solis naturæ viribus elicita obtineri auxilia Gratiæ ad justificationem consequendam, & ad servanda omnia mandata usque in finem. Ad initium tamen fidei prærequirebant prædicationem fidei externam, qua posita voluntas ex se sola poterat velle credere, orare, inquirere salutem.

3. Non dari prædestinationem gratuitam ad Gratiam & Fidem.

4. DEUM velle indifferenter seu æqualiter salutem omnium hominum.

5. Christum pro omnibus omnino hominibus æqualiter mortuum esse, seu ex æquali affectu mortem pro omnium salute obtulisse.

6.

6. Infantes, qui cum Baptiſmo moriuntur ideò baptizatos fuiſſe, quia DEUS prævidit eos bonam vitam acturos fuiſſe, ſi ad adultam ætatem perveniſſent: eos verò, qui ſine Baptiſmo moriuntur, ideò non fuiſſe baptizatos, quia DEUS prævidit eos malè victuros fuiſſe, ſi libero arbitrio uſi fuiſſent.

7. Evangelium ideò prædicari his nationibus quibus prædicatur, quia DEUS prævidit illas eſſe credituras ſi illud audirent, & ideò non prædicari aliis nationibus, quia DEUS prævidit illas non eſſe credituras.

8. DEUM ad gloriam prædeſtinaſſe infantes, qui ante annos diſcretionis moriuntur ex prævisione operum ſalutarium quæ feciſſent, ſi diu vixiſſent: adultos verò omnes & ſolos quos prævidit ex ipſis naturæ viribus elicituros volitionem credendi, fidem inchoatam, orationem, & per hos actus naturales accepturos auxilia Gratiæ, quibuſcum mandata uſque in finem ſervaturi ſunt.

Hæc omnia conſtant ex S. Proſpero, Hilario, ex S. Auguſtino, & ex Fauſti Regienſis libris de libero arbitrio: ex his autem ſequitur non à Salvatore & auctore ſalutis, ſed à natura initium ſalutis duci, & ipſam ſalutem oriri.

Porro hi, qui ita ſentiebant, dicti ſunt Semipelagiani, eò quòd non omnes Pelagianorum errores admitterent. Nam ab iis diſſentiebant in eo, quòd confiterentur tum peccatum originale, tum neceſſitatem Gratiæ interioris, etiam immediatè afficientis voluntatem ad opera ſalutaria exercenda. Iis verò conſentiebant in eo, quòd docerent hominem poſſe ex ſolis naturæ viribus velle credere, deſiderare ſalutem, orare, & quidem utiliter ad ſalutem: & Gratiam dari propter opera merè naturalia: quamvis hæc inter opera ſalutaria non recenſerent.

ARTICULUS IV.

Utrùm Semipelagiani admiſerint neceſſitatem Gratiæ interioris prævenientis ad initium ſalutis?

§. I.

Nota. JAnſenius, l. 8. de hæreſi Pelagiana, docet Semipelagianos admiſiſſe adjutorium ex parte voluntatis neceſſarium etiam ad initium fidei, orationem, &c. Sed in hoc erraſſe, quòd dicerent voluntatem poſſe tali Gratiæ reſiſtere. Sic enim, l. cit. c. 6. ait: *In hoc ergo propriè Maſſilienſium error ſitus eſt, quòd aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum, ita lapſus homo ſaltem credere poſſet, ſi vellet: neuter tamen abſque interioris Gratiæ adjutorio, cujus uſus vel abuſus relictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio & poteſtate.* Ex quo patet in Janſenii libro contineri quoad ſenſum ab eo intentum ſeu expreſſum quartam ex quinque famoſis propoſitionibus ab Eccleſia damnatis.

Dico. Semipelagiani non admiſerunt neceſſitatem Gratiæ interioris ex parte voluntatis ad initium ſalutis: ſcilicet ad voluntatem credendi, fidem inchoatam, deſiderium ſanitatis, & orationem: ſed docuerunt ad hos actus ſufficere naturales liberi arbitrii vires.

Prob. 1. Ex teſtimonio Hilarii. Semipelagianorum, inter quos morabatur, doctrinæ peritiſſimi, in ſua ad S. Auguſtinum Epiſtola, ubi ait: *Id conveniens aſſerunt veritati, vel congruum prædicationi, ut cùm proſtratis & nunquam ſuis viribus ſurrecturis annunciatur obtinendæ ſalutis occaſio, eo merito, quo voluerint, & crediderint à ſuo morbo ſe poſſe ſanari, & ipſius fidei augmentum, & totius ſanitatis ſuæ conſequantur effectum.* Et infra. *Quod dicitur: crede, & ſalvus eris: unum horum exigi aſſerunt, aliud offerri: ut propter id, quod exigitur, ſi redditum fuerit, id quod offertur, deinceps tribuatur. Unde conſequens putant exigendam ab eo fidem, cujus naturæ id voluntate conditoris conceſſum eſt: & nullam ita depravatam vel exinctam putant, ut non debeat vel poſſit ſe velle ſanari: propter quod vel ſanetur quis à ſua, vel ſi noluerit, cum ſua ægritudine puniatur: nec negari Gratiam, ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm medicum quærat, non autem quidquam ipſa jam valeat* (ad juſtificationem ſcilicet, & ſalutem

per ſe conſequendam.) Ergo ex Hilario Semipelagiani ſentiebant hominem poſſe ſolis naturalibus arbitrii viribus velle ſanari, & credere ſe poſſe ſanari, & merito hujus voluntatis ac fide conſequi augmentum fidei & juſtificationem. Item putabant ab homine exigi fidem, ad quam ſola natura ſufficiat, ut poſtea ſanetur, nec negari Gratiæ neceſſitatem, ſi dicatur præcedere volitio ſolis naturæ viribus elicita, quæ quærat medicum ſeu oret. Ergo ſentiebant hominem non egere Gratia interna ex parte voluntatis ad fidem inchoatam, & orationem.

Prob. 2. Ex S. Proſpero, in ſua ad S. Auguſt. Epiſtola, ubi ſcribit Semipelagianos aſſerere: *Quantum ad DEUM pertinet, omnibus paratam vitam æternam: quantùm autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui DEO ſponte* (id eſt ex ſolis naturæ viribus) *crediderint, & auxilium Gratiæ merito credulitatis acceperint.* Et inferius: *Cùm in his, qui tempus acceperunt liberæ voluntatis, duo ſint, quæ humanam operentur ſalutem, DEI ſcilicet Gratia, & hominis obedientia: priorem volunt obedientiam eſſe quàm Gratiam, ut initium ſalutis ex eo, qui ſalvatur, non ex eo credendum ſit ſtare, qui ſalvat: & voluntas hominis divinæ Gloriæ ſibi pariat opem, non Gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem: &c.*

Prob. 3. Ex S. Auguſtino, lib. de dono perſeverantiæ, c. 2. ubi de Semipelagianis ſic ait: *Qualiſcunque inventa eſt contradictio ut donum DEI, non initium, ſed augmentum fidei diceretur.* Et c. 23. *Attendant ergo quomodo falluntur, qui putant eſſe à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulſemus: & hoc eſſe dicunt, quòd Gratia præceditur merito noſtro, ut ſequatur illa, cum accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulſantibus: nec volunt intelligere, etiam hoc divini muneris eſſe, ut oremus, hoc eſt, petamus, quæramus, atque pulſemus.* Et l. de prædeſtinatione Sanctorum, c. 3. poſtquam retulit hæc Apoſtoli verba: *Quid habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quare gloriaris, quaſi non acceperis?* Sic ait: *Quo præcipuè teſtimonio etiam convictus ſum, cùm ſimiliter errarem, putans fidem, qua in Deum credimus, non eſſe donum DEI, ſed à nobis eſſe in nobis, & per illam nos impetrare DEI dona, quibus temperanter & juſtè & piè vivamus in hoc ſæculo. Neque enim fidem putabam DEI Gratia præveniri, ut per illam nobis daretur, quod poſceremus utiliter, niſi quia credere non poſſumus, ſi non præcederet præconium veritatis: ut autem prædicato nobis Evangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & in nobis ex nobis eſſe arbitrabar.* Ergo S. Auguſtinus, cùm eodem errore, quo poſtea Semipelagiani laborabant, derineretur, putabat fidem non eſſe donum DEI, ſed in nobis eſſe à nobis, hoc eſt, à ſolis naturæ viribus: & hoc ſentiebat, quia putabat fidem non pendere à Gratia præveniente, ſed ad eam præter naturales arbitrii vires ſufficere externam veritatis Evangelicæ propoſitionem. Ergo hoc idem ſentiebant Semipelagiani.

Prob. 4. Ex Innocentii X. Conſtitutione ab Eccleſia Catholica recepta, qua ut falſa & hæretica damnatur hæc Janſenii propoſitio: *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.* Cujus propoſitionis pars prior, nempe (Semipelagiani admittebant Gratiæ prævenientis neceſſitatem etiam ad initium fidei) damnata eſt ùt falſa: poſterior verò, nempe (& in hoc erant hæretici, quòd vellent tali Gratiæ poſſe reſiſti) ùt hæretica damnata eſt. Nam cùm propoſitioni duplex inuſta ſit nota, nempe falſitatis & hæreticitatis, ùt falſa damnatur ſecundùm priorem ſui partem & ùt hæretica ſecundùm poſteriorem, ùt rectè notat Illuſt. Carnotenſis Epiſcopus, in ſua Inſtitutione Paſtorali, qua damnantur Inſtitutiones Theologicæ, Janſenianam hæreſim continentes. Ergo Eccleſia Catholica, quæ Innocentii Conſtitutionem recepit,

pit, damnat ùt falsum, quòd Semipelagiani admitterent necessitatem Gratiæ prævenientis etiam ad initium fidei. Ergo eos hanc necessitatem non admisisse, certum est saltem fide Ecclesiastica, quæ nititur motivo infallibili, nempe authoritate Ecclesiæ circa textus dogmaticos.

Præterea si prior pars propositionis damnatæ, quæ est facti dogmatici, esset vera, altera pars, quæ est juris, esset quoque vera: quod est hæreticum. *Prob. seq. maj.* Si verum est Semipelagianos admisisse prævenientis Gratiæ necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei, illi non errarunt nisi circa modum quo Gratia illa voluntatem permoveret: & fuerunt in eo hæretici, quòd dicerent Gratiam interiorem esse talem, cui voluntas humana posset resistere vel obtemperare, quæ est secunda pars propositionis, in quam cadit hæreseos nota. Neque enim fuerunt in eo hæretici, quòd admitterent Gratiam per se efficacem in sensu Jansenii & aliorum, ùt facilè concedunt adversarii, alioqui fatererentur se esse Semipelagianos. Igitur prior pars propositionis jus ipsum etiam involvit, & ita cum posteriore connexa est, ut illa nequeat esse vera, quin vera quoque sit altera.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Prosper, in sua ad S. Augustinum Epist. sic de Massilienſibus ait: *Nec considerant se Gratiam DEI, quam comitem, non præviam humanorum voluntatum esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere quas ab ea secundùm suam phantasiam non negant esse præventas.*

Resp. Semipelagiani admiserunt Gratiam comitem, & prævenientem bona opera, quæ sola dicebant esse salutaria: sed non prævenientem fidem, orationem, quas non numerabant inter opera salutaria. Et nunquam agnoverunt necessitatem Gratiæ interioris prævenientis, quam fides vel oratio ex solis naturæ viribus elicita saltem ùt prævisa non possit præcedere.

Obj. 2. S. Augustinus, l. de prædestin. Sanctorum, cap. 1. de Semipelagianis ait: *Pervenerunt etiam, ut præveniri voluntates hominum DEI Gratia fateantur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum, sibi quemquam sufficere posse consentiant.* Ergo Semipelagiani admiserunt fidem & orationem esse à præveniente Gratia.

Resp. Nego conseq. Nam, ùt ex Prospero & Hilario constat, Semipelagiani inter opera bona, pia ac salutaria non numerabant fidem inchoatam, desiderium salutis, & orationem: negabantque istos actus esse priè opera salutis & pietatis: fortasse quia putabant esse actus merè naturales, nec nisi remotè conducere ad salutem. Unde S. Augustinus, post verba objecta sic loquitur, c. 1. *Priùs itaque fidem, qua Christiani sumus, donum DEI esse debemus ostendere .... sed nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex DEO .... quasi non pertineat ad DEI Gratiam, quòd credere cœpimus, sed illud potiùs, quod propter hoc nobis additur, ut pleniùs perfectiùsque credamus: ac per hoc: initium fidei nostræ prioris damus DEO, ut retribuatur nobis & supplementum ejus, & si quid aliud fideliter poscimus.* Hinc etiam postquam Hilarius, in sua ad Augustin. Epist. dixit: *Cæterum ad nullum ejus (salutare ac pium) vel incipiendum, nedum perficiendum, quemquam sibi sufficere posse consentiunt*: statim subjicit: *Neque enim alicui operi curationis eorum annumerandum putant, exterrita & supplici voluntate unumquemque ægrotum velle sanari.*

Obj. 3. Cassianus unus è Semipelagianorum ducibus, collatione 3. c. 4. ait: *Ex DEO quidem est, quoties inspiratio quædam immissa in cor nostrum, nonnunquam etiam dormientes nos ad desiderium æternæ vitæ ac salutis exsuscitat, DEUMque sequi, & ejus*

ejus inhærere præceptis, compunctione salubérrima cohortatur. Et collation. 13. c. 3. *Quibus manifestè colligitur, non solùm actuum, verùm etiam cogitationum bonarum ex DEO esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem atque opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi.*

Resp. Cassianus docuit hominem præveniri Gratia aliquando, sed non semper: & ex hominibus alios inchoare salutem ex solis naturalibus liberi arbitrii viribus, alios verò ex præveniente Gratia, quamvis hi potuerint etiam illam inchoare ex solis naturalibus viribus: quod constat ex collatione 13. c. 9. ubi ait: *Ut autem evidentiùs clareat, etiam per naturæ bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen nisi à Domino dirigantur, ad consummationem virturum pervenire non possunt, Apostolus testis est, dicens: velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio.* Et cap. 11. *Si Gratia DEI semper inspirari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæi fide, quid de illius in cruce latronis pietate dicimus, qui desiderio suo vim quamdam regnis Cœlestibus inferentes, specialis vocationis monita prævenerunt? .... Cùm viderit nos DEUS ad bonum velle deflectere, occurrit, dirigit, atque confortat.* Et c. 13. *Ita semper Gratia DEI nostro in bonam partem cooperatur arbitrio atque in omnibus illud adjuvat, protegit, ac defendit, ut nonnunquam etiam ab eo quosdam conatus bonæ voluntatis vel exigat, vel expectet: ne penitùs dormienti, aut inerti otio dissoluto sua dona conferre videatur.* Quare licet Cassianus admiserit Gratiam interdum prævenire voluntatem hominis, tamen eam non admisit ùt necessariam. Quod etiam patet ex testimonio S. Prosperi, l. adversùs Collatorem, ubi hæc de Cassiani sententia ait: *His definitionibus hoc docetur .... inesse omni animæ naturaliter virtutum semina beneficio Creatoris inserta, ut possit qui voluerit, judicio naturali DEI Gratiam prævenire, & adjutorium ejus, quo facilius ad perfectionem perveniat, promereri: quia nullius sit laudis ac meriti, qui donatis bonis, non propriis adornatur. Cavendum quoque esse, ne ita ad DEUM omnia Sanctorum merita referantur, quasi per se nihil boni possit agere ipsa natura humana, cùm tanta sit ejus virium integritas, ut contra ipsum diabolum, sævitiamque ejus usque ad extrema supplicia sine auxilio DEI valeat dimicare.*

Obj. 4. Faustus, lib. 2. de Gratia, cap. 6. primas partes tribuit Gratiæ.

Resp. Per Gratiam ibi intelligit Gratiam externam, nempe propositionem veritatis Evangelicæ. Quod satis patet ex capite sequenti, ubi ait: *Ita Dominus invitat volentem, trahit desiderantem, erigit adnitentem: quid est autem trahere, nisi prædicare, nisi Scripturarum consolationibus excitare?* &c. Præterea etiamsi hoc intelligeret de Gratia interna, sequeretur tantùm, quòd primas partes tribuat Gratiæ in operibus salutaribus, ad quæ Semipelagiani fatebantur necessariam esse, non autem in initiis salutis, seu fide, oratione, quæ nolebant dici opera salutaria.

Porrò Semipelagiani per Gratiam initialem intelligebant dona naturalia intellectus ac voluntatis, & prædicationem Evangelicam seu instructionem externam.

Obj. 5. Gennadius, lib. de Ecclesiasticis dogmatibus, c. 19. ait: *Initium ergo salutis nostræ, DEO miserante habemus: ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est: ut adipiscamur, quod acquiescendo monitioni cupimus, divini est muneris,* &c.

Resp. His verbis non exponitur sententia Semipelagianorum, sed exprimitur dogma Catholicum, si rectè intelligantur. Equidem Gennadius, in suo de Viris Illustribus libro Cassianum & Faustum Regiensem multùm laudavit, Prosperum verò Gratiæ defensorem depressit: sed novum non est, quod aliqui varias ob causas errorum authores aut sectatores ament & laudent, licèt eorum erroribus non adhæreant, præsertim si nondum fuerint ab Ecclesia damnati. Quòd si Gennadius aliquando Semipelagianus fuit, certè resipuit antequam

Il-

librum de Ecclesiasticis dogmatibus scriberet: vel hic liber *non* est *Gennadii*, sed alterius Authoris; nam patet hunc librum à Doctore Catholico compositum fuisse.

Nota. Semipelagiani docebant initium salutis esse à nobis in hoc sensu, quod ex solis naturæ viribus credimus, salutem desideramus, petimus, inquirimus, & illorum actuum merè naturalium intuitu ac merito Gratiam justificationis & auxilia Gratiæ ad servanda omnia mandata necessaria obtinemus. His autem salutis initiis infallibilem vim merendi Gratiam internam sive de condigno, sive de congruo tantùm attribuebant. Nam sentiebant id à DEO certa lege statutum fuisse, ut ponentibus hæc salutis initia tribueretur Gratia. Hancque rationem afferebant: quia alioqui DEUS esset acceptor personarum, & dona sua irrationabiliter distribueret.

ARTICULUS V.

Utrùm controversia fuerit Catholicos inter & Semipelagianos de Gratia necessitante?

Nota. JAnsenius (ut dictum est) docet Semipelagianos admisisse necessitatem Gratiæ prævenientis etiam ad initium salutis: & in hoc errasse, quòd dicerent talem Gratiam repudiari posse: unde asserit inter illos & Catholicos contentionem fuisse de necessitate Gratiæ necessitantis, quam negabant Semipelagiani, & tuebantur Catholici.

Dico. S. Augustini & aliorum Catholicorum contentio cum Semipelagianis non fuit de Gratia necessitante, sed de necessitate interioris Gratiæ prævenientis etiam ad quodvis initium salutis, fidem, orationem, & ad omnem actum aliquid conducentem ad salutem æternam.

Prob. 1. Quia (ut probatum est) S. Augustinus semper sensit manere sub Gratia etiam efficaci libertatem ab omni necessitate antecedente intrinseca.

Prob. 2. Quia Semipelagiani non admittebant necessitatem interioris Gratiæ prævenientis ad initium salutis, ut præcedenti articulo ostensum est: & fide constat Gratiam interiorem prævenientem relinquere voluntati libertatem ab omni necessitate simplici intrinseca. Ergo Semipelagianos inter & Catholicos controversia esse non potuit de necessitate Gratiæ necessitantis: sed fuit de Gratiæ interioris prævenientis necessitate etiam ad quodvis initium salutis.

Prob. 3. Ex S. August. qui, l. de prædest. Sanctorum, c. 2. statum controversiæ cum Semipelagianis sic exponit: *Prius itaque fidem qua Christiani sumus, donum Dei esse debemus ostendere, si tamen diligentiùs id facere possumus, quàm in voluminibus tot tantisque facimus. Sed nunc eis respondendum esse video, qui divina testimonia, quæ de hac re adhibuimus, ad hoc dicunt valere, ut noverimus ex nobis quidem nos habere ipsam fidem, sed incrementum ejus ex Deo: tamquam fides non ab ipso donetur nobis, sed ab ipso tamen augeatur in nobis eo merito, quo cœpit à nobis, &c.* Semipelagiani autem dicebant nos ex nobis habere fidem, nec ipsam nobis à DEO donari; quia sentiebant ad illam sufficere naturales liberi arbitrii vires, nec illam præveniri interiore Gratia, ùt S. Augustinus testatur se sensisse, cùm similiter erraret.

Prob. 4. Ex S. Prospero, l. contra Collatorem, ubi Cassianum arguit, non quòd asserat ad initium salutis sufficere Gratiam repudiabilem, sed quòd desiderium virtutum soli naturali arbitrio adscribat, quòd doceat hominem habere ex solis naturæ viribus desiderium sanitatis, orationem, & salutares conatus; sic enim ait: *Ecce hic etiamsi bonis cœptis necessarium DEI fateaeris auxilium; ipsos tamen laudabiles motus appetitusque virtutum, remota Gratia Dei, nudæ libertati adscribis arbitrii: ut boni salubresque conatus nequeant quidem proficere, nisi DEUS adjuvet; possint tamen, etiamsi à DEO non inspirentur, incipere. Deinde ut evidentiùs definias, quid hoc ex libero arbitrio habeat, quid sumat ex Gratia DEI, addis & dicis: nec enim cum voluerit quis, sanitate perfruitur, aut de æ-*

gritudinis morbo pro arbitrii sui desiderio liberatur: Doces ergo non posse quidem hominem per semetipsum apprehendere sanitatem, sed habere eum à semetipso desiderium sanitatis, & sua tantum sponte venire ad medicum, non etiam hoc medici esse, quòd veniat. Et in eodem libro Cassianum objurgat, quòd dicat Gratiam DEI secundùm merita nostra dari, asserendo in hominibus aliquem bonum actum & conatum ex solis viribus elicitum præcedere, propter quem Gratiam ad justificationem & ad exercenda alia opera salutaria consequantur. *Convinceris*, inquit *dicere, Gratiam DEI secundùm merita nostra dari, cùm aliquid præcedere boni operis ex ipsis hominibus, propter quod Gratiam consequantur, affirmas.*

Confirm. Quia Cœlestinus I. in sua ad Gallos Episcopos epist. Concilium Arausicanum II. in suis canonibus seu capitulis continentibus doctrinam catholicã oppositam erroribus Semipelagianorum, & Bonifacius II. hos canones approbans & confirmans nullam mentionem faciunt Gratiæ necessitantis vel prædeterminantis, nec definiunt eam necessariam esse ad initium salutis: sed definiunt, interiorem Gratiam prævenientem necessariam esse ad quemlibet actum conducentem aliquid ad salutem, & ad quodvis initium fidei ac salutis. Ergo Catholicos inter & Semipelagianos contentio non fuit de Gratia necessitante, sed de Gratiæ interioris prævenientis necessitate ad quodvis initium salutis: alioqui Summi Pontifices & Episcopi Catholici nil egissent, nec condemnassent errores contra quos agebant.

Obj. 1. S. Prosper in sua ad Augustinum Epistola, eum rogat, ut explicet quomodo Gratia illa interior, sine qua dicit neminem credere, aliudve bonum agere, non tollat liberum arbitrium; nam sic ait: *Obsecro, ut digneris aperire, quomodo per istum præoperantem & cooperantem Gratiam liberum non impediatur arbitrium.* Ergo contentio erat cum Semipelagianis de necessitate Gratiæ necessitantis etiam quoad initium salutis.

Resp. Nego conseq. Imò contrarium potiùs ex *antecedente* sequitur; nam Prosper non postularet à S. Augustino quomodo Gratia, de qua agebatur, non tolleret libertatem, si Catholici censuissent illam esse necessitantem. Si enim illa Gratia necessitat, per se evidens est per eam adimi liberum arbitrium, consistens secundùm fidem in immunitate ab omni necessitate simplici antecedente intrinseca. Item Prosper manifestè supponit illam Gratiam non impedire libertatem ab omni necessitate; nam non quæritur explicatio modi, quo una res non impedit aliam, nisi supponatur utraque simul existere.

Itaque S. Prosper rogat S. Augustinum, ut explicet, quomodo Gratia interna omnem actum conducentem ad salutem præveniens non impediat libertatem indifferentiæ activæ, 1. quia Semipelagiani dicebant cum Pelagianis hanc prævenientem Gratiam, cujus necessitatem & gratuitatem astruebant Catholici, tollere libertatem indifferentiæ: & hoc dicebant, quia constituebant libertatem arbitrii in naturali facultate volendi vel non volendi, ex se completa independenter ab auxilio interno, quod non penderet à voluntate nostra, ut adesset. Nam, ùt Prosper, in eadem Epistola testatur, contendebant, *Quantùm quisque ad malum, tantùm habere facultatis ad bonum, parique momento animum se vel ad vitia vel ad virtutes movere, quem bona appetentem Gratia DEI foveat.* Volebant igitur Semipelagiani hominem habere tantam facultatem naturalem, nempe radicalem, ad bonum, quantam habet ad malum: quatenus tam potest ex solis naturalibus arbitrii viribus elicere aliquos actus, nempe fidem, desiderium salutis & orationem, per quos obtinet Gratiam necessariam ad alios actus salutares exercendos: & sic secundùm illos homo tam potest ex solis naturæ viribus bonum sive immediatè sive mediatè agere quàm malum. 2. Quia S. Augustinus & Catholici asserebant hanc Gratiam præoperantem & cooperantem producere infalliliter effectum ad quem datur, & tamen

à

à ſolo DEI beneplacito pendere. At non facilè intelligitur, quomodo ſerverur liberum arbitrium cum auxilio interno prævenient & omnino gratuito, quod infallibiliter efficit id, ad quod datur.

Dices. Per ſe patet Gratiam repudiabilem non tollere liberum arbitrium.

Reſp. Hoc etiam non quærebat Proſper: ſed quærebat quomodo Gratia præoperans & cooperans cum ſua efficacia & infallibilitate poſſet eſſe ex ſe repudiabilis, ſicque non impedire liberum arbitrium. Quamvis enim ipſe ſciret & ſupponeret cum Catholicis, Gratiam quantumvis efficacem eſſe ex ſe repudiabilem, tamen perſpiciebat difficultatem in concilianda Gratiæ efficacia & infallibilitate cum ejuſdem repudiabilitate intrinſeca: & ideo explicationem poſtulabat.

Obj. 2. Contentio Catholicos inter & Semipelagianos erat de fide, utrùm eſſe donum DEI. Sed fides non eſt donum DEI, niſi ſit ex Gratia determinante ac neceſſitante. Ergo.

Reſp. Nego min. Nam fides hoc ipſo eſt donum DEI, quòd DEUS gratuito donat Gratiam infallibiliter connexam cum actu fidei, licet ſit de ſe repudiabilis; tunc enim fides eſt à DEO donante cauſam principalem & ſuperiorem actus fidei: ſive eſt à DEO gratuito illum efficiente per Gratiam ùt cauſam principalem, & per voluntatem ùt Gratia motam. Enim verò S. Auguſtinus ante Epiſcopatum ideo præcisè negabat fidem eſſe donum DEI, quia putabat hominem ad eam non indigere niſi prædicatione Evangelii, qua facta, ex ſolis naturæ viribus credere poſſet ſine Gratia interna prævenient & cooperante, ùt ipſe fatetur, l. de prædeſtin. Sanct. c. 3. Ergo qui fatetur fidem eſſe ex auxilio Gratiæ interioris prævenientis & cooperantis, gratis datæ, hoc ipſo fatetur fidem eſſe donum DEI.

Nota Omnis actus ſalutaris eſt donum DEI, ſed non purum, ſeu non eſt donum DEI tantùm; nam ſic eſt donum DEI, ut ſit etiam noſtrum meritum, ùt definit Concilium Tridentinum; quia nempe DEUS gratuitò efficit actum ſalutarem per voluntatem humanam prævenitam & adjutam Gratia, non neceſſitatam, ſed agentem ex propria ac libera determinatione. At Gratia prævenians eſt purum DEI donum; quia DEUS Gratiam voluntati donat, hanc irreſiſtibiliter applicando & determinando, ſeu neceſſitando ad productionem motus indeliberati amoris vel deſiderii, vel timoris aut fugæ: & ſic voluntas non liberè cooperatur productioni Gratiæ.

Ex dictis ſatis patet controverſiam Catholicos inter & Pelagianos ac Semipelagianos non fuiſſe de Gratia adjuvante prædeterminante. Nam, ùt oſtenſum eſt, fuit præcisè de Gratiæ prævenientis, & immediatè efficientis voluntatem, & gratuitæ neceſſitate ad quemlibet actum conducentem ad ſalutem. Præterea Summi Pontifices & Concilia nullam faciunt mentionem Gratiæ prædeterminantis: ſed præcisè definiunt neceſſitatem Gratiæ interioris prævenientis & gratuitæ.

ARTICULUS VI.

De erroribus Janſenii Iprenſis, & ejus Sectatorum.

JAnſenius, natione Holandus, genere obſcurus, in Academia Lovanienſi cathedram Profeſſoris Scripturæ Sacræ adeptus, librum adversùs Reges Galliæ, qui *Mars Gallicus* inſcribitur, edidit, & paulò poſt ab Hiſpanis Epiſcopatum Iprenſem accepit: ſed poſt triennium Epiſcopatus peſte ſolus interemptus eſt *anno* 1638. poſtquam ultimam appoſuiſſet manum operi, quod inſcripſit, *Auguſtinus.* Hoc infauſtum opus judicio quidem Sedis Apoſtolicæ ſubjecit: ſed amicis ſuis commiſit, ut illud in lucem ederent: quod magno ſtudio præſtiterunt. *Anno* ſequenti nempe 1641. ab Urbano VIII. cui dicatum erat, poſt maturum examen damnatum eſt Conſtitutione, qua Pii V. & Gregorii XIII. Bullas contra Michaëlis Baji 79. propoſitiones editas confirmat. Sed quia non obſtante Pontificia damnatione

Jansenianæ doctrinæ virus latiùs in dies serpebat, octoginta quinque Galliarum Episcopi specialiori Jansenianæ doctrinæ damnatione opus esse censuerunt. Quare collectas ex Jansenii doctrina quinque propositiones ad Innocentium X. communi consilio miserunt, obtestantes ut has propositiones, de quibus erat disceptatio periculosior & ardentior contentio, expenderet, ac certam de unaquaque ferret sententiam.

Innocentius his litteris acceptis propositiones & librum ex quo excerptæ sunt, per biennium in Congregatione ad hoc speciatim instituta examinari curavit tanta diligentia, ut major desiderari non posset, quemadmodum testatur in sua Bulla Alexander VII. tunc Cardinalis Inquisitor: deinde Constitutionem edidit, qua quinque propositiones sigillatim ùt hæreticas damnat affixa unicuique speciali censura: quæ quidem Constitutio ab universali Ecclesia recepta est. Deinde anno sequenti dedit Breve, quo non solùm Jansenii liber damnatur, sed insuper prohibentur omnes libri, qui in Jansenianæ doctrinæ defensionem sive ante sive post ejus damnationem scripti sunt.

Jansenistæ, qui priùs quinque propositiones, ùt Jansenii doctrinam, propugnaverant, (ùt patet ex libro cui titulus *Ecrit à trois colomnes*, & aliis prioribus eorum scriptis) contenderunt eas in doctrina Jansenii non contineri, nec in sensu ejus doctrinæ damnatas esse, sed solùm in sensu Calvini. Quare Alexander VII. Innocentii Successor anno 1656. novam Bullam promulgavit à tota Ecclesia Catholica receptam, qua declarat quinque propositiones ex Jansenii libro, cui titulus *Augustinus*, excerptas esse & damnatas, atque à se damnari in sensu à Jansenio intento. Postea idem Pontifex, postulantibus plurimis Galliarum Episcopis & Ludovico Magno, alteram Constitutionem edidit, in qua ad præcludenda Novatorum effugia præscribit Formulam fidei ab omnibus Clericis subscribendam: in qua sincero animo damnare se jurant quinque propositiones in sensu à Jansenio intento, id est, in sensu doctrinæ libri Jansenii.

His Constitutionibus Apostolicis ab Ecclesia Catholica receptis finita erat causa, sed finitus non fuit error. Jansenistæ, qui etsi retenta hæresi sua multiplici Catholici videri volunt, non ausi sunt apertè Ecclesiæ Constitutiones repudiare: sed ut eas quoquo modo eluderent, distinctionem *quæstionis juris* & *facti* excogitarunt: duo scilicet in fidei formula proposita distinguenda esse dixerunt, jus seu doctrinam in quinque propositionibus damnatam, & factum seu hujus doctrinæ attributionem libro Jansenii.

Quoad *jus* declararunt se ex animo & ex interiore assensu damnare in quinque propositionibus sensum omnem erroneum quem Ecclesia damnare voluisset: quantum verò ad *factum*, negarunt se posse aut saltem debere ex animo assentiri Ecclesiæ attributionem doctrinæ libro Jansenii definienti, eò quòd velint Ecclesiam errare posse circa quæstiones facti etiam dogmatici, nec talia ejus judicia digna esse nisi obsequioso silentio. Nihilominus ut beneficia vel Ordines accipiant, jurant se sincero animo damnare ùt hæreticas quinque propositiones in sensu Jansenii: sicque perjurii crimen non formidant, qui se vel ipsum restrictionis nomen exhorrere profitentur, & severiorem doctrinam moralem in omnibus sequi se jactitant, sed falsò: hæresis nempe Jansseniana continet principium omnis morum corruptelæ, docens hominem quoties peccat, necessitari insuperabiliter per concupiscentiam ad peccandum; nam hoc ipso justam & legitimam excusationem omnibus peccatis ac criminibus præbet; quænam enim major ac justior criminum excusatio potest esse, quàm insuperabilis necessitas peccandi?

Anno 1669. Clemens IX. in Rescripto ad quatuor Galliæ Episcopos, qui simplicem Formulario subscriptionem primùm detrectaverant, deinde se veram obedientiam Constitutionibus Apostolicis exhibuisse asseruerant, declarat se Prædecessorum suorum Constitutionibus firmissimè inhærere, nul-

nullamque circa factum Janſenii exceptionem aut reſtrictionem admiſſurum.

Anno 1694. Innocentius XII. Breve edidit, quo vetat, ne quid addatur vel detrahatur Formulario Alexandri VII. Et anno 1696. altero diplomate declarat ſe confirmaſſe & iterum confirmare ejuſdem Alexandri Conſtitutionem & formularium.

Anno 1705. ex occaſione deciſionis famoſi *Conſcientiæ Caſus* à quadraginta Doctoribus Sorbonicis obſignatæ, qua declarabant Sacramentalem abſolutionem negandam non eſſe viro Eccleſiaſtico, qui ſubſcribendo Formulario, & quinque propoſitiones damnando, interius tamen negat illas in Janſenii libro contineri quoad ſenſum, & quantùm ad quæſtionem facti, ſeu attributionem doctrinæ damnatæ in libro Janſenii, putat religioſum ſilentium ſufficere: ex occaſione, inquam, hujus deciſionis ab Epiſcopis & Summo Pontifice damnatæ prodiit Conſtitutio Clementis XI. quæ incipit: *Vineam Domini Sabaoth*, in qua Conſtitutiones ſupradictæ Innocentii & Alexandri confirmantur, ſilentium obſequioſum pro quæſtione facti rejicitur ùt inſufficiens, internaque, vera ac ſincera facti perſuaſio ac confeſſio exigitur his verbis: *Ac inſuper ut quævis in poſterum erroris occaſio penitùs præſcindatur, atque omnes Eccleſiæ Catholicæ filii Eccleſiam ipſam audire, non tacendo ſolùm, (nam & impii in tenebris conticeſcunt) ſed & interiùs obſequendo, quæ vera eſt orthodoxi obedientia, condiſcant: hac noſtra perpetuò valitura Conſtitutione, obedientiæ, quæ præinſertis Apoſtolicis Conſtitutionibus debetur, obſequioſo illo ſilentio minimè ſatisfieri, ſed damnatum in quinque præfatis propoſitionibus Jaſeniani libri ſenſum, quem illarum verba præſeferunt, ùt præfertur, ab omnibus Chriſti fidelibus ùt hæreticum, non ore ſolùm, ſed & corde rejici ac damnari debere: nec alia mente, animo, aut credulitate ſupradictæ formulæ ſubſcribi licitè poſſe: ita ut qui ſecùs aut contra, quoad hæc omnia & ſingula, ſenſerint, tenuerint, prædicaverint verbo vel ſcripto docuerint, aut aſſeruerint, tanquam præfatarum Apoſtolicarum Conſtitutionum tranſgreſſores, omnibus & ſingulis illarum cenſuris, & pœnis omnino ſubjaceant, eadem Authoritate Apoſtolica decernimus, declaramus, ſtatuimus, & ordinamus.*

Per hanc Conſtitutionem, quam perinde ac præcedentes Catholica Eccleſia recepit & probavit, ſolemniterque receperunt Galliæ Epiſcopi, ab ultimo ſuo inani præſidio dejecti ſunt Janſeniſtæ.

Verùm cùm tot fulminibus percuſſam Janſenii doctrinam tuendam pertinaciùs ſuſcepiſſet Paſchaſius Queſnellus; idem Clemens XI. poſtrema ſua Conſtitutione ab Eccleſia Catholica recepta, quæ incipit, *Unigenitus DEI Filius*, Queſnelli annotationes in novum Teſtamentum damnavit tanquam innovantes jam toties proſcriptam Janſenianam hæreſim, novos alios errores inducentes, atque 101. propoſitiones ex illis annotationibus excerptas damnavit.

His præmiſſis jam famoſæ illæ quinque propoſitiones ex Janſenii libro excerptæ, & in eo quoad ſenſum contentæ, omnemque ejuſdem libri doctrinam compendio quodam continentes, exponendæ ſunt cum propria cujuſque cenſura, & ſimul veritates Catholicæ ſingulis oppoſitæ.

Prima propoſitio: *Aliqua DEI præcepta hominibus juſtis volentibus, & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant.*

Cenſura: Hæc propoſitio *temeraria, impia, blaſphema, anathemate damnata, & hæretica declaratur, & uti talis damnatur.*

Senſus in quo damnata eſt. Aliqua DEI præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus, ſecundùm præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia impoſſibilitate phyſica & antecedente, ſed variabili & relativa, ſeu relatè ad tales juſtos tali motu concupiſcentiæ affectos. Deeſt quoque illis gratia, qua verè in his circumſtantiis poſſibilia fiant.

Hæc propoſitio iiſdem terminis continetur, & fusè probatur, l. 3. de Gratia Chriſti, c. 13. reliquæ verò quatuor non exprimuntur iiſdem verbis in opere Janſenii,

ſed continentur quoad ſenſum, & doctrinam in illo traditam.

Veritas Catholica oppoſita. Nulla DEI præcepta, quando urget eorum obſervatio, impoſſibilia ſunt hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundùm præſentes, quas habent, vires: nec deeſt eis Gratia verè ſufficiens, qua completè & expeditè poſſibilia fiant in iis circumſtantiis, in quibus verſantur.

Secunda propoſitio: *Interiori Gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.*

Cenſura. Hæc propoſitio *hæretica declaratur, & uti talis damnatur.* Senſus in quo damnata eſt. In ſtatu naturæ lapſæ Gratia interior ſemper efficit in nobis omne bonum, quod efficere poteſt in iis circumſtantiis, in quibus datur, & nunquam fruſtratur effectu, ad quem hic & nunc datur. Continetur autem quoad ſenſum & probatur, lib. 2. de Gratia Chriſti præſertim c. 25.

Veritas Catholica ei oppoſita. In ſtatu naturæ lapſæ homines reſiſtunt non rarò Gratiæ interiori, eamque privant effectu, quem habere poteſt in iis circumſtantiis, in quibus datur.

Tertia propoſitio: *Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.*

Cenſura. Hæc propoſitio *hæretica declaratur, & uti talis damnatur.*

Senſus in quo damnata eſt. Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur libertas à neceſſitate phyſica, voluntaria & mutabili, ſed ſufficit libertas à coactione, & à neceſſitate naturali, abſoluta & immutabili.

Hæc propoſitio in hoc ſenſu traditur & continetur in libris 6. 7. & 8. de Gratia Chriſti Salvatoris, vel in ipſis titulis.

Veritas Catholica. Ad merendum & demerendum etiam in ſtatu naturæ lapſæ requiritur in homine libertas ab omni neceſſitate ſimplici, phyſica, etiam voluntaria, mutabili ſeu variabili modò circa bonum, modò circa malum, & tranſeunte.

Quarta propoſitio: *Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quòd vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.*

Cenſura. Hæc propoſitio *falſa & hæretica declaratur, & uti talis damnatur.*

Senſus in quo damnata eſt ùt hæretica. Gratia præveniens neceſſaria ad ſingulos actus ſalutares talis eſt, ut homo lapſus non habeat potentiam completam & expeditam faciendi & non faciendi bonum, ad quod movet. In hoc ſenſu continetur & probatur in libris Janſenii de hæreſi Pelagiana, & in parallelo erroris Maſſilienſium & quorumdam recentiorum.

Veritas Catholica ei oppoſita. Gratia præveniens talis eſt, ut homo lapſus habeat potentiam completam & expeditam ei conſentiendi vel non conſentiendi.

Quinta propoſitio: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe aut ſanguinem fudiſſe.*

Cenſura. Hæc propoſitio *falſa, temeraria, ſcandaloſa, & intellecta eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impia, blaſphema, contumelioſa, divinæ pietati derogans, & hæretica declaratur, & uti talis damnatur.*

Senſus in quo damnata eſt. Semipelagianum eſt affirmare Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute æterna omnium omnino hominum, & omnibus promeruiſſe gratias ſufficientes, quibus ſalutem æternam conſequi poſſint.

Hæc propoſitio quoad ſenſum plurimis in locis Janſeniani operis reperitur, præſertim in duobus poſtremis capitibus libri tertii de Gratia Chriſti.

Veritas Catholica ei oppoſita. Eſt fidei dogma Chriſtum mortuum eſſe pro ſalute æterna omnium omnino fidelium: & pium ac doctrinæ catholicæ conſentaneum eſt dicere, eum mortuum eſſe pro ſalute æterna omnium omnino hominum, quamvis non æqualiter, nec ex æquali affectu.

Porro ſenſum illarum quinque propoſitionum

num damnatarum à nobis traditum, esse verum sensum in quo damnatæ sunt, patet ex duabus regulis, quas adhibet Eminent. Cardin. de Bissy, in sua Institutione pastorali, & quas ipsi Summi Pontifices assignarunt ad cognoscendum sensum in quinque propositionibus damnatum.

Prima regula est. Quinque propositiones damnatæ sunt in sensu à Jansenio intento in suo opere, id est, quem Jansenius tradit in suo opere damnato, qui inscribitur *Augustinus.* Nam ita declaravit Alexander VII. Constitutione ab Ecclesia recepta.

Secunda est. Sensus Jansenii damnatus, est ipsemet sensus obvius quinque propositionum. Nam Innocentius XII. in suo Brevi ad Episcopos Belgii declaravit eas damnatas esse in sensu obvio, quem verba, quibus exprimuntur, præseferunt.

Ex his liquet Jansenistas, dum nolunt quinque Jansenianas propositiones damnare in eo sensu, in quo ab Ecclesia damnatæ sunt, dissentire ab Ecclesia, & erroribus ab ea damnatis pertinaciter adhærere, ideóque verè hæreticos esse, & omnibus hæreticorum pœnis subjici.

CAPUT II.

De diversis naturæ statibus.

STatus naturæ, ùt hìc sumitur, est modus se habendi totius naturæ humanæ in ordine ad finem ultimum secundùm ordinationem divinæ providentiæ. Dividitur in statum viæ, & statum patriæ. Status viæ est ille, in quo tenditur ad beatitudinem. Status patriæ est is, in quo possidetur beatitudo. Agitur hìc tantùm de statu viæ, qui quadruplex distinguitur: scilicet status naturæ puræ, status naturæ integræ, status naturæ innocentis seu instructæ Gratia sanctificante, & status naturæ lapsæ ac per Christum reparatæ.

ARTICULUS I.

Utrùm status naturæ puræ sit possibilis.

Nota. STatus naturæ puræ est ille, in quo natura humana haberet duntaxat perfectiones suas essentiales, & facultates omnes naturales ac sibi naturaliter debitas, cum DEI concursu & providentia proportionatis, sed absque ordinatione ad finem supernaturalem, & ullis donis supernaturalibus, & sine peccato originali pœnisque ei debitis. Certum est, hunc statum nunquam fuisse, nec esse, nec fore. Nam primi Parentes cum dono integritatis conditi fuerunt: & in ipsa creatione vel saltem paulo post ipsam creationem insigniti sunt donis & habitibus supernaturalibus in ordine ad supernaturalem beatitudinem, ad quam à DEO destinabantur, consequendam: ad quam etiam post lapsum manserunt ordinati cum posteris suis, qui omnes, præter Christum & B. Virginem, concipiuntur in peccato originali.

§. I.

Dico. Status naturæ puræ est possibilis. Ita Catholici omnes contra Lutherum, in cap. 3. Genes. Calvinum, lib. 1. Instit. c. 15. Michaëlem Bajum, & Jansenium ejus discipulum tribus libris. tom 2.

Prob. 1. Ex Decreto dogmatico à S. Pio V. edito, à Gregorio XIII. & Urbano VIII. approbato & confirmato, & ab Ecclesia recepto, in quo damnantur hæ propositiones. 21. *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in Consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.* 26. *Integritas primæ creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* 78. *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.* 79. *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à DEO creari & institui sine justitia naturali.*

Prob. 2. Ex Patribus. S. Basilius, l. de Spiritu Sancto dicit Angelos non esse Sanctos natura: à fortiori nec homines. Eadem est autem ratio de aliis donis supernaturalibus. S. Augustin. l. 4. contra Julian. c. 16. ait: *Gratia quippe DEI magna*

ibi

ibi erat, ubi terrenum & animale corpus beſtialem libidinem non habebat. Qui ergo veſtitus Gratiâ non habebat in ſuo corpore quod puderet, ſpoliatus Gratiâ ſenſit, quod operire deberet. Certè ſi donum integritatis, ſeu ſubjectio partis inferioris ad ſuperiorem erat magna Gratia etiam in natura innocente, natura etiam innocens potuit ſine hoc dono condi; nam quod eſt Gratia, non eſt debitum naturæ, & ejus exigentiam ſuperat. Natura autem condi poteſt ſine eo omni, quod ei debitum non eſt, & ejus exigentiam ſuperat. Jam verò donum immortalitatis, ordinatio ad viſionem intuitivam & amorem fruitivum, Gratia ſanctificans, adoptio divina, & cætera dona non ſunt minùs Gratia etiam in natura innocente, quàm donum integritatis: ac proinde tam ſine illis omnibus condi potuit natura etiam innocens, ſeu peccato immunis.

Prob. 3. Ratione. Quia ſtatum naturæ puræ eſſe poſſibilem, eſt, naturam humanam poſſe à DEO condi tum abſque ordinatione ad beatitudinem ſupernaturalem, & ullis donis ſupernaturalibus ad eam aſſequendam ordinatis: tum abſque peccato originali, pœniſque ei debitis. Sed natura humana potuit ſic creari. Ergo ſtatus naturæ puræ eſt poſſibilis. 2. *pars minoris* conſtat; nam reipſa primi Parentes conditi ſunt ſine peccato originali & pœnis ei debitis. *Prob.* 1. *pars*, quia natura humana potuit creari ſine donis ſibi indebitis, ùt patet; alioquin enim illa dona eſſent indebita, ùt ſupponitur: & ſimul non eſſent indebita; quia dona, ſine quibus homo condi non poteſt, ſunt hoc ipſo ejus naturæ debita, & natura illa exigit. Sed ordinatio ad finem ſupernaturalem & dona ſupernaturalia ad eum ordinata, ſunt indebita naturæ humanæ: ſiquidem ſunt quid ſupernaturale; ideóque ſuperant omnem exigentiam naturæ, eique planè ſunt indebita. Enim verò viſio DEI intuitiva ſoli DEO connaturalis eſt, ùt docet S. Thomas; ideoque eſt indebita naturæ creatæ, & conſequenter etiam indebita ſunt omnia dona ſeu media ad eam ordinata; nam media ſunt ejuſdem ordinis, ac finis; ideóque ſunt ſupra exigentiam naturæ, ſi finis ſit ſupra naturæ exigentiam.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. S. Auguſtinus reprehendit Pelagianos, quòd aſſererent infantes naſci ſine peccato: & tamen excludi à Regno Cœlorum, ſi morerentur ſine Baptiſmo. Ergo beatitudo ſupernaturalis debita eſt naturæ innocenti. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. anteced. Et S. Auguſtinus hoc dicit ex ſuppoſitione veritatis Catholicæ, etiam ab ipſis Pelagianis admiſſæ, nempè quòd homines ſint & ſemper fuerint in ſtatu naturæ elevatæ ſeu ordinatæ ad DEI viſionem intuitivam & fruitionem: qua proinde nemo privari poteſt niſi per peccatum mortale, *conc. ant.* Hoc dicit independenter à tali hypotheſi, *neg. ant. Diſting. conſeq.* Ergo beatitudo ſupernaturalis naturæ innocenti debita eſt ex gratuita ordinatione divina, *conc. conſ.* Debita eſt ex exigentia naturæ, quæ non peccavit, *neg. conſ.* In hac & ſimili materia S. Doctor ſemper ſupponit cum Pelagianis ſtatum elevationis, qua homo gratuitò à DEO ordinatus eſt ac deſtinatus ad beatitudinem ſupernaturalem. Quamvis enim Pelagiani negarent Adamum creatum eſſe in ſtatu Gratiæ; tamen fatebantur eum ad ſupernaturalem ſtatum Gratiæ ſanctificantis, & viſionem intuitivam ac fruitionem DEI ordinatum eſſe.

Inſt. 1. S. Auguſtinus docet non eſſe aliam beatitudinem quàm ſupernaturalem.

Reſp. Id docet de præſenti ſtatu naturæ lapſæ.

Inſt. 2. S. Auguſtinus lib. 2. contra Julianum, c. 10. & lib. 6. c. 5. docet DEUM fore injuſtum erga parvulos morti & multis miſeriis obnoxios, ſi carerent peccato.

Reſp. Loquitur ex hypoteſi decreti, quo DEUS ſtatuerat hominem à miſeriis ſervare immunem, ſi non peccaſſet.

Inſt. 3. S. Auguſtinus dicit: *Conſtat nobis*

bis corporis mortem, non lege naturæ, ſed meritò inflictam eſſe.

Reſp. Loquitur ex hypotheſi decreti, quo DEUS ſtatuerat mortem hominis contra naturæ exigentiam impedire, ſi Adamus non peccaſſet. Unde ſolùm vult hominem nunc non mori ex naturæ exigentia, ſed ex merito peccati: quod quidem ſi non admiſiſſet, immortalitatem à DEO gratis promiſſam conſecutus fuiſſet. Et verò S. Doctor, l. 6. de Geneſi ad litteram, c. 25. ait: *Creatus eſt homo immortalis: quod ei præſtabatur de ligno vitæ, non de conſtitutione naturæ.*

Obj. 2. DEUS non potuit creare hominem niſi propter finem ultimum. Sed finis ille ultimus eſt DEI viſio & fruitio. Ergo.

Reſp. Diſt. maj. Niſi propter finem ultimum vel naturalem, vel ſupernaturalem, *conc. maj.* Niſi propter finem ultimum ſupernaturalem, *neg. maj.* Duplex eſt finis ultimus, ſeu beatitudo poſſibilis: nempe naturalis & ſupernaturalis. Naturalis conſiſtit in perfecta quadam DEI contemplatione abſtractiva, & ejuſdem amore neceſſario, viribus naturæ non depravatæ poſſibili. Supernaturalis conſiſtit in DEI viſione intuitiva & amore fruitivo. Ad priorem finem ordinata fuiſſet natura humana, ſi in puris naturalibus creata fuiſſet.

Obj. 3. DEUS non potuit creare hominem in eo ſtatu, in quo homo non poſſet amare DEUM propter ſe. Sed in ſtatu naturæ puræ homo non poſſet amare DEUM propter ſe. Ergo.

Reſp. Nego min. Nam duplex amor DEI propter ſe diſtingui debet: naturalis ſcilicet & ſupernaturalis. Naturalis eſt ille, qui à natura intellectuali non depravata elici poteſt cum concurſu & providentia naturali. Supernaturalis eſt ille, qui propter ſuam firmitatem & elationem elici non poteſt ſolis naturæ etiam non depravatæ viribus. Primi amoris, non ſecundi capax fuiſſet homo in ſtatu naturæ puræ.

Inſt. 1. DEI amor naturalis fictitius eſt & impoſſibilis. Ergo.

Reſp. Neg. antec. Quia 1. Pius V. & Gregorius XIII. has Baji propoſitiones damnarunt, 34. *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo DEUS amatur ùt Auctor naturæ: & gratuiti, quo DEUS amatur ùt beatificator, vana eſt & commentitia, & ad illudendum ſacris litteris & plurimis veterum teſtimoniis excogitata.* 36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola philoſophia, per elationem præſumptionis humanæ, cum injuria crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.* 2. Amor ille naturalis non repugnat.

Inſt. 2. Fuit capitalis error Pelagii, quòd aſſereret amorem DEI propter ſe haberi poſſe ſolis naturæ viribus. Unde S. Auguſtinus, lib. 3. de Gratia & libero arbitrio, c. 18. ait: *Unde eſt in hominibus charitas DEI & proximi, niſi ex ipſo DEO? nam ſi non ex DEO, ſed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: ſi autem ex DEO, vicimus Pelagianos.*

Reſp. Capitalis error Pelagii fuit, quòd diceret amorem DEI propter ſe & ſupra omnia appretiativum atque ſufficientem ad ſalutem æternam, haberi poſſe in hoc præſenti ſtatu naturæ lapſæ ex ſolis naturalibus liberi arbitrii viribus. De hoc autem amore perfecto ac ſupernaturali, & ad ſalutem ſufficiente loquitur S. Auguſtinus loco objecto & aliis ſimilibus. Agitur autem hìc de amoris naturalis, minùs perfecti, & inſufficien is ad beatitudinem ſupernaturalem aſſequendam poſſibilitate in ſtatu naturæ puræ.

Inſt. 3. S. Auguſtinus variis locis docet omnem amorem creaturæ rationalis eſſe charitatem, vel cupiditatem. Sed per charitatem intelligit DEI amorem propter ſe, qui producitur per Spiritum Sanctum, ideoque ſupernaturalem. Ergo.

Reſp. Nego min. Nam S. Doctor in iis locis per charitatem intelligit, non amorem DEI ſuper omnia propter ſe dilecti, ſed amorem boni ſeu honeſti, ſive amorem alicujus virtutis. Unde ſequitur tantùm, omnem amorem creaturæ rationalis eſſe bonum vel malum: & verò erroneum eſt dicere, omnem amorem creaturæ rationalis, qui non ſit DEI propter ſe dilecti, eſſe vi-

tiosam cupiditatem; ùt constat ex hac Baji propositione 38. à S. Pio V. & Gregorio XIII. damnata: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur: aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa, DEUS amatur.* Porro cùm S. Augustinus dicit amorem justitiæ seu virtutis inspirari, infundi per Spiritum Sanctum, loquitur, non de quolibet amore, sed de amore, ad salutem æternam conducente.

Obj. 4. Homo condi non potest in eo statu, in quo obnoxius esset morbis, doloribus, laboribus & morti sine aliquo peccato suo. Sed in statu naturæ puræ iis miseriis obnoxius esset sine peccato. Ergo.

Resp. Nego maj. Quia 1. damnata est hæc Baji propositio 78. *Immortalitas primi hominis non erat Gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.* Ergo homo creari potuit obnoxius morti, & à fortiori morbis, doloribus, &c. 2. Quia esse obnoxium morti, morbis, doloribus est defectus homini connaturalis per se, cum constet non solùm anima, sed etiam corpore, cujus habitudo naturaliter vitiari potest, & cujus partes dissolvi, & organa debilitari naturaliter possunt. Atqui homo creari potuit cum defectibus sibi connaturalibus: nec ad id defuissent DEO boni fines. Ergo.

Nota. Miseria in statu naturæ puræ fuisset pœnalitas naturalis, non pœna propriè dicta, quæ est malum seu incommodum propter culpam inflictum, ideóque supponit culpam. De hac sola pœna propriè dicta loquitur S. Augustinus, lib. 3. de libero arbitr. c. 18. *Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur.*

Obj. 5. Homo creari non potuit in eo statu, in quo laboret ignorantia invincibili, nisi id aliqua sua culpa meruerit. Sed in statu naturæ puræ homo sine sua culpa laboraret ignorantia invincibili. Ergo.

Resp. Neg. maj. Nam homo condi potuit à DEO cum defectibus sibi connaturalibus. Sed posse ignorare est defectus connaturalis homini; nam ejus intellectus est valde limitatus, & pendet ab impressione quæ in sensibus fit: rerum essentias non penetrat, nec veritates sive speculativas sive practicas sine magno labore assequitur. Unde quòd Adamus creatus fuit sine ignorantia, id fuit beneficium DEI gratuitum.

Inst. 1. Ea, quæ tunc fierent ab homine ex ignorantia invincibili, attribuerentur DEO ùt Auctori.

Resp. Neg. Quia illa non essent à DEO nisi ùt permittente & concurrente concursu generali ex officio causæ primæ: nec essent peccata nisi materialiter, non autem formaliter seu imputabiliter.

Inst. 2. S. Augustinus docet ignorantiam esse pœnam peccati.

Resp. Loquitur de ignorantia præsentis status naturæ lapsæ. Nam si Adamus non peccasset, homines nascerentur in statu naturæ *innocentis & integræ*, in quo magna facilitate assecuti fuissent cognitiones omnes tum speculativas tum practicas, ætati & conditioni suæ convenientes.

Inst. 3. Christus non assumpsit ignorantiam, nec rebellionem carnis: non nisi quia hæc non possunt esse nisi à peccato. Ergo.

Resp. Neg. min. Sed ista non assumpsit, quia dedecebant dignitatem Regis hominum ac Angelorum, supremi Legislatoris, Doctoris, Judicis, & sanctitatem ac majestatem Verbi.

Obj. 6. Repugnat status, in quo homo sine sua culpa non possit assequi beatitudinem suam. Sed in statu naturæ puræ esset hæc impossibilitas sine culpa hominis. Ergo.

Resp. Nego min. Nam homo in statu naturæ puræ beatitudinem suam naturalem in abstractiva DEI contemplatione & amore necessario huic contemplationi proportionato positam mereri & consequi posset per *bona opera naturalia*: in illo quippe statu providentia naturalis favorabilior esset, nec homo tot ac tantis impedimentis & difficultatibus laboraret, quot & quantis in hoc statu naturæ lapsæ obnoxius est propter peccatum originale. Porro homo in statu naturæ puræ post mortem beatitudine sua naturali

turali frueretur in altera vita saltem secundùm animam, quæ naturaliter immortalis est.

Nota. Homo in statu naturæ puræ posset etiam moraliter servare totam legem naturalem, & vitare omnia peccata mortalia, & quidem ex affectu virtutis seu honestatis. Nam in hoc statu favorabiliore providentia gauderet quamdiu saltem non peccaret: non tantum impelleretur à concupiscentia ad malum, nec ab ea tantam pateretur difficultatem ad bonum, quantam nunc patitur ob naturæ corruptionem peccato originali inductam: nec etiam subjiceretur dæmoni, cujus servituti obnoxii sunt homines in statu naturæ lapsæ propter peccatum originale, ùt docet Concilium Tridentinum sess. 5. can. 1. nec denique foret tanta infirmitas in statu naturæ puræ, quanta nunc est in statu naturæ lapsæ.

Inst. S. Augustinus, lib. 10. de civit. c. 2. & 11. docet hominem non posse sine Gratia assequi beatitudinem illam naturalem, quam Platonici in contemplatione DEI ponebant.

Resp. Loquitur de homine existente in statu naturæ lapsæ. Quando autem dicit hominem non posse sine Gratia assequi beatitudinem suam, loquitur de beatitudine supernaturali consistente in DEI visione intuitiva & amore fruitivo; *nam loquitur de ea beatitudine*, ad quam nunc homo ordinatus est.

Obj. 7. In statu naturæ puræ esset concupiscentia à DEO. Sed hoc repugnat; nam concupiscentia est mala, & pugnat contra spiritum. Ergo.

Resp. Disting. maj. A DEO esset concupiscentia sumpta præcisè ùt est potentia concupiscendi bona sensibilia, *conc. maj.* Sumpta pro actu concupiscendi mala, *nego maj.* In statu naturæ puræ esset à DEO ùt auctore, concupiscentia sumpta, ùt est potentia concupiscendi bona sensibilia. At concupiscentia sic sumpta non est quid malum, nec pugnat contra rectam rationem, sed est perfectio & bonum naturæ, quatenus est principium actuum ad naturæ functiones & conservationem necessariorum & rectæ rationi consentaneorum, licèt quatenus erumpere potest in motus inordinatos & rationi dissentaneos non sit perfectio, sed defectus naturæ connaturalis & à DEO permissus: quemadmodum voluntas quatenus est principium volitionum rectæ rationi consentanearum est perfectio & bonum naturæ, licèt quatenus potest elicere actus rationi dissentaneos, sit defectus. Concupiscentia autem *sumpta pro actu* concupiscendi inordinato, non esset à DEO ùt illius auctore; nam non esset à DEO ùt illum *volente* & procurante, sed esset tantùm à DEO ùt permittente & ad illum concurrente concursu generali ex officio causæ primæ: imò DEUS vellet illum impediri per rationem, nec ad illum alio modo concurreret, quàm nunc ad entitatem actus mali concurrit. Concupiscentia verò sumpta pro potentia concupiscendi indeliberatè bona sensibilia *contra rectam rationem*, est imperfectio & defectus connaturalis homini, sicut est peccabilitas, quam DEUS sapienter permittit.

Dices 1. In statu naturæ puræ motus inordinati concupiscentiæ non possent cohiberi, & voluntatem ad peccandum necessitarent.

Resp. Neg. Nam ejusmodi motus possent sine Gratia cohiberi à natura non vitiata, qualis esset in illo statu: nec motus illi adeò *vehementes* essent, ut *voluntatem* necessitarent. Quod si fortè id quandoque contingeret, tunc voluntas non peccaret imputabiliter.

Porro non est bonum sequi naturam non depravatam, nisi quatenus est bona & dictat id, quod sibi ùt rationali convenit. In statu autem naturæ puræ, natura naturaliter propenderet ad turpia, non quatenus bona est, sed quatenus defectibilis est.

Dices. 2. In statu naturæ puræ esset membrorum rebellio, ideóque necessitas erubescendi sine peccato præcedente. Sed hoc repugnat. Ergo.

Resp Neg. min. Equidem in statu naturæ puræ propter carentiam justitiæ originalis

nalis, qua pars inferior ſuperiori perfectè ſubjicitur, eſſet membrorum rebellio, licèt non tanta quanta nunc eſt, ideóque etiam eſſet erubeſcentia connaturalis, quæ ex tali rebellione oriretur. At hæc erubeſcentia non eſſet de operibus DEI, ſed de naturali imperfectione, & de ejuſmodi motibus inordinatis, qui non magis eſſent à DEO quàm entitas peccati; DEUS enim concurreret ad eos ex officio cauſæ primæ tantùm & ſecundùm exigentiam cauſarum ſecundarum, velletque eos cohiberi, & ab eis hominem abſtinere quoad fieri poſſet.

Dices 3. Ergo homo erubeſceret de opere DEI. Ergo.

Reſp. Neg. Nam opus DEI eſt natura, non defectus naturæ. Neque etiam homo de ejuſmodi motibus erubeſcendo, in gratus eſſet erga DEUM: ſed ſolùm ſuam naturalem imperfectionem ac defectibilitatem, & ſuum in ejuſmodi motibus regendis defectum agnoſceret. Porro omnis creatura, utpote ex nihilo, eſt per ſe defectibilis, & multæ imperfectiones ei conveniunt, prout eſt ex nihilo.

Dices 4. Eſt de rectitudine naturali hominis, ut pars ſuperior ſeu ratio perfectè dominetur inferiori, ſeu appetitui ſenſitivo. Ergo.

Reſp. Diſting. anteced. Ut pars ſuperior perfectè dominetur inferiori quoad conſenſum: id eſt, ut ſit in ejus poteſtate non conſentire motui inordinato appetitus, *conc. antec.* Quoad ſenſum: id eſt, ut ſit in ejus poteſtate nunquam ſentire motum appetitus inordinatum & indeliberatum, *neg. antec.* Nam connaturale eſt homini ejuſmodi motus experiri.

Nota. In ſtatu naturæ puræ carnem pugnare contra ſpiritum, non eſſet ordo naturalis, ſed defectus naturæ ex cujus imperfectione oriretur: & naturæ propenſio ad turpia, quantumlibet naturalis, non eſſet bona, ſed eſſet defectus, quem homo cohibere teneretur quantum poſſet, quique eſſet à natura qua defectibili, non qua bona.

Obj. 8. Si poſſibilis eſſet ſtatus naturæ puræ, homo ſolis naturæ viribus poſſet reſurgere à peccato. Nam in illo ſtatu homo poſſet peccare, & poſt peccatum elicere ex ſolis naturæ viribus actum pœnitentiæ. Falſum conſeq. Ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Nam in illo ſtatu homo non poſſet reſurgere à peccato ſine condonatione veniæ à DEO facta. Sed homo non poſſet condonationem peccati à DEO obtinere per actum pœnitentiæ naturalem ſine gratuito aliquo DEI beneficio. Nam actus pœnitentiæ naturalis non poteſt exigere remiſſionem peccati per ſe & independenter à gratuito DEI beneficio, nempe gratuita promiſſione & acceptione; ſupernaturalis enim actus contritionis etiam perfectæ ne id quidem poteſt, & per eum peccator non accipit remiſſionem peccati niſi dependenter à gratuita DEI promiſſione & acceptatione. Homo autem in ſtatu naturæ puræ nil haberet, niſi id quod exigeret naturaliter; ſtatus enim naturæ puræ excludit omne donum gratuitum, ſupernaturale, & excedens exigentiam naturæ. Quare in illo ſtatu homo poſt peccatum mortale puniretur pœna æterna ſibi debita.

ARTICULUS II.

Utrùm ſtatus naturæ integræ differat à ſtatu naturæ puræ, & ſtatu naturæ innocentis?

DIco 1. Status naturæ integræ differt à ſtatu naturæ puræ.

Prob. Status naturæ integræ includit donum gratuitum & indebitum, quod non includit ſtatus naturæ puræ. Ergo illi ſtatus inter ſe differunt.

Prob. antec. Status naturæ integræ eſt ille, qui præter eſſentiam hominis, & ejus facultates ac perfectiones naturales, concurſum ac providentiam neceſſariam, complectitur perfectam ſubjectionem partis inferioris ad ſuperiorem, hoc eſt appetitus ſenſitivi ad rationalem, ſic, ut nulli motus concupiſcentiæ inordinati præveniant uſum rationis & conſenſum voluntatis. Atqui hanc perfectam ſubjectionem, quæ integri-

gritatis donum dicitur, non includit ſtatus naturæ puræ. Ergo.

Prob. min. Hæc perfecta ſubjectio non eſt naturæ debita, ſed ſuperat omnem exigentiam naturæ. Ergo hanc non includit ſtatus naturæ puræ: quippe qui nil includit niſi quod eſt naturale & naturaliter debitum.

Prob. anteced. 1. Quia à Pio V. & Gregorio XIII. damnata eſt hæc Baji propoſitio 26: *Integritas prima creationis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, ſed naturalis ejus conditio.*

2. Quia connaturale eſt homini, ut conſtet ex voluntate & appetitu ſenſitivo: ut ejus cognitio incipiat ſaltem plerumque à ſenſibus: ut appetitus ſenſitivus moveatur naturaliter ab objectis ſenſu perceptis. Ergo connaturale eſt homini, ut in eo appetitus ſenſitivus præveniat advertentiam rationis, & accendatur erga bona ſenſibilia, etiam reluctante voluntate: ac proinde homini per ſe connaturalis eſt pugna inter appetitum ſenſitivum & rationalem: & conſequenter perfecta appetitus ſenſitivi ſubjectio ad appetitum rationalem eſt aliquid homini indebitum.

Obj. Homo in ſtatu naturæ puræ exigeret id omne, ſine quo non poſſet ſervare totam legem naturalem, & aſſequi ſuam beatitudinem naturalem: ſed utrumque non poſſet ſine dono integritatis. Ergo illud exigeret.

Reſp. Nego min. Quia eum haberet divinæ providentiæ modum, ut poſſet etiam moraliter ſervare totam legem naturalem, & aſſequi ſuam beatitudinem ſine integritatis dono. Nam ex divina providentia talis eſſet corporis, ſanguinis, & humorum temperies, atque organorum diſpoſitio, ut motus inordinati concupiſcentiæ non eſſent ita frequentes, nec ita vehementes: & ſic voluntas illis facilè reſiſtere poſſet, minoremque difficultatem in bene agendo ſentiret, quam nunc patitur.

Nota. Natura pura dici poteſt integra eo ſenſu, quòd haberet omnia ſimul naturaliter debita: at non eſt nec dici poteſt integra eo ſenſu, de quo hic agitur: nempe quòd haberet perfectam ſubjectionem appetitus ſenſitivi ad rationalem.

Dico 2. Status naturæ integræ differt à ſtatu naturæ innocentis.

Prob. Status naturæ innocentis, qui etiam dicitur ſtatus juſtitiæ originalis, includit aliqua, quæ non includit ſtatus naturæ integræ. Ergo hi duo ſtatus inter ſe differunt. *Prob. anteced.* Status naturæ innocentis ille, qui præter naturalia omnia, quæ fuiſſent in ſtatu naturæ puræ, & donum integritatis, includit tum ordinationem ad beatitudinem ſupernaturalem, ſupernaturales habitus Fidei, Spei & Charitatis, & Gratiæ auxiliatrum immunitatem à morte, morbis, doloribus & incommodis, quæ in ſtatu naturæ puræ eſſent. Sed ſtatus naturæ integræ hæc omnia non includit; nam ſine illis omnibus potuit eſſe: tum quia naturæ integræ non debetur ordinatio ad beatitudinem ſupernaturalem, nec Gratia ſanctificans, ùt conſtat ex hac Baji propoſitione 21. à Pio V. & Gregorio XIII. damnata: *Humanæ naturæ ſublimatio & exaltatio in conſortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis: & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.* Tum quia naturæ humanæ à DEO liberaliter concedi poteſt perfecta concordia appetitus ſenſitivi cum rationali ſine ordinatione ad beatitudinem ſupernaturalem, Gratia ſanctificante, habitibus infuſis, immortalitate, & aliis privilegiis, quibus gaudebat Adamus in ſtatu innocentiæ; nulla enim eſt connexio neceſſaria inter donum integritatis, & ordinationem ad finem ſupernaturalem, aliaque dona iſta.

Obſerva. Status innocentiæ, ſeu juſtitiæ originalis, in quo conditus fuit Adamus, plurimorum beneficiorum tum ad corpus, tum ad animam pertinentium collectionem cum ſpeciali erga utrumque providentia complectitur. Nam in hoc ſtatu 1. Adamus habuit corpus perfectum & immortale futurum, ſi non peccaſſet. 2. Immunis fuiſſet morbis, doloribus, aliiſque miſeriis ſive corporis, ſive animæ, quibus obnoxii ſumus. 3. Habuit ſcientiam rerum naturalium æta-

ti ac conditioni ſuæ conſentaneam, & notitiam rerum ſupernaturalium: nempe DEI ùt finis ultimi per viſionem intuitivam & amorem fruitivum poſſidendi, atque mediorum, quibus hanc beatitudinem ſupernaturalem conſequi poſſet. 4. Ornatus fuit habitibus Fidei, Spei & Charitatis, donis Spiritus Sancti, & virtutibus moralibus ſupernaturalibus, & magna facilitate virtutum omnium actus exercendi. 5. Appetitus ſenſitivus perfectiſſimè ſubjectus erat rationali, ita ut voluntas careret motibus inordinatis, qui ad malum impellerent, aut à bono avocarent, aut arduum redderent exercitium virtutum, nullique motus appetitus ſenſitivi inſurgerent niſi ex imperio voluntatis. His autem omnibus beneficiis donisque inſtructus primus homo cum auxiliis Gratiæ eis annexis & præparatis, facillimè beatitudinem ſupernaturalem mereri ac conſequi potuit per exercitium omnium virtutum.

ARTICULUS III.

Utrùm natura lapſa ſit infirmior, quàm eſſet natura pura?

Nota. STatus naturæ lapſæ eſt præſens ſtatus, in quo natura humana ob Adami peccatum excidit è ſtatu integritatis & juſtitiæ originalis, eſtque infecta peccato originali, pœnisque ei debitis obnoxia in omnibus individuis ab Adamo via naturali deſcendentibus, excepta DEIpara Virgine, quæ per ſpeciale privilegium ab hoc peccato immunis fuit, licèt illius contrahendi debito obſtricta fuerit. Duplex autem diſtingui poteſt ſtatus naturæ lapſæ: unus ſcilicet naturæ lapſæ & non reparatæ actu quoad *malum culpæ, qualis eſt in non baptizatis*, vel in baptizatis ſed aliquo peccato mortali perſonali inquinatis: alter verò naturæ lapſæ ſed actu reparatæ per *Gratiam* ſanctificantem quoad malum culpæ & reatum pœnæ æternæ, ſed non quoad læſionem naturæ: quæ læſio conſiſtit in rebellione carnis, concupiſcentia effræni, mortalitate, morbis, doloribus, aliisque incommodis, quibus in hac vita non liberantur juſtificati.

Dico 1. Major eſt infirmitas & difficultas circa bonum faciendum, & malum vitandum in natura lapſa, quàm eſſet in natura pura.

Prob. Ex Conc. Tridentino, ſeſſ. 5. can. 1. ubi ait: *Si quis non confitetur primum hominem Adam, cùm mandatum DEI in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe, incurriſſeque per offenſam prævaricationis hujuſmodi iram & indignationem DEI, atque ideo mortem, quam anteà illi comminatus fuerat DEUS, & cum morte captivitatem ſub ejus poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt, diaboli, totumque Adam, per illam prævaricationis offenſam, ſecundùm corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe: anathema ſit.* Hæc autem verba (*totumque Adam ſecundùm corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe*) ſignificant hominem per peccatum Adæ fuiſſe etiam vulneratum in naturalibus per læſionem virium naturalium in ordine ad bonum agendum & malum vitandum: quæ læſio non fuiſſet in ſtatu naturæ puræ, cùm in eo naturales vires fuiſſent integræ. Nam ſi prædicta verba hoc non ſignificarent, nil adderent prioribus verbis canonis, quæ jam ſignificant hominem per peccatum excidiſſe juſtitia & integritate originali, & incurriſſe mortem, ſervitutem dæmonis, aliaque incommoda, quibus nunc obnoxius eſt: ſicque verba illa fruſtra addita fuiſſent. Ergo homo lapſus non ſolùm ſpoliatus eſt donis ſupernaturalibus & indebitis, ſed etiam læſus fuit & infirmior factus in natura, quàm fuiſſet in ſtatu, in quo non fuiſſet peccatum originale nempe in ſtatu naturæ puræ.

Dico 2. Natura lapſa eſt intrinſecè infirmior naturâ purâ multipliciter, 1. Quia ratione peccati *originalis*, quo DEUS juſtè infenſus eſt contra totum genus humanum, eſt poſitivè indigna & deſtituta providentia naturali favorabiliori, & auxiliis ordinis naturalis, quæ naturæ puræ eſſent naturaliter debita, debito quodam morali fundato in eo, quòd ſuaviſſimam ac ſapientiſſimam Dei pro-

providentiam non deceat naturam rationalem nullo peccato inquinatam destituere præsidiis, quibus possit beatitudinem suam naturalem non solùm physicè sed etiam moraliter & facilè assequi.

2. Quia major est intemperies humorum & sanguinis in corporibus, orta ex vitiis progenitorum, ex qua sequitur inordinatio operationum animæ. Item organa corporea deteriùs se habent in natura lapsa, quàm se haberent in natura pura, in qua favorabilior esset providentia divina. Major autem est infirmitas, qua organa corporea deteriùs se habent; nam anima in suis operationibus aliquatenùs pendet ab organis corporeis, unde deteriùs operatur, & sic infirmior est circa bonum, quo illa deteriùs se habent.

3. Quia in natura lapsa concupiscentia est vehementior, & appetitus sensitivus faciliùs ac vehementiùs accenditur circa sensibilia rationi dissentanea.

4. Quia in natura lapsa debiliores sunt vires liberi arbitrii, quàm forent in natura pura: tum quia in natura lapsa major est ignorantia ex parte intellectus, majorque difficultas discernendi verum à falso; nam intellectus majoribus passionum æstibus turbatur, & pluribus incommodis distrahitur, sicque excœcatur: tum quia voluntas propensior est ad bona sensibilia rationi dissentanea, & segnior ad prosequendum bonum honestum; nam voluntas naturalem habet sympathiam cum appetitu sensitivo, & ad illum multùm afficitur: qui appetitus faciliùs & vehementiùs exardescit circa sensibilia rationi dissentanea, & sæpiùs ac vehementiùs ad turpes inordinatos motus incitatur à dæmonibus: cujus servituti obnoxii sunt homines lapsi in pœnam peccati originalis.

Obj. 1. S. Thomas, 1. p. q. 95. art. 1. docet in homine post peccatum originale naturalia omnia mansisse integra.

Resp. Neg. Imò contrarium docet, 1. 2. q. 109. art. 2. his verbis: *In statu naturæ corruptæ etiam deficit homo ab hoc, quòd secundum suam naturam potest, ut non possit totum hujusmodi bonum implere per sua naturalia.* Posset autem, si omnia naturalia essent integra & illæsa. Possunt tamen dici naturalia mansisse integra hoc sensu, quòd manserint omnes facultates ac potentiæ naturales, nempe totus intellectus, tota voluntas, totus appetitus sensitivus, sed in deteriùs commutata, & infirmata circa bonum.

Obj. 2. Concupiscentia, sumpta pro naturali proclivitate ad bona sensibilia rationi repugnantia, non minor esset in natura pura, quàm nunc est in natura lapsa. Ergo.

Resp. Neg. anteced. Nam in natura pura appetitus sensitivus longe minùs ad sensibilia rationi dissentanea ferretur: tum propter talem humorum ac spirituum animalium temperiem, talem organorum constitutionem, talem fibrarum texturam, talem uno verbo totius corporis habitudinem: unde fieret, ut non esset talis fibrarum docilitas, & spirituum animalium mobilitas, quales nunc sunt & vi quarum tam celeres vehementesque motus inordinati in appetitu sensitivo excitantur: tum quia DEUS ita attemperaret concursum, quo indiget appetitus sensitivus ad agendum, ut minori impetu ferretur ad sensibilia rationi dissentanea: quæ attemperatio esset aliquid naturaliter debitum naturæ rationali à peccato immuni: quippe quæ exigit posse etiam moraliter & facilè beatitudinem suam naturalem consequi.

ARTICULUS IV.

In quo differant Gratia medicinalis, quæ scilicet nunc hominibus lapsis datur; & Gratia sanctitatis, quæ scilicet data est Adamo in statu innocentiæ?

§. I.

Nota 1. CErtum est Adamum in statu innocentiæ eguisse supernaturali auxilio Gratiæ, 1. Ad eliciendos actus salutares, ùt docet S. Augustinus, l. de correptione & Gratia, c. 11. ubi de Adamo ait: *Sed sane habuit* (Gratiam) *in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine*

ſine qua etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet, ſed eam tamen per liberum arbitrium deſerere poſſet. Non ipſam ergo DEUS eſſe voluit ſine ſua Gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio. Quoniam liberum arbitrium ad malum ſufficit: ad bonum autem (ſalutare *) parum eſt, niſi adjuvetur ab omnipotenti bono. Quod adjutorium ſi homo ille per liberum non deſeruiſſet arbitrium, ſemper eſſet bonus, &c.* Ratio eſt, quia actus ſalutares ſunt ſupernaturales. Ad quosvis autem actus ſupernaturales requiritur auxilium ſupernaturale elevans & adjuvans naturam ad agendum ſupra quàm poſſit ſolis viribus naturalibus, ùt patet. 2. Ad eliciendos actus virtutum infuſarum Fidei, Spei, Charitatis; cum illi actus ſint ſupernaturales. 3. Ad ſervandam legem ſupernaturalem; nam legis ſupernaturalis obſervatio includit actus ſupernaturales Fidei, Spei, Charitatis, &c. Qui proinde per ſe excedunt vires naturales. 4. Ad perſeverandum in integritate & ſanctitate accepta; nam in ea perſeverare non poterat, niſi obſervando legem ſupernaturalem.

Nota. 2. Auxilium ſupernaturale, quo homo in ſtatu innocentiæ egebat ad eliciendos actus ſalutares, & ad perſeverandum in integritate ac ſanctitate accepta, multiplex erat. Nam 1. Egebat virtutibus infuſis per ſe; quia hi habitus dant poſſe ſimpliciter: & potentia creata non habet ex ſe id omne, quod requiritur ex parte cauſæ ſecundæ ad productionem actuum ſupernaturalium; alioqui illi actus non eſſent ſupernaturales, ſed naturales. Harum tamen virtutum infuſarum cauſalitatem immediate per ſeipſam ſupplere poteſt omnipotentia divina. 2. Egebat concurſu ſupernaturali; nam ſine illo actus ſupernaturalis eſſe non poteſt. 3. Egebat Gratia actuali ſaltem illuſtrationis; alioqui ejus actus non fuiſſent ſupernaturales; nam habitus præcisè per ſe non agunt, nec poſſunt ad agendum determinari per actus voluntatis aut intellectus merè naturales.

Nota 3. Certum eſt Gratiam actualem neceſſariam hominibus lapſis, quæ medicinalis dicitur, differre à Gratia ſtatus innocentiæ. Nam Gratia ſufficiens homini ſano debet differre ab ea, quæ ægro ac infirmo neceſſaria eſt in remedium infirmitatis. Unde illud S. Auguſtini, l. de natura & Gratia c. 64. *Nunc agitur de humana natura quæ vitiata eſt: agitur & de Gratia DEI, qua ſanatur per medicum Chriſtum, quo non indigeret, ſi ſana eſſet.*

Nota 4. Janſenius, l. 2. de Gratia Chriſti docet utriuſque Gratiæ diſcrimen in eo poſitum eſſe, quòd Gratia ſtatus innocentiæ eſſet repudiabilis, Gratia verò medicinalis ſit neceſſitans, ita ut ei voluntas reſiſtere non poſſit. *Hoc ergo* (inquit,) c. 4. *verum & genuinum diſcrimen eſt inter utriuſque ſtatus adjutorium, quòd adjutorium ſanitatis ſeu integræ libertatis influeret aut non influeret cum voluntate, prout voluntas vellet aut nollet, pleniſſimeque ipſius arbitrio in agendo & quieſcendo ſubderetur: medicinale verò ipſum bene velle faſtidienti ægrotæque voluntati tribuat, utpote quod ipſa concupiſcentiæ dominanti ſubjugata, de ſe ipſa ſuæque libertatis impulſu etiam cùm Gratia quantumcunque magna ſibi aſſiſtente habere non poſſet, quemadmodum olim potuit. Quod clarius fortaſſis ita dici poſſet, quòd Gratia ſanæ voluntatis in ejus libero arbitrio relinqueretur, ut eam, ſi vellet, deſereret: aut ſi vellet, uteretur. Gratia verò lapſæ ægrotæque voluntatis nullo modo in ejus relinquatur arbitrio ut eam deſerat aut arripiat, ſi voluerit, ſed ipſa ſit potius illa poſtrema Gratia, quæ invictiſſimè facit, ut velit, & à voluntate non deſeratur.* Præterea Janſenius Gratiam ſanitatis vocat adjutorium ſine quo non, Gratiam verò medicinalem adjutorium quo: quod quantum ad vim & modum agendi comparat cauſæ formali, qua poſita non poteſt non eſſe effectus, ad quem datur: nempe comparat beatitudini formali, quæ cùm data fuerit homini, is ſit continuo beatus, nec poteſt impedire ne ſit beatus. Hinc, cap. 5. infert adjutorium, cujus uſus ita ponitur in voluntatis arbitrio, ut illi conſentiat ſi voluerit, quantumvis ſine illo non velit aut velle non poſſit, ad medicinale adjutorium

jutorium Christi nullo modo pertinere; sed ad adjutorium primi hominis & sanæ voluntatis referendum esse. Ex quibus patet Jansenium nullam Gratiam status præsentis admittere nisi necessitantem.

Alii docent Gratiam status innocentiæ positam fuisse in sola supernaturali mentis illustratione: Gratiam verò naturæ lapsæ consistere tum in supernaturali mentis illustratione, tum in pia voluntatis motione indeliberata.

§. II.

Dico 1. Gratia medicinalis non differt à Gratia sanitatis, quòd illa sit necessitans: hæc verò fuerit repudiabilis. Est de Fide. Nam de Fide est Gratiam medicinalem etiam efficacem non necessitare voluntatem, ùt infra ostendetur.

Dico 2. Discrimen Gratiæ sanitatis à Gratia medicinali non consistit in eo, quòd prior solam mentis illustrationem includeret, posterior verò & mentis illustrationem & voluntatis immediatam motionem complectatur.

Prob. Quia Gratia data Adamo in statu innocentiæ includebat etiam piam voluntatis motionem indeliberatam, à DEO immediatè impressam. Ergo discrimen Gratiæ Sanitatis à Gratia medicinali non consistit &c. *Prob. ant.* 1. Ex S. Augustino, qui, l. 14. de civitate, c. 13. ait: *Si voluntas* (Adami innocentis) *in amore superioris & incommutabilis boni, à quo illustrabatur ut videret & accendebatur ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc tenebresceret, & frigesceret.* Ergo ex S. Augustino Adamus in statu innocentiæ à DEO immediatè accipiebat non solùm illustrationem supernaturalem, qua videret bonum, sed etiam voluntatis motionem indeliberatam, qua accenderetur ad illud amandum, & quidem immediatam & infusam; nam S. Doctor eodem modo loquitur de accensione voluntatis & de illustratione mentis: & dicit simpliciter ac sine distinctione, voluntatem Adami à DEO fuisse illustratam ut videret, & accensam ut amaret. Item S. Doctor, l. 12. de civit. c. 9. sic loquitur: *Si autem boni Angeli fuerunt priùs sine bona voluntate, eamque in se ipsis DEO non operante* (immediatè scilicet) *fecerunt: ergo meliores à seipsis quàm ab illo facti sunt? absit.* Et infra. *Profecto & bonam voluntatem, qua meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris habere non possent... Quid aliud ostenditur nisi voluntatem quamlibet bonam inopem fuisse in solo desiderio remansuram, nisi ille, qui bonam naturam ex nihilo sui capacem fecerat, ex se ipso faceret implendo meliorem, priùs faciens excitando avidiorem?* Denique sic concludit: *Confitendum est igitur cum debita laude Creatoris, non ad solos Sanctos homines pertinere, verùm etiam de Sanctis Angelis posse dici, quòd charitas DEI diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est eis.* Ibi S. Doctor loquitur de auxilio elevante & excitante immediatè voluntatem, quo meliores facti sunt Angeli boni adhærendo DEO, & perseverando in bono. Item ibi per charitatem DEI diffusam per Spiritum Sanctum intelligit Gratiam actualem voluntatem immediatè moventem; nam in suis aliis libris hæc verba adhibet ad probandam necessitatem Gratiæ inspirationis ad quodlibet bonum salutare agendum. Ergo ex S. Augustino Gratia actualis immediatè movens voluntatem à DEO data est bonis Angelis: & sic impleta est eorum voluntas jam bona per habitus supernaturales, ut fierent meliores per actus bonos meritorios. Ergo Adamus innocens talem Gratiam à DEO accepit, cùm sit eadem pro utrisque ratio.

Prob. 2. Ex Conc. Arausicano II. c. 19. ubi ita: *Natura humana etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cùm sine Gratia DEI salutem non possit custodire, quam accepit, quomodo sine Gratia DEI poterit reparare, quod perdidit.* Concilium hic manifestè concludit à minori ad majus, hominem lapsum egere Gratia DEI actuali, quæ sanè voluntatem immediatè afficiat; quia homo

in ſtatu ſanitatis ea indigebat ad conſervandam Gratiam ſanctificantem per obſervationem legis ſupernaturalis. At concluſio non valeret, ſi homo innocens eguiſſet tantùm illuſtratione ſupernaturali à DEO infuſa; nam inde non inferretur à fortiori hominem lapſum indigere Gratia, quæ non ſolùm illuſtrationem, ſed etiam piam motionem voluntatis à DEO infuſam includat. Præterea ex hoc Concilio & S. Auguſtino homo innocens egebat DEI adjutorio actuali. Sed Patres & Concilia per adjutorium ſimpliciter prolatum intelligunt Gratiam actualem, conſiſtentem tum in ſupernaturali mentis illuſtratione, tum in pia voluntatis motione à DEO infuſa.

Prob. 3. Ratione. In omni ſtatu etiam innocentiæ ad actus ſupernaturales eliciendos non ſufficiunt habitus ſupernaturales voluntatis, etiam cum ſupernaturali illuſtratione mentis. Nam habitus infuſi voluntatis per ſe non agunt, ſed debent aliquo modo determinari à voluntate. Atqui voluntas ſolis ſuis naturalibus viribus non poteſt aliquo modo determinare habitus ſupernaturales ad actus ſuos: ſed ad hos requiritur, ut ſit elevata & mota per auxilium ſupernaturale ei impreſſum. Præterea in ſtatu innocentiæ non minor erat ſanitas intellectus quàm voluntatis, & utriuſque facultas pariter inſtructa fuit habitibus ſupernaturalibus. Ergo ſi voluntas non indigebat pia motione, nec intellectus egebat ſupernaturali illuſtratione, ſed homo ex occaſione data potuiſſet inſtructus habitibus ſupernaturalibus intellectus excitare cognitionem ſupernaturalem: quod falſum eſt.

Nec dic, quòd ideo homo potiùs indigeret illuſtratione, quia non habet in ſua poteſtate quid ei veniat in mentem, ùt docet S. Auguſtinus. Nam etiam homo non habet in ſua poteſtate merè naturali, ut excitet & moveat voluntatem modo ſupernaturali ad determinandum habitus ſupernaturales. Præterea ſaltem ex occaſione multarum rerum naturaliter poterat homo innocens cogitare de DEO ùt amando & colendo.

Dico 3. Gratia medicinalis in eo differt à Gratia ſanitatis, quòd Gratia medicinalis non ſolùm illuſtret intellectum, & elevet ac adjuvet voluntatem, ſicut præſtabat Gratia ſanitatis: ſed etiam tum quòd depellat cæcitatem & errorem mentis, evertendo falſas rationes, quas ſuggerit carnis prudentia, & ſuggerendo vera motiva: tum præſertim, quòd frænet concupiſcentiam, tribuendo voluntati rectitudinem, ac robur ad illam ſuperandam, & ſic voluntatis infirmitatem ſanet ac roboret: & conſequenter Gratia medicinalis eſt potentior, & plura præſtat quàm Gratia ſanitatis.

Prob. Gratia medicinalis eſt ea, quæ medetur malis ortis ex peccato Adami, & quibus ille immunis erat in ſtatu innocentiæ. Atqui Gratia, quæ non ſolùm illuſtrat mentem & movet voluntatem, ſed etiam quæ tum depellit cæcitatem mentis, tribuitque menti lumen veritatis: tum frænat concupiſcentiam, & voluntati rectitudinem ac robur reddit, medetur malis ex peccato Adami ortis, ſcilicet quoad bonum ſalutare agendum, & malum vitandum; nam mala illa ſunt, teſte S. Auguſtino, cæcitas in mente, & infirmitas in voluntate orta ex concupiſcentia. Ergo Gratia medicinalis eſt ea, quæ non ſolùm illuſtrat mentem & movet voluntatem, ſicut præſtabat Gratia ſanitatis, ſed etiam, quæ tum depellit cæcitatem mentis: tum etiam, & præſertim, frænat concupiſcentiam: & conſequenter Gratia medicinalis differt à Gratia ſanitatis in eo, quòd tum depellat cæcitatem mentis, tum præſertim, quòd frænet concupiſcentiam.

Obj. 1. S. Auguſtinus, l. de Corrept. & Grat. c. 11. ait: *Quid ergo? Adam non habuit DEI Gratiam? Imò verò habuit magnam, ſed diſparem. Ille in bonis erat, quæ de bonitate ſui Conditoris acceperat.... Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc Gratia, in malis ſunt, ex quibus clamant ad DEUM: libera nos à malo... Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant iſti, cùm dicunt: video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.... quoniam in eis caro concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus adversùs carnem.*

Reſp.

Resp. Hic textus confirmat noſtram aſſertionem. Nam ſenſus eſt, quòd nunc indigeamus Gratia, quæ frænet concupiſcentiam, & voluntatem adversùs eam roboret: ac proindè, quæ ſit potentior motione data Adamo in ſtatu innocentiæ, quæ voluntatem duntaxat elevabat ac movebat ſupernaturaliter, non roborabat contra concupiſcentiam, à qua immunis erat. Unde ſic argumentor. Gratia medicinalis eſt ea, qua non egebat Adamus in ſtatu innocentiæ, & qua nunc egent homines lapſi. Sed talis Gratia eſt ea, quæ roborat voluntatem ad ſuperandam concupiſcentiam, à qua immunis erat Adamus innocens. Ergo Gratia medicinalis eſt ea, quæ præſertim roborat voluntatem contra concupiſcentiam.

Inſt. S. Auguſtinus loco citato dicit Adamum habuiſſe Gratiam diſparem. Ergo ſenſit eum habuiſſe tantùm Gratiam illuſtrationis.

Reſp. Neg. conſeq. Nam per Gratiam diſparem intelligit eam, quæ præcisè illuſtraret mentẽ, & moveret ac elevaret voluntatẽ ad agẽdum ſupernaturaliter, ſed non eam ſanaret ac roboraret contra concupiſcentiam, à qua immunis erat: per Gratiam verò qua nunc egemus, intelligit eam, quæ hæc omnia præſtat: unde aſſerit eam nunc eſſe potentiorem, quamvis Gratia ſanitatis fuerit lætior ob carentiam concupiſcentiæ bono honeſto repugnantis; hæc enim ſubjicit: *Proinde ſi non interim lætiore nunc, verumtamen potentiore Gratia indigent iſti.* Ergo Gratia ſanitatis erat lætior. Ergo immediatè afficiebat voluntatem, quippe quæ ſola eſt ſubjectum lætitiæ.

Obj. 2. Gratia medicinalis eſt ea, quæ frænat concupiſcentiam, & contra eam roborat voluntatem. Sed talis Gratia eſt Gratia inſpirationis, immediatè movens voluntatem. Ergo Gratia medicinalis, prout differt à Gratia ſanitatis, eſt Gratia inſpirationis. Ergo Gratia ſanitatis non erat Gratia inſpirationis, voluntatem immediatè movens. Ergo, &c.

Reſp. Gratia frænans concupiſcentiam, & contra eam roborans voluntatem, eſt Gratia inſpirationis immediatè voluntatem movens, non quovis modo & leviter, ſed fortiter ac potenter. Itaque Gratia inſpirationis propria ſtatus innocentiæ movebat quidem voluntatem, ſed non fortiter ac potenter, ſicut Gratia medicinalis eam movet, ut concupiſcentiam frænet, & voluntatem contra eam roboret. Unde Gratia medicinalis dicitur à S. Auguſtino potentior. *Verumtamen*, inquit, l. de Corr. & Grat. cap. 11. *potentiore Gratia indigent iſti.*

Obj. 3. Adamus in ſtatu innocentiæ carebat concupiſcentia, & habebat voluntatem ſanam, robuſtam, ac inſtructam habitibus ſupernaturalibus. Ergo egebat ſola illuſtratione mentis.

Reſp. Nego conſeq. Quia licèt ejus voluntas eſſet ſana, robuſta, & inſtructa habitibus ſupernaturalibus, tamen egebat auxilio, quo elevaretur & moveretur ad operandum ſupernaturaliter cum habitibus ſupernaturalibus, & ad illos habitus determinandum, ut agerent, cùm non agant niſi determinati ſeu condeterminati, nec deteminari poſſint per voluntatem agentem ex ſuis ſolis naturalibus viribus.

CAPUT III.

De Gratia efficaci.

ARTICULUS I.

Utrùm Gratia efficax conſiſtat in auxilio excitante voluntatem ad conſenſum phyſicè determinante, ſeu neceſſitante?

§. I.

Notanda.

I. GRatia efficax eſt ea, quacum voluntas poteſt operari, & infallibiliter operatura eſt, ſi detur. Sive eſt ea, quæ eſt infallibiliter connexa cum effectu, ad quem datur. Hanc exiſtere Fide conſtat; nam ad Phil. c. 2. dicitur: *DEUS eſt, qui operatur in vobis & velle & perficere, pro bona voluntate.* Et, Ezech. c. 36. *Spiritum meum*

ponam in medio veſtri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis. Ubi DEUS promittit Gratiam, quæ operatura eſt obſervationem præceptorum, & quidem infallibiliter, cùm promiſſio DEI ſit infallibilis. Præterea omnis actus ſalutaris ſupponit Gratiam efficacem, ſine qua nullus fit.

II. Janſenius multis locis docet Gratiam efficacem medicinalem conſiſtere in Gratia excitante, quæ voluntatem ad conſenſum phyſicè determinat ac prædeterminat ſua ſuavitate, quæ ſit intenſior delectatione concupiſcentiæ. Nam contendit hominem in hoc ſtatu naturæ lapſæ ſemper neceſſitari ad bonum per delectationem indeliberatam Gratiæ, intenſiorem delectatione ſeu motu concupiſcentiæ: & ad malum per delectationem indeliberatam concupiſcentiæ, intenſiorem delectatione ſeu motu Gratiæ. Patet ex multis locis, & præſertim ex l. 8. de Gratia Chriſti, c. 2. ubi ait: *Delectatio victrix, quæ Auguſtino eſt efficax adjutorium, relativa eſt. Tunc enim eſt victrix quando alteram ſuperat. Quod ſi contingat, alteram ardentiorem eſſe, in ſolis inefficacibus deſideriis hærebit animus, nec efficaciter unquam volet, quod volendum eſt.* Et c. 3. *Delectatio facit ut velis, & ſine illa velle non poſſis.... Facit denique, ut neceſſe ſit animum illud ſequi, &c.* Et, lib. 4. c. 6. *Ex his jam perſpicuè intelligitur, tantopere neceſſariam eſſe iſtam delectationis divinæ Gratiam.... ut niſi major fuerit quàm terrena... fieri non poſſit quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio nunquam ſanè delectatione minore ſuperabitur.* Et c. 7. *Delectationem omnis operationis ſecuturæ menſuram ſtatuit* (Auguſtinus) *clariſſimè & abſolutiſſimè, pronuntians: quòd ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt: nimirum quia id, quod ampliùs nos delectat, etiam ampliùs velimus ac diligamus neceſſe eſt; tanto enim quidque vehementiùs volumus, quanto delectamur ardentiùs: quod autem magis volumus ac diligimus, ſecundùm id operemur neceſſe eſt.* Et c. 9. *Conflictus ille delectationum ſepiri non poteſt, niſi altera alteram delectando ſuperave.it, & ea totum animæ pondus vergat. Quod enim ampliùs delectat, ſecundùm id operemur neceſſe eſt.* Item, lib. 7. *Delectatio* (intenſior) *eſt vinculum, quo liberum arbitrium in juſtitia vel peccato ita ligatur, ut actus oppoſitus ſit extra ejus poteſtatem.*

III. Lutherus & Calvinus jam ante Janſenium conſtituerunt Gratiam efficacem in excitante Gratia voluntatem ad conſenſum phyſicè determinante ſeu neceſſitante, nec differunt à Janſenio, niſi quòd illi aſſerant non remanere liberum arbitrium, Janſenius verò contendat remanere. Verùm inter ſe non diſſident niſi circa voces, & nullatenus quoad rem. Nam ideo Lutherus & Calvinus negant ſub Gratia efficaci remanere liberum arbitrium, quia per illud intelligunt indifferentiam activam, ſeu immunitatem ab omni neceſſitate phyſica, intrinſeca, antecedente: Janſenius vero aſſerit remanere liberum arbitrium; quia per illud intelligit ſolam libertatem à coactione. Nam, l. 7. de Gratia Chriſti, c. 3. poſtquam docuit, illud nobis liberum eſſe libertate arbitrii, quod eſt in noſtra poteſtate: & illud eſſe in noſtra poteſtate, quod fit cum volumus, etiamſi neceſſariò velimus, ſic concludit: *Quæ ſi vera ſunt, ſicut juxta ſanctiſſimi Doctoris principium veriſſima ſunt, non poterit ampliùs de ejus mente dubitari; quia eum ſentire & conſtanter docere dicimus, libertati arbitrii ſolam neceſſitatem coactionis, ſeu quæ, etſi nolumus, efficit id, quod poteſt, eſſe contrariam, omnemque actum voluntarium ſeu ſpontaneum hoc ipſo eſſe liberum. Hoc enim ipſum, quod voluntatem ſponte velle ſeu conſentire facit, hoc eam, ut vidimus, etiam liberam facit libertate arbitrii, quam ſupra expreſſit.*

IV. Calvinus, l. 2. inſtitut. c. 2. aſſerit juxta Auguſtinum velle hominis formari à Gratia, *impreſſo delectationis affectu.* Et, l. 3. de liber. arbitr. ſic ait: *Quid aliud ſonant Auguſtini verba? Libera, inquit, eſt hominis voluntas, ſed ad malum: cur? Quia delectatione & proprio appetitu movetur ad malum.*

V.

V. Cùm Janſenius nullam admittat Gratiam merè ſufficientem in ſenſu Catholicorum, ſed velit *omnem Gratiam naturæ lapſæ eſſe efficacem, quatenus habet omnem effectum, quem habere poteſt in iis circumſtantiis, in quibus datur, & ad quem datur à DEO*: ideo duplicem diſtinguit Gratiam efficacem: nempe perfectam ſeu magnam, & imperfectam ſeu parvam. Perfecta eſt ea, quæ à DEO datur ad velle perfectum: id eſt, velle efficaciter bonum, & illud agere. Imperfecta eſt ea, quæ datur à DEO ad velle imperfectum: id eſt, ad quaſdam velleitates cum advertentia rationis eliciendas quibus voluntas nec vult efficaciter bonum, nec illud agit, nec velle efficaciter poteſt. Utraque voluntatem neceſſitat ad actum, ad quem datur, & ſemper habet totum effectum, ad quem datur. Perfecta eſt intenſior delectatione terrena ſeu motu concupiſcentiæ: & dicitur delectatio victrix; quia terrenam concupiſcentiæ delectationem intenſione ſuperat, & facit voluntatem velle efficaciter bonum & illud agere. Imperfecta verò eſt minùs intenſa quàm delectatio concupiſcentiæ, nec dat poſſe agere bonum, ſed tantùm habere aliquam velleitatem & complacentiam inefficacem boni. De hac, l. 2. de Gratia Chriſti, c. 27. ſic loquitur: *Conſiderandum eſt multiplices eſſe divinæ Gratiæ effectus, quemadmodum & voluntaris. Eſt enim velle perfectum, quod Auguſtinus poſſe vocat: eſt & imperfectum, quod velleitatem appellare ſolent: & hoc ipſum diverſos gradus habet, donec in ipſam primam renuiſſimamque boni complacentiam veniatur... Hæc igitur Gratia quamvis nullo modo ſufficiat, ut homo DEI mandatum operetur, ut DEUM ſuper omnia diligat, ut ſperet, ut oret, ut credat: ad hoc tamen facit aliquid, ut iſtarum vel alterius cujuſdam cæleſtis rei liberas quaſdam non voluntates, ſed velleitates vel complacentias excitet.*

VI. Janſenii Diſcipuli non audent apertè dicere Gratiam excitantem efficacem neceſſitare voluntatem ad conſenſum: ſed dicunt phyſicè determinare ac prædeterminare ad conſenſum: quod eſt revera neceſſitare: nec aliter locutus eſt Janſenius: quem tamen conſtat Gratiam phyſicè neceſſitantem admiſiſſe.

§. II.

Dico 1. Gratia efficax non conſiſtit in Gratia excitante, ſeu delectatione victrice, voluntatem ad conſenſum neceſſitante. Eſt de Fide.

Prob. 1. Ex Script. Eccli. c. 31. *Beatus... qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit: Ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino.* Ergo juſtus, qui ſervat mandata cum Gratia efficaci, ſic ea ſervat, ut poſſit ea non ſervare. Ergo Gratia efficax, per quam ſervantur mandata, relinquit libertatem à neceſſitate. Ergo non neceſſitat.

Prob. 2. Ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 6. c. 5. ubi declarat, quòd adulti qui convertuntur, *Per ejus excitantem atque adjuvantem Gratiam ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem Gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando, diſponantur: ita ut tangente DEO cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam abjicere poteſt, &c.* Et, can. 4. ſic definit: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à DEO motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo DEO excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis Gratiam ſe diſponat ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit, &c. Anathema ſit.* Ergo ex Conc. Trid. Gratia, qua homo ſe diſponit ad juſtificationem, per actus ſcilicet Fidei, Spei, Pœnitentiæ, &c. ideoque Gratia efficax talis eſt, ut homo poſſit eam abjicere ſeu repudiare, poſſit ei diſſentire, ſi velit. Atqui Gratia quæ poteſt abjici ſeu repudiari, cui voluntas poteſt diſſentire, eſt Gratia intrinſecè repudiabilis, non neceſſitans. Ergo ex Conc. Trid. Gratia efficax eſt ex ſe repudiabilis non neceſſitans.

Prob. 3. Ex hac tertia Janſenii propoſitione ab Innocentio X. Alexandro VII. & Cle-

Clemente XI. atque à tota Ecclesia Catholica, quæ eorum Decreta recepit, damnata ùt hæretica: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate: sed sufficit libertas à coactione.* Ergo contradictoria est de Fide, nempe: ad merendum & demerendum requiri libertatem à necessitate simplici: nec sufficere libertatem à coactione. Ergo est de Fide, justum, cùm meretur, non necessitari ad bonum per Gratiam efficacem, sine qua non meretur. Ergo cum Gratia efficaci remanet libertas ab omni necessitate simplici, & consequenter Gratia efficax non necessitat.

Prob. 4. Ex S. Augustino, l. de natura & Gratia, c. 65. ubi postquam hæc verba S. Hieronymi à Pelagio objecta retulit: *Liberi arbitrii nos condidit DEUS, nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas, nec corona est*: Sic respondit: *Quis non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat? Quis aliter conditam humanam neget esse naturam? Sed in rectè faciendo ideò nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis.* Ergo S. Augustinus agnoscit, & toto corde suscipit, hominem neque ad malum per terrenam delectationem concupiscentiæ, neque ad bonum per cœlestem delectationem Gratiæ necessitari, necessitate scilicet simplici & voluntaria, ùt intelligebat Pelagius, cui in hoc consentit. Sed unum tantùm addit, nempè nos in bono salutari agendo non esse liberos sine interiori Gratia inspirationis, quod negabat Pelagius; nam libertas ad bonum salutare agendum, est completa facultas illud agendi vel non agendi: facultas autem illud agendi non est sine Gratia inspirationis.

Item, l. de spiritu & littera, c. 34. ait: *Profectò & ipsum credere velle DEUS operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocationi DEI, vel ab ea dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est.* Quod sanè consensum & dissensum liberum voluntatis significat; nam volitionem & nolitionem esse actus voluntatis per se patet, & nemo unquam negavit aut negare potuit, ineptusque ac nugatorius esset hic sensus.

Et, l. 2. contra Petilian. c. 84. *Si tibi proponam quæstionem, quomodo DEUS Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficilè soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis, quod voluerit, eligat: & tamen utrumque verum est. Sed intellectu hoc penetrare pauci valent. Sicut ergo fieri potest, ut quos in libero dimisit arbitrio, attrahat tamen ad Filium Pater: sic fieri potest, ut ea, quæ legum coercitionibus admonentur, non auferant liberum arbitrium.* Ergo ex S. August. DEUS Pater attrahendo efficaciter homines ad Filium, relinquit eis liberum arbitrium, intellectum in eo sensu, in quo intelligebat Petilianus, nempe pro facultate expedita eligendi quod voluerint: nec magis Gratia efficax aufert liberum arbitrium quàm leges comminatoriæ. Ergo, &c.

Dico 2. Gratia efficax non consistit in Gratia excitante, seu delectatione cœlesti voluntatem ad consensum physicè determinante seu prædeterminante: hæc assertio est eadem quoad sensum cum priore.

Prob. 1. Gratia efficax non consistit in Gratia excitante, seu delectatione cœlesti voluntatem ad consensum necessitante, ùt ostensum est. Atqui Gratia excitans seu delectatio cœlestis voluntatem ad consensum physicè determinans est necessitans. Ergo Gratia efficax non consistit in Gratia excitante voluntatem ad consensum physicè determinante. *Prob. min.* Auxilium se tenens ex parte actus primi, seu dans potentiam agendi, inhærens voluntati, positum in voluntate independenter ab ea, & ita eam applicans ad agendum, ut voluntas non possit non agere ex suppositione talis motionis, necessitat voluntatem ad agendum. Atqui talis est Gratia excitans physicè determinans voluntatem ad consensum. Ergo Gratia illa est necessitans.

Major patet; nam ut voluntas agat liberè, & non necessitata, requiritur, ut possit non agere in sensu composito eorum omnium,

mnium, quæ se tenent ex parte actus primi; si enim non potest, eo ipso est antecedenter ad unum determinata, & sic est antecedenter necessitata.

Minor etiam patet, & continet doctrinam adversariorum; nam Gratia excitans, seu delectatio cœlestis voluntatem ad consensum physicè prædeterminans 1. Est auxilium se tenens ex parte actus primi seu potentiæ agendi; non enim solùm dat ipsum agere, sed etiam posse agere; nam voluntas sine Gratia excitante nil salutare agere potest. Item hæc Gratia constituit cum naturali facultate voluntatis principium proximum & adæquatum actus salutaris. 2. Inhæret voluntati; nam est actus vitalis indeliberatus complacentiæ vel desiderii. 3. Est in voluntate independenter à voluntate liberè agente; est enim actus indeliberatus, quem DEUS operatur in nobis sine nobis liberè ac moraliter cooperantibus. 4. Ita applicat voluntatem ad consensum, ut voluntas non possit non consentire ex suppositione talis motionis; quia physicè determinat voluntatem ad agendum: voluntatem autem physicè determinari ad agendum nil aliud est, quàm voluntatem ita moveri ad agendum, ut non possit non agere.

Breviùs. Gratia excitans physicè determinans seu *prædeterminans voluntatem ad consensum*, est Gratia necessitans. Ergo. *Prob. ant.* Necessitare voluntatem ad consensum est voluntatem antecedenter determinare ad consensum; nam necessitas simplex est antecedens ad unum determinatio. Atqui Gratia excitans physicè prædeterminans voluntatem ad consensum, antecedenter determinat voluntatem ad consensum. Ergo eam necessitat.

Prob. adhuc paulò aliter. Delectatio cœlestis, voluntatem physicè determinans ad consensum, necessitat voluntatem. Atqui Gratia efficax non consistit in Gratia necessitante. Ergo Gratia efficax non consistit in delectatione cœlesti seu Gratia excitante, voluntatem ad consensum physicè determinante. *Prob. maj.* Illud voluntatem necessitat, quod affert voluntati antecedentem, physicam & intrinsecam necessitatem agendi. Sed ejusmodi necessitatem affert Gratia excitans voluntatem physicè determinans ad consensum. Ergo necessitat. *Prob. min.* Nam 1. Affert voluntati necessitatem, juxta illud adversariorum principium: *Quod amplius nos delectat, secundùm id operemur, necesse est.* Præterea habet ex natura sua insuperabilem cum consensu voluntatis connexionem. 2. Affert physicam; nam si affert necessitatem moralem, non determinat physicè sed moraliter tantùm, ùt patet. 3. Affert antecedentem; nam secundùm Jansenii discipulos, illa necessitas est à solo modo operandi Gratiæ, seu à majore intensione Gratiæ, & planè independenter à libera determinatione voluntatis. 4. Intrinsecam; nam est à Gratia recepta in voluntate.

Prob. 2. Gratia excitans, seu delectatio cœlestis physicè determinans voluntatem ad consensum, manifestè repugnat Conc. Tridentino. Nam Concilium, sess. 9. cap. 5. & can. 4. loquens de Gratia excitante, cui homo reipsa consentit, & qua se disponit ad justificationem, quæ proinde est Gratia efficax, & juxta adversarios delectatio victrix, definit, hominem ita illi Gratiæ consentire, ut possit illam abjicere, eique dissentire, si velit.

Ex quo sic argumentor. Ex Conc. Trid. homo potest abjicere seu repudiare Gratiam excitantem, cui reipsa consentit, eique dissentire, si velit. Ergo voluntas potest ponere dissensum cum Gratia efficaci ipsam movente ad consensum. Nam sicut abjicere Gratiam moventem ad consensum, eique dissentire nihil aliud est, quàm ponere dissensum cum Gratia movente ad consensum: ita posse abjicere Gratiam moventem ad consensum, eique dissentire posse nihil aliud est, quàm posse ponere dissensum cum Gratia movente ad consensum, ùt per se patet. Sed si Gratia excitans efficax voluntatem physicè determinat ad consensum, voluntas non potest ponere dissensum cum illa Gratia movente ad consensum. Ergo Gratia excitans

effi-

efficax non determinat physicè voluntatem ad consensum.

Breviùs. Ex Conc. Trid. homo Gratiæ efficaci dissentire & resistere potest. Ergo Gratia efficax est ex natura sua repudiabilis. Ergo ex natura sua non habet necessariam ac inseparabilem connexionem cum consensu. Ergo non determinat physicè.

Prob. 3. Sententia adversariorum nititur hoc principio, quod nos ampliùs delectat, delectatione scilicet prævia & indeliberata, secundùm id operemur, necesse est. Ergo efficacia talis Gratiæ posita est in vi intrinseca ejusdem Gratiæ necessitante. Hinc Gratia excitans physicè determinans non differt à Gratia necessitante nisi voce tenus.

Confirm. 1. Quia Gratia excitans, seu delectatio victrix physicè determinans voluntatem ad consensum, est Gratia Jansenii, quam constat esse necessitantem & hæreticam. Nam Jansenius, l. 8. de Gratia Christi, c. 3. hæc ait: *Sic operatur* (DEUS) *velle & perficere: sic ex nolentibus & repugnantibus volentes & consentientes facit. Non enim hoc aliter facit, quàm voluntatem inclinando, applicando, determinando: & quia præ-venit ipsam voluntatis determinationem, etiam prædeterminando non solùm moraliter, sed vera, reali & physica determinatione: moralis enim prædeterminatio illa dicitur, quæ tantùm se habet ex parte objecti.*

Confirm. 2. Ex hac Quesnelli propositione 10. ab Ecclesia damnata: *Gratia est operatio manus omnipotentis DEI, quam nihil impedire potest, aut retardare.*

§. III.

Refelluntur responsiones adversariorum.

Dices 1. Homo non potest abjicere Gratiam excitantem in sensu composito talis Gratiæ: at potest in sensu diviso. *Sed contra est.* Nam cùm Conc. Trid. definit hominem posse abjicere Gratiam, posse ei dissentire si velit, manifestè intelligit id posse in sensu composito Gratiæ, id est, sub motione Gratiæ. Quia 1. non potuit abjici sicut nec abjicitur, nisi id quod actu habetur, ùt per se patet: & posse dissentire, est posse negare consensum actu invitanti ad consensum, sicut dissentire, est negare consensum actu invitanti ad consensum. 2. Posse abjicere Gratiam, posse dissentire Gratiæ in sensu diviso Gratiæ, est hominem posse abjicere, seu repudiare Gratiam, si eam non haberet, si abesset; si ab illa non excitaretur: quod tam absurdum est, quàm si quis seriò diceret talem Ducem posse resistere hostibus si absint, nec contra eum pugnent. Et verò non potest resisti, sicut nec resistitur Gratiæ quæ non extat. 3. Per se evidens est, & nemo unquam negavit, hominem posse non ponere actum salutarem, si abesset Gratia, qua efficaciter movetur ad talem actum: ac proinde illa Concilii definitio esset inutilis, & indigna Concilio. 4. Locis citatis Concilium damnat Lutherum & Calvinum, contra quos congregatum fuit. Ergo definit hominem Gratiæ excitanti dissentire posse in eo sensu, in quo negabat Calvinus, alioqui nihil ageret. Sed Calvinus docebat hominem non posse dissentire Gratiæ in sensu composito ipsius Gratiæ. Nam Calvinus, l. 2. instit. c. 3. de Gratia sic ait: *Voluntatem movet, non, qualiter multis sæculis traditum est & creditum, ut nostræ postea sit electionis, motioni aut obtemperare aut refragari.* Ergo Concilium definit hominem dissentire posse Gratiæ in sensu composito ejus motionis. Denique si sensus divisus ad libertatem sufficeret, Beati liberè amarent DEUM; nam possunt illum non amare in sensu diviso luminis Gloriæ & visionis intuitivæ.

Dices 2. Implicat ut resistatur Gratiæ efficaci in sensu ejus composito.

Resp. Distinguo. Repugnat ut resistatur Gratiæ efficaci consideratæ ùt est efficax, sive quatenus est efficax, *con.* Ut resistatur Gratiæ quæ est efficax, *nego* Gratia quatenus est efficax, est Gratia quatenus habitura est infallibiliter effectum: unde supponit effectum conditionatè futurum dependenter à præscientia divina, à qua habet infallibilem connexionem cum effectu, & à qua proinde completam obtinet denominationem

Gra-

Gratiæ efficacis. Quare Gratiæ ſic ſumptæ reſiſti non poteſt, ſed impotentia conſequente ſeu ſupponente liberum conſenſum conditionatè futurum.

Dices 3. Neceſſariò adhiberi debet diſtinctio ſenſus compoſiti, & diviſi.

Reſp. Ita eſt, ſed alio modo, & ita ut ſenſus diviſus ſit in poteſtate voluntatis. Itaque voluntas verè poteſt Gratiæ, cui conſentit, & quæ proinde efficax eſt, diſſentire ſeu reſiſtere in ſenſu compoſito entitatis & motionis talis Gratiæ, cùm ſit ex ſe repudiabilis. At non poteſt ei reſiſtere in ſenſu compoſito ejus efficaciæ ùt connotantis conſenſum voluntatis; quia non poteſt ponere diſſenſum cum conſenſu, quem Gratiæ efficacia involvit, ſeu connotat: quamvis poſſit ei reſiſtere in ſenſu diviſo; nam hominem poſſe abjicere Gratiam, poſſe diſſentire Gratiæ in ſenſu diviſo ejus efficaciæ ùt connotantis conſenſum, nil aliud eſt, quàm poſſe abjicere Gratiam efficacem, impediendo ejus efficaciam, ſeu non conſentiendo: ſive nil aliud eſt, quàm hominem Gratiæ efficaci conſentire poſſe ſine intrinſeca neceſſitate conſentiendi.

Dices 4. Thomiſtæ hanc diſtinctionem ſenſus compoſiti & diviſi adhibent circa prædeterminationem phyſicam.

Reſp. Diſparitas eſt; quia Thomiſtæ volunt prædeterminationem ſuam phyſicam non ſe tenere ex parte actus primi: & voluntatem poſſe reſiſtere Gratiæ excitanti actu moventi ad conſenſum, ſeu in ſenſu compoſito illius. At Janſeniſtæ docent, ſuam Gratiam prædeterminantem eſſe ipſam Gratiam excitantem, quæ dat poſſe agere: & ſic ſe tenet ex parte actus primi, atque inſeparabilem habet ex natura ſua connexionem cum effectu, ad quem datur. Ergo tunc eſt neceſſitas antecedens conſentiendi; nam ſi Gratia excitans inſuperabilem habet ex natura ſua connexionem cum conſenſu, tam impoſſibile eſt non eſſe conſenſum, quàm impoſſibile eſt rem aliquam eſſe ſine ſua eſſentia, Dico *antecedens*; nam hæc neceſſitas eſt ex natura Gratiæ, quæ eſt principium conſenſus.

Dices 5. Voluntas poteſt quidem diſſentire, ſi velit: ſed non poteſt velle diſſentire.

Reſp. Neg. Nam hæc locutio (*poſſe diſſentire, ſi velit*) manifeſtè ſupponit voluntatem habere potentiam volendi diſſentire; alioqui propoſitio eſſet nugatoria; ideo enim non dicuntur Beati poſſe DEUM non amare, ſi vellent non amare; quia non poſſunt non velle amare. Item non poteſt dici DEUS poſſe peccare, ſi vellet; quia non poteſt velle peccare.

Dices 6. Cum delectatione phyſicè prædeterminante remanet indifferentia objectiva, ſeu indifferentia judicii, hoc eſt, propoſitio objecti partim ſub ratione boni, partim ſub ratione mali.

Reſp. Indifferentia illa non ſufficit ad libertatem; quia 1. Libertas eſt activa indifferentia voluntatis, eſt completa & expedita facultas agendi & non agendi, ùt conſtat ex Scriptura & Patribus. 2. Ad meritum requiritur libertas à neceſſitate ſimplici antecedente & intrinſeca, ùt Fide conſtat ex tertia propoſitione Janſenii ab Eccleſia damnata & hæretica. 3. Concil. Tridentinum definit hominem poſſe diſſentire excitanti Gratiæ efficaci actu moventi ad conſenſum.

Dices 7. Sanctus Thomas docet manente indifferentia judicii, *voluntatem non* neceſſitari.

Reſp. Cùm hoc dicit, ſupponit voluntatem aliunde non neceſſitari per motionem ei impreſſam, quæ ipſam ad unum antecedenter alliget. Equidem voluntas poteſt amare vel reſpuere objectum, quamdiu illud proponitur partim ùt bonum, partim ùt malum ſub aliqua ratione, modò nil imprimatur voluntati, quo ad unum alligetur, putà ad amandum objectum: alioqui neceſſitabitur, non per objectum, ſed per motionem illam.

Dices 8. Sub Gratia determinante remanet potentia peccandi; nam ſemper manet flexibilitas voluntatis ad malum & cuncupiſcentia.

Reſp. Manet, quidem peccandi potentia ſed ligata & impedita per virtutem inſuperabi-

rabilem. Libertas autem eſt facultas completa & expedita agendi & non agendi.

Dices 9. Conc. Tridentinum, Seſſ. 6. can. 4. damnat tantùm eos, qui dicunt, hominem à DEO motum velut inanime quoddam nihil agere, non ipſum proprio motu velle Ita Janſenius.

Sed contra eſt: Nam (ùt fatetur ipſe Janſenius) hoc canone damnatur doctrina Calvini de Gratia, & libero arbitrio. At Calvinus nil tale docuit, imò multis locis oppoſitum diſertè fatetur: unus hic ſufficiat ex l. 3. de libero arbitrio, ubi ait: *Id dicit Auguſtinus, ut deliræ & impiæ eorum imaginationi occurrat, qui DEUM in homine ſicut in lapide, hoc eſt, inſenſeco, ut ita loquar, voluntatis ejus motu operari fingunt.... hominem ſic quidem docemus agi Gratia, ut ſimul tamen agat.*

§. IV.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Illud ad Philipp. c. 2. *DEUS eſt, qui operatur in nobis & velle & perficere.* Ergo phyſicè prædeterminat.

Reſp. Neg. conſeq. Nam DEUS in nobis velle & perficere operatur per Gratiam excitantem congruam de ſe repudiabilem, & per Gratiam adjuvantem, qua voluntatem liberè conſentientem Gratiæ prævenienti adjuvat, & cum ea producit ejus liberum conſenſum.

Dices. Ibi non fit mentio conſenſus noſtri.

Reſp. Ideo non fit, quia Gratia eſt principalis cauſa conſenſus ſalutaris: & quia Gratia excitans nos agit & movet independenter à conſenſu libero noſtræ voluntatis, atque omninò gratuita eſt, quamvis DEUS non operetur in nobis velle deliberatum ſine nobis liberè agentibus. Porro Gratia efficax dat agere, ſed efficienter, non formaliter.

Obj. 2. Illud, Ezech. c. 36, *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Ergo DEUS nos prædeterminat ad opera ſalutaria.

Reſp. Neg. conſeq. Nam DEUS vere per Gratiam prævenientem de ſe repudiabilem ſed congruam, & prævisam infallibiliter ùt habituram effectum, & per Gratiam adjuvantem ei adjunctam facit opera noſtra ſalutaria in nobis & nobiſcum liberè agentibus juxta illud, 1. Cor. cap. 15. *Non ego autem, ſed Gratia DEI mecum.* Quæ verba ſic exponit S. Auguſtinus, l. de Grat. & liber. arbitr. c. 5. *Id eſt, non ſolus, ſed Gratia DEI mecum: ac per hoc nec Gratia DEI ſola, nec ipſe ſolus, ſed Gratia DEI cum illo.* Ita habet editio Theologorum Lovanienſium: qui locus depravatus eſt, ubi diſcrepat. Igitur DEUS per Gratiam efficacem operatur in nobis velle & perficere, agit ut agamus, facit ut mandata obſervemus, non voluntatem phyſicè prædeterminando, ſed voluntatem movendo, ſicut ſcit ei congruere, ut conſentiat, & conſentientem adjuvando.

Dices. Ex S. Auguſtino DEUS non poteſt facere, ut velimus, niſi voluntatem noſtram phyſicè prædeterminando.

Reſp. Neg. Nam Sanctus Doctor, l. de Grat. & lib. arb. c. 16. ait: *Certum eſt nos velle, cùm volumus: ſed ille facit, ut velimus bonum... de quo dictum eſt: DEUS eſt, qui operatur in nobis & velle. Certum eſt nos facere, cùm facimus: ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* DEUS autem præbet voluntati noſtræ vires efficaciſſimas, hoc ipſo, quòd dat voluntati Gratiam prævenientem congruam, licèt de ſe repudiabilem, cui infallibiliter prævidet illam conſenſuram, & voluntatem conſentientem ac operantem corroborat & adjuvat. Nam tunc dat voluntati vires ita efficaces, ut repugnet voluntatem non velle nec agere bonum, nec ſuperare concupiſcentiam, & omnes difficultates ac tentationes; ſiquidem repugnat, DEI præſcientiam, ſub cujus directione datur Gratia congrua, falli.

Obj. 3. Eccleſia petit à DEO, ut rebelles noſtras voluntates compellat. Ergo petit Gratiam neceſſitantem.

Reſp. Neg. conſeq. Quia tò *compellere* ibi ſumitur latè & impropriè: nempe pro effi-

caci-

taciter movere, convertere, facere, ut voluntates noſtræ è nolentibus bonum fiant volentes: ad quod ſufficit Gratia congrua, quacum DEUS prævidit voluntatem acturam bonum. Nam tò *compellere* propriè & ſtrictè ſignificat cogere: Eccleſia autem non petit, ut DEUS voluntates noſtras cogat; cùm repugnet eas cogi quoad actus ſuos proprios.

Obj. 4. S. Auguſtinus, in Epiſt. ad Galatas ait: *Quod ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur, neceſſe eſt.* Ergo delectatio cœleſtis intenſior delectatione terrena neceſſitat voluntatem.

Reſp. Neg. conſeq. Quia S. Doctor ibi loquitur, non de delectatione indeliberata conſenſum voluntatis præveniente & ad eum alliciente, ſed de delectatione deliberata, quæ eſt amor liber efficax & prædominans, quo homo objectum aliquod anteponit alteri, quique voluntati imponit neceſſitatem conſequentem illud objectum proſequendi, & ſecundùm illud agendi. Nam 1. S. Doctor non dicit; *Secundùm id velimus, neceſſe eſt*: Sed *ſecundùm id operemur, neceſſe eſt*: hoc eſt, ex hypotheſi, quòd aliquid abſolutè & efficaciter diligamus, neceſſariò operamur ſecundùm illud. Nam operatio propriè & ex uſu ſignificat actum à libera voluntatis determinatione imperatum: & per tò *operemur*, intelliguntur actus imperati ab amore libero, efficaci & prædominante. 2. Inferiùs hæc ait: *Manifeſtum eſt certè ſecundùm id nos vivere, quod ſectari fuerimus: ſectabimur autem, quod dilexerimus. Itaque ſi ex adverſo exiſtant duo præcepta juſtitiæ & conſuetudo carnalis, & utrumque diligatur, id ſectabimur, quod ampliùs dilexerimus.* Hæc autem verba (*id ſectabimur, quod ampliùs dilexerimus*) ſunt relativa ad illa priora, *quod ampliùs nos delectat, ſecundùm id operemur, neceſſe eſt.* Ergo ibi *quod ampliùs nos delectat, & quod ampliùs dilexerimus*, idem ſignificat: nempe amorem liberum & efficacem. 3. Hæ voces (*quod ampliùs nos delectat*) ſignificant in ſenſu proprio & uſitato delectationem deliberatam, ſeu actum voluntatis liberum, quo unum præ alio eligimus, ſicut ſignificant hæ voces: *Hoc me delectat, hoc me amplius delectat*: & iſtæ aliæ æquivalentes: *Hoc mihi placet, hoc eſt meum beneplacitum, ſic juvat.* 4. S. Auguſtinus expreſsè fatetur ſe non feciſſe, quod magis eum delectabat delectatione indeliberata; ſic enim l. 8. confeſſ. c. 8. ait: *Non faciebam, quod incomparabili affectu ampliùs mihi placebat.* Item docet delectationem indeliberatam non neceſſitare; nam, tract. 26. in Joann. ait: *Videte, quomodo trahit Pater: docendo delectat, non neceſſitatem imponendo.* 5. Denique cùm S. Doctor ſcriberet commentarium in Epiſtolam ad Galatas, tum verſabatur in errore Semipelagianorum, in quo permanſit uſque ad Epiſcopatum ſuum, ùt ipſe teſtatur, l. de prædeſt. SS. c. 3. Quomodo ergo potuit duos errores contradictoriè oppoſitos tenere: nempe & nimium concedere libero arbitrio, & ſimul illud negare ac tollere?

Dices. Amor liber dici non poteſt delectatio.

Reſp. Nego. Nam (ùt ait S. Thomas Omnis amor eſt delectatio quædam. Quare textus objecti ſenſus eſt: bonum quod liberè ampliùs amamus, illud neceſſariò proſequimur, ſecundùm illud neceſſariò agimus, neceſſitate ſcilicet conſequente liberam electionem noſtram, qua illud alteri anteponimus; nam repugnat hominem non agere ſecundùm id, quod efficaciter amatur: alioqui ſimul amaretur & non amaretur efficaciter.

Dices. Auguſtinus per tò *delectare* nunquam intelligit delectationem deliberatam ſeu amorem liberum.

Reſp. Nego. Imò ſæpe hoc intelligit & ſæpe hortatur homines, ut magis delectentur juſtitia ſeu virtute. Nemo autem poteſt ſeriò hortari alios ad id, quod non eſt in libera eorum poteſtate. Duos aut tres adhuc textus profero: tractat. 26. in Joan. ait: *Trahitur & animus amore. Nec timere debemus, ne .... dicatur nobis, quomodo voluntate credo, ſi trahor? Ego dico, parum eſt voluntate ire, etiam voluptate traheris. Quid eſt trahi voluptate? Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.*

Ubi intelligit voluptatem, qua delectamur ampliùs, & secundùm quàm agimus. Sed hæc major delectatio est delectatio deliberata; nam est delectatio, ad quam Scriptura nos adhortatur: Scriptura autem nos non adhortatur nisi ad delectationem deliberatam seu liberam; quippe quæ sola est in nostra potestate. Et serm. 17. de verbis Apostoli: *Justitia sic delectet, ut vincat etiam licitas delectationes: & ei delectationi, qua licitè delectaris, præpone justitiam.... Præ omnibus delectationibus etiam licitis amanda est justitia.... Præponite delectationi carnis delectationem mentis: mentem vestram delectet justitia.* Item eodem serm. ait: *Decertant in te duæ delectationes: modò interrogo te, quid præponas, quid te plus delectet, aurum an veritas?* Ubi præponere & delectari ampliùs, significant eumdem actum, nempe majorem amorem deliberatum.

Nota. Duplex est necessitas: nempe antecedens & consequens. Necessitas antecedens est ea, quæ antecedit liberam voluntatis electionem, & oritur à causa ad unum determinante. Necessitas consequens & hypothetica est ea, quæ oritur à libera voluntatis determinatione, & sequitur liberam positionem actus: talis est necessitas, ut actus liber, qui fit, revera fiat: ut actus liber præteritus sit præteritus: ut actus liber, qui futurus est, sit futurus. Sic etiam, ût ait S. Augustinus, necesse est nos velle ex libero arbitrio, cùm volumus. Necessitas consequens non tollit, imò supponit & arguit libertatem: & hanc solam admisit Sanctus Augustinus circa actus salutares & malos.

Dices. S. Augustinus, l. 2. de peccatorum meritis & remissione, c. 17. ait. *Nolunt homines facere, quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat; tantò enim quidque vehementiùs volumus, quantò certiùs quod bonum sit novimus, eoque delectamur ardentiùs.*

Resp. Sunt, qui respondent S. Doctorem ibi loqui de eo, quod ordinariè aut sæpiùs fit: & solùm intendere, nos ordinariè velle & agere, licèt absque necessitate, id, quod nos magis delectat indeliberatè. Unde non dicit, quòd necessariò illud vehementiùs volumus: sed solùm, quòd illud vehementiùs volumus. Et revera plerique solent magis velle & sectari, sed liberè, id, quod magis eos delectat etiam indeliberatè.

Tamen videtur S. Augustinus hic loqui de delectatione deliberata, quæ est amor deliberatus ac liber, quo unum objectum alteri anteponimus, & anteponendo, delectamur illo ampliùs. Unde sensus est: nolunt homines facere, quod justum est; sive quia illud ignorant, sive quia non amant facere; nam homines non volunt facere, nisi quod amant facere: & facere volunt, quod amant facere: & tantò ardentiùs volunt, quantò ardentiùs amant, & amando ardentiùs delectantur. Quare inferius hæc subjicit: *Tantò autem magis delectat opus bonum, quantò magis diligitur DEUS summum atque incommutabile bonum.* Sensus est: tantò magis delectamur deliberatè agere opus bonum, quantò magis amamus DEUM; quia nempe quantò magis amamus DEUM, tantò magis amamus ei placere agendo bonum.

Meritò autem paulò ante dixerat, ad amandum facere quod justum est, requiri Gratiam dantem suavitatem, qua suavis fiat voluntati justitia; nam ad amandum bonum salutare requiritur motus amoris indeliberatus & supernaturalis, qui est delectatio quædam cœlestis & indeliberata, quæ efficit delectationem deliberatam, efficiendo consensum liberum voluntatis.

Dices. Sanctus Augustinus, eodem lib. cap. 19. Gratiam, efficacem vocat *victricem delectationem.*

Resp. Delectatio Gratiæ efficacis dicitur victrix, non quia semper intensione superat concupiscentiam, vel quia voluntatem determinat: sed quia facit, ut voluntas liberè vincat motus concupiscentiæ, tentationes, & difficultates omnes amori boni obsistentes. Efficit autem, ut voluntas vincat, & bonum non obstante quacunque difficultate ac tentatione velit & agat, movendo voluntatem sicut ei congruit, ut reipsa consen-

ſentiat & agat bonum. Itaque ex S. Auguſtino Gratia efficax in actibus proſecutionis, quibus nempe volumus & proſequimur bonum, eſt delectatio victrix, quatenus facit voluntatem victricem, eam ad bonum alliciendo ſicut ei congruit, ut illud velit & agat, quantumvis renitente concupiſcentiali ac terrena delectatione.

Nota. Cùm S. Auguſtinus dicit, Gratiam efficacem eſſe delectationem, inſpirationem charitatis, eſſe motum amoris, vel deſiderii, vel complacentiæ, non loquitur de qualibet Gratia efficaci, ſed de Gratia excitante ad volendum & agendum bonum, de qua fere ſemper diſputat. Nam timor pœnarum à DEO immiſſus, eſt etiam Gratia, & cauſa operum ad ſalutem conducentium, ùt conſtat ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. ubi docet, motum, quo peccator diſponitur ad juſtificationem per Gratiam prævenientem, incipere ex parte voluntatis à timore divinæ juſtitiæ. Idem docet S. Auguſt. hom. 23. inter 50. ubi DEUM ſic loquentem inducit: *Ut non conſentires, ego terrui: agnoſce ergo Gratiam ejus, cui debes, quod non admiſiſti.* Et tract. 9. in Joann. ait: *Opus eſt ergo ut intret timor primò, per quem veniat charitas. Timor medicamentum, charitas ſanitas.* Præterea Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. declarat attritionem, quæ *ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, donum DEI eſſe & Spiritus Sancti impulſum.* Ergo falſum eſt omnem Gratiam medicinalem eſſe inſpirationem charitatis ſeu dilectionis.

Dices. S. Auguſtinus, l. de Grat. & lib. arb. c. 8. Gratiam efficacem appellat vocationem efficaciſſimam.

Reſp. Sic vocat: non quia neceſſitat, ſed quia voluntatis conſenſum infallibiliter obtinet: infallibiliter autem obtinet; quia movet voluntatem, quomodo infallibiliter à DEO prævidetur habitura effectum, ſi detur.

Obj. 5. S. Auguſtinus, l. de corrept. & Grat. cap. 14. ait: *Non eſt itaque dubitandum, voluntati DEI, qui in cœlo & in terra omnia quæcunque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura ſunt, fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominùs faciat ipſe, quod vult: quandoquidem etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cùm vult, facit.* Ergo voluntas hominis non poteſt reſiſtere Gratiæ DEI efficaci.

Reſp. Neg. conſeq. Equidem homines non poſſunt reſiſtere voluntati DEI abſolutæ & efficaci, de qua ſola hic agitur; quia non poſſunt eam fruſtrare, nec impedire ſimpliciter effectum, etſi à noſtra libertate dependentem, quem illa abſolutè & efficaciter intendit. Nam non poſſunt impedire, ne DEUS habeat in theſauris omnipotentiæ ſuæ innumera media etiam de ſe repudiabilia, quæ in quibuslibet circumſtantiis infallibiliter præſcit operatura liberum cujuſlibet voluntatis conſenſum, ſi ea velit adhibere: neque poſſunt impedire, ne ea adhibeat, cùm voluerit. Sic homo non poteſt reſiſtere voluntati divinæ abſolutæ & efficaci eum ſalvandi: nec impedire ſimpliciter ſuam ſalutem à DEO efficaciter decretam; quia non poteſt impedire, ne DEUS habeat & adhibeat media, quibus infallibiliter prævidet eum opera bona liberè facturum uſque in finem. Quòd clarè docet S. Auguſtinus, lib. 1. ad Simplicianum, quæſt. 2. ubi ait: *Non poteſt effectus miſericordiæ DEI eſſe in hominis poteſtate, ut fruſtra ille miſereatur, ſi homo nolit; quia ſi vellet etiam ipſorum* (non electorum) *miſereri*, ſpecialiter & efficaciter, *poſſet ita vocare, quomodo illis aptum eſſet, ut & moverentur, & intelligerent, & ſequerentur.* At nihilominus poſſumus reſiſtere Gratiæ efficaci, quamvis ſit medium adhibitum vi voluntatis DEI efficacis; quia hæc voluntas DEI efficax adhibet media de ſe repudiabilia, ſed congrua & prævisa infallibiliter habitura effectum.

Dices. DEUS vi voluntatis efficacis non debet adhibere media repudiabilia. Ergo.

Reſp. Neg. ant. Itaque DEUS adhibet media repudiabilia, quia abſolutè & efficaciter vult non ſolùm ut actus ſalutaris fiat, ſed etiam ut liberè fiat, ideoque non adhibet medium irrepudiabile & neceſſitans, ſed repudiabile, quod tamen prævidet cer-

ò & infallibiliter habiturum esse effectum, si detur. *Nullius* enim *DEUS frustra miseretur* efficaciter. *Cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat*, inquit S. Augustinus, loco citato. Igitur voluntas humana potest quidem resistere Gratiæ, utpote de se repudiabili; sed non potest resistere voluntati DEI efficaci: quatenùs non potest impedire, ne DEUS eam vocet ac moveat eo modo, quo prævidetur consensura, ac proinde quo consensura est.

Dices. Si homo non potest resistere voluntati divinæ efficaci, jam non aget bonum liberè.

Resp. Neg. sequel. Quia voluntas DEI absoluta & efficax circa actum salutarem, & salutem hominis adulti est voluntas, ut actus salutaris liberè fiat, & ut homo salutem consequatur per actus meritorios ideoque liberos: & consequenter vi illius voluntatis DEUS adhibet media de se repudiabilia, sed quæ infallibiliter prævidet operatura consensum liberum voluntatis: sicque adhibet media intrinsecè repudiabilia & fallibilia, sed extrinsecè infallibilia: infallibilitate scilicet petita à scientia divina infallibili. Unde homo non potest simpliciter impedire, ne liberè agat bonum efficaciter à DEO intentum, quamvis Gratiæ efficaci resistere possit, potentia tamen reducibili tantùm, & certò nunquam reducenda.

Dices. Homo voluntati DEI efficaci resistere non potest impotentia etiam antecedenti. Ergo est necessitas antecedens, ut fiat actus bonus efficaciter à DEO intentus. Ergo &c.

Resp. Dist. conseq. Est necessitas antecedens extrinseca ut liberè fiat actus salutaris efficaciter à DEO intentus, *conc conseq.* Est necessitas intrinseca, ut necessariò fiat actus salutaris efficaciter à DEO volitus, *neg. conseq.* Equidem impotentia resistendi voluntati DEI efficaci est antecedens; nam non oritur ex aliquo exercitio libertatis humanæ, sed ex eo, quòd absolutè repugnet DEUM infinitè Sapientem & Omnipotentem non habere in potestate sua media licèt ex se repudiabilia, quibus infallibiliter efficere possit, si velit, ut voluntas humana eliciat actus liberos ab ipso absolutè & efficaciter intentos. At hæc impotentia non facit necessitatem antecedentem intrinsecam; quia illa impotentia non oritur ex aliquo intrinseco voluntati humanæ, eam immediatè ac intrinsecè afficiente, & ad unum antecedenter alligante. Nam Sapientia & Omnipotentia divina per se nil ponunt in voluntate, per quod ipsa ad unum alligetur: sed DEUS vi suæ voluntatis efficacis adhibet medium ex se repudiabile, quod tamen infallibiliter prævidet habiturum effectum, si detur; voluntas enim illa DEI efficax circa actum salutarem est voluntas, qua DEUS vult absolutè & efficaciter, ut actus salutaris liberè fiat: ideoque ut fiat per medium non necessitans nec determinans voluntatem ad consensum, sed eam alliciens ac movens, quomodo scit ei congruere, ut consentiat.

Nota itaque. Ex absoluta & efficaci voluntate DEI circa actum bonum oritur necessitas antecedens invariabilis & insuperabilis, ut fiat actus ille bonus, sed liberè, & ita, ut possit non fieri potentia reducibili tantùm, sed non reducenda. Quia voluntas illa efficax circa actum bonum non est voluntas, ut actus ille qualicumque modo fiat, sed ut fiat liberè ac meritoriè, proindeque ut fiat per medium ex natura sua repudiabile, quod tamen infallibiliter prævideatur habiturum effectum. Quare voluntas DEI efficax libertatem creatam certò astruit, nedum tollit. Nam propter illam voluntatem efficacem necessarium est necessitate antecedenti, insuperabili, ut actus à DEO efficaciter intentus non solùm fiat, sed etiam liberè fiat; quia voluntas illa est, ut actus liberè fiat, & absolutè repugnat DEUM omniscientem & omnipotentem falli aut vinci, ac proinde non assequi id, quod efficaciter intendit, & eo modo non assequi, quo intendit.

Dices. Impotentia resistendi voluntati DEI efficaci non officit libertati. Ergo nec impotentia resistendi Gratiæ efficaci.

Resp. Neg. conseq. Disparitas est, quia voluntas DEI efficax est causa remota, extrinseca, & elective mediorum non necessitan-

tantium ſed repudiabilium: ac proinde non determinat antecedenter voluntatem ad unum. At Gratia eſt cauſa proxima, intrinſeca, afficiens voluntatem, illam præmovens & adjuvans: unde ſi voluntas non poſſet ei reſiſtere, neceſſitaretur ad actum, ad quem per eam movetur.

Dices. DEUS vult abſolutè & efficaciter, ut actus bonus fiat per tale medium. Er. go ſi voluntas poteſt reſiſtere tali medio, poteſt quoque reſiſtere voluntati DEI efficaci.

Reſp. Diſting. ant. Conſequenter ad prævisionem effectus ſecuturi, nempe conſenſus voluntatis, *conc. ant.* Antecedenter ad hanc prævisionem, *neg. ant.* DEUS primò vult abſolutè & efficaciter, ut actus bonus liberè fiat à voluntate humana: deinde vi talis voluntatis præparat hanc numero Gratiam ex ſe repudiabilem, ſed quam infallibiliter præſcit expreſſuram conſenſum voluntatis, ſi detur. Unde voluntas humana poteſt facere, ne DEUS prævideriſ talem Gratiam habituram eſſe effectum, ſi daretur, & ſic facere, ne DEUS ex vi ſuæ voluntatis efficacis talem Gratiam dare voluerit: quod reipſa facere poteſt potentia ad actum reducibili, ſed infallibiliter non reducenda. Non ideo tamen poteſt, ne potentia quidem reducibili tantùm, reſiſtere voluntati DEI efficaci; quia non poteſt facere, ne DEUS ex omnibus Gratiis, quas habet in omnipotentiæ ſuæ theſauris, prævideriſ aliquam fore congruam, nec impedire, ne Gratiam illam præ alia dare voluerit.

Dices. Si voluntas reſiſteret tali Gratiæ vi voluntatis DEI efficacis datæ, reſiſteret etiam voluntati DEI efficaci. Ergo ſi poteſt reſiſtere tali Gratiæ, poteſt etiam reſiſtere voluntati DEI efficaci.

Reſp. Neg. ant. Quia contradictionem involvit; nam duo contradictoria ſimul ſupponit: nempe ſupponit talem Gratiam eſſe & non eſſe habituram effectum. Nam ſupponit talem Gratiam dari ex vi voluntatis abſolutæ & efficacis, ideoque prævideri infallibiliter à DEO habituram effectum; nulla enim Gratia datur ex vi voluntatis DEI efficacis, quæ priùs non prævideatur à DEO habitura effectum: & tamen ſimul ſupponit eam non habituram eſſe effectum, cùm ſupponat voluntatem ei reſiſtere. Igitur ſupponi non poteſt voluntas humana reſiſtere tali Gratiæ, niſi ſimul ſupponatur talis Gratia non dari ex vi voluntatis DEI abſolutæ & efficacis: ſicut ſupponi non poteſt voluntas humana reſiſtere tali Gratiæ, niſi ſimul ſupponatur DEUS non prævidiſſe talem Gratiam habituram eſſe effectum, ſi detur.

Dices. Gratia tam eſt efficax quàm voluntas DEI abſoluta & efficax, vi cujus datur; nam eſt medium ei proportionatum. Ergo.

Reſp. Diſt. ant. Tam eſt efficax, ſed diverſo modo, *conc. ant.* Et eodem modo, *neg. ant.* Gratia executiva decreti abſoluti & efficacis eſt efficaciſſima, *quamvis* ſit ex ſe repudiabilis; quia ſummè repugnat eam non habere effectum, ad quem datur; tam enim repugnat eam non habere talem effectum, quàm repugnat ſcientiam conditionalium, ex cujus directione datur, falli. Nihilominus per ſe eſt repudiabilis, & voluntas ſemper ejus effectum impedire poteſt potentia verè reducibili, ſed nunquam certò reducenda ad actum. At Decretum divinum efficax, ita eſt efficax, ut voluntas non poſſit illud impedire, nec ejus executionem; nam voluntas non poteſt impedire, ne ſit, & ne DEUS adhibeat media, quæ certò novit habitura eſſe effectum.

Obj. 6. S. Auguſtinus, l. de correpr. & Grat. cap. 12. ait: *Prima erat perſeverantiæ poteſtas, bonum poſſe non deſerere: noviſſima erit felicitas perſeverantiæ, bonum non poſſe deſerere.* Ergo Gratia efficax, quæ nunc datur electis ad perſeverandum, neceſſitat.

Reſp. Neg. conſeq. Quia S. Doct. ibi loquitur ſolùm de perſeverantia Beatorum in altera vita: & per eam intelligit impeccabilitatem, qua electi fruentur in Cœlo. Nam ibi opponit ſtatum innocentiæ, non ſtatui naturæ lapſæ, ſed ſtatui gloriæ, in quo ſolo eſt immortalitas, & impeccabilitas; ſic enim ait: *Prima ergo libertas voluntatis erat, poſſe*

posse non peccare. Novissima erit multò major, non posse peccare. Prima immortalitas erat, posse non mori: novissima erit multò major, non posse mori. Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere: novissima erit felicitas perseverantiæ, bonum non posse deserere.

Ob. 7. S. Augustinus, eodem lib. c. 14. de DEO ait: *Sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret, inclinandorum omnipotentissimam potestatem.* Sed non potest habere hanc potestatem, nisi quia potest necessitare voluntatem humanam. Ergo.

Resp. Neg. min. Nam DEUS potest quò voluerit hominum voluntates quantumvis rebelles inclinare efficaciter & infallibiliter per media de se repudiabilia, quæ prævidet habitura effectum, si dentur. In quo sanè magis elucet omnipotentia DEI, quàm si id solùm posset per media necessitantia; nam longè majoris potestatis est, quòd DEUS possit hominum voluntates, quo voluerit, inclinare etiam per media ex natura sua repudiabilia, quàm si id posset solùm per media necessitantia seu prædeterminantia. Quare qui Gratias efficaces ex natura sua repudiabiles pro hoc statu rejiciunt, injuriam faciunt omnipotentiæ divinæ, negando DEO potentiam salvandi homines lapsos per Gratias de se repudiabiles, sed tamen efficaces, ideoque salvandi homines lapsos per actus meritorios ac liberos.

Obj. 8. Ex S. Augustino Gratia efficax efficit bonam volitionem. Ergo necessitat.

Resp. Neg. conseq. Nam ex S. Doctore Gratia efficax bonam volitionem efficit, non necessitando, sed quatenus voluntatem præparat, excitat, & adjuvat, ùt constat ex lib. 1. contra duas Epist. Pelagian. c. 18. & alibi. Itaque ex Sancto Doctore Gratia efficax efficit volitionem nostram, sed no biscum liberè consentientibus, quatenus scilicet excitat, movet eo modo, quo DEUS scit congruere, ut voluntas liberè consentiat, atque eam consentientem adjuvat.

Obj. 9. Sanctus Augustinus, lib. de correptione & Gratia, c. 11. & 12. docet Gratiam sanitatis seu Gratiam datam Adamo in statu innocentiæ differre à medicinali Gratia, quòd illa esset repudiabilis hæc verò sit necessitans. Ergo.

Resp. Nego anteced. Vide dicta de hoc discrimine. *Probabis antecedens afferendo multos textus Sancti Doctoris.*

I. Cap. 11. dicit Adamum in statu innocentiæ habuisse Gratiam, quam per liberum arbitrium deserere posset: qua fieret, ut justitiam haberet, si vellet. Sed in hoc Gratiam sanitatis opponit Gratiæ medicinali. Ergo.

Resp. Nego min. Sed ibi utramque Gratiam opponit solùm in eo, quòd Gratia data Adamo innocenti ad perseverandum in statu innocentiæ, esset merè sufficiens: Gatia verò nunc electis data ad perseverandum, sit Gratia congrua & efficax. Sic enim ait, c. 11. *Tale quippe erat adjutorium, quod desereret* (Adamus) *cùm vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret, ut vellet. Hæc est prima Gratia, quæ data est primo Adam: sed hæc potentior est in secundo Adam. Prima enim est, qua fit, ut habeat homo justitiam, si velit. Secunda verò plus potest, qua etiam fit, ut velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat.* Ubi addidit vocem *etiam*, ut significet Gratiam electis datam ad perseverandum eam esse, qua fit non solùm, ut homo habeat & conservet justitiam, si velit, quod præstabat Gratia Adamo innocenti data, sed etiam, ut reipsa velit, & ita velit, ut perseveranter habeat justitiam: quòd præstat sola Gratia electorum propria, non determinando, nec necessitando voluntatem, sed eam movendo sicut congruit, ut velit efficaciter & perseveranter justitiam.

Hæc autem Gratia medicinalis efficax, est potentior Gratia data Adamo innocenti, non quia necessitat, sed quia non solùm illustrat mentem, & elevat ac movet voluntatem, sicut faciebat Gratia sanitatis, sed insuper frænat concupiscentiam, & voluntatem contra eam corroborat modo congruo.

Porro

Porro Sanctus Augustinus, in supradictis capitibus, non comparat omnem Gratiam datam in statu innocentiæ cum omni Gratia data in statu naturæ lapsæ: sed comparat solùm Gratiam datam Adamo ad perseverandum in statu innocentiæ, cum Gratia, quæ in statu naturæ lapsæ datur electis ad perseverandum: nempe ut pateat, quantùm in hoc posteriori statu plus eluceat Gratiæ virtus & beneficium, quàm in priori.

II. S. Augst. post verba allata, sic prosequitur: *Nec illa quidem parva erat, qua demonstrata est etiam potentia liberi arbitrii; quoniam sic adjuvabatur, ut sine hoc adjutorio in bono non maneret (Adamus) sed hoc adjutorium, si vellet, desereret.* Ergo homo lapsus nunc non potest deserere seu repudiare Gratiam.

Resp. Nego conseq. Imò verbis immediatè sequentibus asserit per Gratiam, quæ nunc datur electis, reparari perditam libertatem, quoad faciendum bonum salutare; nam subjicit: *Hæc autem (electorum Gratia) tantò major est, ut paràm sit homini, per illam reparare perditam libertatem, paràm sit denique non posse sine illa vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si velit, nisi etiam efficiatur.* Ergo ex Sancto Augustino per Gratiam efficacem, quæ nunc datur electis, reparatur libertas, quam Adamus perdidit. Atqui libertas, quam Adamus perdidit, ideoque quam ante peccatum habebat, erat potentia completa agendi bonum salutare, immunis ab omni necessitate simplici intrinseca. Ergo per Gratiam medicinalem efficacem reparatur seu recipitur libertas ab omni necessitate simplici & intrinseca ad bonum, & consequenter Gratia medicinalis efficax non necessitat.

Porrò loci objecti sensus est, magnam fuisse Gratiam datam Adamo ad perseverandum: siquidem per illam liberum arbitrium Adami multum potuit: nempe sine illa perseverare non potuit, & cum illa potuit perseverare vel non perseverare pro arbitrio. Gratia verò, quæ nunc datur electis, longè est potentior: quia præstat illis non solùm ut perseverare possint, si velint, sed etiam ut reipsa velint superato omni impedimento.

III. Sanctus Augustinus, eod. cap. 11. dicit: *Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his, qui liberantur, factum est donum Gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Ergo homo nunc non meretur gloriam. Ergo, &c.

Resp. Nego conseq. Nam hic loquitur, non de quovis actu meritorio, sed de perseverantia finali, quæ in statu innocentiæ fuisset meritoria; quia in statu innocentiæ perseverantia finalis consistebat in actu aliquo bono libero, quo facto, homo statim beatitudinem assequeretur, si vellet. At nunc perseverantia finalis non consistit in actu voluntatis, sed in morte in statu Gratiæ: quæ mors est donum merè gratuitum, nec pendet ab homine: unde non est actus meritorius.

IV. Sanctus Doctor, cap. 12. ait: *Nunc verò, posteaquam est illa magna peccati merito amissa libertas, etiam majoribus donis adjuvanda remansit infirmitas. Placuit enim DEO, quo maximè humanæ superbiam præsumptionis extingueret, ut non glorietur omnis caro coram ipso.*

Resp. Per magnam illam libertatem intelligit voluntatem habitibus supernaturalibus, & dono integritatis instructam, quæ proinde auxilio Gratiæ minus potenti poterat facillimè agere bonum perseveranter, si vellet. Homo autem per peccatum amisit voluntatem instructam dono integritatis, & potentiam agendi facilè bonum: unde non potest ampliùs bonum agere cum iisdem Gratiæ auxiliis, quæ sufficiebant in statu innocentiæ, sed nunc indiget potentiore auxilio, quo & mentis cœcitas depellatur, & voluntas sanetur ac corroboretur ad superandam concupiscentiam, quæ est magna voluntatis infirmitas: ideoque omnis gloriandi occasio ablata est.

V. Eodem cap. 12. ait: *Unde autem non glorietur caro coram ipso? nisi de meritis suis: Quæ quidem potuit habere, sed perdidit: & per quod habere potuit, per hoc perdidit:*

didit: hoc est, per liberum arbitrium, propter quod non restat liberandis nisi Gratia liberantis. Ita ergo non gloriatur omnis caro coram ipso. Non enim gloriantur injusti? quia non habent unde; nec justi; quia ex ipso habent unde.

Resp. Ibi solùm vult opera salutaria ita esse merita hominis simul & dona Gratiæ in utroque statu innocentiæ & naturæ lapsæ, ut tamen potiori jure dicerentur merita hominis in statu innocentiæ, quàm in statu naturæ lapsæ: & è contra potiori aliquo jure dici dona Gratiæ in statu naturæ lapsæ, quàm in statu innocentiæ. Quia Angeli & Adamas creati sunt in statu Gratiæ sanctificantis, ratione cujus jus habebant ad gloriam, & quæ exigebat Gratias actuales, ùt fini & statui suo convenienter agerent. Præterea illorum voluntas, utpote recta & sana, non indigebat Gratia sanante & corroborante, sed solùm elevante & adjuvante. E contra verò post peccatum Adæ homines nascuntur in peccato, indigni omni beneficio divino, ignorantiæ & concupiscentiæ effranatæ obnoxii, egentque Gratia majore ac potentiore, præsertim ob infirmitatem voluntatis per concupiscentiam contractam, quàm indigeret Adamus in statu innocentiæ ad perseverandum.

VI. Eodem cap. inferiùs ait: *Si in tanta infirmitate vitæ hujus (in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici voluntatem oportebat) ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio DEI, sine quo perseverare non possent, manerent, si vellent, nec DEUS in eis operaretur, ut velent, inter tot & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet.* Ergo Gratia, quæ nunc datur electis, non relinquit eis voluntatem suam, id est, liberam determinationem, ideoque eam necessitat.

Resp. Nego conseq. Quia Sanctus Doctor solùm intelligit, DEUM non relinquere electis voluntatem suam infirmam, eam præcisè elevando & movendo, sicut reliquit Adamo innocenti voluntatem suam, quam solùm elevabat, movebat, non sicut ei congruebat, ut reipsa vellet perseveranter bonum: sed nunc operari in voluntate electorum longè potentiùs, mirabiliùs & specialiùs, illam voluntatem non solùm elevando & movendo, sed etiam sanando & corroborando contra concupiscentiam, & hæc omnia præstando, eo modo, quo scit ei congruere, ut salva sua libertate invictissimè & perseveranter bonum velit.

VII. S. Augustinus sic prosequitur: *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut Divina Gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur: & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.* Ergo voluntas nunc non potest resistere Gratiæ.

Resp. Neg. cons. Nam sensus est, DEUM ad subveniendum infirmitati voluntatis humanæ per peccatum originale contractæ, voluntatem per Gratiam ita movere & corroborare, ut quantumcunque infirma, tamen liberè velit bonum efficaciter, ita ut nulla tentatione, nulla adversitate, nec concupiscentiæ motibus vinci ac superari possit. Nam in hoc textu voces *indeclinabiliter, insuperabiliter*, ab eo usurpantur non respectu voluntatis, quasi intelligat, eam à Gratia ita moveri, ut ei resistere nequeat, sed respectivè ad concupiscentiam, tentationes & adversitates hujus vitæ, à quibus voluntas Gratia congrua corroborata superari non potest; quamdiu enim aliquid efficaciter volumus, nulla re, nulla tentatione aut difficultate ab eo deterreri possumus; alioqui idem vellemus efficaciter, & non vellemus efficaciter: quod repugnat. Has autem voces sic sumi, relatè solùm ad tentationes & adversitates hujus vitæ, patet ex his verbis sequentibus: *Et ideo quamvis infirma non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.* Et ex aliis, quæ inferiùs addit: *Infirmis servavit, ut ipso donante, invictissimè, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissimè nollent*: Hoc est efficacissimè vellent bonum perseveranter agere, ita ut nulla difficultate, nulla tentatione vinci possent. Igitur tò *invictissimè* significat efficacissimè. Quare in his & similibus textibus

tibus Sanctus Doctor docet Gratiam, quæ nunc electis datur ad perseverandum, esse efficacem, & longè potentiorem quàm fuerit Gratia Adamo data ad perseverandum in statu innocentiæ, quæ erat merè sufficiens, & qua DEUS non operabatur in eo, ut reipsa bonum perseveranter vellet, licèt id facillimè posset.

Secundùm aliquos Doctores illa invincibilitas, insuperabilitas est tantùm consequens, & petitur, non à natura ipsius Gratiæ absolutè spectatæ, sed à præscientia & providentia DEI eligentis Gratiam, cui prævidet voluntatem consensuram. Voluntas autem non potest esse simul consensura, & non consensura: unde necessarium est, ut voluntas, quæ prævidetur consensura, reipsa consensura sit. Sed hæc necessitas est tantùm consequens & hypothetica, orta à libera determinatione voluntatis: quæ determinatio non potest simul esse & non esse.

VIII. S. Augustinus circa initium cap. 12. dicit Gratiam sanitatis esse adjutorium *sine quo non*, & Gratiam medicinalem esse adjutorium *quo*. Sed per adjutorium *sine quo non* intelligit Gratiam repudiabilem, & per adjutorium *quo* Gratiam physicè determinantem, cui nempe homo resistere nequit; nam hoc comparat beatitudini formali, qua posita homo non potest non esse beatus.

Resp. 1. *Nego maj.* Nam ibi loquitur, non de qualibet Gratia sanitatis & de qualibet Gratia medicinali, sed solùm de Gratia data Adamo ad perseverandum in statu innocentiæ: & de dono perseverantiæ finalis dato electis in statu naturæ lapsæ.

Resp. 2. *Nego min.* Per adjutorium *sine quo non*, Adamo innocenti datum ad perseverandum, intelligit auxilium merè sufficiens, quocum scilicet Adamus perseverare potuit in statu innocentiæ: sed non perseveravit, quia noluit, ùt patet ex his Sancti Doctoris verbis: *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, ac ceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset.* Per adjutorium verò *quo* electis in statu naturæ lapsæ datum ad perseverandum, Sanctus Doctor intelligit, non Gratiam actualem seu inspirationem, sed solùm ipsam formalem perseverantiam finalem, nempe ipsam mortem in statu Gratiæ, ùt patet ex his suis verbis priora immediatè sequentibus: *Nunc verò Sanctis in regnum DEI per Gratiam DEI prædestinatis, non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur: non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam, ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.* Ergo ex Sancto Augustino adjutorium perseverantiæ, quod nunc datur electis, & quod supra vocat adjutorium *quo*, est tale, ut eis perseverantia ipsa donetur: est donum, per quod non nisi perseverantes sunt. Atqui tale donum est sanè ipsissima perseverantia formalis, nempe vitæ terminus in statu Gratiæ: non antem auxilium actuale distinctum ab ipsa perseverantia. Hoc patet etiam ex eo, quòd Sanctus Doctor adjutorium *quo*, quod electis datur ad perseverandum, comparet beatitudini formali, sine qua non possumus esse beati, & qua posita, hoc ipso sumus beati: *At verò*, inquit, *beatitudo, quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus. Adjutorium est enim non solùm sine quo non fit, verùm etiam quo fit, propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium est, & quo fit, & sine quo non fit.* Ergo Sanctus Doctor per adjutorium *quo* intelligit, non causam efficientem, sed causam formalem perseverantiæ, seu ipsissimam perseverantiam finalem. E contra adjutorium *sine quo non*, Adamo in statu innocentiæ datum, comparat alimentis, sine quibus vivere non possumus, & quibuscum vivere possumus: non tamen vivimus, nisi illis uti velimus. *Nam*, inquit, *sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cùm adfuerint alimenta, eis fit, ut vivat, qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit, ut vivamus* formaliter.

Dices. Perſeverantia finalis non eſt propriè adjutorium.

Reſp. Neque etiam beatitudo formalis eſt propriè adjutorium: & tamen Sancto Auguſtino placuit illam vocare adjutorium. Mortis autem immiſſionem in ſtatu Gratiæ vocat adjutorium, quia eſt medium, quo DEUS electos efficit formaliter perſeverantes. Unde ſumit adjutorium pro eo, quo aliquid fit, ſive efficienter, ſive formaliter.

Nota. Donum ſeu adjutorium perſeverantiæ à Sancto Auguſtino modò adæquatè ſumitur: nempe pro Gratia efficaci ultima, & perſeverantia finali, nempe morte in ſtatu Gratiæ immiſſa: modò inadæquatè, nimirum vel pro ſola Gratia efficaci, vel pro ſola perſeverantia finali, quæ eſt vitæ exitus ſeu mors in ſtatu Gratiæ, eſtque beneficium ab aliis Gratiæ donis diſtinctum, purè gratuitum, & à ſolo DEO pendens: Unde DEUS electos facit formaliter perſeverantes, cùm eis mortem immittit in ſtatu Gratiæ.

Obj. 10. Vel Gratia voluntatem, vel voluntas Gratiam phyſicè determinat ad actum ſalutarem: non ſecundum. Ergo primum.

Reſp. Neg. maj. Itaque neque Gratia voluntatem, neque voluntas Gratiam determinat; quia voluntas & Gratia non influunt in actum tanquam duæ cauſæ diverſæ, quarum una alteram determinare debet per ſuum influxum. Sed voluntas mota, corroborata & adjuta per Gratiam, eſt cauſa completa actus ſalutaris, & ſui conſenſus determinativa dependenter à Gratia tanquam à cauſa principali illam præmovente, corroborante & complente, & ei liberam ſui actus determinationem relinquente. Unde voluntas habet à Gratia vim completam ſe determinandi ad conſenſum: & cùm ſe determinat, nec determinatur à Gratia, nec ipſa determinat Gratiam, ſed ſe ipſam per Gratiam.

Dices. Si voluntas non determinatur à Gratia, ſe ipſam determinando determinat Gratiam.

Reſp. Neg. ſeq. Itaque voluntas liberè conſentiens Gratiæ, non determinat ipſam Gratiam; nam Gratia non eſt indeterminata & indifferens ad actum ſalutarem, ſed eſt ex ſe cauſa neceſſaria & determinata ad actus ſalutaris productionem, quamvis fruſtrabiliter ſeu impedibiliter, ita ut voluntas poſſit impedire effectum Gratiæ. Igitur voluntas bonum agens ſub Gratia, non determinat ipſam Gratiam, ſed obſequitur ejus determinationi ſeu motioni, & ſe ipſam determinat dependenter ab illa.

Nota. DEUS equidem immediatè per ſe prædeterminat & neceſſitat intellectum ad ſupernaturalem cognitionem boni, & voluntatem ad indeliberatos motus amoris, complacentiæ, deſiderii circa bonum, vel fugæ & averſionis circa malum. Sed hæc illuſtratio & motio ſupernaturalis indeliberata non neceſſitat nec prædeſtinat voluntatem ad conſenſum.

§. V.

Expediuntur aliquæ quæſtiones circa diſcrimen doctrinæ Janſenii.

Quæres 1. *Utrùm doctrina Janſenii diſcrepet à doctrina Calvini de Gratia & libero arbitrio damnata à Concilio Tridentino?*

Reſp. Quoad rem nullatenus diſcrepat. Nam ipſe Janſenius, l. 8. de Gratia Chriſti c. 21. docet à Conc. Trident. damnata fuiſſe in Calvini doctrina quinque capita, in quibus ſuam doctrinam à Calviniana diſcrepare aſſerit: ſed falsò, ùt facilè oſtenditur.

Primum eſt, inquit Janſenius, *quòd Calvinus negat eſſe in homine boni & mali electionem.* At hoc negat Calvinus in eo ſenſu, in quo etiam negat ipſe Janſenius. Nam uterque negat electionem propriè dictam, quæ conſiſtit in determinatione voluntatis habentis poteſtatem ſe determinandi ad oppoſitum: & uterque admittit electionem impropriè dictam, conſiſtentem in eo, quòd voluntas velit cum advertentia rationis & abſque coactione. Clavinus enim, l. 2. inſt. c. 3. ſic ait: *Habemus nunc Auguſtini ore teſtatum, quod in primis obtinere volumus, non offerri tantùm à Domino Gra-*

Gratiam, quæ libera cujuſque electione aut recipiatur, aut reſpuatur: ſed ipſam eſſe, quæ in corde & electionem & voluntatem formet.

Secundum eſt, quòd Calvinus doceat Gratiam ita movere hominem, ut non ſit ei liberum reſiſtere. At Janſenius idem docet in ſenſu Calvini: nempe voluntatem non poſſe impotentia antecedente reſiſtere Gratiæ in ſenſu ejus compoſito, ſeu conjungere diſſenſum cum motione Gratiæ; nam ſic ait Janſenius: *Quamvis fieri nequeat, ut actualis diſſenſus cum actuali DEI motione jungatur.* Et lib. 8. c. 3. *Perſpicuè appareret impoſſibile eſſe, ut adjutorium illud cœleſtis delectationis non determinet, imò prædeterminet voluntatem: facit, ut velis, & ſine illa velle non poſſis, facit etiam, ut ardentiùs velis, & ſine illa ardentiùs velle non poſſes: facit denique, ut neceſſe ſit animum illud ſequi, & ſecundùm illud operari, quod ampliùs delectaverit.*

Tertium eſt, quòd nolit (Calvinus) *hominem Gratiæ moventi pediſſequa voluntate conſentire.* At non negat Calvinus hominem Gratiæ conſentire voluntate libera à coactione: ſed ſolùm negat conſentire voluntate libera ab omni neceſſitate ſimplici etiam voluntaria, quod etiam negat Janſenius.

Quartum & principium omnium iſtorum præcedentium eſt, inquit Janſenius, *quòd exertè docet* (Calvinus) *virtutem & vitium, bene agere & malè, non eſſe in noſtra poteſtate.* Sed hoc docet in eo ſenſu, in quo aſſerit Janſenius. Nam Calvinus vult tantùm iſta non eſſe in noſtra poteſtate libera libertate ab omni neceſſitate ſimplici ac voluntaria & neutri parti alligata, nec negat eſſe in noſtra poteſtate immuni à coactione, & ſponte agente. Janſenius verò docet actus virtutis & vitii non eſſe in noſtra poteſtate libera ab omni neceſſitate ſimplici & voluntaria, ſed ſolùm à violenta; docet enim cum Calvino, hominem ad actum bonum à Gratia, & ad actum malum à concupiſcentia neceſſitari abſque violentia & coactione: & dicit eos errare, qui dicunt, ut actus ſit in noſtra poteſtate, requiri facultatem illum faciendi & omittendi, immunem ab omni neceſſitate etiam voluntaria. *Recentiores* (inquit, l. 6. de Gratia Chriſti c. 4.) *imaginantur, illum tantummodo actum eſſe in noſtra poteſtate, hoc eſt in libero noſtræ voluntatis arbitrio, & illius tantùm nos eſſe dominos, quem pro libitu noſtro, poſitis omnibus ad agendum neceſſariis, poſſumus facere & non facere. Qua in re juxta Auguſtini ſententiam celeberrimè nobis explicatam ſine dubitatione falluntur.*

Quintum denique eſt, quod fronte retecta tandem docet (Calvinus) *non eſſe in homine liberum arbitrium, ipſumque nomen inane & exterminandum eſſe.* At Calvinus non negat liberum arbitrium niſi in ſenſu, in quo etiam illud negat Janſenius: nempè ſumptum in ſenſu Catholicorum pro facultate agendi & non agendi expedita & immuni ab omni neceſſitate phyſica, etiam voluntaria: & expreſsè admittit liberum arbitrium in ſenſu Janſenii: nempè ſumptum pro ſola libertate à coactione, ſeu facultate agendi ſpontè, non coactè. *Si conctioni* (inquit Calvinus) *opponitur libertas, liberum eſſe arbitrium, & fateor & conſtanter aſſevero: ac pro hæretico habeo, quiſquis ſecùs ſentiat. Si hoc, inquam, ſenſu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, ſed ſpontè agatur ſua, nihil moror.*

Calvinus tamen his erroribus adjunxit alium errorem: nempe DEI mandata eſſe impoſſibilia cum quavis Gratia quantumvis efficaci; quia cenſet quoslibet concupiſcentiæ motus indeliberatos eſſe peccata mortalia, & ſemper aliquem ejuſmodi motum conjunctum eſſe cum quovis actu deliberato quantumvis bono. In quo ei diſſentit Janſenius.

Dices. Janſenius agnoſcit. 1. ſub Gratia remanere indifferentiam voluntatis, & potentiam agendi, & non agendi. 2. Eſſe in poteſtate hominis exercere opera virtutis. 3. Nullibi Gratiam ſuam neceſſitantem vocat.

Reſp. ad 1. Janſenius per potentiam agendi non intelligit potentiam expeditam & activè indifferentem, ſed potentiam alliga-

tam ad unum per majorem delectationem. Item per indifferentiam voluntatis intelligit non indifferentiam activam in sensu Catholicorum, sed indifferentiam meræ mutabilitatis, positam in eo, quòd voluntas, quamdiu est in hoc statu viæ, sit de se flexibilis nunc ad bonum, nunc ad malum, prout determinatur à Gratiæ vel concupiscentiæ motu intensiore.

Resp. ad 2. Intelligit potestatem physicam tantùm, & merè productivam sui actus, non verò potestatem moralem & determinativam sui actus per electionem.

Resp. ad 3. Parum est, quòd Jansenius nomen Gratiæ necessitantis non usurpet, si rem ipsam teneat. Nam licèt Pelagius nomen Gratiæ admiserit, nihilominus hæreticus habitus est eo, quòd rem ipsam, seu veram Christi Gratiam negaverit. Præterea Jansenius suam sententiam probat & stabilit hoc textu tanquam principio sui systematis: *Quod nos amplius delectat* (delectatione indeliberata) *secundùm id operemur, necesse est.* Et l. 8. c. 3. ait: *Perspicuè apparet impossibile esse, ut adjutorium illud cœlestis delectationis non determinet, imò prædeterminet voluntatem; quia facit, ut necesse sit animum istud sequi, & secundùm istud operari, quod amplius delectaverit.* Ubi nomen necessitatis usurpatur.

§. VI.

Quæres 2. *In quibus capitibus doctrina Jansenii quoad Gratiam & liberum arbitrium differat à doctrina defensorum Physicæ Prædeterminationis?*

Resp. In multis differt; nam,

1. Secundùm Jansenium Gratia efficax est Gratia excitans, quæ se tenet ex parte actus primi, quippe quæ dat non solùm velle & agere, sed etiam posse agere.

At juxta prædeterminantes Gratia efficax est Prædeterminatio Physica, quæ est tantùm Gratia adjuvans, & est instar actualis concursus DEI in ordine supernaturali: nec se tenet ex parte actus primi, sed vel se tenet ex parte actus secundi tantùm, vel est quid medium inter actum primum & actum secundum; cùm sit via seu transitus ab actu primo ad actum secundum, sive reductio actus primi ad actum secundum: & dat solùm ipsum agere, non autem posse agere, quod supponit. Prædeterminantes quippe duplicem Gratiam admittunt: nempe excitantem & prædeterminantem. Juxta illos Gratia excitans, quæ consistit in illustratione mentis & motione supernaturali voluntatis indeliberata, est virtus complens potentiam, virtus dans verum, proximum & completum posse simpliciter, ideoque se tenet ex parte actus primi, seu spectat potentiam agendi: ei potest voluntas resistere: cum ea potest non agere etiam in sensu composito ejus motionis. Gratia prædeterminans est actualis concursus prævius, qui dat ipsum agere, & quem (ùt docet Didacus Alvarez,) DEUS ex parte sua paratus est omnibus conferre. Quamvis autem cum illa Prædeterminatione voluntas non possit omittere actum nisi in sensu diviso, nihilominus, inquiunt, habet veram libertatem, nempe facultatem agendi & non agendi completam, & expeditam, seu immunem ab omni necessitate; quia Prædeterminatio illa non se tenet ex parte actus primi: non dat posse agere: sed quoad actus salutares supponit potentiam completam per Gratiam excitantem, cui voluntas dissentire potest, etiam in sensu composito ejus entitatis & motionis. Unde juxta illos Prædeterminatio Physica non tollit aut ligat indifferentiam activam voluntatis: imò, inquiunt, illam perficit. Nam voluntatem prædeterminat non solùm ad actum, sed etiam ad modum actus, proindeque voluntatem prædeterminat non solùm ad agendum, sed etiam ad agendum liberè & ex propria determinatione; quia est instrumentum voluntatis divinæ efficacis, quæ tunc vult, ut voluntas creata non solùm agat, sed etiam liberè agat: atque omnipotentiæ, quæ per actionem suam efficaciter attingit tum actum causæ liberæ, tum modum libertatis ejus. Ita Alvarez, qui Prædeterminationem Physicam Romæ propugnavit coram Summo Pontifice, l. 12. de

de auxiliis divinæ Gratiæ, disp. 121. num. 3. Hinc etiam prædeterminantes nullum agnoscunt auxilium necessitans; quia auxilium necessitans est illud, quod se tenens ex parte actus primi, illum ad alteram contradictionis partem alligat. E contra Gratia Jansenia na est auxilium verè necessitans; nam se tenet ex parte actus primi, cùm det posse agere, & voluntatem ad consensum insuperabiliter alligat.

2. Secundùm Jansenium omnis Gratia medicinalis est efficax: nec jam datur Gratia merè sufficiens.

At juxta prædeterminantes præter Gratiam efficacem, quæ consistit in Prædeterminatione Physica, datur Gratia verè sufficiens, nempe Gratia excitans, quæ dat proximum & completum posse agere, & cui homo potest resistere etiam in sensu ejus composito, & reipsa sæpe resistit. Sic enim ait Alvarez, lib. 8. disp. 71. num. 12. *Si non daretur Gratia verè sufficiens, sequeretur, quòd illi omnes, qui non convertuntur, aut salvantur, revera converti non possent aut salvari: quod tamen non potest admitti.* Et disp. 76. num 3. *Gratia sufficiens tribuit libero arbitrio vires sufficientes, quibus revera possit ad DEUM converti, aut piè operari.* Et l. 9. disp. 92. num. 8. *Si sermo sit de auxilio sufficienti, homo excitatus tali auxilio, potest illi dissentire, etiam in sensu composito; nam dissensus actualis, & auxilium sufficiens simul compatiuntur in eodem. Si autem loquamur de auxilio efficaci, liberum arbitrium motum tali auxilio, potest dissentire absolutè, & in sensu diviso, non autem in sensu composito.*

3. Secundùm Jansenium voluntas humana in hoc statu naturæ lapsæ, jam non potest se ipsam determinare cum quantacunque Gratia, sed solùm determinatur per Gratiam.

At juxta prædeterminantes ita voluntas per Gratiam efficacem determinatur, ut etiam se ipsam determinet, nec prædeterminatur, nisi ut se ipsam determinet.

4. Secundùm Jansenium in hoc statu naturæ lapsæ, non datur libertas à simplici necessitate, nec ea ad meritum & demeritum requiritur, sed libertas arbitrii consistit in sola immunitate à coactione.

At prædeterminantes hæc omnia negant & liberum arbitrium etiam status præsentis constituunt in indifferentia activa immuni ab omni necessitate etiam voluntaria. Pro omnibus sufficiat Alvarez, qui, lib. 12. disp. 115. num. 4. sic ait: *Ad liberum arbitrium necessariò requiritur, quòd positis omnibus antecedenter secundùm ordinem rationis vel temporis ad actum prærequisitis possit operari vel non operari: ita videlicet, ut cum eisdem prærequisitis stet simul in libero arbitrio facultas & potentia, quæ possit operari, si velit vel non operari, si velit. In hac conclusione conveniunt omnes Catholici; habetur enim definita in Concilio Tridentino contra Lutherum & Calvinum. Lutherus enim asserebat liberum arbitrium mere passivè se habere: recipiendo in se actum liberum à solo DEO productum. Galvinus autem dixit hominem quidem concurrere activè ad actum, quem DEUS in nobis producit, non tamen concurrere motu libero, sed spontaneo duntaxat, & non coactè.* Hinc, num. 9. asserit amorem beatificum esse actum simpliciter necessarium. *Dilectio*, inquit, *beatifica, quæ est in beatis, ùt terminatur ad DEUM, est actio simpliciter necessaria, & non libera.* Et disp. 116. num. 8. sic definit libertatem: *formalis libertas arbitrii creati ... consistit .... in indifferentia activa ipsius facultatis liberæ, quæ indifferenter se habet ad opposita.*

5. Jansenius Gratiæ necessitantis necessitatem repetit ex vulnere homini per peccatum originale inflicto, in eo posito, quòd nunc ita concupiscentiæ vinculis constrictus sit, ut Gratia de se repudiabili non possit jam seipsum determinare ad bonum agendum.

At prædeterminantes Prædeterminationis Physicæ necessitatem repetunt, tum ab essentiali causæ secundæ etiam liberæ ad causam primam subordinatione in agendo: tum à voluntatis indifferentia, quæ indiget determinari, ut seipsam determinet. Quare docent

Præ-

Prædeterminationem ſuam tam Angelis & homini in ſtatu innocentiæ neceſſariam fuiſſe, quàm nunc eſt hominibus lapſis.

Ex quibus patet, prædeterminantium doctrinam multum à Janſeniana diſcrepare. Quare mirum non eſt, ſi ipſe Janſenius ab illa abhorreat, & de illa ſic loquatur, l. 8. de Gratia Chriſti, c. 2. *Quapropter qui medicinalem Chriſti Salvatoris Gratiam ſic defendere conantur, ut eam in talem prædeterminationem phyſicam transforment, omni ſtatui hominum lapſorum & innocentium ex vi cauſæ primæ & indifferentiæ voluntatis neceſſariam, magis profecto Ariſtotelici quàm Auguſtiniani ſunt. Nam talis prædeterminatio ſic aſſerta, non ſolùm nullo teſtimonio ejus probari poteſt, ſed potiùs univerſam doctrinam ejus innumeris locis traditam inexplicabili confuſione perturbat, &c.*

ARTICULUS II.

Utrùm Gratia efficax conſiſtat in Gratia excitante moraliter determinante ſeu neceſſitante voluntatem ad conſenſum?

§. I.

DE Gratia moraliter determinante ſeu neceſſitante voluntatem ad conſenſum multiplex eſt opinio.

Prima eſt eorum, qui illam conſtituunt in delectatione Gratiæ intenſiore ſeu gradibus ſuperiore, quàm ſit motus concupiſcentiæ, voluntatem ad conſenſum moraliter determinante ſeu neceſſitante. Et hi dividi poſſunt in duas claſſes.

Nam alii docent Gratiam efficacem conſiſtere in delectatione cœlesti intenſiore, ita determinante ac neceſſitante voluntatem ad conſenſum, ut tam impoſſibile ſit voluntatem ei reſiſtere, quàm impoſſibile eſt Magiſtratum, virum gravem & ſapientem nudo corpore per vias urbis meridiana luce currere ſine ullo alio motivo, niſi ut oſtendat ſe habere hanc poteſtatem: vel quàm impoſſibile eſt hominem ſanæ mentis ſibi effodere oculos præcisè ad oſtendendam ſuam libertatem, vel ad jocandum. Unde hi retento Janſenii ſyſtemate, non differunt ab eo niſi voce tenus: nempe appellando moralem neceſſitatem eam, quæ verè phyſica neceſſitas eſt: & ſic Janſenianam hæreſim verè ſectantur. Et verò illam neceſſitatem ideo vocant moralem, non phyſicam, quia eſt in genere moris, & quia prædeterminat ſuaviter allectando. At juxta Janſenium delectatio ſuperior intenſione non niſi ſuaviter delectando prædeterminat.

Alii verò non ita ſe explicant, ſed ſolùm dicunt Gratiam efficacem eſſe delectationem cœleſtem Gratiæ terrena delectatione concupiſcentiæ intenſiorem, quæ voluntatem moraliter determinat ac neceſſitat ad conſenſum, ita ut nunquam tali Gratiæ diſſentiat, ſitque ei moraliter impoſſibile diſſentire. Itaque volunt cœleſtem delectationem ſemper neceſſitare moraliter ſed infallibiliter voluntatem, ſi non oppugnetur contraria delectatione terrena, vel ſi ſit intenſior terrena illa delectatione, à qua oppugnatur. Si verò delectatio cœleſtis ſit minus intenſa, quàm contraria, tunc juxta illos voluntas ei morali neceſſitate diſſentit infallibiliter. Idem dicunt de terrena delectatione, quæ ſi ſola eſt, aut cœlesti delectatione major, morali neceſſitate infallibiliter conſenſum voluntatis obtinet, eamque moraliter & infallibiliter ad malum determinat.

Hi omnes ſe Auguſtinianos nominant, ſed immeritò; nam à Janſeniano ſyſtemate non recedunt quoad rem, ùt oſtendit Doctiſſimus Tournely, Doctor Sorbonicus.

Porrò per cœleſtem delectationem intelligitur motus indeliberatus amoris, complacentiæ, vel deſiderii circa bonum, mirabiliter à DEO productus in voluntate ſine illa liberè cooperante. Terrena verò delectatio eſt motus indeliberatus & inordinatus concupiſcentiæ.

Secunda opinio docet, Gratiam efficacem eſſe excitantem Gratiam, quæ ex ſe ſit tam clara mentis illuſtratio, tamque vehemens motio voluntatis indeliberata, ut voluntati moraliter ſit impoſſibile tali Gratiæ reſiſtere.

Unde

Unde talis Gratia eſt efficax reſpectu omnium, quibus datur; cùm talis ſit ex natura ſua, ut ſemper conſenſum morali neceſſitate infallibiliter exprimat ſine reſpectu ad motum concupiſcentiæ.

Tertia opinio docet, Gratiam efficacem conſiſtere in Gratia excitante ita congrua ſeu attemperata & proportionata voluntati hominis, cui datur, ut morali neceſſitate conſenſum voluntatis infallibiliter obtineat, ſitque huic homini moraliter impoſſibile ei reſiſtere. Illa autem attemperatio & proportio attenditur ex circumſtantiis temporis, loci, negotiorum & perſonarum, ex naturali complexione & indole hominis, ex præſuppoſitis affectionibus gaudii, timoris, ſpei, &c. Unde Gratia efficax eſt diverſa tum reſpectu diverſorum, tum etiam reſpectu unius ejuſdemque hominis pro diverſitate circumſtantiarum & occaſionum, in quibus diverſo modo afficitur.

Quarta denique docet, Gratiam efficacem conſiſtere in multitudine & conſonantia plurium auxiliorum tum internorum, tum externorum, quorum ſingula ſeorſim fruſtrari poſſunt, & interdum fruſtrantur, quia voluntas reſiſtit, ſed omnia ſimul vel pertinaciſſimos ad conſenſum ſemper pertrahunt ac pervincunt tanquam importunitate fatigatos, quomodo iteratæ amicorum preces, ſuaſiones, vel minæ aliquem adducunt ad propoſitum. Ita Thomaſinus. Sed hæc opinio in multis deficit. 1. Quòd in ea DEUS non videat determinatè auxilium, quo vincatur voluntas. 2. Quòd DEUS unica Gratia quamlibet voluntatem vel obſtinatiſſimam pertrahere non poſſit ad conſenſum: quod ſanè *omnipotentiæ divinæ repugnat.* 3. Quia ex tot auxiliis id unum eſt efficax, quo DEUS voluntatis conſenſum immediatè obtinet.

§. II.

Dico. 1. Gratia efficax non conſiſtit in delectatione cœleſti, ſeu Gratia excitante, voluntatem ita determinante ad conſenſum, ut tam voluntati impoſſibile ſit ei reſiſtere, quàm impoſſibile eſt viro gravi & ſui compoti nudo corpore per vias & plateas currere: vel ſibi oculos effodere, præcisè ad oſtendendam ſuam libertatem, vel jocandi cauſa: vel ſe veneno enecare: ſe præcipitem agere.

Prob. Quia impoſſibile eſt voluntati impoſſibilitate ſaltem phyſica reſiſtere tali Gratiæ. Ergo talis Gratia verè neceſſitat neceſſitate phyſica antecedenti & intrinſeca. Ergo eſt Gratia Janſeniana & hæretica: ideoque rejicienda. *Prob. ant.* Homini ſanæ mentis impoſſibile eſt impoſſibilitate ſaltem phyſica velle nudo corpore per vias & plateas currere: vel oculos ſibi effodere præcisè ad oſtendendam libertatem ſuam, aut jocandi cauſa: aut ſibi mortem inferre ſine violento paſſionis motu. Ergo ſi tam homini impoſſibile eſt reſiſtere Gratiæ intenſiori, quàm homini ſanæ mentis impoſſibile eſt nudo corpore per vias & plateas currere, &c. Impoſſibile eſt impoſſibilitate phyſica reſiſtere tali Gratiæ. *Prob. ant.* Impoſſibile eſt impoſſibilitate ſaltem phyſica, ut voluntas liberè velit & agat ſine motivo ſaltem apparenter ſufficienti ac proportionato, quòd ſit aliquod bonum verum vel apparens; nam ſi poſſet velle ex motivo inſufficienti & improportionato, illud motivum eſſet ſufficiens & proportionatum volendi; ſi quidem *moveret voluntatem ad volendum*: & ſimul non eſſet, ùt ſupponitur. Sed motivum oſtendendi ſuam libertatem aut jocandi, *non eſt bonum, nec ſufficiens* etiam apparenter homini ſanæ mentis ad currendum nudo corpore: vel effodiendum ſibi oculos: ad *ſe interimendum*, & ſic ad grave dedecus vel malum ſibi inferendum, ùt patet. Et verò ſi eſſet bonum ſaltem apparenter ſufficiens, cur nunquam contigit, nec continget unquam, ut homo ſanæ mentis id velit. Ergo homini ſanæ mentis impoſſibile eſt, impoſſibilitate ſaltem phyſica, nudo corpore per vias currere: vel oculos ſibi effodere, libertatis oſtendendæ, aut jocandi cauſa. Enim verò ſi quis id præſtaret, hoc ipſo ab omnibus mente captus haberetur.

Præterea actio currendi nudo corpore cum gravi dedecore: sibi oculos effodiendi, quamdiu proponitur ùt volenda solùm ad ostensionem libertatis, vel jocandi causa, tamdiu proponitur ùt purè mala homini sanæ mentis. Nam actio illa infert grave malum, & ostensio libertatis aut jocus non est bonum etiam apparenter sufficiens ad eam volendam. Atqui omninò impossibile est, ut voluntas velit aliquid, quamdiu ei proponitur ùt purè malum; nam voluntas non potest velle malum qua malum. Ergo omnino impossibile est, ut voluntas velit talem actionem ob tale motivum. Ergo si voluntas habet similem impossibilitatem resistendi delectationi cœlesti intensiori motu concupiscentiæ, habet impossibilitatem etiam physicam & antecedentem ei resistendi.

Dices. Delectatio cœlestis prædominans determinat voluntatem tantùm suadendo & allectando. Ergo determinat tantùm moraliter, non physicè.

Resp. Neg. conseq. Nam determinat etiam physicè hoc ipso, quòd voluntas non potest ei resistere: quocumque modo, eam determinet. Si enim determinaret tantùm moraliter in sensu vero & proprio, afferret tantùm necessitatem moralem, consistentem in maxima difficultate ei resistendi, sic tamen, ut interdum hæc difficultas superaretur. Præterea juxta Jansenium Gratia voluntatem determinat allectando: & tamen verè necessitat; quia voluntas non potest ei resistere.

Dico. 2. Gratia efficax non consistit in delectatione cœlesti voluntatem ad consensum determinante, seu necessitante necessitate morali vera, non physica: vel in alia quavis Gratia moraliter necessitante, quæ detur independenter à Scientia media.

Prob. Quia Gratia efficax debet esse absolutè infallibilis: sive debet habere effectum infallibiliter, infallibilitate absoluta seu metaphysica. Nam Gratia efficax est medium, quod DEUS adhibet ad exequendum decretum absolutum & efficax circa actum salutarem: quod decretum repugnat posse absolutè frustrari effectu suo: ideoque Gratia efficax debet esse medium proportionatū huic decreto absolutè infrustrabili ac infallibili, & consequenter debet inferre infallibilitate absoluta consensum voluntatis creatæ. Sed Gratia moraliter tantùm necessitans non est absolutè infallibilis independenter à Scientia media; nam necessitas moralis est absolutè defectibilis: alioqui jam non esset necessitas moralis, sed physica vel metaphysica. Ergo.

Paulò aliter. Si Gratia moraliter tantùm necessitans detur independenter à Scientia media, voluntas DEI absoluta & efficax circa actum salutarem, poterit absolutè frustrari. *Falsum conf.* Ergo. *Prob. seq. maj.* Potest fieri absolutè, ut Gratia moraliter tantùm necessitans non habeat effectum, etiam ùt data vi voluntatis efficacis, sed independenter à Scientia media; siquidem non imponit necessitatem physicam, sed solùm moralem: nec datur sub directione Scientiæ, qua infallibiliter infallibilitate absoluta prævideatur habitura effectum. Enim verò sublata Scientia media, DEUS actum salutarem ùt futuribilem non videt in se, sed tantùm in morali connexione, quam habet actus cum Gratia moraliter necessitante, quæ connexio est absolutè fallibilis: sive, DEUS non videt actum illum nisi in causa sua, quæ potest absolutè illum non ponere. Ergo absolutè fieri potest, ut voluntas DEI absoluta & efficax non assequatur actum intentum, sicque frustretur: quod repugnat; nam ex S. Augustino voluntas DEI efficax est omnipotentissima, nec ei resistere possunt voluntates humanæ; alioqui DEUS non esset omnipotens.

Item res à DEO promissa, futura est infallibiliter infallibilitate absoluta & metaphysica: nam promissio DEI absoluta est absolutè infallibilis. Sed DEUS promisit absolutè pietatis opera juxta illud Ezech. c. 36. *Faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Ergo illa pietatis opera infallibiliter infallibilitate absoluta & metaphysica futura sunt. Atqui pietatis opera absolutè promissa, non sunt futura infallibiliter infallibilitate absoluta, si ad ea exercenda detur Gratia moraliter tantùm necessitans, cujus effectus præ-

prævideatur tantùm futurus *in tali Gratia*, seu in morali connexione talis Gratiæ cum actu salutari: siquidem talis connexio est absolutè fallibilis, & Gratia *illa* est absolutè defectibilis; cùm moraliter tantùm necessitet, nec repugnet illam carere effectu suo, etiam prout adhibetur à DEO. Ergo.

Dico. 3. Gratia efficax non consistit essentialiter in delectatione cœlesti, vel quavis alia Gratia moraliter determinante ac necessitante, etiamsi supponatur dari sub directione Scientiæ mediæ.

Prob. 1. Non omnis Gratia efficax imponit voluntati necessitatem moralem ei consentiendi. Ergo Gratia efficax *non* consistit essentialiter in Gratia moraliter necessitante; nam si consisteret, omnis Gratia efficax imponeret *voluntati* talem necessitatem: siquidem omnis Gratia efficax hebet essentiam & constitutivum Gratiæ efficacis: alioqui non esset efficax. *Antecedens* constat tum experientia; nam sæpe experimur nos consentire Gratiæ non sine magna difficultate, imò cum magna facilitate ei resistendi: tum ex Scriptura, Matth. cap. 11. *Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Nam si Gratia efficax semper imponit necessitatem moralem consentiendi, numquam homo opus salutare agens, sibi *vim* faceret ad consentiendum Gratiæ, ideoque ad agendum opus salutare: siquidem haberet maximam difficultatem *non* consentiendi; nam necessitas moralis agendi est maxima difficultas non agendi. Unde deberet potiùs sibi vim facere, ut dissentiret Gratiæ efficaci.

Prob. 2. Specialiter contra systema duplicis delectationis moraliter necessitantis. In hoc systemate quoties homo bonum agit, necessitatur moraliter ad *illud* per delectationem cœlestem Gratiæ intensiorem terrena delectatione concupiscentiæ: & quoties malum agit, ad *illud* moraliter necessitatur per terrenam delectationem intensiorem delectatione cœlesti: & sic omnes omnino homines semper habent *in* omnibus necessitatem moralem agendi id, quod agunt, & moralem impossibilitatem omittendi bonum vel peccatum, quod faciunt. Quod sanè repugnat tum Scripturæ, tum experientiæ.

Dico. 4. Quidquid dicant defensores delectationis cœlestis moraliter necessitantis per excessum intensionis, quo terrenam delectationem superat, *illa* delectatio cœlestis intensior in illorum systemate est per se & intrinsecè irrepudiabilis. Atqui Gratia efficax *non* consistit *in* Gratia excitante, intrinsecè irrepudiabili. Ergo nec in cœlesti delectatione intensiore. *Minor* constat ex *dictis*, & adhuc *infrà probabitur*. *Prob. maj.* Illa delectatio est intrinsecè irrepudiabilis, quæ semper & infallibiliter cum consensu voluntatis connexa est propter intensionis excessum, quo superat terrenam delectationem. Atqui delectatio cœlestis intensior, est semper & infallibiliter cum consensu voluntatis connexa propter intensionis excessum, quo superat terrenam delectationem; nam secundùm adversarios est propter excessum illum efficax: Gratia autem efficax *juxta omnes est semper & infallibiliter connexa* cum consensu voluntatis. Ergo delectatio cœlestis intensior, est intrinsecè irrepudiabilis. *Prob. maj.* Delectatio cœlestis intensior, quæ semper & infallibiliter cum consensu voluntatis connexa est propter intensionis excessum, quo superat terrenam delectationem, propter excessum illum repudiari non potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili, pro quo scilicet illum excessum habere supponitur, alioqui non est semper connexa cum consensu salutari propter excessum illum, ùt patet. Atqui delectatio, quæ propter intensionis excessum repudiari *non* potest potentia reducenda ad actum pro ullo casu possibili, pro quo excessum illum habet, est intrinsecè irrepudiabilis. Ergo delectatio, quæ semper & infallibiliter cum consensu voluntatis connexa est propter intensionis excessum, quo superat aliam, est intrinsecè irrepudiabilis. *Prob. min.* Nam si propter excessum *illum* repudiari non potest potentia reducenda ad actum pro ullo casu possibili, non potest etiam repudiari potentia verè reducibili ad actum. Nam nulla alia

ratio afferri potest, cur propter excessum intensionis repudiari non possit potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili, nisi quia propter excessum illum repudiari non potest potentia ad actum reducibili: & repugnat dari potentiam ad actum reducibilem, quæ pro nullo casu possibili sit ad actum reducenda. Aqui delectatio, quæ propter excessum intensionis repudiari non potest potentia ad actum verè reducibili, est *intrinsecè irrepudiabilis*, ùt patet, cùm sit irrepudiabilis propter intensionis excessum sibi intrinsecum. Ergo delectatio, quæ propter excessum intensionis repudiari non potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili, pro quo illum excessum habet, est intrinsecè irrepudiabilis.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. S. Paulus habuit Gratiam moraliter necessitantem ad conversionem. Ergo Gratia efficax est moraliter necessitans.

Resp. Nego. conseq. Non enim valet consecutio à particulari ad universale. Et quamvis Gratia efficax interdum sit tam intensa, ut moraliter necessitet, tamen ejus *essentia non consistit in eo*, quòd moraliter necessitet: alioqui omnis Gratia efficax moraliter necessitaret: & sic esset moraliter impossibile, non facere omne opus salutare, quod reipsa fit. Igitur non est de essentia Gratiæ efficacis, ut necessitet moraliter, neque ut non necessitet moraliter.

Obj. 2. S. Augustinus, lib. de Continentia, cap. 3. ait: *Contra suavitatem noxiam, qua vincebat concupiscentia, Dominus dat suavitatem beneficam, qua delectetur ampliùs continentiâ*

Resp. S. Doctor per tò *delectetur ampliùs*, intelligit delectationem deliberatam, quæ nil aliud est, quàm amor liber & efficax, quo voluntas continentiam libidini liberè anteponit, & anteponendo, deliberatè delectatur ampliùs continentia quàm libidine. Nam in hoc textu suavitas benefica est causa delectationis majoris circa continentiam, ideoque deliberatæ: & delectatio indeliberata non potest esse sui ipsius causa. Præterea S. Doctor non dicit, hanc suavitatem imponere necessitatem. Itaque loci objecti sensus est: contra suavitatem noxiam, quæ concupiscentia voluntatem ad liberum consensum alliciebat, eumque obtinebat, & obtinendo vincebat, DEUS dat suavitatem beneficam, qua voluntas prævenitur, excitatur, corroboratur & adjuvatur eo *modo*, quo congruit, ut continentiam magis liberè amet, eamque libidini anteponat, & anteponendo, deliberatè ampliùs delectetur.

Nota. Equidem Gratia efficax, quâ *volumus* & agimus bonum, consistit præsertim in delectatione cœlesti, indeliberata, congrua, quæ est supernaturalis motus desiderii vel complacentiæ indeliberatus circa bonum, ità congruens voluntati, ut voluntas ei consentiat, & vi illius bonum illud liberè velit & agat. Sed illa delectatio cœlestis congrua non semper, nec necessariò est intensior delectatione terrena, nempe motu concupiscentiæ, nec semper voluntati moralem necessitatem consentiendi affert.

Obj. 3. Ea est voluntatis per peccatum originale infirmatæ indoles, ut semper morali necessitate velit id, quod magis eam delectat indeliberatè. Ergo.

Resp. Nego. antecedens. Quod Jansenii systema continet: & non solùm Scripturæ, sed etiam experientiæ repugnat. Nam sæpe experimur nos velle id, quòd minùs nos delectat indeliberatè, & nos velle multa sine impossibilitate morali non volendi illa: & tamen si vera esset objectio, voluntas nil unquam vellet saltem in moralibus, nisi cum morali necessitate illud volendi, ideoque nisi cum maxima difficultate illud nolendi, ita ut semper ei esset moraliter impossibile, non velle id omne, quod vult.

Dices. Ex S. Augustino, *Amor meus, pondus meum: eò feror, quocunque feror.*

Resp. Loquitur de amore libero, efficaci, quo fit, ut necessariò necessitate consequente prosequamur bonum efficaciter amatum.

Præ-

Præterea etiamsi loqueretur de aliquo motu complacentiæ vel desiderii indeliberato, sequeretur tantùm, nos non velle aliquid, nisi ex amore aliquo prævio indeliberato ad volendum alliciente: non autem ex amore indeliberato intensiore, & semper necessitante moraliter.

Obj. 4. S. Augustinus, serm. 20. ait: *Quomodo te liberat DEUS? Inspirando virtutem, dando menti cœlestem delectationem, qua omnis delectatio terrena superatur.* Ergo Gratia efficax consistit in delectatione cœlesti, quæ intensione superet delectationem terrenam.

Resp. Nego conseq. Nam sensus est, quòd DEUS impedit, ne peccemus, dando delectationem cœlestem, qua voluntas terrenam delectationem liberè superat, bonum efficaciter volendo. Voluntas autem vult efficaciter bonum, & motibus concupiscentiæ ad malum inclinantibus resistit per delectationem congruam, qua scilicet DEUS voluntatem allicit, quomodo scit ei congruere, ut efficaciter velit bonum, & cœlestia bona terrenis anteponat. Quare S. Doctor non dixit (dando cœlestem delectationem, quæ terrenam delectationem majore sui intensione superat) sed, *dando cœlestem delectationem, qua delectatio terrena superatur:* scilicet à voluntate prævenia, corroborata, & adjuta cœlesti delectatione congrua.

ARTICULUS III.

Utrùm Gratia efficax consistat in Gratia adjuvante, physicè prædeterminante seu in Prædeterminatione Physica ad bonum salutare?

PRædeterminatio Physica est motio realis, physica, & prævia, transeunter à DEO impressa causæ secundæ antecedenter ad actionem suam, eam physicè prædeterminans ad actum. Ita ejus defensores.

Igitur Prædeterminatio Physica est aliquid physicum, à creatura ejusque actu libero realiter distinctum, à DEO in creatura independenter ab illa impressum, creaturam prædeterminans ad unum actum: id est, ita applicans ad actum, ut repugnet omissio talis actus: & ita necessarium ad actum, ut repugnet actum esse, illa motione non posita. Unde est aliquid prævium, essentialiter per se connexum cum actu, ad quem datur. Quoad rem juxta multos prædeterminantes est aliquod ens diminutum, incompletum, transiens, fluens, in motu, virtuosum tamen & activum: secundùm alios verò nil aliud est activè sumpta, quàm omnipotentia divina per se ipsam immediatè voluntatem ad agendum sic applicans, ut non possit non agere talem actum, ad quem applicatur, ex hypothesi talis applicationis.

Physicæ Prædeterminationis auctor fuit Dominicus Bannes è sacro Ordine Prædicatorum.

§. I.

Proponuntur argumenta pro Prædeterminatione Physica, & responsiones ejus adversariorum.

1. Ex Patribus creaturæ omnes, ideoque etiam liberæ, sunt instrumenta DEI. Ergo prædeterminantur à DEO, sicut instrumentum applicatur ad agendum ab artifice.

2. Sine Prædeterminatione Physica DEUS non habet rationem causæ primæ & primi motoris. Nam ut DEUS habeat rationem causæ primæ, ejus actio debet esse prior causalitate, quàm actio creaturæ: sed non est sic prior sine Prædeterminatione Physica. Ergo.

3. Sine Prædeterminatione Physica non est perfecta dependentia creaturæ à DEO in agendo: aut saltem major erit dependentia creaturæ à DEO, si ab eo prædeterminetur. Tanta autem admitti debet dependentia creaturæ à DEO, quanta possibilis est; nam summum est DEO in creaturas dominium.

4. Causæ liberæ sunt indifferentes ad agendum. Ergo determinari debent à DEO, ut agant. Et verò quamdiu voluntas est inde-

indeterminata, non habet, unde producat hunc actum potiùs quàm alium.

5. Ex S. Thoma DEUS physicè præmovet & applicat creaturas etiam liberas ad agendum, easque movet & applicat ad agendum, sicut homo applicat & movet cultellum ad incidendum.

Respondent Prædeterminationis Physicæ hostes.

Ad 1. Equidem creaturæ sunt instrumenta DEI; quia nil agunt, nec agere possunt, nisi dependenter ab influxu DEI, quo complentur & applicantur ad agendum, sicut instrumentum non agit, nisi dependenter ab influxu & motione artificis. At creaturæ liberæ non eodem modo applicantur ad agendum, quo instrumentum applicatur ab artifice, cujus motioni resistere non potest; nam creaturæ liberæ sunt instrumenta DEI libera & moralia, quæ proinde debent posse se determinare ad agendum & non agendum, & resistere motioni divinæ, ùt definit Concil. Trident. Fatentur quidem, DEUM operari determinationem voluntatis nostræ ad bonum, sed per Gratiam congruam, ex se repudiabilem.

Ad 2. DEUS in omnibus actibus creaturæ est causa prima & primus motor; quia non solùm creaturæ virtutem agendi tribuit & conservat, sed etiam hanc virtutem physicè præmovet, complet & adjuvat, quoties agit creatura: ita ut creatura quælibet non agat, nisi dependenter à DEO non solùm ipsi virtutem agendi dante & conservante, sed etiam eamdem virtutem complente & adjuvante, quamvis DEUS creaturas liberas non determinet ad unum, sicut determinat necessarias.

Igitur DEUS priùs movet & agit prioritate causalitatis, quàm creatura libera; quia per præmotionem physicam non determinantem ad unum influit in creaturam agentem, ipsam complendo, & sic applicando ad agendum, licèt ipsa possit non agere, etiam in sensu composito talis præmotionis: unde fit, ut actio creaturæ subordinetur actioni DEI, & ab ipsa pendeat dependentia causalitatis. In actibus verò salutaribus DEUS insuper priùs agit in voluntatem, eamque præmovet per Gratiam excitantem, qua ipsa voluntas, priùs saltem natura, quàm agat, excitatur, elevatur, corroboratur, completur physicè ad agendum.

Equidem ut DEUS habeat rationem causæ primæ in agendo, ejus actio debet esse prior causalitate, quàm actio creaturæ. At sic est prior sine Prædeterminatione Physica. Nam actio DEI, seu præmotio physica non determinans ad unum, qua DEUS complet virtutem agendi creaturæ liberæ, est causalitate prior actione hominis; quia actio hominis non fit nisi dependenter à DEO ipsum complente, & ipsi præbente vim proximam & completam agendi. Unde causalitas creaturæ est natura posterior, quàm causalitas DEI, cui subordinatur. Porrò DEUS est primum determinans, non in sensu prædeterminantium, sed in genere causæ primæ ac universalis, quatenus dat causis liberis potentiam se determinandi eamque complet.

Ad 3. Sine Prædeterminatione Physica creaturæ liberæ perfectissimè pendent à DEO in agendo, quatenus indigent influxu DEI tum in earum virtutem agendi, eam complendo & corroborando: tum in earum actus. Nihil enim agere possunt, nisi dependenter à DEO in ipsas per Præmotionem Physicam non determinantem ad unum, sed cum ipsis per concursum simultaneum agente. In actibus verò supernaturalibus requiritur insuper Gratia prævenies & adjuvans.

Neque per Prædeterminationem Physicam major habetur creaturæ liberæ à DEO dependentia vera & possibilis, sed tantùm chimærica. Nam cùm Prædeterminatio Physica repugnet libertati creatæ, repugnat quoque dependentia ex illa proveniens, proindeque nulla est.

Porrò admitti debet etiam pro actibus naturalibus Præmotio Physica, quæ sit influxus DEI in virtutem agendi creaturæ liberæ, quo virtus illa completur, roboratur, & fit proximè capax agendi, sic tamen, ut

ut possit non agere cum hoc influxu prævio. Hinc creatura etiam libera pendet in agendo à DEO non solùm agente cum ipsa per concursum simultaneum, sed etiam in ipsam per præmotionem, physicam priùs natura, quàm ipsa agat. Igitur DEUS physicè præmovet creaturam liberam, quatenus complet & corroborat physicè naturalem ejus virtutem agendi, ita tamen, ut cum hoc complemento & influxu ipsa possit non agere: & sic non determinatur ad unum. In quo differt præmotio ista physica à Prædeterminatione Physica, quæ ita applicat & complet creaturam, ut eam ad unum determinet, & ea posita repugnet creaturam non ponere hunc actum.

Ad 4. Creaturæ liberæ sunt quidem indifferentes ad agendum, sed indifferentia activa: & habent in se virtutem se ipsas determinandi, dependenter tamen à DEO eas complente ad agendum, & agente cum illis: ac proinde non debent prædeterminari. Quare quamdiu voluntas est indeterminata, revera habet, unde producat hunc actum potiùs quàm alium; cùm voluntas ex innata sua libertate, & virtute à DEO completa ac corroborata habeat, quo se ipsam dependenter à DEO determinet efficienter & activè. Determinatur autem formaliter per actum suum in se receptum.

Ad 5. Secundùm S. Thomam DEUS prædeterminat physicè solas causas necessarias: liberas autem præmovet & applicat: sed præmotione solùm complente, non verò determinante ad unum, & in actibus salutaribus addendo Gratiam prævenientem & adjuvantem, non tamen determinantem. Nam, in 2. dist. 25. quæst. 1. art. 1. ad 3. sic ait: *DEUS operatur in omnibus, ita tamen, quòd in unoquoque secundùm ejus conditionem. Unde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, ut virtutem agendi sibi ministret, & ipso operante liberum arbitrium agat; sed tamen determinatio actionis & finis in potestate liberi arbitrii constituitur. Unde remanet sibi dominium sui actus, licèt non ita, sicut primo agenti.* Ubi S. Doctor docet DEUM operari in omnibus causis creatis secundùm earum conditionem: ideoque non solùm virtutem agendi ministrare causis necessariis, sed etiam determinare ad talem actionem: causis verò liberis ministrare etiam virtutem agendi, sed non determinare ad talem actionem, proindeque eas retinere dominium sui actus, licèt non tale, quale habet causa prima, quæ agit independenter à quavis alia causa virtutem agendi ministrante, aut in ipsam priùs natura agente, quàm agat. Præterea, in 2. dist. 39. q. 1. a. 1. ait: *Quòd (voluntas) determinatè exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* Ubi loquitur generaliter, ideoque sentit, non determinari ab alio agente intrinseco, sive increato, sive creato, præsertim cùm id dicat, ut probet voluntatem habere indifferentiam activam, quæ est facultas se determinandi ex electione ad utrumlibet ex oppositis.

Quando autem S. Thomas dicit, DEUM movere & applicare creaturas omnes ad agendum, sicut homo applicat & movet cultellum ad incidendum: hanc similitudinem non adhibet quoad omnia, sed solùm in hoc sensu, quòd sicut cultellus non incidit, nisi dependenter à motione artificis: ità voluntas non agit, nisi dependenter à motione DEI, sed suæ libertati accommodata: & cum hoc discrimine, quòd cultellus, utpote instrumentum necessarium, determinetur ad unum ab artifice, & ejus motioni resistere non possit: voluntas verò, quæ est instrumentum DEI morale ac liberum, non determinetur ad unum à DEO, sed possit non agere id, ad quod præmovetur. Quod patet ex aliis locis, in quibus S. Doctor dicit, voluntatem non determinari ab alio, nec esse obligatam ad alteram partem contradictionis. Et verò si similitudo valeret quoad omnia, sequeretur, voluntatem necessitari à DEO, & sub ejus motione se habere merè passivè velut quoddam inanimatum: quod adversatur Concil. Trident. sicut cultellus per applicationem artificis necessi-

necessitatur ad incidendum, & est instrumentum inanime, se habens merè passivè.

§. II.

Exponuntur argumenta contra Prædeterminationem Physicam, & responsiones ejus defensorum.

Primum argumentum. Prædeterminatio Physica repugnat Scripturæ. Nam 1. Prov. c. 1. *Quia vocavi, & renuistis .... Ego quoque in interitu vestro ridebo. &c.* Ubi DEUS justè objurgat reprobos, quòd ejus vocationi non obsequantur. Sed in hypothesi Prædeterminationis Physicæ hæc DEI querela est injusta. Nam in illa hypothesi reprobi respondere possunt, sibi injustè imputari, quòd vocationi DEI non obtemperarint; quia sibi defuit auxilium prædeterminans absolutè necessarium ad vocationem sequendam, nec in sua potestate fuisse, ut illud haberent.

2. Matth. c. 23. *Jerusalem, Jerusalem ..... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas: & noluisti?* Ibi Christus testatur se voluisse sincerè & magno cum affectu, ut Judæi ei aggregarentur per fidem & charitatem. Sed in systemate Prædeterminationis Physicæ Christus non potuit id seriò asserere: siquidem non dedit Judæis illis auxilium Prædeterminans absolutè necessarium ad credendum: nec fuit in eorum potestate, ut illud haberent.

3. Matth. c. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida; quia si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent. Verumtamen dico vobis: Tyro & Sidoni remissius erit in die Judicii, quàm vobis.* Sed in doctrina Prædeterminationis Physicæ Judæi injustè à Christo objurgantur præ Tyriis, quòd pœnitentiam non egissent; nam Judæi caruerunt auxilio prædeterminante, absolutè necessario ad pœnitentiam agendam: nec fuit in illorum potestate, ut illud haberent: è contra Tyrii illud habuissent, & eo posito repugnabat eos non agere pœnitentiam. Qui autem destitutus fuit auxilio absolutè necessariò ad agendum aliquod bonum, nec fuit in ejus potestate, ut illud haberet, injustè objurgatur, quòd bonum illud omiserit præ alio, qui illud egit adjutus auxilio necessario ad illud agendum, & quo posito, repugnabat illud non fieri.

Respondent Prædeterminantes, Prædeterminationem Physicam ad bonum esse omnibus paratissimam, & à DEO conferri, nisi voluntas obduratione vel peccato obicem ei apponat: esse in potestate omnis habentis Gratiam sufficientem consistentem in Gratia excitante, ut habet prædeterminationem necessariam ad bonum agendum.

Sed eorum adversarii contendunt, hoc verè dici non posse, nec esse in nostra potestate, ut habeamus Prædeterminationem Physicam: quod sic *probant.* Prædeterminatio Physica non potest esse in nostra potestate, nisi vel quia liberè possumus aliquid facere, quo posito, eam acciperemus: vel quia possumus liberè aliquid omittere, quo omisso, eam acciperemus. Neutrum dici potest. Non primum; nam illud ipsum, quod agendo, prædeterminationem ad aliud acciperemus, non possumus agere, nisi cum prædeterminatione aliqua, siquidem secundùm Prædeterminantes repugnat ullum actum sine illa fieri. Atqui illa ulterior prædeterminatio non est in nostra potestate; quia aliquid aliud agere non possumus, quo posito, eam acciperemus: alioqui in prædeterminationibus erit processus in infinitum, aut tandem deveniendum est ad aliquam prædeterminationem primam, quam obtinere non sit in nostra potestate, sed quæ nobis à DEO antecedenter ad omnem usum libertatis nostræ & independenter a nobis detur. Non etiam secundùm. Nam istud ipsum, quo omisso prædeterminationem ad actum præceptum acciperemus, & quo posito, non accipimus, illud, inquam, agimus ad ipsum prædeterminati, quoties illud agimus; cùm repugnet illud fieri sine aliqua Prædeterminatione Physica: & sic illud à nobis omitti non potuit; nam

po-

posita Prædeterminatione ad aliquid, repugnat illud non fieri.

Quare voluntas non potest liberè ponere vel non ponere obicem Prædeterminationi Physicæ; nam sine Prædeterminatione Physica, quæ est aliquid prius natura, quàm quilibet actus, voluntas nil potest agere; cùm sine illa repugnet ullum actum fieri: & posita Prædeterminatione Physica, non potest non agere id, quod agit; cùm ea posita, repugnat non esse actum, ad quem datur.

Respondent Prædeterminantes 1. Tam verè dici, Prædeterminationem Physicam esse paratissimam, & in nostra potestate, quàm id dicitur de concursu simultaneo in actu secundo. 2. Si voluntas omitteret purè liberè malum, haberet Prædeterminationem ad bonum. 3. Si quis consentiret Gratiæ excitanti, haberet Prædeterminationem ad bonum, qua caret, quia illi Gratiæ non consentit. 4. Voluntas haberet Prædeterminationem Physicam, si sineret se prædeterminari.

Sed eorum adversarii contendunt, ista omnia verè dici non posse, & dari verba, non solutiones. Nam inquiunt:

1. Prædeterminatio Physica dici non potest esse parata à DEO, ut nobis conferatur, nisi sit in nostra potestate: sed Prædeterminatio Physica nullatenus est in nostra potestate; nam habet prioritatem causalitatis in omnem actum voluntatis, ita ut repugnet voluntatem agere, nisi prius natura, quàm agat, ei imprimatur Prædeterminatio. At concursus simultaneus in actu secundo nullam habet prioritatem causalitatis in actum voluntatis, quæ cum concursu in actu primo potuit se determinare, & se determinat absque eo, quòd concursus simultaneus in actu secundo prius natura ei imprimatur; cùm concursus ille sit realiter ipsamet actio DEI & creaturæ simul.

2. In hypothesi Prædeterminationis Physicæ nulla est omissio libera.

Prob. Posita necessitate Prædeterminationis Physicæ, voluntas quotiescunque omittit, omittit necessariò. Ergo nulla est omissio libera. *Prob. ant.* Voluntas necessariò omittit, quotiescunque omittit ex impotentia agendi. Sed posita necessitate Prædeterminationis Physicæ ad agendum, voluntas, quotiescunque omittit, omittit ex impotentia agendi. Ergo in hac hypothesi voluntas, quotiescunque omittit, omittit necessariò. *Prob. min.* In illa hypothesi voluntas, quotiescunque omittit, omittit, quia caret complemento virtutis agendi, sic ad agendum prævièe necessario, ut eo non posito, repugnet esse actionem; nam caret Prædeterminatione Physica, quæ secundùm ejus patronos est saltem tale complementum. Ergo voluntas nihil omittit, nisi ex impotentia agendi.

3. Consentire Gratiæ excitanti ad agendum bonum, v. g. actum charitatis, nihil aliud est, quàm elicere actum illum charitatis sub Gratia ad illum excitante. Ergo omittens actum charitatis, non accipit Prædeterminationem ad actum charitatis præceptum; quia non elicit actum charitatis: & ideo acciperet Prædeterminationem ad actum charitatis, quia eliceret actum charitatis. Sed hoc est absurdum; nam juxta Prædeterminantes Prædeterminatio Physica ad actum charitatis dari debet saltem natura priùs, quàm eliciatur actus charitatis, *cùm sit complementum absolutè necessarium* ad actum illum, & ab eo distinguatur. Absurdum autem est dicere, aliquid prius natura quàm aliud non dari, quia illud posterius natura non ponitur, præsertim si repugnet illud posterius natura poni sine alio, quod est prius natura.

4 Sinere se prædeterminari, est non resistere Prædeterminationi. Sed voluntas non potest resistere Prædeterminationi Physicæ jam acceptæ; nam repugnat, ut non agat id, ad quod datur, cùm repugnet, Prædeterminatione posita, non poni actum, ad quem ipsa datur. Vel, sinere se prædeterminari, est non rejicere Prædeterminationem, cùm datur: sed hoc non potest voluntas; nam Prædeterminatio Physica, cùm adest, non potest non habere effectum, ad quem datur; siquidem repugnat, actum ea

posita non poni. Ergo repugnat etiam, ut Prædeterminatio rejiciatur à voluntate nolente ponere actum, ad quem prædeterminatur.

Secundum argumentum. Systema Prædeterminationis Physicæ repugnare videtur Concilio Tridentino. Ergo rejici debet. *Prob. ant.* Ex Conc. Trident. sess. 6. cap. 5. Homo potest abjicere Gratiam excitantem, cui reipsa consentit. Et, can. 4. definit liberum hominis arbitrium à DEO motum & excitatum posse dissentire, si velit. Sed hoc falsum est in systemate Prædeterminationis Physicæ; nam in hoc systemate homo, qui consentit Gratiæ excitanti, physicè prædeterminatur ad ei consentiendum. Ergo non potest dissentire tali Gratiæ, etiam antecedenter ad usum libertatis creaturæ. *Prob. conseq.* Posita Prædeterminatione physica absolutè necessaria ad consentiendum, repugnat dissensus, etiam ante omnem usum libertatis; nam hæc Prædeterminatio ex natura sua inseparabiliter connexa est cum consensu, & est natura prior omni actu libero creaturæ. Ergo ante omnem usum libertatis impossibilis est dissensus. Ergo voluntas antecedenter ad usum libertatis suæ non potest dissentire Gratiæ, cui consentit; nam impossibilem esse dissensum voluntatis; & voluntatem non posse dissentire, sunt prorsùs idem. Item ex Conc. Trident. homo potest abjicere Gratiam, qua se disponit ad justificationem, ideoque Gratiam efficacem. Ergo (quod idem est) potest resistere Gratiæ efficaci in sensu compositio illius; nam sicut abjicere Gratiam, est resistere Gratiæ actu moventi, ita posse abjicere Gratiam, est posse resistere seu non consentire Gratiæ actu moventi ad consensum. Atqui homo non potest resistere Prædeterminationi Physicæ in sensu ejus compositio, cùm repugnet eam dari, & non poni actum, ad quem datur. Ergo ex Conc. Trident. Gratia efficax non consistit in Prædeterminatione Physica.

Porro Concilium Trident. definit hominem posse resistere Gratiæ efficaci, qualis reipsa datur, & cui Calvinus negabat resisti posse: non verò Gratiæ determinanti & prædeterminanti, qualis non datur, & cui evidens est non posse resisti.

Præterea Concilium Trident. sess. 6. c. 5. agens de Gratia, per quam disponimur & perducimur ad justificationem, ideoque de Gratia efficaci, non aliter eam vocat quàm illuminationem & inspirationem, cui homo assentiatur. Sed Prædeterminatio Physica non est illuminatio, nec motio voluntatis; cùm nonsit actus vitalis. Ergo.

Respondent Prædeterminantes, voluntatem sub Prædeterminatione Physica non posse quidem non agere, non consentire in sensu compositio: at posse in sensu diviso.

Sed eorum adversarii hanc responsionem sic refellunt. Si hæc responsio valeret, & sufficeret ad libertatem voluntatis tuendam, amor beatificus non esset necessarius, sed liber; nam Beatus non potest quidem non amare DEUM in sensu compositio luminis gloriæ & visionis intuitivæ: at potest non amare in sensu diviso. Item Gratia Calviniana & Jansseniana non tolleret libertatem; nam voluntas potest non agere bonum in sensu diviso talis Gratiæ. Itaque ut voluntas liberè agat, debet posse non agere in sensu compositio omnium requisitorum ad agendum; libertas enim est facultas completa & expedita ad utrumlibet ex oppositis. Præterea ut distinctio sensus compositi & diviси salvet libertatem, sensus divisus debet esse in potestate voluntatis: hoc est, voluntas debet posse tollere id, in cujus sensu compositio alterum oppositum non potest. Sic qui pedes vinctos habet, licèt ambulare possit in sensu diviso vinculorum, id est, solutis vinculis, non est tamen liber ad ambulandum, si non potest ponere sensum divisum, id est, solvere vincula. Sed sensus divisus Prædeterminationis Physicæ non est in potestate voluntatis; nam voluntas non potest impedire, nec arcere à se Prædeterminationem Physicam, qua ita alligatur ad unum actum priùs natura, quàm agat, ut ea posita, repugnet non fieri actum, ad quem datur.

Nec

Nec dic, In ſenſu compoſito decreti efficacis DEI, vel præſcientiæ implicare, non eſſe actus liberos efficaciter à DEO *volitos*, vel prævisos: & tamen illos actus eſſe liberos. Nam ratio *diſparitatis* eſt, *quia* vi voluntatis efficacis de actu aliquo libero creaturæ DEUS adhibet medium de ſe repudiabile: ideoque non neceſſitans: cui tamen infallibiliter prævidit voluntatem conſenſuram eſſe, ſi detur. Unde neceſſitas, ut actus à DEO efficaciter volitus fiat, eſt neceſſitas, ut actus non ſolùm fiat, ſed etiam ut liberè fiat, per medium ſcilicet repudiabile, & quod ſupponit uſum libertatis prævisum.

Item res præſcita in ſenſu compoſito præſcientiæ non eſt neceſſariò futura, niſi neceſſitate conſequente uſum libertatis creatæ; cùm non fuerit præſcita ut futura, niſi quia futura erat, & præſcientia illa non ſit cauſa rei futuræ, nec natura ac cauſalitate prior illa. At actus prædeterminatus in ſenſu compoſito Prædeterminationis non poteſt non eſſe impotentia ſeu impoſſibilitate antecedente uſum libertatis creatæ; nam impoſſibilitas illa non ſupponit, ſed antecedit natura & cauſalitate exercitium libertatis; cùm oriatur ex Prædeterminatione Phyſica: quæ antecedenter ad uſum libertatis voluntati imprimitur, eamque ita alligat ad actum, ut repugnet illum non poni.

Neque opponas, Eum, qui amat, *non* poſſe non amare in ſenſu compoſito, ſed tantùm *in ſenſu diviſo amoris*: & tamen liberè amare: item eum, qui ſedet, non poſſe ſtare in ſenſu compoſito ſeſſionis, ſed ſolùm in ſenſu diviſo: & tamen liberè ſedere, & liberè *non* ſtare. *Nam impotentia non* amandi in ſenſu compoſito amoris, eſt impotentia tantùm *conſequens* uſum libertatis; oritur enim ex libera determinatione voluntatis ad amorem. Item qui ſedet, licèt non poſſit ſtare in ſenſu compoſito ſeſſionis, liberè tamen ſedet, & liberè non ſtat; quia impotentia ſtandi in ſenſu compoſito ſeſſionis eſt tantùm conſequens exercitium libertatis, qua homo voluit ſedere: & ſenſus diviſus eſt in ejus poteſtate; nam poteſt tollere ſeſſionem. At impoſſibilitas non amandi in ſenſu compoſito Prædeterminationis ad amorem antecedit omnem uſum libertatis; nam provenit ex motione illum antecedente, & habente prioritatem cauſalitatis reſpectu determinationis voluntatis: ac proinde eſt impoſſibilitas antecedens. Impoſſibilitas autem antecedens eſt neceſſitas antecedens. Ergo poſita Prædeterminatione ad amorem, eſt neceſſitas antecedens, ut ſit amor. Ergo amor non eſt liber.

Tertium argumentum. Prædeterminatio Phyſica repugnat doctrinæ S. Auguſtini. Nam juxta S. Doctorem, 1. Gratia efficax conſiſtit in Gratia excitante: nempe in vocatione, ùt infrà oſtendetur.

2. Gratia efficax ad volendum bonum eſt delectatio cœleſtis, quæ eſt actus indeliberatus complacentiæ *vel* deſiderii, productus à DEO in voluntate phyſicè tantùm, non liberè cooperante, ùt patet ex l. de continentia, c. 3. ubi ait: *Contra ſuavitatem noxiam, qua vincebat concupiſcentia, Dominus dat ſuavitatem beneficam, qua delectetur ampliùs continentia.* Et ex l. de peccator. merit. c. 19. ubi Gratiam efficacem *vocat delectationem victricem.* Sed Prædeterminatio Phyſica non eſt delectatio; nam *non eſt actus vitalis* complacentiæ *vel* deſiderii: ſiquidem eſt motio ſolùs DEI ab omni actu voluntatis creatæ etiam neceſſario & indeliberato realiter diſtincta, vel qualitas quædam mortua, fluenter recepta in voluntate.

3. Gratia efficax non ſolùm dat agere, ſed etiam poſſe agere; ſic enim, l. de corrept. & Grat. c. 11. ait: *Et quippe in nobis per hanc DEI Gratiam in bono recipiendo & perſeveranter tenendo, non ſolùm poſſe, quod volumus, verùm etiam velle, quod poſſumus.*

4. S. Auguſtinus, lib. 83. quæſtionum, qu. 68. ait: *Ad illam cœnam, quam Dominus dicit in Evangelio præparatam, nec omnes, qui vocati ſunt, venire voluerunt, nec illi, qui venerunt, venire poſſent, niſi vocarentur, itaque nec illi debent ſibi tribue-*

re, qui venerunt; quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantùm ſibi; quoniam, ut venirent vocati, erat in eorum libera poteſtate. Ergo ex S. Doctore, qui vocati non veniunt, debent ſibi tantùm & non alteri tribuere, quòd non veniant: & eſt in eorum libera voluntate, ut veniant: & conſequenter habent omnia requiſita ex parte virtutis ad veniendum, vel eſt in eorum poteſtate, ut habeant. Sed hoc falſum eſt in ſyſtemate Prædeterminationis Phyſicæ; nam illi, qui vocati non venerunt, caruerunt Prædeterminatione Phyſica neceſſaria ad veniendum, alioqui veniſſent: nec erat in eorum poteſtate, ut eam haberent; quia ſine illa repugnat aliquid fieri vel omitti, quo liberè poſito aut omiſſo, detur Prædeterminatio Phyſica, ùt probatum eſt.

Prædeterminantes his textibus *opponunt* alios S. Doctoris textus, qui omnes alibi explicati ſunt.

Quartum argumentum. Prædeterminatio Phyſica videtur deſtruere libertatem actus ſalutaris. Ergo Gratia efficax non conſiſtit in illa. Nam Fide conſtat, Gratiam efficacem non tollere libertatem. *Prob. ant.* Poſita Prædeterminatione Phyſica, voluntas ſemper agit neceſſariò neceſſitate intrinſeca & antecedente uſum libertatis. Ergo Prædeterminatio Phyſica tollit libertatem actus. *Prob. ant.* Voluntas ſemper agit neceſſariò neceſſitate intrinſeca & antecedente, quotieſcunque agit ex antecedenti intrinſeca, & inimpedibili determinatione ad unum, & tali, ut repugnet eam non ponere actum, ad quem antecedenter determinatur, ùt patet; nam neceſſitas eſt determinatio ad unum. Atqui poſita Prædeterminatione Phyſica, voluntas creata quotieſcunque agit, agit ex intrinſeca, antecedenti & inimpedibili determinatione ad actum, quem ponit, ita ut repugnet talem actum non poni poſita illa Prædeterminatione. Ergo poſita Prædeterminatione Phyſica, voluntas ſemper agit ex neceſſitate intrinſeca & antecedente, quotieſcunque agit.

Minor conſtat ex notione Prædeterminationis Phyſicæ. Nam 1. Prædeterminatio Phyſica eſt determinatio ad unum; cùm ſit ex natura ſua inſeparabiliter connexa cum actu, ad quem datur, ita ut repugnet eam adeſſe & non poni actum. 2. Eſt determinatio antecedens uſum libertatis; nam natura prior eſt omni actu libero voluntatis, habetque prioritatem cauſalitatis; cùm ſit realiter diſtincta ab actu voluntatis, & abſolutè neceſſaria ad quemlibet actum ponendum, ſic ut repugnet actum poni ſine illa priùs prioritate naturæ determinante ad illum. 3. Eſt intrinſeca; nam recipitur in voluntate, & illam intrinſecè complet ad agendum. 4. Eſt inimpedibilis; nam voluntas non poteſt illam impedire: & ea poſita, repugnat non poni actum, ad quem datur.

Paulò aliter. Actus liber eſt ille, qui ponitur à voluntate cum potentia expedita illum non ponendi. Sed poſita Prædeterminatione Phyſica nullus actus ſic ponitur. Ergo nullus eſt liber. *Prob. min.* Poſita Prædeterminatione Phyſica, voluntas per eam antecedenter ad omne exercitium libertatis ſic eſt obligata ad ponendum actum, quem ponit, ut abſolutè repugnet illum non poni: & ſic ſemper agit cum impedimento prævio inſuperabili ad non agendum, ut natura priùs, quàm agat, ſemper independenter ab omni exercitio libertatis alligetur ad agendum id, quod agit. Et verò in quo exercetur libertas? Nam non pendet à voluntate, ut habeat, vel non habeat Prædeterminationem Phyſicam; cùm Prædeterminatio Phyſica ſit natura & cauſalitate prior omni exercitio libertatis, & abſolutè neceſſaria ad quemlibet actum: & tamen illa poſita, abſolutè repugnat, ut non ſit actus, ad quem datur.

Reſpondent Prædeterminantes. 1. Prædeterminationem Phyſicam non ſe tenere ex parte actus primi, proindeque relinquere actum primum liberum. 2. DEUM prædeterminare liberè; nam prædeterminat actum, & modum libertatis actus: nec dat Prædeterminationem, niſi conformiter cauſæ liberæ. DEUS quippe quaslibet cauſas

movet

movet ſecundùm earum conditionem & exigentiam, 3. Voluntatem ſub Prædeterminatione retinere potentiam agendi & non agendi.

Sed eorum adverſarii contendunt, hæc omnia verè dici non poſſe. Nam inquiunt, 1. Falſum eſt Prædeterminationem non ſe tenere ex parte actus primi ſeu potentiæ agendi. Illud enim ſe tenet ex parte actus primi, & dat poſſe agere ſaltem completè, quod eſt virtus agendi, aut ſaltem complementum potentiæ abſolutè neceſſarium ad actum ponendum, & natura priùs imprimitur voluntati, quam ipſa agat, ùt patet ex terminis. Sed talis eſt Prædeterminatio Phyſica; nam ſine illa voluntas non eſt proximè completa ad ponendum actum; cùm ſine illa priùs natura voluntati impreſſa repugnet actus.

Præterea etiamſi Prædeterminatio Phyſica dicatur ſe tenere ex parte actus ſecundi, ſemper eſt aliquid virtuoſum & activum, abſolutè neceſſarium ad actionem, & ab ea diſtinctum, habens prioritatem cauſalitatis reſpectu cujuslibet actus voluntatis, & antecedenter *alligans voluntatem ad unum*, ſic ut eo poſito, repugnet non eſſe actum, ad quem datur: unde ligat potentiam agendi, & *tollit exercitium libertatis*. Enim verò an diceretur quis liberè ſcribere id, quod ſcribit, ſi quoties actu ſcribit, alter independenter ab illo & inimpedibiliter manum ejus prævie impellat, ut determinatè ſemper hanc litteram depingat, & careat impulſione ab ipſo independente, ſine qua impoſſibilis eſt alterius litteræ efformatio? Denique poteſtas diſſentiendi, quæ dicitur remanere ſub Prædeterminatione Phyſica ad conſenſum, eſt poteſtas ad actum impoſſibilem, nempe *diſſenſum*; nam repugnat diſſenſus cum Prædeterminatione Phyſica ad conſenſum. Ergo poteſtas illa diſſentiendi eſt poteſtas *chimærica*, *ideoque nulla*.

2. Prædeterminare creaturam liberè tam implicat, quàm neceſſitare liberè, ſeu ſalva libertate, & per medium neceſſitans movere voluntatem ad agendum liberè, vel excæcare per modum dantis viſum. Item implicat dari Prædeterminationem Phyſicam conformiter cauſæ liberæ; implicat enim dare conformiter cauſæ *liberæ aliquid virtuoſum* abſolutè neceſſarium ad actionem, & ab ea realiter diſtinctum, quo poſito in voluntate antecedenter ad uſum *libertatis*, & priùs natura, quàm actum agat, repugnat non eſſe actum, ad quem datur: & ſic *voluntas non poteſt illum actum non ponere* impoſſibilitate antecedente.

DEUS quidem quaslibet cauſas movere poteſt ſecundùm earum conditionem & exigentiam: & idcirco non poteſt cauſam liberam prædeterminare. Nam eſt contra conditionem & exigentiam cauſæ liberæ, ut antecedenter alligetur, ac determinetur ad unum actum, ſicque neceſſitetur. Et quamvis DEUS ſit omnipotens, non poteſt tamen mutare eſſentias rerum, & implicantia facere: nec proinde efficere poteſt, ut ſtet libertas cum neceſſitate intrinſeca antecedente. Eſſentia autem Prædeterminationis Phyſicæ eſt, *quòd ſit aliquid virtuoſum* ſeu activum, abſolutè neceſſarium ad quemvis actum, realiter diſtinctum à voluntate creata & ejus actu, voluntati natura priùs, quàm agat, impreſſum antecedenter ad uſum libertatis, & cum actione, ad quam datur, ita connexum, ut eo poſito, repugnet actionem non eſſe. Quod ſanè videtur idem, ac neceſſitare antecedenter & intrinſecè voluntatem ad actum. Hinc Prædeterminatio Phyſica ita tollit indifferentiam paſſivam, ut activam antecedenter liget & determinet ad unam partem contradictionis.

3. Voluntas ſub Prædeterminatione retinet potentiam agendi, & *non* agendi, ſed impeditam, & antecedenter ligatam ad unum, non verò expeditam; nam voluntas per Prædeterminationem ſic applicatur ad actum, ut antecedenter alligetur ad illum. Præterea potentia ad oppoſitum, quam prædeterminantes dicunt remanere ſub ſua Prædeterminatione, eſt poteſtas chimærica; nam eſt poteſtas ponendi rem impoſſibilem: nempe diſſenſum, qui diſſenſus repugnat ſub Prædeterminatione Phyſica ad aſſenſum; cùm poſita Prædeterminatione ad aſſenſum,

repugnet non esse assensum, proindeque repugnet esse dissensum.

Nec valet hic distinctio sensus compositi & divisi. Nam sensus iste divisus non est per voluntatem, nec per eam fieri potest, ut sit; cùm posita Prædeterminatione Physica ad consensum, repugnet non esse consensum. Absurdum est autem dicere, voluntatem dissentire posse in eo sensu, qui non est in ejus potestate, ut sit, nec fuit, ut esset.

Quintum argumentum. Illud petitur ab authoritate S. Thomæ, qui, in 2. dist. 39. q. 1. a. 1. sic ait: *Aliquis actus est ab aliquo dupliciter. Uno modo tam secundùm substantiam actus, quàm secundùm determinationem agentis ad actum: & hoc propriè in potestate agentis esse dicitur, ùt est in voluntate; ipsa enim potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura: sed quòd determinatè exeat in hunc actum vel in illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate.* Ergo ex S. Doctore, quòd voluntas eliciat hunc actum, quem elicit, non est à DEO ipsam determinante, sed duntaxat ab ipsa voluntate. Et, quæstione 3. de creatione, ubi hoc ex professo tractat, art. 7. ad 2. ait: *Voluntati hominis dedit* (DEUS) *Dominium sui actus, ut non esset obligata ad alteram partem contradictionis.* Et, 1. 2. q. 10. art. 4. *Ad providentiam divinam non pertinet naturam rerum corrumpere, sed servare. Unde omnia movet secundùm eorum conditionem, ita quòd ex causis necessariis per motionem divinam consequuntur effectus ex necessitate, ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingenter. Quia igitur voluntas est activum principium non determinatum, ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic DEUS ipsam movet, quòd non ex necessitate ad unum determinat, sed remanet motus ejus contingens, & non necessarius, nisi in his, ad quæ naturaliter movetur.*

Respondent Prædeterminantes, voluntatem creatam, licèt prædeterminatam ad unum, seipsam simul determinare liberè, habere dominium sui actus, voluntque ultimum textum sibi favere, & ex eo sic argumentantur. Ex S. Thoma, DEUS sic movet voluntatem, quòd non ex necessitate ad unum determinat. Ergo ex S. Doctore, DEUS determinat voluntatem ad unum, sed eam non necessitando: ideoque salva libertate.

Sed eorum adversarii contendunt repugnare, voluntatem insuperabiliter determinari ad unum: & seipsam liberè determinare, atque habere dominium sui actus: quod probant ex dictis.

Ad ultimum textum *negant cons.* dicuntque hunc illius sensum esse: DEUM sic præmovere voluntatem, ut tamen eam ad unum non necessitet: has verò voces *ex necessitate*, additas esse duntaxat ad majorem expressionem: quod patet tum ex verbis sequentibus; nam si DEUS voluntatem ad unum determinaret, ejus actus deliberatus esset tam necessarius, quàm actus naturalis, ad quem à natura determinatur; cùm hic actus non sit necessarius, nisi quia voluntas non se determinat ad illum producendum, sed aliunde determinatur: tum ex quæstione 3. de potentia, art. 7. ad 13. ubi S. Doctor ait: *Causa prima non ità agit in voluntate, ut eam de necessitate ad unum determinet, sicut determinat naturam: & ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis & voluntatis.* Ubi voces *de necessitate*, additæ sunt duntaxat ad majorem expressionem, ita ut hæ voces cum sequentibus nil aliud significent, nisi DEUM non determinare voluntatem ad unum, sicut determinat naturam. Nam si DEUS voluntatem creatam ad unum determinaret, certè determinatio actus non relinqueretur in potestate voluntatis, cùm voluntas non posset non elicere actum, ad quem à DEO determinaretur.

Cùm autem S. Thomas, lib. 3. contra Gentes, c. 9. ait. *Id, quod docet Damascenus, quòd ea, quæ sunt in nobis, DEUS præscit, sed non prædeterminat, exponendum est, ut intelligatur, ea, quæ sunt in nobis, divinæ determinationi non esse subjecta, quasi ab ea necessitatem ancipientia.* Per prædeterminationem divinam S. Doctor intelligit

git præordinationem & providentiam divinam. Quare sensus est: actus humani sic sunt subjecti præordinationi & providentiæ divinæ, ut hæc præordinatio & providentia nullam eis necessitatem imponat. Quod pater ex contextu, & ex ipso titulo capitis, qui hic est: *Quod electiones & voluntates humanæ subdantur providentiæ divinæ.*

Item cum S. Thomas, quodlib. 12. a. 4. assentitur opinioni eorum, qui dicunt, providentia divina omnia esse prædeterminata: per tò *prædeterminata* intelligit præordinata: ac proinde per hanc vocem non intelligit Prædeterminationem Physicam, sed actum immanentem menti divinæ, quo DEUS ab æterno talem causarum secundarum inter se ordinem præconcepit.

ARTICULUS IV.

Exponitur sententia de Gratia efficaci, quæ videtur esse sententia S. Augustini, & vera, quamque, sicut omnes alias sententias meas, omnino subjicio judicio Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ.

§. I.

DIco. Gratia efficax consistit in Gratia excitante, ex natura sua repudiabili, sed congrua, & quæ per Scientiam mediam prævidetur habitura effectum, si detur.

Probatur per partes.

I. Gratia efficax est Gratia excitans. *Prob.* 1. Ex Script. Rom. 8. *Diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti. Nam quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui. Quos autem prædestinavit: hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Ibi agitur de Gratia efficaci data electis ad sanctitatem assequendam, quam infallibiliter consequitur justificatio cum glorificatione. Illa autem Gratia dicitur vocatio: sed vocatio est Gratia excitans. Ergo.

2. ex Conc. Trid. sess. 6. can. 4. ubi Gatiam efficacem revocat ad Gratiam vocationis & excitantem, dum ait: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à DEO motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo DEO excitanti atque vocanti, &c. Neque posse dissentire, si velit: anathema sit.*

3. Ex S. Augustino, qui Gratiam efficacem passim appellat vocationem secundùm propositum, & 1. de prædestin. Sanct. c. 16. ait: *Vocat DEUS prædestinatos multos filios suos, ut eos faciat membra prædestinati unici Filii sui, non ea vocatione, qua vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias... Sed ea vocatione prædestinatos vocat, quam distinxit Apostolus... Sciens esse quamdam certam vocationem eorum, qui secundùm propositum vocati sunt.* Et, Epist. 107. *Si ergo ità præpararet, atque operaretur DEUS hominis voluntatem, ut tantummodo legem suam atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta atque secreta sic ejus ageret sensum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum, procul dubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac prædicare sufficeret, nec opus esset orare, ut DEUS ad fidem suam infidelium corda converteret, & conversis proficientem perseverantiam ejusdem Gratiæ suæ largitate donaret.* Ergo ex S. Doctore Gratia efficax est vocatio alta & secreta, qua DEUS sic agit, ac movet hominem, ut legi & doctrinæ christianæ assentiatur & obsequatur.

II. Gratia efficax est ex natura sua repudiabilis. Nam Gratia efficax non est ex natura sua irrepudiabilis. Ergo est ex se repudiabilis. *Prob. ant.* 1. Ex Conc. Tridentino, quod sess. 6. cap. 5. docet, hominem posse abjicere Gratiam excitantem efficacem, qua nempe se disponit ad justificationem. Sed Gratia ex natura sua irrepudiabilis non potest abjici; nam non potest repudiari: abjici enim & repudiari idem sonant. Item ex eodem Concilio, can. 5. homo potest dissentire Gratiæ excitanti, qua se disponit ad justificationem, ideoque efficaci. Sed homo non potest dis-

dissentire Gratiæ ex natura sua irrepudiabili; nam Gratiæ dissentire est eam repudiare: non potest autem repudiari id, quod ex natura sua irrepudiabile est: alioqui jam non esset ex natura sua irrepudiabile, sed repudiabile.

2. Gratia excitans ex natura sua irrepudiabilis tollit libertatem. Ergo. *Prob. ant.* Illud tollit libertatem, quod se tenet ex parte actus primi, seu complet actum primum: & quo posito, voluntas non potest non agere; nam libertas est facultas completa & expedita agendi & non agendi. Atqui Gratia excitans se tenet ex parte actus primi seu complet actum primum; nam sine illa nec est, nec esse potest potentia completa & expedita agendi salutariter: & si est ex natura sua irrepudiabilis, ea posita, voluntas non potest non agere bonum, ad quod datur; nam si posset ei non consentire, posset eam repudiare. Ergo Gratia excitans ex natura sua irrepudiabilis tollit libertatem.

Item Gratia excitans ex natura sua irrepudiabilis imponit voluntati necessitatem intrinsecam, antecedentem, & insuperabilem consentiendi. Ergo est Gratia necessitans. *Prob. ant.* Nam imponit necessitatem insuperabilem: siquidem voluntas non potest ei dissentire; cùm ex natura sua sit irrepudiabilis: & illa necessitas est antecedens; nam antecedit omnem usum libertatis, & oritur ab eo, quod se tenet ex parte potentiæ agendi: est etiam intrinseca; nam est à natu a Gratiæ receptæ in voluntate.

3. Gratiam efficacem non esse ex natura sua irrepudiabilem, constat ex S. Augustini textibus pro libertate adductis, in tract. de actibus humanis, & ex lib. 3. operis imperfecti, num. 114. ubi ait: *Unde fieri non potest, ut adjutoria Gratiæ DEI liberum arbitrium loco pellant: quod potiùs vitiis pulsum & nequitiæ subjugatum, ut in locum suum redeat, liberant.* Ergo per Gratiam habemus libertatem ab omni necessitate, quam Adamus habuit ante peccatum. Ergo Gratia illa repudiari potest. Idem asserit, lib. 6. num. 11.

Confir. Gratia excitans ex natura sua irrepudiabilis, est Gratia, quam admittit Calvinus, quæ proinde damnata fuit à Conc. Trid. Nam sic Calvinus, l. 2. instit. c. 3. ait: *Voluntatem movet* (DEUS) *non qualiter multis sæculis traditum est & creditum, ut nostræ sit electionis motioni aut obtemperare aut refragari.*

Gratia autem efficax est ex natura sua repudiabilis, etiam moraliter & humanitùs, saltem ordinariè; nam non consistit essentialiter in Gratia necessitante moraliter, ut art. 2. probatum est.

III. Gratia efficax est Gratia excitans congrua.

Prob. 1. Ex S. Augustino, lib. 1. ad Simplicianum, quæst. 2. ubi ait: *Si vellet etiam ipsorum misereri* (qui scilicet vocati non veniunt) *posset ita vocare, quomodo illis aptum esset, ut & moverentur, & intelligerent, & sequerentur. Verum est ergo, multi vocati, pauci verò electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati: illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi, quia non secuti, quamvis vocati... etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur... cujus miseretur* (efficaciter scilicet) *sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Ergo ex S. Doctore vocatio, quam quis sequitur, ac proinde Gratia excitans efficax, est vocatio seu Gratia excitans congrua. Porro S. Augustinus hanc quæstionem in libro 2. retractationum & in aliis libris recolens, nil ex ea emendavit, imò eam commendavit.

2. Ratione. Quia sine aliqua congruitate seu convenientia speciali, quam habeat Gratia, cui homo consentit, & qua careat Gratia merè sufficiens, non potest intelligi, nec fieri, quomodo idem homo in iisdem circumstantiis uni Gratiæ consentiat, & alteri non consentiret.

IV. Gratia efficax debet per Scientiam mediam prævideri habitura effectum, si detur.

Prob.

Prob. Gratia efficax debet esse cum consensu salutari connexa infallibiliter, etiam absoluta infallibilitate. Atqui non est sic connexa, nisi quatenus per Scientiam mediam prævidetur expressura consensum, si detur. Ergo Gratia efficax debet per Scientiam mediam prævideri habitura effectum seu expressura consensum, si detur.

Major constat tum ex Script. Ezech. c. 36. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri ... & faciam, ut in præceptis meis ambuletis.* Ubi DEUS absolutè promittit se facturum in nobis & nobiscum opera salutaria: utique per Gratiam efficacem. Ergo cùm absoluta DEI promissio & prædictio sit absolutè infallibilis, infallibiliter infallibilitate absoluta DEUS operaturus est per Gratiam efficacem opera illa promissa: & consequenter Gratia efficax infallibiliter infallibilitate absoluta habitura est effectum.

Tum ex S. Augustino, qui, l. de dono persever. c. 14. prædestinationem ad Gratias efficaces, quibus electi salvantur, definit, *Præscientiam & præparationem beneficiorum, quibus certissimè liberantur, quicumque liberantur.*

Tum Ratione. Quia Gratia efficax est medium, quod DEUS adhibet ad exequendum decretum absolutum & efficax, quod est absolutè infrustrabile & infallibile. Sed medium, quod DEUS adhibet ad exequendum tale decretum, debet esse infallibile infallibilitate absoluta seu metaphysica: alioqui non esset proportionatum tali decreto: quod repugnat infinitæ DEI in agendo sapientiæ. Ergo Gratia efficax debet esse infallibilis infallibilitate absoluta, ideoque cum consensu salutari infallibiliter connexa infallibilitate absoluta.

Prob. jam minor primi syllogismi. Nam ex hypothesi, quòd DEUS prævideret, talem Gratiam expressuram esse consensum voluntatis, absolutè repugnat, talem Gratiam non exprimere consensum; quia absolutè repugnat scientiam DEI falli. Atqui Gratia, quam absolutè repugnat non exprimere consensum salutarem, est cum consensu salutari infallibiliter connexa infallibilitate absoluta: infert consensum voluntatis infallibilitate absoluta, ùt patet. Ergo Gratia cum consensu salutari connexa est infallibiliter infallibilitate absoluta, quatenus per Scientiam mediam prævidetur expressura consensum, si ipsa detur. Non est autem sic connexa, nisi quatenus per Scientiam mediam prævidetur expressura consensum. Nam Gratia per se & ex natura sua non potest habere infallibilem connexionem cùm consensu salutari, cùm sit ex natura sua repudiabilis: neque illam infallibilitatem habet, sive ab omnipotentia; nam ab ea tantùm habet, ut existat: sive à decreto absoluto & efficaci; nam non habet infallibilitatem, quia vi decreti efficacis adhibetur: sed è contra adhibetur vi decreti efficacis, quia habet infallibilitatem absolutam, prout datur sub directione Scientiæ infallibilis.

Itaque Gratia efficax est simul repudiabilis, & absolutè infallibilis: habet namque repudiabilitatem intrinsecam: & summam infallibilitatem extrinsecam, petitam scilicet à Scientia DEI infallibili. Et per hæc duo rectè conciliatur Gratiæ efficacia cum libertate humana.

Confirmatur assertio. Noster ille modus explicandi Gratiæ efficaciam maximè consentaneus est iis, quæ Scriptura & Traditio docent de Gratia efficaci: & *nil supponit*, quod non sit solidè fundatum in Scriptura & doctrina S. Augustini. Ergo admitti debet.

Prob. 1. *pars antecedentis.* Scriptura & Traditio docent, Gratiam efficacem esse donum DEI gratuitū: DEUM posse per eam inclinare quaslibet volūtates creatas, quocunque voluerit, & de illis posse facere infallibiliter, quidquid voluerit: & Gratiam quantumvis efficacem non tollere libertatem actus salutaris: nec unquam voluntatem necessitare physicè, neque etiam moraliter ordinariè. Sed in nostro systemate hæc omnia rectè explicantur. Nam in nostro systemate, 1. Gratia efficax est donum merè gratuitum; non enim datur, nisi ex mera benignitate & misericordia, à qua sola DEUS mo-

movetur ad eam dandam. 2. DEUS per Gratiam efficacem potest quaslibet voluntates infallibiliter inclinare, quocumque voluerit, & de illis facere, quidquid efficaciter voluerit. Nam Gratia illa habet à Scientia DEI infallibilitatem absolutam & metaphysicam: nec DEUS potest ullatenus impediri, ne eam det, cui voluerit. 3. Gratia efficax voluntatem nunquam necessitat physicè, nec etiam moraliter ordinariè; quia Gratia illa est ex natura sua repudiabilis, etiam moraliter, saltem ordinariè.

Prob. 2. *pars ant.* Nostrum systema supponit tantùm Scientiam mediam, quæ Scientia solidum habet fundamentum in Scriptura & S. Augustino, ùt probatum est in tractatu de DEO. Et verò hoc ipso, quòd Augustinus Gratiam efficacem explicuit per vocationem, qua DEUS hominem vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat, eo ipso in explicanda efficacitate Gratiæ recurrit ad usum alicujus Scientiæ divinæ, qua scilicet noverit Gratiam sic congruere, ut, si detur, habitura sit effectum: quæ Scientia non potest esse alia nisi conditionalium.

§. II.

Solvuntur Objectiones petitæ à Scriptura.

Obj. 1. Illud, 1. Cor. c. 4. *Quis te discernit?* significat hominem à DEO ejusque Gratia discerni, non à se ipso, ùt exponit S. Augustinus, & Conc. Arausicanum II. Sed hoc falsum est in nostro systemate. Ergo.

Resp. Neg. min. Nam in nostra doctrina homo discernitur à DEO solo quadruplici gratuita discretione, quæ est prædestinatio ad gloriam: prædefinitio operum salutarium ac perseverantiæ finalis: præparatio Gratiarum efficacium: & earumdem donatio in tempore; nam hæc omnia secundùm nos sunt omnino gratuita, & procedunt ex sola DEI misericordia.

Quòd si homo consentiat Gratiæ, ejus consensus salutaris est tum à Gratia, ùt causa superiori, principali, totali in suo ordine voluntatem præveniente, elevante, physicè præmovente, complente, adjuvante, eique dante vim agendi salutariter, & nil ab ea accipiente: tum ab hominne, ùt causa inferiori subalternata, instrumentali, & accipiente à Gratia vim agendi salutariter. Nam homo liberè consentit Gratiæ, & cum ea efficit actum salutarem: sed non consentit Gratiæ excitanti, nec efficit actum salutarem, nisi dependenter à Gratia excitante, elevante, corroborante, complente, & dependenter à Gratia comitante, ùt adjuvante & cooperante. Hoc docet Apostolus, 1. Cor. c. 15. *Non ego* (solus, nec principaliter) *sed Gratia DEI mecum*, ùt causa principalis. Et 2. ad Tim. c. 2. *Si quis emundaverit se ab istis, erit vas in honorem sanctificatum.* Hoc etiam docet S. Augustinus, l. de spiritu, & littera, c. 34. *Consentire vocationi DEI, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est.* Et l. 1. ad Simplic. qu. 2. *Ut velimus, & suum esse voluit & nostrum: suum, vocando: nostrum, sequendo.*

Consecutio verò gloriæ est etiam tum à DEO ab æterno prædestinante ad gloriam, & eam retribuente: tum ab homine ùt illam merente per bona opera, quæ simul sunt dona DEI & merita hominis, ùt docet Conc. Tridentinum.

Dices 1. In nostro systemate fieri potest, ut ex duobus hominibus eodem modo dispositis quoad corpus & animam, & constitutis in iisdem circumstantiis, & æquali Gratiæ auxilio instructis unus consentiat, alio dissentiente; nam hoc non repugnat. Sed tunc Petrus consentiens, se discernit à Paulo. Nec discernitur à DEO; nam Gratiæ auxilium est par in utroque. Ergo.

Resp. 1. Hanc suppositionem admittit S. Augustinus, l. 12. de civit. c. 6. & addit: *Ambos enim & animo & corpore æqualiter affectos fuisse prædiximus... Quid aliud appareat, nisi unum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere? Unde? nisi propria voluntate: ubi eadem fuerat in utroque corporis & animi affectio.*

Resp. 2. *Neg. min.* Nam in hac hypothesi discretio radicalis Petri à Paulo est à solo

ſolo DEO, qui ex mera miſericordia & ſpeciali benevolentia erga Petrum dedit ei Gratiam congruam, cui prævidebat illum in talibus circumſtantiis conſenſurum, ſi daretur. At Paulo DEUS non dedit Gratiam congruam, ſed aliam, cui prævidebat eum non conſenſurum, licèt ei dederit ex voluntate ſincera ſed conditionata & inefficaci, ut conſentiret. Diſcretio verò formalis, ſeu id, per quod Petrus formaliter & immediatè diſcernitur à Paulo, ùt bene agens à male agente, nempe conſenſus ſalutaris ac liber Petri, eſt primariò ac principaliter à Gratia congrua, tanquam à cauſa ſuperiori, principali, dante Petro vim agendi ſalutariter, & priùs natura producente conſenſum Petri, ideoque primas ſibi merito vindicante in productione talis actus ſalutaris: qui eſt etiam à voluntate Petri liberè conſentiente, ùt cauſa ſecundaria, ſubalternata, præventa, præmota, elevata, completa, corroborata, & adjuta à Gratia, ideoque ſuum conſenſum ſalutarem ipſi Gratiæ debente.

Dices. 2. Auxilium Gratiæ eſt æquale in Petro conſentiente, & Paulo diſſentiente, ùt ſupponitur. Ergo quòd Petrus conſentiat, id non debet tribui Gratiæ, ſed ſoli Petro.

Reſp. 1. *Diſt. ant.* Auxilium Gratiæ eſt æquale in ratione auxilii, ſeu ſecundùm entitatem abſolutè ſumptam, *conc. ant.* In ratione beneficii, & reſpectivè ad utriuſque voluntatem ſumptam, *neg. ant.* Nam Gratia, quæ congruit voluntati, & quæ datur in iis circumſtantiis, in quibus prævidetur habitura effectum, & ex efficaci intentione, ut habeat, eſt in æſtimatione prudenti, longè majus beneficium, quàm Gratia etiam ejuſdem ſpeciei & intenſionis data in iis circumſtantiis, in quibus prævidetur non habitura effectum, quæ proinde in talibus circumſtantiis reſpectu talis hominis eſt in congrua, licèt reſpectu alterius ſit congrua.

Reſp. 2. *Neg. conſeq.* Nam conſenſus ille, ùt dixi, tribui debet primariò ac principaliter Gratiæ; Gratia enim eſt cauſa illius primaria, principalis, ſuperioris ordinis, elevans, complens, corroborans voluntatem ad conſentiendum, eamque conſentientem adjuvans, & nil ab ea accipiens, & priùs natura producens conſenſum voluntatis, quàm ipſa voluntas. Voluntas verò non eſt cauſa conſenſus ſalutaris, niſi inferior, ſecundaria, & dependenter tum à Gratia excitante congrua, tum à Gratia comitante ſeu adjuvante, cui utrique voluntas conſenſum ſuum debet.

Dices 3. Ut DEUS per conſenſum ſalutarem Petri diſcernat Petrum à Paulo, debet dare illum conſenſum Petro. Sed DEUS non dat Petro conſenſum ſalutarem; nam nil tribuit Petro, quod non det Paulo diſſentienti. Ergo.

Reſp. Neg. min. Itaque DEUS Petro conſenſum ſalutarem donat, quatenus ei gratuitò dat Gratiam, non ſolùm per quam Petrus poſſit producere, ſed etiam qua prævidit producturum, & qua reipſa producit conſenſum, idque ex affectu benevolentiæ ſpeciali in Petrum, & ex voluntate efficaci, ut talis conſenſus efficiatur. Unde DEUS Petrum ad conſenſum excitando, complendo, corroborando, ſicut ſcit ei congruere, ut reipſa conſentiat, atque cum illo per Gratiam adjuvantem producendo ejus conſenſum, meritò dicitur donare illi conſenſum. Nam effectus à duabus cauſis productus, meritò attribuitur cauſæ principali, ad illum aliam præmoventi, complenti, & ei danti vim efficacem illum producendi, & ſic in eam priùs natura, quàm agat, influenti. Quare DEUS donat Petro conſenſum, Petrus DEO ſuum conſenſum debet, Petrus ſuum conſenſum à DEO tanquam à cauſa primaria ac principali accipit. Hinc Petrus non poteſt gloriari de ſuo merito, tanquam ipſe ſibi illud fecerit, non Gratia DEI, ùt loquitur S. Auguſtinus.

Breviùs. DEUS donat Petro conſenſum; quia donat ei Gratiam expreſſuram conſenſum ſalutarem, quem ſine Gratia & per vires ſuas naturales producere non poteſt: Unde Petrus non eſt cauſa diſcretionis ſuæ, ſed DEUS. *Dat* (DEUS) *quod jubet, cùm*

cùm adjuvat, ut faciat, cui jubet, ait S. Auguſtinus, l. de Grat. & lib. arbit. num. 31.

DEUS autem hæc omnia non præſtat erga Paulum. Nam non ei dat Gratiam congruam, cui prævideret eum eſſe conſenſurum, & cui reipſa conſentiat, ſed aliam incongruam, ideoque longè minorem in ratione beneficii: & ſic non habet erga illum ſpecialem benevolentiam, quam erga Petrum habet, nec cum eo producit ejus conſenſum.

Dices. 4. S. Auguſtinus, l. de prædeſtin. Sanctor. c. 5. ait: *Nihil autem huic ſenſui* (harum vocum: quis te diſcernit?) *tam contrarium eſt, quàm de ſuis meritis ſic quemquam gloriari, tanquam ipſe ſibi ea fecerit, non Gratia DEI: ſed Gratia, quæ bonos diſcernit à malis, non quæ communis eſt bonis & malis.* Atqui ſi ex duobus idem auxilium habentibus unus conſentit, altero non conſentiente, Gratia DEI, quæ diſcernit bonos à malis, erit communis bonis & malis. Ergo.

Reſp. Neg. min. Quia S. Doctor per Gratiam communem bonis & malis non intelligit auxilium Gratiæ, quod datur bonis, qui ei conſentiunt, & malis, qui reſiſtunt: ſed intelligit naturam humanam ſeu liberum arbitrium, quod Gratiam vocabant Pelagiani, ut ſub nomine Gratiæ viderentur Catholici, & incautos deciperent. Quod patet ex verbis immediatè ſequentibus verba objecta. Poſtquam enim S. Auguſtinus dixit: *Sed Gratia, quæ diſcernit bonos à malis, non quæ communis eſt bonis & malis:* ſtatim ſubjicit: *Sit ergo Gratia naturæ attributa, qua ſumus animantia rationalia, diſcernimurque à pecoribus: ſit etiam Gratia naturæ attributa, qua in ipſis hominibus à deformibus pulchri, vel ingenioſi diſcernuntur à tardis, ac ſi quid ejuſmodi eſt. Sed non ſe ille, quem coërcebat Apoſtolus, adversùs pecus inflabat, nec adversùs hominem alterum de aliquo naturali munere, quod ineſſe poſſet & peſſimo, &c.* Præterea in allata hypotheſi non eſt idem auxilium Gratiæ in ratione beneficii, & reſpectivè ad utriuſque voluntatem. Nam auxilium datum Petro in talibus circumſtantiis congruit ejus voluntati: auxilium autem datum Paulo, licèt ſit ejuſdem ſpeciei & intenſionis, non congruit ejus voluntati.

Dices 5. Prima ratio, cur ex duobus æquale auxilium Gratiæ ſecundùm entitatem ſumptum habentibus, unus conſentiat, alter non conſentiat, in noſtra doctrina petitur à libera determinatione voluntatis utriuſque. Ergo.

Reſp. Neg. ant. Sed petitur à Gratia, qua DEUS pro ſuo beneplacito unum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat, & alterum non ſic vocat: ac proinde prima ratio diſcretionis illorum petitur à ſolo beneplacito DEI, qui uni, quia voluit, ab æterno præparavit & in tempore donavit: alteri verò, quia non voluit, non præparavit ab æterno, nec in tempore dedit Gratiam congruam. Gratuita enim præparatio Gratiæ congruæ præſupponitur ejus largitioni gratuitæ: & gratuita largitio Gratiæ congruæ præſupponitur liberæ determinationi voluntatis ad conſenſum ſalutarem. Nam voluntas unius non ſe determinat, niſi dependenter à Gratia natura priùs influente in hanc determinationem.

Dices 6. In hac hypotheſi Petrus conſentiens Gratiæ ſe diſcernit à Paulo ùt diſſentiente.

Reſp. Petrus per ſuum liberum conſenſum non ſe diſcernit à Paulo niſi ſecundariò, & dependenter à Gratia ùt cauſa primaria, principe, priùs natura influente, & tribuente voluntati vim agendi ſalutariter: ita ut hujus diſcretionis formalis primæ partes debeantur Gratiæ, tanquam cauſæ ſuperiori, principali, priùs natura influenti, & tribuenti voluntati vires, nilque ab ea accipienti. Imo Petrus per ſuum conſenſum non ſe diſcernit ſecundariò & dependenter à Gratia, niſi poſtquam à DEO ſolo jam duplici gratuita diſcretione diſcretus eſt: nempe gratuita Gratiæ congruæ præparatione, & donatione.

At inquies. Determinatio libera voluntatis ad bonum eſt præcipuè à cauſa libera.

Ergo

Ergo voluntas est causa principalis sui consensus.

Resp. Neg. ant. Quia voluntas non se determinat, nisi dependenter à Gratia ùt causa superiori ac principali suæ determinationis, & à qua habet vim agendi salutariter, & cujus motionem ac determinationem sequitur, cùm se determinat.

Nota. Hæ & similes objectiones fieri possunt de Gratia repudiabili, quàm, fatente Jansenio, acceperunt Angeli boni: ad quos tamen pertinet illud Apostoli; *Quis te discernit?* Ut docet Sanctus Augustinus, l. 11. de Civit. c. 19. ubi de DEO ait: *Solus quippe ita discernere potuit, qui potuit, etiam priusquàm caderent, præscire casuros.*

Obj. 2. Illud, 1. Cor. cap. 4. *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Sed hoc falsum est in nostra doctrina. Ergo.

Resp. Neg. min. Nam secundùm nos homo nil habet, de quo gloriari possit, tanquam non acceperit à Gratia: siquidem ipsum suum consensum salutarem accipit à Gratia ùt à causa superiori, principali, ad illum excitante, præmovente, complente, corroborante, sicut congruit, ut velit, & illum natura priùs efficiente, quàm ipsa voluntas. Igitur totum à DEO accepimus, totúmque DEO debemus.

Itaque qui consentit Gratiæ repudiabili, nihil plus habet, quod non acceperit, quàm haberet ille, qui Gratiæ necessitanti consentiret. Nam quidquid bonitatis, valoris, entitatis supernaturalis est in actione, id totum à Gratia accipit. Imò plus aliquid accipit: nempe modum libertatis: quatenus liberam suæ voluntatis determinationem salutarem habere non potest à se ipso: sed ei necessaria est Gratia repudiabilis, quæ voluntatem sanet, corroboret, compleat, & adjuvet.

Obj. 3. Ex Scriptura. Gratia physicè movet, & agit voluntatem, juxta illud, Rom. c. 8. *Quicunque enim spiritu DEI aguntur, ii sunt filii DEI.* Ergo physicè determinat.

Resp. Dist. ant. Gratia physicè movet &c. id est, movet & agit voluntatem per motionem physicam, veram, realem, congruam, sed de se repudiabilem: quam scilicèt voluntas potest abjicere: cui potest dissentire, ùt definit Concil. Trident. *conc. ant.* Id est movet per motionem physicam determinantem: cui proinde voluntas non possit dissentire, *neg. ant. & conseq.* Porro Gratia movet quidem voluntatem determinatè ad unum, nempe ad bonum: sed ad illud non determinat, nec necessitat.

Nota. Hæc est tota Gratiæ œconomia. 1. Per illustrationem supernaturalem proponitur nobis aliquod objectum, & simul motivum amoris vel fugæ.

2. Voluntas ad hoc objectum amandum & prosequendum, vel fugiendum moraliter & physicè applicatur per motionem physicam indeliberatam, non tamen determinantem.

3. DEUS, qui pro suo mero beneplacito dedit Gratiam prævenientem, hoc ipso paratus ac determinatus est ex se ipso ad dandam Gratiam adjuvantem, & ad actu concurrendum supernaturaliter cum voluntate excitata & prævenia per Gratiam excitantem.

4. Si voluntas motioni divinæ non resistat, DEUS ex certa scientia & providentia concurrit cum ipsa ad eundem actum, seu consensum liberum, adjuvatque voluntatem, & cum ea producit consensum salutarem, ita ut primæ partes DEO debeantur, qui prior agit prioritate causalitatis, & dat vires agendi, easque adjuvat.

Obj. 4. Illud, Rom. c. 9. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI.*

Resp. Hic textus significat, prædestinationem, præparationem ac donationem Gratiarum efficacium esse merè gratuitam, nec pendere à voluntate & conatibus hominis, sed à sola DEI misericordia: quod etiam nos cum Apostolo asserimus. Nam quòd homo prædestinetur ad gloriam, quòd prædefiniantur ejus opera salutaria cum perseverantia finali, quòd præparentur ei beneficia, quibus certissimè salvantur, quicunque salvantur, quòd vocetur eo modo, quo prævide-

videtur esse vocationi consensurus, solius DEI miserentis est.

Dices. Etiam actus salutaris non est volentis, neque conantis hominis, sed miserentis DEI.

Resp. Disting. Quoad Gratiam congruam, quia sola fit actus salutaris, *conc.* Quoad ipsum actum salutarem secundùm se spectatum, quasi non fiat ex propria ac libera determinatione voluntatis dependenter à Gratia congrua, *nego.* Quamvis actus salutaris sit ab homine volente & agente ex propria determinatione, tamen est simul effectus misericordiæ DEI, qui ex mera sua misericordia dat homini Gratiam congruam, tribuentem talem vim volendi & agendi salutariter. Ita verba Apostoli citata exponit Sanctus Augustinus, lib. 1. ad Simplic. q. 2. ubi ait: *Verum est, non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI: quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur. Falsum est autem, si quis dicit: igitur non miserentis, sed volentis atque currentis est hominis: quia nullius DEUS frustra miseretur. Cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.*

Porro actus salutaris secundùm se est hominis volentis & conantis ex propriis viribus, & simul ac indivisibiliter, atque potissimùm ex viribus Gratiæ excitantis congruæ, & adjuvantis.

Obj. 5. Illud, Rom. c. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ DEI! Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Sed in nostro systemate judicia DEI sunt aperta. Ergo.

Resp. Nego min. Nam judicia illa DEI, quæ Apostolus dicit esse incomprehensibilia, in eo consistunt, quòd DEUS hos, non illos, nec plures prædestinaverit: his non aliis, ab æterno præparaverit, & in tempore donet Gratias efficaces cum perseverantia finali conjunctas. Sunt autem incomprehensibilia & inscrutabilia hæc DEI decreta ac consilia; quia illorum nulla ratio reddi potest ex parte hominum, cùm propter peccatum originale & illius contrahendi debitum sint omnes æqualiter omni beneficio divino indigni. Imò nec ulla ratio afferri potest ex parte DEI præter merum ejus beneplacitum. Quod in nostro systemate tam verum est, quàm in quovis alio.

Dices. In nostro systemate facilè assignatur ratio, quare prædicato Evangelio, unus credat, non alter: unus agat bonum, alter non.

Resp. Hoc verum est; nam cur unus opus salutare agat, alter non, ex parte DEI est, quia uni dat Gratiam congruam, non alteri: ex parte verò hominis est, quia unus vult ex propria determinatione dependenter à Gratia, licèt possit non velle: & alter non vult, licèt possit velle ex viribus Gratiæ sufficientis. Sed in hoc nullum est mysterium: & verò in doctrina adversariorum æquè, imò facilè intelligitur, quomodo audito Evangelio unus credit, & bonum agat, alter non; quia nempe juxta illos unus physicè vel moraliter prædeterminatur, seu necessitatur ad credendum & agendum bonum, alter non. Sed quare unus accipit Gratiam congruam, qua infallibiliter bonum agit, non alter: in hoc est mysterium, nec aliud respondere possumus quàm hæc: *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI: qui, cujus vult, miseretur, &, quem vult, indurat.... O homo, tu quis es, qui respondeas DEO? .... An non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Respondemus cum S. Augustino, lib. de dono persever. cap. 9. *Cur ille ita vocetur, ut vocantem sequatur: ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia DEI.*

§. III.

Solvuntur Objectiones petitæ à Conciliis, & Patribus.

Obj. 1. Ex Patribus & Conc. Trid. Omnia opera salutaria sunt dona DEI: sed in nostro systemate non sunt dona DEI; nam non donantur à DEO. Ergo.

Resp.

Resp. Nego. min. Itaque DEUS nobis donat opera noſtra ſalutaria, gratis dando Gratiam excitantem, de ſe quidem repudiabilem, ſed congruam, qua voluntas excitatur, completur, corroboratur eo modo, qui congruit, ut ipſa velit, & agat opus ſalutare, atque ad illud volendum & agendum nos gratuitò adjuvando per Gratiam comitantem. Nam S. Auguſtinus, l. de prædeſt. Sanct. c. 3. dicit, ſe ante Epiſcopatum ſuum non ſenſiſſe fidem eſſe donum DEI: quia putabat eam eſſe ex ſolis naturæ viribus, non ex Gratia interiore præveniente. Ergo ex Sancto Doctore fides & quodvis opus ſalutare hoc ipſo eſt donum DEI, quòd ſit ex Gratia præveniente, congrua ſcilicet & gratis data. Et verò num ille donat effectum, qui gratis dat cauſam principalem infallibiliter connexam cum effectu?

Nota. Gratia eſt merum DEI donum, ſeu eſt DEI donum tantùm. At opus ſalutare non eſt DEI donum tantùm; nam ſic eſt donum DEI, ut ſit etiam hominis juſti meritum, ùt docet Concil. Trid. *Ratio* eſt. Quia voluntas per Gratiam præventa & adjuta elicit liberè & ex propria determinatione actum ſalutarem: at nihil confert liberæ productioni Gratiæ. Igitur opus ſalutare eſt donum DEI; quia non fit, niſi per Gratiam excitantem congruam ùt cauſam principem, dantem *vim volendi & agendi* ſupernaturaliter, & per Gratiam adjuvantem, gratis datas: eſt ſimul noſtrum meritum; quia non fit, niſi ex propria & libera determinatione voluntatis excitatæ, prævent æ, & adjutæ per Gratiam.

Inſt. 1. In noſtro ſyſtemate conſenſus ſalutaris eſt à voluntate ſe ipſam determinante. Ergo non eſt donum DEI.

Reſp. Diſt. ant. Eſt à voluntate ſe ipſam determinante dependenter à Gratia congrua, ùt à cauſa principali, voluntatem ad conſentiendum excitante, elevante, corroborante, complente, & ita natura priùs influente in conſenſum, *conc. ant.* Secus, *nego ant. & conſeq.* Secundùm nos conſenſus ſalutaris eſt ſimul ac indiviſibiliter à Gratia & à voluntate ſe ipſam determinante, ùt conſtat ex Apoſtolo dicente: *Non ego, ſed Gratia DEI mecum.* Et ex Conc. Trident. definiente, voluntatem poſſe diſſentire Gratiæ, cui conſentit, ideoque liberè ſe determinare ad conſentiendum. At eſt à voluntate creata ùt cauſa inferiori, ſubordinata, & dependenter à Gratia, à qua vim agendi ſupernaturaliter accipit, & cui nullam retribuit: eſt verò à Gratia præveniente congtua, ùt à cauſa ſuperiori, principali, totali *in ſuo ordine, voluntatem excitante, elevante,* corroborante, complente ad conſentiendum, & natura priùs influente, tum in ipſam *voluntatem*, tum in conſenſum. Quare conſenſus ſalutaris principaliter & primariò tribui debet Gratiæ.

Inſt. 2. Secundùm nos voluntas ſibi dat ſuum conſenſum. Ergo DEUS non illi donat.

Reſp. Voluntas ſibi dat ſuum conſenſum, ùt cauſa ſecundaria, & dependenter à Gratia: & ſimul eum accipit à DEO, ùt à cauſa ſuperiori, principali, voluntatem ad conſentiendum prævenient*e*, excitante, complente per *Gratiam*, & *vim* agendi ſupernaturaliter tribuente, & ſic priùs in ipſam voluntatem & in ejus conſenſum influente.

Porro Gratia efficit conſenſum ſalutarem, non prædeterminando voluntatem, ſed eam movendo & excitando, quomodo ei congruit, ut conſentiat, eamque ad conſentiendum adjuvando.

Obj. 2. In noſtro ſyſtemate DEUS expectat voluntatem noſtram, ut bonum velimus, & agamus. Sed hoc repugnat Conc. Arauſicano II. can. 4. dicenti: *Si quis, ùt à peccato purgemur, voluntatem noſtram DEUM expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per Sancti Spiritus infuſionem & operationem, in nobis fieri confitetur, reſiſtit ipſi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino.* Ergo.

Reſp. Nego. maj Nam in noſtra doctrina, ut velimus ullum bonum ſalutare, neceſſe eſt, ut DEUS voluntatem noſtram præveniat, excitet, præmoveat, corroboret, & com-

compleat etiam physicè & immediatè. Unde DEUS non expectat voluntatem nostram: sed è contra eam prævenit, præparat, præmovet, complet, & adjuvat, ut ipsa velit aliquid salutare.

Porrò Conc. Arausicanum, Canone citato, damnat errorem Semipelagianorum, qui docebant hominem ex solis naturæ viribus desiderare posse, sicut oportet, justificationem, & per tale desiderium naturale obtinere Gratiam actualem ad justificationem consequendam necessariam: ac proinde DEUM, ut hanc Gratiam det, expectare naturale illud desiderium. Quem errorem prorsus abhorremus: & secundùm nos DEUS non expectat consensum nostræ voluntatis ad salutem conducentem, sed illum facit, licèt non sine nostra voluntate se ipsam liberè determinante dependenter à Gratia congrua.

Nota. Gratia excitans seu præveniens est primum salutis initium omninò gratuitum.

Obj. 3. Ex Sancto Augustino DEUS voluntatem nostram magis habet in sua potestate, quàm nos ipsi. Sed hoc esse nequit, si Gratia sit repudiabilis. Ergo.

Resp. Nego min. Itaque DEUS voluntates nostras magis habet in sua potestate, quàm nos ipsi; quia potest de illis facere, quidquid voluerit, potest facere, ut quodlibet bonum velint & agant, & quidem salva semper earum libertate: ac proinde non eas determinando, sed movendo, quomodo scit congruere, ut bonum invictissimè velint & agant. Nos verò ex solis nostris naturalibus viribus non possumus ullum bonum salutare velle, sicut oportet, nec nos ad DEUM convertere.

Obj. 4. Sanctus Augustinus ad explicandam Gratiæ efficaciam recurrit ad omnipotentiam DEI, ad efficaciam ejus omnipotentissimæ voluntatis, & ejus dominium in creaturas.

Resp. Etiam in nostro systemate Gratiæ efficacia oritur ex omnipotentia DEI, ex ejus voluntatis efficacia, & supremo ejus dominio. At infinita DEI potentia, omnipotentissima ejus voluntas, supremum ejus dominium, vi cujus potest de nostris voluntatibus pro arbitrio disponere salva earum libertate, non consistunt in eo, quòd DEUS possit per medium irrepudiabile, ideoque necessitans, movere efficaciter voluntates nostras ad id, quod vult, salva illarum libertate; nam hoc manifestè repugnat: sed consistunt in eo, quòd DEUS in thesauris suæ omnipotentiæ habeat innumera media, ad efficaciter movendas quaslibet voluntates in quibuslibet circumstantiis, ex se quidem repudiabilia, sed congrua, & quæ summa infallibilitate præscit habitura effectum, si dentur: atque ab executione mediorum illorum impediri vel retardari non possit ab ullo agente, ullove obice. Nam hoc ipso, quòd DEUS habet in suæ omnipotentiæ thesauris innumera media absolutè infallibilia, licèt de se repudiabilia, & ab illis adhibendis impediri non potest, intelligitur, DEI voluntatem esse omnipotentissimam, neminem ei resistere posse, efficaciam Gratiæ oriri ex omnipotentia DEI, & ex efficacia ejus voluntatis, ac summo ejus in omnes voluntates creatas dominio.

Porro efficacia Gratiæ est ab omnipotentia divina, non formaliter; nam omnipotentia divina non est ipsa Gratiæ efficacia: sed efficienter: quatenus ab illa, non à voluntate creata, habet DEUS, ut quamlibet voluntatem in quibusvis circumstantiis movere possit, quomodo ei congruit, ut velit, & agat, quod DEUS vult.

Obj. 5. In nostro systemate Gratia est pedissequa voluntatis. Sed hoc Sanctus Augustinus damnavit in Semipelagianis. Ergo.

Resp. Nego maj. Nam Gratia non supponit actum aliquem ex solis naturæ viribus productum, cujus intuitu detur, ùt docebant Semipelagiani. Imò verò voluntas est pedissequa Gratiæ; nam Gratia in omni actu salutari præire, & voluntatem prævenire necessariò debet; voluntas enim nullum actum salutarem efficit, nec efficere potest, nisi dependenter à Gratia prævenient, excitante, & priùs natura influente tum in voluntatem, tum in consensum ejus. Item Gratia adjuvans non est pedissequa voluntatis,

tis, ſed comes adjutrix; nam Gratia adjuvans ſeu concomitans non eſt poſterior voluntatis actu in eſſendo vel in agendo: ſed ſimul cum voluntate producit conſenſum liberum voluntatis.

Nota. Duplex eſt effectus Gratiæ efficacis: unus formalis, conſiſtens in excitatione & corroboratione voluntatis: & alter effectivus, conſiſtens in eo, quòd producat liberum conſenſum voluntatis. Gratia efficax ſuum effectum *formalem* præſtat independenter ab omni exercitio libertatis creatæ, idque inimpedibiliter. Alterum verò effectum producit quidem Gratia cum voluntate, ſed ita ſimul tempore & indiviſibiliter cum voluntate efficit liberum ejus conſenſum, ut voluntatem natura & cauſalitate præveniat; nam voluntas non conſentit, niſi dependenter à Gratia ipſam prævenient, præmovente, complente, elevante, corroborante, & adjuvante.

Obj. 6. Eccleſia petit Gratias irrepudiabiles; nam petit à DEO pro infidelibus, ut credant: pro fidelibus peccatoribus, ut convertantur: pro juſtis, ut reipſa perſeverent. Ergo.

Reſp. Neg. ant. Nam Eccleſia petit Gratias efficaces, quæ non impediant meritum. Talis autem eſt Gratia excitans, ex natura ſua repudiabilis, ſed congrua & infallibiliter habitura effectum.

§. IV.

Solvuntur Objectiones petitæ à ratione.

Obj. 1. Secundùm nos voluntas creata determinat Gratiam: & Gratia eſt indifferens.

Reſp. Neg. Nam ſecundùm nos Gratia ex ſe determinata eſt ad effectum, ad quem movet, ſed impedibiliter; quia voluntas poteſt ei diſſentire, ùt definit Concil. Tridentinum. Quare voluntas conſentiendo Gratiæ prævenienti, nec determinatur à Gratia, nec Gratiam determinat, ſed ſequitur motum ac determinationem Gratiæ prævenientis, ùt etiam ipſa vox *conſentire* ſignificat.

Obj. 2. Secundùm nos Gratia eſt verſatilis.

Reſp. Nego. Nam verſatile propriè loquendo eſt id, quod poteſt verſari, ſeu flecti in varias partes oppoſitas. Sed Gratia non poteſt à voluntate verſari, ſeu flecti in varias partes, *v. g.* in bonum vel malum; nam Gratia per ſe determinata eſt duntaxat ad bonum, quamvis impedibiliter. Igitur ſecundùm nos, Gratia etiam efficax eſt ex ſe repudiabilis, ſed non eſt verſatilis, nec indifferens; cùm ex ſe non ſit determinata, niſi ad bonum, nec liberum arbitrium moveat ac corroboret, niſi ad bonum. Quare repudiamus has voces à libertatis humanæ hoſtibus, & Gratiæ neceſſitantis patronis inventas & uſurpatas, ut veram Chriſti Gratiam in contemptum adducerent, Gratiamque neceſſitantem à ſe confictam commendarent.

Obj. 3. In noſtro ſyſtemate conſenſus ſalutaris eſt in noſtra poteſtate. Ergo non eſt opus eum petere à DEO. Ergo, &c.

Reſp. Diſt. ant. Conſenſus ſalutaris eſt in noſtra poteſtate, ſuppoſita Gratia prævenient gratis data, *conc. ant.* Sine Gratia prævenient gratis data, *nego ant. & conſeq.* Igitur debemus à DEO petere conſenſum ſalutarem; quia non poſſumus illum habere, nec in ullum opus ſalutare conſentire, niſi DEUS prævenial, excitet & compleat voluntatem *ad conſentiendum*: nec reipſa unquam in ullum opus ſalutare conſentimus, niſi DEUS prævenial, excitet & corroboret voluntatem, quomodo ſcit ei congruere, ut conſentiat. Quare petimus à DEO non ſolùm Gratias ſufficientes, ſed etiam congruas & efficaces, quæ ab illo ſolo pendent.

Obj. 4. Gratia efficax eſt à ſe & ab intrinſeco efficax. Ergo non eſt repudiabilis.

Reſp. 1. Nomen Gratiæ à ſe efficacis neque in Scriptura, neque in Conciliis, neque in Patribus, neque apud veteres Theologos reperitur. Sed illud prior uſurpavit Calvinus, l. 2. inſtit. c. 3. quo nomine deſignat Gratiam neceſſitantem.

Reſp. 2. *Diſt. ant.* Gratia eſt à ſe & ab intrinſeco efficax, id eſt, habet à ſe, non à voluntate creata, totam virtutem producendi

di effectum, ad quem datur, *conc. antec.* Nam Gratia efficax habet à se sola totam virtutem producendi effectum, nec ullam accipit à voluntate creata, quæ solùm potest ei resistere. Id est, habet à se & ex natura sua infallibilem connexionem cum effectu, ad quem datur, *nego ant.* Nam Gratia efficax non est Gratia necessitans, ùt Fide constat ex Scriptura & Traditione. At Gratia se tenens ex parte actus primi, quæ ex natura sua habet necessariam & infallibilem connexionem intrinsecam cum consensu voluntatis, est Gratia necessitans; nam ea posita, antecedenter ad omnem usum libertatis prævisum, & priùs natura, quàm voluntas agat, repugnat simpliciter non poni consensum: ac proinde impossibile est, impossibilitate intrinseca, & antecedente omnem usum libertatis creatæ etiam prævisum, ut voluntas non consentiat. Ergo Gratia efficax non habet ex natura sua infallibilem & necessariam connexionem cum consensu voluntatis.

Item sic *disting. antec.* Gratia est efficax à se seu ab intrinseco, si efficacia sumatur pro congruitate, *conc. ant.* Nam Gratia est congrua ab intrinseco & ab entitate sua. Si efficacia sumatur pro infallibilitate, *nego ant.* Nam Gratia suam infallibilitatem habet à scientia DEI, à qua sola Sanctus Augustinus eam repetit.

Itaque Gratia est efficax per se, seu à se & ab intrinseco in duplici sensu. 1. In hoc sensu, quòd habet per suam entitatem, ab intrinseco & ex natura sua totam virtutem, qua effectum suum producit, nec ullam virtutem accipit à voluntate creata: nec est efficax à consensu voluntatis. 2. In hoc sensu, quòd sit congrua per suam entitatem & ab intrinseco. Hinc tota Gratiæ efficacia est à solo DEO, nempe ab ejus omnipotentia producente Gratiam congruam, & ejus Scientia dirigente, & Gratiæ congruæ dante infallibilitatem absolutam.

Imò Gratia efficax dici potest esse Gratia congrua, ùt subsans præscientiæ DEI, & decreto gratuito, eam dandi: & sic sumpta est simpliciter efficax à se, & per suam entitatem, non quidem absolutè, sed relativè ad præscientiam DEI & decretum eam dandi. Quare denominatio efficacis est adæquatè intrinseca Gratiæ, non quidem absolutè consideratæ, sed relativè ad DEI præscientiam, & decretum eam dandi.

Porro falsum est, quòd Doctrina Societatis JESU omnino rejiciat nomen Gratiæ per se efficacis. Nam Patres Societatis ad quæstionem eis jussu Clementis VIII. inter alias propositam responderunt: *Divina prædestinatio est causa efficiens actuum humanorum, qui ad justificationem sunt requisiti, mediantibus divinæ Gratiæ auxiliis efficacibus quidem, ùt à DEO sunt, atque ita de se, ut non excludatur, respectus ad liberum arbitrium.* Congruitas autem Gratiæ, licèt intrinseca, habet respectum ad liberum arbitrium.

Nota. Secundùm nos Gratia efficax duo dicit: nempe congruitatem, & infallibilitatem. Congruitatem ex se habet: infallibilitatem verò ex scientia DEI. Igitur in nostro systemate Gratia est efficax formaliter partim à se, partim à scientia DEI, nullatenus verò à voluntate humana: efficienter verò à DEO solo.

Dices 1. Gratia efficax est infallibilis independenter à Scientia media. Ergo ex se habet infallibilem connexionem cum suo effectu. *Nego ant. Probabis.* Gratia efficax, ideoque infallibiliter inferens consensum voluntatis, est objectum Scientiæ mediæ. Ergo est infallibilis independenter à Scientia media: quippe quæ supponit objectum suum.

Resp. Dist. ant. Gratia efficax est objectum Scientiæ mediæ reflexum, *conc. antec.* Directum, *neg. ant. & conseq.* Actus salutaris liberè futuribilis sub conditione talis Gratiæ, ratione priùs, quàm cognoscitur per Scientiam mediam, & prout ad illam præsupponitur, est tantùm fallibiliter futuribilis: ideoque per illam cognoscitur directè ùt futuribilis fallibiliter tantùm: & consequenter Gratia congrua, prout est objectum directum, quod præsupponitur Scientiæ mediæ, non est absolutè infallibilis. At Actus salutaris ratione posteriùs, quàm

per

per Scientiam mediâ cognoscitur, est certò & infallibiliter futuribilis sub conditione talis Gratiæ: quatenus supposito, quòd DEUS cognoscat aliquid liberè futuribile sub aliqua conditione, tam repugnat illud non esse liberè futuribile sub illa conditione, quàm repugnat DEUM falli in sua cognitione. Unde pro hoc posteriori signo rationis per eamdem illam Scientiam reflexè cognoscitur ùt futuribile summa infallibilitate.

Itaque Scientia media cognoscit directè Gratiam congruam habituram esse effectum infallibiliter: reflexè verò cognoscens se ipsam, reflexè cognoscit illam certò & infallibiliter habituram esse effectum, si detur. Unde Gratia efficax non habet absolutam infallibilitatem, nisi à Scientia media, ùt reflexè cognoscente se ipsam: & sic Gratia adæquatè efficax est objectum Scientiæ mediæ ùt reflexè cognoscentis, præsupponens Scientiam jam attigisse ejus effectum.

Dices. 2. Sanctus Augustinus docuit Gratiam esse à se efficacem in hoc sensu, quòd ex se & ex natura sua infallibilem habeat connexionem cum effectu suo. Ergo.

Resp. Neg. ant. Nam ex Sancto Augustino Gratia efficax non necessitat voluntatem, & est de se repudiabilis; cùm voluntas possit ei resistere. Ergo ex Sancto Doctore non habet ex natura sua infallibilem cum consensu voluntatis connexionem. Præterea Sanctus Augustinus infallibilitatem Gratiæ efficacis & prædestinationis repetit à DEI præscientia, non ex natura ipsius Gratiæ. Nam lib. de corrept. & Grat. c. 9. prædestinatos vocat *prudentissima dispositione præscitos.* Et lib. 1. ad Simplic. q. 2. Gratiam efficacem dicit esse eam, quam DEUS præscit congruere voluntati. *Cujus misereatur,* inquit, *sic eum vocat, quomodò scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Ubi S. Doctor certitudinem & infallibilitatem effectus Gratiæ repetit, non ex natura ipsius Gratiæ sed ex præscientia consensus dandi ab homine, si certo modo vocetur, Item lib. de bono persever. c. 17. sic ait: *Ista igitur sua dona quibuscunque DEUS donat, procul dubio se donaturum esse præscivit, & in sua præscientia præparavit.... Namque in sua, quæ falli mutarique non potest, præscientia, opera sua futura disponere, id omnino, nec aliud quidquam, est prædestinare.* Per præscientiam illam non intelligit Scientiam visionis, in qua opera sua non disponit, sed videt duntaxat; nam priùs est illa disponere, quàm ea absolutè futura videre. Jam verò Sanctus Doctor infallibilitatem ac certitudinem operum salutarium & Gratiæ à præscientia divina non petiisset, si sensisset Gratiam ex natura sua esse cum effectu, ad quem datur, infallibiliter connexam. Sic infallibilitas combustionis ex natura ignis applicati materiæ combustibili non ab extrinseco petitur; quia ignis ex natura sua comburit necessariò. Ergo à contrario si, &c.

Obj. 5. In nostro systemate Gratia est efficax à consensu voluntatis.

Resp. Neg. Nam secundùm nos Gratia efficax est efficax priùs saltem natura, quàm voluntas ei consentiat, ideoque quàm sit consensus. Nam voluntas non vult bonum salutare, nec consentit Gratiæ, nisi quia priùs natura à Gratia movetur, quomodo illi congruit, ut consentiat: & priùs, saltem natura, quàm voluntas consentiat, verum est, illam moveri à Gratia, quomodo ei congruit, ut consentiat. Unde voluntas non tribuit Gratiæ prævenienti efficaciam, ei consentiendo. Enim verò DEUS dans Gratiam congruam, quam prævidit habituram effectum, si detur, eo ipso dat Gratiam efficacem; nam dat Gratiam certò & infallibiliter connexam cum consensu voluntatis.

Dices 1. In nostro systemate Gratia ut sit efficax, pendet à consensu voluntatis. Ergo.

Resp. Neg. ant. Itaque secundùm nos efficacia Gratiæ non pendet a consensu voluntatis absolutè futuro vel existente. Nam Gratia priùs natura movet, & quidem infallibiliter voluntatem, quomodo ei congruit, quàm consentiat: ac proinde priùs natura futurum est, ut Gratia infallibiliter moveat voluntatem, quomodo ei congruit, quàm futurum sit, ut consentiat. Imò consensus

ſalutaris dependet dependentia propriè dicta à Gratia efficaci ùt efficaci, cùm ſit ejus effectus; nam effectus pendet à ſua cauſa, non cauſa ab effectu. Igitur Gratia efficax connotat quidem, infert infallibiliter conſenſum ſalutarem ùt effectum ſuum à ſe dependentem, & eum eo infallibiliter connexa eſt, ſed non pender ab illo. Nam ſecundùm nos Gratia efficax eſt ea, quam DEUS dat voluntati, quomodo ſcit ei congruere, ut conſentiat: & ſic infallibiliter infallibilitate ſumma infert conſenſum voluntatis, ut effectum ſuum à ſe prorſus dependentem.

Neque etiam Gratia efficax pendet à conſenſu voluntatis conditionatè futuro ſeu futuribili; quia Gratia, qua ſuppoſita exiſtere, conſenſus eſt futuribilis, natura priùs congrua eſt in illo ſtatu, quàm conſenſus ſit futuribilis; nam conſenſus non eſt futuribilis, niſi quia ſupponitur Gratiam natura priùs movere voluntatem, ſicut ei congruit.

Dices. 2. Prius eſt conſenſum voluntatis eſſe futurum ſeu futuribilem ſub conditione, quàm Gratiam eſſe efficacem. Ergo.

Reſp. Diſt. ant. Prius eſt prioritate ſuppoſitionis, *conc. ant.* Prioritate naturæ & cauſalitatis, *nego ant.* Nam conſenſus voluntatis futurus ſub conditione nullam exercet cauſalitatem in Gratiam, ſicut nec in Scientiam.

Dices 3. Secundùm nos voluntas poteſt non conſentire Gratiæ, & ſi non conſentiret, Gratia non eſſet efficax. Ergo Gratia eſt efficax à conſenſu voluntatis.

Reſp. Nego conſeq. Nam ex antecedente ſequitur tantùm, Gratiam efficacem, ùt efficacem, eſſe infallibiliter connexam cum voluntatis conſenſu, ita ut verum eſſe non poſſit Gratiam eſſe efficacem, quin verum quoque ſit *voluntatem eſſe conſenſuram*, ſi detur: & viciſſim verum eſſe non poſſit voluntatem eſſe conſenſuram, quin verum quoque ſit Gratiam eſſe efficacem. Sed prima veritas eſt natura prior altera.

Dices 4. Secundùm nos voluntas poteſt impedire efficaciam Gratiæ, non conſentiendo: ſicut poteſt eam non impedire conſentiendo. Ergo pendet à voluntate, ut Gratia ſit, vel non ſit efficax.

Reſp. Nego conſeq. Quia voluntas in hoc ſolùm poteſt impedire Gratiæ efficaciam, quòd poteſt non conſentire, & ſi non conſentiret, Gratia non eſſet efficax. At non ideo Gratia efficax pendet à voluntate; quia pendere proprie loquendo, eſt proprium effectus reſpectu ſuæ cauſæ. Efficacia autem Gratiæ non eſt effectus voluntatis cõſentientis. Nam Gratia efficax eſt efficax ſaltem natura priùs, quàm voluntas conſentiat; nam ſaltem natura priùs eſt Gratiam movere voluntatem, quomodo ei congruit, ut conſentiat, quàm voluntatem conſentire.

Dices 5. In noſtro ſyſtemate voluntas tribuit Gratiæ aliquam efficaciam, & facit, ut ſit operatura. Ergo.

Reſp. Nego ant. Nam in Gratia efficaci hæc ſolùm requiruntur: nimirum virtus producendo effectui idonea, ſpecialis congruitas, & infallibilitas. Sed Gratia nil horum habet à voluntate. Nam Gratia ex ſe habet virtutem producendo effectui idoneam, quæ per propriam virtutem operatura eſt; nec ullam vim, ullum influxum accipit à voluntate: eſt à ſe congrua, quamvis præſuppoſitis certis circumſtantiis ei extrinſecis: denique infallibilitatem habet à Scientia media, ſub cujus directione datur. Igitur voluntas nullatenus cauſat efficaciam Gratiæ: ſed Gratia efficax eſt totaliter efficax independenter à voluntate creata: & ſuam efficaciam habet formaliter partim à ſe, partim à Scientia media: efficienter à ſolo DEO.

Dices 6. Gratia eſt efficax, quia conſenſus voluntatis eſt futuribilis, ſeu futurus ſub conditione talis Gratiæ. Ergo.

Reſp. Diſt. ant. Si per tò *quia* intelligatur mera connexio vel præſuppoſitio, *conc. ant.* Si per tò *quia* intelligatur cauſalitas vel dependentia, *nego ant. & conſeq.* Dixi, *vel præſuppoſitio;* quia Gratia efficax ùt efficax cõſenſum voluntatis conditionatè futurum ſeu futuribilem præſupponit tanquam objectum Sci-

Scientiæ mediæ, ſub cujus directione datur, & à qua ſuam infallibilitatem habet.

Dices 7. Sine conſenſu voluntatis ùt futuribili Gratia non eſt efficax. Ergo.

Reſp. Sine conſenſu ùt futuribili, quem Gratia efficax importat ùt terminum & effectum à ſe dependentem, Gratia non eſt efficax: ſed ab illo conſenſu nullam virtutem & efficaciam mutuatur.

Porro Gratia efficax dicit quidem ordinem ad conſenſum voluntatis conditionatè futurum, ſed duntaxat ùt ad *connotatum* à ſe dependens. At non includit conſenſum voluntatis, ùt eo ſtitutivum aliquod, aut complementum intrinſecum efficaciæ Gratiæ.

Dices 8. Infallibilitas Gratiæ dependet à conſenſu futuribili. Ergo & efficacia Gratiæ.

Reſp. Nego ant. Quia Gratiæ congruæ infallibilitas ratione tantùm, non natura poſterior eſt conſenſu futuribili ùt futuribili: nec magis dependere poteſt ab illo conſenſu, quàm ipſa Scientia media, cujus eſt effectus formalis. Scientia autem media non dependet propriè ab objecto, ſed ſolùm illud ſupponit, perinde ac Scientia ſimplicis intelligentiæ, &Scientia viſionis, quæ objectũ ſuum neceſſariò ſupponunt, non faciunt, ita ut non niſi eo præſuppoſito eſſe nequeant.

Dices 9. Secundùm nos Gratia eſt efficax, ſi voluntas conſentiat: & inefficax, ſi voluntas non conſentiat.

Reſp. Hoc in omni ſyſtemate æquè dici poteſt: & verum eſt, ſed à poſteriori tantùm; nam ex actuali conſenſu, vel non conſenſu rectè colligitur efficacia, vel inefficacia Gratiæ. Efficacia enim Gratiæ conſenſum voluntatis ùt natura poſteriorem poſitivè cauſat, ideoque natura præcedit: & inefficacia Gratiæ non conſenſum negativè cauſat ideoque natura prior eſt.

Nota. Gratia efficax & Gratia efficiens non ſunt prorſus idem, ſed diverſas habent notiones, & inter ſe differunt, ſicut actus primus differt ab actu ſecundo. Nam Gratia efficax dicitur, & eſt efficax, antequam producat effectum, & detur: Gratia enim efficax eſt ea, quæ certò & infallibiliter habitura eſt effectum, ſi detur, unde ſuam denominationem habet antecedenter ad effectum abſolutè exiſtentem, & antequam detur. Gratia verò efficiens eſt ea, quæ actu producit conſenſum voluntatis.

Unde licèt omnis Gratia efficiens ſit etiam efficax; nam de omni Gratia producente effectum, verum eſt dicere antequam agat, & detur: *infallibiliter habitura eſt effectum, ſi detur*: non tamen omnis Gratia efficax eſt efficiens; quia non omnis Gratia efficax applicatur voluntati. Nam DEUS habet in ſua poteſtate Gratias efficaces plures & plures in infinitum, quibus ſalvaret omnes homines, ſi eas daret: & tamen illæ Gratiæ non producunt ſuum effectum; quia non dantur ſeu applicantur voluntati. Sic ignis eſt cauſa efficax ad comburendam paleam: at non eſt cauſa efficiens combuſtionis paleæ, niſi actu applicetur paleæ. Porrò Gratia efficiens realiter ſumpta eſt Gratia excitans & adjuvans conſiderata ùt actu operans conſenſum voluntatis. Gratia verò efficax eſt efficax in actu primo ſpectata.

Obj. 6. DEUS ut det Gratiam efficacem, ſecundùm nos, debet expectare & explorare tempus congruum, & alias circumſtantias congruas; nam aliquæ ſunt ita incongruæ, ut DEUS in illis non poſſit hominem efficaciter movere ad conſenſum.

Reſp. Nego. Nam ſecundùm nos nullum eſt tempus, nullæ circumſtantiæ ſunt, in quibus DEUS non poſſit hominem movere, quomodo ei congruit, ut conſentiat. DEUS enim utpote infinitè potens & ſapiens, non poteſt non habere innumeras Gratias, quibus quemlibet hominem quovis tempore, & in quibuſvis circumſtantiis moveat, ſicut ei congruit, ut conſentiat. Quare nullum tempus incongruum, nulla circumſtantia incongrua eſſe poteſt reſpectu DEI; nam tempus, quod incongruum eſt reſpectu hujus Gratiæ, non eſt, nec poteſt eſſe reſpectu multarum aliarum Gratiarum, quas DEUS dare *poteſt in iiſdem circumſtantiis.*

Dices. Saltem DEUS ſecundùm nos in danda tali Gratia efficaci, attendit ad genium, indolem, mores, & alias circumſtantias.

Resp. Attendit ad ista ex suavitate suæ providentiæ, nimirùm ut hominem moveat, quomodo ei congruit, ut consentiat, salva ejus libertate.

At inquies. Ergo DEUS explorat genium, indolem, &c.

Resp. Neg. Nam explorare est cum sollicitudine & anxietate quadam investigare. At DEUS non investigat cum labore & anxietate, imò non investigat, nec inquirit, sed uno simplici intuitu sine inquisitione ac investigatione ab æterno clarè & distinctè cognoscit, quidquid à quavis creatura fieret, vel non fieret sub quacumque conditione possibili ad rem pertinente. Nam divinus intellectus ex sua infinita perfectione per se completus ac determinatus est ad cognoscendum omne cognoscibile, hoc ipso quòd est cognoscibile, ideoque omnes actus liberos creaturarum etiam possibilium futuribiles in quavis hypothesi possibili.

Obj. 7. Secundùm nos pendet ab homine, ut habeat, vel non habeat Gratiam efficacem.

Resp. Nego. Nam Gratia efficax secundùm nos est Gratia, quam DEUS dat, quomodo scit congruere voluntati, ut consentiat. At non est in potestate hominis, ut accipiat vel non accipiat Gratiam, quomodo DEUS scit ei congruere, ut consentiat: sed hoc à solo beneplacito DEI pendet, qui cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat. *Cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.* Cujus verò non miseretur, speciliter scilicet & efficaciter, non sic eum vocat, quomodò scit ei congruere, sed solùm vocat, quomodò scit ei sufficere, ut vocantem non respuat, sed sequatur.

Dices 1. Secundùm nos homo potest reddere efficacem vel inefficacem Gratiam, quam accipit. Ergo pendet, &c.

Resp. Neg. ant. Nam licèt homo possit consentire vel dissentire Gratiæ, quam accipit, non ideo potest illã reddere efficacem consentiendo, vel inefficacem dissentiendo. Quia homo Gratiæ acceptæ nil potest tribuere consentiendo, nec detrahere dissentiendo. Et quia Gratia ante consensum vel dissensum, sed spectato solo actu primo, est efficax vel inefficax; nam Gratia est natura priùs congrua, quàm homo consentiat, & natura priùs incongrua, quàm dissentiat.

Itaque consensus hominis semper supponit existentiam Gratiæ congruæ; cùm hæc sit causa consensus voluntatis: & dissensus semper supponit Gratiam incongruam seu non congruam, quæ est causa negativa dissensus voluntatis, quatenus non efficit consensum illius, seu non movet voluntatem, quomodò ei congruit, ut consentiat: Quare homo non consentit Gratiæ, nisi natura priùs acceperit Gratiam congruam: nec dissentit, nisi natura priùs acceperit Gratiam incongruam.

Dices 2. Saltem Gratia debet suam efficaciam voluntati ùt non impedienti.

Resp. Nego. Imò voluntas debet Gratiæ, quòd non impediat ejus effectum. Nam debet Gratiæ, quòd consentiat; Gratia enim facit, ut consentiat.

Voluntas quippe non vult nec velle potest bonum salutare, nisi per vires à Gratia priùs saltem natura acceptas, ac proinde voluntas debet Gratiæ, quòd non impediat ejus effectum, ei dissentiendo.

Dices 3. DEUS dat Gratiam efficacem, quia prævidet consensum voluntatis futurum sub conditione talis Gratiæ.

Resp. Nego. Nam DEUS ad dandam Gratiam efficacem non movetur per ullam Scientiam: sed solùm per Scientiam mediam dirigitur, ut det voluntati Gratiam congruam, quando gratuitò vult efficaciter, ut voluntas consentiat, daturus aliam Gratiam, si non hanc, sed aliam prævideret ita congruere voluntati, ut consensura sit, si detur. Igitur DEUS ex sola sua misericordia ac benignitate movetur ad dandam Gratiam efficacem, licèt cognitio consensus futuribilis eum dirigat ad eligendam hanc Gratiam, quam præscit habituram effectum, si detur.

Nota. DEUS non expectat consensum nostrum, ut det Gratiam concomitantem seu adjuvantem. Nam eo ipso, quòd gratis dat Gratiam prævenientem, est determinatus

tus ad dandam Gratiam adjuvantem, nisi voluntas resistat Gratiæ prævenienti: alioqui inutilis esset Gratia. Quare DEUS ex sola misericordia & benignitate offert & confert Gratiam adjuvantem, nisi voluntas impedimentum apponat.

Obj. 8. Secundùm nos Gratia est subjecta libero arbitrio.

Resp. Neg. Imò verò secundùm nos Gratia efficax liberum arbitrium sibi subjicit, illud præmovendo, sicut congruit illi, ut consentiat, illudque ad consentiendum applicando: quamvis illud ita sibi subjiciat, ut illud non determinet, sed ei relinquat facultatem expeditam dissentiendi. Enim verò secundùm nos Gratia efficax est causa superior, principalis, præmovens, corroborans & applicans: voluntas verò est causa inferior, subalternata, instrumentalis, & dependens. Sed causa inferior, subalternata, instrumentalis & dependens, subjecta est necessariò causæ superiori, principali, subalternanti & applicanti. Ergo secundùm nos voluntas est subjecta Gratiæ efficaci.

Obj. 9. *Secundùm nos Gratia efficax est* necessaria ad agendum bonum salutare: & aliunde non est in nostra potestate eam habere. Ergo justus violans præceptum, habet veram impotentiam illud servandi: quod fidei repugnat.

Resp. Dist. ant. Gratia efficax ad bonum agendum necessaria est propter connexionem alicujus veritatis cum alia veritate: quatenus nempe verum esse nequit, quòd homo agat bonum salutare, nisi saltem natura priùs verum sit eum accepisse Gratiam efficacem, *conc. ant.* Gratia efficax ad bonum agendum necessaria est propter virtutem aliquam, quam Gratiæ merè sufficienti superaddat, & quæ tamen necessaria sit ad bonum salutare volendum & agendum, *nego ant.* Nam justus, qui præceptum violat, ideoque caret Gratia efficaci, habet omnia necessaria ad illud servandum, vel est in ejus potestate, ut habeat orando.

Vel si vis, sic *disting.* Gratia efficax est necessaria ad agendum bonum, id est, sine Gratia efficaci numquam fit bonum salutare, *concedo.* Sic revera communiter loquuntur homines asserendo, aliquid esse necessarium ad aliud, quando sine illo istud aliud numquam fit. Sic rheda dicitur ad iter faciendum necessaria ei, qui sine illa numquam iter facit, licèt sine illa facere posset. Id est, sine Gratia efficaci non potest fieri bonum salutare, *nego.* Nam fieri potest cum Gratia merè sufficienti.

Dices. 1. Quod requiritur ad agere, requiritur etiam ad posse agere. Ergo.

Resp. Disting. ant. Quod requiritur ad agere propter virtutem aliquam superadditam, sine qua impossibilis est actio, requiritur etiam ad posse agere, *conc. ant.* Quod requiritur ad agere præcisè propter connexionem unius veritatis cum alia, requiritur etiam ad posse agere, *nego ant.* Secundùm adversarios Gratia efficax requiritur ad agere propter virtutem aliquam actioni præviam, quam habet, & qua caret Gratia merè sufficiens, & sine qua tamen repugnat actus salutaris. Quod autem sic requiritur ad agere, requiritur etiam ad posse agere, ita ut, qui illo caret, dici non possit habere veram potentiam agendi; nam ille non habet veram potentiam agendi, qui non habet, nec est in ejus potestate, ut habeat virtutem aliquam prævium, sine qua repugnat actio. At secundùm nos Gratia efficax non est ita necessaria propter ejusmodi virtutem, sed solùm propter connexionem unius veritatis cum alia veritate: ita ut sine Gratia efficaci esse possit, quidquid virtutis requiritur ad agendum, & consequenter sine Gratia efficaci potest esse potentia completa agendi bonum salutare, & reipsa est hæc potentia cum Gratia merè sufficienti.

Dices 2. Secundùm nos Gratia merè sufficiens est Gratia incongrua. Ergo non dat verum & completum posse.

Resp. Secundùm nos Gratia merè sufficiens *est incongrua negativè*, hoc est, *non* congrua specialiter. At Gratia non congrua specialiter dat verum & completum posse; quia incongruitas illa negativa Gratiæ non consistit in carentia virtutis alicujus ad agendum

dum neceſſariæ, ſed ſolùm in negatione cujuſdam convenientiæ ſeu contemperationis cum voluntate, ſine qua tamen voluntas poteſt habere completam potentiam agendi bonum, licèt ſine illa nunquam verum ſit voluntatem velle & agere bonum ſalutare. Quæ congruitas ſeu convenientia conſiſtit ſolùm in modo excitandi & movendi voluntatem, ſine quo voluntas in talibus circumſtantiis non volet, nec aget bonum, quamvis poſſit illud velle & agere.

Obj. 10. Ex doctrina noſtra ſequitur, non repugnare abſolutè ex natura rei & metaphyſicè loquendo, eſſe aliquem hominem, quem DEUS de potentia abſoluta ſalvare non poſſit. Abſurdum *conſeq.* Ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Nam abſolutè repugnat, DEUM omnipotentem & infinitè ſapientem non habere innumera media, quibus certò & infallibiliter quoslibet homines in quavis circumſtantia permoturus ſit ad bonum liberè volendum & agendum. *Probabis ſequelam maj.* Ex natura rei non repugnat dari hominem, qui reſiſtat omnibus Gratiæ auxiliis de ſe repudiabilibus. Ergo.

Reſp. Nego ant. Nam ſimpliciter & abſolutè repugnat, ut voluntas humana, quæ ex natura ſua maximè mobilis & inclinabilis eſt in varias partes, poſſit potentia reducenda ad actum reſiſtere omnibus mediis, quibus DEUS poteſt illam allicere in quavis circumſtantia. DEI enim omnipotentia eſt in omni genere infinita & inexhauribilis: ac proinde eſt infinita & inexhauribilis in genere mediorum efficacium, quibus obtineat liberum conſenſum cujuslibet voluntatis. Ergo ſaltem ex parte omnipotentiæ repugnat, ut DEUS non habeat innumera media convertendi & ſalvandi quoſvis homines per actus meritorios in quavis circumſtantia ſeu hypotheſi poſſibili, illæſa eorum libertate, proindeque obtinendi eorum liberum conſenſum. Sed talia media ſunt media ex natura ſua repudiabilia, quibus tamen voluntas reipſa conſentiat; nam ſi illa media eſſent ex natura ſua irrepudiabilia, tollerent libertatem conſenſus; voluntas enim non poſſet ea repudiare, ideoque iis diſſentire, ſed neceſſariò conſentiret. Ergo abſolutè repugnat, ut DEUS non habeat innumera media ſalutis ex ſe repudiabilia, quibus voluntas cujuſvis hominis in quavis circumſtantia poſſibili reipſa conſentiat, nec poſſit iis reſiſtere potentia ad actum reducenda, ſed reducibili tantùm. Et verò voluntatis reſiſtentia non eſt infinita, omnipotentia verò DEI eſt infinita, & habet in ſuis theſauris Gratias plures & plures, majores & majores in infinitum.

Porro noſtra ſententia longè magis commendat omnipotentiam & ſapientiam DEI; nam hæ longè perfectiùs elucent in procuranda ſalute hominis per media ex ſe repudiabilia, quàm per media ex natura ſua irrepudiabilia, ideoque neceſſitantia.

Dices 1. Si media illa ſunt ex ſe repudiabilia, voluntas poteſt abſolutè illa repudiare.

Reſp. Poteſt potentia reducibili tantùm, at non poteſt omnia illa media repudiare potentia ad actum reducenda; neque enim libertas hominis poteſt exhaurire omnipotentiam DEI, nec potentia finita infinitam potentiam vincere poteſt. Unde hoc repugnat ex parte omnipotentiæ.

Dices. 2. Si homo poteſt reſiſtere quibuslibet Gratiis potentia reducibili tantùm, fieri poteſt, ut DEUS non poſſit illum convertere.

Reſp. Nego. Itaque ut repugnet DEUM non poſſe convertere hominem ſalva ejus libertate, non requiritur, ut homo non poſſit reſiſtere Gratiis potentia reducibili tantùm; alioqui non poſſet illum convertere illæſa libertate: ſed ſufficit, ut homo quamvis cuilibet Gratiæ reſiſtere poſſit potentia reducibili tantùm, tamen non poſſit potentia reducenda ad actum. Nam hoc ipſo, quòd homo non poteſt potentia reducenda ad actum reſiſtere omni Gratiæ poſſibili, & repugnat, ut reipſa reſiſtat omni Gratiæ, qua poteſt moveri à DEO, hoc ipſo repugnat, quòd DEUS non poſſit illum convertere & ſalvare, illæſa ejus libertate.

Nota. Quòd abſolutè repugnet inter omnes Gratias poſſibiles, ex ſe repudiabiles, non

non esse plures respectu cujuslibet hominis, quæ repudiari ita possint potentia ad actum reducibili, ut tamen reipsa non sint repudiandæ, si DEUS illas dare velit, est veritas *necessaria*, ideoque objectum Scientiæ simplicis intelligentiæ. At, quòd hæc Gratia potius quam illa repudiari ita possit ab homine potentia reducibili ad actum, ut tamen reipsa non sit repudianda, si detur, est veritas contingens, ideoque objectum Scientiæ mediæ. Item, absolutè repugnat, ut non sint aliqui actus liberè futuribiles in quavis circumstantia possibili per aliquod medium indeterminatè sumptum, hoc vel illud: ac proinde repugnat, ut non sit aliqua Scientia media: & sic necesse est, ut sit aliqua Scientia media, præscindendo ab hoc vel illo actu liberè futuribili. Scientia tamen media, prout est cognitio talium actuum in particulari futuribilium sub conditione talis medii, non est necessaria, sed contingens scientia. Nam actus liber in particulari ita est futuribilis sub conditione talis Gratiæ, ut possit absolutè non esse futuribilis sub conditione talis Gratiæ determinatè sumptæ; cùm sit liberè futuribilis sub illa.

Dices. Ergo absolutè infallibile est infallibilitate antecedente, quòd voluntas consensura est *alicui Gratiæ indeterminatè* sumptæ.

Resp. Hoc verum est: nec repugnat libertati voluntatis. Nam infallibilitas antecedens aliquorum actuum indeterminatè sumptorum non tollit libertatem ad singulos actus determinatè sumptos. Præterea hæc infallibilitas est circa actus ùt liberè futuros.

Obj. 11. Gratia ex se repudiabilis non potest esse infallibiliter connexa cum consensu voluntatis. Ergo non potest esse efficax.

Resp. Disting. ant. Non potest cum consensu voluntatis esse connexa per se, *conc. ant.* Per aliud, nempe per Scientiam infallibilem ex cujus directione datur, *neg. ant.* Gratia autem efficax habet suam infallibilitatem à Scientia media.

Porro Scientia media, licèt sit quid extrinsecum entitati Gratiæ, quæ dicitur efficax, potest tamen aliquo modo dici, esse quid moraliter intrinsecum Gratiæ efficaci ùt efficaci. Nam Gratia non est completè efficax, *nisi sit absolutè infallibilis*: quam infallibilitatem habet à Scientia media. Gratia enim efficax differt à merè sufficienti non solùm per congruitatem specialem, quam habet à se, sed etiam per infallibilitatem, quam habet formaliter à Scientia media. Unde Scientia media non confert ad efficaciam Gratiæ, dando ei virtutem aliquam, sed solùm infallibilitatem tribuendo.

Dices 1. Quæ non sunt ex se connexa, non possunt infallibiliter connecti se ipsis.

Resp. Possunt connecti se ipsis, non præcisè sumptis, sed prout subsunt Scientiæ certæ & absolutè infallibili. Nam Gratia, quæ à DEO prævidetur expressura liberum consensum, si detur, ùt sic cognita à DEO, habet infallibilem connexionem cum libero consensu voluntatis; absolutè enim repugnat, illam non exprimere consensum, si detur; cùm absolutè repugnet, quamlibet DEI cognitionem falli.

Dices 2. Medium ex se repudiabile, fallibile & contingens, non potest esse absolutè infallibile.

Resp. Dist. Non potest esse absolutè infallibile ratione priùs, *quàm* præsciatur à DEO habiturum effectum, *conc.* Ratione posteriùs, quàm præsciatur habiturum effectum, *neg.* Nam medium, quamvis de se repudiabile, consideratum ùt præscitum habiturum effectum, absoluta infallibilitate est habiturum effectum; nam tam absolutè repugnat, ut non sit habiturum effectum, quàm absolutè repugnat DEI scientiam falli.

Dices 3. Voluntas potest repudiare Gratias de se repudiabiles, quamvis præscitæ sint habituræ effectum. Ergo illæ Gratiæ non sunt absolutè infallibiles, etiam ùt præscitæ, &c.

Resp. Voluntas ejusmodi Gratias repudiare potest potentia ad actum reducibili, sed numquam certò reducenda. Nam DEUS certò & infallibiliter prævidet, tales Gratias posse repudiari, & simul non repudiandas.

Dices. 4. Si homo potest Gratiam efficacem repudiare potentia reducibili, potest supponi illam repudiare. Atqui si hoc supponi potest, non repugnat, talem Gratiam præscitam ùt habituram effectum, reipsa illo carere, &c.

Resp. Nego maj. Nam possibile secundùm se supponi non potest, si jam suppositum sit aliquid cum eo incompossibile & repugnans. Quare non potest supponi homo repudiare Gratiam, si jam supponatur DEUS prævidisse illam Gratiam habituram effectum. Nam si supponatur DEUS prævidisse eam habituram effectum, ùt reipsa supponitur, jam supponi non potest Gratia illa non habitura effectum, si detur: alioqui duo contradictoria supponerentur: nempe quòd Gratia habitura sit effectum; cùm præsupponatur DEUS prævidisse eam habituram effectum: & simul, quòd non sit habitura effectum. Jam verò Gratia congrua, licèt ex se repudiabilis, hoc ipso quòd supponitur esse efficax, supponitur prævideri à DEO ùt habitura effectum, si detur, ideoque jam non potest supponi repudianda. Itaque suppositio de se possibilis fieri non potest, quando jam alia incompossibilis facta est.

Dices 5. Secundùm nos repugnat ad actum reduci potentiam dissentiendi Gratiæ efficaci. Ergo potentia illi dissentiendi non est vera potentia reducibilis ad actum.

Resp. Disting. ant. Repugnat ab extrinseco, seu propter infallibilitatem Scientiæ divinæ, reduci ad actum potentiam dissentiendi Gratiæ efficaci, *conc. ant.* Repugnat ab intrinseco, seu ex natura ipsius Gratiæ, *nego ant. & conseq.* Potentiam dissentiendi Gratiæ efficaci reduci ad actum repugnat tantùm ab extrinseco, nempe propter infallibilitatem præscientiæ, qua voluntas præscitur consensura huic Gratiæ, si detur. Nam suppositâ illa præscientia, tam repugnat potentiam consentiendi non reduci ad actum, proindeque potentiam dissentiendi reduci ad actum, quàm repugnat falli præscientiam DEI. Sed cum hac repugnantia extrinseca remanet vera dissentiendi potentia ad actum reducibilis: imò repugnat illam potentiam non remanere. Nam DEUS per Scientiam mediam præscit, non solùm voluntatem huic Gratiæ consensuram esse, si detur, sed etiam ita consensuram, ut possit ei non consentire; præscit enim, voluntatem ei consensuram esse liberè; ideoque consensuram cum potentia vera dissentiendi ad actum reducibili, numquam tamen certò reducenda.

Nota. Infallibilitas Scientiæ mediæ præsupponit exercitium libertatis in statu conditionato; nam supponit hanc veritatem: *Voluntas consentiet huic Gratiæ, si daretur: consentiet huic Gratiæ, si detur.* Item, hæc infallibilitas facit suppositionem, sub qua repugnat potentiam consentiendi non reduci ad actum cum potentia dissentiendi verè reducibili ad actum; nam illius præscientiæ objectum non est præcisè voluntas consensura huic Gratiæ, sed est voluntas consensura liberè huic Gratiæ, ideoque ita consensura, ut posset non consentire.

Obj. 12. Gratia excitans non efficit consensum voluntatis. Ergo non est Gratia efficax.

Resp. Nego ant. Nam Gratia excitans, ùt excitans efficit consensum voluntatis tum moraliter tum physicè: quatenus voluntatem ad consentiendum inclinat & allicit etiam immediatè & physicè, sicut congruit, ut voluntas consentiat: & quatenus voluntatem adjuvat & corroborat ad consentiendum; nam (ùt ait Conc. Trident. sess. 6. cap. 5.) homo per Gratiam excitantem atque adjuvantem disponitur ad convertendum se, eidem Gratiæ liberè assentiendo & cooperando. Unde eadem Gratia physicè spectata est simul excitans seu præveniens, & adjuvans sub diverso respectu: est præveniens, dum excitat & inclinat ac allicit voluntatem per veram motionem physicam ad consentiendum: est adjuvans, dum voluntatem ad consentiendum adjuvat & corroborat. Gratia tamen præveniens seu excitans non est adæquatè Gratia adjuvans; nam Gratia adjuvans seu concomitans præter Gratiam excitantem ùt perdurantem includit concursum DEI supernaturalem.

Porro

Porro Gratia efficax propriè est Gratia excitans, sed connotans Gratiam adjuvantem sibi certò adjungendam: nec importat Gratiam adjuvantem, nisi velut in obliquo: in quantum scilicet est Gratia, quæ taliter excitat, ut certò sit habitura effectum, & consequenter cui certò sit adjungendum auxilium Gratiæ adjuvantis.

Obj. 13. Secundùm nos Gratia efficax non differt intrinsecè à Gratia merè sufficienti, sed tantùm extrinsecè.

Resp. Nego. Nam Gratia efficax consistit in speciali congruitate, qua caret Gratia merè sufficiens. Hæc autem specialis congruitas consistit in eo, quòd Gratia sit intensior, vel talis speciei.

§. V.

Solvuntur Objectiones à congruitate petitæ.

Obj. 1. Secundùm nos Gratiæ congruitas est à nobis, non à Gratia.

Resp. Nego. Nam specialis congruitas, in qua partialiter consistit efficacia Gratiæ, est quid merè intrinsecum Gratiæ, præsuppositis talibus circumstantiis ei extrinsecis. Congruitas enim Gratiæ est id, vi cujus verum est dicere, quòd voluntas consentiet tali Gratiæ in talibus circumstantiis. Sed id, vi cujus verum est dicere, quòd voluntas consentiet Gratiæ in talibus circumstantiis, est quid merè intrinsecum Gratiæ. Ergo congruitas est quid merè intrinsecum Gratiæ, *Prob. min.* Id, vi cujus verum est dicere, quòd voluntas in talibus circumstantiis consentiet huic Gratiæ, & non consentiret alteri, est, *quia Gratia*, cui *consentit*, vel est magis intensa, quàm altera, cui non consentiret: *vel quia est in tali specie*, v. g. est motus amoris potiùs, quàm timoris, aut è contra: *vel quia est simul talis speciei & talis intensionis.* Nam non potest esse verum, quòd voluntas ex duabus Gratiis solo numero differentibus, uni consentiet & alteri dissentiet in iisdem circumstantiis: siquidem voluntas non potest ex duabus Gratiis solo numero differentibus unam discernere ab alia, ut unam alteri anteponat: nec potest esse voluntati motivum unam anteponendi alteri. Atqui quòd Gratia sit intensior, vel sit talis speciei, vel sit simul talis speciei & talis intensionis, est aliquid merè intrinsecum Gratiæ. Ergo id, vi cujus ex parte causæ efficientis verum est dicere, quòd voluntas consentiet huic Gratiæ, est aliquid merè intrinsecum Gratiæ.

Paulò aliter. Congruitas Gratiæ est quædam Gratiæ contemperatio seu convenientia cum voluntate taliter dispositа, sive certus modus ita movendi voluntatem in talibus circumstantiis, ut reipsa voluntas ei consentiat. Atqui illa contemperatio, convenientia, seu certus ille modus movendi voluntatem, quem non habet quælibet alia Gratia, cui voluntas in iisdem circumstantiis dissentiet, est aliquid merè intrinsecum Gratiæ. Ergo congruitas Gratiæ est quid merè intrinsecum Gratiæ. *Prob. min.* Illa contemperatio, certus ille modus movendi voluntatem ita ut consentiat, consistit in eo, quòd *vel Gratia sit intensior, vel in* tali specie, v. g. sit motus timoris potiùs quàm *amoris*, aut *motus amoris potiùs*, quàm timoris: vel quòd sit simul talis speciei & *talis intensionis.* Nam ex duabus Gratiis ejusdem speciei & intensionis ideoque *solo numero differentibus*, una nihil habet, quod non habeat altera: ac proinde Gratiæ, quarum una specialem habet congruitatem, & altera in iisdem circumstantiis non haberet, debent plùs quàm numero differre: nempe debent inter se differre, vel in specie, vel in intensione, vel in utraque. Atqui quòd Gratia sit talis speciei, vel talis intensionis, vel simul talis speciei & intensionis, est quid merè intrinsecum Gratiæ, ùt patet. Ergo.

Hinc 1. omnis Gratia congrua differt intrinsecè ab omni alia Gratia, quæ respectu ejusdem voluntatis non esset congrua; siquidem differt vel in specie, vel in intensione, vel in specie simul & intensione, cùm ab ea plùs quàm numerò differat.

Hinc 2. Gratia congrua differt ab alia non congrua, in virtute movendi vel specificè

ficè diversa vel intensivè majore vel specificè diversa simul, & intensivè majore: v. g. Gratia congrua differt ab alia qualibet, cui voluntas in iisdem circumstantiis non consentiret, differt, inquam, vel quia est motus amoris, & alia est motus timoris, aut è contra: vel quia habet quatuor gradus intensionis, & alia habet tantùm duos aut tres: vel quia est motus amoris, & simul est intensa ùt quatuor, non autem alia.

Dices. 1. Si Gratia congrua dicit aliquam virtutem, quam non dicit Gratia non congrua, Gratia non congrua non erit verè sufficiens. *Falsum conseq.* Ergo.

Resp. Neg. seq. maj. Quia Gratia congrua non dicit aliquam virtutem ad consentiendum necessariam, qua careat Gratia incongrua. Nam Gratia incongrua non movet quidem voluntatem, quomodo illi aptum est, ut consentiat: at illam movet, quomodò ei aptum est, ut possit consentire: nec caret effectu, nisi quia voluntas non vult ei consentire.

Dices 2. Si Gratia sit congrua ab intrinseco, est etiam adæquatè efficax ab intrinseco, ideoque independenter à Scientia media.

Resp. Nego sequel. Quia Gratia præcisè congrua non est adæquatè Gratia efficax; nam Gratia efficax supperaddit Gratiæ congruæ infallibilitatem absolutam. Gratia enim efficax non est duntaxat ea, quæ habitura est effectum: sed est ea, quæ infallibiliter infallibilitate absoluta habitura est effectum; siquidem est medium, quod DEUS adhibet ad exequendum decretum absolutum & efficax, ideoque absolutè infrustrabile. Gratia autem congrua non habet à se infallibilitatem absolutam, cùm sit ex se repudiabilis: sed eam habet à Scientia absolutè infallibili, sub cujus directione datur. Igitur Gratia est congrua ab intrinseco, & infallibilis ab extrinseco, nempe à Scientia divina. Hinc tota efficacia Gratiæ est à solo DEO, nempe ab ejus omnipotentia producente Gratiam congruam, & ejus Scientia dirigente: nullatenus verò à voluntate creata.

Dices 3. Si Gratia congrua dicit majores vires, nempe majorem intensionem, quàm Gratia incongrua, quando ambæ sunt ejusdem speciei, sequitur, objurgationem à Christo factam Judæis præ Tyriis, quòd pœnitentiam non egissent, esse injustam. Nam æquitas objurgationis unius præ alio requirit in utroque æqualia auxilia. *Falsum conseq.* Ergo.

Resp. Disting. sequel. maj. Si Gratia congrua majores vires quàm Gratia incongrua dicit respectu diversorum hominum, sequitur, &c. *conc. maj.* Respectu ejusdem hominis in iisdem circumstantiis positi, *nego maj.* Itaque Judæi à Christo objurgati præ Tyriis non habuerunt minores vires ex parte Gratiæ, quàm habuissent Tyrii, qui cum illis se convertissent. At Gratia data Judæis impœnitentibus, non fuit eis congrua ex parte causæ, quia fuit minùs intensa; nam si fuisset intensior, fuisset congrua. Unde Gratia Judæis data habuit minores vires, quàm Gratia, quæ eis congruebat. E contra Gratia, quæ non fuit congrua Judæis, fuisset congrua Tyriis; quia ei verè consensissent: quæ tamen non fuisset eis congrua, si fuisset minùs intensa. Igitur Gratia, quæ futura fuisset congrua Tyriis, dicit majores vires, quàm Gratia, quæ respectu eorumdem fuisset merè sufficiens: quamvis non dicat majores vires, quàm Gratia merè sufficiens data Judæis.

Dices 4. Ergo fieri potest potentia ad actum reducibili, ut ex duobus hominibus æqualiter quoad corpus & animam dispositis, & æquale auxilium Gratiæ habentibus, unus consentiat & alter non consentiat.

Resp. In hac hypothesi Gratia data Petro consentienti est congrua respectu illius; quia habet talem gradum intensionis, vel est talis speciei; nam si fuisset minùs intensa, aut alterius speciei, non fuisset congrua; cùm ei non consensisset. E contra Gratia data Paulo dissentienti, licèt in ratione auxilii sit æqualis Gratiæ datæ Petro, est tamen incongrua respectu Pauli; quia est minùs intensa, quàm ea, quæ ei congrueret in talibus circumstantiis; nam si ei daretur Gratia intensior, ei consentiret: & sic Gratia

foret

foret ei congrua. Quare Gratia congrua respectu Pauli dicit majores vires, quàm Gratia incongrua respectu ejusdem Pauli in iisdem circumstantiis positi, licèt hæc Gratia incongrua respectu Pauli non habeat minores vires, quàm Gratia, quæ est congrua respectu Petri.

Nota. Igitur Gratia congrua non necessariò differt intrinsecè à non congrua, nisi respectu ejusdem voluntatis in iisdem circumstantiis positæ. Nam ex duabus Gratiis solo numero differentibus una potest esse congrua in uno homine, & altera non esse congrua in alio, etiam in iisdem planè circumstantiis; hoc enim non repugnat, cùm sint duæ voluntates liberæ, realiter inter se distinctæ.

Obj. 2. Nostra sententia non differt à systemate delectationis intensioris, necessitantis physicè vel moraliter.

Resp. Nego. Nam in illo systemate efficacia Gratiæ constituitur in Gratia intensiore relatè ad motum concupiscentiæ, quæ juxta Jansenium physicè, juxta alios moraliter determinat voluntatem ad consentiendum. At secundùm nos non efficacia Gratiæ adæquatè sumpta, sed ejus congruitas consistit vel in tali specie Gratiæ vel in intensione majore, non relatè ad concupiscentiam, sed relatè ad Gratiam aliam, cui eadem voluntas in iisdem circumstantiis non consentiret: nec illa Gratia intensior voluntatem necessitat seu determinat physicè, imò nec moraliter, saltem ordinariè, cùm sit ex natura sua repudiabilis, etiam moraliter, saltem ordinariè.

Obj. 3. Si Gratia est ab intrinseco congrua, est per se congrua. Ergo est necessariò congrua.

Resp. Disting. Est per se congrua, id est, per propriam & intrinsecam virtutem, *non* per aliquid extrinsecum, *concedo.* Id est ex natura sua & essentialiter congrua, *nego.* Vel sic adhuc, *disting.* Est per se congrua, sed impedibiliter, *conced.* Inimpedibiliter, *nego.* Quamvis Gratia sit congrua, eò quòd sit talis speciei, vel habeat tot gradus intensionis, non tamen sic congrua est, *nisi contingenter*, & non sine connotatione seu præsuppositione certarum circumstantiarum ei extrinsecarum: nec congruitatem à se habet, nisi impedibiliter. Nam voluntas sic ei consensura est, ut posset ei non consentire, & reipsa non consentiret, si aliæ essent circumstantiæ. Igitur Gratia est congrua à se, sed contingenter & impedibiliter: imò & dependenter à circumstantiis externis, & interna habitudine subjecti, tanquam à pura conditione, sine qua non, saltem regulariter loquendo. Sed illa dependentia non est dependentia nisi impropriè dicta; nam non est dependentia causalitatis, sed solùm præsuppositionis.

Nota. Congruitatis denominatio, licèt sit intrinseca Gratiæ, est tamen contingens. Nam Gratia illa, quæ hodie est congrua, quia movet voluntatem, quomodo ei congruit, ut consentiat, poterit cras non esse congrua.

Obj. 4. Gratia accipit suam congruitatem à voluntate consentiente. Ergo non illam habet à se.

Resp. Nego ant. Nam Gratia efficax est saltem natura priùs congrua, quàm voluntas consentiat. Gratia enim efficax saltem natura priùs movet voluntatem, quomodo ei congruit, ut consentiat, quàm consentiat, aut consensura sit. Enim verò Gratia efficax non movet voluntatem, quomodo ei congruit, ut consentiat, quia voluntas consentit aut consensura est: sed è contra voluntas consentit aut consensura est, quia Gratia eam movet, quomodo ei congruit, ut consentiat, tò *quia* significante causalitatem.

Equidem si voluntas non consentiret Gratiæ, Gratia non esset congrua: sed voluntas non consentiret, quia Gratia natura priùs non moveret eam, quomodo ei congruit, ut consentiret: non sic autem moveret, quia non esset talis speciei, vel non esset satis intensa.

Dices 1. Voluntas potest facere, ut Gratia sit congrua. Ergo.

Resp. Nego ant. Nam voluntas non potest facere, ut habeat Gratiam tali speciei, vel talis intensionis in tali specie, nec po-

teſt dare Gratiæ acceptæ ullum gradum intenſionis, aut ejus ſpeciem mutare.

Dices 2. Voluntas poteſt mutare affectum & diſpoſitiones ſuas, vel alias circumſtantias. Ergo poteſt facere, ut Gratia ſit jam congrua.

Reſp. Nego conſeq. Quia non pendet à voluntate, ut mutatis affectibus ac circumſtantiis habeat Gratiam talis ſpeciei vel intenſionis: & cùm accipit Gratiam, ſemper eam accipit in talibus circumſtantiis determinatis: unde ſi non ſtatim conſentiat Gratiæ acceptæ, non poteſt facere, ut poſtea mutatis circumſtantiis & affectibus eidem conſentiat; cùm jam non adſit eadem Gratia, nec ab ea pendeat, ut adſit.

Dices 3. Saltem voluntas poteſt impedire congruitatem Gratiæ efficacis.

Reſp. Hoc verum eſt, ſed inde ſolùm ſequitur, Gratiam eſſe ex propria virtute congruam contingenter & impedibiliter; quia eſt ex natura ſeu repudiabilis. Itaque voluntas poteſt indirectè impedire congruitatem & incongruitatem Gratiæ; quia poteſt ei conſentire vel diſſentire: ſed non idcirco facit aut reddit Gratiam congruam. Nam Gratia eſt natura priùs congrua aut incongrua, quàm voluntas ei conſentiat aut non conſentiat; quia Gratia priùs natura, quàm voluntas conſentiat, eſt, aut non eſt talis ſpeciei, eſt, aut non eſt tot gradibus intenſa. Igitur voluntas non impedien lo congruitatem Gratiæ, nihil ei tribuit: i nò ab ea accipit, unde non impediat; quia ab ea accipit, unde ei conſentiat.

Obj. 5. Secundùm nos Gratia, quæ eſt congrua in talibus circumſtantiis, non eſſet congrua in aliis. Ergo Gratia habet ſuam congruitatem à circumſtantiis extrinſecis: quod eſt abſurdum.

Reſp. Nego conſeq. Nam Gratia congruitatem habet ſuam formaliter à ſe ipſa ſola, ſeu à ſua entitate, ſed contingenter & impedibiliter, & præſuppoſitis quibusdam circumſtantiis extrinſecis, & interna habitudine voluntatis, quæ ſunt reſpectu Gratiæ congruæ pura conditio ſine qua non. Sic combuſtio eſt ex ſola virtute ignis, dependenter tamen ab approximatione, tamquam conditione ſine qua non.

Nota. Gratia ſpecialiter congrua eſt illa, quæ operatura eſt conſenſum voluntatis in talibus circumſtantiis: unde præſupponit circumſtantias, ùt aliquid ſibi extrinſecum. Nam Gratia congrua non eſt ea, quæ congruit voluntati in quibuslibet circumſtantiis, ſed tantùm in certis. Gratia enim congrua ea eſt, quæ ita congruit voluntati in talibus circumſtantiis, ut voluntas ei conſentiat. Hinc congruitas Gratiæ eſt habitudo ad voluntatem taliter diſpoſitam. Gratia autem hanc habitudinem, proportionem, convenientiam, contemperationem ſpecialem cum voluntate taliter diſpoſita, habet formaliter à ſua majore intenſione, vel à ſua entitate talis ſpeciei. Unde ſuam congruitatem habet à ſe formaliter: efficienter verò à DEO miſericorditer illam dante in talibus circumſtantiis, in quibus à voluntate non impeditur ejus congruitas.

Obj. 6. Si Gratia efficax ſit eſſentialiter congrua, Gratia merè ſufficiens eſt incongrua. *Falſum conſeq.* Ergo.

Reſp. Diſting. ſeq. maj. Gratia ſufficiens eſt incongrua negativè, hoc eſt, non congrua ſpecialiter, *conc. ſeq. maj.* Eſt incongrua poſitivè, *neg. ſeq. maj.* Cùm Gratia efficax dicitur congrua, intelligi debet congrua ſpeciali aliquo modo, quo non eſt Gratia inefficax: ſive intelligi debet congrua tali modo ſpeciali, ut voluntas reipſa ei conſentiat. Nam Gratia merè ſufficiens eſt etiam congrua, ſed congruitate quadam generali, non ſpeciali. Gratia enim, quæ dat veram & completam potentiam agendi ſalutariter, debet aliquo modo congruere voluntati.

Ex dictis patet, Gratiam efficacem à ſufficienti differre per ſpecialem congruitatem, & infallibilitatem effectus: qua utraque caret Gratia merè ſufficiens.

CAPUT

CAPUT IV.

De Gratia sufficienti.

ARTICULUS I.

Utrùm detur Gratia sufficiens.

§. I.

Nota 1. AGitur hic de Gratia sufficiente, prout distinguitur ab efficaci, ideoque de Gratia merè sufficiente, quæ est auxilium supernaturale, præbens voluntati completam & expeditam agendi bonum salutare potentiam: quod tamen effectu, ad quem datur, caret ex culpâ voluntatis nolentis ei consentire. Sive Gratia sufficiens est secundùm omnes Catholicos Gratia excitans dans completam bonum salutare agendi, vel malum vitandi potentiam, quæ caret effectu, ad quem datur, quia voluntas non vult ei consentire.

Nota 2. Gratia sufficiens, alia est proximè sufficiens: quæ nempe dat posse proximè aliquid: & alia remotè sufficiens: quæ nempe dat posse remotè aliquid, quo obtineatur auxilium dans posse proximè agere aliud: talis est Gratia orandi. Unde Gratia sufficiens generatim est ea, quæ dat vel posse proximè agere id, ad quod datur, vel certè posse proximè aliquid, quo obtineatur auxilium dans posse illud proximè agere: quæ tamen Gratia effectu suo careat ex resistencia voluntatis creatæ.

Nota 3. Jansenius, l. 3. de Gratia Christi rejicit omnem Gratiam sufficientem pro statu naturæ lapsæ, vultque, omnem Gratiam Christi esse efficacem, & habere omnem effectum, ad quem datur, & quem habere potest in iis circumstantiis, in quibus datur: nempe relatè ad motus concupiscentiæ. Sic enim l. 3. de Gratia Christi c. 1. ait: *Nullum igitur jam dari hominibus lapsis adjutorium sufficiens, quin sit simul efficax, in Augustini principiis explorarum est.* Imò ibidem dicit, Gratiam sufficientem esse Pelagianum adjutorium: *Dat enim*, inquit, *homini posse, si velit: non velle, quod possit: ac proinde est Pelagianum adjutorium, non Christi Salvatoris.* Duplicem autem Gratiam efficacem admittit, ùt supra dictum est: unam parvam seu imperfectam, alteram magnam ac perfectam. Gratia efficax parva ac imperfecta est ea, quæ boni complacentiam vel desiderium inefficax inspirat, propter quod solùm datur à DEO: & in iisdem circumstantiis, in quibus datur, non potest plenum effectum, nec alium habere, propter majorem concupiscentiæ delectationem: ac proinde propriè ei non resistitur. Nam propriè loquendo resistere Gratiæ, est eam frustrare effectu, quem habere potest in iis circumstantiis, in quibus datur. Gratia verò efficax magna ac perfecta est ea, quæ producit efficacem volitionem & operationem boni. Hæ Gratiæ juxta ipsum differunt tantùm ratione majoris vel minoris effectus.

Nota 4. In doctrina Jansenii & ejus discipulorũ duplex distinguitur potentia ad bonũ, quam Gratia habet & dat: nempe absoluta, & relativa. Potentia absoluta ad bonum est ea, quam Gratia habet, si Gratia secundùm se duntaxat spectetur, præcisis subjecti, cui datur, circumstantiis & concupiscentia. Relativa est ea, quam Gratia habet, & dat relatè ad majorem vel minorem delectationem terrenam concupiscentiæ subjecti, cui inest. Hac distinctione fucum faciunt Jansenistæ Catholicis objicientibus, Justum cum Gratia parva efficaci non habere veram potentiam servandi præceptum: siquidem secundùm doctrinam Jansenianam illa Gratia non potest alium effectum habere in illo Justo, nisi ut excitet velleitatem seu desiderium inefficax. Nam respondent, in illo Justo esse perfectam, completam & expeditam potentiam ad servandum præceptum, & superandam tentationem: sed hoc intelligunt de potentia absolutè sumpta, & præcisis subjecti circumstantiis: non verò relatè ad circumstantiam, in qua versatur ille Justus: nempe relatè ad motum concupiscentiæ intensiorem: in qua circumstantia necessitatur ad violandum præceptum per majorem illam terrenam delectationem. Unde perin-

de

de est, ac si dicerent: si hic homo non haberet tam vehementem motum concupiscentiæ, Gratia daret ei sufficientem potentiam volendi & agendi bonum: qua caret in eis circumstantiis, in quibus versatur, & tenetur servare præceptum. Ac proinde Justus, qui præceptum violat, non habet in iis circumstantiis, in quibus violat, & tenetur servare præceptum, non habet, inquam, veram potentiam illud servandi: sed habet tantùm potentiam abstractam, & inutilem pro praxi: quippe quæ ad exercitium boni operis nil conferre potest; siquidem delectatio intensior nunquam à delectatione opposita minore superari potest: & voluntas semper necessitatur à majore delectatione, secundùm principium fundamentale Jansenianæ doctrinæ.

Hanc porro Gratiam efficacem parvam, quæ consistit in Gratia excitante minùs intensa, quàm sit concupiscentiæ motus, vocant Jansenistæ Gratiam sufficientem in sensu thomistico. Sed manifestè abutuntur terminis; nam cum illa Gratia parva impossibile est, ut Justus servet præceptum in iis circumstantiis, in quibus urget: & illa Gratia est tantùm sufficiens pro aliis circumstantiis, in quibus nunc non versatur ille justus: nempe pro casu, in quo concupiscentiæ motus abesset, vel minùs intensus foret, quàm Gratia.

Nota 5. Ex dictis facilè intelligitur, quo sensu Jansenistæ hæresim suam pertinaciter retinentes, dicunt 1. Mandata non esse Justis impossibilia: nempe impossibilitate absoluta tantùm, seu præcisa circumstantia terrenæ delectationis intensioris: licèt sint impossibilia impossibilitate relativa, seu relatè ad concupiscentiæ motum intensiorem. Sive mandata non esse impossibilia Justo illa violanti, si Justus ille careret tentatione & delectatione terrena majore: licèt sint illi impossibilia impossibilitate relativa, & pro tempore, quo violantur.

2. Gratiæ interiori resisti: nempe quoad effectum ulteriorem, quem habere potest in aliquo casu: non autem, quem habere potest in iisdem circumstantiis, in quibus datur.

3. Ad libertatem requiri immunitatem à necessitate: absoluta scilicet seu absolutè sumpta, non autem relativa.

4. Humanam voluntatem posse Gratiæ resistere vel obtemperare: nempe si Gratia absolutè seu secundùm se præcisè spectetur: non verò, si relativè, & quatenus est intensior motu concupiscentiæ.

5. Christum mortuum esse etiam pro reprobis: quatenus meruit, & confert multis reprobis quasdam Gratias, quæ absolutè & secundùm se spectatæ possunt eos ad salutem perducere: quamvis non possint, si spectentur relatè ad præsentes illorum dispositiones & tentationes. Atque ita unius vocis æquivocatione hæresim suam occultari putant, & irrident judicium Ecclesiæ, quæ eorum doctrinam damnavit.

§. II.

Dico. In hoc statu naturæ lapsæ & per Christum reparatæ, datur Gratia verè ac merè sufficiens: quæ scilicet effectu, ad quem datur, caret ex culpa voluntatis: & ad quem ponendum dat veram ac completam potentiam, etiam relatè ad præsentem difficultatem, tentationem, & concupiscentiæ motum. Est de fide.

Prob. 1. Ex Script. Prov. c. 1. *Vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id, quod timebatis, advenerit.* Quæ gravissima objurgatio esset iniqua, si ii, qui objurgantur, non habuissent Gratiam interiorem verè sufficientem, sine qua DEO vocanti obsequi non poterant: & quæ effectu, ad quem data est, non caruit ex culpa voluntatis.

Isai. c. 5. Sic DEUS Israelitis loquitur: *Quid est, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei? An quòd expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Certè si Israelitæ in circumstantiis, in quibus versabantur, non habuerunt Gratias verè sufficientes ad exercenda bona opera præscripta,

DEUS

DEUS non potuit verè ac seriò dicere: Quid est, quod debui ultrà facere vineæ meæ: nempe ut fructus bonorum operum ferret: nec potuit expectare, ut opera salutaria agerent; cùm hæc sine Gratia verè sufficienti impossibilia sint.

Act. c. 7. Stephanus plenus Spiritu Sancto sic Judæos increpat: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis.*

Matth. c. 23. *Jerusalem, Jerusalem.... quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas: & noluisti?* Ergo Judæi in statu, in quo erant, habuerunt Gratiam internam verè sufficientem ad credendum Christo, cui tamen credere noluerunt: alioqui hæc Christi exclamatio esset vana ac illusoria, & hæc verba (*Quoties volui: & noluisti*) essent falsa.

Prob. 2. Ex Conc. Tridentino, sess. 6. c. 11. ubi ait: *Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce uti* (debet) *DEI præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia. Nam DEUS impossibilia non jubet: sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis, &c.* Ergo ex Concilio omnes Justi habent Gratiam, per quam verè possint servare omnia DEI præcepta, quando urgent: & tamen non omnes ea servant; nam multi Justi peccant mortaliter. Ergo datur Gratia verè sufficiens ad servanda mandata divina: quæ tamen non est efficax. Idem constat ex Conc. Arausicano II. cap. 25.

Prob 3. Ex his duabus Jansenii propositionibus ab Ecclesia damnatis ùt hæreticis in sensu doctrinæ Jansenii. *Prima: Aliqua DEI præcepta hominibus Justis volentibus & conantibus secundùm præsentes, quas habent, vires sunt impossibilia: deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant.* Ergo contradictoria est de fide, nempe hæc: Nulla DEI præcepta hominibus Justis volentibus & conantibus sunt impossibilia: nec deest illis Gratia, qua possibilia fiant: in iis scilicet circumstantiis, in quibus versantur, & tenentur ea servare. Ergo Justi omnes habent Gratiam verè sufficientem ad servanda omnia præcepta: & tamen non omnes Justi servant omnia præcepta, sed aliqui ea violant. Ergo datur in aliquibus Justis Gratia verè sufficiens ad servanda mandata DEI: quæ tamen caret effectu, ad quem datur, & quem habere potest. Ergo datur in statu naturæ lapsæ Gratia verè ac merè sufficiens. Quæ conclusio secundùm omnes Catholicos est de fide, nec est merè Theologica; nam elicitur per simplicem explicationem.

Secunda: Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. Quæ propositio in libro Jansenii hunc habet sensum: Gratia omnis hominibus lapsis data habet omnem effectum, propter quem datur a DEO, & quem habere potest *in iis* circumstantiis, in quibus datur. Ergo est de fide, dari aliquam Gratiam, quæ ex culpa voluntatis non habet effectum, ad quem est sufficiens in iis circumstantiis, in quibus ei resistitur: ideoque est de fide, dari Gratiam verè ac merè sufficientem.

Prob. 4. Ex S. Augustino, qui passim hanc veritatem tradit vel supponit. Ex multis textibus quatuor eligo.

1. Lib. 83. Quæstionum. quæst. 68. ait: *Ad illam cœnam nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt, neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocati. Itaque nec illi debent sibi tribuere, qui venerunt; quia vocati venerunt. Nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantùm sibi: quoniam ut venirent vocati, erat in eorum libera potestate. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii, ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cùm vocatus venire negligit.* Hic S. Doctor loquitur de vocatione non solùm externa, sed etiam, & maximè, interna; nam loquitur de vocatione, quæ veniendi voluntatem efficit in iis, qui vocati venerunt. Item loquitur de vocatione, qua qui vocati sunt, sibi soli tribuere debent, quòd non venerunt; quia, ut venirent, erat in eorum libera potestate. Sed sine vocatione interna seu Gratia excitante nemo potest venire ad Christum. Ergo ex S. Augustino datur aliqua vocatio interna, quacum aliqui venire

ad Christum potuerunt in iis circumstantiis, in quibus versabantur: & tamen non venerunt ex sua sola culpa: nam id sibi soli tribuere debent. Atqui vocatio interna, quacum homines possunt venire ad Christum per fidem & dilectionem, & tamen quacum non veniunt ex culpa sua, est Gratia excitans verè sufficiens, & tamen non efficax. Ergo.

2. Lib. de corr. & Grat. c. 7. *Justior enim videtur excusatio dicentium: Non accepimus audientiam: quàm dicentium: Non accepimus perseverantiam; quoniam potest dici: Homo, in eo, quod audieras & tenueras, in eo perseverares, si velles: nullo modo autem dici potest: id, quod non audieras, crederes, si velles.* Ergo Homo, qui non perseverat in fide & charitate, non habet excusationem; quia perseveraret, si voluisset. Ergo qui non perseverat, potuit perseverare: ac proinde habuit Gratiam verè sufficientem ad perseverandum, cui noluit consentire.

3. Epist. 153. *Pertinet ergo ad nos, ut boni simus, accipere & habere, quod dat, qui de suo bonus est: quo quisque neglecto, de suo malus est.*

4. L. 1. de peccatorum merit. cap. 39. *Si* (parvulus) *post Baptismum vixerit, atque ad ætatem capacem præcepti pervenire potuerit, ibi habet* (concupiscentiam) *cum qua pugnet, eamque adjuvante DEO superet, si non in vacuum Gratiam ejus susceperit, si reprobatus esse noluerit.* Ubi clarè significat, adultos peccatores non esse reprobatos, nisi quia Gratiæ DEI consentire nolunt.

Accedit ratio Theologica. Quia DEUS vult sincerè salvare omnes homines. Ergo dat omnibus media verè sufficientia ad salutem, quibus tamen multi non consentiunt, cùm multi non salventur. Item, DEUS vult, ut omnia sua præcepta observentur ab omnibus. Ergo dat Gratias sufficientes ad ea servanda: alioqui vellet rem impossibilem, & homines obligaret ad impossibile: & tamen sæpe violantur. Ergo.

Confirm. Ex his Quesnelli propositionibus, ab Ecclesia damnatis 13. *Quando DEUS vult animam salvam facere, & eam tangit interiori Gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.* 15. *Quando DEUS mandatum suum, & suam externam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, & interiori vi Gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.* Adde multas alias sequentes.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Gratia sufficiens non reperitur in Scriptura. Ergo non datur.

Resp. Quamvis nomen Gratiæ sufficientis non reperiatur in Scriptura: at res per illud significata habetur in Scriptura & Traditione. Quod sufficit: & verò quis nesciat nova subinde nomina ab Ecclesia fuisse adhibita ad melius exprimendas res fidei jam olim creditas?

Obj. 2. Isai. c. 55. DEUS dicit: *Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quæcunque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.*

Resp. Hic per *verbum* intelligitur, non Gratia interna, sed aliquid aliud à sola DEI voluntate pendens: nempe promissum de Fœdere Novi Testamenti, de Messia, & bonis per eum dandis. Et verò verbum DEI propriè est res à DEO revelata. Certè multæ res à DEO hominibus revelatæ, non ideo ab illis implentur: Sic præcepta divina à DEO hominibus declarata non semper servantur. Præterea Gratia interna non caret omni effectu, nec redit vacua. Nam 1. saltem hunc habet effectum à DEO intentum, ut manifestet divinam benignitatem, misericordiam, providentiam, ac sinceram voluntatem salvandi omnes & singulos homines. 2. Si non obtinet in homine ei resistente effectum à misericordia divina intentum, redundat in effectum Justitiæ respectu illius; DEUS enim ùt docet S. Thomas virtualiter duplicem habet intentionem: nempe ut bonum fiat: & ut homo, qui non vult

vult bonum agere, pœnam ſubeat. Unde cùm alterutrum ſemper fiat, verbum DEI ſive exterius ſive interius ad *ipſum non redit* vacuum. Denique ſi textus objectus Gratiam internam ſpectaret, intelligeretur reſpectu illorum, ad quos ex voluntate efficaci ſalutis mittitur verbum internum ſeu Gratia; nam revera reſpectu illorum, nempe electorum nunquam de facto redit vacuum, ſed ſemper proſperatur.

Obj. 3. Chriſtus, Joann. c. 6. ait: *Omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* In quæ verba ſic habet S. Auguſtinus l. de prædeſtin. Sanct. c. 8. *Quid eſt, omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me, niſi, nullus eſt, qui audiat à Patre, & diſcat, & non veniat ad me? Si enim omnis, qui audivit à Patre, & didicit, venit, projectò omnis, qui non venit, non audivit à Patre, nec didicit; nam ſi audiviſſet, & didiciſſet, veniret.* Et inferiùs. *Hæc itaque Gratia, quæ occultè humanis cordibus divina largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.*

Reſp. Hîc & in aliis ſimilibus locis agitur de Gratia efficaci, quæ revera ſemper effectum ſuum habet. Sed præter Gratiam efficacem datur alia verè ſufficiens, quæ dat completam potentiam agendi bonum: & tamen ex culpa voluntatis caret effectu, ad quem datur: & *quem habere poteſt in iis* circumſtantiis, in quibus datur, ùt conſtat ex aliis locis Script. & S. Auguſt. in probatione allatis.

Nota. S. Auguſtinus in ſuis contra Pelagianos & Semipelagianos libris agit præcipuè de Gratia efficaci: tum quia eſt ſpecies perfectiſſima: ſic cum generatim deſcribitur Orator vel Poeta, exhibetur is, qui in illo genere ſit perfectiſſimus: tum quia cùm Pelagius diceret, hominem ſolis viribus naturalibus bona ac ſalutaria opera facere, debuit Auguſtinus pro neceſſitate Gratiæ pugnans docere, quòd DEUS per ſuam Gratiam hujuſmodi opera faciat: & conſequenter loqui de Gratia, quatenùs reipſa bonum opus operatur, ſeu de Gratia efficaci: ſive quia controverſia contra Hæreticos illos erat præſertim: Utrùm actus ſalutaris, ſeu aliquo modo conducens ad ſalutem, fieret ſine Gratia interna præveniente omnem uſum libertatis, & immediatè afficiente voluntatem: Gratia autem, qua fit actus ſalutaris, eſt Gratia efficax. Denique quia agebatur de prædeſtinatione gratuita ad Gratiam reipſa cum ſalute connexam, loquitur S. Doctor de Gratia efficaci. Præterea S. Doctor ſæpe loquitur de Gratia efficaci non ùt efficaci, ſed præcisè ùt eſt auxilium gratuitum, neceſſarium. Et variis in locis loquitur de Gratia in genere: nempe prout præſcindit ab efficaci & ſufficienti.

Dices. S. Auguſtinus explicat de Gratia efficaci illud Chriſti, Joann. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum.* Ergo ſine Gratia efficaci homo non poteſt facere bonum, ideoque non habet completum poſſe.

Reſp. Diſting. conſeq. Sine Gratia efficaci homo non poteſt facere bonum, potentia reducenda ad actum, idque ratione connexionis alicujus veritatis cum alia veritate, *conc. conſeq.* Potentia ad actum merè reducibili, *nego. conſeq.*

Obj. 4. S. Auguſtinus lib. 1. ad Simplic. q. 2. dicit: *Si enim DEUS miſereatur. Ergo jam volumus.*

Reſp. Loquitur de miſericordia ſpeciali, qua DEUS vocat hominem, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat.

Obj. 5. Ex S. Auguſtino neceſſe eſt voluntatem DEI ſemper impleri. Ergo cùm DEUS det Gratiam, ut fiat bonum, illa ſemper habet effectum.

Reſp. Diſt. ant. Neceſſe eſt impleri DEI voluntatem abſolutam & efficacem, *conc. ant.* DEI voluntatem inefficacem & conditionatam, licèt ſinceram, *nego ant. & conſeq.* DEUS autem non ſemper vult efficaciter, ut agamus bonum, & conſentiamus Gratiæ. Hinc S. Auguſtinus duplicem diſtinguit vocationem: unam, quæ eſt ſecundùm propoſitum, id eſt Decretum DEI gratuitum & efficax: & hæc ſemper habet effectum: alteram, quæ non eſt ſecundùm

propositum: & hæc effectu, ad quem datur, caret; quia voluntas non vult ei consentire.

Dices. Voluntati DEI nemo resistit, juxta illud Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistit?* Sed si daretur Gratia merè sufficiens, voluntati DEI resisteretur. Ergo.

Resp. Dist. maj. Nemo resistit voluntati DEI efficaci, *conc. maj.* Voluntati ineffacaci, *nego maj.* Nam Isai. 65. DEUS dicit. *Quæ nolui, elegistis.* Et verò DEUS vult præcepta sua ab omnibus observari: & tamen sæpiùs violantur, quàm observentur.

Obj. 6. Gratia sufficiens ex S. Augustino est auxilium sine quo non fieri potest opus salutare. Sed ex eodem S. Doctore auxilium sine quo non, fuit auxilium proprium naturæ innnocentis: nec datur in statu naturæ lapsæ, nisi auxilium quo, per quod intelligit Gratiam irrepudiabilem. Ergo.

Resp. S. Doctor per auxilium sine quo non, intelligit non quodvis auxilium sufficiens, sed duntaxat auxilium datum Adamo ad perseverandum in Justitia originali: præter quod auxilium Adamus habuit alia auxilia efficacia, quibus bonum egit in illo statu. Per auxilium verò quo intelligit, non Gratiam actualem interiorem, sed ipsam perseverantiam finalem formalem datam electis in statu naturæ lapsæ, quæ consistit in morte in statu Gratiæ.

Obj. 7. Gratia sufficiens est adjutorium possibilitatis, non voluntatis & actionis. Sed tale adjutorium est Pelagianum. Ergo.

Resp. Disting. maj. Id est, Gratia sufficiens est adjutorium, dans voluntati completum posse, seu completam potentiam agendi bonum, sed non faciens, ut voluntas reipsa velit & agat, *conc. maj.* Id est, est adjutorium non immediatè movens, excitans & corroborans voluntatem ad agendum bonum salutare, *nego maj.* Gratia merè sufficiens non est adjutorium possibilitatis in sensu Pelagii; nam juxta Pelagium, adjutorium possibilitatis non dabat posse simpliciter, sed solùm posse faciliùs: & consistebat tantùm in Lege ac Doctrina, exteriùs vel etiam interiùs propositis. Pelagius enim contendebat, liberum arbitrium per se solum valere ad quodlibet opus salutare, ideoque non indigere Gratia ad posse simpliciter, sed tantùm ad faciliùs posse: & hanc Gratiam constituebat in Lege & Doctrina, & exemplis Christi, quæ ad Doctrinam revocari possunt, atque etiam ad summum in supernaturali illustratione mentis. At Gratia sufficiens, quam cum Catholicis omnibus propugnamus, consistit non solùm in supernaturali illustratione intellectus, sed etiam & potissimuùm in pia motione voluntatis indeliberata: quæ dat posse simpliciter velle & agere bonum salutare, voluntatem immediatè excitando, elevando, corroborando & adjuvando ad illud volendum & agendum.

Dices. Pelagius docebat, posse agere esse à DEO.

Resp. Per posse agere intelligebat liberum arbitrium sibi relictum, quod docebat esse à DEO creante, vel etiam extrinsecùs tantùm adjuvante: nempe per Legem & Doctrinam.

Obj. 8. Si datur Gratia sufficiens, homo posset se ipsum arbitrio suo discernere ab aliis. *Falsum conseq.* Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam ex eo, quòd homo cum Gratia sufficiente possit agere bonum, sequitur tantum, quòd possit non impedire discretionem sui, consentiendo Gratiæ, quatenùs si consentiret Gratiæ, ùt potest, esset discretus non à se, sed à DEO Gratiam congruam ei dante in suppositione consensus. Si enim homo cum Gratia sufficiente bonum salutare vellet, non vellet nisi dependenter à DEO ipsum saltem natura priùs movente, quomodò scit ei congruere, ut velit. Nempe hæ duæ veritates (*Homo excitatus à DEO, vult & agit bonum: DEUS excitat hominem, quomodo ei congruit, ut velit, & agat bonum*) ita sunt inter se connexæ, ut prima necessariò supponat secundam, & secunda necessariò inferat primam. Unde supponi non potest, homo velle & agere bonum salutare, quin supponatur, DEUS saltem natura priùs excitasse hominem, quomodò scit ei congruere, ut velit & agat bonum: ac proinde supponi non

non poteſt, homo velle agere bonum, quin ſupponatur, ſaltem natura priùs eſſe à DEO diſcretus per Gratiam congruam purè gratuitam.

Obj. 9. Si daretur Gratia merè ſufficiens, eſſet bonum DEI, & rectè peti poſſet à DEO. *Falſum conſeq.* Nam illam petere, eſt petere Gratiam, quæ effectu careat. Ergo.

Reſp. Diſting. maj. Gratia merè ſufficiens eſſet donum DEI, ùt eſt Gratia verè ſufficiens, & dat veram ac completam potentiam agendi bonum ſalutare, *conc. maj.* Ut eſt Gratia merè ſufficiens, ſeu ùt involvit reſiſtentiam voluntatis, *nego maj.* Gratia merè ſufficiens ſpectata ſecundùm ſe & ex parte DEI, eſt Gratia verè ſufficiens, dans voluntati completam potentiam agendi bonum ſalutare: unde ùt talis eſt donum DEI, & rectè peti poteſt. At Gratia verè ſufficiens ſpectata ùt merè ſufficiens, eſt Gratia ſpectata ùt carens effectu ex culpa voluntatis: unde ſic ſpectata non eſt donum DEI, ſed involvit reſiſtentiam culpabilem voluntatis. Quare Gratia ſufficiens ex parte DEI eſt magnum donum: non autem, ùt ſpectata ex parte hominis ei reſiſtentis.

Obj. 10. Eccleſia petit tantùm Gratias efficaces. Ergo.

Reſp. Nego conſeq. Quia Eccleſia poteſt petere tantùm id, quod melius eſt. Præterea Eccleſia petit tantùm Gratias efficaces, *non quia non dantur merè ſufficientes:* ſed quia non ſalvabimur, niſi bonum reipſa volendo & agendo: & bonum reipſa nunquam volemus & agemus ſine Gratiis efficacibus: quamvis cum ſufficientibus poſſemus bonum agere & ſalvari: & reipſa bonum ageremus & ſalvaremur, ſi vellemus iſtis Gratiis conſentire.

Obj. 11. Gratia ſufficiens nunquam habuit & habitura eſt effectum. Ergo eſt inutilis, imò pernicioſa.

Reſp. Diſting. ant. Nunquam habuit, & nunquam habitura eſt effectum in iis circumſtantiis, in quibus ſupponitur fuiſſe & fore merè ſufficiens, idque ex ſola culpa voluntatis, *conc. ant.* In omnibus aliis circumſtantiis poſſibilibus, *nego ant.* Nam eadem ſecundùm ſpeciem & intenſionem Gratia, quæ in aliquibus circumſtantiis incongrua eſt & merè ſufficiens, in aliis multis poteſt eſſe congrua. Unde Gratia ſic eſt merè ſufficiens pro aliquibus circumſtantiis, ut poſſit eſſe, & ſit efficax pro aliis.

Dices. 1. Gratia ſufficiens eſt inutilis, ſaltem pro iis circumſtantiis, in quibus eſt merè ſufficiens.

Reſp. Nego. Nam licèt ex culpa voluntatis reddatur ſubjecto i. utilis, eſt tamen per ſe utilis, etiam in iiſdem illis circumſtantiis; nam in iis dat voluntati completam potentiam agendi bonum, qua ſi vellet uti, bonum ageret. Sic pecunia non eſt per ſe inutilis ei, qui ea uti poteſt, ſed non utitur. Præterea hæc Gratia ſemper conducit ad DEI providentiam, benignitatem & ſinceram voluntatem ſalvandi reprobos oſtendendam.

Dices 2. Voluntas reſiſtit Gratiæ ſufficienti in ſuam perniciem. Ergo hæc Gratia eſt ei pernicioſa.

Reſp. Nego conſeq. Nam voluntas poteſt huic Gratiæ conſentire, & per eam habet completam potentiam agendi bonum ſalutare. Hinc Alexander VIII. damnavit hanc propoſitionem 6. *Gratia ſufficiens ſtatui noſtro non tam utilis, quàm pernicioſa eſt, ſic, ut proinde meritò poſſimus petere: à Gratia ſufficienti libera nos Domine.* Et verò an Sacramenta dici poſſunt pernicioſa ex eo, quòd multi iis in ſuam perniciem abutantur.

Nota. Hoc ipſo, quòd dicitur Gratia merè ſufficiens, denotatur reſiſtentia voluntatis, quæ impedit effectum Gratiæ. Sed ſi voluntas conſentiret, ùt conſentire poteſt, jam Gratia illa haberet effectum. Quare Gratia ſufficiens nunquam effectu caret ex defectu alicujus virtutis ad agendum neceſſariæ, ſed ſola culpa voluntatis, nolentis ei conſentire.

Obj. 12. Gratia ſufficiens ſecundùm nos eſt debita naturæ. Ergo non eſt vera Gratia Chriſti.

Reſp. Nego ant. Nam ſecundùm nos Gratia ſufficiens eſt donum verè gratuitum, & prorſus indebitum naturæ. DEUS enim juſtè

juſtè potuit condere naturam intellectualem ſine ordinatione ad finem ſupernaturalem: unde Gratia, quæ eſt medium ad finem ſupernaturalem aſſequendum, neque debetur naturæ intellectivæ, neque ab ea exigitur.

Dices. Saltem ſecundùm nos ex hypotheſi elevationis naturæ humanæ DEUS illi debet Gratiam.

Reſp. Nego. Equidem ex hypotheſi, quòd DEUS naturam intellectualem gratis evehat ad finem ſupernaturalem, & ei det præcepta, quæ ſine Gratiæ auxilio obſervari nequeunt, tenetur, non quidem naturæ intellectuali, ſed ſibi: non ex jure naturæ noſtræ, ſed ex ſapientia & benignitate ſua ſubminiſtrare auxilia Gratiæ, ſine quibus creatura intellectualis non poteſt finem, ad quem gratis elevata eſt, aſſequi, & ſervare præcepta ſibi impoſita. Nam ſi DEUS ejuſmodi auxilia non ſuppediraret, creaturam intellectualem ordinaret ad finem, ad quem nollet eam pervenire, & impoſſibilia præciperet: quod ſanè repugnat ſapientiæ ac bonitati infinitæ.

Loquor de creatura innocente. Nam quamvis DEUS naturam humanam ad finem ſupernaturalem ordinaverit, poſſet tamen abſque injuſtitia & indecentia omnibus hominibus Gratiam ſufficientem ad ſalutem denegare; quia cùm omnes homines ex Adamo via naturali deſcendentes, peccarint in Adamo, & naſcantur rei peccati originalis, aut ſaltem debiti illud contrahendi, (quod addo propter DEIparam Virginem) digni ſunt privatione omnis beneficii divini: ſpectati ſcilicet ùt non redempti per Chriſtum. DEUS tamen Gratiæ auxilia, ſine quibus mandata ejus ſervare non poſſumus, denegare nobis non poteſt ex ſua ſapientia & benignitate, ſi velit, ut ea obſervemus, eorumque violationem ſuppliciis æternis mulctari; nam DEUS, utpote infinitè ſapiens ac bonus, non poteſt impoſſibilia præcipere, & ad culpam imputare omiſſionem eorum, quæ abſolutè fieri non potuerunt.

Obj. 13. Gratia efficax eſt neceſſaria ad quemlibet actum ſalutarem. Ergo non datur Gratia merè ſufficiens.

Reſp. Diſting. anteced. Id eſt ſine Gratia efficaci nemo agit bonum ſalutare, *conced. ant.* Id eſt ſine Gratia efficaci nullus poteſt fieri actus ſalutaris, *neg. ant.* Vel ſi vis, *diſting.* ùt alibi: Gratia efficax neceſſaria eſt propter meram connexionem unius veritatis cum alia, *conc.* Propter virtutem aliquam neceſſariam, ad agendum, quam includit Gratia efficax, & qua caret Gratia ſufficiens, aut quæ non eſt in poteſtate habentis Gratiam ſufficientem, *nego ant. & conſ.*

Obj. 14. Gratia merè ſufficiens opponitur Gratiæ efficaci. Ergo cùm Gratia efficax ſit verè ſufficiens, Gratia merè ſufficiens non eſt verè ſufficiens.

Reſp. Gratia merè ſufficiens ſpectata ùt verè ſufficiens, non opponitur Gratiæ efficaci, ſed cum ea convenit, quatenus dat veram & completam potentiam agendi bonum ſalutare. Unde ei opponitur tantùm, quatenus connotat reſiſtentiam voluntatis nolentis ei conſentire. Cæterum hæ objectiones ſolvendæ ſunt adverſariis circa Gratiam ſufficientem datam Adamo in ſtatu innocentiæ.

Nota. Gratia ſufficiens includit concurſum ſupernaturalem in actu primo: nempe omnipotentiam divinam paratam ad concurrendum ſupernaturaliter cum voluntate præmota per Gratiam excitantem, ſi voluntas velit ei conſentire. Nam cum Gratia excitante ſemper conjuncta eſt Gratia adjuvans ſumpta in actu primo, nempe omnipotentia divina parata ſic concurrere. Gratia autem adjuvans ſumpta in actu ſecundo, præter Gratiam excitantem dicit ſupernaturalem DEI concurſum actualem, qui eſt realiter & ſecundùm entitatem idem actus ſalutaris creaturæ: unde non eſt auxilium actui prævium, & habens prioritatem cauſalitatis reſpectu determinationis voluntatis.

ARTICULUS II.

Utrùm Fidelibus juſtis detur Gratia ſufficiens ad ſervanda DEI præcepta, & ad perſeverandum in ſtatu juſtitiæ?

§. I.

Dico 1. Fideles juſti habent Gratiam verè ſufficientem ad ſervanda omnia præcepta,

cepta, etiam tum, cùm ea violant. Est de fide contra Jansenium, l. 3. de Gratia cap. 13.

Prob. 1. Ex Script. Ecclesiastici, c. 15. *Si volueris mandata servare, conservabunt te.* Matth. c. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Et, 1. Joann. c. 5. *Mandata ejus gravia non sunt.* Quæ verba spectant saltem homines justos, & clarè significant, iis non deesse Gratiam verè sufficientem ad servanda præcepta divina.

Prob. 2. Ex Patribus. S. Chrysostom. Homil. 8. de pœnit. *Nequaquam Dominum incusses, haud mandat impossibilia.* S. Hieron. in cap. 5. Matth. *Sciendum est, Christum impossibilia non præcipere.* S. Leone serm. 6. de Passione Domini. *Justè nobis injiat præcepto, qui præcurrit auxilio.* Sed præsertim ex S. Augustino, l. de Fide contra Manichæos, cap. 10. *Quis non clamet, stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere: & iniquum esse, eum damnare, cui non fuit potestas justa complere?* Et l. de peccatorum meritis & remissione, c. 6. *His atque hujusmodi aliis innumerabilibus testimoniis dubitare non possum, nec DEUM aliquid impossibile homini præcepisse, nec DEO ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse. Ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato, adjutus à DEO.* Et, l. de natur. & Grat. c. 69. *Eo quippe ipso, quo firmissimè creditur, DEUM justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus, quid agamus, & in difficilibus, quid petamus.* In his textibus agitur de omnibus: de justis verò speciatim sic habet, in Psal. 39. *Te jam justum ex fide viventem negliget, deseret, dimittet. Imò verò & hic fovet, & hic adjuvat, & hic necessaria subministrat & noxia resecat. Dominus curam tui habet, securus esto . . . ab artificis tui manu noli cadere . . . nusquam tibi deest: tu illi noli deesse, tu tibi noli deesse.*

Prob. 3. Ex Conciliis. 1. Ex Conc. Arausicano II Can. 25. ubi dicitur: *Hoc secundùm fidem Catholicam, credimus, quòd accepta per Baptismum Gratia, omnes baptizati Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Ergo fides Catholica docet, omnes baptizatos, & à fortiori justos, posse admiplere ea omnia, quæ ad salutem pertinent, ideoque habere Gratiam sufficientem ad ea adimplenda, cùm sine ea non possint. 2. Ex Conc. Tridentino, sess. 6. cap. 11. suprà citato, & can. 18. *Si quis dixerit, DEI præcepta homini etiam justificato & sub Gratia constituto esse ad observandum impossibilia: anathema sit.*

Prob. 4. Ex hac Jansenii propositione ab Ecclesia damnata ùt hæretica: *Aliqua DEI præcepta hominibus justis volentibus, conantibus secundùm præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant.* Ergo contradictoria est de Fide: nempe: Nulla DEI præcepta hominibus justis esse impossibilia, etiam cùm aliquod præceptum violant: nec eos destitui Gratia, qua ipsis illud tunc reddatur verè possibile.

Ratio est. Quia nempe DEUS est infinitè justus, sapiens & bonus.

Obj. 1. S. Hilarius, c. 32. in Matth. de Petro dicit: *Amarissimè flevit, recolens, trepidationis culpam se nec admonitum potuisse vitare.*

Resp. Petrus culpam vitare non potuit ex negligentia & defectu cooperationis: sed non ex defectu Gratiæ saltem remotè sufficientis. Sic Christus, Matth. 26. dicit Petro & sociis Apostolis: *Non potuistis una hora vigilare mecum.* Quibus verbis significatur, non impotentia antecedens, sed merus defectus voluntatis sibi vim inferendi. Unde in his & similibus locis significatur impotentia consequens, non antecedens liberam determinationem voluntatis.

Obj. 2. Aliqui Patres dicunt, Petrum caruisse Gratia ad confitendum Christum: item, alios homines interdum carere Gratia ad servanda præcepta.

Resp. Loquuntur vel de Gratia efficaci, vel potiùs de Gratia proximè sufficiente:

non

non de Gratia remotè sufficiente, quæ est Gratia orandi. Nam Patres dicunt simpliciter, quòd homo aliquid non possit, quando caret Gratia proximè sufficiente, ideoque potentia proxima illud agendi, quamvis habeat Gratiam remotè sufficientem, nempe Gratiam orandi, per quam obtineri potest Gratia proximè sufficiens. Quod constat ex S. Augustino, l. de Grat. & lib. arbi. c. 16. ubi ait: *Ideo jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab eo petere debeamus.* Ergo ex S. Doctore cùm non possumus aliqua, quæ à DEO præcipiuntur, habemus tunc semper potentiam petendi, ideoque Gratiam orandi.

DEUS autem non semper dat etiam justis Gratiam proximè sufficientem, vel in pœnam alicujus culpæ ac negligentiæ, vel ut homo sibi suæ infirmitatis conscius ad DEUM confugiat, & humilior fiat.

Obj. 3. S. Chrysostomus, homil. 72. in Joann. dicit de Petri lapsu, quòd non frigiditate, sed Gratiæ defectu contigit. Et hom. 31. in epist. ad Hebræos, dicit, negationem Petri non tam fuisse ex socordia, quàm ex eo, quòd DEUS eum deseruerat. Ergo ex S. Chrysostomo Petrus caruit Gratia sufficiente.

Resp. Caruitquidem Gratia proximè sufficiente: non autem remotè sufficiente. Nam S. Doctor ibidem asserit, Petrum habuisse Gratiam orationis, quam quia neglexit, privatus Gratia uberiore, Christum negavit. Et verò Gratiam orationis habuisse, patet ex his Christi verbis Matth. c. 26. quibus Petrum & alios Apostolos monet: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Nam Christus non hortatur ad aliquid impossibile.

Obj 4. S. Augustinus, serm. 124. de tempore ait: *Quid est homo sine Gratia DEI, nisi quod fuit Petrus, cùm negaret Christum?.... ideo B. Petrum paululùm Dominus subdeseruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine DEI Gratia prævalere.*

Resp. 1 Hic sermo à viris eruditis rejicitur inter spurios.

Resp. 2. Hic textus significat tantùm, Petrum caruisse Gratia proximè sufficiente: non verò remotè sufficiente. Unde dicitur Dominus paululùm subdeseruisse Petrum, non autem simpliciter deseruisse.

Obj. 5. S. Augustinus, l. de Natura & Gratia, c. 53. ait. *Fideles enim orantes dicunt: & ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Si adest possibilitas, ut quid orant?*

Resp. S. Doctor hic loquitur de possibilitate, quam asserebat Pelagius inesse libero arbitrio independenter à Gratia interna præveniente, ùt patet ex toto contextu, & ex his verbis, quæ paulò post addit: *Quid tantum de naturæ possibilitate præsumitur*: Unde ibi probat necessitatem Gratiæ internæ. Et verò S. Augustinus, eodem libro, cap. 34. de peccatis ait: *Ut in nostra potestate fuisse, ne acciderent, confitemur: ita ut sanentur, in illius magis esse misericordia, quàm in nostra potestate fateamur.*

Dices 1. S. Augustinus dicit, hominem etiamsi velit servare mandatum, tamen non posse.

Resp. Solùm vult, hominem non posse servare præceptum, etiamsi velit, sed voluntate duntaxat infirma, inefficaci, & simplicis complacentiæ. At tunc habet Gratiam orandi, ut habeat plenam & efficacem voluntatem & proximam potentiam servandi præceptum: quam obtinebit, si Gratia orationis utatur. Duplicem quippe S. Doctor distinguit voluntatem, aliam parvam ac debilem seu inefficacem, & aliam magnam, robustam seu efficacem; sic enim ait, l. de Gratia & lib. arbit. c. 17. *Qui ergo vult facere DEI mandatum, & non potest, jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem, cùm magnam habuerit & robustam.*

Dices 2. S. August. serm. 106. de diversis ait: *Petrus promisit se moriturum pro Christo, & non potuit: plus ausus erat, quàm ejus capacitas sustinebat, plus promiserat, quàm poterat.*

Resp. Petrus caruit Gratia sufficiente ad moriendum pro Christo, quando non urgebat præceptum moriendi pro ipso. Nam non

non ſemper datur juſtis Gratia ſufficiens pro quolibet actu bono, quando non urget præceptum illum faciendi. At cùm urget præptum aliquod, ſemper habent vel habere poſſunt Gratiam verè ſufficientem ad illud obſervandum. Præterea textus objectus intelligi poteſt de potentia proxima, qua caruit Petrus: non de remota, conſiſtente in poteſtate orandi ad obtinendam proximam potentiam moriendi pro Chriſto.

Dices 3. Ex S. Auguſtino ſtultum eſt orare, ut facias, quod in poteſtate habeas. Ergo ſi Juſti ſemper habent Gratiam ſufficientem ad ſervanda præcepta, non deberent orare: quod falſum eſt.

Reſp. Neg. conſeq. Quia Juſti non ſemper habent Gratiam proximè ſufficientem ad ſervanda præcepta, etiam cùm urget eorum obſervatio: ſed ſæpe habent tantùm Gratiam remotè ſufficientem: nempe Gratiam orandi, qua uti debent, ut Gratiam proximè ſufficientem obtineant: qua ſi non utantur, ex culpa ſua carent Gratia proximè ſufficiente. Unde violatio præcepti eis meritò imputatur ad culpam; cùm potuiſſent illud ſervare, nempe orando: deindè Gratiæ per orationem comparatæ conſentiendo. Hinc illud Conc. Tridentin. ſeſſ. 6. cap. 11. *DEUS impoſſibilia non jubet: ſed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis: & adjuvat, ut poſſis.* Igitur Juſti, dum urget præceptum, ſemper habent Gratiam vel proximè, vel ſaltem remotè ſufficientem ad illud ſervandum. His adde, quòd debeamus à DEO petere non ſolùm Gratiam proximè ſufficientem, ſed etiam efficacem, qua defacto mandata ſervemus. Denique S. Auguſtinus ibi intelligit poteſtatem naturalem, ſeu liberum arbitrium; nam loquitur contra Pelagium, qui docebat, hominem ex ſolis naturæ viribus poſſe ſervare omnia præcepta.

Nota. Gratia proximè ſufficiens ad ſervandum præceptum eſt ea, quæ dat proximam ac completam potentiam ſervandi præceptum, eſtque Gratia excitans ac corroborans immediatè ad illud ſervandum. Gratia verò remotè ſufficiens ad ſervandum præceptum eſt ea, quæ dat proximam potentiam petendi auxilium, dans proximam potentiam ſervandi præceptum: nempe eſt Gratia dans completam ac proximam potentiam orandi, per quam orationem obtinetur auxilium illud dans proximam potentiam ſervandi præceptum. Hinc Gratia ſufficiens generatim revocatur ad Gratiam actionis, & Gratiam orationis.

Obj. 6. DEUS nulli debet Gratiam. Ergo eam denegare poteſt etiam Juſtis.

Reſp. 1. *Diſt. ant.* DEUS nulli debet Gratiam, ſi eam non promiſerit, *conc. ant.* Si eam promiſerit, *nego ant.* Nam DEUS ex hypotheſi, quòd Gratiam promiſerit, debet ex debito fidelitatis Gratias promiſſas dare. DEUS autem, cùm Gratiam Sacramentis annexuerit, omnibus ea rectè ſuſcipientibus promiſit Gratiam habitualem, & Gratias actuales ad illam conſervandam, atque ad finem cujuſque Sacramenti proprium aſſequendum neceſſarias.

Reſp. 2. *Neg. conſeq.* Nam etiamſi DEUS nulli debeat Gratiam, tamen ſibi debet, ut Gratias ad ſervanda præcepta à ſe impoſita neceſſarias præbeat. Quia ſibi debet, ut ſapienter agat, non exigendo impoſſibilia à ſua creatura. Porro Gratia dicitur & eſt gratuita; quia non debetur naturæ, & datur ſemper ex gratuita voluntate DEI, qui gratuitò eam promiſit.

§. II.

Dico 2. Omnibus Juſtis datur Gratia verè ſufficiens ad perſeverandum in ſtatu juſtitiæ: quæ ſola eorum culpa, qui non perſeverant, eſt merè ſufficiens. Eſt de fide.

Hæc aſſertio conſtat ex prima; nam ſi omnes fideles juſtificati habent ſemper Gratias verè ſufficientes ad ſervanda omnia præcepta, quando urgent, patet, eos etiam habere Gratias verè ſufficientes ad perſeverandum in juſtitia accepta. Nam habere Gratias ſufficientes ad perſeverandum, nil aliud eſt, quàm habere Gratias verè ſufficientes ad ſervanda omnia præcepta, quæ decurſu vitæ urgent, ideoque ad non peccandum mor-

mortaliter reliquo decursu vitæ: siquidem perseverare in Gratia, est Gratiam conservare usque ad mortem, servando omnia præcepta, quæ urgent toto reliquo vitæ curriculo, & sic non peccando mortaliter usque ad mortem. Tamen adhuc.

Probatur hæc assertio. 1. Ex Scriptura. Joann. c. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum.* Certè si DEUS specialiter amat Justos, non illis denegabit auxilia ad perseverandum necessaria 1. Cor. c. 10. *Fidelis autem DEUS est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Ideoque dabit auxilium sufficiens ad superandas tentationes, & ad vitandum mortale peccatum.

2. Ex Conc. Tridentino, sess. 6. cap. 13. ubi de justificatis ait: *In DEI auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent. DEUS enim, nisi ipsi illius Gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Et, cap. 11. *DEUS sua Gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur.* Ergo Justi omnes perseverare possunt in justitia accepta, si non desint Gratiæ DEI: nec deseruntur à DEO, nisi priùs eum deserant. Ergo habent Gratias verè sufficientes ad perseverandum.

3. Ex S. Augustino, in Psalm. 39. suprà cit. & l. de Nat. & Grat. c. 26. ubi ait: *Non deserit, si non deseratur, ut piè semper justéque vivatur.* Ergo Justus, si non deserat DEUM per mortale peccatum, ideoque quamdiu Justus est, semper à DEO ad piè justéque vivendum adjuvatur, scilicet per Gratiam interiorem verè sufficientem, sine qua nemo piè justéque vivere potest.

4. *Ratione* allata. Quia Justi habent Gratias verè sufficientes ad servanda omnia præcepta, quæ urgent, ideoque ad vitandum mortale peccatum, quod est gravis violatio præcepti, & consequenter ad perseverandum in statu Gratiæ.

Nota In his & sequentibus articulis agitur de Gratia sufficiente, prout præscindit ab efficaci & inefficaci seu merè sufficiente; agitur enim solùm de Gratia, quæ dat completam potentiam agendi bonum salutare.

Obj. 1. Conc. Trident. sess. 6. can. 22. sic pronuntiat: *Si quis dixerit, justificatum vel sine speciali auxilio DEI in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse: anathema sit.*

Resp. Vel Concilium loquitur de potentia reducenda ad actum, non de potentia reducibili tantùm: vel per speciale auxilium intelligit Gratiam actualem superadditam Gratiæ habituali, ita ut sensus sit, quòd ad perseverandum in statu Gratiæ non sufficiat ipsa Gratia sanctificans semel accepta: sed requiratur insuper auxilium Gratiæ actualis, præscindendo ab efficaci & inefficaci.

Obj. 2. Ex S. Augustino, l. de dono persever. c. 22. Justis reprobis subtrahuntur obediendi vires.

Resp. Solùm vult, justis reprobis subtrahi obediendi vires efficaces, vel etiam proximè sufficientes, in pœnam neglectæ orationis: non verò vires saltem remotè sufficientes. Quare S. Prosper Augustini discipulus, in responsione ad 12. objectionem Gallorum ait: *Vires obedientiæ non ideo cuiquam subtraxit, quia eum non prædestinavit: sed ideo eum non prædestinavit, quia recessurum ab ipsa obedientia esse prævidit.*

Obj. 3. Si Justis omnibus datur Gratia sufficiens ad perseverandum, quærenti, cur unus perseveret, non alter? recurrendum non est ad inscrutabilia DEI judicia: sed responderi poterit: quia unus consentit Gratiæ, alter non. Atqui hoc repugnat S. Augustino, l. de dono persever. c. 9. ubi ad hanc quæstionem non aliter respondet, quàm recurrendo ad inscrutabilia DEI judicia. Ergo.

Resp. Neg. seq. maj. Nam quamvis posset ita responderi, tamen semper recurrendum est ad inscrutabilia DEI judicia. Ulteriùs enim quærenti causam efficientem & primariam, cur unus consentiat Gratiæ, & alter non consentiat: cur unus perseveret, & alter non perseveret? responderi debet: quia uni datur Gratia congrua usque ad finem vitæ,

vitæ, alteri non datur: quia unus ante lapsum rapitur ex hac vita, alter post lapsum rapitur. Jam verò, cur uni detur Gratia congrua, non alteri: cur DEUS unum rapiat ex hac vita, dum est in statu Gratiæ, alterum non rapiat, nisi postquam peccato Gratiam amisit, respondere non possumus, nisi recurrendo ad inscrutabilia DEI judicia, exclamando cum Apostolo: *O altitudo!* &c. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est DEI, qui cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat.*

Obj. 4. Non omnes Justi habent donum perseverantiæ. Ergo non omnes possunt perseverare.

Resp. Neg. conseq. Nam per donum perseverantiæ vel intelligitur perseverantia ipsa formalis finalis, quæ est mors in statu Gratiæ: vel collectio Gratiarum efficacium, quibus Justi certò perseverant: vel utrumque simul. At sine ipsa perseverantia formali, & sine Gratiis efficacibus cum illa infallibiliter connexis, fideles justi possunt perseverare in statu Gratiæ usque ad mortem; nam habent Gratias verè sufficientes ad servanda omnia præcepta, ideoque ad vitandum mortale peccatum, ùt constat ex dictis.

ARTCULUS III.

Utrùm fideles peccatores habeant Gratiam sufficientem ad conversionem?

§. I.

Dico 1. Fidelibus peccatoribus non obduratis datur pro loco & tempore Gratia sufficiens ad conversionem. Ita Catholici omnes

Prob. 1. Ex Script. Ezechiel. c. 33. *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat.* Et 2. Petri, c. 3. *Patienter agit* (DEUS) *propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.*

Quæ loca spectant saltem peccatores non obduratos. DEUS autem non potest velle sincerè & seriò, ut peccatores non pereant, sed convertantur, nisi det eis pro loco & tempore Gratiam sufficientem ad conversionem; alioqui vellet seriò rem impossibilem, nempe conversionem peccatoris, quæ est impossibilis sine Gratia sufficienti.

Prob. 2. Ex S. Augustino, in Psal. 102. ubi hæc verba (*Miserator & misericors Dominus, longanimis & multæ misericordiæ*) exponens, ait: *Quid tam longanimum? Quid tam multum in misericordia? peccatur & vivitur: accedunt peccata, augetur vita: blasphematur quotidie, & facit Solem suum oriri super bonos & malos. Vocat undique ad correctionem, vocat undique ad pœnitentiam: vocat beneficiis creaturæ .... vocat per intimam cogitationem: vocat per flagellum correptionis: vocat per misericordiam consolationis, longanimis & multæ misericordiæ. Sed observa, ne longitudine misericordiæ DEI malè utendo, tu tibi thezaurizes iram in die iræ .... cùm tibi thezaurizaveris iram in die iræ, nonne experieris Justum, quem contempsisti Benignum?*

§. II.

Dico 2. Peccatoribus etiam excœcatis & obduratis datur Gratia sufficiens ad conversionem. Est longè communior contra aliquos Doctores.

Prob. 1. Ex Script. Act. c. 7. sic Stephanus Spiritu Sancto afflatus, Judæos excœcatos & obduratos arguit: *Dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis.* At illi Judæi obdurati dici non possunt semper resistere Spiritui Sancto, nisi quia à Spiritu Sancto per Gratiam internam excitabantur ad pœnitentiam, quam tamen agere nolebant. Et ad Rom. c. 2. *An divitias bonitatis ejus* (DEI) *& patientiæ & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor thezaurizas tibi iram in die iræ & revelationis justi Judicii DEI.* Quæ verba significant, DEUM maximè commendare suam benignitatem, patientiam & longanimitatem erga peccatores

obduratos, eos identidem excitando ad pœnitentiam per Gratiam interiorem, cui resistendo augent mensuram suppliciorum in diem Judicii. Item Sap. 12. dicitur: *Si inimicos servorum tuorum & debitos morti cum tanta cruciasti attentione, dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitia, cum quanta diligentia judicasti filios tuos?* Ubi dicitur DEUS dedisse Chananæis scelestissimis & obduratis hominibus tempus & locum, per quæ possent converti, ideoque Gratiam ad conversionem sufficientem; sine qua converti non poterant. Denique ex 2. Petri, c. 3. *Patienter agit* (DEUS) *propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Ubi nulla fit exceptio peccatorum, sed omnes, ideoque etiam obdurati hoc textu comprehenduntur.

Prob. 2. Ex S. August. qui in Psalm. 6. hæc ait: *Ea est cæcitas mentis: ideam quisquis datus fuerit, ab interiori DEI luce secluditur: sed nondum penitus, cùm in hac vita est. Sunt enim tenebræ exteriores, quæ magis ad diem Judicii pertinere intelliguntur, ut penitus extra DEUM sit, quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit. Penitus enim esse extra DEUM, quid est, nisi esse in summa cæcitate?* Addo S. Prosperum, qui in responsione 15. ad objectiones Vincentianas ait: *Nemini DEUS correptionis adimit viam, nec quemquam boni possibilitate dispoliat.*

Prob. 3. Auctoritate & praxi Ecclesiæ, quæ cùm omnibus omnino adultis nullo excepto præcipiat, ut semel quotannis Sacramentum Pœnitentiæ suscipiant cum vera contritione, imò & Eucharistiam, quæ Gratiæ statum exigit, supponit, omnes & singulos Fideles etiam obduratos posse se convertere ad DEUM, ideoque accipere Gratiam sufficientem, sine qua impossibilis est conversio.

Accedit ratio. Quia obdurati, sunt adhuc in statu viæ. Ergo possunt adhuc ad terminum, nempe cœlestem patriam tendere: ad quod requiritur auxilium Gratiæ. Item, nemo in hac vita debet de sua salute desperare: alioqui violaret præceptum spei, quod omnes viatores semper obligat.

Obj. 1. Scriptura & Patres passim docent, obduratos carere omni Gratia.

Resp. Neg. Sed solùm docent, quòd obdurati Gratiam sufficientem ad conversionem non habeant omnibus momentis: & quod aliqui ad tempus omnino deserantur: item, quòd obdurati, quamdiu in statu obdurationis manent, careant omni Gratia congrua, & sæpe omni Gratia proximè sufficiente ad conversionem. Sed tunc, saltem interdum, habent Gratiam remotè sufficientem: nempe Gratiam orationis, per quam obtinere possunt Gratiam immediatè excitantem ad conversionem.

Obj. 2. Illud, Amos, cap. 1. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum.*

Resp. Ibi agitur, non de Gratia conversionis deneganda Damasco, sed de punitione Syriorum per calamitates temporales, quas DEUS decreverat immittere post certum numerum peccatorum, quorum numerus definitus ponitur pro indefinito juxta morem Scripturæ multis in locis. Quod si tamen placet illum textum in sensu mystico intelligi de Gratia conversionis, ad summum colligi potest, quòd post certum numerum peccatorum nulla certis peccatoribus detur Gratia conversionis efficax, vel ad summum Gratia proximè sufficiens.

Obj. 3. Joann. c. 12. dicitur: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, &c.*

Resp. Hoc intelligitur de impossibilitate, non antecedente, sed consequente liberam voluntatis determinationem, ideoque voluntaria, ùt docet S. Augustinus, tract. 53. in Joann. *Quare non poterant* (credere) inquit, *si à me quæratur, citò respondeo: quia nolebant.* Nam interdum in Scriptura & à Patribus homines dicuntur non posse facere, quod facere nolunt impediti magnis difficultatibus, quas vincere non volunt. Sic, Joann. c. 5. Christus dicit: *Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, &c.*

&c. Ita etiam nos sic loquimur. Dici etiam potest, illos Judæos ad tempus omni Gratia sufficiente ad conversionem destitutos fuisse.

Dices. 1. Ibi dicitur, DEUS Judæos excæcasse & induravisse.

Resp. DEUS illos excæcavit & obduravit negativè, scilicet iis denegando Gratiam congruam, qua illuminarentur & excitarentur ad Fidem & Charitatem, vel etiam Gratiam proximè sufficientem, saltem ad tempus. At DEUS non excæcat, nec indurat positivè, immittendo errorem, & impellendo ad obdurationem. Sed ad summum permissivè & occasionaliter, faciendo aliquid, quod præter DEI intentionem est peccatoribus occasio admittendi falsas persuasiones & pravum affectum, quo admonitiones divinæ contemnuntur, ùt contigit Pharaoni ex occasione miraculorum à Moyse patratorum: quæ tamen fiebant ex directa DEI intentione ad eum convertendum, sed quæ DEUS permisit carere hoc effectu ex culpa ipsius Pharaonis.

Dices 2. DEUS indurat etiam aliquando positivè.

Resp. Indurat positivè, sed duntaxat permissivè & occasionaliter, faciendo aliquid, ex quo peccatores sumunt occasionem sese obdurandi, & hanc obdurationem permittendo. Unde, Exod. 8. de Pharaone dicitur: *Ingravavit cor suum.* Et, Sap. 2. *Excæcavit illos malitia eorum.* At DEUS non obdurat positivè & propriè, impertiendo malitiam & obdurationem.

Obj. 4. S. Augustinus, lib. 1. ad Simplic. qu. 2. dicit, obdurationem esse, DEUM nolle misereri, & DEUM non frustra misereri; quia si misereretur, peccator convertitur.

Resp. S. Doctor solùm vult, obduratos tamdiu manere in statu obdurationis, quamdiu DEUS eorum non misereretur misericordia illa speciali, qua vocat hominem, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat, & sic convertatur. Quod non impedit, quominus erga obduratos misericordiam communem exerceat, eos identidem vocando, quantùm sufficit, ut converti possint, & convertantur, si velint.

Dices. S. Augustinus, lib. de nat. & Grat. c. 22. ait: *Nec cogitat prævaricator Legis, quàm dignè lux deserat veritatis: qua destitutus, utique fit cæcus, & plus necesse est, offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat.*

Resp. Sensus est: Prævaricatorem Legis deserit Gratia conversionis proximè sufficiens: qua destitutus plus necesse est, offendat necessitate consequente negligentiam in petenda Gratia conversionis.

Obj. 5. Si obdurati accipiant Gratias sufficientes ad conversionem, non erit discrimen inter peccatorem obduratum, & non obduratum.

Resp. Neg. Nam peccatores obdurati rariùs accipiunt Gratiam sufficientem ad conversionem, & sæpe remotè tantùm sufficientem: atque interdum ad tempus deseruntur destituti omni Gratia, etiam remotè sufficiente ad conversionem: quod non accidit peccatori non obdurato.

Nota. Inter peccatores alii sæpius & copiosiùs, alii rariùs & parciùs Gratiam sufficientem ad conversionem accipiunt, prout DEUS vult sua dona distribuere. Præterea DEUS aliquos peccatores miraculosè privat vita in flagranti delicto, vel permittit, ut interficiantur: item, permittit, ut aliqui peccatores statim post admissum crimen in amentiam perpetuam incidant. Quare loquor de peccatoribus, qui notabili aliquo tempore post peccatum vivunt rationis usu præditi.

§. III.

Dico. 3. Non omnibus momentis, sed solùm certis temporibus, datur peccatoribus Gratia ad conversionem sufficiens. Unde quædam sunt tempora, quibus peccatores præsertim obdurati carent omni Gratia sufficiente ad pœnitentiam agendam.

Prob. 1. Ex Sript. Isai. c. 6. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat,*

& convertatur, & ſanem eum. Quæ verba ſignificant ſubtractionem omnis Gratiæ interioris factamad tempus in pœnam peccatorum admiſſorum; nam plus ſignificant quàm ſubtractionem Gratiæ efficacis. Et, Pſal. 94. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra.* Ideo nominatur *hodie*, & additur conditionalis particula *ſi*, quia non quotidie, nec ſemper, ſed certis tantùm temporibus DEUS vocat & excitat ad pœnitentiam. Item, 2. Tim. c. 2. Apoſtolus monet, ut peccatores patienter & manſuetè corripiantur: *Ne quando DEUS det illis pœnitentiam, ad cognoſcendam veritatem & reſipiſcant à diaboli laqueis.* Hæ voces (*Ne quando*) ſignificant, à DEO non ſemper dari Gratiam ſufficientem ad pœnitentiam agendam, ſed quando DEO placet eam dare.

Prob. 2. Ex S. Auguſt. in Pſal. 147. ubi ait: *Ecce deſerit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit ſenſum, ecce non infundit Gratiam.*

Prob 3. Experientia multorum peccatorum, qui per tempus ſatis longum non experiuntur in ſe ullam internam motionem & excitationem ad pœnitentiam agendam.

Obj. 1. Illud, Apoc. c. 3. *Ecce ſto ad oſtium, & pulſo.*

Reſp. DEUS non dicit, ſe ſemper & continuò ſtare ad oſtium cordis, & illud tangere omnibus momentis.

Obj. 2. Conc. Lateranenſe IV. c. 1. dicit, hominem lapſum poſſe ſemper per veram pœnitentiam reparari.

Reſp. Senſus eſt: Quòd omnes ritè diſpoſiti poſſint ſemper juſtificari per Sacramentum Pœnitentiæ. Sed non dicit, quòd peccatores omnes ſemper & omnibus momentis habere poſſint veram pœnitentiam.

Obj. 3. Conc. Senonenſe, 1. p. Decret. 15. dicit, nec momentum quidem præterire, *in quo DEUS non ſtet ad oſtium & pulſet.*

Reſp. Vult ſolùm, adeſſe ſemper Gratiam neceſſariam ad ſervanda mandata, quorum obſervatio urget.

Quæres. Utrùm excæcati & obdurati habeant Gratiam ſaltem remotè ſufficientem ad ſervanda mandata, quando urgent?

Reſp. Affirm. Nam Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 11. generaliter dicit: *DEUS impoſſibilia non jubet: Sed jubendo monet, & facere, quod poſſis, & petere, quod non poſſis, & adjuvat, ut poſſis.* Quæ propoſitio eſt univerſalis, nec limitatur ex eo, quòd applicetur Juſtis. Idem Patres docent indiſtinctè & generaliter, ùt pater ex eorum textibus, art. 2. allatis, & aliis. Denique lumine naturali notum eſt, neminem teneri ad impoſſibile. Excæcati autem & obdurati tenentur obſervare omnia præcepta perinde ac juſti: & illorum obſervatio eſt impoſſibilis ſine Gratia ſufficienti ſaltem remota.

Obj. Ergo requiritur Gratia ad peccandum: quod eſt abſurdum.

Reſp. Requiritur Gratia tanquam aliquid præſuppoſitum & neceſſarium ad poſſe ſervare præcepta. Quæ potentia libera prærequiritur, ut Legis violatio ſit imputabilis ad culpam. Quare Gratia eſt conditio ſine qua non eſſet peccatum imputabile. At non requiritur Gratia tanquam aliquid per ſe movens, vel aliquo modo concurrens ad Legis violationem, neque ùt cauſa peccati.

Nota 1. Excæcatus eſt ille, qui habet falſas perſuaſiones, quibus formar conſcientiam erroneam, & ad quas voluntas ita afficitur, ut præ *illis* quamlibet veriſimilitudinem, imò evidentiam ipſam contemnat & abjiciat. Obduratus eſt ille, qui pravum habet affectum, quo admonitiones divinas tum internas tum externas contemnit, iiſque reſiſtit: quipravus affectus dicitur cordis duritiem. Excæcatio autem & cordis duritiem ſunt peccatum, pœna peccati, & cauſa peccati.

Nota 2. Ex Bellarmino, l. 2. de Gratia c. 7. Auxilium ad vitanda nova peccata ſufficiens dat DEUS omnibus, modò per interiorem Gratiam excitantem, quoties ſcilicet ſine illa novum peccatum vitari nequit, & tunc dat Gratiam vel immediatè vel ſaltem mediatè ſufficientem: modò tentatorem cohibendo: modò periculum peccandi, & occaſionem tentationis amovendo: modò terro-

terrorem aliquem incutiendo: modò offerendo aliquid æquè aut etiam magis alliciens, &c.

ARTICULUS IV.

Utrùm infidelibus omnibus detur Gratia sufficiens ad salutem?

§. I.

Dico. Infidelibus omnibus, etiam iis, qui nil unquam audierunt de rebus Fidei, datur pro loco & tempore Gratia sufficiens ad salutem.

Prob. 1. Ex Script. Sap. c. 11. *Miserêris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti .... parcis autem omnibus: quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.* Certè si DEUS miseretur omnium, si parcit omnibus; quia sunt ejus creaturæ, si amat omnes animas, dat omnibus omnia media sufficientia ad salutem, 1. Tim. cap. 2. *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes .... pro omnibus hominibus .... Hoc enim bonum est & acceptum coram Salvatore nostro DEO, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire. Unus enim DEUS, & unus mediator DEI & hominum homo Christus JESUS, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ergo ex Apostolo DEUS vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; quia est DEUS omnium, & Christus pro omnibus mortuus est: sed est DEUS omnium absolutè, etiam infidelium, & Christus mortuus est pro omnibus omnino hominibus etiam infidelibus; nam mortuus est pro omnibus, qui inquinati sunt peccato originali, ùt testatur idem Apostolus, 2. Cor. c. 5. Hæc autem voluntas est affectus prosecutivus, *vi cujus* DEUS media ad rei intentæ consecutionem idonea adhibet. Nam si hæc voluntas esset tantùm sterilis ac simplex complacentia, Apostolus non diceret, orandum esse pro omnibus; quia DEUS vult omnes salvos fieri; dici enim rectè non potest, orandum esse pro dæmonibus; quia DEUS habet simplicem ac sterilem complacentiam circa illorum salutem secundùm se præcisè consideratam.

Prob. 2. Ex Patribus. S. Chrysost. Hom. 7. in Joann. *Si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quonam pacto tot homines sine lumine permanent? Neque enim omnes Christum cognoscunt. Quomodo ergo illuminat omnem hominem? Illuminat profectò, quantùm in ipso est. Si qui autem sponte sua, mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem dirigere noluerint, non ex luminis natura in tenebris perstiterunt, sed malitia sua, qui sponte tanto se dono indignos reddiderunt. Nam Gratia in omnes diffusa est .... qui autem ejus munere frui negligunt, hanc suâ cœcitatè sibi ipsis imputent.*

S. Ambrosius, in Psal. 118. conc. 8. *Mysticus sol ille justitiæ omnibus ortus est, & omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit..... Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris, radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus ipse se fraudavit: sed quod solis est, prærogativam suam servat: quod imprudentis est, communis à se Gratiam lucis excludit.*

S. August. in Psal. 18. *Et non est, qui se absondat à calore ejus. Cùm autem Verbum etiam caro factum est, & habitavit in nobis mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis; & ipsam enim penetravit Verbi calor.* Idem docet l. de spiritu & litter. c. 33. infrà cit.

S. Prosp. vel alius antiquus, & verè Catholicus Auctor librorum de vocatione Gentium, l. 2. c. 17. *Nunc in extremis mundi partibus sunt aliquæ Nationes, quibus nondum Gratia Salvatoris illuxit* (scilicet proximè sufficiens, & Fides. . . . *quibus tamen illa mensura generalis auxilii, quæ desuper omnibus semper hominibus est præbita, non negatur.* Et, cap. 26. *Opitulatio* (divina) *per innumeros modos, sive occultos, sive manifes-*

manifestos, omnibus adhibetur: & quòd à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ: quòd autem à multis suscipitur, & Gratiæ est divinæ, & voluntatis humanæ. Et, cap. 31. *Elaboratum est, quantùm Dominus adjuvit, ut non solùm in novissimis diebus, sed etiam in cunctis retrò sæculis probaretur, Gratiam DEI omnibus hominibus affuisse, providentia quidem pari, & bonitate generali, sed multimodo opere diversaque mensura: quoniam sive occultè, sive manifestè, ipse est, ut Apostolus ait, Salvator omnium hominum, maximè fidelium.*

Prob. 3. *Ratione Theologica.* DEUS vult salutem omnium omnino hominum, etiam infidelium nullo excepto, voluntatis actu prosecutivo, vi cujus adhibet media ad salutem intentam idonea. Ergo DEUS dat omnibus infidelibus etiam iis, qui nil de Christo audierunt, media ad salutem sufficientia. *Prob. antec.* DEUS vult salutem omnium omnino hominum, etiam infidelium nullo excepto, voluntatis actu prosecutivo, vi cujus adhibet media ad salutem intentam sufficientia, si voluit Christum mori pro salute omnium omnino hominum, etiam infidelium nullo excepto, ùt consentiunt omnes, etiam hæretici. Et verò mors Christi pro salute alicujus est effectus voluntatis prosecutivæ salutis illius, & non simplicis complacentiæ, qualem DEUS habet pro salute dæmonum secundùm se considerata, pro qua tamen Christus non est mortuus. Atqui DEUS voluit Christum mori pro omnibus omnino hominibus, nullo excepto. Ergo DEUS vult salutem omnium, &c. *Prob. min.* Reipsa Christus mortuus est pro salute omnium omnino hominum, nullo excepto. Ergo DEUS voluit, ut Christus moreretur pro salute omnium omnino hominum, nullo excepto; nam Christus, utpote perfectè in omnibus conformis voluntati Patris, nil fecit, nec obtulit Patri, nisi quod Pater æternus volebat & pro iis, pro quibus volebat fieri & offerri à Christo. *Prob. ant.* Ex illo. 2. Cor. c. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* Ubi Apostolus colligit, omnes omnino homines esse mortuos per peccatum Adami, ex eo, quòd Christus pro omnibus mortuus sit. Quæ conclusio esset falsa, si Christus non esset mortuus pro omnibus omnino hominibus nullo excepto; nam conclusio universalis inferri non potest, nisi ex propositione saltem æquè universali. Apostolum sic intelligit S. August. l. 6. contra Julian. c. 4. ubi ait: *Ex hoc probavit (Apostolus) omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Impingo, inculco, infercio recusanti: accipe, salubre est, nolo, moriaris. Unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Vide, quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est.*

Confirm. Ex hac propositione 5. ab Alexandro VIII. damnata: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt à JESU-Christo influxum: ideoque hinc rectè inferes, in illis esse voluntatem nudam & inermem sine omni Gratia sufficienti.* Et, ex his Quesnelli propositionibus à Clemente XI. damnatis. 26. *Nullæ dantur Gratiæ, nisi per fidem.* 27. *Fides est prima Gratia, & fons omnium aliarum.* 29. *Extra Ecclesiam nulla conceditur Gratia.*

§. II.

Solvuntur Objectiones ab auctoritate petitæ.

Obj. 1. Conc. Trid. sess. 6. c. 3. ait: *Verùm, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Sed si omnes acciperent Gratias sufficientes, omnibus communicaretur meritum passionis Christi; nam nulla Gratia datur hominibus, nisi ex meritis passionis Christi. Ergo.

Resp. Concilium hic per beneficium mortis Christi intelligit, non quodlibet beneficium seu auxilium datum ex mertis mortis Christi, sed solum beneficium mortis Christi completum in hac vita per justificationem, seu ipsam actualem redemptionem, quæ fit in hac vita per liberationem à peccato & Gratiam Sanctificantem: uno verbo, intelligit

ligit beneficium juſtificationis, ùt conſtat ex toto illo capite, ubi agitur de iis, qui per Chriſtum juſtificantur, ùt fert titulus, & ex ſcopo illius, & ratione, quam affert Concilium: *Nam* inquit, *niſi in Chriſto renaſcerentur, nunquam juſtificarentur; cùm ea renaſcentia per meritum paſſionis ejus, Gratia, qua juſti fiunt, illis tribuatur.* At præter hoc beneficium completum in hac vita, dantur ex meritis Chriſti alia beneficia ſalutis remota & imperfecta: nempe auxilia Gratiæ, quibus poteſt non poni impedimentum aliis auxiliis Gratiæ proximè diſponentibus ad juſtificationem & ſalutem.

Igitur ſenſus loci objecti eſt: Etſi Chriſtus pro omnium ſalute mortuus ſit, proindeque omnibus media ad ſalutem ſufficientia meruerit & obtinuerit: non tamen omnes recipiunt mortis ejus beneficium completum in hac vita, nempe juſtificationem: ſed ii duntaxat, quibus meritum paſſionis ejus perfectè communicatur ſeu applicatur per debitam Sacramenti ſuſceptionem, vel per Fidem, Spem, & Charitatem continentem votum Sacramenti.

Obj. 2. Act. c. 14. & 17. dicitur DEUS dimiſiſſe in præteritis generationibus omnes gentes ingredi vias ſuas, & deſpexiſſe illa tempora.

Reſp. Senſus eſt, quòd DEUS ante Chriſti adventum permiſerit longè plura crimina, & perditionem longè plurium hominum, atque multo pauciora ac minora auxilia Gratiæ ſuppeditarit: item, quòd Gentilibus non dederit legem ſcriptam, nec ad eos miſerit Prophetas, qui eos viam ſalutis docerent: imò quòd nullam Gratiam congruam, nec proximè ſufficientem præbuerit Gentilibus idololatris, ſaltem regulariter & ordinariè. Quamvis tamen tunc iis non denegaverit auxilium remotè ſufficiens ad ſalutem, quo ſcilicet poterant non ponere obicem fidei, non peccando graviter contra legem naturalem. Et verò Apoſtolus, c. 17. aſſerit, gentes illis ignorantiæ temporibus potuiſſe DEUM quærere & invenire: quod ſanè non potuerunt ſine Gratia ſufficienti. Quare DEUS ante Chriſti adventum Gentiles non dimiſit ſeu deſeruit abſolutè, ſed comparatè ad Judæos & Chriſtianos.

Hoc docet auctor librorum de vocatione Gentium, lib. 2. c. 4. & c. 25. ubi ait: *Sive igitur noviſſima contemplemur ſæcula, ſeu prima, ſeu media, rationabiliter & piè creditur, omnes homines ſalvos fieri DEUM velle, ſemperque voluiſſe: & hoc non aliunde monſtratur, quàm de iis beneficiis, eaque providentia DEI, quam univerſis generationibus communiter impendit. Fuerunt enim ac ſunt ejuſmodi dona ita generalia, ut per ipſorum teſtimonia ad quærendum verum DEUM poſſent homines adjuvari, quibus donis auctorem ſuum per omnia ſæcula proteſtantibus, ſpecialis Gratiæ largitas ſuperfuſa eſt: quæ licet copioſiùs nunc, quàm ante præſtetur, &c.*

Obj. 3. Illud, ad Epheſ. c. 2. *Eratis illo in tempore ſine Chriſto, alienati à converſatione Iſrael, & hoſpites teſtamentorum, promiſſionis ſpem non habentes, & ſine DEO in hoc mundo.* Ergo Epheſii ante converſionem ſuam carebant omni Gratia ſufficienti. Ergo, &c.

Reſp. Nego conſeq. Nam infideles illi rectè dicuntur ſine DEO, ſine Chriſto, & ſine ſpe promiſſionis fuiſſe, quia neque legem ſcriptam, neque promiſſionem receperant, ùt Judæi, & Chriſtum ejusque myſteria ignorabant, & ſic carebant Gratiis ad ſalutem proximè ſufficientibus. At non inde ſequitur, eos caruiſſe Gratiis remotè ſufficientibus ad ſalutem, quarum ope DEUM ùt auctorem naturæ cognoſcere, & legem naturalem ſervare potuerunt: quam ſi ſervaſſent, accepiſſent Gratias ulteriores proximè ſufficientes.

Obj. 4. Act. c. 16. Paulus prohibitus fuit à Spiritu Sancto, ne Evangelium in Aſia prædicaret. Ergo.

Reſp. 1. Paulus non prohibitus fuit, ne unquam in Aſia prædicaret, ſed tantùm, ne in Aſia Chriſtum prædicaret, niſi poſtquam in Macedonia Chriſtum prædicaſſet; nam poſtea multo tempore in Aſia prædicavit, multoſque ad fidem convertit.

Reſp. 2. *Nego conſeq.* Quia ex antecedente

te sequitur tantùm, Asianos ante prædicationem Pauli caruisse Gratia proximè sufficiente ad amplectendam fidem Christianam: at nihilominùs habuerunt pro loco & tempore Gratiam remotè sufficientem, qua si benè usi essent, proximè sufficientem accepissent.

Obj. 5. Ex Conc. Trident. Fides in Christum est humanæ salutis initium, & radix omnis justificationis.

Resp. Hoc verum est: non quia fides est prima Gratia: sed quia fides est prima dispositio proxima ad justificationem, & ad cæteras impellit ac requiritur.

Obj. 6. S. August. in variis locis. Nam 1. in Psal. 136. ait de infidelibus: *Quando illos videmus, & tam steriles eos invenimus, ut difficile nobis appareat in eis aliquid, unde duci possint ad fidem rectam, vel ad bona opera, vel ad spem futuri sæculi.* Et infra addit, quòd nullum fructum faciant, quòd non sapiant, &c.

Resp. S. Doctor dicit tantùm, *ut difficile nobis appareat:* quod non est asserentis infideles carere omni Gratia, quacum ad fidem pervenire possint. Quod autem infra addit, probat solùm, infideles illos, de quibus loquitur, carere Gratia efficaci. Et verò S. Augustinus, l. de spiritu & littera, c. 33. dicit, quòd infideles *experturi* sunt *in suppliciis potestatem ejus, cujus in donis misericordiam contempserunt.* Ergo ex S. Doctore infideles DEI dona ad salutem misericorditer acceperunt.

2. L. de Gratia & lib. arbit. cap. 13. asserit, Gratiam non omnibus dari. *Gratia verò*, inquit, *per fidem JESU Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa fides.*

Resp. Ibi loquitur de Gratia efficaci, qua cum obtinetur justificatio, ùt patet ex contextu. Quod etiam verum est de Gratia proximè sufficiente ad salutem.

3. Epist. 217. ad Vitalem de Gratia DEI ait: *Scimus, non omnibus hominibus dari.*

Resp. Loquitur ibi de Gratia habituali, ùt patet ex antecedentibus, & ex his verbi sequentibus: *Et quibus datur, non solum secundùm merita operum non dari, sed nec secundùm merita voluntatis eorum, quibus datur: quod maximè apparet in parvulis.* Ubi manifestè loquitur de Gratia, quæ datur etiam parvulis. At parvuli non sunt capaces Gratiæ actualis, sed solùm habitualis.

4. Serm. 26 edit. novæ ait: *Communis est omnibus natura, non Gratia.*

Resp. Ibi loquitur de Gratia habituali seu sanctificante: & hoc verum est etiam de Gratia actuali tum efficaci, tum proximè sufficiente.

Dices. S. Doctor asserit, Gratiam efficacem non omnibus dari, ut appareat eam nemini deberi, sed esse donum merè gratuitum. Ergo etiam sensit Gratiam sufficientem non dari omnibus, ut appareat nulli deberi, & quibus datur, gratuito dari.

Resp. Neg. *conseq.* Nam per hoc non affert omnem & solam rationem sufficientem, cur Gratia efficax non omnibus detur: sed solùm congruitatis rationem: nec dicit, quòd, ut Gratia appareat esse donum gratuitum, requiratur, ut non detur omnibus. Nam Gratiam efficacem nulli debitam esse, apparet etiam sufficienter ex eo, quòd detur indignis, ùt docet ipsemet S. Doctor, lib. de dono persever. c. 12. ubi ait: *Dando quibusdam, quod non merentur, profectò gratuitam, & per hoc veram suam Gratiam esse voluit.* Ergo ex S. Augustino, ut Gratia efficax appareat esse donum merè gratuitum, necesse non est, ut non detur omnibus. Ergo idem dicendum de Gratia sufficienti.

Obj. 7. S. Prosper, in respons. 4. ad capitula Gallorum asserit, non omnes vocari ad fidem: nec proinde ad salutem.

Resp. Solùm vult, non omnes vocari vocatione proximè sufficiente, nec omnibus Evangelium annuntiari. Item docet, DEUM non æqualiter velle salutem omnium hominum, nec omnibus dare æqualem Gratiarum mensuram. Sed non negat, omnibus dari Gratiam saltem remotè sufficientem: imò hoc docet in eodem opere, asserendo, DEUM curare salutem omnium hominum, & neminem carere fide nisi sua culpa. Nam sic ait, in resp. 8. *Omnium ergo hominum cura est DEO: & nemo est, quem non aut Evangelica*

gelica prædicatio, aut legis testificatio, aut ipsa etiam natura conveniat. Sed infidelitatem hominum ipsis adscribamus hominibus. Fidem autem hominum donum DEI esse fateamur, sine cujus Gratia (efficaci) *nemo currit ad Gratiam*, id est, fidem: quæ est donum DEI gr tuitum; quatenus nemo credit, nisi dependenter à Gratia congrua gratis à DEO data.

Obj. 8. Error fuit Semipelagianorum admittere Gratiam quamdam generalem omnibus oblatam; sic enim eorum doctrinam exponit S. Prosper, in sua ad S. Augustinum Epistola. *Hæc ipsorum*, inquit, *definitio ac professio est.... universis hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento Sanguinis Christi, sine exceptione esse propositam: ut quicunque ad fidem & ad Baptismum accedere voluerint, salvi esse possint.*

Resp. Error Semipelagianorum non fuit in eo, quòd sensérint Gratiam sufficientem omnibus offerri: sed in eo, quòd vellent ipsam fidem generaliter omnibus ex parte DEI sic offerri, ut illam consequeretur, quicunque vellet, ex solis naturæ viribus: unde hæ voces *(ut quicunque ad fidem accedere voluerint)* intelligi debent de actu voluntaris merè naturali, ùt constat ex ipso Prospero.

§. III.

Solvuntur Objectiones petitæ à ratione.

Obj. 1. Si Gratia sufficiens daretur omnibus, esset communis omnibus. Ergo non esset Gratia.

Resp. Neg. conseq. Nam ut id, quod commune est omnibus, sit Gratia, sufficit, quòd non sit debitum, & non detur omnibus, nisi gratis & ex mera misericordia, aut liberalitate: ùt patet in Gratia data omnibus Angelis in instanti suæ creationis. Gratia autem sufficiens nemini debetur, & omnibus gratis atque ex mera misericordia datur: idque sufficienter, cùm detur indignis; omnes enim homines ob peccatum originale indigni sunt omni beneficio divino.

Dices. S. Thomas, q. 24. de veritate, a. 15. ait: *Si Gratia omnibus datur, videtur esse aliquod naturale donum; nam in nullo inveniuntur omnes convenire, nisi in aliquo naturali.*

Resp. 1. Constat, Gratiam fuisse omnibus Angelis datam, nec propterea in illis desiisse esse donum supernaturale & gratuitum.

Resp. 2. Ibi S. Doctor agit de Gratia habituali, non actuali: nempe refellit ibi opinionem eorum, qui dicerent, omnibus infundi habitualem Gratiam, per quam possent se præparare ad Gratiam gratum facientem accipiendam. Contra quod opponit S. Thomas, quòd sic videretur tale donum Gratiæ esse de genere donorum, quæ cum natura tanquam aliqua ejus appendix accipiuntur. Sed sic respondet ex hypothesi peccati originalis, in qua nemini sine Sacramentis in re vel in voto debitè susceptis infunditur Gratia habitualis: & verò S. Thom. l. 3. contra Gentes, c. 19. ait: *DEUS, quantùm in ipso est, paratus est omnibus Gratiam dare; vult enim omnes homines salvos fieri.*

Porro divina Gratia non promiscuè omnibus datur, sed cum magno delectu; nam aliis uberior ac fortior, aliis parcior, aliis efficax, aliis merè sufficiens, aliis remotè tantùm sufficiens pro DEI beneplacito datur.

Obj. 2. Infideles, qui nihil unquam audierunt de Christo, nullam accipiunt Gratiam ad fidem, nec proinde ad salutem assequendam.

Resp. Neg. Itaque infideles omnes ex meritis Christi accipiunt Gratias remotè sufficientes ad fidem & salutem consequendam, quibus si cooperarentur, acciperent alias proximè sufficientes. Nam infideles omnes ex meritis Christi accipiunt auxilia Gratiæ quibuscum possunt non ponere impedimentum vocationi ad fidem, quod si non apponerent, servando legem naturalem quantùm possunt, profectò vocarentur, & instruerentur, vel per homines DEO ita disponente sine miraculo, vel ministerio Angelorum, vel per illustrationem internam à DEO immediatè impressam. Quod non esset miraculum

culum, ùt notat Suarez, ſed effectus providentiæ ſupernaturalis. DEUS enim paratus eſt ad vocandos & illuſtrandos omnes lumine fidei.

Ita docet S. Thomas, q. 14. de veritate, art. 11. ad 1. ubi ait: *Hoc.... ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de neceſſariis ad ſalutem, dummodo ex parte ejus non impediatur. Si enim aliquis taliter nutritus* (in ſylvis) *ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni & fuga mali, certiſſimè eſt tenendum, quòd ei DEUS vel per internam inſpirationem revelaret ea, quæ ad credendum ſunt neceſſaria, vel aliquem fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium.* Act. 10.

Dices 1. Infideles nullum auxilium accipiunt, quocum poſſint non ponere impedimentum vocationi ad fidem. Ergo.

Reſp. Neg. ant. Nam ex meritis Chriſti accipiunt aliquod auxilium ſupernaturale, quocum poſſunt ſervare legem naturalem, & ſic non peccare graviter. Si autem legem naturalem ſervarent, quantùm poſſunt, nec graviter peccarent, non ponerent impedimentum vocationi ad fidem, & ſic eam tempore opportuno acciperent propter merita Chriſti. Nunquam tamen poſſunt hanc vocationem mereri etiam de congruo, nec ad eam ſe diſponere: ſed præcisè poſſunt cum auxilio ſupernaturali ſibi oblato eam non impedire, & non impediendo accipere. *Nulli homini ablatum eſt ſcire utiliter quærere, quod inutiliter ignoratur*, ait: S. Auguſtinus, l. 3. de libero arbitrio, c. 19. & c. 22. ſic ait: *Quòd ignorat anima, quid ſibi agendum ſit, ex eo eſt, quod nondum accipit: ſed hoc quoque accipiet, ſi hoc, quod accepit: bene uſa fuerit. Accepit autem, ut piè & diligenter quærat, ſi volet.* Igitur infideles ſua culpa privantur ſupernaturali vocatione ad fidem; quia nempe legem naturalem graviter violant.

Dices 2. Rom. cap. 10. dicitur: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine Prædicante?.... ergo fides ex auditu.*

Reſp. Senſus eſt, quòd ſecundùm legem DEI ordinariam non habeatur fides ſine auditu, & ſine homine Prædicante: non autem, quòd nunquam aliter haberi poſſit, ùt notat S. Auguſtinus, l. de dono perſever. c. 19. ubi dicit: *Pauciſſimis eſſe donatum, ut nullo ſibi homine prædicante, per ipſum DEUM vel per Angelos Cœlorum doctrinam ſalutis accipiant.* Præterea ſi DEUS neminem niſi per hominem inſtruere decreviſſet, aliquem efficaciter excitaret ad tradendam ſalutis doctrinam infidelibus, ſi vocationi fidei impedimentum non apponerent.

Nota. Infideles, qui nil unquam de rebus fidei audierunt, non habent Gratias proximè ſufficientes ad fidem: ſed tantùm Gratias remotè ſufficientes, quæ conſiſtunt in auxiliis Gratiæ ad ſervandam legem naturalem ſufficientibus: quibus ſi cooperarentur ſervando legem naturalem, & non peccando graviter, acciperent Gratias ulteriores proximè ſufficientes ad fidem, nempe doctrinam fidei, & Gratiam internam, qua excitarentur ad credendum ea, quæ ipſis proponerentur.

Dices 3. Ex S. Auguſtino Fides eſt prima Gratia.

Reſp. Hoc non dicit: ſed ſolùm dicit, quòd Fides ſit prima, ex qua impetrantur cætera, quæ ad juſtificationem proximè diſponunt, & quibus opera vitæ æternæ meritoria fiunt. Nam ſic ait, l. de prædeſtin. Sanct. c. 7. *Ex fide autem ideo dicit juſtificari hominem, non ex operibus: quia ipſa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ propriè opera nuncupantur, in quibus juſtè vivitur.* Fides autem eſt initium ſalutis proximum & radix juſtificationis; quia primum locum tenet inter bonos illos actus, qui proximè diſponunt ad juſtificationem, & ad illos impellit. Et verò multi Infideles vocati ſunt ad Fidem, qui tamen non crediderunt, & qui (ùt ait S. Auguſtinus) experturi ſunt poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.

Dices 4. S. Auguſtinus variis locis docet, Fidem eſſe primam Gratiam; nam

1. Ait, l. de Grat. & lib. arbit. c. 13. *Gra-*

Gratia per Fidem JESU Christi eorum tantummodo est, quorum est ipsa Fides.

Resp. Ibi loquitur de Gratia habituali, seu Sanctificante, contra Pelagianos, docentes, naturam & legem sufficere ad justificationem & salutem.

2. Epist. ad Vitalem dicit, initium Fidei esse initium bonæ voluntatis.

Resp. Solùm vult contra Semipelagianos, initium fidei proficisci à pia voluntate credendi, quæ sit donum DEI & effectus Gratiæ.

3. Tract. 3. in Joann. ait: *Hanc accepit primam Gratiam*, nempe fidem & remissionem peccatorum.

Resp. Ibi fidem primam Gratiam vocat, non absolutè, sed comparatè ad gloriam. Nempe ibi comparat fidem cum gloria: utramque dicit Gratiam esse: sed primam sine nostris meritis dari, posteriorem verò, nimirum gloriam, quamvis partam meritis, esse etiam Gratiam, quatenus acquiritur per fidem priùs gratis acceptam, & per alia bona opera ex Gratia gratis data profecta.

Obj. 3. Si infideles habent Gratias sufficientes ad servandam legem naturalem, possunt in illo statu amare DEUM super omnia propter se. *Falsum conseq.* alioqui possent justificari & salvari sine fide in Christum. Ergo.

Resp. Neg. maj. Quia infideles non habent Gratias proximè sufficientes ad observandum primum & maximum mandatum de charitate. Infideles igitur, quamdiu sunt in statu infidelitatis, habent quidem Gratias sufficientes ad cognoscendum DEUM per creaturas, ad illum adorandum, & rogandum media salutis, & ad servanda alia præcepta legis naturalis, præter charitatis DEI mandatum. At nunquam habent in illo statu Gratias proximè sufficientes ad amandum DEUM super omnia propter se; quia DEUS decrevit, neminem excitare & adjuvare ad actum charitatis perfectæ, nisi post elicitam fidem explicitam mysteriorum Trinitatis & Incarnationis. Ad hoc tamen habent Gratias remotè sufficientes, quatenus habent Gratias sufficientes ad alia præcepta in hoc statu servanda: quæ si servarent, misericorditer vocarentur & excitarentur ad fidem, quam si elicerent, postea excitarentur à DEO ad actus spei & charitatis eliciendos.

Dices 1. Ergo salus est impossibilis infidelibus.

Resp. Neg. Quia si servarent præcepta legis naturalis, quæ possunt in illo statu servare, & adorarent ac orarent verum DEUM, acciperent Gratias proximè sufficientes ad fidem: quibus si cooperarentur, debitum actum fidei eliciendo, postea excitarentur à DEO ad actus spei, charitatis & pœnitentiæ eliciendos. Quare infideles non possunt quidem salvari remanentes in statu infidelitatis, sed possunt ex illo statu emergere, fidem consequi, & postea aliis actibus elicitis justificari & salvari.

Dices 2. Non potest explicari, in quo consistat auxilium illud Gratiæ infidelibus concessum, ad legem naturalem servandam. Ergo non datur.

Resp. 1. *Neg. conseq.* Quia ut aliquid tamquam certum affirmemus, non necesse est, ut possimus illud explicare: sed sufficit, quòd illud nobis aliunde constet. Quòt enim certò existunt, quæ qualia sint, & quomodo fiant, ignoramus. Certum est autem, DEUM infidelibus dare ex meritis Christi auxilia aliqua Gratiæ ad servandam legem naturalem; nam si nulla acciperent, vel non peccarent, legem naturalem violando: vel tenerentur ad impossibile, & necessariò peccarent imputabiliter: vel solis naturæ viribus possent totam legem naturalem servare, excepto præcepto charitatis divinæ. Quæ omnia certò falsa sunt. Itaque sufficit, quòd sciamus, DEUM saluti infidelium sufficienter providisse.

Resp 2. *Neg. ant.* Et dico, auxilium illud Gratiæ consistere in supernaturali illustratione mentis, & motione voluntatis, quibus infideles illustrantur, excitantur, & adjuvantur ad servandam legem naturalem. Hæc autem illustratio, præter honestatem virtutis & turpitudinem vitii, proponit illis DEUM rerum omnium Conditorem, optimum, sapientissimum, potentissimum, ac

ſupremum Dominum, rectorem atque proviſorem creaturarum omnium, præſertim rationalium, ultorem ſcelerum ſeu actionum naturæ rationali diſſentanearum, & remuneratorem bonorum operum, colendum. Quæ omnia quidem cognoſcunt per effectus creatos, ſed mediante illuſtratione ſupernaturali.

Dices. 3. Hinc ſequitur, infidelitatem negativam, qua ſcilicet laborant ii, qui nil unquam audierunt de Chriſto, eſſe voluntariam ſaltem indirectè, nempe in voluntaria violatione legis naturalis: ideoque eſſe peccatum illis imputabile. *Falſum conſ.* Ergo.

Reſp. Neg. ſequel. maj. Quia, ut aliquid ſit voluntarium, quamvis indirectè tantùm, & in alio, non ſufficit, quòd ſequatur ex illo: ſed inſuper requiritur, ut cognoſcatur vel cognoſci poſſit, ſequi ex illo: alioqui enim non eſt voluntarium ùt connexum cum illo, ſeu ùt ſequens ex illo; nam quod nullatenus cognoſcitur, nec cognoſci poteſt, nullatenus eſt voluntarium. Atqui infideles, qui nil unquam de rebus fidei audierunt, non cognoſcunt, nec cognoſcere poſſunt, carentiam fidei chriſtianæ ſequi ex violatione legis naturalis: ſed invincibiliter ignorant, ſe ſuis peccatis infidelitati cauſam dare. Ergo infidelitas ſeu carentia fidei nullatenus eſt illis voluntaria, ne indirectè quidem, proindeque illis imputari non poteſt ad culpam perſonalem.

Obj. 4. Saltem DEUS nulla ſalutis media dat parvulis infidelium ſine Baptiſmo morientibus.

Reſp. Neg. Nam Chriſtus pro illis omnibus mortuus eſt, & Baptiſmum inſtituit ex voluntate ſincera licèt inefficaci, ut omnibus applicaretur: & eorum parentibus, vel iis, ad quos cura illorum pertinet, dat media ſufficientia ſaltem remotè ad Baptiſmum his parvulis procurandum: quibus ſi urgerentur, parvuli illi baptizarentur, & ſic ſalvarentur.

Dices. 1. Parvuli infidelium ante adultam ætatem morientes ſine Baptiſmo nulla media ſalutis accipiunt.

Reſp. Media ſalutis non accipiunt quidem immediatè; quia non poſſunt illa media per ſe ipſos adhibere, cùm rationis uſu careant: ſed illa accipiunt mediatè in parentibus, vel aliis, ad quos cura illorum pertinet. Id docet Author librorum de vocatione Gentium, l. 2. c. 23. his verbis: *Non irreligioſè arbitror credi.... quòd iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant Gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus, qua utique ſi bene uterentur eorum parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur, &c.* Itaque infantes, qui ſine Baptiſmo moriuntur, pereunt quidem propter peccatum originale, eo quòd iis Baptiſmus non applicetur. Sed Baptiſmus iis non confertur propter infidelitatem, vel negligentiam, aut malitiam parentum, vel eorum, ad quos illorum cura pertinet, quibus DEUS ex meritis Chriſti dedit auxilia ſufficientia ad vitandam illam infidelitatem, vel negligentiam, vel malitiam, ut parvulis illis Baptiſmum procurarent.

Dices 2. Parentes infideles ignorant vim ac neceſſitatem Baptiſmi. Ergo non poſſunt illum procurare ſuis liberis.

Reſp. Quamvis infideles illi non poſſint in ſtatu ſuæ ignorantiæ procurare Baptiſmum ſuis liberis; tamen acceperunt à DEO auxilia ſufficientia; ut non ſolùm ſuæ, ſed etiam liberorum ſaluti providerent. DEUS enim intuitu non ſolùm ſalutis propriæ parentum, ſed etiam ſuorum liberorum, quam ſincerè, licèt inefficaciter, vult, dedit illis auxilia ſufficientia ad obſervandam legem naturalem, quam ſi ſervarent, acciperent Gratias proximè ſufficientes ad fidem conſequendam, & ad Baptiſmum ſuſcipiendum. Deinde Chriſtiani effecti excitarentur proximè ad Baptiſmum liberis procurandum. Quæ media ſeu auxilia ulteriora ſunt illis præparata, ſed non dantur, quia illis impedimentum culpabiliter apponunt ſuis peccatis.

Dices. 3. Multi infantes in utero matrino moriuntur, aut nati è vita excedunt, antequam baptizari poſſint, quantumcunque conantibus, feſtinantibusque parentibus, vel aliis ad illos baptizandos.

Reſp. Media ſufficientia ad applicandum illis parvulis Baptiſmum collata ſunt ſuo tempore parentibus, vel aliis, qui ſi iſtis mediis

mediis rectè usi fuissent hi parvuli ante mortem baptizati fuissent. Nam Christus mortuus est *pro salute omnium* infantium nullo excepto: ideoque DEUS vult sincerè illorum salutem, & consequenter iis ex meritis Christi suppeditavit media sufficientia ad salutem: *Ibi* (in peccato originali) *sunt & parvuli, quia & pro ipsis Christus mortuus est: qui propterea pro omnibus mortuus est, quia omnes mortui sunt*, inquit S. Augustinus, l. 2. oper. imperf. *n.* 175.

Dices 4. Qui id fieri potest: nam illi infantes ex mala sua constitutione in utero materno moriuntur, vel nati statim decedunt sine Baptismo, quamvis parentes faciant, quod possunt, ut iis Baptismum procurent.

Resp. Impotentia illa procurandi parvulis istis Baptismi oritur ex aliqua culpa eam antecedente: ad quam culpam vitandam DEUS dedit media sufficientia ex intentione, ut Baptismus parvulis illis applicaretur. Sic ex intemperantia, vel alia culpa, aut negligentia parentum vel avorum, aut aliorum hominum peccato, putà percussione matris, infantes in utero materno moriuntur, aut tam infirmi nascuntur, ut statim nati excedant. Quare parentes tum, cùm faciunt, quod in se est ad procurandum suis liberis Baptismum, non accipiunt quidem Gratias sufficientes ad applicandum iis Baptismum, quippe qui sine miraculo vivere non possunt, donec receperint: sed anteà acceperunt Gratias ad illam impotentiam & ejus causam avertendam sufficientes.

Dices 5. S. Augustinus carentiam Baptismi illorum parvulorum non adscribit culpæ parentum.

Resp. S. Doctor solùm vult, culpam parentum non esse causam, cur DEUS non habeat voluntatem efficacem Baptismi & salutis illorum parvulorum; quia non obstante tali culpa, potest velle efficaciter illos baptizari, & si efficaciter vellet, revera baptizarentur.

Porro sunt, qui respondent, media aliqua, licèt nobis occulta ad applicandum infantibus istis Baptismum præparata esse ex meritis Christi: sed non fuisse reipsa collata ex defectu causarum secundarum, quarum ordinem DEUS *invertere non tenetur*, nec effectus impedire. Neque enim DEUS miraculum facere tenetur, etiam ex hypothesi voluntatis sinceræ sed inefficacis & conditionatæ, ut Baptismus iis conferatur: nempe volunt, voluntatem divinam generalem salvandi *omnes omnino* homines pendere in executione à generalibus Providentiæ Legibus.

Obj. 5. Judæi nullas habuerunt Gratias sufficientes ad salutem. Ergo nunc alii infideles non habent.

Resp. Neg. ant. Nam Judæis Gratia sufficiens ad Legem implendam & salutem consequendam dabatur ex meritis Christi venturi absolutè prævisis, ùt constat ex Isai. 5. Ubi DEUS sic Israelitas alloquitur: *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Et, Matth. 23. *Jerusalem quoties volui congregare filios tuos, &c. & noluisti.* Vide dicta, Art. 3. §. 2.

Inst. Lex nova dicitur & est Lex Gratiæ. Ergo Judæis nulla dabatur Gratia.

Resp. Neg. conseq. Nam Lex nova dicitur & est Lex Gratiæ, non quòd nulla daretur Gratia in veteri Lege, in qua constat multos fuisse Sanctos: sed quia Lex nova per se & ratione sui dat Gratiam, nempe per sua Sacramenta Gratiam conferentia ex opere operato: & quia in Lege nova propter exhibita merita Christi ejus Authoris longè uberiores & potentiores hunc conferuntur Gratiæ: cùm è contra Lex vetus per se & ratione sui nullam conferret Gratiam; nec Judæi justificabantur per Legem aut ex virtute Legis, sed ex Fide in Christum Mediatorem venturum, tamquam dispositione ad justitiam misericorditer consequendam.

CAPUT V.

De necessitate Gratiæ.

ARTICULUS I.

Utrùm homo possit sine Gratia interna aliquid conducens ad salutem?

§. I.

Dico 1. Homo sine Gratia interna præveniente non potest quidquam velle, agere,

agere, perficere, aut etiam inchoare, quod conducat ad salutem æternam. Hæc assertio est de Fide contra Pelagianos & Semipelagianos.

Prob. 1. Ex Script. Joann. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Joann. c. 15. *Sine me nihil potestis facere.* 2. Cor. c. 3. *Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex DEO est.* Phil. c. 1. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi JESU.* Et, c. 2. *DEUS est, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Qui textus secundùm interpretationem Patrum significant, nos sine Gratia interna præveniente non posse velle, agere, vel etiam incipere ullum opus salutare.

Prob. 2. Ex Summis Pontificibus, nimirum Innoc. I. in sua ad Conc. Milevitanum epist. ubi ait: *Cùm in omnibus divinis paginis voluntati liberæ non nisi adjutorium DEI legamus esse nectendum, eamque nihil posse cœlestibus præsidiis destitutam, quonam modo huic soli possibilitatem hanc pertinaciter defendentes, sibimet imò plurimis Pelagius Cœlestiúsque persvadent?*

Zozimo, Epistola ad omnes Orbis Episcopos apud Cœlestinum I. in Epist. ad Galliæ Episcopos, sic loquente: *In omnibus actibus, causis, cogitationibus, motibus, adjutor & protector orandus est. Superbum est enim, ut quicquam sibi humana natura præsumat.*

Item ex Capitulis, quæ Cœlestini I. Epistolæ ad Gallos subjiciuntur, & ex Definitionibus Summorum Pontificum & Conciliorum Africanorum in materia Gratiæ excerpta sunt: nempe, c. 5. ubi dicitur: *Quòd omnia studia, & omnia opera ac merita Sanctorum ad DEI gloriam laudemque referenda sunt; quia nemo aliunde ei placet, nisi ex eo, quod ipse donaverit* Et c. 6. *Quòd ita DEUS in cordibus hominum, atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex DEO sit, quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.*

Prob. 3. Ex Patribus. S. Cyprianus, lib. 3. ad Quirin. cap. 4. *In nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit.* S. Ambrosius, l. 2. in Luc. cap. 3. *Ubique Domini virtus studiis cooperatur humanis, ut nemo possit ædificare sine Domino, nemo custodire sine Domino, nemo quicquam incipere sine Domino.* S. Hieronymus, lib. 3. contra Pelagianos, ait, *Dominum Gratia sua nos in singulis operibus juvare atque sustentare.* S. Gregorius Magnus, Hom. 9. in Ezech. *Nos prævenit, ut velimus, & volentes subsequitur, ne inaniter velimus.*

S. Augustinus, l. de Gratia Christi, cap. 26. *Gratiam DEI, qua charitas DEI diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est, sic confiteatur, qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni, sine illa quodad pietatem pertinet veramque justitiam, fieri posse non dubitet.* Et, l. 15. de Civit cap. 6. *Si DEUS nec interiore Gratia mentem regat atque agat, nihil prodest homini prædicatio veritatis.* Et, Epist. 194. n. 16. *Etiam ipsa oratio inter Gratiæ munera reperitur.* His adde S. Chrysost. & Hieronym. infrà citand.

Prob. 4. Ex Conciliis, scilicet, 1. Palestino in causa Pelagii coacto definiente, *Gratiam DEI ad singulos actus dari*, id est ad singulos actus salutares requiri.

2. Carthaginensi totius Africæ à Sede Apostolica approbato, & à tota Ecclesia recepto apud S. Prosperum, in resp. ad caput 8. Galiorum ubi dicitur: *Cum ducentis quatuordecim Sacerdotibus, quorum constitutionem contra inimicos Gratiæ DEI totus mundus amplexus est, veraci professione, quemadmodum ipsorum habet sermo, dicamus, Gratiam DEI per JESUM Christum Dominum, non solùm ad cognoscendam, verùm etiam ad faciendam justitiam, nos per actus singulos adjuvare: ita ut sine illa nihil veræ sanctæque pietatis habere, cogitare, dicere, agere valeamus.*

3. Arausicano II. c. 7. sic definiente: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere posse confirmat, absque illumi-*

natione

vatione & inſpiratione Spiritus Sancti, hæretico fallitur ſpiritu. Accedit Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 3. infrà citand.

Prob. 5. Ex ſenſu & praxi Eccleſiæ, quæ petit à DEO, ut *actiones noſtras aſpirando præveniat, & adjuvando proſequatur:* Atque gratias agit DEO pro omni opere bono ſeu ſalutari.

Ratio eſt. Quia media debent eſſe proportionata fini, & ejusdem cum illo ordinis. Sed ſalus æterna, utpote conſiſtens in perfecta DEI fruitione, eſt quid ſupernaturale, excedens omnem exigentiam & vires cujuſlibet creaturæ. Ergo media quælibet ad eam conducentia debent eſſe ſupernaturalia: ideoque naturæ vires & exigentiam ſuperant. Quidquid autem conducit ad ſalutem, cenſetur & eſt in æſtimatione prudenti medium ſalutis. Hinc S. Bernardus, lib. de Gratia ait: *Conatus liberi arbitrii caſſi ſunt, ſi non adjuventur: nulli, ſi non excitentur.*

§. II.

Dico 2. Homo nihil poteſt ex ſolis naturæ viribus facere, quo ſe aliquo modo diſponat ad Gratiam actualem recipiendam. Eſt de Fide contra Semipelagianos.

Prob. 1. Quia omnis actus ad Gratiam actualem recipiendam diſponens, eſt actus ad ſalutem conducens. Atqui, ut modo oſtendi, homo ex ſolis naturæ viribus & ſine Gratia actuali nullum poteſt opus facere, quod ad ſalutem conducat. Ergo homo ex ſolis naturæ viribus nullum actum diſponentem ad Gratiam actualem facere poteſt.

2. Ex illo, ad Rom. c. 11. *Si autem Gratia, jam non ex operibus: alioquin Gratia jam non eſt Gratia.* Quæ verba juxta Patrum interpretationem ſignificant, Gratiam etiam actualem non dari intuitu ullius operis naturalis, etiam ut meræ conditionis.

3. Hæc propoſitio: *Gratia ſecundùm merita noſtra datur*: ut hæretica damnata fuit à Patribus contra Pelagianos & Semipelagianos. Sed ſi homo poſſit ex ſolis naturæ viribus facere aliquid, quo ſe diſponeret ad Gratiam actualem recipiendam, Gratia ſecundùm merita noſtra daretur. Nam hæc propoſitio ut hæretica damnata eſt à Patribus etiam in hoc ſenſu, quòd Gratia actualis detur intuitu ſeu cauſa alicujus operis merè naturalis. Patres enim (ut docet Bellarminus, l. 2. de Gratia, c. 12.) meritum appellant in hac materia quodlibet opus, ratione cujus Gratia vel auxilium homini datur. Denique, quia alioqui homo in negotio ſalutis poſſet in ſe gloriari: nec DEUS eſſet primaria noſtræ ſalutis origo, ſed voluntas humana foret prima radix juſtificationis & ſalutis: quod repugnat Scripturæ & veræ humilitati chriſtianæ.

Ratio eſt. Quia omnis diſpoſitio quamdam habere debet proportionem cum forma, ad quam diſponit. Actus autem naturalis nullam habet proportionem cum Gratia, quæ eſt ordinis ſupernaturalis.

§. III.

Dico 3. Prorſus repudiandum eſt pactum, quod quidam Theologus dicit Patrem æternum iniviſſe cum Chriſto, ut daret ex ejus meritis & ex mera liberalitate Gratiam homini, facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus: quamvis illa opera naturalia moraliter bona *per ſe non diſponant nec* præparent ad primam Gratiam actualem recipiendam: ſed ea per accidens tantùm ſe ad Gratiam habeant: nempe ex ſolo illo pacto gratuito à Patre æterno cum Chriſto propter ejus merita inito.

Prob. 1. Quia illud pactum eſt prorſus fictitium, & nullo Scripturæ vel Traditionis momento nititur. Decreta autem DEI libera nobis innoteſcere non poſſunt, niſi per revelationem divinam, quæ ſolùm in Scriptura & Traditione continetur.

2. Repugnat Patribus & Conciliis, à quibus damnati ſunt errores Semipelagianorum, præſertim Cœleſtino I. in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ dicenti, *Quòd nemo niſi per Gratiam libero benè utatur arbitrio*, nempe in iis, quæ pertinent ad ſalutem. Et Conc. Arauſicano II. c. 5. ubi damnat eum, *Qui*

ſine Gratia DEI volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, ſtudentibus, &c. nobis miſericordiam dicit conferri. Et, can. 7. ſupra cit. & can. 22. ubi ait: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum*: hoc eſt, nemo in ordine ad ſalutem abſque Gratia præveniente quidquam poteſt, niſi demereri. Item repugnat Chriſto dicenti, *Sine me nihil poteſtis facere.* Hoc eſt, ùt exponunt Patres, ſine Gratia interna præveniente nihil poteſtis, quod ullatenus conducat ad ſalutem. Pactum autem ſupradictum, ſi exiſteret, eſſet tantùm Gratia externa.

3. Quia ſi facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus datur Gratia actualis, quamvis ex pacto Patris æterni cum Filio, certè datur in nobis initium aliquod ſalutis: initium, quo Gratia prævenitur: in negotio ſalutis liberum arbitrium præit, & Gratia interna ſubſequitur: Gratia interna voluntatis pediſſequa eſt: homo poteſt ex ſolis naturæ viribus aliquid aliquo modo conducens ad ſalutem. Quæ omnia Fidei repugnant, & in Pelagianis ac Semipelagianis reprobata ſunt à Summis Pontificibus & Conciliis.

4. Inde ſequeretur, hominem ſolis naturæ viribus poſſe ſe diſcernere ab infideli, nempe per actum bonũ merè naturalem, quo facto acciperet primam Gratiam actualem, qua crederet, vel ſaltem credere poſſet, imò qua ſe diſponeret, vel ſaltem diſponere poſſet ad juſtificationem.

Quare hoc pactum à Clero Gallicano anno 1700. damnatum fuit cum hac propoſitione: *Facienti quod in ſe eſt ex ſolis naturæ viribus, DEUS non denegat Gratiam.*

§. IV.

Dico 4. Homo non poteſt ſolis naturæ viribus ſe diſponere ad Gratiam habitualem recipiendam. Eſt de Fide contra Pelagianos.

Prob. Quia homo ſolis naturæ viribus ſe ad Gratiam habitualem diſponere non poteſt, neque immediatè, neque mediatè. Ergo nullatenus.

Prob. 1. *pars ant.* Quia non poteſt ſe ad illam diſponere immediatè & proximè, niſi per actus Fidei, Spei, & Charitatis perfectæ, vel imperfectæ cum Sacramento. Atqui non poteſt ex ſolis naturæ viribus ſe diſponere per hos actus; nam hi actus fieri non poſſunt ſine Gratia præveniente, ùt definit Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 3. his verbis: *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, diligere aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis Gratia conferatur: anathema ſit.*

Prob. 2. *pars.* Nam homo non poteſt mediatè & remotè ſe diſponere ad juſtificationem ſolis naturæ viribus, niſi poſſit ſolis naturæ viribus ſe diſponere ad recipiendam Gratiam actualem, quacum elicere poſſit actus Fidei, Spei, Charitatis, vel Pœnitentiæ. Atqui hoc non poteſt, ùt probatum eſt. Ergo.

§. V.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Illud, 1. Reg. cap. 7. *Præparate corda veſtra Domino.* Et illud, Luc. c. 3. *Parate viam Domini.*

Reſp. In his & aliis ſimilibus textibus non excluditur, ſed ſupponitur Gratia præveniens. Igitur ſenſus eſt, quòd Gratia præveniente excitati & adjuti debeamus tollere impedimenta majoribus Gratiæ donis, quæ DEUS ex pura miſericordia paratus eſt nobis dare. Sed ut præparemus nos ad majora beneficia recipienda, neceſſe eſt, ut DEUS priùs noſtram voluntatem præparet per Gratiam prævenientem, qua tollantur impedimenta illis majoribus Gratiæ donis, ùt docent Patres.

Obj. 2. Illud, Zachar. c. 1. *Convertimini ad me.... & ego convertar ad vos.*

Reſp. Converſio illa, ad quam DEUS nos hortatur, debet eſſe ſupernaturalis, & fieri per Gratiam prævenientem. Unde ſenſus eſt, ut divina Gratia excitati & adjuti nos convertamus ad DEUM per veram contritionem:

tionem: & DEUS se reconciliabit nobis, suam amicitiam & Gratiam Sanctificantem restituet. Itaque *in hoc textu* & aliis similibus commendatur quidem liberum arbitrium, sed non excluditur Gratia præveniens: sicut in hoc textu Psalmistæ: *Converte nos DEUS salutaris noster*, & aliis similibus commendatur Gratia præveniens, sed non excluditur liberum arbitrium. Hinc Concil. Trid. sess. 6. c. 5. ait: *Cùm dicitur:* Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: *libertatis nostræ admonemur. Cùm respondemus:* Converte nos Domine, & convertemur: *DEI nos Gratia præveniri confitemur.*

Obj. 3. Paulus, Rom. c. 7. ait: *Velle adjacet mihi: perficere autem bonum non invenio.* Ergo desiderium salutis est à nobis.

Resp. Nego conseq. Nam sensus Apostoli est, quòd cum Gratia DEI velit aliquid, quod obtinere non potest sine ulteriore Gratia. Volebat quippe facere bonum facilè & perfectè, perfectione excludente omnem contrarium concupiscentiæ motum.

Obj. 4 Cornelius Centurio oratione & eleemosynis sine Gratia factis obtinuit Gratiam, qua ad fidem & justificationem perveni. Ergo.

Resp. Neg. ant. Nam ejus oratio & eleemosynæ factæ sunt ex auxilio Gratiæ prævenientis, imò ex fide supernaturali veri DEI ut remuneratoris: quod objectum fidei à Judæis, vel per illustrationem internam didicerat. *Nec tamen sine aliqua fide donabat & orabat*, ait S. Augustinus, l. de prædestin. Sanct. c. 7.

Obj. 5. Justinus Martyr apolog. 2. docet, eos, qui ante Christum cum ratione vixerunt, Christianos fuisse.

Resp. Solùm vult, eos, qui ante Christi adventum rationis ductum secuti sunt, in hoc ipso legem Christianam servasse, quæ legis naturalis observantiam præcipit, & sic quodam modo Christianos fuisse. At legem naturalem in rebus difficilibus servare non potuerunt sine DEI Gratia.

Obj. 6. Clemens Alexandrinus, l. 1. strom. matum docet, Græcos veniisse ad Christum per Philosophiam, & ab ea fuisse justificatos. Et, l. 7. dicit Philosophiam Græcam præparare animam ad fidem.

Resp. Solùm vult Philosophos ope luminis naturalis bona quædam opera ordinis naturalis fecisse, & ad DEI cognitionem pervenisse. Asserendo autem, Philosophiam præparare ad fidem, valde impropriè locutus est, & solùm intendit, Philosophiam tollere aliqua ad fidem impedimenta, quæ sine illa fuissent. Nam ipse, in libris stromatum 2. 5. & 6. omnia hominum merita tribuit Gratiæ: & contendit, DEI cognitionem, quæ ad justificationem necessaria est, haberi non posse sine Gratia.

Obj. 7. S. Hilarius, l. 8. de Trinitate, dicit, DEUM *non dare nobis voluntatem: quæ si data esset, non haberet fides præmium.* Et in Psalm. 118. dicit, incipiendi à nobis originem esse.

Resp. Ad 1. Solùm intendit contra Manichæos, DEUM non dare nobis voluntatem, ipsam necessitando: quod indicant verba sequentia.

Resp. Ad 2. Vult solùm significare, determinationem ad bonum esse nostræ voluntatis Gratia præventæ & adjutæ. Nam ibidem agnoscit, ex divinæ bonitatis munere incipere orationem deprecantis salutem, & omnia à bonitate divina inchoari.

Obj. 8. S. Chrysostomus docet, vel supponit, hominem posse ex solis naturæ viribus aliquid ad salutem conducens, & se ipsum præparare ad Gratiam. Nam hom. 9. in Genesim sic ait: *Gratia parata est, quærens, qui se cum largitate suscipiant. Quòd si DEUS viderit animam vigilem, & desiderium fervens, ipse suas divitias largiter suppeditat.* Et, hom. 27. in Joann. *Hinc admoneri possumus, DEUM suis in nos beneficiis nostras non prævenire voluntates, sed à nobis incipiendum esse. Sed cùm nos prompto paratoque animo ad suscipiendam Gratiam exhibemus, tunc multas nobis offert salutis occasiones.* Et, homil. 12. in Epist. ad Hæbræos. *Oportet nos eligere primùm, quæ bona sunt: & tunc DEUS, quæ sua sunt, introducit. Non antecedit nostras voluntates, ne lædat arbi-*

trium: cùm autem nos elegerimus, multam tunc affert auxiliationem Ergo.

Resp. Neg. ant. Nam S. Doctor multi locis docet, omnes actus salutares, seu conducentes ad salutem esse à Gratia præveniente, ùt hom. 13. in Joann. *Gratia DEI semper in beneficiis priores sibi partes vindicat.* Et, hom. 22. in Gen. *Quia in nostra voluntate totum post Gratiam DEI relictum est, ideo & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones.* Et, hom. in c. 4. 1. ad Cor. *Igitur quod accepisti habes, neque hoc tantùm aut illud, sed quidquid habes; non enim merita tua hæc sunt* (id est, ex solis tuis viribus naturalibus proveniunt) *sed DEI Gratia. Quamvis fidem adducas, quamvis dona, quamvis doctrinæ sermonem, quamvis virtutem, omnia tibi inde provenerunt. Quid igitur habes, quæso, quod acceptum non habeas? Num ipse per te rectè operatus es? Non sanè: sed accepisti.... propterea cohibearis oportet; non enim tuum id munus est, sed largientis.*

Igitur quamvis in locis objectis & aliis similibus mentionem Gratiæ non faciat, eam tamen semper supponit, & alibi ejus necessitatem sufficienter exprimit, ùt in textibus allatis. Ideo autem in locis objectis & aliis similibus Gratiam prævenientem non memorat, quia totus est in defendendo libero arbitrio contra Manichæos, & in adducendis hominibus ad exercenda bona opera, & excutienda eorum negligentia: ne scilicet homines putent, se in omnibus à DEO sic præveniri per Gratiam, ut nihil sibi agendum relinquatur.

Quare in textibus objectis intendit solùm, quòd DEUS non det, saltem communiter, magna Gratiæ dona ad exercenda præstantiora virtutum opera, nisi iis, quorum voluntas jam præparata fuerit, scilicet per Gratiam prævenientem, sed minorem & ad minùs excellentia opera excitantem. Item, quòd DEUS non præveniat nostras voluntates, totum faciendo, & nihil nobis agendum relinquendo: sed cum præparati fuerimus bene utendo Gratia accepta, putà Gratia orationis & boni desiderii, tunc DEUS multas ulteriores & potentiores Gratias nobis suppeditat. Nam revera bonus usus minorum donorum est dispositio ad majora beneficia. Sic expones similes textus aliorum Patrum.

Obj. 9. S. Hieronymus, in dialogo 3. contra Pelagianos ait: *Quæ* (justitia) *labore, & industria ac diligentia, & super omnia DEI clementia custoditur, ut nostrum sit rogare, illius sit tribuere, quod rogatur: nostrum incipere, illius perficere: nostrum offerre, quod possumus, illius perficere, quod non possumus.*

Resp. Supponit Gratiam, qua possumus orare, incipere, velle: & intendit, ista præstare nostrum esse dependenter à Gratia præveniente & adjuvante, ita tamen, ut plus sæpe non possimus, sed DEI sit dare nobis uberiorem Gratiam, quacum majora possimus præstare. Nam cum Gratia, quam habemus non possumus quidlibet præstare, sed aliquando possumus tantùm orare, & bonum aliquod opus incipere, & ita boni operis initium seu desiderium DEO offerre: cui Gratiæ si cooperemur, DEUS uberiores & potentiores Gratias concedet, quibuscum bonum propositum exequi, & plura ac præstantiora opera efficere possimus.

Hanc esse mentem Sancti Doctoris, patet ex eo, quòd clarè agnoscat Gratiæ prævenientis necessitatem ad quemlibet actum salutarem, ùt Epist. ad Demetriadem, ubi ait: *Velle & nolle nostrum est, ipsumque, quod nostrum est, sine DEI miseratione nostrum non est.* Et, Epist. ad Ctesiphontem: *Velle & currere meum est: sed ipsum meum sine DEI semper auxilio non erit meum.*

Sic explicabis aliquos aliorum Patrum textus similes, quibus nempe solùm intendunt, nos cum certo Gratiæ auxilio multa velle, ad quæ perficienda opus sit ulteriore auxilio uberiore & fortiore. In aliis verò locis, qui objici possunt, Patres supponunt Gratiam prævenientem. Sic cùm Sanctus Ambrosius, in Psalm. 36. ait: *Ne expectes, ut excitet te Christus, sed potiùs Christum excita:* solùm significat orandum esse Christum cum ejus Gratia, ad obtinendum ab

eo

eo majus auxilium ad executionem boni necessarium.

Obj. 10. Si homo nil salutare incipere & facere possit sine Gratia præveniente, non erit liber. *Falsum conseq.* Ergo.

Resp. Equidem homo sine Gratia præveniente non est liber ad ullum bonum salutare incipiendum & agendum, cùm à Gratia accipiat potentiam illud inchoandi & agendi: sed cum Gratia est liber; quia Gratia voluntatem non necessitat, sed sanat, excitat, complet, corroborat, & adjuvat. *Peccato Adæ arbitrium liberum de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo: ad benè autem piéque vivendum non valere; nisi ipsa voluntas hominis DEI Gratia fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, sermonis, cogitationis adjuta.* Inquit Sanctus Augustinus, lib. 2. contra duas Epist. Pelagian. c. 5.

Obj. 11. Hoc axioma Theologicum: *Facienti quod in se est, DEUS non denegat Gratiam.*

Resp. Sic intelligi debet: facienti quod in se est, consentiendo & cooperando Gratiæ prævenienti acceptæ, DEUS non denegat Gratiam habitualem, vel Gratiam actualem ulteriorem majorem proximè sufficientem ad salutem & ad servanda præcepta. Nam falsum est, facienti quod in se est ex solis naturæ viribus, DEUM non denegare Gratiam actualem vel habitualem, ùt constat ex dictis, assertione 2. 3. & 4.

Dices. Prædictum axioma verum est etiam in hoc sensu, quòd DEUS homini ex solis naturæ viribus quantùm potest bene operanti, det certò Gratiam actualem, sed gratis & ex liberalitate, ita ut bonus naturalium virium usus præcedens, habeat solam rationem dispositionis negativæ, removendo obicem Gratiæ.

Resp. Nego. Nam si hoc verum esset, 1. Homo sine Gratia bene seu utiliter ad salutem libero uteretur arbitrio: & in ordine ad salutem haberet aliquid de suo, quod non esset peccatum: quæ duo repugnant Conc. Arausicano. 2. In negotio salutis liberum arbitrium præiret, & Gratia interna subsequeretur: homo sine Gratia interna posset aliquid conducens aliquo modo ad salutem: daretur in nobis initium aliquod salutis. 3. Quæstio Semipelagianos inter & Catholicos tota esset fere de nomine: an scilicet bona opera naturalia, quibus certò obineretur Gratia, dici deberent aliquo modo merita, necne.

ARTICULUS II.

Utrùm & quando justus indigeat Gratiæ actuali?

Nota. HOmo justus, quamdiu justus est, habet Gratiam Sanctificantem cum habitibus infusis fidei, spei & charitatis, imò & habitibus supernaturalibus virtutum moralium. Gratia Sanctificans, per quam DEI filii adoptivi, hæredes & amici constituimur, actiones nostras supernaturales dignificat, redditque de condigno meritorias gloriæ cœlestis & illius augmenti, positis ponendis. Habitus verò supernaturales fidei, spei, charitatis, & virtutum moralium reddunt justum permanenter habilem ad actus supernaturales & meritorios: ejus potentias, nempe intellectum & voluntatem perficiunt, elevant, easque reddunt proportionatas actibus vitæ supernaturalis. Hinc jis, qui habitibus supernaturalibus destituti sunt, necessarium est auxilium à Gratia illustrationis & inspirationis realiter distinctum, quod habeat se per modum principii activi, potentias de se ad actum supernaturalem improportionatas elevantis, & proportionatas reddentis, supplendo defectum habituum supernaturalium. Hoc autem auxilium supplens quodammodo defectum habituum supernaturalium, secundùm alios est ipsa omnipotentia DEI, ùt parata cum creatura concurrere concursu supernaturali potentiori: vel secundùm alios quædam qualitas transiens, non vitalis, à DEO potentiis impressa eo tantùm fine, ut per modum comprincipii potentias illas reddat proportionatas ad actum supernaturalem eliciendum cum auxilio illustrationis & inspirationis.

§. I.

Dico 1. Gratia habitualis cum habitibus infusis non sufficit ad eliciendos actus salutares: sed requiritur etiam Gratia actualis tum illustrationis, tum piæ motionis. Accedit ad fidem: imò mihi videtur sufficienter definitum ac declaratum per Tridentinum.

Prob. 1. Ex Script. Joann. c. 15. *Sine me nihil potestis facere.* Quæ verba ex Patribus & Conciliis significant, sine Gratia illuminationis & inspirationis gratis ex meritis Christri data nullum opus ad salutem conducens fieri posse. Et Phil. c. 2. *DEUS est, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Quibus verbis Apostolus alloquitur præsertim justos, & significat, omnem deliberatam volitionem salutarem & ejus executionem effici à DEO per Gratiam excitantem & adjuvantem gratis donatam.

Prob. 2. Ex dictis, art. 1. ubi ostensum est ex Patribus & Conciliis generatim hominem nihil posse velle vel agere salutare sine Gratia & adjutorio Christi. Patres autem & Concilia per Gratiam & adjutorium status naturæ lapsæ semper intelligunt non solùm illustrationem supernaturalem intellectus, sed etiam, & potissimum, immediatam ac supernaturalem motionem voluntatis.

Prob. 3. Ex Conciliis. 1. Ex Conc. Diospolitano & Carthaginensi, Gratia ad singulos actus datur: hoc est, nullus actus salutaris fieri potest sine Gratia. Sed Gratia illa, quæ dicitur necessaria ad quosvis actus salutares, non est Gratia habitualis. Ergo est Gratia actualis. *Prob. min.* Nam sine Gratia habituali fiunt actus salutares: nempe illi, qui disponunt ad justificationem.

2. Ex Conc. Arausicano II. c. 7. sic pronunciante: *Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare aut eligere posse confirmat, absque illuminatione & inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo, hæretico fallitur spiritu, non intelligens vocem DEI in Evangelio dicentis: sine me nihil potestis facere.*

3. Ex Conc. Tridentino, sess. 6. cap. 16. ubi ait: *Cùm enim ille ipse Christus JESUS tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat: quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto DEO grata & meritoria esse possent.* Per virtutem illam manifestè intelligit Gratiam actualem; nam alioqui omnes actus naturales moraliter boni essent in justis meritorii; nam hos Gratia Sanctificans semper antecedit, comitatur, & subsequitur. Præterea hæc vox *influit* significat, non esse aliquid permanens. Denique Gratia Sanctificans semper manet in justis venialiter peccantibus: unde de illa dici nequit, quòd antecedat, comitetur & subsequatur bona eorum opera, non alia.

Prob. 4. Ex capitulo sexto inter multa, quæ Cælestini Epistolæ ad Gallos subjiciuntur, & Catholicam de Gratia fidem continent. Hoc c. sic habet: *Quòd ità DEUS in cordibus hominum atque in ipso libero operetur arbitrio, ut sancta cogitatio, pium consilium, omnisque motus bonæ voluntatis ex DEO sit? quia per illum aliquid boni possumus, sine quo nihil possumus.*

Adde Sanctum August. pluribus locis: unus hic sufficiat, lib. de nat. & Grat. cap. 26. *Sicut enim oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere: sic & homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere.* Intelligit autem lucem non solùm illuminantem, sed etiam accendentem.

Accedit ratio. Quia Gratia Sanctificans & habitus supernaturales non refrænant per se & immediatè concupiscentiam, quæ etiam in justis remanet. Neque ad id sufficit cogitatio bona: sed requiritur insuper immediata supernaturalis motio voluntatis indeliberata, qua ipsa voluntas contra concupiscentiæ motus roboretur, & ad bonum supernaturale inclinetur. Item requiritur Gratia actualis ad determinandos habitus supernaturales: alioqui non agunt.

§. II.

§. II.

Dico. 2. Ad ſervanda omnia mandata divina & ad ſuperandas graves tentationes neceſſaria eſt, etiam homini juſto, actualis Gratia illuminationis & inſpirationis.

Prob. 1. Ex Script. Chriſtus, Matth. c. 26. ſuos Apoſtolos juſtos ſic alloquitur: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem* Et Rom. cap. 7. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia DEI per JESUM Chriſtum.* Per Gratiam hic manifeſtè intelligitur Gratia actualis.

Prob. 2. Ex 1. cap. 6. Epiſt. Cæleſtini I. ad Gallos. *Neminem etiam Baptiſmatis Gratia renovatum, idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad evincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium DEI perſeverantiam bonæ converſationis acceperit.*

Prob. 3. Ex Conc. Arauſicano II. can. 10. ubi definit: *Adjutorium DEI etiam renatis ac Sanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare.* Per adjutorium illud intelligit Gratiam actualem; nam renati ac Sancti jam habent Gratiam habitualem. Si autem Gratia actualis ſemper eſt imploranda juſtis. Ergo ſemper iis neceſſaria eſt ad præcepta ſervanda. Et, can. 19. *Natura humana, etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam, Creatore ſuo non adjuvante, ſervaret. Unde cùm ſine DEI Gratia ſalutem non poſſit cuſtodire, quam accepit, quomodo ſine DEI Gratia poterit reparare, quod perdidit?*

Adde Sanctum Auguſtinum, qui contra Pelagianos probat neceſſitatem Gratiæ actualis etiam in juſtis ad vitandum peccatum.

Obj. 1. Conc. Milevitanum ſeu Carthaginenſe, can. 3. definit, Gratiam juſtificantem non tantùm valere ad remiſſionem peccatorum, quæ jam commiſſa ſunt, verùm etiam in adjutorium, ne committantur. Ergo Gratia habitualis ſufficit juſtis, &c.

Reſp. Nego conſeq. Quia Gratia Sanctificans ex ſapientia, bonitate, & promiſſione divina habet ſibi annexa Gratiæ actualis auxilia ad ipſam Gratiam Sanctificantem conſervandam & ad ſervanda mandata neceſſaria. Nam ad ſapientiam & bonitatem DEI pertinet, ut Gratiæ Sanctificanti annexa ſint Gratiæ auxilia, ſine quibus impoſſibilis eſſet Legis obſervatio, ad quam ipſa ex natura ſua tendit. Hinc S. Auguſtin. in Pſal. 7. de peccatore & juſto loquens ait: *Ibi miſericors auxilium eſt; quia nullum habet meritum peccator .... hic autem juſtum auxilium eſt; quia jam juſto tribuitur.* Concilium autem ibi damnat Pelagium docentem, hominem non indigere Gratia actuali interna ad ſervanda mandata: & Gratiam baptiſmalem remittere tantùm peccata, nec dare jus ad auxilia Gratiæ.

Obj. 2. Gratia habitualis cum ſuis habitibus infuſis id totum poteſt, quod Gratia actualis. Ergo.

Reſp. Neg. ant. Nam habitus infuſi non excitant ad agendum: & non coercent concupiſcentiæ motus nec voluntatem contra eos roborant: alioqui quamdiu haberemus Gratiam Sanctificantem, ſemper haberemus pias cogitationes, excitationes & volitiones. Imo habitus per ſe præcisè non agunt, niſi ex applicatione & determinatione voluntatis, quæ ut illos ad agendum determinet, eget auxilio ſupernaturali ab iis diſtincto.

Inſt. Gratia Sanctificans cum ſuis habitibus eſt principium ſupernaturale.

Reſp. Principium incompletum: non autem completum & ſufficiens.

Dices. Gratia Sanctificans cum ſuis habitibus reddit hominem habilem ad actus meritorios.

Reſp. Reddit habilem incompletè, non verò completè, niſi per Gratias actuales ipſi annexas; nam ad actus ſalutares requiritur principium excitans & corroborans.

§. III.

Dico 3. Homo juſtus cum ordinariis Gratiæ auxiliis Gratiæ Sanctificanti ſeu habituali an-

li annexis vitare omnia peccata venialia toto vitæ tempore non poteſt potentia morali, ſeu potentia, quæ non deficiat, ſed reducatur ad actum. Eſt de Fide.

Prob. Eccleſiaſtis cap. 7. *Non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Jacob. cap. 3. *In multis offendimus omnes.* 1. Joann. c. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus: ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.*

Prob. 2. Ex S. Auguſt. lib. de nat. & Gratia, c. 36. *Hac ergo Virgine* (DEIpara) *excepta, ſi omnes illos Sanctos & Sanctas, cùm hic viverent, congregare poſſemus, & interrogare, utrùm eſſent ſine peccato: quid fuiſſe reſponſuros putamus? . . . . Nonne una voce clamaſſent: ſi dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipſos decipimus: & veritas in nobis non eſt.* Et lib. de dono perſever. c. 2. *Nam tria ſunt, ùt ſcitis, quæ maximè adversùs eos* (Pelagianos) *Catholica defendit Eccleſia: quorum eſt unum, Gratiam DEI non ſecundùm merita noſtra dari; quoniam DEI dona ſunt, & DEI Gratiâ conferuntur etiam merita univerſa juſtorum: alterum eſt, in quantacumque juſtitia ſine qualibuſcumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere: tertium eſt, obnoxium naſci hominem peccato primi hominis.*

Prob. 3. Ex Concil. Tridentino, ſeſſ. 6. can. 23. *Si quis hominem ſemel juſtificatum dixerit . . . . poſſe in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare niſi ex ſpeciali DEI privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Eccleſia: anathema ſit.*

Ratio eſt. Quia Gratia Sanctificans cum habitibus & auxiliis ei annexis non tollit concupiſcentiam inordinatam, cui nunquam conſentire, ſaltem ex ſubreptione & infirmitate, abſque ſpeciali auxilio non poſſumus potentia ad actum reducenda. Item, quia nemo omnia venialia vitare poteſt toto vitæ tempore, niſi ſemper ac indeſinenter ad ſeipſum & ad omnia prorſus attendat, & vim ſibi in omnibus inferat, nulla unquam negligentia torpeat, nulli vel leviſſimo concupiſcentiæ & inordinato motui vel leviter conſentiat; nam ad peccatum veniale ſufficit quælibet vel leviſſima inordinatio & libertas. Atqui hæc omnia fieri non poſſunt potentia ad actum reducenda cum ordinariis Gratiæ auxiliis, & ſine ſpeciali privilegio. Ergo.

Obj. 1. Luc. c. 1. De Zacharia & Elizabeth dicitur: *Erant autem juſti ambo ante DEUM, incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela.* Et Job laudatur, quòd ſe abſtinuerit ab omni opere malo.

Reſp. ad 1. Senſus eſt, quòd omnia mandata ſervarent ſic, ut ea nunquam graviter ſeu in re gravi violarent: quod non impedit, quominus aliqua leviter læderent.

Reſp. ad 2. Senſus eſt, Jobum ſe abſtinuiſſe ab omni peccato gravi.

Obj. 2. Ergo juſtus aliquando neceſſariò peccat venialiter.

Reſp. Neg. Quia quamvis juſtus ſine ſpeciali DEI privilegio non poſſit potentia morali & reducenda ad actum vitare omnia venialia: poteſt tamen cum ordinariis Gratiæ auxiliis ea vitare potentia phyſica & reducibili tantùm ad actum.

Porro ſenſus Patrum & Concilii eſt, quòd ſine ſpeciali DEI privilegio, nemo, etiam juſtus, poſſit vitare omnia venialia ſic, ut reipſa nulla committat. Nam impoſſibilitas moralis, quæ potentiam reducendam ad actum excludit, & quæ conſiſtit in maxima difficultate, quæ non ſuperatur, ſufficit, ut quid dicatur ſimpliciter fieri non poſſe.

Ob. 3. Illud, 1. Joann. 5. *Omnis, qui natus eſt ex DEO, non peccat.*

Reſp. Non peccat, dum ex divinæ nativitatis principio, nempe ex charitate & habitibus infuſis agit: non autem, dum ex alio principio agit, prout agere poteſt, & quandoque agit, v. g. ex concupiſcentia.

ARTCULUS III.

Utrùm homo ſine Gratia poſſit ſuperare aliquam tentationem?

Nota. TEntatio generatim, prout hic ſumitur, eſt excitatio ad peccatum,

catum. Duplex est, gravis, & levis. Tentatio gravis est ea, quæ vehementer impellit ad peccatum: & consistit in vehementi motu concupiscentiæ. Tentatio levis est levis excitatio ad peccatum. Certum est, nullam vel leviſſimam tentationem ſine Gratia Chriſti vinci poſſe meritorie & utiliter ad ſalutem; nam ùt conſtat ex dictis, nullus actus ſalutaris ſeu conducens aliquo modo ad ſalutem fieri poteſt ſine Gratia.

Dico. Homo non poteſt ſolis naturæ viribus & ſine Gratia interna, vel ſpeciali protectione DEI ullam tentationem gravem ſuperare, ità ut non peccet.

Prob. 1. Ex Script. Pſal. 17. *In te eripiar à tentatione.* Matth. c. 26. *Orate, ut non intretis in tentationem.* Et c. 6. *Ne nos inducas in tentationem.*

Prob. 2. Ex Summis Pontificibus, Innocentio I. in ſua ad Concil. Carthaginenſe Epiſtola, ubi ait: *Niſi magnis precibus Gratia in nos implorata deſcendat, nequicquam* (nos) *terrenæ labis, & mundani corporis vincere conari errores; cùm pares nos ad reſiſtendum, non liberum arbitrium, ſed DEI ſolum facere poſſit auxilium.* Et inferiùs Chriſtum *nobis quotidiana præſtare remedia: quibus niſi freti conſiſique nitamur, nullatenus humanos vincere poterimus errores. Neceſſe eſt enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.*

Zozimo, in ſua ad omnes Orbis Epiſcopos dogmatica Epiſtola apud Cæleſtinum I. in Epiſt. ad Galliæ Epiſcopos ſic pronunciante: *Quod ergo tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, cauſis, cogitationibus, motibus adjutor & protector orandus eſt. Superbum eſt enim, ut quicquam ſibi humana natura præſumat, clamante Apoſtolo: non eſt nobis colluctatio adverſùs carnem & ſanguinem, ſed contra principes & poteſtates aëris hujus, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus.* Et ex capitulo 3. ejuſdem Epiſtolæ Cæleſtini ſubjecto, ubi dicitur: *Neminem etiam baptiſmatis Gratia renovatum, idoneum eſſe ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad evincendas carnis concupiſcentias, niſi per quotidianum adjutorium DEI perſeverantiam bonæ converſationis acceperit.*

Prob. 3. Ex Conc. Milevitano, in ſua ad Innoc. I. Synodica Epiſt. ubi apud eum Pelagianos accuſat, quòd dicant: *Illud,* ne nos inferas in tentationem, *non ità intelligendum, tanquam divinum adjutorium poſcere debeamus, ne in peccatum tentati decidamus: ſed hoc in noſtra poſitum eſſe poteſtate, & ad hoc implendum ſolam ſufficere hominis voluntatem.*

Prob. 4. Ex S. Auguſtino, l. de perfectione juſtitiæ in fine, ubi ait: *Quiſquis negat, nos orare debere, ne intremus in tentationem: (negat autem hoc, qui contendit ad non peccandum Gratiæ DEI adjutorium non eſſe homini neceſſarium, ſed ſola Lege excepta humanam ſufficere voluntatem;) ab auribus omnium removendum & ore omnium anathematizandum, non dubito.* Et lib. de Gratia Chriſti, c. 27. ubi in hæc Pelagii verba (*Divinam mereamur Gratiam, ut faciliùs nequam ſpiritui Sancti Spiritus auxilio reſiſtamus.* Ita loquitur: *Ut quid hoc verbum interpoſuit, id eſt, faciliùs? An verò non erat integer ſenſus, ut nequam ſpiritui Sancti Spiritus auxilio reſiſtamus; Sed quantum detrimentum hoc additamento fecerit, quis non intelligat? Volens utique credi, tantas eſſe naturæ vires, quas extollendo præcipitat, ut etiam ſine auxilio Spiritus Sancti, etſi minùs facilè, tamen aliquo modo nequam ſpiritui reſiſtatur.* Adde S. Ambroſium, in Pſal. 43. *Quis eſt tam fortis, ut nequaquam in tentatione moveatur, niſi Dominus adjutor ei aſſiſtat?*

Dixi: *Ità ut non peccet?* nam vinci poteſt una tentatio peccando, & cedendo alteri: ad quod certè non opus eſt Gratia.

Obj. 1. illud, Geneſ. c. 4. *Sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius.* Ergo homo poteſt ſolis naturæ viribus vincere tentationes, quæ ex concupiſcentia oriuntur.

Reſp. Neg. conſeq. Nam ideo homo poteſt dominari, & reipſa dominatur appetitui ſuo, ſi velit, quia vel DEUS cohibet dæmonem, & impedit gravem tentationem: vel homini Gratiæ auxilia ad vitandas tentationes

tationes ſuppeditat: vel paratus eſt ſuppeditare, & ſuppeditabit ea petentibus.

Obj. 2. Ex Sancto Hieronymo, ad vitia non neceſſitate trahimur.

Reſp. Hoc verum eſt: ſed ideò verum eſt, quia cùm tentamur, nunquam deeſt auxilium divinum ad tentationes ſuperandas proximè vel remotè ſufficiens internum, vel ſaltem externum, conſiſtens in ſpeciali protectione & providentia DEI dæmonem cohibentis, vel quovis alio modo concupiſcentiam reprimentis.

Obj. 3. Pius V. & Gregorius XIII. damnarunt Baji propoſitionem 29. & 30. qua fures & latrones appellat eos, qui docent: *Tentationi ſine Gratiæ adjutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic ut in eam non inducatur, aut ab ea non ſuperetur.*

Reſp. Hæc propoſitio damnata eſt, vel propter ſuam generalitatem, ſeu quatenus tam leves quàm graves tentationes complectitur: vel propter gravem cenſuram injuſtam iis, qui oppoſitum docent. Porro ſine Gratia vinci poteſt levis tentatio; nam per peccatum Adami extinctæ non fuerunt penitus liberi arbitrii vires circa bonum ſibi proportionatum. Patres verò aliqui, cùm dicere videntur, nos ſine Gratia nulli tentationi reſiſtere poſſe, per tentationem ſimpliciter prolatam intelligunt gravem tentationem.

Obj. 4. Homo poteſt ſolis naturæ viribus ſuperare graviſſimas difficultates ex motivo vanæ gloriæ, vel alio naturali. Ergo.

Reſp. Neg. conſeq. Diſparitas eſt. Quia motiva ſenſibilia & humana ſeu naturalia homines lapſos multùm afficiunt: honeſtas verò & motivum virtutis parùm admodum: & ſic totam relinquit difficultatem, non tollit, neque minuit.

Obj. 5. Homo non peccat ſine libertate. Ergo, dum ſine Gratia ſuccumbit tentationi & peccato, potuit non ſuccumbere ſine Gratia.

Reſp. Qui peccat ſine Gratia, is potuit habere Gratiam ad non peccandum, eam petendo; nam ſemper adeſt Gratia orandi, cùm urget tentatio vel præceptum, niſi ei obex culpabiliter apponatur. Unde qui peccat ſine Gratia, potuit non peccare; quia potuit habere Gratiam ad non peccandum.

ARTICULUS IV.

Utrùm ſine Gratia interiore credi poſſint myſteria Fdei?

Dico. Nemo ſine ſupernaturali illuſtratione & inſpiratione credere poteſt Fide chriſtiana myſteria Fidei noſtræ, quantumvis credibiliter propoſita. Eſt de Fide contra Pelagianos & Semipelagianos.

Prob. 1. Ex Scriptura, Epheſ. c. 2. *Gratia eſtis ſalvati per Fidem, & hoc non ex vobis*; *DEI enim donum eſt.* Et Philipp. c. 1. *Vobis donatum eſt pro Chriſto, non ſolùm ut in eum credatis, ſed ut etiam pro illo patiamini.* Ergo ex Apoſtolo Fides Chriſtiana eſt donum DEI. Sed non eſt donum DEI, niſi quia non elicitur niſi dependenter à Gratia interiore & adjuvante, gratis data.

Prob. 2. Ex Conc. Arauſicano II. can. 5. ſic definiente: *Si quis ſicut augmentum, ità etiam initium Fidei, ipſumque credulitatis affectum, non per Gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus Sancti, ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus adverſarius approbatur.* Et ex Concil. Tridentino, ſeſſ. 6. can. 3. *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere... poſſe, ſicut oportet, &c. anathema ſit.*

Prob. 3. Ex Sancto Auguſtino l. de prædeſtin. Sanct. c. 2. *Sicut nemo ſibi ſufficit ad incipiendum vel perficiendum quodcunque opus bonum... unde in omni opere bono & incipiendo & perficiendo ſufficientia noſtra ex DEO eſt: ita nemo ſibi ſufficit vel ad incipiendam vel ad perficiendam Fidem: ſed ſufficientia noſtra ex DEO eſt.*

Prob. 4. *Ratione Theologica.* Quia nullum opus ſalutare ſine Gratia interiore fieri poteſt, ùt conſtat ex art. 1. Sed Fides chriſtiana eſt opus ſalutare, imò ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 8. *Fides eſt humanæ ſalutis initium,*

tium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere DEO. Ergo.

Obj. 1. Calvinistæ sine Gratia credunt mysteria Trinitatis & Incarnationis; nam eodem modo hæc credunt, quo suos errores. Ergo.

Resp. Neg. conseq. Quia Hæretici hæc mysteria non credunt Fide divina, sed humana. Nam vel non credunt mysterium Trinitatis propter revelationem divinam, sed propter hominum, putà suorum ministellorum auctoritatem: vel si credunt propter revelationem divinam, non credunt propter revelationem divinam ex pio affectu sese in omnibus plenè submittendi DEO revelanti credibiliter: ùt patet ex eorum pertinacia in rejiciendis aliis dogmatibus Fidei nostræ.

Obj. 2. Homo potest assensu naturali credere mysteria Fidei propter revelationem divinam sibi propositam. Ergo.

Resp. Esto ant. neg. conseq. Nam etiamsi homo posset utcunque credere actu naturali mysteria Fidei propter revelationem divinam sibi propositam; tamen non potest ea credere Fide christiana. Quia credere Fide christiana, est ex pio affectu se se in omnibus plenè submittendi DEO revelanti credibiliter, credere prudenter & firmissimè res revelatas à DEO, quantumvis humanam intelligentiam superantes, præcisè propter auctoritatem DEI revelantis, ideoque propter revelationem divinam, quæ sit evidenter credibilis credenti. Quod sanè fieri non potest sine Gratia; nam neque intellectus potest sine Gratia illustrationis attingere credibilitatem revelationis, neque voluntas sine Gratia illustrationis & inspirationis efficaciter moveri honestate & necessitate se submittendi plenè DEO, & ex hac pia volitione velle captivare intellectum in obsequium Fidei & firmissimè credere res revelatas.

Dices. Motiva credibilitatis possunt naturaliter cognosci ab intellectu.

Resp. Non possunt cognosci sufficienter ad Fidem christianam sine Gratia interiore; nam ad Fidem christianam necesse est, ut motiva credibilitatis evidenter judicentur *credibilia esse* ùt *signa divina*, & cum revelationis existentia infallibiliter connexa. Ad quod requiritur *Gratia illustrans & elevans* intellectum.

ARTICULUS V.

Utrùm DEUS amari possit solis naturæ viribus.

Nota. AMor DEI duplex distinguitur: alius est DEI, ùt Authoris naturæ: alius DEI, ùt Largitoris Gratiæ & gloriæ. Uterque subdividitur in perfectum & imperfectum. Amor DEI perfectus est ille, quo DEUS diligitur propter se, seu propter suam amabilitatem & super omnia, ità ut rebus omnibus tum æstimatione tum etiam affectu anteponatur. Amor imperfectus est ille, quo DEUS diligitur propter se, sed super omnia.

§. I.

Dico. 1. DEUS sine Gratia interiore illustrationis & inspirationis amari non potest amore perfecto, seu super omnia: etsi solùm ùt Author rerum naturalium.

Prob. 1. Ex Script. Gal. c. 5. *Fructus autem Spiritus est charitas.* Et 1. Joann. c. 4. *Charitas ex DEO est.* Ubi simpliciter dicitur, ex DEI Gratia esse dilectio perfecta DEI, sine distinctione DEI, ùt Authoris naturæ vel Gratiæ: & Author naturæ tam verè ac propriè DEUS est, quàm Author Gratiæ & gloriæ.

2. Ex Concil. Arausicano II. can. ult. ubi dicit: *Prorsus donum DEI est, diligere DEUM.*

3. Ex S. Augustino, lib. de Gratia & libero arbitrio, c. 18. docente: *Unde est in hominibus charitas DEI & proximi, nisi ex ipso DEO? nam si non ex DEO, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex DEO, vicimus Pelagianos.* Ubi agitur de amore DEI sine distinctione DEI, ùt Authoris rerum naturalium, vel Authoris re-

rum ſupernaturalium. Et lib. 4. contra Julianum c. 3. idem expreſsè docet de amore DEI, ùt Authoris naturæ. *Amor DEI* inquit, *quo pervenitur ad DEUM, non eſt niſi à DEO ... per hunc amorem Creatoris bene quiſque utitur etiam creaturis.*

4. *Ratione.* Si perfectus amor DEI, ùt Authoris naturæ poſſet eſſe ſine Gratia, homo ſolis naturæ viribus poſſet ſervare omnia præcepta, & vivere ſine peccato: quod eſt dogma Pelagianum. *Prob. ſequel.* Nam amor DEI, ùt Authoris naturæ ſuper omnia dilecti excludit omnem affectum ad peccatum mortale, & includit odium efficax omnium, quæ legi & amicitiæ divinæ adverſantur; qui enim DEUM ſuper omnia amat, eum efficaciter rebus omnibus anteponit & paratus eſt, omnia alia bona amittere, & quælibet mala pati potiùs, quàm illum graviter offendere.

Obj. 1. Amor DEI ſuper omnia lege naturali præcipitur. Ergo naturaliter haberi poteſt.

Reſp. Diſt. conſeq. Si non obſtent infirmitas & corruptio naturæ, *conc.* Si obſtent, *neg. conſeq.* Porro lex naturalis nihil abſolutè præcipit, quod ſit impoſſibile naturæ puræ ſeu non corruptæ, licèt ſit impoſſibile naturæ per peccatum originale depravatæ, ſibi relictæ.

Obj. 2. Homo lapſus poteſt naturaliter cognoſcere DEUM, ùt amabilem ſuper omnia. Ergo poteſt etiam naturaliter eum amare ſuper omnia.

Reſp. Neg. conſeq. Quia nullum eſt impedimentum ſuperandum ad cognoſcendum DEUM, ùt ſummè amabilem. Ad illum verò ſupra omnia amandum ſuperandus eſt amor & propenſio maxima erga bona delectabilia, quibus DEUS præferatur, ità ut odio habeantur delectabilia legi divinæ repugnantia: quod ſanè ſuperat vires naturæ depravatæ. Uno verbo: amori DEI perfecto, non cognitioni DEI ſummè amabilis obſtant infirmitas & corruptio naturæ.

Dices. Homo naturalem habet inclinationem ad diligendum DEUM, ſaltem ùt ſummum bonum.

Reſp. Quæcunque ſit illa inclinatio naturalis, ſaltem per naturæ corruptionem & infirmitatem impeditur, ne poſſit abſque Gratia in actum prodire.

Obj. 3. Aliqui ità filios vel patriam dilexerunt naturaliter, ut pro illis mortem ſubirent. Ergo, &c.

Reſp. Nego conſeq. Quia qui ſe pro patria vel pro alio homine morti devoverunt, id egerunt ex vanæ gloriæ cupiditate, vel ex inordinato amore, vel ex aliqua alia prava cupiditate, quæ modum neſcit. Cùm autem homo facillimè & vehementiſſimè ad ſenſibilia, & cupiditatum objecta, parùm verò ad inſenſibilia & honeſta afficiatur, longè faciliùs ei eſt creaturam amare, quàm DEUM: imo hunc ſuper omnia amare propter naturæ corruptionem impoſſibile eſt ſine Gratia.

§. II.

Dico 2. DEUS ſolis naturæ viribus amari poteſt, ùt Author naturæ, ſed non ſuper omnia, nec amore efficaci circa aliquid arduum.

Prob. 1. Quia damnatæ ſunt hæ duæ Baji propoſitiones. 34. *Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo DEUS amatur, ut Author naturæ: & gratuiti, quo DEUS amatur, ùt Beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris literis, & plurimis veterum teſtimoniis excogitata.* 36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ, cum injuria crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.* Sed ſi amor DEI ùt Authoris naturæ imperfectus, eſſet impoſſibilis ſine Gratia, veræ eſſent iſtæ duæ propoſitiones; nam diſtinctio duplicis amoris vana eſſet & commentitia: ſiquidem unus eſſet duntaxat amor DEI, nempe ſupernaturalis; cùm amor naturalis ſit impoſſibilis, proindeque fictitius: item falsò & malè & cum injuria Gratiæ Chriſti propugnaretur amor naturalis.

Prob. 2. Quia homo lapſus naturaliter cognoſcit DEUM, ùt Authorem & Condi-

torem

torem rerum naturalium, ideoque ùt potentissimum, beneficum & optimum. Ergo potest illum naturaliter amare amore imperfecto, qui nullam difficultatem conjunctam habet, nec excludit affectum ad delectabilia: aut saltem amore inefficaci, qui sit meræ cujusdam complacentiæ. Unde cùm hic amor sit facillimus, quidni posset solis naturæ viribus elici, cum quotidie homines naturaliter alios ament propter perfectiones, quas in illis deprehendunt?

Obj. 1. Scriptura & Patres docent charitatem esse à DEO.

Resp. Per has voces (*Charitas*, *dilectio*, *diligere*) simpliciter prolatas intelligunt amorem DEI perfectum.

Obj. 2. S. Augustinus docet charitatem inchoatam perinde ac perfectam esse à DEO.

Resp. Per charitatem inchoatam intelligit amorem DEI super omnia, sed valdè remissum: & per charitatem perfectam intelligit amorem DEI supra omnia ardentem, & impellentem ad faciendum ea, quæ DEO placent, quamvis ardua sint, & non obligent sub peccato mortali.

Dices. Sanctus Augustinus, l. 4. contra Julian. c. 3. citato dicit simpliciter, amorem DEI, ùt Creatoris non esse nisi à DEO: nec distinguit inter amorem perfectum & imperfectum. Ergo.

Resp. Neg. conseq. Quia 1. Amor DEI simpliciter prolatus significat amorem perfectum: unde hoc ipso, quòd dicitur amor simpliciter & sine addito, sufficienter intelligitur perfectus, ideoque sufficienter distinguitur ab amore imperfecto. 2. Quia in textu adduntur ea, quæ non conveniunt nisi amori perfecto; nam ibi dicitur: *Per hunc amorem Creatoris bene quisque utitur etiam creaturis.* Per imperfectum autem amorem DEI, ùt Authoris naturæ non quisque bene utitur creaturis; cùm hic amor non excludat affectum erga delectabilia legi repugnantia.

ARTICULUS VI.

Utrùm sine Gratia servari possint omnia legis naturalis præcepta?

Dico. Homo solis naturæ viribus non potest servare omnia legis naturalis præcepta, etiam quoad substantiam operis, ità ut vitet omne peccatum.

Prob. 1. Ex Script. 1. Joann. c. 5. *Hæc est charitas DEI, ut mandata ejus custodiamus.* Ergo observatio omnium mandatorum est signum & effectus charitatis perfectæ. Ergo solis naturæ viribus haberi nequit.

Prob. 2. Ex Traditione. Nam 1. Innocentius I. in Epistol. ad Concil. Milevitanum ait: *Negantes ergo* (Pelagiani) *auxilium DEI, inquiunt, hominem sibi posse sufficere, nec Gratia hunc egere divina, qua privatus, necesse est diaboli laqueis irretitus occumbat, dum ad omnia vitæ perficienda mandata, sola tantummodo libertate contendet.* 2. Concil. Milevitanum vel potiùs Carthaginense, can. 5. sic pronunciat: *Placuit, ut quicunque dixerit, ideo nobis Gratiam justificationis dari, ut quod facere per liberum jubemur arbitrium, faciliùs possimus implere per Gratiam, tanquam, etiamsi Gratia non daretur, non quidem facilè, sed tamen possimus etiam sine illa implere divina mandata: anathema sit.*

3. Ex S. Augustino, lib. de perfectione justitiæ supra citato. Ubi docet anathematizandum eum, *qui contendit, ad non peccandum Gratiæ DEI adjutorium non esse homini necessarium.* Et lib. de Hæresibus 88. de Pelagianis dicit: *Hi DEI Gratiæ .... in tantùm inimici sunt, ut sine hac posse hominem credant facere omnia divina mandata.* Certè si homo lapsus posset solis naturæ viribus servare omnia præcepta legis naturalis, quamvis non sicut oportet ad salutem, Patres hoc Pelagii dogma ùt verum admittere debuissent, & solùm dicere, hanc naturalem mandatorum observationem esse insufficientem ac inutilem ad salutem: quod tamen nullibi dicunt, sed simpliciter asserunt, eam esse impossibilem.

4. Ex aliis teſtimoniis art. 3. citatis de neceſſitate Gratiæ ad ſuperandam gravem tentationem; nam non poſſunt, ſaltem longo aliquo tempore, ſervari omnia præcepta legis naturalis, niſi vincendo concupiſcentiam, & graves tentationes inſurgentes.

Ratio eſt, maxima infirmitas & corruptio naturæ lapſæ, qua vehementer propendemus in delectabilia legi divinæ repugnantia, & averſamur contraria bona.

Dixi: *Omnia præcepta*; quia homo ex ſolis naturæ viribus poteſt aliqua obſervare: quando nempe eorum obſervatio facilis eſt.

Obj. 1. Illud, Rom. c. 2. *Gentes, quæ legem* (ſcripta m) *non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt.*

Reſp. Tò *naturaliter* hìc ſignificat idem quod lumine naturali inſtructi, & ſine doctrina exteriori. Equidem Gentiles poſſunt ſolis naturæ viribus obſervare aliqua præcepta quando nulla obſtat gravis difficultas, ſed non omnia. Ex eo autem, quòd homo poſſit ſolis naturæ viribus ſervare aliquod præceptum, non ſequitur, quòd poſſit omnia ſervare: tum quia præcepta alia aliis ſunt difficiliora; qui autem poteſt aliquid facilè, non ideo poteſt quælibet difficilia: tum quia ſæpe obſervationi aliquorum præceptorum obſtat tentatio gravis, & vehemens motus concupiſcentiæ.

Obj. 2. Illud, Deuter. c. 30. *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non ſupra te eſt, neque procul poſitum.* Et illud Eccleſiaſtici, c. 15. *Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te.*

Reſp. In his & ſimilibus locis Scriptura docet, hominem poſſe ſervare præcepta divina, ſupponendo Gratiam, ſine qua ſervari non poſſunt. Imò hoc ipſo Gratiam implicitè ſignificat, quòd aſſerit, hominem eſſe liberum ad obſervanda præcepta, cùm ſine Gratia non poſſit ea ſervare.

Obj. 3. Præcepta naturalia, quatenus ſunt naturalia, non ſuperant vires naturæ. Ergo.

Reſp. Diſt. ant. Non ſuperant vires naturæ ſanæ. *conc.* Naturæ infirmæ & depravatæ, *nego ant.* Natura per peccatum originale depravata & infirmata, poteſt quidem aliqua, quæ poteſt natura ſana, ſed non poteſt omnia ſine auxilio Gratiæ. Ita S. Thomas, 1. 2. q. 109. art. 2. ubi ait: *Quia natura humana per peccatum non eſt totaliter corrupta, ut ſcilicet toto bono naturæ privetur, poteſt quidem* (homo) *etiam in ſtatu naturæ corruptæ, per virtutem ſuæ naturæ aliquod bonum particulare agere.... non tamen totum bonum ſibi connaturale, ità quòd in nullo deficiat: ſicut homo infirmus poteſt per ſeipſum aliquem motum habere, non tamen perfectè poteſt moveri motu hominis ſani, niſi ſanetur auxilio medicinæ.*

Dices. Ergo præcepta legis naturalis ſunt ſimpliciter impoſſibilia.

Reſp. Neg. Quia DEUS ſemper offert, ſeu paratus eſt dare Gratiam ad illa ſervanda neceſſariam, eamque confert, niſi homo impedimentum apponat ejus receptioni. Et ſemper adeſt Gratia orationis, qua impetratur Gratia proximè ſufficiens, quoties abeſt.

ARTICULUS VII.

Utrùm homo ſine Gratia poſſit bonum aliquod opus morale facere?

§. I.

Dico. Homo etiam infidelis poteſt ſolis naturæ viribus facere aliquod opus bonum morale, naturale: ſeu actum naturalem ex omni parte, etiam ex fine, honeſtum, ſed non arduum. Eſt contra Lutherum, Calvinum, Bajum, Janſenium, & eorum Sectatores, qui docent, omnia opera infidelium eſſe peccata, licèt aliqua ſint ex objecto bona.

Prob. 1. Ex Scriptura, Exod. c. 1. dicitur DEUS obſtetrices Ægyptias Infideles numeroſa & felici prole remuneraſſe, eò quòd non paruiſſent injuſto edicto Pharaonis de occidendis omnibus infantibus maſculis Iſraelitarum. Certè ad hoc opus ſufficiebant ſolæ vires naturæ: & tamen erat opus bonum; ſiquidem illud DEUS remuneratus eſt.

Matth. c. 5. Chriſtus ait: *Si ſalutaveritis fratres veſtros tantùm, quid ampliùs facitis? Nonne & Ethnici hoc faciunt? Eſtote ergo vos*

vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est. Ubi Christus indicat, exhibitionem signorum benevolentiæ, quæ suis adhibent Fideles, esse etiam in Infidelibus opus bonum moraliter; nam id non reprehendit, sed solùm aliquid perfectiùs præcipit.

Rom. c. 2. *Cùm enim gentes, quæ Legem (scriptam) non habent, naturaliter ea, quæ Legis sunt, faciunt, ejusmodi Legem non habentes, ipsi sibi sunt Lex.* Ergo ex Apostolo infideles aliqua Legis naturalis præcepta facilia, solis naturæ viribus observant cum omnibus circumstantiis ad honestatem morum requisitis; nam has Lex naturalis præcipit.

Prob. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Augustinus, qui, l. de spiritu & littera, c. 27. sic ait. *Quædam tamen facta (infidelium) vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundùm justitiæ regulam non solùm vituperare non possumus, verùm etiam meritò rectèque laudamus: quamquam si discutiantur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemve mereantur.* Ubi per particulam *vix* significat S. Doctor, pauca illa quidem, sed tamen aliqua opera ex omni parte, etiam ex fine, bona & laudabilia fieri ab infidelibus. Cujus veritatis hanc rationem immediatè subjicit: *Quia non usque adeo in anima humana imago DEI terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde meritò dici possit* (Gentiles) *etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis, vel sapere.* Et cap. sequenti addit: *Sicut enim non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.* Certè per aliqua illa opera bona, quæ dicit nihil prodesse impiis ad salutem, intelligit opera verè & moraliter bona, & nullatenus mala; nam de operibus, quæ essent mala, verè dici non potest, quòd sine illis difficillimè vita impiorum invenitur: & negatoriè de operibus malis diceretur, quòd ad salutem non prosint.

Prob. 3. Quia damnatæ sunt à Pio V. & Gregorio XIII. hæ Baji propositiones. 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* 27. *Liberum arbitrium sine Gratiæ DEI adjutorio nonnisi ad peccandum valet.* 37. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.* Item ex his Quesnelli propositionibus à Clemente XI. damnatis Bullâ Unigenitus ab Ecclesia recepta. 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum, sine Gratiæ Liberatoris.* 39. *Voluntas, quam Gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum: ardoris, nisi ad se præcipitandum: virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.* 40. *Sine Gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.*

Prob. 4. *Ratione.* Quia vires naturæ in ordine ad sectandam honestatem, licèt sint multùm debilitatæ per peccatum originale, non sunt tamen penitus extinctæ, nam Concilium Trident. sess. 6. cap. 1. docet, per peccatum Adami liberum arbitrium hominis *minimè extinctum esse, viribus licèt attenuatum & inclinatum.* Ergo quædam opera bona moraliter, factu facilia ob finem honestum non superant vires naturæ: qualia sunt dare exiguam eleemosynam pauperi: aliqua obsequia præstare parentibus, &c. Quia hoc est consentaneum naturæ rationali & rectæ rationi.

Confirm. Ex S. Thoma, 2. 2. q. 10. art. 4. ubi docet, peccatum infidelitatis naturam non totaliter corrumpere, ita ut infidelis possit aliquem bonum actum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Multos textus Scripturæ.

1. Psal. 13. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

Resp.

Resp. Infideles omnes sunt in statu peccati, & inutiles sunt ad exercenda opera meritoria vitæ æternæ: & ne unus quidem servat legem naturalem, imò facit aut facere potest ex solis naturæ viribus ullum opus bonum, quod ad salutem conducat. At nihilominus possunt facere, & interdum faciunt ex solis naturæ viribus aliqua opera honesta, quæ facilia sunt.

2. Isai. c. 60. *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos.*

Resp. Ibi Propheta loquitur de privatione Fidei, & cognitionis supernaturalis veri DEI, ùt Remuneratoris supernaturalis: Christi Redemptoris, aliorumve mysteriorum: non autem de privatione luminis naturalis necessarii ad cognoscendum & agendum aliqua opera honesta honestate naturali.

3. Jerem. c. 17. *Pravum est cor omnium.*

Resp. Sensus est, quòd cor hominis sit pravum habitualiter, seu propensum ad malum: non autem, quòd omnes actus naturales voluntatis sint pravi.

4. Matth. c. 7. *Non potest .... arbor mala bonos fructus facere.*

Resp. Christus per arborem malam intelligit malam voluntatem, ùt explicat S. Gregorius M. & S. Augustinus. Mala autem voluntas actualis, quamdiu perseverat, non potest nisi mala opera facere. Vel si ibi intelligatur homo malus, sensus est, quòd homo malus quoties agit ùt malus, seu ex cupiditate, non potest facere nisi opera mala, & quòd ordinariè non nisi malum agit. At homo malus non semper agit ùt malus, & ex prava cupiditate, sed aliquando agit ex fine honesto. Item, homo malus in statu peccati non facit, nec potest facere actus meritorios vitæ æternæ.

5. Joann. cap. 15. *Sine me nihil potestis facere.*

Resp. Ibi Christus loquitur de operibus salutaribus, non de operibus bonis bonitate naturali, quæ nihil conducere possunt ad salutem. Item cùm Apostolus ait, 2. Cor. c. 3. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex DEO est.* Loquitur de cogitatione, & sufficientia, quæ ad opus salutare valeat.

6. Rom. cap. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.*

Resp. Per fidem ibi non intelligitur fides, qua credimus in Christum, sed fides, qua quis judicat aliquid esse licitum, ùt explicat Concil. Lateranense IV. c. 41. & patet ex contextu. Unde sensus est: Quod non est ex prudenti persuasione, quòd sit licitum, peccatum est. Aliqui tamen Patres nomine fidei intellexerunt fidem Christianam: & nomine peccati intelligunt id omne, quod vel offendit DEUM, vel ad salutem inutile est; quia nomine peccati intelligunt id omne, quod defectuosum est: inutilitas autem ad salutem est magnus defectus.

7. Hebr. c. 11. *Sine fide impossibile est placere DEO.*

Resp. Sensus est, quòd nemo sine fide Christiana possit placere DEO, ùt amicus placet amico, vel eo modo, qui requiritur ad ejus amicitiam comparandam. At sine fide fieri potest aliquod bonum opus naturale, quod propter moralem suam bonitatem placeat DEO in ordine naturali, ita ut ob illud DEUS mercedem aliquam naturalem tribuat.

8. Ephes. cap. 4. *Testificor in Domino, ut jam non ambuletis, sicut & gentes ambulant in vanitate sensus sui.*

Resp. Hæc verba significant, omnia infidelium opera esse inutilia ad salutem, & ex eis plurima esse mala.

9. 1. Joann. c. 2. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia.*

Resp. Sensus est, quòd in mundi amatoribus ùt talibus nihil sit, nisi luxuria, avaritia, & superbia; nam peccata omnia amatorum mundi ad hos tres fontes revocantur. Sed amatores mundi non semper agunt ùt amatores mundi: & aliquando agunt ùt ratione præditi, faciendo aliquod opus honestum seu consentaneum rectæ rationi, ideoque moraliter bonum.

10. Ad Tit. c. 1. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil est mun-*

mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia.

Resp. Ibi Apostolus loquitur de cibis, & dicit, cibos omnes ex natura sua mundos ac licitos esse, & post abrogatam legem Mosaicam licitè ac sanctè sumi à fidelibus, qui sciunt jam eos esse licitos: cùm è contrà nulli cibi sint mundi judaizantibus & infidelibus, quatenus judaizantes credere nolunt legem Mosaicam esse abrogatam, & infideles putant, aliquos cibos esse ex natura sua malos. Unde relatè ad illos cibi omnes sunt immundi, seu materia peccati; quia peccant manducando ex hac infidelitate non solùm cibos, qui erant lege Mosaica vetiti, sed etiam alios, quatenus hos manducant, quia putant alios esse adhuc illicitos. Juxta Sanctum Thomam sensus est, quòd nihil sit mundum inquinatis seu peccatoribus & infidelibus qua peccatoribus & infidelibus, hoc est, agentibus ex prava cupiditate vel infidelitate.

Obj. 2. SS Patres docent, hominem nihil posse facere boni sine Gratia.

Resp. Loquuntur de bono ad salutem conducente, non de actu naturali honesto ac facili & inutili ad salutem.

Obj. 3. S. Augustinum variis locis.

1. Lib. de Gratia Christi c. 26. ait: *Non haberemus unde illum diligeremus, nisi hoc ab illo, cùm prior nos diligeret, sumeremus. Quid autem boni faceremus, nisi diligeremus? .... Ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur; quia omne, quod non est ex fide, peccatum est. Et fides per dilectionem operatur.* Et lib. de Gratia & libero arbitrio c. 18. dicit, quidquid fit sine charitate, nullo modo fieri bene.

Resp. In his & similibus locis loquitur de bono opere, quod sit meritorium vitæ æternæ: ad quod S. Doctor requirit charitatem, ideoque etiam Gratiam actualem asserit contra Pelagium docentem, ad hoc sufficere liberum arbitrium cum lege & doctrina.

2. Lib. 1. contra duas Epist. Pelagian. cap. ult. ait, bonum usum liberi arbitrii esse à Gratia.

Resp. Per bonum usum intelligit usum salutarem, seu conducentem ad salutem consequendam. In quo sensu Cælestinus I. epist. ad Gallos dicit, neminem sine Gratia bene uti libero arbitrio, scilicet in ordine ad salutem.

3. Lib. de vera religione, c. 38. de infidelibus sic loquitur: *Serviunt cupiditati triplici, vel voluptatis, vel excellentiæ, vel spectaculi .... ità nescientes diligunt temporalia, ut inde beatitudinem expectent. His autem rebus, quibus quisque beatus vult effici, servire necesse est, velit, nolit.*

Resp. Ex eo, quòd infideles cupiditati illi triplici serviant, sequitur tantùm quòd ordinariè ac plerumque agant vel propter voluptatem, vel propter excellentiam, vel propter spectaculum: ideoque quòd ordinariè peccent. Item ex necessitate serviendi bonis temporalibus sequitur necessitas ordinariè & ut plurimùm agendi ex prava cupiditate bonorum temporalium. At hoc non obstante infideles aliquando & extraordinariè facere possunt & faciunt aliquod opus honestum facile, sed inutile ad salutem.

4. Lib. de spiritu & littera, c. 3. dicit: *Neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via &c.*

Resp. Ibi loquitur de libero arbitrio quoad opera, quæ ad salutem æternam conducunt, vel ab ea abducunt: ex quibus sine Gratia homo non potest nisi ea, quæ à salute æterna abducunt. Similiter cùm, lib. 3. contra duas Epist. Pelagian. c. 8. dicit, liberum arbitrium sine Gratia ipsum liberante non valere nisi ad peccandum, loquitur de potentia liberi arbitrii relatè ad salutem vel merendam vel demerendam: unde solùm vult, liberum arbitrium in ordine ad salutem sine Gratia ipsum liberante non posse nisi salutem demereri.

5. Lib. 2. de peccator. merit. & rem. c. 18. ait: *Si voluntas aut bona est, aut mala: & utique malam non habemus ex DEO, restat, ut bonam voluntatem habeamus ex DEO.*

Resp. Ibi per voluntatem intelligit potentiam

tentiam volendi, quæ si instructa sit charitate, bona est, & ex DEO: si verò subjecta sit cupiditati, tunc mala est. Præterea si Sanctus Doctor per voluntatem intelligeret actum volendi, per tò *bonum* intelligeret bonam bonitate supernaturali & utili ad salutem, qualis esse nequit sine Gratia.

Similiter cùm dicit, voluntatem sine charitate totam esse vitiosam, per voluntatem intelligit, non volitionem, sed potentiam volendi: & sensus est, quòd facultas volendi sine charitate sit plena amore inordinato. Quo non obstante, voluntas potest aliquod opus honestum facere, quando facile est.

6. Enchiridii cap. 118. docet, quòd regnet carnalis cupiditas, ubi non est charitas.

Resp. Loquitur de cupiditate & charitate habituali, non actuali. Unde sensus est, regnare cupiditatem habitualem, ubi non est charitas habitualis. At non est sensus, quòd semper regnet carnalis cupiditas actualis, ubi non regnat charitas actualis aut habitualis; nam sine charitate actuali, imò & habituali fieri potest opus bonum, etiam supernaturale & salutare, v. g. actus fidei, spei, contritionis imperfectæ Gratiæ actualis auxilio.

7. Passim docet, hominem nihil boni posse facere sine Gratia.

Resp. Cùm hoc dicit, sæpe & fere semper addit hanc limitationem vel similem: *quod ad veram pietatem*, vel *justitiam*, vel *ad salutem pertinet*: vel istam, quam etiam adhibent Concilia (*sicut oportet*, supple, ad salutem.) Ex quo confirmatur nostra assertio; nam si homo nihil boni naturalis facere posset sine Gratia, inutilis & nugatoria esset limitatio illa adhibita à Patribus & Conciliis.

Porro S. Augustinus per bonum opus, veram justitiam, veram virtutem intelligit, non quodlibet opus bonum seu honestum, sed actum bonum meritorium vitæ æternæ, vel saltem conducentem ad salutem, ùt ipse se explicat, lib. 4. contra Julianum, c. 3. *Scito*, inquit, *nos illum bonum hominem dicere, illam voluntatem bonam, illud opus bonum.... per quod solum homo potest ad æternum DEI donum regnumque perduci.*

8. Variis locis docet, virtutes morales esse dona DEI, etiamsi reperiantur in infidelibus.

Resp. Loquitur de virtutibus moralibus quoad habitum, quæ sine Gratia, & protectione divina acquiri non possunt. Nam habitus virtuosi non acquiruntur, nisi per frequentes actus bonos & constantes: actus autem boni fieri non possunt frequenter & constanter nisi cupiditatibus & tentationibus gravibus resistendo: quod sine Gratia & protectione divina fieri nequit. At ad faciendum opus honestum non arduum, minimè requiritur Gratia; quia nullum impedimentum, saltem alicujus momenti, superandum est, cùm nulla tentatio, aut difficultas gravis, aut motus concupiscentiæ vehemens obstet.

9. Non semel docet, omnia infidelium opera esse peccata.

Resp. Vel hoc intelligit regulariter, non absolutè: & solùm vult, infidelium opera ferè omnia esse peccata, quatenus paucissima opera bona, licèt facilia, agunt: in moralibus autem parum pro nihilo habetur. Sic dicitur de homine sceleratissimo, quòd ejus vita tota sit flagitiosa. Vel S. Doctor cùm dicit omnia infidelium opera esse peccata, per peccatum intelligit non solùm id, quod est culpabilis violatio legis divinæ & dignum pœna, sed etiam id omne, quod inutile est ad salutem æternam consequendam: ùt explicat, l. 4. contra Julian. c. 3. citato, ubi dicit, se dicere illud opus bonum, per quod solùm homo potest ad æternum DEI regnum perduci: ac proinde per peccatum quandoque intelligit opus inutile ad salutem æternam, utpote defectuosum; nam hæc inutilitas est defectus, & quidem magnus.

Dices. Cap. illo 3. cit. probat omnia infidelium opera esse peccata ex illo textu Apostoli: *Quod non est ex fide, peccatum est.*

Resp. Ibi per peccatum intelligit non solùm id, quod DEUM offendit, sed etiam omne opus inutile ad salutem æternam. Nam per peccatum intelligit omne opus defectuosum:

ſum: inutilitas autem ad ſalutem æternam aſſequendam eſt magnus defectus, ideoque reddit opus defectuoſum.

Obj. 4. S. Hieronymus, in cap. 3. ad Galatas ait: *Sine Chriſto omnis virtus in vitio eſt.*

Reſp. Solùm intendit, quòd ſine Gratia omnis virtus ſit defectuoſa, in ordine ſcilicet ad finem ultimum aſſequendum, quatenùs eſt inutilis ad beatitudinem æternam conſequendam: quæ inutilitas eſt magnus defectus.

Obj. 5. Concil. Arauſicanum II. can. 22. ait: *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum.*

Reſp. Subintelligitur, in ordine ad ſalutem æternam, de qua agebatur, ita ut ſenſus ſit, quòd homo in iis, quæ ſalutem ſpectant, non poteſt de ſuo niſi demereri; quia ſolis naturæ viribus nil poteſt velle, aut agere quod conducat ad ſalutem æternam: & tamen poteſt peccare.

Obj. 6. In homine poſt peccatum Adæ non remanſerunt ulla ſemina virtutum. Ergo.

Reſp. Non remanſerunt in ſenſu Semipelagianorum, qui per ſemina virtutum intelligebant bonas cogitationes & pia deſideria ex ſolis naturæ viribus elicita, quæ conducerent ad ſalutem, & quibus homo ad recipiendam DEI Gratiam diſponeretur. At remanſerunt in alio ſenſu, nempe ſi per illa ſemina virtutum intelligatur aliquod lumen naturale, oſtendens in multis quid ſit honeſtum vel inhoneſtum, & naturalis propenſio ad agendum bonum honeſtum & vitandum inhoneſtum, quamvis extenuata & valdè infirma, atque longè minor propenſione naturali in delectabilia, legi & rationi repugnantia.

Obj. 7. Dæmones, licèt careant concupiſcentia, nullum poſſunt bonum opus facere. Ergo nec infideles ſine Gratia.

Reſp. Nego conſeq. Diſparitas eſt. Quia dæmones ſunt obfirmati in actuali odio DEI, & hominum ùt DEI *imaginum*: unde ex tali odio agunt, quidquid agunt, & ſic neceſſariò neceſſitate conſequente peccant *in omnibus ſuis actibus*. At homines infideles & ſceleſtiſſimi non ſemper actu oderunt DEUM & proximum: unde non ſemper agunt ex pravo affectu, & ſic poſſunt identidem aliquod opus bonum facilè agere.

Obj. 8. Opus moraliter bonum referri debet in finem ultimum ſaltem naturalem.

Reſp. Debet referri vel ex natura ipſius operis, vel ex intentione operantis: ſed non ſemper ex intentione operantis. Nam ut actus ſit bonus moraliter, ſufficit, quòd ſit ex ſe referibilis, & ex ſe referatur ad DEUM, ùt regulam & fontem omnis honeſtatis: ſic autem refertur hoc ipſo, quòd eſt honeſtus & ſit propter finem honeſtum.

Obj. 9. Omnia opera infidelium ſunt inutilia. Sed nullum opus bonum eſt inutile. Ergo.

Reſp. Opera infidelium omnia ſunt quidem inutilia ad ſalutem æternam: at non omnia ſunt inutilia ex omni parte; nam aliqua, nempe bona ſunt utilia infidelibus ad *ſervandam legem naturalem*, ad agendum conformiter naturæ ſuæ rationali, ad vitandum peccatum, pœnamque ei debitam: imò valent ad accipienda bona temporalia à DEO: unde S. Auguſt. Imperii Romani amplitudinem adſcribit actibus juſtitiæ, fortitudinis, & temperantiæ Romanorum civium tanquam eorum mercedem.

Obj. 10. Sine Gratia DEI homo non poteſt cognoſcere veritates practicas, hoc eſt, veritates, quæ dirigunt ad agenda opera bona ſeu honeſta. Ergo.

Reſp. Equidem ſine Gratia DEI homo non poteſt cognoſcere omnes omnino veritates practicas; nam ignorantia quoad multa præcepta legis naturalis eſt effectus ſeu pœna peccati originalis. Unde Innocentius I. ſic ſcribit ad Concil. Carthagin. *Quotidiana præſtat* (DEUS) *illa auxilia, quibus niſi freti confiſique nitamur, humanos nullatenus vincere poterimus errores.* At homo naturaliter & ſine Gratia poteſt cognoſcere & cognoſcit multas veritates practicas, v. g prima principia morum; ùt bonum faciendum, malum vitandum, DEUM colendum eſſe, proximum diligendum & adjuvandum in neceſſitate, parentes honorandos

esse, & alia præcepta, quæ è primis morum principiis facilè colliguntur. Nam prima morum principia sunt in nobis à natura insita ac per se nota, & conclusiones multæ ab illis facilè deducuntur. Et verò Apostolus, Rom. c. 2. ait: *Cùm enim gentes, quæ legem* (scriptam) *non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis* (naturalis) *scriptum in cordibus suis.* Et S. August. l. 2. confess. c. 4. ait: *Lex tua scripta est in cordibus hominum, quam nulla delet iniquitas.*

Porro non potest homo naturaliter cognoscere omnes veritates naturales etiam speculativas, ùt constat ex illo Ecclesiastis, cap. 3. *Mundum tradidit disputationi eorum, ut non inveniat homo opus, quod operatus est DEUS ab initio usque ad finem.* Nam innumeræ sunt veritates naturales, & inter illas plurimæ à sensibus remotæ & valde abstrusæ.

CAPUT VI.

De Justificatione impii seu peccatoris.

JUstificationis nomen accipitur. 1. Pro lege: quia scilicet justitiam docet, ùt Psal. 118. *Doce me justificationes tuas.*

2. Pro declaratione justitiæ: cùm scilicet quis accusatus declaratur justus, & absolvitur à Judice, ùt Prov. c. 17. *Qui justificat impium, & qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud DEUM.*

3. Pro acquisitione justitiæ supernaturalis, ùt Rom. c. 8. *Quos vocavit, hos & justificavit.* Justificatio sic sumpta, dicitur prima justificatio, & duplex est: una, quæ fit per transitum à non esse justitiæ ad esse justitiæ: talis fuit justificatio Angelorum, & primorum Parentum in statu innocentiæ: alia, quæ fit per transitum ab esse peccati & injustitiæ ad esse justitiæ, vocaturque justificatio impii: talis est justificatio omnium peccatorum.

4. Pro accretione justititæ, ùt Apoc. 22. *Qui justus est, justificetur adhuc.* Justificatio sic sumpta dicitur justificatio secunda: hanc mereri possumus de condigno, non primam.

ARTICULUS I.

In quo consistat justificatio peccatoris?

Nota. LUtherus & Calvinus docent, justificationem impii consistere tantùm in non imputatione peccatorum propter justitiam Christi fide apprehensam.

Dico. Justificatio peccatoris consistit formaliter tum in vera remissione peccatorum, tum in infusione justitiæ inhærentis. Est de fide ex Conc. Trid. sess 6. c. 7. ubi ait: *Justificatio ..... non est sola peccatorum remissio, sed & sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem Gratiæ & donorum: unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus.* Et ex Coloss. c. 1. *Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ, &c. Quibus verbis* (inquit Concil. Trid. cap. 4.) *justificationis impii descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum Gratiæ & adoptionis filiorum DEI.* Sed hæc translatio includit tum remissionem peccatorum, tum infusionem justitiæ seu Gratiæ habitualis, ùt patet. Ergo.

Præterea in justificatione impii vera fit remissio peccatorum, & infunditur justitia inhærens, ùt sequentibus articulis ostendetur. Ergo in utraque rectè constituitur justificatio impii.

Observa. Justificatio peccatoris est mutatio; nam est transitus à statu peccati ad statum sanctitatis & justitiæ. Hæc autem mutatio est instantanea; nam unico instanti perficitur. Item hæc mutatio est composita; nam constat ex duplici mutatione tanquam ex partibus, quarum una corruptiva est & negativa, scilicet transitus ab esse peccati ad non esse peccati: altera verò productiva & positiva, scilicet transitus à non esse justitiæ & Gratiæ ad esse Justitiæ & Gratiæ.

ARI-

ARTICULUS II.

Utrùm in justificatione impii fiat vera peccatorum remissio?

Nota. LUtherus & Calvinus docent, peccata in justificatione non tolli, sed tantùm tegi, & non imputari propter justitiam Christi apprehensam fide promissionum, scilicet speciali. Triplicem quippe distinguunt fidem: nimirum historicam, miraculorum, & promissionum. Fides historica est ea, qua creduntur, quæ in Scripturis continentur. Fides miraculorum est ea, qua credimus omnia esse possibilia DEO. Fides promissionum est ea, qua credimus veras esse promissiones à DEO factas de remissione peccatorum obtinenda propter Christi merita. Hanc promissionum fidem subdividunt in generalem, & specialem. Generalis est ea, qua quis generatim credit, omnibus in Christum credentibus promissam esse peccatorum remissionem. Specialis est ea, qua unusquisque hanc promissionem sibi applicat, firmiter credendo, omnia peccata sibi propter Christum remissa esse, & sic quasi manu apprehendit justitiam Christi, qua omnia ejus peccata teguntur: unde hanc specialem promissionum fidem vocant fidem justificantem, *voluntque, per eam solam* homines justificari.

Dico. In justificatione impii seu peccatoris vera fit remissio peccatorum. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scrip. Rom. c. 8. *Nihil ergo damnationis est iis, qui sunt in Christo JESU:* hoc est, nihil damnatione dignum est in iis, qui sunt per justificationem Christo inserti. Sed si peccata non verè remittuntur, remanet in justificato aliquid damnatione dignum. Et 1. Joann. c. 1. *Sanguis JESU Christi Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Certè emundare ab omni peccato, non est peccata tantùm tegere, sed est ea prorsus abolere & verè remittere, ita ut ex maculatis fiamus immaculati, mundi & puri

2. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Augustinus, qui, Enchirid. c. 52. ait: *Quemadmodum in illo* (Christo) *vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum: & quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera justificatio.*

3. Ex Conc. Trident. sess. 5. can. 5. ubi ait: *Si quis per JESU Christi Domini nostri Gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet: sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari: anathema sit.* Et sess. 6. c. 7. ait: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per JESUM Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem.*

Accedit ratio. Quia dum homo justificatur, fit ex injusto justus, ex inimico amicus, & hæres vitæ æternæ. Sed illi verè remittuntur peccata, qui ex injusto fit justus, ex inimico amicus DEI & hæres vitæ æternæ; nam quamdiu homo manet in statu peccati mortalis, tamdiu injustus est, DEI inimicus, & damnationi æternæ obnoxius. Ergo.

Obj. Illud, Psal. 31. *Beati .... quorum tecta sunt peccata.* Et, v. 2. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum.*

Resp. ad 1. Sensus est: beati, quorum tecta sunt peccata, ita ut verè sint abolita; nam peccata coram DEO tecta esse non possunt, si adhuc remaneant; cùm omnia nuda & aperta sint oculis ejus. Itaque peccata non sunt tecta coram DEO, nisi quia jam non sunt. Ita explicat S. Augustinus, in hunc Psal. 31. his verbis: *Beati quorum, remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, non, in quibus non sunt inventa peccata, sed quorum tecta sunt peccata. Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt ... nec sic intelligas quod dixit: peccata cooperta sunt, quasi ibi sint, & vivant.*

Resp. ad 2. Sensus est: beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, illud ei remittendo. Nam agitur de non imputatione, qua imputatur id, quod antea erat, sed jam non est, quia tollitur.

Porro DEUM remittere peccatum mortale, est DEUM cedere jus, quod habet

ad odio habendum & puniendum hominem æterno ſupplicio propter illud peccatum.

ARTCULUS III.

Utrùm in juſtificatione impii infundatur juſtitia inhærens?

Nota. LUtherus & Calvinus hoc negant, & docent, hominem in juſtificatione non fieri juſtum niſi extrinſecè, propter juſtitiam Chriſti ei extrinſecè imputatam. Unde juxta illos homo juſtificatus manet adhuc in ſe verè peccator & injuſtus, licèt propter merita Chriſti pro innocente & juſto habeatur.

Dico. In juſtificatione præter veram peccatorum remiſſionem, homo accipit juſtitiam inhærentem, qua interius renovatur, & fit intrinſecè juſtus. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Script. 2. Petri, c. 1. *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* Dona autem illa promiſſa & in juſtificatione collata, ſunt juſtitia inhærens & Gratia Sanctificans; ſiquidem per illa efficimur divinæ naturæ participes. Et 1. Joann. c. 3. *Omnis, qui natus eſt ex DEO, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet.* At ſemen illud DEI, eſt Gratia Sanctificans cum habitibus ſibi debitis, & dicitur manere in juſto.

2. Ex Traditione Patrum. Pro omnibus ſit S. Auguſtinus, in Pſalm. 98. ubi ait: *Exaltemus illum, qui fecit ipſam juſtitiam, quam habemus. Ipſe in nobis fecit: quis enim in nobis fecit juſtitiam, niſi qui nos juſtificavit:*

3. Ex Concil. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. hanc veritatem ſic definiente: *Hanc diſpoſitionem, ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur: quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem Gratiæ & donorum.* Et inferiùs juſtificationis cauſas exponens ait: *Unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit: qua videlicet ab eo donati, renovamur ſpiritu mentis noſtræ, & non modò reputamur, ſed verè juſti nominamur & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes unuſquiſque ſuam.* Denique, can. 11. ſic ait: *Si quis dixerit, homines juſtificari vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa Gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat: aut etiam Gratiam, qua juſtificantur, eſſe tantùm favorem DEI: anathema ſit.*

Ratio. eſt. Quia ex Scriptura & Patribus homo in juſtificatione ex injuſto fit verè juſtus. Non poteſt autem fieri verè juſtus ſine juſtitia ſibi inhærente, ſeu intrinſeca & permanente.

Obj. 1. Multos textus Scripturæ.

1. Illud, Pſal. 142. *Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.*

Reſp. Senſus eſt, neminem ſine ſpeciali privilegio carere omni omnino culpa, etiam veniali: vel neminem ex ſe & ſine Gratia ac miſericodia DEI poſſe juſtificari.

2. Rom. c. 5. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per unius obeditionem juſti conſtituentur multi.*

Reſp. Vox *ſicut* ibi ſignificat tantùm paritatem veritatis utriuſque partis propoſitionis, non verò paritatem modi. Itaque ſenſus eſt, quòd ſicut quicumque per generationem naturalem naſcuntur, naſcatur verè peccatores per inobedientiam Adami, niſi tamen quis ex ſpeciali privilegio Gratia Sanctificante præveniatur primo conceptionis ſuæ inſtanti: ita quicunque juſtificantur, verè juſti fiunt per meritum obedientiæ Chriſti, qua mortem ſubivit. Quare obedientia Chriſti affertur pro cauſa meritoria, non verò pro cauſa formali injuſtificationis noſtræ.

3. Rom. c. 10. *Ignorantes juſtitiam DEI, & ſuam quærentes ſtatuere, juſtitiæ DEI non ſunt ſubjecti.*

Reſp. Per juſtitiam DEI intelligitur juſtitia vera nobis inhærens, qua DEUS nos juſtos intrinſecè facit propter merita Chriſti: & per ſuam juſtitiam, ſeu juſtitiam Judaicam intelligitur, juſtitia externa & legalis,

lis, consistens in externa legis observatione, cui quia nimiùm confidebant & adhærebant Judæi, noluerunt se subjicere fidei Christi, nec consequenter veræ DEI justitiæ, quæ per fidem, per dilectionem operantem comparatur. Quare ibi reprehenduntur Judæi, quòd culpabiliter ignorantes veram justitiam internam, quæ à DEO ex meritis Christi confertur, contenti sint justitia legali, quæ mere externa est.

4. Illud, 1. Cor. c. 1. *Qui factus est nobis sapientia à DEO, & justitia & sanctificatio, & redemptio.*

Resp. Sensus est: Christus factus est causa meritoria sapientiæ, justitiæ, sanctificationis, & redemptionis nostræ; nam hìc causa appellatur nomine effectus per metonimiam, quæ sæpe in Scriptura adhibetur. Sic dicitur, Psal. 26. *Dominus illuminatio mea, & sa[illegible]a.* Et Psal. 17. *Diligam te, Domine fortitudo mea.* Hoc est, causa illuminationis, salutis & fortitudinis meæ.

5. Illud, 2. Cor. c. 5 *Pro nobis peccatum fecit* (Christum) *ut nos efficeremur justitia DEI in ipso.*

Resp. Sensus est, Christum à DEO Patre factum esse pro peccatis nostris hostiam, ut nos propter ejus merita efficeremur justi justitia DEI, non qua ipse justus est, sed qua nos intrinsecè justos facit. Quæ justitia nobis inhærens dicitur justitia DEI, quia nobis à DEO donatur & nos justos coram DEO & verè facit, ùt docet S. August. tract. 26. in Joann. his verbis: *Justitia DEI dicitur, non qua DEUS justus est, sed quam dat homini DEUS, ut justus sit homo per DEUM.*

6. Galat c. 3. *Quicunque in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

Resp. Justificati Christum induunt, quatenus fiunt Christo similes per veram & intrinsecam sanctitatis & virtutum ejus participationem.

7. Ephes c. 1. v. 6. *Nos acceptos seu gratiosos habuit in dilecto Filio suo.*

Resp. Hujus loci, qui sic in vulgata legitur: *Gratificavit nos in dilecto Filio suo*: Sensus est, DEUM nos sibi gratos effecisse propter merita Filii sui, infundendo scilicet nobis veram sanctitatem, per quam formaliter sumus ipsi grati, juxta illud, v. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate.*

Nota Cùm, 2 Cor. c. 5. Apostolus dicit: *DEUS erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum:* expressè loquitur de una tantùm justificationis parte, quæ in peccatorum remissione posita est, non excludendo aliam, consistentem in infusione justitiæ inhærentis, de qua alibi expressè agit: imò de utraque simul, ùt, Coloss. cap. 2. *Et vos .... convivificavit cum illo, donans vobis omnia delicta*

Obj. 2. S. Bern. Epist. 190 ait: *Justum me dixerim, sed illius justitia*, nempe Christi.

Resp. Justitiam præsentis status vocat justitiam Christi; quia gratuitò propter merita Christi donatur, ùt patet ex contextu. Ibi enim refellit errorem Abailardi docentis, Christum nobis duntaxat doctrina & exemplo profuisse.

Obj. 3. Sententia nostra facit injuriam Christo, & dat homini occasionem superbiendi.

Resp. Neg. Quia profitemur justitiam illam inhærentem à Christo provenire & pendere, nec conferri nisi propter ejus merita: unde justitiam nostram totam *illi* acceptam referimus, nec ulla superbiendi causa datur. Imo adversarii gravem injuriam Christo inferunt, negando, Christum nobis justitiam inhærentem promeruisse, qua verè & intrinsecè justi simus.

ARTICULUS IV.

Utrùm Justitia inhærens sit habitualis, an actualis;

Nota. JUstitiæ nomen multipliciter sumitur: videlicet, 1. pro lege, ùt Psal. 18. *Justitiæ Domini rectæ.*

2. Pro Jure, ùt, Isai. c. 5. *Justitiam justi aufertis ab eo.*

3. Pro virtute generali servante rectitudinem in actionibus omnibus moralibus: & sic sumpta est virtutum omnium moralium complexio.

4. Pro

4. Pro virtute particulari, nempe una è quatuor virtutibus Cardinalibus: quæ est virtus inclinans ac firmans voluntatem ad constanter reddendum unicuique Jus suum.

5. Pro Justitia supernaturali: quæ est interna & supernaturalis rectitudo in ordine ad salutem æternam. Justitia sic sumpta dicitur passim in Scriptura Justitia DEI, Justitia Fidei, Justitia, quæ est ex Fide: dividiturque in actualem & habitualem. Actualis consistit in immunitate à peccato saltem mortali, & in exercitio actuum meritoriorum vitæ æternæ. Habitualis consistit tum in immunitate à peccato mortali, tum in Gratia Sanctificante seu habituali, qua reddimur DEI filii adoptivi & amici, atque permanenter habiles ad exercendos actus supernaturales vitæ æternæ meritorios.

Dico. Justitia inhærens, seu Gratia Sanctificans, quæ in justificatione infunditur, est habitualis Justitia, non actualis. Hoc videtur ad fidem proximè accedere.

Prob. 1. Ex Script 2. Petri, c. 1. art. 3. citato per Justitiam inhærentem, quæ in justificatione infunditur, efficimur consortes divinæ naturæ, & quidem permanenter. Ergo Justitia illa non est actus, qui transit. Et, 1. Joann. c. 3. *Omnis, qui natus est ex DEO, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* Semen illud divinum est Justitia seu Gratia Sanctificans, qua fimus filii DEI adoptivi & dicitur permanere. Ergo Justitia inhærens, seu Gratia Sanctificans est aliquid permanens & habituale, non actus.

2. Ex S. Augustino, l. 1. de peccator. merit. & rem. cap. 9. ubi ait: *Dat etiam sui Spiritus occultissimam fidelibus Gratiam, quam latenter infundit & parvulis.* Gratia autem illa, quæ latenter infunditur etiam parvulis in Baptismo, est Justitia inhærens, & non est actus aliquis, cujus incapaces sunt infantes. Ergo est aliquid habituale.

3. Ex Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. ubi dicit, adultos Justificatos juberi Justitiam acceptam seu primam Stolam conservare, & ante tribunal Christi perferre: at nemo jubetur conservare actus, qui statim transeunt, nec tamdiu conservari possunt. Deinde Stola denotat aliquid permanens. Item, Concilium, can. 3. Justitiam inhærentem distinguit ab actibus fidei, spei, & charitatis, dum definit, neminem sine DEI adjutorio credere, sperare, diligere posse sicut oportet, ut ei justificationis Gratia conferatur.

4. *Ratione.* Quia infantes per Baptismum accipiunt Justitiam inhærentem, verè sanctificantur, & fiunt filii DEI adoptivi, non per actum aliquem, cùm sint omnis actus moralis incapaces. Ergo per aliquid habituale. Ergo etiam adulti justificantur per aliquid habituale, cùm unica sit pro omnibus causa formalis justificationis.

Obj. 1. Si Scriptura & Conc. Tridentinum non possint intelligi nisi de Justitia habituali, erit de fide hominem justificari per Gratiam habitualem.

Resp. Hoc mihi quidem videtur esse de fide, licèt aliqui Theologi id negent: vel saltem hoc est ita Theologicè certum, ut oppositum videatur erroneum; nam hæc veritas clarè eruitur ex Scriptura & definitione Ecclesiæ.

Dices Conc. Trid. voluit tantùm damnare hæreticos asserentes impium justificari per Justitiam Christi ei imputatam; non verò per Justitiam ipsi intrinsecam.

Resp. Concilium voluit quidem damnare hæreticos id docentes: sed ex occasione hujus erroris voluit etiam explicare naturam Justitiæ inhærentis. Unde formam aliquam sanctificantem distinctam ab omni actu justi, habitualiter inhærentem & permanentem, quæ vocatur Gratia habitualis, dari, fide constare, & definitum esse à Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. docet Suarez: nec dissentit Vasquez, licèt putet, actum charitatis vel contritionis perfectæ etiam formaliter justificare: quod tamen est falsum; nam ex Conc. Trid. cap. illo 7. unica est formalis causa justificationis nostræ. Unde actus charitatis vel perfectæ contritionis non justificat nisi dispositivè, seu per modum ultimæ dispositionis.

Obj. 2. Inutilis est Justitia illa habitualis.

Resp. Neg. Imò verò necessaria est secundùm legem ordinariam, & convenientem provi-

providentiam ad hoc, ut homo habeat permanenter principium intrinsecum, proportionatum actibus meritoriis vitæ æternæ, atque ita sit intrinsecè & permanenter habilis ad actus illos modo connaturali efficiendos. Præterea cùm Justitia inhærens sit realiter ipsa Gratia Sanctificans, per quam constituimur DEI filii adoptivi & hæredes, debet esse aliquid permanens & habituale.

ARTICULUS V.

In quo consistat Justitia inhærens habitualis seu Gratia Sanctificans?

Dico. Justitia habitualis, seu Gratia Sanctificans, quæ etiam dicitur Gratia habitualis, consistit formaliter in solo Habitu Charitatis: qui tamen præsupponit & exigit alios habitus infusos. Ita Richardus, Scotus, Gabriel, Bellarminus, &c. Contra alios, qui eam constituunt in collectione habituum fidei, spei & charitatis: & alios docentes, Gratiam Sanctificantem esse qualitatem habitualem animæ infusam, realiter distinctam ab habitibus fidei, spei, & charitatis.

Prob. 1. Ex Joann. c. 4. v. 7. *Omnis, qui diligit, ex DEO natus est.* Et, v. 16. *Qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo.*

2. Ex S. Augustino, lib. 15. de Trinit. cap. 18. ubi de charitate ait: *Nullum est isto DEI dono excellentius. Solum est, quod dividit inter filios regni æterni, & filios perditionis æternæ.* Et, l. de natura & Gratia c. 42. de charitate DEI dicit: *Ipsa est verissima, plenissima, perfectissimaque Justitia.* Et, c. 70. *Charitas ergo inchoata, inchoata Justitia est: charitas provecta, provecta Justitia est: charitas magna, magna Justitia est: charitas perfecta, perfecta Justitia est.* Et, tract. 9. in Epist. Joann. *Charitas est animæ pulchritudo.* Gratia autem Sanctificans est vera animæ pulchritudo.

3. Ex Conc. Trident. sess. 6. c. 7. ubi explicans, quænam sit formalis causa justitiæ inhærentis, ideoque Gratiæ Sanctificantis ait: *Quamquam enim nemo possit esse justus, nisi cui merita passionis Domini nostri JESU Christi communicantur: id tamen in hac impii justificatione fit, dum ejusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum charitas DEI diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhæret.* Ergo ex Conc. Trident. homo justificatur hoc ipso, quòd charitas DEI diffunditur in corde ejus. Ergo formalis causa justificationis est ipsa charitas habitualis. Ergo, &c.

4. *Ratione.* Quia habitus charitatis potest præstare omnes effectus formales Justitiæ & Gratiæ Sanctificantis. Nam per eamdem qualitatem supernaturalem, qua permanenter simus habiles ad DEUM perfectissimè amandum, nobis communicatur esse divinum participatum, simus DEO grati, amabiles, filii ejus adoptivi & hæredes, atque etiam simus permanenter dispositi & habiles ad exercendos actus vitæ æternæ meritorios, circa DEUM versantes modo perfectissimo. Certè non repugnat, eamdem qualitatem hæc omnia præstare. Ergo nulla est necessitas distinguendi realiter Gratiam habitualem ab habitu charitatis. Præterea habitus charitatis est summa quædam divinæ naturæ participatio, cùm sit facultas amandi DEUM super omnia propter se proportionatè visioni intuitivæ ipsius: unde exigit, saltem aliquando tribui subjecto suo illam visionem, sine qua non potest exercere operationem perfectissimam, ad quam habilem efficit potentiam, cui inest.

Obj. 1. Concil. Viennense Gener. docet, in Baptismo conferri Gratiam informantem, & virtutes. Et, Conc. Trident. sess. 6. c. 7. dicit, justificationem esse renovationem & sanctificationem interioris hominis per voluntariam susceptionem Gratiæ & donorum. Ergo Gratia Sanctificans consistit in Gratia habituali realiter distincta ab omnibus virtutibus Theologicis.

Resp. Neg. conseq. Nam idcirco hæc Concilia Gratiæ justificanti addunt virtutes ac dona, nempe habitus infusos fidei & spei & alios, atque dona Spiritus Sancti, quia semper in impii justificatione comitantur Gratiam Sanctificantem, & ab illa exigun-

tur. Unde ſolùm volunt, hominem renovari & ſanctificari per ſuſceptionem Gratiæ Sanctificantis, quæ eſt realiter charitas habitualis, quam ſemper comitantur alii habitus infuſi, & dona Spiritus Sancti; nam per Gratiam intelligitur charitas, per virtutes autem aut dona intelliguntur virtutes charitatis comites.

Dices. Conc. Trid. ſeſſ. 6. can. 11. anathematizat eos, qui dicunt, hominem juſtificari vel ſola imputatione Juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, *excluſa Gratia & charitate.* Ergo Gratia Sanctificans diſtinguitur à charitate.

Reſp. Diſtinguitur ratione; nam Gratia & charitas diverſos habent conceptus. At habitualis Gratia non diſtinguitur realiter à charitate: ſed eſt unus & idem realiter habitus, ùt ſatis indicant verba canonis objecti, qui ſic habet: *Si quis dixerit, homines juſtificari vel ſola imputatione Juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa Gratia & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat..... anathema ſit.* Nam non dixit, diffundantur & inhæreant, ſed *diffundatur* & *inhæreat*, ut indicet, Gratiam & charitatem eſſe unam rem. Hanc tamen quæſtionem ſcholaſticam definire noluit.

Obj. 2. Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 7. ait: *Unde in ipſa juſtificatione cum remiſſione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo..., fidem, ſpem, & charitatem.* Ergo Juſtitia inhærens conſiſtit in tribus virtutibus Theologicis.

Reſp. Neg. conſeq. Nam aliud eſt, in juſtificatione infundi habitus fidei & ſpei: & aliud, ipſam Gratiam Sanctificantem conſiſtere formaliter in illis. Equidem habitus fidei & ſpei infunduntur in juſtificatione, ſed ùt comites charitatis, & ad eam requiſiti: non autem, ùt conſtituentes cum charitate totam eſſentiam phyſicam Gratiæ Sanctificantis: quod adhuc ſic probo. Nam Gratia Sanctificans ſecundùm ſe totam remanet in patria: habitus autem fidei & ſpei non remanent: ſed ſola charitas. Deinde per quodlibet peccatum mortale amittitur tota Gratia Sanctificans, & habitus charitatis: nec tamen amittuntur habitus fidei & ſpei. Denique Conc. Trid. ſeſſ. 6 can. 11. explicans juſtificationem formalem, nullam facit mentionem habituum fidei & ſpei.

Obj. 3. Effectus formales Gratiæ habitualis & charitatis diverſi ſunt: nec alius alium includit. Ergo non ſunt ab eadem qualitate.

Reſp. Effectus formales Gratiæ & charitatis ſunt diverſi logicè, ſeu ſecundùm conceptum: & unus alium non includit logicè. Unde ſolùm ſequitur, quòd Gratia Sanctificans & charitas habitualis diſtinguantur logicè, ſeu terminent diverſos conceptus, quamvis ſint eadem forma phyſica, quæ hos diverſos logicè effectus præſtat ſub diverſa conſideratione. Nam effectus formalis Gratiæ habitualis eſt facere formoſum, ſanctum, gratum & amabilem DEO: effectus verò formalis charitatis habitualis eſt facere hominem habilem ad DEUM perfectiſſimè amandum. Sed eadem qualitas diverſo modo conſiderata poteſt hos effectus præſtare: & reipſa eadem charitas habitualis, ùt eſt ſumma quædam participatio naturæ divinæ nos arctiſſimè conjungens DEO, & forma ac pulchritudo divini ordinis, facit hominem ſanctum, formoſum, amabilem & gratum DEO: & ùt eſt principium operationis, facit eum habilem ad DEUM perfectiſſimè amandum. Sunt tamen iſti effectus formales unus realiter. Illa enim habilitas animæ ad DEUM perfectiſſimè amandum, eſt eſſe divinum participatum, & pulchritudo reddens eam amabilem & gratam DEO.

Porro facere actu dilectorem, eſt effectus contingens: at facere habilem ad diligendum, eſt effectus formalis eſſentialis habitus charitatis.

Obj. 4. De ratione Juſtitiæ inhærentis eſt, dare facultatem & habilitatem operandi juſta circa DEUM immediatè. Ergo Juſtitia inhærens conſiſtit in tribus habitibus Theologicis.

Reſp. Eſt de ratione Juſtitiæ eſſentialiter & formaliter ſumptæ dare habilitatem intrinſecam permanentem operandi juſta circa

ea DEUM immediatè modo perfectissimo, scilicet per actus caritatis; nam Justitia inhærens essentialiter ac formaliter sumpta consistit in interiore ac permanente habilitate seu facultate exercendi actus perfectissimos versantes circa DEUM immediatè modo perfectissimo, ideoque consistit in solo habitu charitatis. Justitia verò integraliter vel præsuppositivè sumpta, hoc est, sumpta secundùm ea, quæ præsupponit & exigit pro vario statu subjecti sui, consistit in permanente habilitate ad exercendos actus omnium virtutum supernaturalium, præsertim versantium circa DEUM immediatè, licèt modo minùs perfecto: quales sunt actus fidei & spei, qui homini in statu viæ necessarii sunt.

Dices 1. Habitus fidei & spei evehunt animam ad esse divinum & supernaturale.

Resp. Non evehunt ad esse divinum perfectum, ùt evehit charitas, ad quam præsupponuntur, vel quam in hoc statu viæ semper comitantur tamquam esse divinum integrale non essentiale.

Dices. 2. Sine fide impossibile est placere DEO.

Resp. Hinc solùm sequitur, in statu viæ charitatem nunquam esse sine fide: unde fidem exigit & supponit charitas.

Obj. 5. Spiritus Sanctus priùs datur nobis per Gratiam Sanctificantem, quàm infundatur nobis charitas, juxta illud. Rom. c. 5. *Charitas DEI diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Ergo Gratia Sanctificans distinguitur realiter à charitate.

Resp. Neg. ant. Sensus autem Apostoli est, quòd in justificatione datur nobis ipse Spiritus Sanctus, qui est donum increatum, cujus charitas est veluti effectus primarius. Nam Spiritus Sanctus speciali modo inest justificato tum per productionem & conservationem charitatis habitualis, & aliorum habituum infusorum ac donorum, tum per specialem assistentiam & protectionem, tum etiam per specialem complacentiam.

Obj. 6. Virtutes acquisitæ supponunt esse naturale. Ergo virtutes supernaturales supponunt esse supernaturale, ideoque Gratiam Sanctificantem. Ergo, &c.

Resp. Neg. conseq. Disparitas est. Quia virtutes acquisitæ supponunt posse operari naturaliter: & sic à fortiori supponunt esse naturale. At virtutes supernaturales dant posse operari supernaturaliter: & sic possunt dare esse supernaturale.

ARTICULUS VI.

Utrùm in justificatione infundantur etiam virtutes morales supernaturales in entitate?

Dico. In justificatione præter habitus virtutum Theologicarum infunduntur etiam habitus virtutum moralium supernaturales in entitate. Ita S. Thomas, 1. 2. q. 63. a. 3. & hæc est nunc communis omnium fere Theologorum sententia.

Prob. Quia integralis perfectio Justitiæ inhærentis videtur postulare, ut homo justus habeat principia intrinseca & permanentia rectè operandi in omni materia virtutis in ordine ad finem suum ultimum supernaturalem. Præterea virtutes morales supernaturales tam sunt necessariæ ad suos actus, quàm virtutes Theologicæ ad suos. Ergo sicut DEUS infundit virtutes Theologicas, ut homo habeat facultatem intrinsecam permanentem exercendi actus illarum virtutum: ita propter eamdem rationem infundit virtutes morales; nam non minùs convenit, hominem intrinsecè & permanenter habilem esse ad exercendos actus supernaturales omnium virtutum moralium, quàm ad exercendos actus supernaturales virtutum Theologicarum.

Obj. 1. Omnis virtus moralis acquiri potest per actus naturales. Ergo nulla datur virtus moralis infusa per se.

Resp. 1. Habitus virtutum moralium acquiri non possunt sine Gratia. Nam illi habitus acquiri non possunt, nisi per actus frequenter & constanter repetitos, ideoque nisi superentur graves difficultates occurrentes: ad quod requiritur Gratia, & protectio divina.

Resp. 2. *Neg. conseq.* Nam virtutes morales per se infusæ sunt habitus supernaturales in entitate: dant posse agere supernaturaliter, & hominem reddunt intrinsecè & permanenter habilem ad exercendos actus virtutum moralium supernaturales in entitate: qui scilicet versentur altiori modo & propter motiva altioris ordinis circa materiam virtutum moralium.

Itaque virtutes morales per se infusæ necessariæ sunt, ut homo sit intrinsecè & permanenter habilis ad operandum in omni materia virtutum moralium, non solùm prout decet creaturam rationalem, sed etiam & potissimum prout decet creaturam rationalem elevatam ad statum supernaturalem, & filiationem divinam adoptivam, ideoque ad diligendum DEUM, ut authorem Gratiæ & gloriæ, atque ad honestè in materia virtutum moralium agendum ex imperio charitatis.

Obj. 2. Conc. Trident. enumerans virtutes, quæ in justificatione infunduntur, nullam facit mentionem virtutum moralium. Ergo hæ non infunduntur.

Resp. 1. *Neg. conseq.* Quia Conc. Trid. noluit expressè definire quæstiones inter Catholicos controversas, nec illas virtutes infundi negavit. Non ideo tamen diminuta ac manca est doctrina Concilii relatè ad scopum sibi propositum: scilicet ut hæreticorum errores damnaret.

Resp. 2. *Neg. ant.* Nam Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. docet, justificationem esse non solùm remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem & renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem Gratiæ, & donorum. At per vocem hanc *donorum* possunt intelligi non solùm habitus fidei & spei, sed etiam virtutes morales infusæ per se, & alia dona Spiritus Sancti.

Obj. 3. Si virtutes morales infunderentur in justificatione, statim darent facilitatem operandi rectè in sua materia. *Falsum conseq.* Ergo.

Resp. Virtutes morales per se infusæ dant quidem facilitatem aliquam intrinsecam bene agendi, dando facultatem exercendi actus supernaturales. At non dant simpliciter agere facilè, nec dant facilitatem extrinsecam ac sensibilem, removendo scilicet impedimenta, quæ aut ex ignorantia, aut concupiscentia, aut ex malis habitibus proveniunt.

Porro communiùs docent Theologi, amissa charitate amitti virtutes morales per se infusas; quia sunt illius velut appendices, ornatus & comitatus.

Quæres, Utrùm etiam dona Spiritus Sancti in justificatione infundantur?

Resp. Ex communi sententia infunduntur dona Spiritus Sancti, quæ septem vulgò numerantur, & quorum tria ad voluntatem, scilicet pietas, fortitudo & timor: quatuor verò ad intellectum, scilicet intelligentia, sapientia, scientia, & consilium, pertinent. Sed juxta alios non distinguuntur realiter ab habitibus Theologicis & moralibus per se infusis: juxta alios ab his habitibus realiter distinguuntur, quamvis à charitate separari nequeant. Juxta alios sunt aliquid actuale & transiens, non habituale: & tria priora ad voluntatem pertinentia consistunt in certis impulsibus: reliqua verò in certis illustrationibus.

S. Thomas, 1. 2. q. 68. agit de donis Spiritus Sancti, & docet, art. 1. ea esse realiter distincta à virtutibus supernaturalibus omnibus etiam moralibus: art. 3. esse habitus, quibus homo perficitur ad promptè obediendum Spiritui Sancto: art. 5. ita esse connexa cum habitu charitatis, ut ab eo nunquam separentur.

ARTICULUS VII.

Quinam sint effectus formales Justitiæ inhærentis, seu Gratiæ habitualis?

§. I.

DICO 1. Justitia inhærens, se ipsa, præciso quocunque alio, hominem formaliter sanctificat, & constituit DEI amicum, filium ejus adoptivum, & hæredem vitæ æternæ.

Prob.

Prob. 1. Ex Script. 2. Petri, c. 1. Per Gratiam habitualem efficimur divinæ consortes naturæ, ita ut Gratia habitualis sit excellentissima divinæ naturæ participatio, & divinum ac supernaturale principium eliciendi actus omnium præstantissimos & divinos. Ergo per illam constituimur formaliter sancti, DEI amici & filii adoptivi, &c.

2. Ex Conc. Trid. sess. 6. c. 7. ubi ait: *Justificatio... est sanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem Gratiæ & donorum: unde homo ex injusto fit justus, ex inimico amicus, ut sit hæres secundùm spem vitæ æternæ.* Ergo per Gratiam habitualem solam, secluso omni alio, fimus sancti, justi, amici DEI & hæredes; nam Concilium dicit simpliciter, hominem per illam Gratiæ susceptionem constitui talem, omisso omni alio. Item ex Conc. Trident. c. 4. Justificatio impii est translatio à statu peccati ad statum Gratiæ, & adoptionis filiorum DEI. Ergo forma justificans seu Justitia inhærens transfert ad statum amicitiæ & adoptionis divinæ. Ergo per illam, præciso quocunque alio, homo efficitur formaliter gratus DEO, & filius ejus adoptivus.

3. *Ratione.* Quia Gratia Sanctificans seu habitualis est summa quædam divinæ naturæ participatio, evehens animam ad esse divinum: ei tribuens pulchritudinem divini ordinis & quidem maximam: eam intimè ac perfectè cum DEO conjungens, similimamque DEO reddens: similitudine scilicet morum ac voluntatum, quam amicitia requirit.

Obj. Præter Gratiam Sanctificantem extrinsecus favor DEI requiritur ad integrum ac perfectum statum amici & filii adoptivi DEI.

Resp. Neg. Nam 1. Conc. Trident. docet, hominem per Gratiam Sanctificantem constitui simpliciter amicum DEI & hæredem, prætermisso illo favore. Et, sess. 6. cap. 7. docet, unicam esse causam formalem nostræ justificationis, nempe Justitiam inhærentem. At si ad justificationem requiritur adhuc favor, jam duplex erit causa formalis nostræ justificationis: nempe Gratia habitualis, & favor DEI extrinsecus.

2. Favor ille externus, cùm sit liber DEO, compleri debet per aliquem terminum extrinsecum DEO; nam omnis actus DEI liber completur per aliquid extrinsecum productum à DEO. Ergo præter Gratiam Sanctificantem requiritur adhuc aliquid aliud productum: quod falsum est: tum quia illud nullum habet fundamentum in Scriptura & Traditione: tum quia alioqui dabitur processus in infinitum; nam illud productum distinctum à Gratia habituali, quod ad statum actualem amicitiæ & adoptionis divinæ requireretur, exigeret etiam novum favorem extrinsecum: & ille novus favor extrinsecus exigeret aliquid aliud productum, per quod compleretur: & sic in infinitum. Quod si dicatur, illud aliud productum non exigere novum favorem: quidni id dicatur de ipsa Gratia Sanctificante, quæ est excellentissima divinæ naturæ participatio?

Dices. Nulla est possibilis qualitas creata, quæ necessitet DEUM ad amandum subjectum, cui inest.

Resp. Neg. Nam DEUS non potest non amare subjectum, maximam habens amabilitatem, & pulchritudinem divini ordinis, atque excellentissimam naturæ divinæ participationem exigentem ejus fruitionem. DEUS enim, utpote infinitè rectus, non potest non amare id, quod est in se amabile, secundùm gradus amabilitatis ejus. Præterea non potest esse forma sine ejus effectu formali primario.

§. II.

Dico. 2. Gratia habitualis seu Sanctificans expellit peccatum mortale, ita ut remissio peccati sit etiam effectus formalis Gratiæ habitualis.

Prob. Ex Conc. Trid. sess. 5. can. 5. sic definiente: *Si quis per JESU Christi Domini nostri Gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti... negat anathema sit.* Et, sess. 6. c. 4. docet, Justificationem impii esse translationem à statu peccati in statum Gratiæ. Ergo ter-

minus *à quo* justificationis, est status peccati, & terminus *ad quem*, est status Gratiæ. Atqui in omni mutatione terminus *ad quem*, est formalis causa exclusionis termini *à quo*, Ergo Gratia habitualis est formalis causa exclusionis peccati.

§. III.

Dico 3. Gratia Sanctificans, seu charitas habitualis ita peccatum mortale excludit, ut de potentia DEI, etiam absoluta, esse nequeat simul cum ullo peccato mortali.

Prob. 1. Ex Script. 1. Joan. cap. 3. *Omnis, qui natus est ex DEO, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet.* Ubi significatur incompossibilitas ex natura rei inter Gratiam Sanctificantem & peccatum.

2. Quia Gratia Sanctificans est forma per se essentialiter constituens hominem DEI amicum & filium adoptivum, ut probatum est. Atqui repugnat talem formam stare simul cum peccato mortali; nam repugnat eumdem simul esse DEI amicum & inimicum: hæredem vitæ æternæ & obnoxium damnationi æternæ. Ergo.

Nota. Infusio Gratiæ & remissio peccati prout reipsa fit, est mutatio realiter unica, sed virtualiter seu morali consideratione duplex: cùm sit transitus ab esse peccati & non esse Gratiæ, ad non esse peeccati, & esse Gratiæ.

Quæres, An possibilis sit condonatio peccati merè extrinseca: hoc est, An DEUS possit remittere peccatum mortale hominis absque collatione Gratiæ Sanctificantis, aut alterius doni supernaturalis in illo recepti?

Resp. Affirm. Quia in hoc nulla apparet repugnantia: & homines reipsa offensas sic remittunt. Quidni ergo DEUS possit per locutionem in aëre formatam cedere juri, quod habet ad justam aversionem, vel ad pœnam peccatori infligendam propter peccatum ejus præteritum?

Cùm autem S. Thomas dicit, intelligi non posse remissionem culpæ sine infusione Gratiæ: vel loquitur de lege ordinaria & præsenti Decreto: vel de remissione ad DEI perfectam amicitiam.

DEUS tamen non potest remittere peccatum sine ullo termino ipsi DEO extrinseco, producto; quia cùm condonatio peccati sit actus liber DEI, debet necessariò compleri per aliquem terminum DEO extrinsecum. Item, homo non potest constitui perfectè sanctus, DEI amicus, & filius adoptivus sine Gratia Sanctificante, aliove simili dono supernaturali sibi intrinseco: cujusmodi est unio hypostatica, visio intuitiva, &c. Quia ad perfectam DEI amicitiam requiritur intrinseca & supernaturalis similitudo, ac excellens quædam divinæ naturæ parcicipatio: quæ absque dono supernaturali intrinseco haberi nequit.

ARTICULUS VIII.

Quænam sint causæ justificationis impii?

Dico. Justificationis impii causa finalis est triplex: nempe gloria DEI: gloria Christi: & vita æterna rependenda justificato. Causa efficiens misericors DEUS. Causa meritoria Christus. Causa formalis est Justitia inhærens. Ita Conc. Trid. sess. 6. cap. 7. Causa instrumentalis sunt Sacramenta: nempe Baptismus, ex Conc. Trid. ibid. & Sacramentum Pœnitentiæ, ex eodem Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. Causa denique materialis est anima, quæ justificatur; nam materialis causa justificationis est subjectum, dependenter à quo recipiente & sustinente producitur causa formalis: subjectum est anima; neque enim Gratia Sanctificans creatur, sed educitur; siquidem ex Conc. Trid. inhæret. Educi autem, est produci dependenter à subjecto recipiente & sustentante.

ARTICULUS IX.

Utrùm aliqua dispositio requiratur ad Justificationem?

Nota. Quæstio est de solis adultis Nam certum est, in infantibus nullas prærequiri ad justificationem dispositiones; cum constet, eos esse incapaces ullius actus liberi, & tamen justificari in Baptismo,

ptiſmo, ex Conc. Trid. ſeſſ. 5. can. 4. & ſeſſ. 6. c. 7. Idem eſt de perpetuò amentibus.

§. I.

Dico 1. In adultis diſpoſitiones aliquæ prærequiruntur ad juſtificationem. *Eſt de fide.*

Prob. 1. Ex Script. Zachar. c. 1. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum: & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.*

2. Ex Traditione Patrum. Hic ſufficiat S. Auguſt. ſerm. 15. de verbis Apoſtoli, ubi ait: *Qui fecit te ſine te, non te juſtificat ſine te .... fecit neſcientem, juſtificat volentem.*

3. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. ubi docet, adultum ſine propriis diſpoſitionibus non juſtificari; nam, c. 5. *Declarat juſtificationis exordium in adultis à DEI præveniente Gratia ſumendum eſſe .... qua ad convertendum ſe ad ſuam ipſorum juſtificationem ... diſponantur.* Et, cap. 6. ait: *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina Gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes liberè moventur in DEUM.* Et, cap. 7. *Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem juſtificatio ipſa conſequitur, &c.*

Ratio eſt voluntas DEI. *Ratio* congruentiæ eſt, quia cùm adultus liberè ſe avertat à DEO per peccatum mortale, conveniens eſt, ut cum DEO non reconcilietur, niſi priùs ad eum per aliquos actus liberè ſe converterit. Imo hoc exigit Juſtitia.

§. II.

Dico 2. In adulto ad juſtificationem requiritur aliqua fides.

Prob. 1. Ex Scrip. Heb. c. 11. *Sine fide impoſſibile eſt placere DEO, &c.*

2. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. & c. 8. ubi ait: *Fides eſt humanæ ſaluris initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis: ſine qua impoſſibile eſt placere DEO, & ad filiorum ejus conſortium pervenire.*

Nota. Ad juſtificationem requiri fidem, conſentiunt hæretici. Sed Lutherani & Calviniſtæ docent, hominem juſtificari per ſolam fidem ſpecialem promiſſionum: quæ ſecundùm Calviniſtas eſt actus intellectus, *quo quis* credit revera ſibi propter Chriſtum remiſſa eſſe peccata: vel juxta pleroſque Lutheranos eſt actus voluntatis, quo quis confidit peccata ſibi eſſe remiſſa propter Chriſtum: unde hunc actum fiduciam vocant.

§. III.

Dico. 3. Fides juſtificans (ſcilicet diſpoſitivè) non eſt fides illa ſpecialis promiſſionum, qua quis ſibi applicans promiſſiones divinas de remiſſione peccatorum, credit ſibi peccata eſſe remiſſa propter Chriſtum: neque actus voluntatis, quo quis confidit à DEO miſericordi ſibi remiſſa eſſe peccata propter Chriſtum. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Fides juſtificans eſt actus, quo credimus ea omnia, quæ à DEO revelata ſunt, juxta illud, Hebr. c. 11. *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Et, v. 6. *Credere enim oportet accedentem ad DEUM. quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Atqui actus, quo ea omnia credimus, quæ à DEO revelata ſunt, non eſt actus, quo credimus, vel confidimus peccata nobis eſſe remiſſa propter Chriſtum. Ergo.

2. Ex Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 6. *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina Gratia & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in DEUM, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata & promiſſa ſunt: atque illud imprimis, à DEO juſtificari impium per Gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto JESU.* Ex, can. 14. *Si quis dixerit, hominem à peccatis abſolvi, ac juſtificari ex eo, quòd ſe abſolvi ac juſtificari certò credat: aut neminem vere eſſe juſtificatum, niſi qui credat, ſe eſſe juſtificatum, & hac ſola fide abſolutionem & juſtificationem perfici: anathema ſit.*

3. *Ratione.* Fides illa ſpecialis promiſſionum, aut fiducia non poteſt juſtificare, niſi DEUS promiſerit alterutri actui remiſſionem peccatorum. Atqui DEUS remiſſionem peccatorum non promiſit cuilibet in particulari

cùlari credenti, vel confidenti, peccata ſibi remiſſa eſſe propter Chriſtum abſolutè & abſque conditione operum atque mediorum juſtificationis à Chriſto inſtitutorum; nam nullibi extat talis promiſſio. Ergo neuter actus juſtificat.

Alia ratio. Fides juſtificans præcedit juſtificationem & remiſſionem peccatorum, cùm ſit diſpoſitio ad illam. Sed fides ſpecialis, qua quis credit, vel confidit peccata ſibi remiſſa eſſe propter Chriſtum, non præcedit juſtificationem, nec peccatorum remiſſionem; nam ſi præcederet, eſſet falſa; per illam enim crederetur eſſe id, quod nondum eſt: ac proinde talis fides non eſt fides juſtificans; nam fides juſtificans eſt fides divina, ideoque veriſſima. Item, hæc fides hæreticorum ſupponit juſtificationem & remiſſionem peccatorum jam factam tanquam objectum ſuum. Ergo per illam non obtinetur juſtificatio.

§. IV.

Dico 4. Fides ſola non ſufficit ad juſtificationem. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Script Act. c. 3. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Ergo præter fidem requiritur Pœnitentia.

2. Ex Traditione Patrum. Pro omnibus ſint S. Chryſoſtomus, homil. 7. in Matth. ubi ait: *Ne fideles ſola fide ſe ſalvari poſſe confidant.* Et, S. Auguſtinus, ſerm. 22. de verbis Apoſtoli, ubi ait: *Domus DEI credendo fundatur, ſperando erigitur, diligendo perficitur.*

3. Ex Conc. Trid. quod, ſeſſ. 6. c. 6. præter fidem requirit alios actus. Et, can. 9. ſic ait: *Si quis dixerit, ſola fide impium juſtificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri, quod ad juſtificationis Gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe eum ſuæ voluntatis motu præparari atque diſponi: anathema ſit.*

4. *Ratione.* Quia fidem ſolam habentes, poſſunt eſſe adulteri, fures, avari, injuſti, maledici: at, ex 1. Corinth. cap. tales regnum DEI non poſſidebunt. Porro actus, qui ad juſtificationem requiruntur, exponuntur in tract. de Sacram. Baptiſmi, cap. 4. art. 2.

§. V.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Scriptura paſſim ſoli fidei attribuit juſtificationem.

Reſp. Scriptura juſtificationem attribuit fidei, ùt primo fundamento & radici omnis juſtificationis: non verò, ùt formæ juſtificanti, aut diſpoſitioni ultimæ ſe ſola ſufficienti. Equidem Scriptura dicit, fidem juſtificare: ſed non dicit ſolam fidem juſtificare, excludendo alios actus. Et cùm dicit, fidem juſtificare, intelligit fidem efficacem & operantem, ſeu efficaciter impellentem ad omnes actus à DEO præceptos & requiſitos ad juſtificationem: vel ſubintelligit: modò cætera requiſita adſint.

Inſt. Scriptura agens de juſtificatione, ſolam fidem nominat, ùt, Rom. c. 5. *Juſtificati ex fide.*

Reſp. 1. Scriptura cùm de juſtificatione loquitur, interdum nominat ſolam ſpem, ùt Prov. c. 28. *Qui ſperat in Domino, ſanabitur.* Interdum ſolam charitatem, ùt Luc. c. 7. *Remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multùm.* Interdùm ſolùm Sacramentũ Pœnitentiæ, ùt Joan. c. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Itaque quando plura ad eumdem effectum concurrunt, Scriptura effectum illum modò uni, modò alteri attribuit ſine aliarum cauſarum vel diſpoſitionum excluſione.

Reſp. 2. Ideo ibi ſola fides nominatur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis juſtificationis, atque prima diſpoſitio, à qua aliæ pendent: & quæ ad alias prærequiritur & impellit. *Cùm verò Apoſtolus dicit, juſtificari hominem per fidem, & gratis: ea verba* (inquit Conc. Trid. ſeſſ. 6. c. 8.) *in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit: ut ſcilicet per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis*

salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, &c.

Obj. 2. Illud, Joann. c. 3. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam.*

Resp. Ibi agitur de fide formata & operante per charitatem, de qua Gal. cap. 5. dicitur: *In Christo JESU neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur.*

Obj. 3. Hæc verba, Rom. c. 3. *Justitia autem DEI per fidem JESU Christi in omnes & super omnes, qui credunt in eum.*

Resp. Ibi promittitur quidem justitia credenti in Christum, sed fide efficaci & operante per charitatem. Porro credere in Christum, est credere mysteria Verbi incarnati.

Obj. 4. Illud Rom. c. 3. *Arbitramur enim, justificari hominem per fidem sine operibus legis.* Et Gal. cap. 2. *Scientes, quòd non justificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem JESU Christi.* Et Ephes. c. 2. *Gratia estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis; DEI enim donum est: non ex operibus, ut ne quis glorietur.*

Resp. Homo justificatur quidem sine operibus ex solis naturæ viribus factis: at non justificatur sine certis operibus ex fide & Gratia factis. Itaque his locis Apostolus excludit solùm omnia opera, quæ fiunt sine fide & Gratia: at non excludit certa opera, quæ fiunt ex fide & viribus Gratiæ: quales sunt actus supernaturales spei, pœnitentiæ, & charitatis, saltem inchoatæ cum Sacramento, vel perfectæ extra Sacramentum: quos actus alibi requirit Scriptura.

Dices 1. Ex locis citatis justificamur gratis per fidem, & non ex operibus. Sed hoc significat, nos sola fide justificari. Ergo.

Resp. Neg. min. Nam dicimur justificari gratis per fidem, non ex operibus: tum quia opera etiam moraliter bona ante fidem & ex solis naturæ viribus facta, nec ad justificationem, nec ad fidem aut alia opera ad salutem utilia ullatenus concurrunt aut conducunt, nequidem ùt conditio sine qua non: tum quia opera supernaturalia ex fide & auxilio Gratiæ profecta, & ad justificationem requisita, non promerentur ipsam justificationem, saltem de condigno, ùt explicat Conc. Trid. sess. 6. c. 8. his verbis; *Gratis autem justificari ideo dicamur; quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis Gratiam promeretur. Si enim Gratia est, jam non ex operibus: alioquin, ùt idem Apostolus inquit, Gratia jam non est Gratia.*

Dices 2. Si requiruntur opera ad justificationem, justificatus poterit gloriari.

Resp. Non potest gloriari in se; quia fides & alia bona opera, quibus ad justificationem disponitur, sunt dona DEI. Quare non potest gloriari nisi in DEO, juxta illud 2. Cor. c. 10. *Qui autem gloriatur, in Domino glorietur.*

Obj. 5. Illud, Luc. c. 8. v. 48. *Fides tua salvam te fecit: vade in pace.* Et v. 50. *Crede tantùm: & salva eris.*

Resp. In his & similibus locis non agitur de salute animæ & justificatione, sed de miraculo aliquo impetrando. Sic in primo loco agitur de sanitate corporis: in secundo de suscitatione puellæ mortuæ. Ad impetranda autem miracula, quæ ad veritatem fidei confirmandam fiunt, sufficere potest fides.

TRACTATUS DE MERITO.

ARTICULUS I.

Utrùm bona Juſtorum opera ſint meritoria vitæ æternæ, & quidem de condigno?

Nota 1. LUtherus & Calvinus, eorumque Sectatores, cùm velint ſola fide homines juſtificari & ſalvari, atque electos æqualiter DEUM videre, conſequenter negant, juſtos mereri propriè beatitudinem æternam & ejus augmentum.

Nota. 2. Meritum in concreto, eſt opus bonum in obſequium alterius factum, de ſe aptum ad aliquid obtinendum per modum retributionis ſeu mercedis: in abſtracto eſt ipſius operis boni valor, vi cujus idoneum eſt, ut moveat ad præmium retribuendum. Meritum differt ab impetratione: quòd hæc moveat per modum ſubmiſſæ petitionis, illud per modum obſequii. A ſatisfactione: quòd hæc ſit compenſatio injuriæ.

Nota. 3. Meritum apud DEUM duplex diſtinguitur: nempe condignum, & congruum. Condignum eſt illud, quod habet æqualitatem aliquam cum præmio, quod ei debeatur, ſaltem ex fidelitate in ſervandis promiſſis, ideoque ex juſtitia latè dicta. Congruum eſt illud, quod nullam habet æqualitatem, ſed tantùm congruitatem ac convenientiam cum præmio.

§. I.

Dico 1. Juſti per bona ſua opera ex auxilio Gratiæ facta merentur beatitudinem æternam, & ejus augmentum. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Script. Matth. cap. 5. *Merces veſtra copioſa eſt in Cœlis.* Et cap. 16. *Reddet unicuique ſecundùm opera ejus.* Et 1. Corinth. c. 3. *Unuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem.* Merces autem non datur, niſi ob merita propriè dicta.

Prob. 2. Scripturæ accedit unanimis Patrum conſenſus. Pro omnibus ſit S. Auguſt. ep. 105. ubi ait: *Nulla ne ſunt merita juſtorum? Sunt planè, quia juſti ſunt. Sed ut juſti fierent, merita non fuerunt ..... ſicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors: ita merito juſtitiæ tanquam ſtipendium vita æterna.* Et Tr. 67. in Joann. *Etſi alius eſt alio fortior, alius alio juſtior, alius alio ſanctior: in domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Nullus eorum alienabitur ab illa domo, ubi manſionem pro ſuo quiſque acceptur us eſt merito... Multæ manſiones diverſas meritorum in una vita æterna ſignificant dignitates, &c.*

Prob. 3. Ex Conciliis, ſcilicet Arauſicano II. can. 18. *Debetur merces bonis operibus, ſi fiant, ſed Gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.* Lateran. IV. Gener. cap. 1. *Non ſolùm virgines & continentes, verùm etiam conjugati per fidem rectam & operationem bonam, placentes DEO, ad æternam merentur beatitudinem pervenire.* Florentino, in litteris unionis definiente, animas plenè purgatas *in Cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum DEUM Trinum & Unum ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate alium alio perfectiùs.* Tridentino, ſeſſ. 6. c. 16. *Bene operantibus uſque in finem, & in DEO ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam Gratia filiis DEI per Chriſtum JESUM miſericorditer promiſſa: & tanquam merces ex ipſius DEI promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter

liter reddenda. Hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse ajebat Apostolus, à justo Judice sibi reddendam, non solùm autem sibi, sed & omnibus, qui diligunt adventum ejus. Et can. 32. hanc veritatem iterùm definit.

§. II.

Dico 2. Justi per bona sua opera merentur de condigno beatitudinem æternam, & ejus augmentum. Ita communiùs Doctores Catholici.

Prob. Justum mereri apud DEUM de condigno, est justum mereri apud DEUM ex æqualitate operis cum mercede illi à DEO promissa ob illud opus, ideoque debita ex justitia aliqua saltem latè dicta: nempe ex fidelitate in promissis. Atqui justus sic meretur apud DEUM beatitudinem æternam, & ejus augmentum. Ergo.

Tota difficultas est in probanda æqualitate boni operis cum beatitudine. Nam jam probavi, justum mereri beatitudinem per bona opera. Quòd autem merces promissa debeatur ex aliqua justitia saltem latè dicta: nempe fidelitate, patet ex Apostolo, 2. ad Tim. c. 4. dicente: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex: non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus.* Et Hebr. c. 6. *Non enim injustus DEUS, ut obliviscatur operis vestri.* Hinc S. Augustinus, l. de nat. & Grat. c. 2. ait: *Non est injustus DEUS, qui justos fraudet mercede justitiæ.*

Prob. Itaque *minor* quoad æqualitatem illam boni operis justi cum beatitudine, 1. ex Script. Sap. c. 3. *DEUS tentavit eos, & invenit illos dignos se.* Luc. c. 20. *Qui digni habebuntur sæculo illo, & resurrectione ex mortuis*, ad vitam æternam. 2. Ad Thessal. cap. 1. *Ut digni habeamini in regno DEI.* Et Apoc. cap. 3. *Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt.* Ergo justi per bona opera fiunt digni beatitudine æterna. At non potest esse justi dignitas ad beatitudinem assequendam ob bona opera, nisi illa opera habeant æqualitatem quamdam cum beatitudine. Item beatitudo rependenda justis ùt merces, vocatur ab Apostolo corona justitiæ: quæ vox sanè æqualitatem quamdam operis cum mercede exprimit. Unde S. Cyprianus, epist. 26. ait: *Non minùs mercede condignus est, qui hortatur, quàm qui & passus est.*

Prob. 2. Ex Concil. Trid. sess. 6. can. 32. *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona DEI, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita: aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per DEI Gratiam, & JESU Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum Gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in Gratia decesserit, consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum: anathema sit.* Ergo justus per sua bona opera verè meretur augmentum gratiæ, vitam æternam, & gloriæ augmentum. Atqui non potest verè mereri beatitudinem & ejus augmentum per bona opera, nisi illa opera habeant æqualitatem aliquam cum beatitudine; nam ad meritum verè ac propriè dictum requiritur aliqua operis meritorii cum mercede æqualitas. Ergo. Item, c. 16. sic ait: *Nihil ipsis justificatis ampliùs deesse credendum est, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in DEO sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in Gratia decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur.* Ergo bonis operibus justorum nihil deest, quominus vitam æternam verè promeruisse censeantur. At quomodo bona opera justorum haberent omnia requisita ad verè merendam vitam æternam, si non haberent aliquam cum illa æqualitatem?

Præterea licèt contritio perfecta sit ejusdem ordinis cum prima justificatione, seu infusione Gratiæ Sanctificantis, habeátque cum illa congruitatem & proportionem quamdam, & ei sit infallibiliter à DEO promissa justificatio: tamen peccator per actum contritionis charitate perfectæ non meretur justificationem: ùt constat ex Scriptura mul-

tis locis asserente, primam justificationem gratis conferri, & ex Conc. Trid. sess. 6. c. 8. declarante: *Gratis justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis Gratiam promeretur.* Ergo si justus per bona opera verè meretur beatitudinem & ejus augmentum, ideo meretur, non quia præcisè bona illa opera sunt ejusdem ordinis cum beatitudine, & habent quamdam congruitatem ac proportionem cum illa, atque promissionem illius infallibiliter annexam: sed etiam, quia habent insuper æqualitatem aliquam cum illa; nam nulla alia ratio disparitatis ac discriminis afferri potest.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Multos textus Scripturæ.

1. Illud, Psal. 102. *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Et Matth. c. 5. *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Resp. Beatitudo rectè attribuitur misericordiæ divinæ, non quòd non sit vera merces, sed quia ex misericordia DEI procedit, & in merito nostro multiplex misericordia intervenit: nam 1. DEUS nos misericorditer justificat, sine qua gratuita justificatione mereri non possumus vitam æternam. 2. Nobis misericorditer donat opera bona meritoria, dando misericorditer Gratiam congruam ad illa exercenda. 3. Misericorditer præmium bonis nostris operibus promisit, cùm potuisset non promittere, & nihil pro illis retribuere.

2. Isai. 64. *Quasi pannus menstruatæ, universæ justitiæ nostræ.*

Resp. Ibi Propheta loquitur in persona impiorum Judæorum, & solùm de observatione cæremoniarum legalium, & de sacrificiis, quæ polluebant multis defectibus admixtis.

3. Luc. cap. 17. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus.*

Resp. Etiamsi omnia præcepta observemus, adhuc servi inutiles sumus: non quia non meremur per bona opera, sed quia nullam mercedem pro mandatorum observatione exigere à DEO possemus, si DEUS noluisset quidquam nobis promittere, ùt absque injuria potuit nolle; cùm sit supremus omnium creaturarum Dominus: quæ proinde omnia sua obsequia ipsi debent.

4. Ad Tit. c. 3. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.*

Resp. Ibi loquitur Apostolus de justificatione prima, seu de salute inchoata, quæ habetur in hac vita per Gratiam justificationis: non de salute perfecta seu consummata, quæ destinatur justis in Cœlis: ùt patet ex verbis objecta immediatè sequentibus: *Sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti.* Item, ibi loquitur de justitia & operibus, quæ fidem & Gratiam Christi præcedunt: opera autem sine fide in Christum, nec ex ejus Gratia, nec ab ejus membris vivis facta, non possunt esse meritoria vitæ æternæ.

5. Illud, Roman. c. 6. *Gratia autem DEI vita æterna.* Et c. 8. *Si filii, & hæredes.*

Resp. Vita æterna est etiam ex Scriptura merces & corona justitiæ. Igitur vita æterna est merces, hæreditas, & Gratia: est merces quatenus eam meremur per bona opera, quæ cum illa aliquam habent æqualitatem, & quibus promissa est: est hæreditas, quatenus à DEO promissa est filiis DEI adoptivis: est Gratia, quia non est debita naturæ seu actibus naturalibus, sed gratuitò promissa est operibus bonis supernaturalibus, quæ sunt dona DEI & effectus Gratiæ; cùm DEUS pro summo suo jure potuisset opera bona à nobis exigere sine ulla remuneratione. Item, vita æterna est Gratia, quatenus merita nostra habemus ex Gratia, seu ex multiplici beneficio divino gratuito; nam DEUS gratuitò nos justificat, gratuitò nobis dat Gratiam congruam, sine qua nullum fieret opus meritorium, & gratuitò

tuitò bonis noſtris operibus vitam æternam ùt mercedem promiſit.

6. Illud, Rom. c. 8. *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Reſp. Ibi Apoſtolus loquitur de paſſionibus conſideratis ſecundùm ſuam gravitatem & durationem: non autem ſpectatis quatenus ſunt paſſiones ex Gratia propter DEUM à filiis ejus adoptivis toleratæ, & Chriſti meritis innixæ; nam ſic ſpectatæ condignæ ſunt ad futuram gloriam. Quare ſenſus eſt: paſſiones hujus vitæ ratione ſuæ gravitatis & durationis non habent æqualitatem nec proportionem cum futura gloria: quod non impedit, quominus eam habeant ratione dignitatis perſonæ propter DEUM ex Gratia patientis, & præſertim dignitatis perſonæ remunerantis, nempe DEI, & perſonæ, propter quam præmium illud retribuitur, nempe Chriſti. Et verò idem Apoſtolus 2. Corinth. cap. 4. aſſerit, paſſiones hujus temporis momentaneas & leves, *ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis.* Non operantur autem phyſicè, ſed moraliter, nempe meritoriè, ideoque dignæ ſunt, quibus gloria illa maxima & æterna retribuatur in præmium.

Nota. Bona opera juſti per Gratiam & propter DEUM facta habent condignitatem ad mercedem *vitæ æternæ*, ſi conſiderentur tum ſecundùm propriam excellentiam, & dignitatem perſonæ, cujùs ſunt: tum etiam & potiſſimùm ſecundùm dignitatem perſonæ remunerantis, nempe DEI, & dignitatem perſonæ, propter quam præmium retribuitur, nempe Chriſti. Quare quamvis opera juſtorum meritoria non habeant æqualitatem rei ad rem cum præmio beatitudinis æternæ, habent tamen æqualitatem proportionis; quia eam habent intrinſecam excellentiam, ut ſi exerceantur à Filio DEI adoptivo, dignæ ſint præmio magno relatè ad dignitatem perſonæ, à qua fiunt, dignitatem perſonæ remunerantis, dignitatem perſonæ, propter quam præmium retribuitur, ſimul & indiviſibiliter conſideratas. Tale autem præmium non eſt aliquid inferius beatitudine æterna in æſtimatione prudenti. Nam niſi DEUS juſtorum opera ſupernaturalia propter Chriſtum remunerando, retribuat eis beatitudinem æternam, in æſtimatione prudenti non cenſetur retribuere aliquid magnum relatè ad dignitatem amici & Filii adoptivi DEI, dignitatem DEI, & dignitatem Chriſti, ſimul ac indiviſibiliter conſideratas.

Obj. 2. Chriſtus nobis meritus eſt beatitudinem æternam. Ergo.

Reſp. Diſt. ant. Meritus eſt nobis beatitudinem æternam, ùt conſequendam tum titulo hæreditatis, tum titulo mercedis per bona opera, *conc. ant.* Ut conſequendam ſolo titulo hæreditatis, *neg. ant.*

Dices 1. Merita Chriſti ſufficiunt ad vitam æternam conſequendam. Ergo inutilia ſunt noſtra merita.

Reſp. Diſt. ant. Merita Chriſti ſufficiunt, ſi nobis plenè & completè applicentur ad beatitudinem conſequendam, *conc. ant.* Secùs, *neg. ant.* Merita autem Chriſti nobis non applicantur plenè & completè in ordine ad beatitudinem conſequendam, niſi per bona opera meritoria, ex ejus Gratia facta, ejuſque meritis innixa: idque ex voluntate DEI & ipſius Chriſti, nobis per Scripturam & Traditionem declarata, ad excitandos homines ad multa opera bona agenda, juxta illud, 1. Cor. c. 15. *Abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.*

Dices. 2. Si ad beatitudinem requiruntur merita hominum: ergo non ſufficiunt merita Chriſti.

Reſp. Neg. ſequel. Quia merita hominum non requiruntur propter inſufficientiam meritorum Chriſti, ſed propter eorum applicationem, & maximam efficaciam. Nam Chriſtus non ſolùm beatitudinem æternam, ſed etiam virtutem illam merendi nobis meruit: unde merita noſtra commendant merita Chriſti, à quibus vim ſuam accipiunt: nedum illis derogant.

Porro neceſſitas operum meritoriorum ad ſalutem provenit ex ordinatione DEI, qui noluit adultis beatitudinem tribuere, niſi propter merita Chriſti iis tali modo applicata:

cata: nempe per bona opera ex ejus Gratia facta, & ab eo vim merendi accipientia.

Dices 3. Saltem per merita hominum dividitur gloria inter DEUM & hominem.

Resp. Neg. Quia justorum merita sunt dona Christi: à meritis Christi oriuntur & vim suam accipiunt; nam proficiscuntur ex ejus Gratia, & propter ejus merita acceptantur à DEO in præmium. Unde quidquid meriti habent opera nostra, id totum redundat in laudem meritorum Christi, & ab eorum efficacia oritur.

Itaque non minùs salutem nostram totam ac integram Christo referre debemus, cùm illam meritis nostris acquirimus, quàm si absque ullis meritis nostris obtineremus: imò multò magis illi obstricti sumus & debemus; siquidem non solùm per ejus Gratiam & merita salvamur, sed etiam nobilissimo honorificentissimoque modo salvamur.

Obj. 3. S. Augustinum variis locis.

1. In Psal. 70. serm. 2. ait: *Cùm præmium venerit, sua dona coronabit* (DEUS) *non tua merita.*

Resp. Solùm vult, DEUM tribuendo justis beatitudinem æternam, non coronare merita, quæ sint in illis ex solis naturæ viribus, qualia nulla esse possunt: sed coronare merita, quæ sunt in nobis ex Gratia, quæque hoc ipso ita sunt merita nostra, ut verè sint etiam dona DEI. Enim verò hìc expressè agnoscit beatitudinem esse præmium: at omne præmium est alicujus meriti præmium. Ergo agnoscit in justo aliquod meritum beatitudinis. Quare excludit tantùm merita nostra in sensu Pelagianorum, hoc est, merita ex solis naturæ viribus profecta. Nam S. Doctor ibi & in similibus locis impugnat hæresim Pelagianorum asserentium, vitam æternam haberi & retribui meritis ex solis naturæ viribus profectis, qualia sanè nulla sunt. Quod constat ex lib. de Grat. & lib. arb. c. 6. ubi ait: *Cùm dicunt Pelagiani, hanc esse solam non secundùm merita nostra Gratiam, qua homini peccata dimittuntur: illam verò, quæ datur in fine, id est, vitam æternam, meritis nostris præcedentibus reddi: respondendum est eis. Si enim merita nostra sic intelligerent, ut etiam ipsa dona DEI esse cognoscerent, non esset reprobanda ista sententia. Quoniam verò merita humana sic prædicant, ut ea ex semetipso habere hominem dicant, prorsus rectissimè respondet Apostolus: Quis enim te discernit? Quid habes, quod non accepisti?... Prorsus talia cogitanti verissimè dicitur: dona sua coronat DEUS, non merita tua: si tibi à te ipso, non ab illo sunt merita tua. Hæc enim si talia sunt, mala sunt: quæ mala sunt, non coronat DEUS: si autem bona sunt, DEI dona sunt.*

2. Ser. 15. de verbis Apostoli ait: *Prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis, unde salves, & multum invenis, unde damnes.*

Resp. In eo sensu DEUS gratis salvat, quòd vitam æternam dat nulla habentibus merita, quæ non fuerint ab eo donata: sive DEUS gratis salvat; quia gratis dat Gratiam, per quam salutem meremur & salvamur. Itaque juxta S. August. DEUS antequam nobis gratis donet Gratiam, nulla invenit in nobis bona merita, propter quæ nos salvare possit, sed è contra multa invenit mala merita, propter quæ nos damnare possit: & tamen nos salvat, & gratis salvat; quia nos salvat propter merita, quæ sunt ejus dona. Unde solùm vult, vitam æternam non dari propter opera ex solis naturæ viribus facta & Gratiam præcedentia: quod patet ex his verbis objecta præcedentibus: *Non putes, te promerendo accepisse: qui non promereris, nisi accepisses. Gratia præcessit meritum tuum, non Gratia ex merito, sed meritum ex Gratia. Nam si Gratia ex merito, emisti: non gratis accepisti.*

3. Lib. de Gratia & libero arbitrio dicit: *Insuper accipiemus & Gratiam pro Gratia, quando nobis vita æterna reddetur.*

Resp. Ex S. Doctore vita æterna est Gratia; quia datur bonis meritis, quæ sunt effectus Gratiæ, & dona DEI, ùt se se explicat, epist. 105. *Unde*, inquit, *& ipsa vita æterna, quæ utique in fine sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur: tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis*

nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per Gratiam: etiam ipsa Gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur. Nec ideo, quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur.

4. Eodem libro, c. 9. ait: *Maluit dicere: Gratia autem DEI vita æterna: ut hinc intelligeremus, non pro meritis nostris DEUM nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione perducere.*

Resp. Sic loquitur, non quòd sentiat vitam æternam minimè retribui bonis nostris operibus: sed quia bona illa opera, quibus retribuitur vita æterna ùt merces, DEUS in nobis pro sua misericordia operatur per Gratiam efficacem purè gratuitam, ùt ipse explicat eodem loco: *Cùm posset*, inquit, *dicere* (Apostolus) *& rectè dicere: stipendium autem justitiæ vita æterna: maluit dicere: Gratia autem DEI vita æterna*, &c. ùt suprà. Deinde sic prosequitur: *Nunquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa bona opera ille in bonis operatur .... Ideo dixit Psalmus: coronat te in miseratione & misericordia; quia ejus miseratione bona operamur, quibus corona reddetur.*

Obj. 4. S. Gregorius M. l. 9. moral. c. 14. ait: *Si opus virtutis exercuero, ad vitam, non ex meritis, sed ex venia convalesco.*

Resp. Hic loquitur de peccatore, qui revera gratuitò, non ex merito justificatur, quamvis se per bona opera supernaturalia ad justificationem disponat. Præterea etiamsi de justo loqueretur, sensus esset, quod dum opera virtutis facimus, ad vitam convalescimus, non ex meritis sine Gratia acquisitis, sed ex venia & misericordia, per quam justificati à DEO, bona opera ope ejus Gratiæ agimus.

Obj. 5. S. Bernardus, serm. 61. in Cantic. ait: *Proinde meritum meum, miseratio Domini.*

Resp. Hoc dicit, quia merita nostra proficiscuntur ex misericordia DEI; nam nostra bona opera vitam æternam non merentur, nisi quia per Gratiam misericorditer donatam facta sunt ab homine misericorditer justificato, & quia iis à DEO misericorditer promissa est vita æterna.

Obj. 6. Vulgò à Theologis dicitur DEUS remunerare supra condignum, & punire infra condignum.

Resp. DEUS bona opera justorum remuneratur supra condignum; quia in retribuendo illis præmio non attendit solùm ad propriam illorum operum excellentiam, & personæ illa exercentis dignitatem, sub qua consideratione aliquid minùs beatitudine æterna esset illis præmium æquale: sed etiam insuper attendit ad suam & Christi excellentiam, sub qua sola consideratione vita æterna est præmium illis æquale. Quare DEUS remuneratur supra condignum justorum bona opera considerata solùm secundùm propriam & illa exercentis excellentiam: non autem considerata etiam secundùm excellentiam tum personæ remunerantis, tum personæ, propter quam præmio afficiuntur. Hinc illud S. Basilii, in Psalm. 114. *Requies æterna non secundùm operum debitum ac meritum retribuitur, sed juxta magnificentiam DEI bis, qui in ipsum speraverunt, exhibetur.*

Obj. 7. Hæc Baji propositio 14. *Opera bona justorum non accipient die judicii extremi ampliorem mercedem, quàm justo DEI judicio mereantur accipere*, damnata est. Ergo bona opera justorum non merentur de condigno vitam æternam, quæ eis retribuetur.

Resp. Revera non merentur de condigno, si præcisè secundùm se, seu secundùm propriam excellentiam considerentur; at merentur, si spectentur secundùm excellentiam tum personæ remunerantis, nempe DEI, tum personæ, propter quam præmio afficiuntur, nempe Christi. Baji autem propositio damnata est; quia in ea agitur de bonis operibus solùm secundùm se seu excellentiam propriam & illam exercentis excellentiam spectatis.

Obj. 8. Ad meritum de condigno requiritur, ut præmium debeatur ex justitia rigorosa & commutativa. Sed non potest esse talis justitia inter DEUM & hominem. Ergo.

Resp.

Resp. Neg. maj. Nam ad meritum de condigno sufficit, quòd præmium debeatur ex justitia latè dicta, seu ex fidelitate in promissis servandis, vi cujus DEUM dedeceat, non retribuere præmium promissum, & sic absolutè repugnet, præmium illud promissum non persolvi bonis operibus. At non necesse est, ut præmium debeatur ex justitia strictè sumpta & commutativa; quia hæc non potest esse inter DEUM & hominem. Nam DEUS habet essentialiter supremum dominium ac jus in omnes creaturas, & in omnia earum jura, & quidem actuale, quo DEUS abdicare se non potest; cùm sit essentialiter actu supremus rerum ac jurium omnium Dominus, & supremum ejus dominium fundetur in essentiali eminentia divini esse, de cujus essentia est, ut DEUS sit prorsus independens ab omni alio, & ut omnia actu ab ipso semper ac continuo in omnibus pendeant.

Vi autem hujus supremi dominii creaturæ sunt magis DEI, quàm suæ: ac proinde omnia earum jura sunt magis DEI, quàm ipsarum. Ergo omne jus hominis est magis DEI, quàm hominis. Ergo DEUS habet plenam potestatem de omni jure hominis pro libito absque ulla hominis injuria disponendi, illud tollendo ac negligendo. Et consequenter DEUS, non obstante quovis merito hominis, potest homini absque ulla injuria gloriam negare, imò hominem ipsum annihilare: & sic repugnat, DEUM homini ex justitia strictè dicta obligari. Hoc docet S. Augustinus, lib. 1. Confess. c. 4. ubi DEUM sic alloquitur: *Reddis debita, nulli debens.* Et, lib. de libero arbitrio, c. 16. *DEUS nulli debet aliquid*, scilicet ex justitia stricta & rigorosa; nam admittit debitum DEI ex justitia latè dicta: nempe ex veracitate & fidelitate in promissis; sic enim ait in Psal. 83. *Debitorem Dominus ipse se fecit, non accipendo, sed promittendo.* Et S. Bernardus, serm. 1. de Annunc. ait: *Neque talia sunt hominum merita, ut propterea vita æterna debeatur ex jure: aut DEUS injuriam aliquam faceret, nisi eam donaret.* Non negat tamen meritis mercedem debe-

ri ex justitia latè dicta; nam lib. de Gratia & libero arbitrio sic ait: *Promissum quidem ex misericordia, sed tamen ex justitia persolvendum.* Et S. Anselmus, in prosologio cap. 10. *Justus es, non quia reddis nobis debitum, sed quia facis, quod decet te summum bonum.*

Dices 1. Non potest dici, quid sit illa justitia latè dicta, ex qua DEUS obligatur ad retribuendam meritis mercedem promissam.

Resp. Consistit in fidelitate, quæ inclinat & obligat ad facta dictis conformanda, ac proinde promissa perficienda.

Dices. 2. Fidelitas, qua persolvitur præmium promissum sub certo onere, est justitia strictè dicta & commutativa.

Resp. Dist. In hominibus, *conc.* In DEO, *neg.* *Disparitas* est, quia homo per promissionem onerosam contrahit debitum rigorosum: quod si non reddat, incurrit non solùm turpitudinem moralem, sed etiam obligationem satisfaciendi. At DEUS non potest contrahere debitum rigorosum erga hominem; cùm essentialiter habeat supremum dominium etiam actuale in homines & omnia eorum jura: sed tantùm contrahit debitum simplicis honestatis. Duplex quippe est debitum: unum simplicis honestatis: & est illud, quod si non redditur, contrahitur solùm turpitudo moralis: aliud rigorosum: & est illud, quod si non redditur, contrahitur non solùm turpitudo moralis, sed etiam obligatio restituendi, vel satisfaciendi, vel subeundi pœnam, quæ exigi possit ab eo, cui illud debetur. Justitia autem strictè dicta & rigorosa versatur circa debitum rigorosum, ideoque non potest esse in DEO erga creaturas.

Dices 3. Si fidelitas DEI non obligat DEUM homini ex jure, dici non debet justitia.

Resp. Neg. Quia est justitia latè dicta; nam justitia latè dicta est quælibet virtus ad alterum. Fidelitas autem DEI est virtus inclinans & obligans DEUM ex honestate & decentia suæ naturæ ad reddendum homini

præ-

præmium, sub onere bonorum operum promissum.

Dices 4. 2. Tim. cap. 4. Beatitudo æterna dicitur corona justitiæ: & DEUS illam retribuens dicitur justus Judex. Ergo in DEO est justitia strictè dicta.

Resp. Neg. conseq. Quia hoc intelligi debet de justitia latè dicta, nempe fidelitate in promissis, qua DEUS debet aliquid creaturæ ex vi suæ promissionis infallibilis, & ex decentia suæ naturæ: ita ut si DEUS per impossibile promissa non persolveret, incurreret turpitudinem moralem, non tamen obligationem satisfaciendi creaturæ ob jus ejus violatum.

Dices 5. Hebr. c. 6. dicitur: *Non enim injustus DEUS, ut obliviscatur operis vestri.*

Resp. Hoc intelligi debet de injustitia latè dicta, nempe infidelitate, qua dedecet DEUM, non retribuere rem promissam: absque tamen obligatione satisfaciendi.

Dices. 6. Repugnat DEUM obligari ex justitia etiam latè dicta, seu ex fidelitate.

Resp. Neg. Nam hoc non est DEUM obligari propriè alteri, seu ex jure activo alterius, cui subjiciatur: quod repugnat actuali DEI supremo dominio: sed potiùs, est DEUM obligari sibi ipsi, quatenus dedecet naturam divinam infinitè perfectam, non stare promissis, & facta dictis non conformare. Quare homo non potest habere jus in DEUM: & tamen DEUS obligatur, non ex jure hominis in se, sed ex decentia suæ naturæ ad retribuendam mercedem ejus meritis promissam, & debitam ex fidelitate.

ARTICULUS II.

Quid ex parte DEI requiratur ad meritum de condigno?

DIco. Ad meritum de condigno ex parte DEI requiritur promissio mercedis.

Prob. 1. Ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 16. ubi ait: Justificatis *proponenda est vita æterna, & tanquam Gratia filiis DEI per JESUM Christum misericorditer promissa: & tanquam merces ex ipsius DEI promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.*

Prob. 2. *Ratione.* Ad meritum de condigno requiritur aliqua obligatio ad reddendam mercedem; nam verè mereri apud aliquem, est in ejus obsequium facere aliquod opus ei gratum, aliquo modo æquale mercedi, ad quam retribuendam obligetur. Sed DEUS non potest obligari ad retribuendam mercedem, nisi hanc promiserit. Ergo. *Minor constat*; quia DEUS est essentialiter Supremus rerum omnium Dominus: ac proinde potest omnia creaturarum obsequia titulo sui supremi dominii & creationis, & multis aliis titulis sibi debita exigere, multò magis, quàm Dominus potest exigere obsequia à mancipio. Et consequenter DEUS obligari non potest ad retribuendam ullam mercedem creaturis propter illarum obsequia, nisi ipse liberè & gratuitò promiserit. Hinc vita æterna est Gratia, non solùm, quia redditur operibus gratuitò donatis, sed etiam, quia operibus gratuitò donatis gratuitò promissa est. Unde Cælestinus I. epist. 1. cap. 2. dicit, tantam esse DEI erga nos misericordiam, *ut nostra voluerit esse merita, quæ sunt ipsius dona.*

Obj 1. Si ad meritum de condigno requiritur promissio DEI, Christi meritum non fuit de rigore justitiæ.

Resp. Non fuit quidem de rigore justitiæ eo sensu, quòd per se ad retribuendum præmium obligarit DEUM independenter ab ipsius libera promissione. Imò nec fuit de rigore justitiæ strictè loquendo: nempe eo sensu, quòd etiam suppositâ promissione, præmium fuerit merito Christi debitum ex justitia commutativa, ita ut si per impossibile DEUS non retribuisset præmium promissum, contraxisset obligationem satisfaciendi ob Christi jus violatum. Igitur Christi meritum non fuit de rigore justitiæ, nisi latè loquendo: nempe eo sensu, quòd fuerit æquale præmio promisso, imò infinitè majus quolibet præmio possibili.

Obj 2. Ergo Christus nullam meruit Gratiam hominibus, qui ante ejus adventum vixe-

vixerunt; nam nondum promissio facta fuerat Christo de danda illis Gratia, cùm nondum esset Christus.

Resp. Neg. sequel. Quia ut Christus Gratiam antiquis condignè meruerit, sufficit, quòd DEUS absolutè præviderit promissionem Christo faciendam, & ab eo acceptandam, & opera Christi futura: atque propter hæc opera absolutè futura & prævisa, Gratiam veluti mercedem anticipatam dederit. Nam non solùm meritum actu præsens, sed etiam absolutè futurum & infallibiliter prævisum movere potest remuneratoris voluntatem ad mercedem anticipandam.

Obj. 3. Ex nostra assertione sequitur, multos justos nil mereri potuisse. Nam promissio non obligat, nisi fuerit acceptata: & non fuit acceptata à multis justis, qui illam ignorarunt.

Resp. Neg. sequel. Quia justi omnes adulti per fidem cognoscunt saltem confusè promissionem divinam, eamque sufficienter acceptant sperando vitam æternam, & ad eam consequendam bonum agendo. Nam (ùt ait Apost. Heb. cap. 11) *Accedentem ad DEUM oportet credere, quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Hoc ipso autem, quòd Fideles credunt, DEUM esse bonorum operum remuneratorem eo modo, quo ipse revelavit Ecclesiæ, & tali modo remuneratorem suorum operum fore sperant, sufficienter norunt & acceptant promissionem divinam de retribuendo præmio bonis ipsorum operibus sub conditione mortis in Gratia: sicque sufficienter acceptant promissionem, qua merita per peccatum mortificata reviviscunt.

ARTICULUS III.

Quid ex parte merentis requiratur ad meritum condignum?

§. I.

Dico. 1. Ad meritum condignum requiritur status viatoris.

Prob. 1. Ex Scriptura id sufficienter docente, ùt Joann. cap. 9. *Venit nox, quando nemo potest operari.* Ubi per noctem Christus intelligit mortem, post quam asserit, neminem posse operari meritoriè. Et 2. Cor. 5. *Omnes enim nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Eccli. 14. *Ante obitum operare justitiam.* Et c. 18. *Ne verearis usque ad mortem justificari*, id est, in justitia crescere, ùt explicat Conc. Trid. sess. 6. cap. 10. & Gal. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum.*

2. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Hieronymus, in c. 6. 1. ad Cor. ubi ait: *Tempus sementis est præsens vita: cùm transierit, operandi tempus aufertur.*

3. Ex unanimi Theologorum consensu.

Ratio à priori est voluntas DEI: qui hanc mortalem vitam constituit ad tendendum in beatitudinem. Hinc beati nil de novo merentur. Quare cùm beneficia nobis impetrant, DEUS non movetur eorum precibus tanquam meritis aliqua ratione exigentibus præmium suo valori proportionarium, sed tanquam petitionibus personarum sibi amicarum, & dignarum, quæ impetrent ob antiqua merita & præsentem gloriam.

§. II.

Dico. 2. Ad meritum condignum requiritur status Gratiæ.

Prob. 1 Ex Script. Joann. c. 15. *Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos, nisi in me manseritis*, per fidem scilicet & charitatem, ùt explicant Patres. Et, 1. Cor. c. 13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita ut ardeam: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

2. Ex Patribus. Hìc sufficiat S. Augustinus, l. de fide & operibus, c. 14. ubi de operibus vitæ æternæ meritoriis ait: *Sequuntur justificatum, non præcedunt justificandum.*

3. Ex Conc. Trid. sess. 6. c. 16. ubi dicit, justificatis *proponendam esse vitam æternam, & tanquam Gratiam filiis DEI per Christum JESUM misericorditer promissam, & tan-*

tanquam mercedem ex ipsius DEI promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddendam. Ubi loquitur de solis justificatis, & dicit, vitam æternam esse promissam filiis DEI, non aliis.

4. *Ratione.* Quia opera bona sine dignitate operantis, ùt amici & adoptivi filii DEI, habere non possunt æqualitatem proportionis cum beatitudine æterna, quæ est hæreditas DEI propria. Et verò moralis valor operis, præsertim si non est utile ei, in cujus obsequium fit, multùm pendet à dignitate operantis.

Confirm. Ex his Baji propositionibus à Pio V. & Gregorio XIII. damnatis. 12. *Pelagii sententia est: opus bonum citra Gratiam adoptionis factum, non est regni Cœlestis meritorium.* 13. *Opera bona à filiis adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quòd fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum DEI, sed tantùm ex eo, quòd sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi.* 17. *Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt, esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per Gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.*

ARTICULUS IV.

Quid ex parte operis requiratur ad meritum condignum?

§. I.

Dico 1. Ad meritum de condigno requiritur, ut actus sit liber ab omni necessitate, etiam voluntaria. Est de fide, ùt constat ex oppositа Jansenii propositione damnata ùt hæretica ab Ecclesia: vide dicta de libertate ad meritum requisita in Tractatu de Actibus humanis.

§. II.

Dico 2. Ad meritum de condigno requiritur, ut actus sit moraliter bonus & honestus.

Prob. 1. Quia in Scriptura non promittitur nec retribuitur merces, nisi bonis actibus. 2. Conc. Trident. sess. 6. c. 16. & can. 32. agens de merito, semper ad illud requirit bona opera.

3. Ut actus sit meritorius apud DEUM, debet esse ei gratus, & habere rationem obsequii erga illum. Sed solus actus bonus talis esse potest. Ergo.

4. Solus actus bonus est dignus præmio; nam malus non est dignus præmio, sed pœna, & actus indifferens (si daretur) non esset magis dignus præmio, quàm pœna.

§. III.

Dico 3. Ut actus sit bonus ea bonitate, quæ requiritur ad meritum, habere debet tum objectum bonum, vel saltem indifferens, sed conducibile ad bonum finem: tum circumstantias convenientes: tum finem bonum seu honestum sine ulla admixtione malitiæ.

Prob. Quia actus meritorius apud DEUM debet esse supernaturalis & factus ex Gratia Spiritus Sancti ad illum moventis, excitantis, & speciali modo concurrentis: qualis esse non potest actus malus intrinsecè, quamvis sub aliquo respectu tantùm; nam dedecet Spiritum Sanctum, ut excitet & concurrat specialiter ad actum aliqua ex parte malum intrinsecè. Præterea bonum idem est ac perfectum: unde actus bonus est actus perfectus, hoc est, actus, cui nihil deest, ut sit consentaneus naturæ rationali ùt rationali & legi divinæ, atque laude ac præmio dignus. Atqui talis esse nequit actus habens vel objectum malum, vel nullatenus in talibus circumstantiis conducibile ad bonum, vel finem malum, vel si fiat in loco, aut tempore disconvenienti, vel male quoad modum, seu negligenter. Ergo. Hinc illud axioma Theologicum à Boëtio & S. Anselmo traditum: *Bonum ex integra causa: malum ex quolibet defectu.* Hinc etiam illud Habac. 1. *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum.* Et illud, Jerem. c. 48. *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter*, id est negligenter, ùt explicat Concilium Tridentinum.

Potest tamen fieri, ut actui meritorio admisceatur aliquis defectus, vel actus leviter

malus, qui simul tempore, moraliter loquendo, exerceatur.

Imò ut actus sit meritorius, debet esse hic & nunc cum omnibus suis circumstantiis conformis voluntati divinæ, ita ut DEUS per modum præcepti vel consilii velit illum hic & nunc à te fieri. Tum quia alioqui non erit gratus DEO, nec ei placebit; cùm non sit secundùm ejus voluntatem, nec proinde beneplacitum: DEUS autem non remuneratur nisi id, quod sibi placet & gratum est, ùt patet. Tum quia, si actus aliunde bonus fiat quando, & ubi DEUS illum non vult fieri, sed alium, hoc ipso non habet circumstantiam sibi debitam, ut sit meritorius. Sic oratio attentè & devotè facta in templo, sed eo tempore, quo ex officio tui status deberes studere, vel laborare, vel alios erudire, non potest esse meritoria, nec grata DEO. Hinc illud Christi, Matth. c. 7. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum Cœlorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse intrabit in regnum Cœlorum.*

§. IV.

Dico. 4. Ut actus sit meritorius vitæ æternæ, debet esse supernaturalis etiam quoad substantiam, ita ut fiat ex auxilio Gratiæ actualis, & ex motivo supernaturali per fidem proposito. *Constat* ex dictis, cap. 5. art. 2.

Ratio est. Quia actus meritorius debet esse ejusdem ordinis cum præmio: siquidem debet habere aliquam æqualitatem proportionis cum illo. Actus autem, qui non est in entitate supernaturalis, est ordinis naturalis, ac proinde non est ejusdem ordinis cum præmio cœlesti, quod in entitate est supernaturale; cùm consistat in perfecta DEI possessione per visionem intuitivam, & amorem fruitivum.

Porro conditio nobis non libera requiri potest ad meritum, tanquam aliquid à præmiante requisitum, ut meritum sit entitativè, seu secundùm entitatem proportionatum præmio.

§. V.

Dico 5. Ut actus sit meritorius beatitudinis essentialis, vel ejus augmenti, necesse est, ut eliciatur vel imperetur à charitate: sive ut fiat ex motivo vel imperio charitatis. Ita S. Bonaventura, Scotus, Bellarminus, Layman, & alii multi cum S. Thoma.

Prob. 1. Ex Scriptura. Nam 1. Christus vitæ æternæ mercedem promittens, sæpe addit has voces: *Propter me*: *In nomine meo*: quod indicat, in aliis locis semper subintelligi, & supponi: sic, Matth. c. 10. *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Matth. c. 19. *Qui reliquerit domum, vel fratres, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Et, Marc. c. 9. *Quisquis potum dederit vobis calicem aquæ in nomine meo, &c. non perdet mercedem suam.*

2. In aliis locis Scriptura non obscurè indicat, vitam æternam solis actibus à charitate elicitis vel imperatis promissam esse: ita ut aliæ virtutes non sint meritoriæ beatitudinis æternæ sine actu charitatis, à quo imperentur, tanquam conditione sine qua non. Sic, 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS iis, qui diligunt illum.* Et, Jacob. c. 1. *Beatus vir, qui sufert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit DEUS diligentibus se.* Et, Gal. c. 5. *In Christo JESU neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides, quæ per charitatem operatur.* Ubi satis indicat, fidem non valere ad promerendam vitam æternam, nisi operetur per charitatem: illam scilicet excitando, & per illam alias virtutes ad actus proprios movendo & applicando.

Prob. 2. Ex S. Augustino, l. de Gratia & libero arbitrio, c. 18. ubi ait: *Hæc omnia præcepta dilectionis, id est, charitatis, quæ tanta & talia sunt, ut quidquid se putaverit homo facere bene, si fiat sine charitate, nullo modo fiat bene.* Per tò *bene* intelligit meritoriè, seu sicut oportet ad promerendam beatitu-

beatitudinem: & per charitatem intelligit amorem DEI ſuper omnia propter ſe, aut proximi propter DEUM, ùt patet ex contextu. Et, l. de moribus Eccleſiæ, c. 15. ait: *Quòd ſi virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino eſſe virtutem affirmaverim, niſi ſummum amorem*: hoc eſt, ſi ea ſola virtus dicenda eſt, quæ beatitudinem eſſentialem promeretur, & ſine qua aliæ virtutes eam non promerentur, nullam aliam virtutem affirmaverim, niſi charitatem: quatenus aliæ virtutes non ſunt meritoriæ vitæ æternæ ſine actu charitatis, à quo imperentur. Unde ibidem virtutes morales definit per amorem. Deinde addit: *Sed hunc amorem non cujuslibet, ſed DEI eſſe diximus . . . . Quare definire etiam ſic licet: ut temperantiam dicamus eſſe amorem, DEO ſeſe integrum incorruptumque ſervantem: fortitudinem amorem, omnia propter DEUM facilè perferentem: juſtitiam amorem, DEO tantùm ſervientem, & ob hoc bene imperantem cæteris, quæ homini ſubjecta ſunt: prudentiam amorem, bene diſcernentem ea, quibus adjuvetur in DEUM, ab iis, quibus impediri poteſt.*

Sic autem de virtutibus moralibus cenſuit S. Doctor, non quòd ſenſerit, objectum formale ſeu motivum omnium virtutum idem eſſe ac motivum charitatis: ſed quia ſenſit, actus aliarum virtutum non eſſe beatitudinis eſſentialis meritorios ſine actu charitatis, à quo imperentur. Igitur ex S. Auguſtino virtus moralis chriſtiana & vitæ æternæ meritoria eſt veluti complexum ex amore DEI & ipſa virtute morali: putà juſtitiæ, ex amore quidem DEI, ùt imperante actum proprium juſtitiæ: & ex ipſa juſtitia, ùt actum proprium propter motivum ſibi proprium, nempe ſpecialem honeſtatem ſibi propriam eliciente ex imperio charitatis. Sive ex S. Doctore, virtus moralis, ùt meritoria vitæ æternæ, eſt virtus moralis eliciens actum proprium ex imperio charitatis propter motivum ſibi proprium, nempe ſpecialem honeſtatem ſibi propriam: unde habet duplex motivum: unum intrinſecum, quod eſt honeſtas ſpecialis elucens in propriis actibus: & aliud extrinſecum, quod eſt divina bonitas, propter quam actus ſibi proprios exercet ex motivo ſpecialis honeſtatis ſibi intrinſecæ.

Prob. 3. Ex S. Thoma, 1.2. quæſt. 114. art. 4. ubi ait: *Motus humanæ mentis ad fruitionem divini boni eſt proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, ſecundùm quod aliæ virtutes imperantur à charitate. Et ideo meritum vitæ æternæ primò pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes ſecundariò, ſecundùm quod earum actus à charitate imperantur.* Et ad 3. *Fidei actus non eſt meritorius, niſi fides per dilectionem operetur . . . . Similiter etiam actus patientiæ & fortitudinis non eſt meritorius, niſi aliquis ex charitate hæc operetur.*

Prob. 4. *Ratione.* Tum quia actus aliarum virtutum, niſi à charitate imperentur, non habent ſufficientem proportionem cum beatitudine eſſentiali, quæ in DEI fruitiva unione conſiſtit. Tum quia bona opera, ut ſint meritoria vitæ æternæ, fieri debent in obſequium DEI ex intentione operantis: non ſic fiunt autem, niſi fiant ex affectu placendi DEO, ideoque niſi fiant aut imperentur à charitate.

§. VI.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. In Scriptura beatitudo paſſim promittitur omnibus operibus virtutum à charitate diſtinctarum.

Reſp. In illis locis ſubintelligitur conditio operandi ex charitate, quæ in aliis locis ſufficienter exprimitur ùt neceſſaria ad meritum beatitudinis eſſentialis: ſicut ſemper ſubintelligitur conditio operandi ex fide, & ſubintelligitur ſtatus Gratiæ.

Obj. 2. Patres dicunt generaliter, bona opera juſtorum eſſe meritoria ſine ulla limitatione.

Reſp. Semper ſubintelligunt & ſupponunt, illa habere omnes conditiones ad meritum vitæ æternæ requiſitas.

Obj. 3. Conc. Trident. ſeſſ. 6. cap. 16. ad meritum requirit tantùm, ut opera ſint bona:

bona: & ut fiant à justo ex auxilio Gratiæ & motivo fidei.

Resp. Neg. Nam adhuc aliam conditionem addit: nempe ut fiant in DEO: quibus verbis satis indicat, requiri insuper aliquem affectum charitatis; nam hæ voces non significant ibi statum Gratiæ, cùm loquatur de justificatorum operibus, ideoque jam statum Gratiæ supponat.

Obj. 4. Omnis actus virtutis infusæ supernaturalis, est independenter à charitate eum imperante dignus laude & præmio: ideoque meritorius.

Resp. Est dignus præmio aliquo, etiam supernaturali: sed infra beatitudinem essentialem: putà auxiliis quibusdam Gratiæ, quibus homo excitetur ad actus charitatis: atque etiam beatitudine accidentali.

Dices. Actus virtutum moralium infusarum sine imperio charitatis habent sufficientem proportionem cum beatitudine essentiali. Ergo eam merentur.

Resp. 1. *Neg. ant.* Nam æqualitas proportionis cum beatitudine essentiali requirit in actu meritorio aliquem excellentiæ gradum: quo carent per se actus virtutum moralium, & quem accipiunt à charitate, cùm ab ea imperantur. Unde cùm à charitate imperantur, & per eam ad DEUM ex intentione imperantis ordinantur, dicuntur à charitate formari & perfici: relatè scilicet ad promerendam beatitudinem essentialem, ùt docet S. Thomas, 2. 2. qu. 4. art. 2. ideoque sine hac actuali ad DEUM ordinatione per charitatem facta sunt imperfecti, & informes, id est insufficientes ad meritum beatitudinis essentialis.

Resp. 2. *Esto ant. neg conseq.* Quia præter proportionem sufficientem ad præmium, requiritur etiam promissio divina præmii retribuendi. Hanc autem promissionem non habent quoad beatitudinem essentialem actus virtutum, nisi ex intentione operantis fiant in obsequium DEI: nec sic fiunt, nisi imperentur à charitate.

Obj. 5. Ergo nulla virtus præter charitatem meretur per se vitam æternam: *Falsum conseq.* Ergo.

Resp. Equidem nulla virtus sine imperio charitatis meretur vitam æternam. At omnes virtutes justorum per actum charitatis ad operandum applicatæ merentur vitam æternam secundùm bonitatis suæ gradum, secundùm quem DEO gratæ sunt. Unde DEUS remuneratur etiam alias virtutes, quæ imperantur à charitate.

Obj. 6. Omnis actus virtutis à justo elicitus placet DEO sine actu charitatis.

Resp. Est quidem gratus DEO, sed non illo speciali modo, qui requiritur ad promerendam ejus fruitionem; nam sine affectu DEO placendi actus virtutum non censentur facti in obsequium DEI ex intentione operantis: ideoque non sunt sufficienter grati DEO, & proportionati ad ejus fruitionem merendam.

Dices. Ergo actus virtutum à justo elicitì sine charitatis imperio sunt inutiles ad vitam æternam.

Resp. Neg. Nam per se valent ad vitanda peccata, ad servanda mandata, ad augendos habitus virtutum acquisitarum, ad impetrandas Gratias actuales, quibus excitemur ad exercendos actus virtutum ex imperio charitatis & affectu placendi DEO, &c.

Obj. 7. Ex nostra doctrina sequitur, solam charitatem coronari in Cœlo.

Resp. Neg. Quia actus cujuslibet virtutis factus ex imperio vel motivo charitatis, plus meretur, quàm solus actus charitatis. Nam præter meritum charitatis, habet etiam proprium meritum: quamvis egeat imperio charitatis, tanquam conditione necessaria ad merendam beatitudinem essentialem. Sic justus plus meretur per actum misericordiæ & charitatis simul, quàm per solum actum charitatis.

Ratio est. Quia actus misericordiæ liberè elicitus habet propriam bonitatem formalem, seu impurabilem, & moralem laudabilitatem distinctam à bonitate formali & laudabilitate morali actus charitatis ipsum imperantis.

Obj. 8. S. Thomas, in 2. dist. 40. q. 1. art. 5. ait: *Non potest esse aliquis actus, de delibe-*

deliberata voluntate procedens, in habente Gratiam, qui non sit meritorius.

Resp. S. Doctor hoc in Summa senior factus retractavit contrarium docendo.

ARTICULUS V.

Ex quibus capitibus crescat meritum bonorum operum justi?

§. I.

Dico 1. Bona opera justorum habentia omnes conditiones ad merendum requisitas, eò magis sunt meritoria, quò sunt perfectiora Nam sunt DEO gratiora, & magis æstimabilia atque proportionata ad præmium. Item, quò plura fiunt ejusmodi opera: ùt patet; nam cùm singula suum gradum gloriæ unum, vel multiplicem mereantur, plura plures gradus merentur.

§. II.

Dico 2. Meritum augetur ratione majoris Gratiæ Sanctificantis in operante præexistentis.

Prob. Crescente æstimabilitate operis meritorii, crescit meritum. Sed crescente Gratia Sanctificante, crescit æstimabilitas operis boni. Ergo & ejus meritum. *Prob. min.* Crescente Gratia Sanctificante, crescit dignitas personæ operantis. Ergo crescit etiam æstimabilitas operis. *Prob. conseq.* Nam crescente circumstantia notabili in opere, crescit æstimabilitas operis: ùt patet: & crescente dignitate operantis, crescit circumstantia notabilis in opere, nempe dignitas personæ operantis: quæ sanè est circumstantia notabilis in opere.

Porro DEUS redditurus est unicuique secundùm opera ejus, considerata non solùm secundùm intrinsecam excellentiam, sed etiam secundùm omnes alias circumstantias, quæ iis æstimabilitatem dant & augent: qualis est dignitas operantis orta ex Gratia Sanctificante.

§. III.

Dico 3. Meritum crescit ex circumstantiis intensionis, & durationis, ita ut opus bonum, cæteris paribus, eò magis sit meritorium, quò est intensius & diutius continuatur.

Prob. Quia circumstantia intensionis vel durationis secundùm æstimationem prudentum est considerabilis in opere bono, sicut in opere malo. Et dat majorem æstimabilitatem actui bono, sicut majorem malitiam actui malo. Profectò enim qui DEUM intensiùs seu ardentiùs amat, vel qui diutius perseverat in actuali amore DEI, meliùs facit, quàm qui minùs ardenter amat, vel minùs diu in tali amore perseverat. Sed qui meliùs facit, plus meretur, cæteris paribus: & quò meliùs facit, eò plus meretur, cæteris paribus. Ergo.

§. IV.

Dico 4. Difficultas in operando non auget per se meritum operis. Qu a per se *non* dignificat personam operantem, nec ipsum opus.

Difficultas tamen per accidens, seu occasionaliter potest augere meritum. Quia potest esse occasio, ut actus sit melior ac perfectior, vel iteretur. Quod fit, cùm voluntas fortiter resistit difficultati, & ex occasione illius majorem conatum adhibet, & in actum se se impendit vehementiùs, & *ita actus fit intensior:* vel in opere diutius perseverat: vel affectu appretiativè majore fertur in objectum, parata pro illo plura & graviora facere aut pati: vel pluries actum internum repetit.

E contra difficultas in operando minuit meritum, quoties impedit, ne actus sit tam bonus ac perfectus moraliter, quàm esset sublata difficultate: unde facilitas agendi bonum ordinariè potiùs auget meritum, quàm minuit: quatenus facit, ut actus sit intensior, diuturnior, & constantior, quàm esset obstante difficultate.

ARTICULUS VI.

Quænam cadant sub meritum?

§. I.

Dico 1. Adultus, qui justificatur, non meretur, ne quidem de congruo, primam Gratiam actualem. Est de fide.

Prob.

Prob. 1. Ex Rom. c. 3. *Justificati gratis per Gratiam ipsius.*

2. Ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 5. ubi *Declarat, ipsius justificationis exordium in adultis à DEI per Christum JESUM præveniente Gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur, &c.* Nulla autem merita quodlibet meritum excludunt.

3. Quia homo ex solis naturæ viribus nihil potest, quod conducat ad salutem: ùt constat ex cap. 5. art. 1. Ergo non potest ullo actu naturali mereri de congruo primam Gratiam actualem. Præterea alioquì Gratia jam non esset Gratia; nam esset ex operibus merè naturalibus: & valerent omnia Semipelagianorum principia.

§. II.

Dico 2. Adultus, qui justificatur, non meretur de condigno primam Gratiam Sanctificantem.

Prob. 1. Ex Rom. c. 3. *Justificati gratis per Gratiam ipsius.* Sed si homo mereretur de condigno primam Gratiam Sanctificantem, non justificaretur gratis; nam mereretur de condigno causam formalem suæ justificationis, seu ipsam justificationem formalem.

2. Ex Conc. Trid sess. 6. cap. 8. quod explicans Verba Apostoli laudata sic ait: *Gratis autem justificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis Gratiam promeretur.*

Ratio est. Quia opera supernaturalia, quæ sunt dispositiones ad justificationem, non habent æqualitatem moralem cum prima Gratia Sanctificante, necessariam ad illam de condigno merendam. Nam 1. Illam æqualitatem non habent per se sola; quia æqualitas proportionis operum cum Gratia Sanctificante, quæ est semen & mensura gloriæ, petitur maximè ex eo, quòd fiant ab homine DEI amico & filio adoptivo: & sic petitur maximè à Gratia Sanctificante, per quam homo fit formaliter amicus & filius adoptivus DEI. 2. Neque illam habent ab ipsa Gratia Sanctificante; quia prima Gratia Sactificans operibus, quæ illam præcedunt, retribuitur tanquam præmium, quod de congruo merentur. Æstimatio autem & dignitas operis repeti non potest ex eo, quod retribuitur tanquam præmium; nam nemo fit dignus præmio per ipsum præmium: sed dignitas ad præmium essentialiter ipsum præcedit.

§. III.

Dico 3. Adultus, qui justificatur, primam Gratiam Sanctificantem meretur de congruo, & quidem infallibiliter, per contritionem perfectam.

Pro. 1. Ex S. Augustino, epist. 105. *Sed nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullum est meritum fidei:* quæ scilicet per actum contritionis perfectæ operatur.

2 Quia perfecta contritio habet congruitatem quamdam cum Gratia Sanctificante: attenta misericordia & benignitate DEI; nam congruit, ut DEUS infinitè misericors & benignus remittat peccata, & justificationis Gratiam det propter actum, quo peccator peccata summè detestatur propter DEUM super omnia propter se amatum: & contritioni perfectæ à DEO promissa est Gratia Sanctificans.

Porro cùm Conc. Trid. definit, opera, quæ justificationem præcedunt, eam non mereri, excludit solùm meritum condignum, quod est propriè & simpliciter meritum. Nam meritum de congruo, quod habet solùm vim ex decentia quadam inducendi DEUM ad dandum aliquid, non est propriè meritum, sed cum addito destruente rationem meriti propriè dicti.

§. IV.

Dico 4. Homo, etsi justus, non potest merito condigno, aut etiam congruo habente infallibiliter effectum, sibi aut alteri mereri perseverantiam finalem, nec ullam Gratiam actualem efficacem.

Prob. 1. Ex Script. 1. Cor. c. 10. *Qui se existi-*

existimat stare, videat, ne cadat. Et, Phil. c. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini: DEUS est enim, qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.* Quæ verba significant, Gratias efficaces, quibus soli justi perseverant in statu Gratiæ usque ad mortem, pendere à solo DEI beneplacito: unde jure merito salutem suam operari debent cum metu & tremore.

2. Ex S. Augustino, l. de dono persever. c. 9. *Ex duobus piis, cur huic donetur perseverantia usque in finem, illi non donetur: inscrutabilia sunt judicia DEI.* At in hoc non essent inscrutabilia DEI judicia, si justus perseverantiam mereri posset merito etiam de congruo infallibiliter habente effectum: sicut non sunt inscrutabilia in eo, quòd unus adultus justificetur, alter non justificetur; quia justificatio cadit sub meritum de congruo, quo infallibiliter obtinetur; nam responderi potest, unum justificari, non alterum: quia unus, non alter, elicuit contritionem, per quam justificatio infallibiliter obtinetur. Item S. Doctor, c. 13. omne meritum infallibile, sive propriè sive impropriè dictum excludit his verbis: *Unde satis dilucidè ostenditur, & inchoandi, & usque in finem perseverandi Gratiam DEI non secundùm merita nostra dari, sed donari secundùm ipsius secretissimam, eandemque justissimam, beneficentissimam, sapientissimam voluntatem.*

3. Ex S. Thoma, 1. 2. quæst. 114. art. 9. ubi ait: *Perseverantia viæ non cadit sub merito, quia dependet solùm ex motione divina, quæ est principium omnis meriti: sed DEUS gratis perseverantiæ bonum largitur, cuicunque largitur.*

4. *Ratione.* Quia nulla extat divina promissio de danda Gratia efficaci, & perseverantia finali. Potest tamen justus perseverantiam finalem mereri merito de congruo non habente infallibiliter effectum, juxta illud S. Augustini, l. de dono persever. c. 6. *Hoc DEI donum* (perseverantiæ) *suppliciter emereri potest*, id est supplici oratione obtineri ex DEI misericordia.

§. V.

Dico 5. Justus reparationem post lapsum, nequidem de congruo infallibiliter meretur per bona opera supernaturalia facta in statu justitiæ. Ita S. Thomas, 1. 2. quæst. 114. art. 7.

Prob. Justus per bona opera meritoria nequidem de congruo infallibiliter meretur ullam Gratiam efficacem ad non peccandum mortaliter. Ergo multò minùs infallibiliter meretur reparationem Gratiæ Sanctificantis post lapsum; nam plus est injusto dari Gratiam efficacem ad contritionem, quàm justo ad non peccandum. Præterea nulla de hoc extat divina promissio.

§. VI.

Dico 6. Justus meretur de condigno augmentum Gratiæ, & Beatitudinis æternæ. Constat ex Conc. Trid. sess. 6. can. 32. *Si quis dixerit... ipsum justificatum, bonis operibus, quæ ab eo per DEI Gratiam, & JESU Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non verè mereri augmentum Gratiæ, vitam æternam... atque etiam gloriæ augmentum: anathema sit.* Verè autem mereri est mereri de condigno, ùt supra probatum est ex eodem Conc. Trid.

Porro justi merendo augmentum Gratiæ Sanctificantis, merentur etiam omnia auxilia necessaria ad ejusdem Gratiæ conservationem. Nam ejusmodi auxilia sunt ei connaturaliter debita, & faciunt cum illa unam moraliter mercedem.

Nota. Justus meretur de condigno augmentum Gratiæ etiam per actus remissiores habitu, jam ante infuso. Quia neque Scriptura, neque Concilia, aut Patres requirunt, ut actus meritorius augmenti Gratiæ sit intensior habitu præexistente. Imò Concil. Trid. sess. 6. cap. 16. declarat, ad verum meritum nihil deesse bonis operibus justi per Gratiam Christi in DEO factis. Posito autem actu meritorio, statim tribuitur augmentum Gratiæ, ùt constat tum ex illo, 2.

Cor. c. 4. *Is, qui intus est, renovatur de die in diem.* Et, Apoc. c. ult. *Qui justus est, justificetur adhuc: & sanctus sanctificetur adhuc.* Tum ex Conc. Trid. sess. 6. cap. 10. dicente de justificatis: *In ipsa justitia per Christi Gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis justificantur.* Et verò nulla est ratio, differendi augmentum Gratiæ, posito actu illius meritorio.

ARTICULUS VII.

De Merito de congruo.

I. MEritum de congruo dicitur illud, cui deest aliquid requisitum ad meritum propriè dictum & perfectum, quod vocatur meritum de condigno. Ac proinde meritum de congruo est illud, cui deest vel moralis æqualitas cum mercede, vel promissio mercedis, vel utraque: sed solùm habet vim movendi DEUM ex quadam decentia ad aliquid retribuendum.

II. Duplex est meritum de congruo: unum carens morali æqualitate cum mercede, sed habens promissionem illius: ideoque habens infallibiliter effectum: talis est contritio perfecta in peccatore respectu justificationis. Et aliud habens moralem cum mercede æqualitatem, sed carens promissione illius: ideoque non habens nisi fallibiliter effectum: tale est omne meritum de congruo in homine justo.

III. Ad meritum de congruo requiritur in actu meritorio vis idonea ad inducendum DEUM ex decentia seu convenientia, ut actui aliquid retribuat. Hinc in opere meritorio de congruo non habente moralem cum præmio æqualitatem requiritur certa quædam proportio & congruitas cum præmio, quam opus ex propria excellentia habeat. Quare ad meritum de congruo requiruntur hæ duæ conditiones, 1. Ut sit actus honestus, DEO gratus ac liber; alioqui non esset imputabilis ad laudem & præmium. 2. Ut sit supernaturalis, ideoque ex auxilio Gratiæ factus; nam omnis actus mere naturalis nullam habet congruitatem nec proportionem cum præmio supernaturali, de quo hic agitur; cùm naturale sit inferioris ordinis ad supernaturale.

ARTICULUS VIII.

Utrùm liceat bonum agere intuitu mercedis æternæ?

Dico. Bonum agere licet intuitu mercedis æternæ. Est de fide contra Calvinum, & alios Novatores.

Prob. 1. Ex Script. Luc. c. 16. *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis: ut, cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Gal. c. 6. *Bonum autem facientes, non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes.* Coloss. c. 3. *Quodcunque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Quibus locis Scriptura mercedem proponit ad nos inducendum ad bona opera facienda. At licet operari ex motivo, quod nobis Scriptura proponit. Ergo.

2. Exemplo Sanctorum, tum Moysis, de quo Apostolus, Heb. c. 11. scribit: *Aspiciebat enim in remunerationem:* Tum Davidis. Psal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.*

3. Ex Patribus. Hic sufficiat S. Augustinus, in Psal. 120. *Quando facis bonum opus, propter vitam æternam fac... Noli facere, nisi propter vitam æternam. Ideo fac, & securus facies: hoc enim mandavit DEUS.* Cùm dicit (*fac*) intellige, minùs principaliter: præcipuè verò propter DEUM. Et cùm dicit (*noli facere, nisi propter vitam æternam*) excludit tantùm bona temporalia: ùt constat ex contextu.

4. Ex Conc. Trid. sess. 6. can. 31. *Si quis dixerit, Justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur: anathema sit.* Porro Concilium non dicit, operandum esse tantùm intuitu mercedis, ùt calumniatur Calvinus; nam è contra docet, non tantùm, nec præcipuè amore mercedis operandum

randum esse: sed primùm quidem & principaliter propter gloriam DEI, deinde etiam propter beatitudinem æternam, tanquam finem secundarium; sic enim ait, c. 11. *Constat, eos orthodoxæ Religionis doctrinæ adversari. . . Atque etiam eos, qui statuunt, in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & se se ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut imprimis glorificetur DEUS, mercedem quoque intuentur æternam.*

5. *Ratione.* Quia inter operandum licet finem intueri, atque ad eum media referre. At vita æterna est finis fidei & operum bonorum: secundarius scilicet, juxta illud, Rom. c. 6. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem verò vitam æternam.* Et illud, 1. Petri c. 1. *Reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum.*

Dixi (secundarius) nam finis primarius est gloria DEI, cui subordinatur, & ad quem refertur beatitudo nostra, ex Prov. c. 16. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus.* Et ex Deut. c. 26. *Cunctis gentibus. quas creavit in laudem, & nomen & gloriam suam.* Et ex Isai. c. 43. *Et omnem, qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum.*

Hinc Alexander VIII. hanc propositionem 10. meritò damnavit: *Intentio, qua quis desiderat malum, & prosequitur bonum, meritè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec DEO placens.*

Obj. 1. Christus, Joann. c. 10. mercenarios reprehendit.

Resp. Reprehendit mercenarios, qui mercedem unicè & præcipuè intendunt, ita ut si nulla esset, Domino non servirent: quales sunt isti, qui viso lupo fugiunt, & dimittunt oves; quia ovium salutem non curant: sed propriam tantùm utilitatem quærunt. Nam mercenarius propriè est is solus, qui unicè & præcipuè propter mercedem operatur, ita ut illa sublata nollet operari.

Obj. 2. S. Bernardus, l. de diligendo DEO ait: *Non sine præmio diligitur DEUS: esset absque præmii intuitu diligendus sit. Vacua namque vera charitas esse non potest: nec tamen mercenaria est.*

Resp. Solùm vult, DEUM non esse diligendum præcipuè intuitu præmii. Quod verum est; nam in bonis operibus spectare debemus præcipuè DEUM, ejusque gloriam, tanquam finem ultimum: mercedem verò, tanquam finem secundarium, qui propter DEUM ejusque gloriam principaliter expectatur; cupimus enim DEO frui, atque beati inde effici, ut tantò ardentiùs & securiùs DEUM amemus & glorificemus. Ita Bellarminus.

Obj. 3. S. Thomas, 2. 2. qu. 19. art. 4. ad 3. dicit, amorem mercenarium contrariari charitati.

Resp. S. Doctor & Patres per amorem mercenarium intelligunt inordinatum bonorum temporalium amorem: ùt patet ex loco objecto, ubi hæc ait: *Amor mercenarius dicitur, qui DEUM diligit propter bona temporalia: quod secundùm se charitati contrariatur: & ideo amor mercenarius semper est malus.*

Obj. 4. Servile ac sordidum est, operari propter mercedem.

Resp. Dist. Si merces sit ipso opere ac labore vilior, *conc.* Secus, *neg.* Merces autem æterna est longè præstantior ac nobilior quolibet opere ac labore secundùm se spectato; cùm in perfecta summi boni fruitione consistat,

Obj. 5. DEUS non debet diligi amore concupiscentiæ.

Resp. Dist. Amore solo concupiscentiæ, excludendo amorem amicitiæ: vel magis amore concupiscentiæ, quàm amore amicitiæ, *conc.* Amore concupiscentiæ: & insuper ac præcipuè amore amicitiæ, *nego.*

Obj. 6. Inordinatum est, DEUM ad nos referre.

Resp. Dist. Referre ad nos tanquam finem ultimum: vel ita, ut DEUM non amemus, nisi propter nos, & quia nobis bonus est, *conc.* Tanquam in finem, cui beatitudinem exoptamus, *neg.* Alioqui inordinatum esset motivum Incarnationis Filii DEI, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & Homo factus est.*

ARTICULUS IX.

Utrùm perfectio viæ, seu hujus vitæ excludat desiderium & amorem beatitudinis: seu includat indifferentiam circa suam salutem ac felicitatem æternam?

Hic est error Quietistarum: ex cujus occasione alii præcipui eorum errores simul refellentur. Nempe docent illi, hos solos esse perfectos, qui per unum actum DEO semel oblati & totaliter resignati, reliquos omnes actus tanquam superfluos suspendunt, nihil à DEO petendo: nullas ei Gratias agendo: nec ad proprios defectus reflectendo: sed merè passivè in omnibus se habendo, cum indifferentia de omnibus, etiam de æterna beatitudine & damnatione, ut solus DEUS in ipsis sine ipsis operetur, voluntatemque suam impleat.

Hic multiplex error refellitur per partes.

I. Falsum est, quemquam per unum actum oblationis sui, & resignationis posse esse perfectum. Nam Christiana perfectio, quæ in perfectione divini amoris consistit, non sine magno ac diuturno labore, continua ac constanti amoris proprii inordinati ac pravarum cupiditatum mortificatione, & sui abnegatione, nec non frequenti ac constanti virtutum omnium exercitio comparatur. Enim verò Apostolus, qui probè sciebat omnem viam perfectionis adipiscendæ, & eam diligenter adhibebat, tamen post multos Apostolatus annos asserit, se nondum esse perfectum: *Non quod*, inquit, *jam acceperim, aut jam perfectus sim: sequor autem, si quo modo comprehendam, &c.* Phil. 3. Ergo non per unum actum oblationis sui ac resignationis quis fieri potest perfectus.

II. Non licet reliquos actus suspendere: multò minùs perfectio eorum suspensionem exigit. Nam omnes tenentur sæpissimè toto vitæ suæ curriculo actus virtutum, præsertim fidei, spei, charitatis elicere, & omnia alia præcepta servare. Item, Apostolus sæpe hortatur omnes fideles nullo excepto ad omnia & varia opera bona præstanda, & omnes virtutum actus exercendos: *Ut ambuletis dignè DEO per omnia placentes; in omni opere bono fructificantes.* Col. 1. Hæc verba (*ambuletis dignè DEO*) sanè spectant etiam perfectos, & perfectionis suæ studiosos: & ibi docet Apostolus, vitæ rationem dignam DEO, ideoque perfectam, consistere in eo, quòd quis in omnibus, & per omnia DEO placeat, omne opus bonum suo statui conveniens semper exercendo: quod fieri non potest sinè multis actibus virtutum internis.

III. Oratio frequens præcepta est omnibus sine ulla exceptione. Luc. 18. *Oportet semper orare, & non deficere*, Etc. 21. *Vigilate omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, & stare ante filium hominis.* Et Ephes. 6. *Per omnem orationem & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu, &c.*

Ratio est. Quia continuo DEI auxilio indigemus ad superandas tentationes, ad vitandum peccatum, ad servanda mandata, & ad opera salutaria præstanda. Et oratio frequens est medium ordinarium à DEO institutum ad Gratias, quibus indigemus, obtinendas.

IV. Tenemur nostros defectus cognoscere, ideoque ad eos reflectere; nam tenemur eos emendare, cùm displiceant DEO, & obsint perfectioni. Emendari autem non possunt nisi cognoscantur, & sæpe ad eos attendamus, & reflectamus.

V. Non licet se habere merè passivè in omnibus. Nam 1. Omnes tenentur inordinatos concupiscentiæ motus, præsertim ad luxuriam incitantes, positivè reprimere, & pravas cupiditates coërcere. *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.* Gal. 5. Certè crucifigere carnem, vitia & concupiscentias malas, non est, se habere merè passivè ad illa. Qui tamen ista non crucifigunt per resistentiam positivam, & actus virtutum iis oppositos, non sunt Christi, ideoque nec justi, à fortiori nec sunt justi perfecti: item, justi debent spiritu ambulare, id est, agere bonum, cooperando Gratiæ: non verò merè passivè se habere. Et Conc. Tridentinum,

num, ſeſſ. 5. can. 5. ſic ait: *Manere autem in Baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, & ſentit: quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, ſed viriliter per Chriſti JESU Gratiam repugnantibus non valet: quin imò, qui legitimè certaverit, coronabitur.* Ergo ut concupiſcentia, quæ ſemper remanet, non noceat, non ſufficit mera negatio conſenſus poſitivi, ſed requiritur diſplicentia ac reſiſtentia poſitiva; nam legitimè certare, ſignificat actum poſitivum.

2. Omnes debent dæmonis tentationibus fortiter reſiſtere, ex 1. Petr. 5. *Sobrii eſtote, & vigilate: quia adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui reſiſtite fortes in fide.* Fortis autem reſiſtentia ſignificat actum poſitivum. Et, ex Epheſ. 6. *De cætero, fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam DEI, ut poſſitis ſtare adversùs inſidias diaboli ... Propterea accipite armaturam DEI, ut poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam juſtitiæ .... in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere: & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum DEI, &c.* Quæ omnia ſignificant reſiſtentiam poſitivam per actus virtutum fidei, ſpei, charitatis, & aliarum virtutum oppoſitos. Iidem textus oſtendunt etiam, ac everunt alium errorem Quietiſtarum, quo docent, contemplativos ſæpiùs à dæmone tantos exceſſus, & tantas violentias pati, ut eis omnis adimatur uſus liberi arbitrii: quo fit, ut in graviſſima peccata etiam externa, & carnalia prolabantur, quorum tamen minimè conſcii, ac rei ſunt: ac proinde non eſſe obligationem ea confitendi. Nam cum Scriptura locis citatis, & aliis multis omnes moneat, & hortetur, ut fortiter dæmonis tentationibus reſiſtant, manifeſtè ſupponit, ac docet, eas non adimere liberum arbitrium; non enim DEUS nos hortatur ad id, quod impoſſibile eſt, nec eſt in noſtra poteſtate eum ejus auxilio.

3. Omnes toto vitæ curriculo tenentur omnia omnino præcepta ſervare, ideoque actus virtutum præceptos elicere. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Matth. 19. ubi nulla fit exceptio ſtatus & perſonarum. Et charitas DEI, in cujus perfectione conſiſtit perfectio chriſtiana, exigit conſtantem omnium mandatorum obſervationem. *Si diligitis me, mandata mea ſervate. Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.... Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit.... Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat.* Joann. 14. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis* Joann. 15. *Hæc eſt charitas DEI, ut mandata ejus cuſtodiamus.* 1. Joann. 5.

Ratio eſt. Quia perfectio charitatis non tollit ejus eſſentiam, imò eam perficit, & ei addit: charitatis autem eſſentia conſiſtit non in ſimplici affectu complacentiæ erga DEUM, ſed in affectu appretiativè ſummo, & efficaci, quo DEO non ſolùm volumus omne bonum, quod poſſidet, nempe gloriam internam, poſitam in ejus infinitis perfectionibus, ſed etiam omnem gloriam externam, quam, à nobis ſaltem, graviter exigit: ſive quo non ſolùm gaudemus de perfectionibus divinis, ſed etiam efficaciter volumus præſtare omnia, quæ DEO placent, & vult fieri à nobis.

VI. Falſum eſt, ſtatum perfectionis includere indifferentiam erga æternam beatitudinem & damnationem: ſive excludere omne motivum proprii intereſſe, ſeu commodi ſupernaturalis, ita ut neque deſiderium beatitudinis, neque timor pœnarum ſeu damnationis æternæ in hoc ſtatu locum habeant.

Nam 1. Præceptum ſpei obligat omnes viatores etiam perfectos ad actus ſpei ſæpe eliciendos. Et Chriſtus ſuis Apoſtolis & omnibus fidelibus ſine exceptione dicit, Matt. 10. *Timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.*

2. Hæc indifferentia adverſatur Scripturæ, quæ ſignificat, viros ſanctos ac perfectos bonum agere intuitu mercedis ſeu beatitudinis æternæ, ideoque ex affectu proprii intereſſe ſupernaturalis, ut, Pſal. 118. In-

clinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem. Heb. 11. Apostolus de Moyse dicit: *Aspiciebat enim in remunerationem.* Et, Tit. 2. ait: *Apparuit Gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem*: id est, sperantes, & efficaciter expectantes beatitudinem æternam. Hæc indifferentia repugnat etiam Concilio Tridentino, quod, sess. 6. c. 16. proponit omnibus justis etiam perfectis mercedem æternam bonis operibus rependendam, quo excitentur ad bona opera perficienda. Ibi enim sic ait: *Bene operantibus usque in finem, & in DEO sperantibus proponenda est vita æterna... tamquam merces ex ipsius DEI promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse ajebat Apostolus.*

3. *Ratione.* Tum quia actus spei & timoris utiles, & interdum necessarii sunt etiam perfectis ad vincendas graves tentationes, quibus justi etiam perfecti obnoxii sunt. Ergo non repugnant statui perfectionis. Tum quia actus spei produci potest ex affectu placendi DEO, ideoque à charitate imperari non minùs, quàm actus virtutum moralium. Tum quia homo perfectus, sicut potest velle proximo beatitudinem æternam, quatenus summum ejus bonum est, & ei timere damnationem æternam, quatenus summum ejus malum est, quia eum diligit propter DEUM: ita etiam potest sibi velle beatitudinem æternam, quatenus suum summum bonum est, & sibi timere damnationem æternam, quatenus suum summum malum est; quia se ipsum diligit propter DEUM.

Nec obstat, quòd charitas perfecta sit charitas pura. Nam charitas pura non consistit in exclusione proprii interesse supernaturalis ut immediatè ad DEI gloriam relati: sed in eo, quòd DEUM non colamus, nec amemus propter bona temporalia, nec præcipuè ac principaliter propter mercedem æternam: imò in eo, quòd beatitudinem æternam principaliter velimus propter DEUM, ita ut eam magis velimus, quia per eam DEUS glorificatur, quàm quia per eam nos beamur, & eam referamus ad DEI gloriam, tanquam finem ultimum ac principale motivum. Ita docet Conc. Tridentinum, sess. 6. cap. 11. his verbis: *Cum hoc, ut in primis glorificetur DEUS, mercedem quoque intuentur æternam.*

Breviùs. Charitas pura consistit in eo, quòd nihil extra DEUM amemus, nisi in DEO, secundùm DEUM, propter DEUM: & ipsum DEUM amemus adhuc magis propter se ipsum: seu quia est in se infinitè bonus ac perfectus, quàm quia est nostrum summum bonum: & ejus fruitionem ad ejus gloriam ultimatè referamus. Porro proprium hominis interesse supernaturale & æternum est ipse DEUS, ùt possidendus per visionem intuitivam & amorem fruitivum.

Neque etiam *obstat* hæc Moysis oratio, Exod. 32. *Aut dimitte eis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Et illud Apostoli, Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*, Judæis; nam his verbis Moyses & Paulus solùm optant sibi pro salute proximorum privationem specialium favorum DEI, sine quibus salutem consequi poterant. Vel hæ locutiones sunt hyperbolicæ & hypotheticæ, seu certum quemdam loquendi modum hyperbolicum ad vehementissimum affectum significandum continent: ita ut sensus sit, eos quidlibet secundùm divinam voluntatem pati paratos esse, ut Populus Israëliticus non pereat, sed salutem consequatur.

Porro cùm aliqui Sancti dicunt, DEUM unicè propter se amandum esse: omnia agenda esse propter DEUM unicè, non propter mercedem etiam æternam: nos non debere nostrum commodum etiam supernaturale sectari. Hæc dicta & similes locutiones, quæ in aliquibus libris spiritualibus reperiuntur, nihil aliud in mente auctorum sonant, quàm DEUM unicè propter se principaliter amandum esse: nostram beatitudinem non propter se principaliter expetendam

dam esse, sed propter DEUM: nostra merita & præmia beatitudinis non debere intendi principaliter propter se, sed nostra omnia ad DEI gloriam principaliter & finaliter referenda esse.

VII. DEUS neminem adultum salvare vult sine propria cooperatione, & constanti exercitio bonorum operum & virtutum præceptarum. Ergo voluntas divina non impletur in iis, qui merè passivè se habent in omnibus.

Confirmatur hæc tota nostra confutatio. Quia istæ propositiones Michaëlis de Molinos Presbyteri Hispani inter alias multas ab Innocentio XI. damnatæ sunt. 1. *Oportet hominem suas potentias annihilare: & hæc est via interna.*

2. *Velle operari activè, est DEUM offendere, qui vult esse ipse solus agens: & ideo opus est, se ipsum in DEO totum & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime.*

9. *Non debet anima reminisci nec sui, nec DEI, nec cujuscunque rei: & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones: & ad proprios defectus.*

13. *Resignato DEO libero arbitrio, eidem DEO relinquenda est cogitatio & cura de omni re nostra: & relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.*

14. *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut à DEO rem aliquam petat; quia petere est imperfectio; cùm sit actus propriæ voluntatis & electionis . . . & illud Evangelii (petite & accipietis) . . . . est dictum à Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem.*

15. *Sicut non debent à DEO rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent; quia utrumque est actus propriæ voluntatis.*

17. *Tradito DEO libero arbitrio, & eidem relicta cura & cognitione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum: nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria: & si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura.*

20. *Asserere, quòd in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando DEUS animam non alloquitur, ignorantia est: DEUS nunquam loquitur: ejus locutio est operatio: & semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus & operationibus eum non impedit.*

21. *In oratione opus est manere in fide obscura & universali, cum quiete, & oblivione cujuscunque cogitationis particularis ac distinctæ attributorum DEI, ac Trinitatis, & sic in DEI præsentia manere ad illum adorandum & amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum; quia DEUS in his sibi non complacet.*

24. *Qualescunque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra DEUM, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, si voluntariè non nutriantur, nec voluntariè expectantur, sed cum indifferentia & resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei: imò eam perfectiorem efficiunt; quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet.*

35. *Non convenit animabus hujus viæ internæ, quòd faciant operationes, etiam virtuosas, ex propria electione & activitate; aliàs non essent mortuæ.*

37. *In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum: sed debet in supradicto amore & resignatione permanere.*

41. *DEUS permittit, & vult, ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quòd in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat eorum corporibus, easque actus carnales commitere faciat, etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione, movendo physicè illorum manus & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata; quia in iis non adest consensus.*

47. *Cùm hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum: sed permanere debet homo in suo nihilo:*

nihilo: & etiamsi sequantur pollutiones, & actus obscœni propriis manibus, & etiam pejora, non opus est se ipsum inquietare: sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia & timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, & acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri.

59. *Via interna sejuncta est à confessione, à Confessariis, & à casibus conscientiæ, à Theologia, & à Philosophia.*

Omittebam 12. Non tamen prætermittenda est, hæc sic habet: *Qui suum liberum arbitrium DEO donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso: nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis; nec propriæ salutis, cujus spem purgare debet.*

His adde aliquas alias propositiones ab Innocentio XII. damnatas in libro, qui inscribitur: *Explication des Maximes des Saints sur la vie interieure.*

1. *Datur habitualis status amoris DEI, qui est charitas pura, & sine ulla admixtione motivi proprii interesse... neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius DEUS propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.*

2. *In statu vitæ contemplativæ, seu unitivæ omittitur omne motivum interessatum timoris, & spei.*

6. *In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum: sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum DEI, ut rem, quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum.*

16. *Datur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.*

17. *Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili & reflexo JESU Christi, duobus temporibus diversis... primo in fervore nascente earum contemplationis... secundò anima amittit intuitum JESU Christi in extremis probationibus.*

23. *Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii sunt.*

TRA-

TRACTATUS DE LEGIBUS.

SECTIO PRIMA.

De Lege in communi.

Quæſt. I. *Quid eſt Lex?*

Reſp. ESt præceptum commune, honeſtum, juſtum, ſtabile ſeu perpetuum, ad bonum commune, à Gerente curam communitatis impoſitum, & ſufficienter promulgatum.

Itaque ex communi Doctorum ſententia, Lex eſt. 1. *Præceptum*; nam Lex eſt ordinatio Superioris efficax, & obligans ſubditos ad agendum vel omittendum aliquid. Non poteſt autem obligare, niſi præcipiendo, hoc eſt, jubendo vel vetando. Hinc Lex permittens eſt etiam præceptiva, ſaltem virtualiter; nam hoc ipſo quòd permittit aliquid fieri, prohibet, ne illud fieri impediatur. Porro præceptum eſt recta agendi vel omittendi ratio, ſeu regula obligans ex authoritate Superioris. Per *Tò* obligans, differt à conſilio, quod eſt etiam recta agendi regula, ſed non obligans. Hinc illud S. Hieronymi lib. 1. contra Jovin. *Ubi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt: ubi præceptum, neceſſitas eſt ſervientis.*

2. *Commune*; nam debet fieri communitati perfectæ, ex *L. Jura, ff. de legib. Jura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur.* Communitas autem perfecta eſt, quæ ex natura ſua perpetua eſt, ac politicæ gubernationis capax: ſive eſt ea, quæ ſibi ſufficit ad aſſequendum finem, ad quem inſtituta eſt, nempe ad conciliandam & conſervandam felicitatem, pacem, ac tranquillitatem publicam: ùt Regnum, Provincia ſui juris, Eccleſia, &c. Imperfecta verò, quæ ex natura ſua non eſt perpetua, nec capax politicæ gubernationis: ſive quæ ſibi non ſufficit ad prædictum finem: ùt Familia, Parochia, &c.

Porro cenſetur communitas ſibi ad ſuum finem ſufficere, dum in ea eſt poteſtas Magiſtratus aut Paſtores inſtituendi, membra ac ſubditos in ordine continendi, lites & controverſias dirimendi, improbos ac ſceleſtos morte mulctandi, vel contumaces à corpore reſecandi.

3. Lex neceſſariò debet eſſe *honeſta*: ſtatuendo videlicet aliquid honeſtum, vel in ſe, vel ſaltem ratione finis intenti, ad quem conducat; nam finis Legis eſt homines bonos facere, ùt docent *Ariſtot.* & *S. Thom.* Deinde homo non poteſt obligari ad actus malos, vel inutiles, ſeu indifferentes: nec DEUS, utpote ſummè bonus, ſapiens ac rectus, dedit hominibus poteſtatem ſtatuendi niſi honeſta.

4. *Juſta*: ſcilicet ex parte Legislatoris: & juſtitia quidem tum legali, in eo poſita, ut profit bono communi: tum commutativa, qua Legislator non plus ſtatuat, quàm poſſit ſtatuere: nec aliis, quàm ſubditis: aliàs injuriam inferret: & nulla eſſet Lex; cùm actio non poſſit excedere agentis poteſtatem: tum denique diſtributiva, qua ſecundùm æqualitatem proportionis, habita ratione virium & facultatum, imponantur ſubditis onera in ordine ad bonum commune. Nam eſſet contra rectam rationem, & juſtitiam etiam commutativam, aliquos ultra modum gravare. Ad nullitatem tamen legis ex hoc capite requiritur tanta improportio & inæqualitas, ut redundet in detrimentum commune, & in injuſtum ac grave onus plurium,

plurium, ùt notat *Suarez*: alioqui enim si Lex de se utilis sit, & pauci plus æquo vexentur, Lex erit valida, & obligabit alios. Illi verò, qui injustè gravantur, non obligabuntur quoad excessum injustum, nisi per accidens, ratione scandali vel perturbationis, ad quæ vitanda debet quisque juri suo cedere.

Porro in dubio de honestate vel justitia Legis, præsummendum est pro Legislatore, & servanda Lex est: tum quia Superior habet jus altius, & possidet jus præcipiendi, à quo subditus per istiusmodi dubium non probat se esse exemptum: tum quia Princeps regitur altiori consilio, & potest habere rationes subditis occultas: tum quia tunc Legis observationem postulat bonum commune, & recta gubernatio; nam alioqui subditis daretur nimia licentia non servandi Leges.

5. Est de se *perpetua*, hoc est, statuta in perpetuum, & sine termino definito: ita ut semel lata, semper duret, quamdiu durabit communitas, cui imponitur: nisi abrogetur, aut mutatis circumstantiis noxia vel inutilis fiat, ex c. ult. *de offic. Legat.* Nam perpetuitas Legum necessaria est ad earum finem, nempe bonum commune, quod postulat stabilitatem, & uniformitatem, ut utiliter administretur communitas de se perpetua, quatenus per continuam successionem perseverat eadem moraliter in posteris: Legum quippe mutatio detrimentum Reipublicæ affert.

6. Lex debet essentialiter esse *utilis bono communi*: quod est finis essentialis & primarius Legis. *Constat* tum ex c. *Erit.* dist. 4. ibi: *Erit autem Lex honesta, justa, possibilis, secundùm naturam, secundùm patriæ consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, nullo privato commodo, sed pro communi utilitate conscripta.* Tum quia Lex est actus publicæ potestatis, quæ instituta est solùm in bonum commune: & potestas ferendi Leges non est data hominibus, nisi propter bonum commune procurandum: ùt constat ex Scriptura docente, Legislatores Ecclesiasticos esse Pastores: & habere potestatem tantùm in ædificationem aliorum, 2. ad Cor. 10. Sæculares verò esse Ministros DEI in bonum subditorum, Rom. 13. Præterea cùm Lex toti communitati imponatur, eamque obliget, debet quoque ad illius bonum referri: alioqui inordinata esset; nam contra rectam rationem est totum ordinare ad partem, & totum operari pro solo bono privato partis. In quo differt potestas jurisdictionis à potestate dominativa in servum, & à jure proprietatis in utilitatem privatam concesso. Itaque Lex omnis cedere debet in bonum commune, vel immediatè, vel saltem mediatè & ultimatè: alioqui nulla est.

7. Lex debet ferri ab eo, *qui præest communitati.* Nam cùm Lex feratur communitati perfectæ ob bonũ cõmune, eamque obliget, ferri non potest nisi ab eo, ad quem pertinet curare communitatem, quique illius regendæ obligandæ, & cogendæ potestatem habet juridicam.

8. Demum debet esse *promulgata*, ex *L. 9. Cod. de Legib.* Quia Lex est regula actionum generalis & publica, dirigens & obligans communitatem: ùt regula non potest communitatem dirigere & obligare, nisi sit ei applicata & nota.

Quæst. II. *Quomodo Lex differt à Præcepto?*

Resp. Differt 1. Quòd Lex necessariò feratur à Persona publica pro communitate, & ad bonum communitatis: at Præceptum ferri potest à Persona privata ad privatam, putà à Domino ad servum, & in bonum privatum Superioris, vel subditi, vel alterius. 2. Quòd Lex de se sit perpetua: non merum præceptum, quod expirat morte præcipientis; Lex verò non. Quare si in nostra Societate præcepta Præpositorum Generalium semper obligent, donec à Successore revocentur, id non habent à se, sed à lege speciali *Congregationis septimæ* can. 10. iis perpetuitatem statuente. Igitur Lex differt à præcepto, sicut species à genere; nam omnis Lex est præceptum, sed non omne præceptum est Lex. Præceptum enim aliud est commune, aliud particulare. Commune subdividitur in perpetuum, quod solum est propriè Lex: & in non perpetuum, sed ad breve tempus impositum. Convenit autem

Lex

Lex cum Præcepto, quòd utrumque ſit ratio, ſeu regula agendi vel omittendi, obligans ex authoritate Superioris.

Quæſt. III. *An Lex omnis neceſſariò obliget?*

Reſp. Affirm. Ex commun. Prob. 1. ex S. Hieron. ſuprà cit. & ex S. Auguſt. lib. de ſancta Virginit. cap. 14. *Præcepto quiſquis non obtemperat, reus eſt & debitor pœnæ.* 2. Quia Lex ac Præceptum eſt uſus & applicatio juris, quod habet Superior ad obligandum ſubditos. Item, eſt ordinatio Superioris habentis poteſtatem & voluntatem efficacem obligandi, eamque ſubditis declarantis: at voluntas efficax ſuppoſita poteſtate inducit effectum. 3. Lex divina naturalis & poſitiva præcipit, ut juſtis Superiorum præceptis obtemperemus. Quare violatio cujuſvis præcepti etiam humani, eſt tranſgreſſio Legis divinæ, ideoque offenſa DEI, & peccatum.

Obj. Datur Lex permiſſiva, ex L. 7. *ff. de Legib.* ibi: *Legis virtus hæc eſt, imperare, vetare, permittere, punire.*

Reſp. Lex permiſſiva obligat alios ad non impediendum id, quod permittitur.

Quæſt. IV. *Quomodo dividitur Lex?*

Reſp. Dividitur in divinam, quæ à DEO: & humanam, quæ ab homine ſancita eſt. Lex divina ſubdividitur in æternam, naturalem, & poſitivam. Poſitiva in veterem, & novam. Vetus eſt ea, quam DEUS dedit Moyſi per Angelum, & per Moyſen Iſraëlitis. Nova eſt ea, quæ à Chriſto lata fuit omnibus hominibus, & per Apoſtolos promulgata. Lex humana ſubdividitur in Eccleſiaſticam, quæ ſcilicet fertur poteſtate Eccleſiaſtica, & ſpirituali: ùt Papæ, Concilii, Epiſcopi: & in Civilem, quæ fertur poteſtate ſæculari: ùt Regis, Principis, &c.

SECTIO II.

De Lege Divina

Quæſt. I. *Quid eſt Lex æterna?*

Reſp. LEx æterna latè ſumpta, eſt ſumma ratio, qua DEUS omnia regit & gubernat: ſtrictè ſumpta, eſt ordinatio & voluntas DEI, qua DEUS ab æterno ſtatuit, ut à creatura intellectuali fierent ea, quæ ex natura rei neceſſaria ſunt ad vivendum decenter, ac cõformiter naturæ ſuæ intellectuali: & omitterentur ea, quæ naturam intellectualem dedecent, ex S. Auguſt. l. 22. contra Fauſtum cap. 27. dicente: *Lex æterna eſt ratio divina, vel voluntas DEI, ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans.* Hinc non differt à lege naturali, niſi quòd hæc ſuperaddat promulgationem factam in tempore per lumen naturale. Lex enim naturalis nil aliud eſt, quàm Lex æterna ſtrictè ſumpta, naturæ rationali per lumen naturale intimata, habitualiter quidem per rectam rationem, actualiter verò per dictamina rectæ rationis.

Quæſt. II. *Quid eſt Lex naturalis?*

Reſp. Eſt Lex divina, creaturæ rationali impreſſa, præcipiens, quidquid ex natura rei neceſſarium eſt ad vivendum decenter, ac conformiter naturæ rationali ùt rationali: & prohibens, quidquid ex natura rei dedecet naturam rationalem ùt rationalem: atque etiam ſtatuens ea, quæ ex ſe neceſſaria ſunt ad valorem actuum.

Hanc obligare ſub mortali in re gravi, fide conſtat ex Roman. 1. *Qui talia agunt* (contra Legem naturalem) *digni ſunt morte.* Et cap. 2. *Quicunque ſine Lege* (ſcripta) *peccaverunt, ſine Lege peribunt*, propter peccata ſcilicet contra Legem naturalem commiſſa. Enimverò Legem naturalem violans in re gravi, offendit graviter DEUM, quem non poteſt invincibiliter ignorare eſſe illius Authorem.

Porro Chriſtus explicuit & ſancivit præcepta moralia Legis naturalis, eorumque omnium obſervationem præcepit. Quare Lex omnis naturalis eſt etiam Evangelica quoad materiam, ſeu rem præceptam, & vetitam. *Quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque juſta, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua virtus, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate*, ut agatis. Phil. 4. ubi Apoſt. commendat obſervationem eorum omnium, quæ Lex naturalis ac divina præcipit & conſulit.

Quæſt. III. *An Lex naturalis præcipit, ut ſemper fiant actus honeſti ac boni?*

Reſp. Affirm. Quia Lex naturalis præcipit, ut homo ſemper vivat decenter, ſeu agat modo conſentaneo naturæ ſuæ rationali, qua rationalis eſt: & ſic præcipit homini id omne, quod neceſſarium eſt ad vivendum ſeu agendum ſemper honeſtè, ac decenter naturæ rationali ùt rationali: *Omnia honeſtè & ſecundùm ordinem fiant*, 1. ad Cor. 14. At ad ſemper agendum honeſtè ac decenter naturæ rationali qua rationali, neceſſe eſt, ut omnis ejus actus deliberatus, ſit conſentaneus naturæ rationali qua rationali, ideoque honeſtus.

Ut autem actus ſit honeſtus ac bonus, neceſſe eſt, ut ſit de objecto bono, vel indifferenti, ſed conducibili ad bonum finem: ut fiat modo convenienti, & in circumſtantiis objecto debitis: & propter finem honeſtum. Nam ſi unum ex iis deſit, actus non eſt bonus, ſed malus; tunc enim non tendit decenter ac convenienter naturæ rationali in objectum, finem, & circumſtantias actui debitas: & ſic non convenit, ſed diſconvenit naturæ rationali ſeu intellectuali, nec à recta ratione approbatur, ſed improbatur: quippe recta ratio dictat, eum ſolum actum eſſe bonum & laudabilem, qui habet objectum legitimum, finem honeſtum, & circumſtantias objecto debitas. Hinc illud axioma Theologicum: *Bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu.*

Quæſt. IV. *An Lex naturalis poteſt mutari?*

Reſp. 1. *Ex communi ſententia*, non poteſt mutari propriè. Quia Lex mutatur propriè, cùm deſinit, aut fit inhoneſta, noxia vel inutilis, aut abrogatur à Superiore, vel contraria conſuetudine præſcribitur. At Lex naturalis neque poteſt deſinere; cùm ſit neceſſaria, & lata in perpetuum: neque fieri inhoneſta, noxia vel inutilis; cùm nil præcipiat, niſi bonum ac honeſtum, & ex natura rei neceſſarium: & nil vetet, niſi id, quod eſt per ſe malum ac inhoneſtum: neque poteſt abrogari à Superiore, nempe DEO; DEUS enim non poteſt non præcipere ſemper creaturæ rationali id omne, quod ex natura rei neceſſarium eſt ad vivendum honeſtè, & decenter naturæ ſuæ: nec poteſt non prohibere id omne, quod ex natura rei illam dedecet; nam non poteſt creaturam rationalem non regere ſapienter & ordinatè, & modo ſuæ ſanctitati conſentaneo, ideoque decenter ac conformiter naturæ rationali. Quare Lex naturalis, ſuppoſita creatura intellectuali, eſt abſolutè neceſſaria. Denique non poteſt contraria conſuetudine præſcribi; nam ſi non poteſt abrogari à DEO, multò minùs poteſt ab hominibus.

Reſp. 2. Lex naturalis poteſt mutari impropriè: quarenus nempe poteſt fieri mutatio in circumſtantiis materiæ illius. Nam DEUS poteſt materiæ Legis naturalis apponere vel tollere conditiones ac circumſtantias quasdam, quibus poſitis aut ſublatis, actiones jam non ſunt Lege naturali prohibitæ vel præceptæ, & per quas mutatur materia.

Nota. Aliquid eſt de jure naturali permiſſivè vel præceptivè. Illud eſt de jure naturali permiſſivè, quod Lex naturalis nec præcipit, nec vetat, nec irritat: ſed permittit fieri, vel aliter de eo ſtatui. Illud eſt de jure naturali præceptivè, quod præcipitur vel prohibetur jure naturali, ac proinde cujus oppoſitum à nemine ſtatui poteſt.

Quæſt. V. *An ſaltem DEUS poteſt diſpenſare in aliquo præcepto Legis naturalis?*

Reſp. 1. *Ex communi ſententia* non poteſt diſpenſare directè & propriè. Quia diſpenſare propriè in Lege, eſt liberare aliquem ab obligatione Legis, manentibus omnibus circumſtantiis, ſub quibus Lex viget & obligat. At DEUS non poteſt abſolutè hoc facere in Lege naturali. Ergo. *Prob. min.* Nam DEUM liberare aliquem ab obligatione Legis naturalis, manentibus omnibus circumſtantiis, ſub quibus illa per ſe obligat, eſt DEUM concedere alicui, ut agat aliquid jure naturali vetitum, vel omittat aliquid hoc jure præceptum, manentibus omnibus circumſtantiis, in quibus id jure naturali prohibetur, vel præcipitur: ac proinde ut agat id, quod eſt intrinſecè malum ac inhoneſtum, vel omittat id, quod tunc ex natura

rei

rei necessarium est ad honestatem morum, & cujus omissio dedecet naturam rationalem. At DEUS non potest absolutè hoc concedere; nam hæc concessio repugnat sanctitati ac sapientiæ divinæ, & decenti ac ordinatæ gubernationi creaturæ intellectualis.

Obj. 1. DEUS reipsa dispensavit in variis Legis naturalis præceptis. Nam 1. Dispensavit cum Abrahamo in homicidio, præcipiendo, ut filium innocentem occideret. 2. Cum Patriarchis in Polygamia. 3. Cum Judæis in furto, nempe ut retinerent vasa Ægyptiorum, ipsis commodata. 4. Cum Judæis in dissolutione matrimonii per libellum repudii. 5. Cum iisdem in usura. 6. Cum Osea, ut fornicaretur. 7. Cum Machabæis, ut pugnarent die Sabbati. Ergo.

Resp. Neg. ant. Et ejus probationem. Nam DEUS non præcepit, nec permisit has actiones manentibus omnibus circumstantiis, sub quibus Lege naturali prohibitæ sunt: sed solùm mutavit conditiones ac circumstatias materiæ Legis naturalis, sub qua mutatione actiones illæ non sunt Lege naturali prohibitæ. Itaque

Ad 1. *Resp.* DEUS, ùt Supremus vitæ ac necis omnium Dominus, dedit Abrahamo jus in vitam filii innocentis, ut illum sibi immolaret. Occisio autem innocentis, facta authoritate & jussu DEI, non est injusta, nec vetita Lege naturali: nec proinde homicidium, sed est justa & consentanea juri divino naturali.

Ad 2. *Resp.* Uxorum pluralitas non est contra jus naturale, posita concessione divina. Nam non repugnat absolutè fini primario conjugii, qui est prolis susceptio & educatio: sed tantùm adversatur societati & paci familiæ, & difficiliorem reddit bonam liberorum educationem: quibus incommodis DEUS facilè auxiliis gratiæ prospicere potest. Polygamia quidem ponit inæqualitatem juris ac dominii corporum: sed hanc injustitiam tollit seu impedit DEUS, mariti corporis dominium in plures uxores dividendo: quibus proinde jam non fit injuria; cùm DEUS sit Supremus omnium creaturarum, & jurium illarum Dominus.

Porro DEUS uxorum pluralitatem Patriarchis concessit, ad majorem fidelis populi ex quo Christus nasciturus, & verus DEI cultus in cæteras gentes propagandus erat, multiplicationem.

Ad 3. *Resp.* DEUS tanquam Supremus rerum omnium Dominus, Ægyptiorum vasa Israëlitis donavit, ita ut Ægytii jam desinerent esse illorum domini: & sic Israëlitæ non abstulerunt, nec retinuerunt rem alienam, sed suam factam per donationem DEI, nec proinde furti rei fuêre. DEUS autem dominium rerum Ægyptiorum in Israëtas transtulit, tum ut summam Ægyptiorum in Israëlitas crudelitatem puniret, tum etiam, ut Israëlitis debitam redderet laborum suorum, mercedem, qua fraudati erant ab Ægyptiis.

Ad 4. *Resp.* Matrimonium dissolvi potest authoritate DEI ùt authoris naturæ, & supremi omnium jurium creaturarum Domini. Repudium autem permittendo, hoc ipso irritavit seu dissolvit prioris matrimonii vinculum, quo dissoluto, vir & prior uxor poterant aliud matrimonium contrahere. Lex enim naturalis prohibet duntaxat secundum matrimonium, quamdiu prioris vinculum manet.

Ad 5. Tradetur responsio, ubi de usura agetur.

Ad 6. *Resp.* Cum SS. Augustino & Hieronymo. DEUS non jussit Oseæ, ut fornicaretur, sed ut mulierem, quæ priùs fornicaria erat, duceret uxorem, & ad eam affectu maritali accederet. Illa autem mulier vocatur adhuc post matrimonium fornicaria, quia talis ante illud fuerat: & filii ejus filii fornicationum appellantur, quia nati erant ex matre, quæ fuit fornicaria.

Ad 7. *Resp.* Præceptum de Sabbato non est de jure naturali quoad determinationem temporis. Præterea in facto Machabæorum non intervenit propriè dispensatio, sed solùm interpretatio Legis. Nam illa Lex non prohibebat opus ad humanam salutem necessarium, ùt probat Christus Matth. 12. nec proinde actum pugnandi contra hostes, præsertim infideles.

Obj. 2. Papa per authoritatem à DEO acceptam dispensat. 1. In actuali residentia Episcoporum in suis Diœcesibus. 2. In votis & juramentis. 3. In matrimonio rato non consummato: quæ tamen omnia sunt de jure naturali.

Ad 1. *Resp.* Papa non eximit Episcopos ab obligatione residentiæ actualis in iis circumstantiis, in quibus ad eam Lege naturali tenentur: sed solùm cum authoritate declarat, Episcopos in his aut illis circumstantiis posse legitimè à suis sedibus abesse.

Ad 2. *Resp.* Papa non tollit obligationem voti & juramenti, manente ipso voto & juramento: sed tanquam Vicarius DEI, & ejus nomine, remittit promissionem DEO factam, & juramentum: qua remissione facta, hoc ipso cessat obligatio præstandi promissum. Nam Lex naturalis non præcipit reddi promissum, relaxata promissione. Promissio autem DEO facta relaxari potest à DEO non solùm immediatè, sed etiam mediatè, nempe per suum Vicarium & Oeconomum.

Ad 3. *Resp.* Papa dispensat in matrimonio rato non consummato, nomine DEI, vinculum conjugale tollendo, & rescindendo matrimonii contractum. Lex autem naturalis non obligat, nisi ad servandum matrimonium non dissolutum: nec vetat illud dissolvi ex gravissima causa per supremam potestatem acceptam à DEO, qui ùt naturæ Author, & rerum ac jurium omniũ Dominus, potest pro libito vinculum matrimonii dissolvere & quemlibet contractum rescindere sive per se, sive per alium. DEUS tamen nemini concessit potestatem dissolvendi matrimonii consummati baptizatorum.

Igitur in his omnibus Summus Pontifex non dispensat propriè in Lege naturali, Legis naturalis obligationem directè tollendo, materia ejus secundùm omnes suas conditiones remanente: sed impropriè tantùm dispensat, tollendo aliquam conditionem seu circumstantiam se tenentem ex parte materiæ, aut actum fundantem obligationem annullando: quod facere potest ùt DEI Vicarius, Oeconomus, & Supremus Ecclesiæ Pastor à DEO constitutus.

Resp. 2. DEUS potest dispensare impropriè in iis Legis naturalis præceptis, quorum materia pendet à Dominio DEI: quatenus potest materiæ Legis apponere vel tollere conditiones ac circumstantias quasdam, quibus positis aut sublatis, actiones jam non sunt Lege naturali prohibitæ vel præceptæ. Sic DEUS, ùt Supremus rerum ac jurium omnium creaturarum Dominus, potest alicui tribuere jus usurpandi bona aliena, occidendi innocentem, &c. Quo jure dato, acceptio boni alieni non est injusta, imò non est acceptio alieni, sed boni, quod fuit alienum, & jam per donationem DEI factum est proprium accipientis: occisio innocentis est justa; cùm fiat authoritate accepta à DEO, qui potest pro libito disponere de vita hominum, &c. In iis verò præceptis, quorum materia non pender à Dominio DEI, ne impropriè quidem dispensare potest; nam sunt quidam actus ita intrinsecè mali, ut in nulla circumstantia fieri possint liciti: cujusmodi sunt odium DEI, blasphemia, idololatria, hæresis, perjurium &c.

Quæst. VI. *Quid est Lex positiva?*

Resp. Lex positiva in genere est ea, quæ liberè à Legislatore lata est, & aliter promulgata, quàm per lumen naturale: videlicet aliquo signo externo, putà voce, vel scripto. Alia est merè positiva: quæ scilicet statuit aliquid, quod non est sic statutum jure naturali, sed quod jus naturale permittit sic statui: ùt lex vetans comestionem certarum rerum. Alia est etiam naturalis ex parte materiæ: quæ scilicet statuit aliquid, quod jam sic Lege naturali statutum est: qualia sunt omnia præcepta Decalogi, excepta determinatione Sabbati.

Lex verò divina positiva est ea, quæ à DEO liberè lata est & aliter promulgata, quàm per lumen naturale. Tales sunt Lex Vetus, & Lex Evangelica, quæ sunt etiam Lex naturalis ex parte materiæ: quoad præcepta scilicet moralia: & merè positiva, quoad cætera præcepta.

SE-

SECTIO III.

De Lege Humana.

Nota. Jus gentium est jus ab omnibus aut ferè omnibus gentibus, usu & consuetudine vim Legis habente introductum. Sive est jus non scriptum, quod libero omnium aut ferè omnium nationum consensu & usu receptum, vim obligandi habet. Sic ad jus gentium spectant divisio & proprietas bonorum, &c. Quare jus gentium est quædam Lex humana virtualiter & æquivalenter.

CAPUT I.

De causa efficiente, & materia Legis humanæ.

Quæst. I. *Quinam possunt ferre Leges, & quibus?*

Resp. 1. LEges Ecclesiasticas ferre possunt 1. Papa pro tota Ecclesia, ex Joan. 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* 2. Concilium Generale, etiam Pro tota Ecclesia. Nationale pro tota Natione. Provinciale pro sua Provincia. 3. Legatus Apostolicus pro sua Provincia. 4. Episcopus pro sua Diœcesi, licèt non consecratus, modò sit confirmatus. Archiepiscopi autem, Primates & Patriarchæ extra Concilium possunt pro sua tantùm Diœcesi. 5. Qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, ùt aliqui Abbates, pro locis sibi subjectis. 6. Ordines Religiosi in Capitulo Generali: non tamen illorum Præpositi Generales, nisi ex speciali & expressa concessione Papæ, quæ ordinariè non datur: neque Ordo feminarum, qui æquè est incapax jurisdictionis Ecclesiasticæ, ac earum singulæ: ideoque non potest ferre leges propriè dictas, sed solùm Statuta Conventionalia, & obligantia vi voti obedientiæ.

Resp. 2. Leges civiles sancire possunt, Imperator pro toto Imperio. Rex & quivis Princeps, ac Respublica Superiorem non agnoscens, pro suis ditionibus.

Ratio generalis est. Quia Episcopi & Principes sæculares præpositi sunt Rectores communitatis perfectæ; ac proinde habent legislativam potestatem, utpote necessariam ad rectè ac convenienter regendam communitatem perfectam; nec enim rectè ac convenienter communitatem perfectam regere possunt, nisi habeant potestatem efficaciter ac stabiliter statuendi ea, quæ ad bonum commune expediunt, & curandi, ut observentur, coërcendo & puniendo improbos ac rebelles, omnesque in officio continendo.

Nota. Qui possunt condere leges, à fortiori possunt ferre præcepta, quæ etiam imponere potest quivis Superior privatus respectu suorum subditorum circa materiam directioni suæ subjectam; nam nemo potest esse Superior sine potestate præcipiendi.

Resp. 3. Nemo potest ferre Leges, nisi suis subditis, & de rebus suo regimini subjectis. Cùm nemo habeat potestatem in non subditos, & circa res suo regimini minimè subjectas. *Potestas spiritualis & sæcularis, utraque deducitur à potestate divina: & ideo in tantum sæcularis potestas est sub spirituali, in quantum est ei à DEO supposita, scilicet in his, quæ ad salutem animæ pertinent. Et ideo in his magis est obediendum potestati spirituali, quàm sæculari. In his autem, quæ ad bonum civile pertinent, est magis obediendum potestati sæculari, quàm spirituali, secundùm illud* Matth. 22. *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari*, ait *S. Thom.* in 2. dist. 44. quæst. 2. art. 4. ad 4.

Hinc 1. Principes merè Ecclesiastici non possunt ferre Leges nisi de rebus spiritualibus, & ad regimē Ecclesiasticū: Sæculares verò nisi de temporalibus, & ad gubernationē politicā pertinentibus. Principes tamen sæculares, *quos DEUS sanctæ fidei Ecclesiæque Protectores esse voluit*, ait Trid. sess. 25. cap. 20. ùt tales possunt & debent fidem, Ecclesiamque tueri, & curare, ut ejus Leges observentur, ùt monet S. Leo ad Leonem Imperat. ep. 75. *Debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & quæ*

bene

bene sunt statuta, defendas, & veram pacem his, quæ sunt turbata, restituas.

2. Imperator non potest ferre Leges pro regionibus, quarum non est Dominus jure Feudi vel alio titulo: & sic regiones illæ non tenentur legibus Justiniani, aut aliis Imperatoriis, nisi eas adoptaverit supremus Princeps, vel consuetudo.

3. Nemo potest ferre leges contrarias legibus sui Superioris. Quia potestas inferioris non prævalet, imò subest potestati Superioris. Sic Episcopus non potest ferre leges contra jus commune, vel legem Papæ.

Quæst. II. *Quid potest statuere Lex humana?*

Resp. 1. Non potest quidquam statuere contra legem divinam sive naturalem, sive merè positivam. Nam potestas humana est subordinata potestati ac voluntati DEI: & inferior non potest derogare juri Superioris: quo spectat illud Act. 5. *Obedire oportet DEO magis, quàm hominibus.*

Resp. 2. Homines possunt multa præcipere, vetare, aut irritare, quæ nec lege naturali, nec positiva Divina præcepta, vel vetita, aut irrita sunt. *Constat* 1. *Ex praxi.* Nam multa legibus humanis statuuntur, quæ lege divina naturali aut positiva sic statuta non sunt: quæque supposita lege humana, obligant ex Lege divina naturali, & positiva, generaliter præcipiente, ut subditi justis Superiorum præceptis obtemperent. 2. Quia Legislator humanus habet potestatem legibus statuendi ea, quæ ad bonum commune expediunt; potestas enim legislativa hominibus concessa, tanta est, quantam postulat bonum commune, propter quod datur; nam (ut ait *S. Thom.* 1. 2. quæst. 95. art. 3.) *Uniuscujusque rei, quæ est propter finem, necesse est, quòd forma determinetur secundùm proportionem ad finem.* At multa ad bonum commune expediunt, quæ nulla lege divina statuta ac determinata sunt. 3. Alioqui non extaret potestas verè legislativa humana, sed tantùm potestas declarativa vel determinativa juris divini.

Resp. 3. Legislator humanus non potest omnibus quoslibet virtutum actus etiam heroicos præcipere, nisi bonum commune aliquem ejusmodi actum exigeret. Quia Lex humana debet esse accommodata hominum conditioni, & verè moraliter possibilis toti communitati, aut saltem majori parti illius. At exercere quoslibet actus virtutum non est hujusmodi; hoc enim paucorum est ac perfectorum. Ergo. *Major constat.* Nam Lex humana debet esse utilis bono communi, ad quod ordinatur: at non erit talis, si non sit accommodata hominum conditioni, & moraliter possibilis majori saltem parti communitatis; nam lex moraliter impossibilis à paucis observaretur, ac proinde esset in ruinam majori parti eam transgredienti: sicque posita hac lege, major pars subditorum pejor evaderet.

Hoc tamen non debet intelligi de legibus, quæ possunt ferri ex aliqua hypothesi voluntaria; sic enim Ecclesia præcipit castitatem perpetuam iis, qui sacros Ordines suscipere volunt. Sic etiam ex hypothesi delicti gravis imponi possunt graves pœnæ. Item, nec de Regulis Religiosorum ex amore perfectionis sponte susceptis.

Resp. 4. Legislator humanus potest omnibus præcipere actus illos virtutum, qui ad bonum commune expediunt, & ordinariæ facultati communitatis accommodati sunt; & potest prohibere illos actus vitiorum, qui bono communi noxii sunt, & cum morali utilitate Reip. coërceri ac puniri possunt. Nam potestas ferendi leges hominibus data, tantam habet latitudinem, quantam postulat bonum commune, propter quod datur; finis enim est mensura eorum, quæ sunt & requiruntur ad finem. Cùm autem non sit idem finis potestatis Ecclesiasticæ & civilis, unaquæque potest solùm præcipere actus virtutum illarum, quæ suo fini accomodatæ sunt. Proximus quippe Ecclesiasticæ potestatis finis est cultus divinus & felicitas æterna: Civilis verò potestatis proximus finis est publica tranquillitas & temporalis felicitas populorum: quamvis ejus finis ultimus sit gloria DEI & æterna hominum felicitas; nam omne regimen ad DEI gloriam & æternam hominum salutem referri debet.

Resp.

Resp. 5. Superior habet potestatem obligandi subditos in omni casu, in quo judicat se posse obligare, quamdiu non est evidens eum falli, sic judicando. Nam bonum commune & recta gubernatio postulat, ut hanc potestatem habeat. Alioqui magna daretur subditis licentia Superiorum jussa abnuendi: quod multùm obesset rectæ eorum gubernationi, & bono communi.

Quæst. III. *An Lex humana possit præcipere actus internos?*

Resp. 1. Lex humana potest præcipere actus internos necessarios, ut actus externi sint in tali specie morali, putà contractus, juramenti, Sacramenti, orationis, &c. *Ita communiter.* Quia 1. Ecclesia habet potestatem præcipiendi actus externos, qui necessarii sunt, aut valde expediunt ad rectam gubernationem, bonum commune Ecclesiæ, & cultum DEI convenientem. At actus externi, in tali specie morali constituti, tales sunt. Ergo Ecclesia potest ejusmodi actus externos præcipere. Ergo potest etiam præcipere actus internos necessarios, ut illi actus externi sint in tali specie; nam qui potest præcipere aliquid, potest etiam præcipere id omne, sine quo illud esse nequit: alioqui non haberet veram & efficacem potestatem illud præcipiendi. 2. Ecclesia potest præcipere Sacerdoti, ut verè sacrificet, baptizet, &c. Fidelibus, ut verè orent, contrahant, jurent, voveant, &c. Nam hi actus sunt necessarii, vel valdè expediunt ad bonum commune Ecclesiæ, cultumque Religionis in ea debitum. Ergo Ecclesia potest præcipere intentionem sacrificandi, laudandi DEUM, orandi, se obligandi, jurandi, &c. cùm sine hac intentione tales actus fieri nequeant.

3. Reipsa Ecclesia præcipit Confessionem sacramentalem validam, ac proinde etiam dolorem internum ad illam requisitum; nam Alexander VII. damnavit hanc propositionem 14. *Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Item Ecclesia præcipit promovendis ad beneficia & gradus Theologicos, ut jurent, se sincero animo damnare quinque famosas Propositiones in sensu doctrinæ Jansenii: cui præcepto non satisfit, nisi interius credant, has propositiones hæreticas contineri quoad sensum in libro Jansenii, ùt declaravit Clemens XI. in Bulla *Vineam Domini Sabaoth* recepta ab Ecclesia.

Resp. 2. Ecclesia potest præcipere actus internos necessarios, ut actus externi sint boni ac honesti. Quia 1. Ecclesia habet potestatem præcipiendi actus externos honestos. Nam hæc potestas multùm expedit, imò necessaria est ad rectam Ecclesiæ gubernationem, ad cultum Religionis in Ecclesia debitum, & ad bonum animarum. Ergo potest etiam præcipere actus internos ad honestatem necessarios: præsertim cùm Ecclesiæ potestas sit spiritualis, & immediatè ordinata ad salutem animarum; nam sine hac potestate inanis ac nulla esset prior potestas. 2. Reipsa Ecclesia præcipit actus externos ùt honestos: sic præcipit Communionem Paschalem honestam ac religiosam; nam Innocentius XI. damnavit hanc propositionem 55. *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Item præcipit Beneficiatis, ut Officium *studiosè & devotè* celebrent, cap. *Dolentes. de celebrat.* & Fidelibus auditionem Sacri religiosam, & cum attentione interna: unde oppositum damnavit Clerus Gallicanus anno 1700. Ecclesia autem dici non potest sibi attribuere potestatem aliquam, quam reipsa à Christo non acceperit; cùm semper regatur à Spiritu Sancto, & sit *columna & firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3.

Resp. 3. Ecclesia potest præcipere actus internos necessarios, ut actus externi sint talis honestatis seu virtutis. Quia 1. Ecclesia potest præcipere actus internos necessarios, ut actus externi sint honesti ac boni: Ergo etiam, ut sint honesti tali honestate speciali. Quidni enim hoc æquè posset ac illud; cùm utrumque ad cultum Religionis conducat, & communi Ecclesiæ bono expedire possit? 2. Ecclesia potest præcipere non solùm ut actus externus rectè fiat, sed etiam, ut fiat propter talem finem bonum: sic in gravi necessitate vel periculo communi,

ni, Episcopi jejunia & preces Fidelibus interdum præcipiunt ad avertendam calamitatem publicam, obtinendam pacem, &c. Nec satisfacit tali præcepto, qui jejunat vel orat ob alium finem licèt bonum; cùm non faciat id totum, quod præcipitur. 3. Reipsa Ecclesia prohibet, ne actus externi fiant aut omittantur propter talem finem malum: ùt patet ex *Clementina* 1. *de statu Monach.* ubi excommunicatur Monachus Benedictinus, qui sine licentia Prælati se confert ad Curiam animo acusandi Prælatum. Et ex *Clement.* 1. *de Hæret.* ubi excommunicantur Inquisitores, qui ex odio, vel amicitia, vel lucri cupiditate omittunt contra justitiam & conscientiam procedere contra aliquem in causa Fidei. Ergo Ecclesia vetare potest, ne actus aliqui fiant ex tali fine, ideoque sint inhonesti speciali inhonestate. Ergo etiam potest præcipere, ut actus externi fiant ex tali fine honesto, ideoque sint honesti tali specie honestatis; nam actus boni sumunt speciem à fine. Ergo Ecclesia potest præcipere actus internos necessarios, ut actus externi sint honesti in tali specie honestatis seu virtutis.

Porro actus internus ad talem honestatem actus externi necessarius, quantùm ad positionem vel omissionem sui, potest sufficienter innotescere per positionem vel omissionem actus externi, ad cujus honestatem requiritur; quia cum actu externo unum eumdemque actum totalem constituit, ac proinde posito actu externo in talibus circumstantiis internus rationabiliter præsumitur poni, nisi sufficientia ad contrarium judicandum adsint indicia: omisso autem actu externo, internum omitti certò cognoscitur; ideoque talis actus internus est sufficienter proportionatus legi humanæ etiam coactivæ.

Quæst. IV. *An Ecclesia potest præcipere vel prohibere actus merè internos?*

Resp. 1. *Communis sententia* negat: sed asserunt Glossa in cap. *Cogitationis.* dist. 1. *de pœnit. Adrian. Major, Julius Clarus, Rosella, Albertin. Medina, Cardenas, la Croix,* &c. Et *probant* 1. ex Matth. 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo, &c.* quæ verba generalia sunt, & significant, amplissimam potestatem à Christo Ecclesiæ concessam: quæ proinde limitari non debet ad actus externos. 2. Quia potestas Ecclesiæ est spiritualis, & ordinatur immediatè ad salutem animarum, quæ pendet maximè ab actibus internis. Ergo extenditur etiam ad actus merè internos; cùm sint materia proportionata fini potestatis Ecclesiasticæ; nam finis cujuslibet potestatis, est mensura illius. 3. Ecclesia præcipit directè & immediatè actus internos. Sic. cap. ult. *de hæret. in* 6. Papa præcipit Inquisitoribus, ut puram & providam intentionem habeant. 4. Reipsa Conc. Trident. sess. 6. in proœmio prohibet, ne aliter credatur, quàm suo decreto statuitur. Ergo dissensus merè internus, non solùm præcepto divino, sed etiam Ecclesiastico prohibetur. 5. Urbanus VIII. mandavit in omnibus & per omnia servari ab omnibus Rubricas Missalis Romani, inter quas una præscribit, ut Sacerdos *aliquantulum quiescat in meditatione Sanctissimi Sacramenti:* quæ certè meditatio est actus merè internus. 6. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem 66. Michaelis de Molinos: *Risu digna est doctrina quædam nova in Ecclesia DEI, animam quoad interna gubernari debere per Episcopos . . . Quia Ecclesia non judicat de occultis.*

Nec obstat, inquiunt, illud cap. *Sicut* 2. *de Simon. Ecclesia non judicat de occultis.* Et cap. *Tua nos.* eod. tit. *Nobis datum est de manifestis tantummodo judicare.* Quia ad præcipiendum & obligandum in conscientia, non necesse est, ut Superior possit cognoscere transgressionem factam: sed sufficit, ut revera velit obligare, seu præcipere; nam hoc ipso culpæ & pœnæ reatus contrahitur apud DEUM, qui vindex est violationis legum humanarum. Neque, inquiunt, inutilis est hæc potestas circa actus merè internos. Nam ut potestas præcipiendi sit utilis & efficax, sufficit, quòd possit obligare in conscientia, & sub culpa à DEO puniendâ; hæc enim obligatio satis per se urget implectionem præcepti: ùt patet in lege naturali.

Imò sunt, qui putant, Ecclesiam punire

posse

posse pœna ipso facto lata actus merè internos, v. gr. hæresim merè internam, sicut punit occultam; quia ad hoc non requiritur cognitio transgressionis.

Ad authoritatem & rationem S. Thomæ respondent: Homo quidem non potest de actibus merè internis ferre legem *coactivam* coactione externa, hoc est, obligantem sub pœna per hominis sententiam ferenda; quia talis lex requirit, ut homo per se possit cognoscere, *judicare*, *punire*: quod præstare non posset, si materia legis esset actus merè internus, utpote prorsus occultus. Sed, inquiunt, potest homo ferre legem obligantem tantùm sub culpa à DEO punienda, vel etiam sub pœna ipso facto contrahēda circa ea, quæ non potest cognoscere, nec per se punire; quia lex illa per seipsam sufficienter cogit & punit transgressorem, & per se operatur omnem effectum, quem habere potest, & qui intenditur à Legislatore.

Quæst. V. *An Lex ponit rem præceptam in ea virtute, ex cujus motivo, etiam extrinseco præcipitur?*

Resp. Affirm. Ita Delugo, Cardenas, & alii communissimè. Quia 1. Omnis actus specificatur à fine etiam extrinseco, propter quem fit. Sic actus, quo quis furatur, ut se inebriet, est in se species furti & ebrietatis: & furans ex hoc fine, magis est intemperans, quàm fur: ùt docent *Aristoteles* & *S. Thomas*. Ergo lex pariter specificatur à fine etiam extrinseco, sicut omnis electio medii specificatur à fine intento; nam lex æquè finem extrinsecum intendit, & actionem aliquam præcipit, vel vetat tanquam medium ad illum finem. 2. Permutatio beneficiorum ex propria authoritate, non est de se mala contra Religionis virtutem, sed solùm, quia prohibetur ab Ecclesia ex motivo Religionis & reverentiæ erga res sacras. Item sumptio cibi vel potus levissimi ante Communionem est sacrilega, ob prohibitionem Ecclesiæ factam ex motivo reverentiæ erga Eucharistiam.

Ut autem præceptum obliget subditum ex illa virtute, ex cujus motivo materiæ extrinseco imponitur, requiritur. 1. Ut Superior declaret, se ex illo motivo præcipere, si non sit aliunde notum: alioqui actus non præsumitur præcipi nisi ex motivo suo intrinseco, v. gr. jejunium ex motivo temperantiæ. 2. Ut velit obligare ad illam virtutem, & rem præceptam facere materiam ejus necessariam; quamvis enim Ecclesia præcipiat jejunium in vigilia Nativitatis Christi, v. gr. non solùm ex motivo intrinseco temperantiæ, sed etiam ex motivo extrinseco Religionis, nempe ad honorem Christi, quia tamen obligationem Religionis nobis non imponit, qui isto die non jejunat, peccat solùm contra temperantiam.

Quæst. VI. *An, qui violat Legem humanam de actu virtutis alicujus, v. gr. Religionis, peccat solùm contra obedientiam?*

Resp. Peccat etiam contra virtutem illam, cujus actus præcipitur. Quia obligatur ad actum virtutis, qui præcipitur; cùm præceptum humanum obliget in conscientia. Hinc qui Sacrum omittit die festo: non abstinet à carnibus feria sexta, peccat contra Religionem & temperantiam: & tenetur hæc peccata specie diversa exprimere in Confessione: nec satisfaceret dicendo, se bis peccasse contra præceptum Ecclesiæ.

CAPUT II.

De obligatione Legis humanæ.

Quæst. I. *An Principes Ecclesiastici, & Sæculares possint etiam Fidelibus ferre Leges obligatorias in conscientia, ita ut earum transgressio sit offensa DEI, etiam mortalis in re gravi?*

Resp. *Affirm.* Fide constat. *Prob.* 1. Ex 1. Petr. 2. *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter DEUM: sive Regi, sive Ducibus ... quia sic est voluntas DEI.* Et Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi à DEO: quæ autem sunt, à DEO ordinatæ sunt: Itaque qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt ....* *Ideo necessitate subditi estote non solùm pro-*

pter iram, sed etiam propter conscientiam. Ergo qui resistit potestati civili transgrediendo ejus legem, resistit DEO, & acquirit sibi damnationem etiam æternam à DEO, ùt explicant Patres, & patet ex his verbis: *Ideo subditi estote propter conscientiam.* Ergo Principes Sæculares possunt ferre leges, quarum transgressio sit mortalis culpa.

Idem à fortiori possunt Principes Ecclesiastici; cùm potestas Ecclesiastica sit spiritualis, & altioris ordinis: & *constat* adhuc, 1. Pro Summo Pontifice; nam Christus dixit Petro, & Successoribus ejus, Joan. 21. *Pasce agnos meos. Pasce oves meas.* Et Matth. 16. *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis.* 2. Pro Episcopis; nam Christus dixit reliquis Apostolis, & eorum Successoribus Episcopis, Matth. 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo.* Et Luc. 10. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Et Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris.* Item ex Trident. sess. 7. can. 8. & sess. 25. de delectu ciborum: & ex cap. *Violatores.* 25. q. 1. & sequentibus. Hoc etiam constat ex traditione, & perpetuo sensu ac usu Ecclesiæ & Fidelium. Sic, Act. 15. Apostoli, statuendo Legem etiam merè positivam, qualis est Lex abstinendi à sanguine & suffocato, dicunt: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Et de Paulo dicitur: *Perambulabat... confirmans Ecclesias, præcipiens custodire præcepta Apostolorum & Seniorum.*

Prob. 2. Quia Lex naturalis præscribit, & recta ratio dictat, subditos teneri Superiorum præceptis parere; nam esse Superiorem, est potestatem ac authoritatem habere in alios, qui tanquam subditi debeant illi parere.

Prob. 3. Qui violat jus alterius in re gravi, hoc ipso DEUM graviter offendit; nam DEUS vult ac jubet, ut suum cuique tribuatur: & graviter vetat, ne graviter violetur jus alterius; cùm violare jus alterius sit intrinsecè malum, ideoque prohibitum Lege divina naturali. At violans præceptum Legislatoris in re gravi, violat graviter jus illius: nempe jus, quod habet, exigendi per legem suam aliquid grave, & quo reipsa illud graviter exigit. Ergo. Addo, quòd potestas obligandi in conscientia sub mortali, sit necessaria ad rectam gubernationem & efficaciam legum; alioquin innumeræ essent transgressiones occultæ: nec finis Legis satis obtineri posset.

Nota. Obligare in conscientia, est imponere necessitatem agendi vel omittendi aliquid ad vitandam culpam & offensam DEI. Obligatio verò in conscientia est talis necessitas.

Obj. 1. Multos Scripturæ textus.

1. Illud Matth. 15. *Sine causa colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.*

Resp. Ibi Christus damnat, non præcepta hominum justa & legitima, sed injusta, & contraria Legi divinæ, vel etiam inutilia, quæ Pharisæi anteponebant Legibus divinis.

Porro cùm dicitur Deuteron. 4. *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor*: Supple, aliquid tanquam præceptum divinum, immediatè à DEO latum. Cùm autem DEUS Deuteron. 12. dicit: *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino*: loquitur de præceptis cæremonialibus, & prohibet Judæis, ne ad illa addant aliquid, præsertim ex ritibus Gentilium.

2. Illud. 2. Cor. 3. *Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas.*

Resp. Per libertatem intelligitur immunitas à servitute peccati, à timore serviliter servili, &c. Cùm autem dicitur Rom. 6. *Non enim sub lege estis, sed sub gratia.* Et Gal. 5. *Si spiritu ducimini, non estis sub lege*; hæc verba: *Non estis sub lege*, significant: Non servitis, nec obeditis concupiscentiæ, sed illi imperatis. In aliquibus aliis locis, per legem intelligitur lex Mosaica, quæ per Evangelicam abrogata est, & à qua omnes sunt liberi.

3. Illud 1. Tim. 1. *Lex justo non est posita, sed injustis, &c.*

Resp. Sensus est: Lex non est posita justo ad illum pœnis coërcendum & terrendum; quia justus libenter & ex amore justitiæ legem observat. Quare lex justo imposita est ad illum dirigendum: lex quippe plura officia & effectus habet.

4. Il-

4. Illud Jac. 4. *Unus est Legislator & Judex*, nempe DEUS.

Resp. Sensus est, unum esse Legislatorem supremum & principalem, à quo cæteri suam potestatem accipiunt: sicut Matth. 23. dicitur: *Unus est Pater vester, qui in Cœlis est. Nec vocemini Magistri: quia Magister vester unus est Christus.* Et verò cùm multa ad bonum commune necessaria & utilia sint, quæ jure naturali & positivo divino statuta non sunt, necesse fuit dari à DEO hominibus potestatem illa statuendi, & alia non satis jure divino determinata magis determinandi.

Obj. 2. Præcepta Evangelica sufficiunt. Ergo inutilia sunt præcepta humana.

Resp. Neg. conseq. Nam inter præcepta Evangelica est præceptum parendi legibus Principum Ecclesiasticorum & Sæcularium, atque præceptis legitimis Superiorum: quorum authoritatem commendat, & quibus obedientiam præcipit Christus per se & per Apostolos. Unde ad servandam legem Evangelicam, obtemperandum est legibus ac præceptis humanis.

Obj. 3. Inferior non potest obligare in foro Superioris. Ergo homo non potest obligare in foro conscientiæ, quod est forum DEI.

Resp. Inferior obligare potest *in foro* Superioris, quando potestas inferioris est ab ipso Superiore. Omnis autem potestas est à DEO.

Obj. 4. Principes, præsertim Sæculares, non intendunt obligare sub peccato.

Resp: Hoc saltem virtualiter & implicitè intendunt. Nam hoc ipso, quòd intendunt uti potestate legislativa, quæ à DEO derivatur, sufficienter intendunt obligare sub peccato propter essentialem connexionem usus potestatis à DEO derivatæ, & obligationis sub culpa.

Instabis. Legislator humanus non exprimit obligationem in conscientia, & sæpe de ea non cogitat, ferendo legem. Ergo non obligat in conscientia.

Resp. Neg. conseq. Quia ad obligandum in conscientia non requiritur expressa intentio & mentio obligationis in conscientia: sed sufficit implicita & virtualis, contenta scilicet in præcepto. Nam hoc ipso quòd Superior præcipit aliquid, ad illud sub culpa mortali vel veniali pro gravitate vel levitate rei præceptæ obligat vi legis divinæ generaliter præcipientis observationem omnis legitimi præcepti Superiorum; obligatio enim sub culpa essentialiter annexa est præcepto cuilibet legitimo; quia DEUS vult & jubet, ut legitimis Superiorum præceptis obtemperemus. Quare violando præceptum hominis, violatur etiam illud præceptum divinum generale: quod sane obligat pro capacitate materiæ.

Quæst. II. *Quandonam Lex humana obligat sub mortali culpa?*

Resp. 1. *Ex communi sententia*, ad hoc requiritur materia gravis. Quia 1. Potestas humana est limitata, & commensurata exigentiæ ac capacitati materiæ.

2. Obligare graviter in re ex omni parte levi, est contra rectam rationem, bonum commune, & convenientem gubernationem, & in perniciem animarum, imò est injustum: nulla autem est potestas à DEO data hominibus, nisi ad ædificationem, non in destructionem. 3. Lex divina naturalis & positiva nunquam obligat sub mortali in materia levi sub omni respectu.

Item *secundùm multos*, requiritur intentio Superioris graviter obligandi seu exigendi graviter, hoc est, ex tota sua potestate, id, quod statuit; quia Superior potest in materia gravi obligare tantùm sub veniali. Non tamen requiritur, ut Superior expressè intendat obligare sub mortali: sed satis est, quòd intendat uti sua tota potestate, & graviter exigat aliquid grave, licèt ignoret, quid sit obligatio sub peccato; cùm enim potestas Superioris sit à DEO, & DEUS jubeat, ut subditi ei pareant, posita gravitate præcepti humani, hoc ipso oritur obligatio gravis, adeoque sub mortali.

Resp. 2. Lex obligat sub mortali, quoties materia est gravis, & Legislator absolutè præcipit vel vetat, nec expressè significat, se velle solùm obligare sub veniali. *Ita omnes* ex Clement. 1. *de verb. signif.* Quia tunc

Superior potestate præcipiendi utitur sine limitatione, & secundùm materiæ capacitatem, cui censetur se accommodare: nisi oppositum declaret: & sic imponit præceptum grave, ideoque graviter obligans.

Cæterum ad gravitatem materiæ legis duo requiruntur & sufficiunt. 1. Ut finis proximus legis, seu id, quod proximè intenditur per legem, sit magni momenti. 2. Ut id, quod statuitur, non parum ad illum finem conferat, quamvis sit aliquid in se leve. Sic comestio pomi in Paradiso, licèt de se levis, tamen erat gravis ratione finis à DEO intenti: nempe ut homo suam subjectionem & dependentiam à DEO profiteretur. Sic etiam ingressus viri in Claustrum Monialium est materia gravis; quia ejus omissio multùm confert ad gravia mala avertenda. Quæ legis materia gravis est, quando res præcepta vel prohibita, multùm conducit ad finem proximum legis, qui sit gravis momenti.

Resp. 3. Gravitas materiæ, & intentio Superioris sufficiens ad obligandum sub mortali, cognosci possunt. 1. Ex gravitate verborum, quibus utitur Superior: ùt v. g. cùm præcipit vel vetat aliquid sub interminatione divini judicii, vel in virtute obedientiæ, vel ex tota sua potestate, &c. Nam gravissima verba non adhibentur à Prudenti Superiore, nisi circa materiam gravem, & ad significandam gravem obligationem. Item, dum significat, se velle obligare sub gravi culpa. 2. Ex gravitate pœnæ transgressori bus impositæ: qualis est excommunicatio, pœna mortis, exilii, carceris perpetui, &c. Nam gravis pœna non imponitur justè, nisi pro gravi culpa, quæ supponit gravem obligationem præcepti violati. 3. Ex communi Prudentum judicio, vel ex consuetudine, quæ est *optima legum interpres.* cap. 8. *de Consuet.*

Quæst. III. *An Legislator possit in materia gravi obligare solùm sub veniali?*

Resp. Multi asserunt, & videtur *communis sententia.* Quia 1. Potestas obligandi, quam habet Legislator, est quoad usum in ejus libera voluntate: & sic potest eam applicare, prout voluerit. Ergo potest illam applicare ad obligandum solùm sub veniali: præsertim cùm materia majoris obligationis sit etiam capax minoris, & hoc ad convenientem gubernationem interdum expediat: ne scilicet nimiùm oneretur conscientia subditorum, qui sufficienter ad talis legis observationem inducuntur per obligationem sub veniali. 2. Multæ leges ac constitutiones Religiosorum, ùt Carmelitarum discalceatorum, à SS. Pontificibus approbatæ, obligant solùm sub veniali in rebus gravibus: ùt jejuniis, abstinentiis, &c. 3. Lex divina solùm præcipit, ut pareatur Superiori, quantùm & quatenus præcipit: & ab illa oritur obligatio commensurata voluntati Superioris. Ergo si Superior leviter exigat & præcipiat aliquid, etsi de se grave, inde oritur solùm obligatio levis: & tunc præceptum censetur formaliter leve. 4. Actus liberè agentium non operantur ultra intentionem eorum.

Obj. 1. Legislator humanus non potest in re levi obligare sub mortali culpa. Ergo non potest in re gravi obligare sub veniali.

Resp. Neg. conseq. Quia DEUS non dedit hominibus potestatem obligandi alios, nisi secundùm materiæ capacitatem: alioqui regimen humanum esset nimis durum. At Legislator, cùm habeat potestatem præcipiendi vetandi liberè exercendam, potest illam potestatem applicare ad præcipiendum vel prohibendum rem gravem sub levi culpa: sicut potest illam potestatem nullo modo exercere, nec applicare. Et interdum habere potest justam causam sic applicandi suam potestatem: putà, ne nimiùm gravetur conscientia subditorum, & ne detur occasio graviter peccandi, quando aliunde levis obligatio sufficienter inducit subditos ad servandam legem: ùt constat ex legibus quorundam Religiosorum à Sede Apostolica approbatis.

Obj. 2. Licèt pendeat à Legislatore, ut legem ferat vel non ferat, tamen posito præcepto, vis obligandi derivatur à lege naturali.

Ergo

Ergo vim illam obligandi minuere nequit Legislator.

Resp. Posito præcepto, derivatur quidem à lege naturali vis obligandi, sed proportionata præcepto: quod in hoc casu leve est; cùm Legislator tunc leviter præcipiat.

Quæst. IV. *An leges fundatæ in præsumptione obligant in conscientia?*

Nota. Duplex est præsumptio: altera periculi, seu potentiæ, quæ frequenter ad actum reducitur: & altera facti, qua factum aliquod in particulari præsumitur.

Resp. 1. Lex fundata solùm in præsumptione periculi, semper obligat in conscientia. Quia 1. Leges illæ semper nituntur veritate, ac judicio certo periculi, vel sæpe vel aliquandò contingentis: quod semper verum est. 2. Legislator intendit per illas obligare, etiamsi eventus periculi non intervenit aliquo casu particulari. Nam bonum commune postulat, ut omnes & semper obligentur: alioqui non impediretur efficaciter malum, quod sæpe evenire posset, etiam cùm ejus periculum non perspicitur: & multi, imò plerique sibi falsò persuaderent, non extare periculum respectu sui: & sic lex paucos obligare censeretur. Hinc lex vetans & irritans matrimonia clandestina, fundata in periculo fraudis, scelerum & incommodorum, quæ ex illis facilè oriri possunt, obligat etiam in casu, in quo ista certò non evenirent.

Resp. 2. Præceptum fundatum in præsumptione facti, quod in re ipsa supponitur, non obligat in conscientia, non subsistente veritate facti. Quia tunc non subsistit fundamentum præcepti, nec proinde obligatio ejus: nec tunc Superior intendit obligare; cùm nulla sit ratio obligandi. Sic mulier non tenetur obedire Episcopo præcipienti, ut reddat debitum ei, cui ipse præsumit eam esse validè conjunctam, cùm tamen non sit propter occultum impedimentum: imò peccaret, si obediret.

Quæst. V. *An Lex humana potest obligare cum gravi nocumento seu damno?*

Nota. Certum est, legem naturalem obligare ad sui observationem, etiam cum damno vitæ, in iis circumstantiis, in quibus viget, seu jubet vel vetat aliquid. Quia non præcipit nec vetat nisi id, cujus commissio vel omissio dedecet naturam rationalem, estque intrinsecè mala. Non licet autem, ad vitandam mortem, & quodvis supplicium, facere aliquid intrinsecè malum, etsi leve; nam quod est ex natura rei malum ac illicitum, tale est in quovis periculo & damno. Item, id, quod à DEO præcipitur ùt medium *absolutè necessarium* ad salutem animæ, obligat cum quovis damno temporali, etiam vitæ; cùm salus æterna sit rebus omnibus temporalibus anteponenda.

Resp. 1. *Ex communi sententia*, Leges humanæ non obligant plerumque, seu ordinariè cum gravi nocumento seu damno, quod per accidens conjunctum est actui præcepto. *Prob.* 1. Ex cap. 2. *de observ. jejun.* ubi statuitur infirmos esse immunes à jejunio, *cùm non subjaceat legi necessitas.* Et ex cap. 4. *de regul. juris. Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. Nam & Sabbatum custodiri præceptum est: Machabæi tamen sine culpa sua in Sabbato pugnabant. Sic & hodie si quis jejunium fregerit ægrotus, reus voti non habetur.* 2. Ex praxi Ecclesiæ, & consensu omnium, præcepta audiendi Sacrum, jejunandi, recitandi horas, &c. non obligant cum gravi incommodo seu damno. 3. Leges divinæ merè positivæ, quæ strictiùs obligant quàm humanæ, non solent obligare cum gravi nocumento. Nam Christus Matth. 12. approbat factum Davidis, qui necessitate gravi commederat *panes Propositionis*, quorum esus Lege divina erat laicis prohibitus. Item lex de integritate confessionis *ex communi* non obligat cum gravissimo damno confessioni extrinseco. 4. Ex cap. *Erit* dist. 4. Lex debet esse possibilis secundùm hominum naturam & consuetudinem. Sed ex S. Antonino 2. part. tit. 3. cap. 10. §. 10. *Impossibile est, quod vix possibile est, utpote nimiam habens difficultatem.* 5. Ordinariè ad bonum commune, & ad finem legum illarum assequendum sufficit, si illæ obligent ac serventur communiter, & extra casus extraordinarios

gravis

gravis periculi ac damni. Unde Legislator prudens censetur obligare cum hac moderatione & benignitate: alioqui sine causa sufficiente exponeret subditos morali periculo peccandi.

Dixi, *ordinarie*, ob sequentes responsiones.

Resp. 2. *Ex communi sententia*, Lex humana, cui periculum gravis damni est accidentarium, observari debet aliquando per accidens cum quovis damno temporali, etiam vitæ: quando scilicet omitti non potest sine contemptu legitimæ potestatis, vel religionis, aut scandalo gravi. Quia lex humana, vel saltem divina naturalis, tunc obligat ad tuendam & non contemnendam, etiam exteriùs tantùm, religionem & potestatem publicam, quæ præponderat bono vitæ privati. Quippe ad bonum commune plùs refert, religionem & potestatem legitimam non contemni, ac scandalum omitti, quàm privati vitam servari. Dixi, *saltem naturalis*; nam contemptus etiam externus legis & potestatis legitimæ, vel religionis, & scandalum, sunt intrinsecè mala, ideoque lege naturali prohibita: quare Machabæi elegérunt potius mori, quàm manducare carnem suillam in contemptum legis veteris. 2. Machab. 7.

Hinc quamvis *juxta multos*, liceat Catholico transeunti per loca Hæreticorum comedere carnes die aliàs vetito, ne, si abstineat, prodat se Catholicum, & ideo de vita periclitetur; eò quòd præceptum Ecclesiæ non obliget cum tanto damno: tamen si quis ab Hæretico cogeretur ad comedendas carnes die vetito, ut ostenderet hoc facto se despicere Ecclesiasticam legem seu potestatem, teneretur subire mortem potiùs, quàm comedere. Nec excusaretur, etsi declararet, se non comedere carnes in contemptum Ecclesiæ, sed propter necessitatem ad vitandam mortem; nam tunc adhuc esset contemptus externus legis, qui semper est intrinsecè malus. *De Lugo.*

Resp. 3. *Ex communi sententia*, Lex humana potest per se obligare cum periculo & damno etiam vitæ. Quia in quavis communitate perfecta, est tota potestas ad sua u conservationem & ad bonum commune necessaria. Nam DEUS ùt author naturæ, cujuslibet communitatis civilis gubernationi ac communi bono, & Christus Ecclesiæ bono ac recto regimini sufficientissimè providit. Ergo in quavis communitate perfecta est potestas præcipiendi actus ad suam conservationem & bonum commune necessarios, quamvis annexum habeant vitæ periculum; cùm aliunde æquum sit pro totius salute partem periculis objicere. Sic Episcopus potest obligare Vicarium mortuo Parocho, ad non deserendum parochianos tempore pestis: Dux milites ad servandam stationem, vel irruendum in hostes cum certo mortis periculo. &c.

Lex autem humana tunc maximè per se obligat cum periculo vitæ, quando tale periculum per se actui præcepto conjunctum est. Sed tunc ad justitiam legis requiritur, ut res præcepta sit gravis, & necessaria ad conservationem, vel bonum statum Reip. Nam Respublica non habet dominium, sed solùm convenientem usum vitæ civium.

Quæst. VI. *An & qualis promulgatio requiritur, ut Lex obliget?*

Nota. Promulgatio Legis est Legis publicatio, seu publica denuntiatio, facta nomine Principis, per quam Lex subditis innotescere potest. Fit autem vel voce præconis, vel affixione Legis scriptæ in loco publico, vel alio simili modo. Unde differt à divulgatione, quæ est promulgationis extensio: qua scilicet Legis jam promulgatæ notitia extenditur ad omnes, aut saltem ad majorem partem subditorum.

Resp. 1. *Ex communi sententia*, Ut Lex obliget, requiritur sufficiens promulgatio. Quia 1. Lex non potest obligare communitatem, nisi ipsi sic proponatur, ut ab ea cognosci possit. Nam nemo potest obligari ad aliquid incognitum; cùm rei incognitæ observationem velle nemo possit. At Lex non potest sic proponi communitati, nisi sufficienter promulgetur, & notitia illius fiat aliquo modo publica, ùt patet. 2. Lex est regula publica actuum; nam est regula actuum communitati propter bonum commune præscripta à Superiore ejus curam gerente. At regula publica debet publicè proponi,

&

& applicari ad hoc, ut subditi teneantur ei se conformare, sicut regula privata debet saltem privatim applicari ad hoc, ut privatus ei se conformare teneatur. Enimverò quævis regula, nisi sufficienter regulabili applicetur, & quidem modo sibi proportionato, nullum habet effectum. Quare promulgatio vel est complementum essentiale Legis, vel saltem conditio essentialiter requisita, ut Lex actu obliget.

Hinc si Titius certò sciat, Legem aliquam esse latam, & jussu Principis triduo promulgandam, non obligatur ad illam, donec reipsa promulgata sit. Nam Lex, cùm sit præceptum commune latum pro tota communitate, non potest ullum membrum particulare obligare, quin obliget communitatem: hanc autem non obligat, nisi publicè proposita sit, ideoque promulgata.

Resp. 2. Ad promulgationem sufficientem nulla certa solemnitas, seu nullus modus determinatus promulgationis ex natura rei requiritur. Quia ex *natura rei* sufficit, quòd Lex sic proponatur, ut possit facile pervenire ad notitiam subditorum. Hinc ex natura rei sufficit, quòd Lex publicè denuncietur in Curia, seu in Civitate, in qua residet Princeps; nam Lex ibi denunciata potest facilè in subditorum notitiam pervenire, ob frequentem ad sedem Principis recursum & concursum ex civitatibus omnibus ei subjectis.

Ad promulgationem verò ex jure positivo requisitam, talis debet esse publicatio, qualis vel ex Lege positiva, vel ex consuetudine, vel ex Legislatoris voluntate præscribitur. Cùm ergo circa hoc diversæ in diversis locis solemnitates & conditiones, vel consuetudine vel Lege determinatæ sint, si earum aliqua omittatur, non censetur Lex legitimè promulgata.

Resp. 3. Ut Leges Imperiales obligent Provincias, debent in illis singulis promulgari. Imò non obligant in Provincia, nisi post duos menses à promulgatione ibi facta, ex Authent. *Constitutiones.* secundùm Doctorum interpretationem, & consuetudinem. Idem est de Legibus latis à Regibus & Principibus Imperatori subjectis, ac de Imperialibus; quia illi Principes non acceperunt ab Imperatore potestatem ferendi Leges, nisi secundùm jus commune Imperii, & juxta modum, quem servant ipsi Imperatores in Legibus suis ferendis.

Resp. 4. Leges Regum & Principum Imperatori non subjectorum, ut obligent, non requirunt promulgationem in singulis Provinciis, nec duos menses post illam: sed sufficit, ut fiat promulgatio in uno loco, ex quo ad alia loca divulgetur, nisi aliud exigat Lex vel consuetudo. Quia talis promulgatio ex natura rei sufficit ad obligandum subditos: & aliunde illi Principes non tenentur Legibus Imperatoriis. Ferè tamen ubique viget consuetudo aut Lex Regni, ut Reges, qui habent plures Provincias, curent suas Leges in singulis Provinciis promulgari, neque aliter eas obligent. Sic in Gallia Regiæ Leges dicuntur non obligare, nisi referantur in acta Curiarum supremarum.

Resp. 5. Lex humana, quæ in uno loco promulgatur, non statim incipit ubique obligare, sed solùm in unoquoque loco obligat actu, elapso eo tempore, quo Legis promulgatæ notitia ad illum ordinario modo pervenire potuit. *Prob.* 1. Ex Bulla *Sicut*, ad calcem Conc. Trident. ubi Pius IV. ait: *Jure etiam communi sancitum est, ut constitutiones novæ vim non nisi post certum tempus obtineant.* 2. Quia Lex in uno loco promulgata, non est sufficienter denuntiata in omnibus aliis locis, nisi post elapsum tempus sufficiens, ut notitia Legis promulgatæ pervenire possit ad *omnia illa loca*, ùt patet.

Nota. Licet ignorantes invincibiliter Legem promulgatam & divulgatam, ab ejus transgressione excusentur, tamen si Lex illa statuat aliquid de esse morali rerum vel personarum, irritando, inhabilitatem inducendo, habet omnem effectum suum circa illos præter imputabilitatem ad culpam: ùt patet in Legibus de impedimentis Matrimonii, de irregularitatibus spuriorum, &c. Quia tales effectus non supponunt culpam, & finis illarum Legum postulat, ut habeant talem effectum circa omnes.

Quæſt. VII. *An, ut Leges Papæ obligent in Provinciis, debent eſſe in illis promulgatæ?*

Reſp. Non pauci cenſent, Leges Papæ debere in ſingulis Provinciis promulgari, ut in illis obligent, niſi in illis uſu receptæ ſint, vel Papa expreſsè declaret, velle ſe obligare omnes ubique fideles poſt promulgationem Romæ factam. Quia Eccleſia Jus Civile ſervat, ubi ipſa nihil aliter inſtituit, ex c. 1. *de novi oper. nunt.* ubi Lucius III. ait: *Sicut Leges non dedignantur ſacros Canones imitari, ita & ſacrorum ſtatuta Canonum Principum Conſtitutionibus adjuvantur.* At juxta Jus civile, Lex non obligat Provincias ſingulas, niſi in illis ſit promulgata: nec Eccleſia aliter de ſuis Legibus ſtatuit. Enimverò, inquiunt, ſuavitas & benignitas regiminis Eccleſiaſtici hunc modum obligandi, quem ſervant Leges civiles, poſtulant: niſi aliqua urgens cauſa compellat Papam ad obligandum omnes poſt Romanam promulgationem.

Plures verò docent, Leges Pontificias Romæ tantùm promulgatas, obligare in Provinciis omnes, ad quorum notitiam venerint ſecluſo privilegio, vel legitima conſuetudine in contrarium. *Probant* 1. Quia ex natura rei ſufficit unica promulgatio Romæ facta, cùm per eam Lex poſſit innoteſcere in omnibus Provinciis, & aliunde Eccleſia nil plus ſtatuit. 2. Ex praxi & conſuetudine Curiæ Romanæ, in qua Provinciarum cauſæ & lites definiuntur juxta Leges Pontificias Romæ tantùm promulgatas. 3. Pleræque Decretales corpori Juris inſertæ, non ſunt promulgatæ in Provinciis: & tamen in iis obligant. 4. Pius IV. in Bulla *Sicut.* cit. declarat, decreta Conc. Tridentini ad reformationem & diſciplinam ſpectantia, ubique incœpiſſe obligare Kalendis Maji, ann. 1564. poſt promulgationem Romæ factam. Et Sixtus V. in Conſt. *de habitu & tonſura Clericorum*, non requirit aliam promulgationem, quàm quæ Romæ facta eſt: & tamen vult omnes ultra montes conſtitutos obligari infra octo menſes à die publicationis Romæ faciendæ.

Nec obſtat Lex civilis. Nam Papa non ſubjicitur Legibus Imperatoriis in uſu ſuæ juriſdictionis, quam à Chriſto immediatè accepit: & diſpoſitio illa Juris Cæſarei repugnat conſuetudini Eccleſiæ. Equidem Leges civiles adhibentur ab Eccleſia in cauſis decidendis, quando ſunt conformes æquitati ac rectæ rationi, & deſunt Leges canonicæ; quia requiritur aliqua regula decidendi cauſas, & tunc nulla aptior videtur Lege civili.

Alii docent, ſpectandum eſſe uſum ſingularum regionum; quia modus promulgationis ſufficientis ad obligationem Legis, uſu & conſuetudine determinari debet, cùm nil de eo lege ſtatutum eſt.

Quæſt. VIII. *An, ut Leges humanæ obligent, requiritur acceptatio, ſeu conſenſus majoris partis communitatis?*

Reſp. Neg. Quia 1. poteſtas Legislativa abſoluta, quæ reſidet in Principe, eſt etiam poteſtas præcipiendi, obligandi, & exigendi Legis obſervationem: alioquin ſolùm eſſet poteſtas conſulendi, vel proponendi ſubditis, num velint aliquid facere aut omittere. 2. Obligatio obediendi neceſſariò oritur ab authoritate Superioris, non à conſenſu ſubditi: alioqui ſubditus nolens obedire Superiori, non peccaret. 3. Præceptum particulare Superioris abſolutè impoſitum, obligat ſubditum independenter ab illius acceptatione: alioqui poteſtas præcipiendi eſſet inefficax & inutilis: Ergo pariter Lex, quæ eſt præceptum commune, obligat communitatem independenter ab illius conſenſu; ſicut enim quantùm ad vim obligandi ſe habet præceptum Superioris ad inferiorem, ita & Lex Principis ad communitatem, cùm ſit ejus Superior. 4. Legislatores ſupremi poſſunt cogere, imò ſæpè pœnis cogunt ſubditos ad Legem recipiendam & ſervandam: & hi nequeunt ſine culpa reſiſtere; nam ex Rom. 13. *Qui reſiſtit poteſtati, DEI ordinationi reſiſtit: qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.* 5. Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem 28. *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat Legem à Principe promulgatam.*

Obj. 1. In Lege *de quibus.* 32. *ff. de Legibus* dicitur: *Cùm ipſæ Leges nulla alia ex cauſa*

causa nos teneant, quàm quòd judicio populi receptæ sunt.

Resp. Ibi agitur de Legibus latis, non à Principe & Legislatore supremo & absoluto, sed à Legislatore dependente à conse su populi, Legum approbationem sibi reservantis. Quales fuêre Leges Romanis latæ, durante sua Republica, atque etiam sub potestate suorum Imperatorum usque ad tertium sæculum: quo tempore nulla Lex obligabat nisi post suam acceptationem.

Obj. 2. Illud Gratiani, ad can. 3. dist. 4. *Leges instituuntur, cùm promulgantur; firmantur, cùm moribus utentium approbantur.* Ergo.

Resp. Neg. conseq. Nam *1.* hæc verba non sunt ullius Summi Pontificis, aut Concilii, aut Patris, sed ipsius Gratiani. *2.* Sensus verborum illorum est, Leges firmari per usum, quatenus per eum removentur à periculo abrogationis. Nam si Lex non servaretur, tandem aboleretur, vel contraria consuetudine præscribente, vel Principe cedente nimiæ resistentiæ populi. Unde Gratianus subjicit: *Sicut enim moribus utentium in contrarium nonnullæ Leges hodie abrogatæ sunt, ita moribus utentium ipsæ leges confirmantur.*

Obj. 3. Consuetudo potest abrogare Legem jam obligantem. Ergo potest illam præv nire, ne obliget.

Resp. Dist. ant. Si Princeps tali consuetudini non resistat, *Conc. ant.* Si resistat, *Nego ant. & conseq.* Consuetudo Legem abrogare non potest, nisi sit legitimè præscripta. Talis autem non est, quamdiu consuetudini resistit, seu contradicit Legislator, & vult Legem observari. Consuetudo verò non servandi Leges, nisi prius à majore parte communitatis approbatæ fuerint, si quæ sit, non est legitimè præscripta; nam tali consuetudini resistunt Legislatores, subditos suos ad legum suarum acceptationem & observationem compellendo post sufficientem illarum promulgationem.

Obj. 4. Nemo accepit sive à DEO, sive à communitate potestatem ferendi Leges, nisi dependenter à consensu majoris partis communitatis; nam potestas benè instituta non est ad gravandum subditos circa res non necessarias, neque ad dominandum, sed ad adjuvandum. Ergo.

Resp. Neg. ant. Ad *probationem dico*, potestatem benè institutam debere habere vim compellendi subditos prudenter & moderatè ad ea, quæ bono regimini communitatis necessaria vel utilia sunt. Quæ vis eò magis necessaria est, quòd major pars solet esse deterior: quæ si invita cogi non posset ad acceptandas & servandas Leges, pauciſſimæ Leges acceptarentur, & sic pauciſſimæ valerent, in detrimentum Reipublicæ.

Obj. 5. Leges humanæ feruntur tantùm sub hac tacita conditione, ut non obligent, nisi acceptentur à populo; nam regimen humanum debet esse suave. Ergo.

Resp. Nego ant. Cujus oppositum experientia constat; sæpiſſimè enim Legislatores puniunt Legum violatores, non expectata populi acceptatione. Ad *probationem dico*, regimen humanum debere esse non solùm suave, sed etiam efficax. Porro suavitas Legum in eo consistit, ut non ferantur de iis, quæ sint difficiliora, quæque justis receptisque consvetudinibus adversentur.

Notanda sunt sequentia. *1.* Hoc intelligi debet de Legibus absolutè latis, & cum intentione statim obligandi; nam si Legislator *supremus nolit* obligare ante consensum majoris partis communitatis, Lex non obligat nisi post illum. Quia cùm Lex pendeat à voluntate Legislatoris, ipsius est præfinire tempus & conditiones, quibus vult ad illam subditos obligari. Intentio autem Legislatoris cognoscitur vel ex ipsius verbis, vel ex ejus modo agendi, vel ex usu. Quare si post Legis promulgationem puniat ejus transgressores, non expectato consensu majoris partis, signum est, non requirere talem consensum, ut Lex obliget. *2.* Si Lex promulgata non observetur à majori parte communitatis, tunc si Legislator id sciat & taceat, censetur consentire, ut non servetur, nec obliget. Nam *qui tacet, consentire videtur. reg.* 43. *Jur. in* 6. Si verò urgeat observationem Legis, v. g. puniendo violato-

res, singuli tenentur eam servare; nam per aliorum resistentiam Legislator non amittit jus obligandi: & consuetudo nil potest contra Legem, nisi sit legitimè præscripta: nec est legitimè præscripta, quamdiu Legislator ei resistit. 3. Si Legislator ignorat Legem non recipi, nec servari à majori parte communitatis, Lex obligat, donec legitimè præscripta sit: nisi lata sit sub conditione saltem tacita acceptationis; cùm Lex absolutè lata obliget omnes independenter à consensu subditorum. 4. Ut Lex censeatur recepta, & vigere, sufficit consensus tacitus majoris partis subditorum. Nam major pars prævalet minori: & quod fit à majori parte, censetur fieri à tota communitate. Imò sufficit, quòd recipiatur à dignioribus Reip. quales sunt Præsides & Senatores. In dubio autem an Lex recepta sit, præsumi debet pro ipsa; quia in dubio factum præsumitur, si jure faciendum erat.

CAPUT III.

De modo, quo observandæ sunt Leges.

Quæst. I. *An ad satisfaciendum præcepto requiritur intentio illi satisfaciendi?*

Nota. CErtum est, requiri intentionem faciendi opus, quod præcipitur. Quia actus Lege præscriptus, est actus humanus, qui est essentialiter valuntarius ac liber; nam Lex hominibus imponitur, non brutorum more, sed humano modo implenda. Actus autem non potest esse voluntarius sine voluntate illum ponendi. Hinc per actus merè coactos non satisfit præcepto: sic si quis omnino invitus cogeretur manere in templo tempore Sacri, non impleret præceptum de audiendo Sacro, nisi vellet attendere, & reipsa attenderet ad Sacrum: Eidem quoque non satisfaceret, qui ingressus templum solo animo meditandi divina, ibi maneret in meditatione defixus toto Sacri tempore, sine ulla intentione audiendi Sacrum, & attendendi ad illud; quia non poneret voluntariè actum præceptum, cùm non habeat voluntatem audiendi Sacrum sed solùm dandi operam meditationi.

Resp. 1. Ut satisfiat præcepto negativo nulla requiritur intentio. Quia per tale præceptum non exigitur actus aut omissio libera, sed solùm prohibetur actus humanus liber, v. g. ne quis furetur. Hinc licet aliquis nunquam cogitasset de furto, & sic ab eo abstinuisset, non censebitur violasse Legem furtum vetantem.

Resp. 2. Ut satisfiat præcepto affirmativo, non requiritur intentio expressa ei satisfaciendi, sed sufficit implicita, vel interpretativa, contenta in voluntate faciendi actum præceptum, quæ non excludat intentionem implendi Legem. Quia Lex non præcipit positionem actus, ùt præcepti, vel ex intentione ei satisfaciendi, sed ut actus voluntariè fiat: nec ullibi major obligatio reperitur. Unde si ignorans præceptum, rem præceptam liberè faciat, verè illud implet: sic qui ignorans vel non advertens ad diem festum, interest devotè Sacro, non tenetur aliud audire, postquam resciverit esse festum.

Imò *secundùm multos* satisfacit præcepto, qui voluntariè facit rem præceptam animo expresso non ei satisfaciendi per illum actum: v. g. qui Sacrum audit die festo præcisè, ut privatæ suæ devotioni indulgeat, proponens aliud audire ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ, jam huic satisfecit, nec tenetur aliud Sacrum audire, nisi ex errore putet se ad id obligari. Quia revera implet præceptum, qui facit voluntariè actum præceptum; nam nil aliud præcipitur. Voluntas autem non satisfaciendi præcepto per executionem voluntariam actus præcepti inefficax est; nam non destruit voluntatem efficacem faciendi id, quod præceptum est, ideoque verè satisfaciendi præcepto.

Illud verò axioma: *Actus agentium non operantur ultra intentionem eorum*, verum est duntaxat respectu eorum, quæ ab intentione agentium pendent: ùt sunt, v. g. contractus. At non pendet ab eo, qui voluntariè actum præceptum posuit, ut per hoc non satisfecerit præcepto.

Aliud dicunt de Voto: quia vovens sibi imposuit obligationem voti, & in hoc casu vult eam retinere ac prorogare, sicque

se

se obligare ad aliud *Sacrum* audiendum; nam cùm impositio obligationis in voto sit à voluntate, pendet à *voluntate*, ut eam proroget. At cùm impositio præcepti, & ejus obligatio non pendet à voluntate subditi, non pendet etiam ab eo, ut illam proroget, vel non impleat, cùm voluntariè actum præceptum posuit.

Azor tamen, & alii negant, tunc impleri præceptum; quia voluntas est contraria impletioni præcepti. Præceptum autem non impletur solo facto & opere, cum positiva & expressa voluntate non implendi. Sed *responderi* potest, talem voluntatem esse inefficacem, ac proinde non repugnare efficaciter impletioni præcepti, nec illam impedire. Id videtur certum, talem teneri saltem congruo tempore mutare intentionem, vel saltem judicare, se satisfeciisse præcepto per actum positum.

Quæst. II. *An ad satisfaciendum Legi debet intendi finis Legis?*

Nota. Duplex est finis & modus Legis: nempe intrinsecus, & extrinsecus. Finis Legis intrinsecus est id, ad quod Legislator sua Lege intendit obligare: unde est id, quod reipsa per legem præcipitur vel prohibetur. Extrinsecus est id, ad quod res præcepta dirigitur & ordinatur à Legislatore. Modus autem intrinsecus est ille, sine quo substantia rei præceptæ impleri nequit: ùt attentio interna in oratione. Extrinsecus est is, sine quo substantia rei præceptæ poni potest.

Resp. 1. Sine fine & modo intrinseco Legis non impletur præceptum, ùt patet ex eorum notione. Unde uterque cadit sub præceptum.

Resp. 2. Si finis extrinsecus, ad quem ordinatur actus præceptus, præcipiatur à Superiore, non satisfacit præcepto, qui illum sibi non proponit. Quia tunc non facit id totum, quod præcipitur, & finis ille est etiam materia Legis. Finis autem præcepti censetur, quoties præcipitur actus faciendus ob certum finem in Lege expressum. Hinc si jejunium vel oratio præcipiatur, v. g. ad avertendam calamitatem publicam, jejunans aut orans, sed non ex hoc fine, non satisfacit præcepto.

Resp. 3. Si finis extrinsecus à Legislatore intentus non præcipiatur, satisfacit præcepto, qui opus præceptum exequitur, etsi finem illum non intendat. Quia talis implet id totum, quod præcipitur; tunc enim solùm præcipitur voluntaria executio operis. Equidem Lex omnis dirigit ad finem: sed non omnis est de fine ipso. Unde finis præcepti non cadit sub præceptum, quando finis distinguitur ab opere præcepto, nec præcipitur intentio ipsius finis. Hinc satisfacit præcepto jejunii, qui unicam refectionem ex cibis licitis sumit, licèt non intendat macerare corpus; quia hæc intentio non præcipitur ab Ecclesia.

Quæst. III. *An satisfaciat præcepto, qui opus illius exequitur actu ex fine, vel circumstantia mala?*

Nota. Agitur hìc de lege humana. Nam lex naturalis prohibet quemlibet finem, & modum agendi pravum; utpote dissentaneum naturæ rationali: præcipitque finem honestum & modum convenientem in omnibus actibus liberis. Nam præcipit, ut homo semper vivat, seu agat honestè, id est, decenter ac conformiter naturæ suæ rationali qua rationalis est: ac proinde præcipit id omne, quod necessarium est ad sic agendum. Sed ad agendum honestè & decenter naturæ rationali ùt rationali, necesse est, ut non solum actus præceptus fiat, sed etiam, ut modo convenienti, in circumstantiis debitis & propter finem honestum fiat. Quare homo lege naturali tenetur observare omnia præcepta, humana rectè, convenienter, & ob finem honestum, ideoque actu bono & honesto.

Resp. 1. Non satisfacit præcepto, qui facit opus cum peccato repugnante substantiæ præcepti: aut illud facit sine ea honestate ac rectitudine, quæ à Superiore expressè præcipitur, vel essentialis est actui præcepto; nam tunc non fit id totum, quod præcipitur.

Resp. 2. Quando honestas ac rectitudo non est essentialis actui externo, neque expressè præcipitur à Superiore, sine ea satisfit præcepto humano. Quia tunc sine ea ponitur

tur id totum, quod præcipitur ab homine: & actus vitiatur tantùm per peccatum præcepto accidentarium: unde retinet bonitatem ac speciem moralem objectivam lege intentam. Sic miles fortiter pugnans ex vana gloria, adimplet præceptum Ducis licèt peccet contra legem naturalem ob finem malum. Item, quando actus vitiatur solùm ratione motivi cujusdam extrinseci venialiter mali impulsivi, vel se habentis solùm concomitanter, tunc satisfit præcepto. Sic qui devotè & attentè Sacrum audit ex motivo intrinseco religionis, licèt concomitanter moveatur, aut prius impellatur ex vana gloria, satisfacit præcepto Ecclesiæ; nam ponit liberè actum religionis præceptum ex proprio motivo finali.

Quæst. IV. *An per unum eumdemque actum possint impleri plura præcepta?*

Resp. 1. Non possunt nisi constet, talem esse intentionem præcipientis. Quia Superior aliquid præcipiens, censetur exigere aliud, quàm quod jam aliàs debitum est. Alioquin sæpe non assequeretur finem à se intentum, & frustra imponeret novam obligationem. Sic pœnitens præcepto jejunandi à Confessario impositio non satisfacit per jejunium jam ex voto vel præcepto Ecclesiæ debitum. Quia Confessarius censetur obligare ad opus aliàs non debitum: utpote de novo punitivum, nisi aliud exprimat.

Item, si obligatio per se postulat aliud opus, quàm quod jam debitum est, tunc requiruntur plures actus: ùt semper contingit in materia justitiæ, ubi semper attenditur æqualitas rei ad rem: sic qui centum ex duplici titulo justitiæ, putà ex damno illato & ex emptione, bis debet, non satisfacit duplici illi obligationi dando solùm centum; nam non esset æqualitas solutionis ad debitum.

Resp. 2. Si prudenter existimetur Superior concedere, ut per unum actum satisfiat duplici præcepto, tunc satisfit. Quia obligatio ad unum vel plures actus pendet ab ejus voluntate: sic in Jubilæis satisfit jejuniis à Papa præscriptis per jejunia quatuor temporum tunc occurentia. Intentio autem Superioris cognosci potest, vel ex circumstantiis, fine, ac natura operis præscripti, vel ex communi usu ac interpretatione. Sic si Confessarius injungat auditionem Sacri singulis diebus per mensem pœnitens satisfacit, unum Sacrum diebus Festis audiendo; quia in his circumstantiis non censetur Confessor intendere, ut pœnitens bis Sacrum audiat eodem die, nisi hoc exprimat. E contra si injungat sine opere pio, ut Sacrum omnibus diebus Festis audiat per annum v. g. hic tenetur bis Sacro interesse; quia talis est mens Confessarii, quæ ex natura satisfactionis colligitur.

Ut plurimùm autem duo præcepta uno actu implentur, quando idem eadem die ex eodem motivo præscribunt: sic die Festo in Dominicam incidente, unius Missæ auditione impletur duplex præceptum. Aliàs regulariter Superior plures actus exigit, nisi contrarium explicet: & in dubio, plures velle censendus est; quia tunc interpretatio fieri debet ex communiter contingentibus, juxta *reg.* 45. *Jur. in* 6. *Inspicimus in obscuris, quod est verò similius, vel quod plerumque fieri consuevit.* Hinc si voviſſes dare eleemosynam, & Confessor eleemosynam etiam injunxisset, non satisfaceres, dando unicam.

Quæst. V. *An eodem tempore pluribus præceptis satisfieri possit per plures actus?*

Resp. Communis sententia asserit: modò unus actus non impediat alium, nec attentio uni debita, tollat alteram. Quia tunc eodem tempore potest fieri id totum, quod præscribitur per plura præcepta; cùm in præceptis non præscribatur diversitas temporum. Sic *ex communi sententia*, qui die Festo tempore Sacri recitat horas cum intentione & attentione debita, satisfacit præcepto Missæ, & præcepto recitandi horas. Nam ad utramque obligationem implendam sufficit attentio ad DEUM, mysteriave divina.

Quæst. VI. *An peccat, qui ponit voluntariè impedimentum impletioni Legis?*

Resp. 1. Peccat, qui illud apponit directè, & ex intentione non implendi Legem. Patet. Nam is habet voluntatem non servandi legem, & gerit pravum affectum ergo illam,

illam, agitque in illius fraudem. Lex autem prohibet pravum affectum erga illam, & ne quid in ejus fraudem fiat.

Resp. 2. Peccat contra præceptum, qui ejus observationi impedimentum infert per actionem non necessariam eo tempore, quo urget præceptum, vel paulò ante, aut tunc non removet impedimentum, cùm potest sine gravi damno. *Ita communiter.* Quia lex præscribens aliquid, simul virtualiter vetat id omne, *quod cum actione vel omissione* præscripta impossibile est, ideoque positionem impedimenti: alioqui non esset per se efficax. Præterea, præcipiens finem, simul præcipit media necessaria ad talem finem, saltem si non nimis difficilia sint: at removere & non inferre impedimentum, est medium necessarium impletioni legis. Ergo.

Hinc 1. qui die jejunii pila ludit cum ea defatigatione, quæ reddat illum impotentem jejunare, peccat contra præceptum jejunii. 2. Qui die Festo se inebriat, ita ut Sacrum audire nequeat, peccat contra sobrietatem & contra præceptum audiendi Sacrum. 3. Excommunicatus tenetur, quantùm potest, absolutionem sibi comparare ad communicandum in Paschate, imò & ad Sacrum audiendum diebus Festis, &c. cùm hujus impedimenti remotio necessaria sit ad implendum præceptum, & aliunde non sit nimis difficilis, imò ad eam jam teneatur.

Resp. 3. Materiæ præceptæ gravitas vel necessitas potest esse tanta, ut præceptum obliget ad nunquam apponendum impedimentum ejus observationi, etiam multo tempore antequam urgeat, ad tollenda impedimenta etiam remota, & ad adhibenda media difficilia: ùt patet in iis, quæ sunt necessaria ad salutem, ad honestatem morum & ad bonum commune.

Quæst. VII. *An, qui non potest totum opus præceptum implere, tenetur ad partem, quam potest?*

Resp. Affirm. Si præceptum sit de re divisibili: hoc est, de re, quæ commodè dividi potest, & in cujus parte invenitur ratio præcepti: ùt in septem horis canonicis, in jejunio totius Quadragesimæ, in qua jejunium singulorum dierum dividuum est ab alio. *Prob.* Quia 1. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem 54. *Qui non potest recitare Matutinum & Laudes, potest autem reliquas horas, ad nil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.* 2. Tunc præceptum, utpote dividuum, obligat ad omnes & singulas partes etiam seorsim sumptas; cùm singulæ seorsim faciant ad finem præcepti: nec est causa sufficiens excusans à parte possibili, quæ est utilis fini. 3. Qui non potest totum debitum solvere, tenetur ad partem, quam potest, si hæc sit divisibilis à toto. 4. Sicut *utile non debet per inutile vitiari. ex reg. Jur.* 37. *in* 6. ita nec possibile per impossibile.

Porro hæc regula: *Accessorium sequitur principale*, non valet in omnibus, nec habet locum, dum principale & accessorium sunt divisibilia, & in accessorio reperitur aliqua ratio ipsius principalis: vel ubi est diversa utriusque ratio. Sic qui promisit equam cum suo pullo, si equam dare non potest, quia mortua est, tenetur dare pullum. Deinde pars non est propriè accessorium respectu totius.

Quæst. VIII. *Quid agendum, quando simul occurrunt duo præcepta, quæ simul servari nequeunt?*

Resp. Per se loquendo, servandum est majus præceptum; quia prævalet minori & gravius obligat: unde tunc minus obligare desinit. Præceptum autem naturale, cùm sit de rebus ex natura sua ad morum honestatem necessariis, præponderat præcepto merè *positivo etiam divino: divinum humano*; cùm DEUS sit Superior homine: præceptum supremi Principis præcepto Superioris subordinati: præceptum altioris virtutis præcepto virtutis inferioris: præceptum negativum affirmativo; quia illud obligat semper & pro omni tempore, *nec sunt facienda mala, ut veniant bona.* Rom. 3.

Hinc, si die festo infirmus tua opera egeat tempore Sacri, teneris ei opitulari. Quia præceptum divinum naturale charitatis, quæ est virtus omnium præstantissima, prævalet omnibus aliis præceptis. Quòd si minus

præ-

præceptum notabiliter nobiliori præferas peccas mortaliter; quia exceſſus eſt notabilis: ideoque gravis eſt inordinatio, à qua tamen ſæpe excuſat ignorantia in rudibus.

Dixi, *per ſe loquendo.* Nam interdum ſervari debet præceptum inferius, ùt cùm hujus materia gravis concurrit cum materia levi præcepti majoris. Sic non debes omittere Sacrum die Feſto ad levandam levem moleſtiam infirmi tua ope tunc non graviter indigentis.

CAPUT IV.

De ſubjecto Legum.

Quæſt. I. *Quinam Legibus humanis ſubjiciuntur?*

Reſp. EX *communi ſententia*, omnes & ſoli adulti ſubditi. *Prob.* 1. Quoad omnes & ſolos adultos, ſaltem qui non fuerint perpetuò amentes. Quia illi omnes & ſoli ſunt capaces cognitionis & directionis humanæ, & libertatem habent ſaltem habitualem.

2. Quoad ſubditos. Quia jurisdictio non poteſt exerceri, niſi in ſubditos, & nemo habet jus præcipiendi, niſi ſubditis, cap. 21. *de ſentent. excommunic.* cùm poteſtas præcipiendi, ſubjectionem in aliis eſſentialiter connotet & inferat.

Hinc. 1. Infantes legibus humanis præceptivis non obligantur: unde ſecluſo ſcandalo licet eis dare carnes comedendas die Veneris. Idem multi docent de perpetuò amentibus; quia ſentiunt eandem eſſe rationem pro illis, & videri ſicut infantes. Sed negat *Sanchez*, afferens hoc inter illos diſcrimen, quòd infantes ea ætate ſuapte natura uſus rationis incapaces ſint: at perpetuò amentes, ubi jam infantiæ ætatem excedunt, ſuapte natura uſus rationis capaces ſunt, & ex quodam ſolo accidenti eo privantur, quamvis ob defectum deliberationis à legis tranſgreſſione excuſentur perinde ac ignorantes invincibiliter. Porro conſtat, non licere eos, uti nec infantes, excitare ad iram, libidinem, blaſphemiam, & alia intrinſecè mala, nam excitans cenſeretur cauſa moralis ac principalis horum actuum intrinſecè deformium, & ex objecto malorum, atque amentis opera uti velut inſtrumento ad illos.

2. Pueri ſaltem anno ſeptimo completo obligantur præceptis, quorum materia eorum ætati congruit: ideoque tenentur ad auditionem Miſſæ, Confeſſionem, abſtinentiam à carnibus, &c.

3. Ebrii, & ad breve tempus delirantes, tenentur legibus. Quia ſunt in ſtatu habituali uſus rationis, licèt per accidens pro aliquo tempore impediti: & fuere aliquando obligati lege, quæ ſemper eandem vim obligandi retinet: unde non licet eis dare carnes comedendas die vetito; cùm hæ ſint illis prohibitæ.

4. Infideles tenentur omnibus præceptis evangelicis. Quia ſubditi ſunt Chriſto homini DEO, qui eſt *Rex Regum*, *Dominus dominantium*, & omnium omnino hominum. Non tenentur tamen legibus Eccleſiaſticis, ex cap. 8. *de divort.* Quia nemo eſt ſubditus Eccleſiæ, niſi per Baptiſmum. Ad utrasque leges hæretici obligantur. Quia ſunt ſubditi DEO & Eccleſiæ, quamvis rebelles.

Quæſt. II. *An exempti à jurisdictione Legislatoris obligantur illius Legibus ex vi illarum, ſi in ejus territorio habitent?*

Reſp. Neg. Quia exempti non ſunt ſubditi Legislatoris; nam deſinunt eſſe ſubditi hoc ipſo, quòd ab ejus jurisdictione eximuntur, ſecundùm id ſcilicet, in quo eximuntur. At Legilator non poteſt obligare ſuis legibus niſi ſubditos; cùm careat jurisdictione in non ſubditos.

Quare Religioſi exempti non obligantur legibus Epiſcopalibus aut Synodalibus, imò nec decretis Synodi Provincialis: ùt declaravit S. Congregatio, apud *Fagnan* in cap. *Sicut olim.* niſi in caſibus, in quibus à jure communi, Concilio Tridentino, & Summis Pontificibus poteſtas in ipſos ſpecialiter Epiſcopis aut Concilio Provinciali conceſſa eſt. Idque declaravit Gregorius XIII. in ſuis reſponſionibus ad Conc. Rothomagenſe, in eodem Concilio publicatis, ann. 1581. Quia ſcilicet Religioſi illi ſunt exempti à juris-

jurisdictione Episcopali. Ex decreto autem Concil. Trident. sess. 25. cap. 12. tenentur servare censuras, & interdicta ab Episcopis lata, & festos dies ab illis præscriptos. Imò juxta *Vasquez*, *Sanchez*, & *alios*, tenentur jure naturali, & ex æquitate servare præcepta Episcoporum spectantia ad communem observantiam, & totius populi devotionem in iis, quæ statui, & privilegiis Regularium non adversantur, ùt jejunia, preces ad causam publicam; nam licèt sint exempti, sunt tamen pars illius communitatis, & ejus commoda participant.

Ita omnes exempti, sed præsertim Regulares, qui ex suo instituto incumbunt in salutem proximi, debent Episcopos, ùt Principes Ecclesiæ, & *Successores Apostolorum positos à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei*, (Conc. Trid. sess. 23. cap. 4.) singulari honore, reverentia, & amore prosequi, & eorum statuta ad rectam administrationem Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ad bonum animarum Diœcesis spectantia diligenter servare, & in hoc cæteris exemplo prælucere; nam hæc est voluntas Dei: nec aliàs possunt in salutem proximi utiliter incumbere. Et ideò hoc magnopere verbo, & exemplo commendarunt S. Ignatius de Loyola, & S. Franciscus Xaverius.

Quæst. III. *An Legislator obligatur Legibus suis, vel prædecessorum?*

Resp. 1. Legislator non obligatur Legibus prædecessorum suorum vi ipsarum Legum; quia non est subditus illorum; parem enim cum illis habet potestatem, imò eandem: neque obligatur suis legibus; quia non est sibi subditus; nemo enim sui ipsius subditus, & Superior esse potest: *Neque imperare sibi, neque se prohibere quisquam potest.* L. 51. ff. *de recept. qui arbit.* Legislator autem non potest obligare nisi subditos. Hinc illud, L. 31. *ff. de Legibus. Princeps Legibus solutus est.*

Resp. 2. Legislator tenetur servare Leges à se, vel à prædecessoribus suis latas, quando materia convenit Principi, & subditis. Ita S. *Thomas* 1. 2. quæst. 96. art. 5. ad 3. & *Theologi communiter.* Tenetur autem jure naturali. Quia 1. Lex naturalis præcipit, ut Princeps communitati, cujus caput est, se conformet in iis, quæ æquè ipsi, ac aliis conveniunt. Nam hoc ad utilem, ac convenientem communitatis gubernationem necessarium est, & pertinet ad officium Principis, qui subditis suis exemplo præesse debet per Legum observationem, quam procurare tenetur. Enim verò ex S. August. l. 3. Confess. cap. 8. *Turpis omnis pars est suo universo non congruens:* quantò magis caput non congruens? 2. Princeps æquè, imò magis, quam subditi, tenetur curare, & prosequi bonum commune, ac proinde servare Leges, quæ omnes in bonum publicum feruntur. 3. Ex jure tum Canonico, cap. 6. *de Constit. Quod quisque juris in alterum statuit, ipse debet uti eo... Patere Legem, quam tu ipse tuleris.* Et cap. *Justum est.* dist. 9. Tum Civili, L. 4. cod. *de Legibus: Digna vox est majestate regnantis, Legibus alligatum se Principem profiteri.... Et revera majus imperio est, subjicere Legibus principatum.* Adde S. Ambros. Epistol. 3. ad Valentin. *Quod præscripsisti aliis, præscripsisti & tibi; Leges enim Imperator ferat, quas primus ipse custodiat.*

Nota 1. Legislator jure naturali tenetur Leges suas servare, etiam secluso scandalo: & *quidem tam graviter*, quàm subditi ejus, ùt docent *Suarez*, & *multi Doctores*, quos citat. Quia hoc exigit æquitas, officium Principis, bonum commune, & recta, ac utilis gubernatio, quæ postulat, ut omnia communitatis membra vivant uniformiter in iis, quorum materia omnibus æquè convenit.

2. Legislator violans Legem suam vel prædecessoris sui admittit peccatum ejusdem speciei, ac subditi eam violantes, v. g. peccatum intemperantiæ, si non servet jejunium à se præceptum. Nam Lex naturalis imponit illi eandem obligationem, quam ille subditis per suam Legem. Non tamen incurrit pœnas Lege humana impositas, quia Legibus illis humanis non est subjectus, sed solùm juri naturali, præcipienti actus virtutis Lege præscriptos, nec illas pœnas statuenti.

R. P. *Antoine Tract. Theol. de Legibus*

3. Si Legislator habeat justa n causam non servandi Legem, ob quam licitè dispensare posset cum subdito, tunc non tenetur servare Legem. Quia tunc cessat ratio obligationis; tunc enim officium Principis, & recta gubernatio Legis observationem non exigunt, & difformitas rationabile fundamentum habet. Quare tunc propriè non dispensat secum; sed solùm interpretatur, Legem naturalem ipsum non obligare ad servandam Legem suam, quando habet causam rationabilem, ob quam ipse subditum meritò liberaret ab ejus obligatione; cùm non sit ipse deterioris conditionis, quàm subditi. At peccat, quoties sine justa causa Legem suam non servat; quia violat Legem naturalem, cujus obligationem tollere nequit.

4. Hìc agitur solùm de Legislatore habente potestatem ferendi Leges absolutam, & independenter à communitate. Nam Duces Rerum publicarum tenentur Legibus, quas cum illis tulerunt; & Generales Ordinum obligantur Legibus in Capitulo generali latis; quia subditi sunt communitati, à qua feruntur.

Quæst. IV. *An Clerici obligantur Legibus civilibus?*

Respondet Bellarminus, lib. 1. de Cleric. cap. 28. Clericos in conscientia obligari Legibus civilibus, quæ non repugnant sacris Canonibus, vel officio Clericali: qualis est Lex taxans pretium rerum, vel vetans nocturnam armorum gestationem, aut asportationem frumenti extra Provinciam, &c. *Probat.* Quia 1. Clerici sunt etiam Cives, & partes quædam, seu membra communitatis politicæ, & commodis ejus fruuntur. Unde æquitas, & recta ratio postulat, ut se cæteris omnibus membris conforment in iis, quæ æquè illis, ac Laicis conveniunt. Alioqui magna confusio, & perturbatio in Republ. oriretur, si Clerici illas Leges non observarent. 2. Nicolaus I. Epist. 8. dicit, Christum divisisse Pontificiam authoritatem ab Imperiali, *ut & Christiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum, Imperialibus Legibus uterentur.* 3. S. Chrysostomus, in illud Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, ait, Christi Legem non tollere politicas Leges, & ideo debere etiam Sacerdotes, & Monachos eis parere. Hancque esse communem sententiam quoad vim directivam, seu obligationem in conscientia, de qua agitur, testatur *Suarez.*

Quæst. V. *An peregrini tenentur Legibus sui territorii propriis?*

Nota 1. Peregrinus, advena, vagus inter se differunt. Peregrinus dicitur is, qui extra territorium, ubi domicilium habet, transit per aliquem locum, vel alicubi moratur cum animo redeundi. Advena, qui extra patriam suam domicilium fixit. Vagus, qui nullibi domicilium fixum habet.

Nota 2. Certum est, præcepta personalia, quæ scilicet afficiunt immediatè personas, non territorium, semper illas obligare, ubicunque fuerint; nam illa semper personis cohærent. Hinc si Episcopus Sacerdoti usum sui Ordinis absolutè vetuisset, is in aliena Diœcesi celebrare non posset.

Nota 3. Si Lex prohibeat actionem ubivis factam, quæ cedat specialiter in damnum communitatis, ùt est venditio armorum, vel aliarum rerum hostibus: hæc ex communi sententia obligat subditum extra territorium versantem: qui puniri potest, si illam violet. Quia tunc delictum censetur intra territorium committi; damnum enim ei illatum censetur moraliter factum intra illud. Ex Leg. 4. codic. *de commerc.*

Resp. 1. Peregrini non tenentur servare Leges sui territorii, quando extra illud versantur, ubi illæ non obligant, modò non absint in fraudem. *Ita communis sententia.* Prob. 1. ex cap. 2. *de constit. in 6.* ubi dicitur, statuto Episcopi, quo furantes excommunicantur, non ligari ejus subditos, qui extra Diœcesim furantur, *cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impunè.* 2. Quia Leges, & consuetudines locales sunt solùm pro tali loco, seu territorio, eique sunt affixæ: & jurisdictio, ùt respicit territorium, intra illud limitatur. Et verò potestas Legislativa agere non potest extra

sphæ-

ſphæra n activitatis ſuæ, quæ ſphæra non extenditur extra proprium territorium.

Suppono, quòd tum ipſe peregrinus, tum res, circa quam operatur, & ejus actio, ſint extra territorium. Nam ſi res, circa quam agit, vel ejus actio, aut omiſſio ſit intra territorium, licèt ejus perſona ſit extra, tunc *ex communi ſententia* ipſe tenetur Legibus territorii, & pœnis per illas ſtatutis. Quia tunc delictum meritò cenſetur committi intra territorium, non extra. Nam omiſſio rei præceptæ, vel commiſſio rei prohibitæ, ibi cenſetur conſummari, ubi res præcepta, vel vetita fieri, vel omitti debuiſſet: & delinquens cenſetur ratione delicti ibi eſſe moraliter præſens, ex L. 2. cod. *Quæ res exportari, &c.* Hinc Beneficiarius abſens à territorio, in quo beneficium habet, contrahit Cenſuras in non reſidentes latas ab Epiſcopo beneficii; quia ibi delictum conſummatur, ex cap. 11. *de Cleric non reſid.*

Reſp. 2. *Ex communi ſententia* Peregrinus non tenetur ſervare præcepta etiam juris communis, v. g. jejunium vigiliæ, vel feſtum S. Thomæ, ſi illa ex privilegio, aut conſuetudine legitima non ſervetur in loco, ubi bona fide diverſatur. Quia privilegium locale, vel conſuetudo localis ſpectat omnes, qui ſunt in loco. Hinc S. Auguſtinus Ep. 118. docet, *in iis, quæ non ſunt contra fidem*, & Legem divinam, poſſe quemque ſe conformare Eccleſiæ particulari, in qua moratur. *Alia verò*, inquit, *quæ per loca terrarum, regionesque variantur ..... nec diſciplina ulla eſt in his melior gravi, prudentique Chriſtiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quam forte devenerit.*

Reſp. 3. Qui causâ ſubterfugiendi Legem etiam localem, abit in locum, ubi illa non viget, non ideo ab illius obligatione liberatur. Quia 1. (ùt ait *Layman.*) Leges, quæ ad ſubditorum utilitatem, præſertim ſpiritualem ordinantur, ùt ſunt Eccleſiaſticæ, eam conditionem annexam habent, quam communis fidelium perſuaſio, & Epiſcoporum praxis oſtendit, ut ſubditis ſine juſta cauſa earum obligationem ſubterfugere non liceat; cùm id neceſſarium ſit ad bonum regimen, & efficaciam Legum, & ad præcludendam januam multis abuſibus, præſertim in confinibus diverſarum Diœceſium. Imò ipſa Lex divina naturalis generatim præcipiens diligentem obſervationem Legum, & ordinis, id vetat.

2. *Fraus, & dolus alicui patrocinari non debent*, cap. 15. & 16. *de reſcript.* At fraudem committit in Legem, qui ſolo animo eam ſupterfugiendi absque alia juſta cauſa abit è proprio territorio; nam *fraus legi fit, ubi quod fieri noluit, fieri autem non vetuit* (expreſsè) *id fit*, L. 30. ff. *de Legib.* Neque dici poteſt, quòd abeundo utatur jure ſuo; nemo enim habet *jus exeundi è proprio territorio ſolùm ad eludendas illius Leges*: ſicut nullus habet jus iter inſtituendi, vel laborandi, causâ ſubterfugiendi Legem jejunii: & qui hoc faceret, cenſeretur in fraudem Legis agere; & *ſecundùm communem ſententiam*, teſte *Laymano*, peccaret contra Legem.

3. Ex reſponſo Cardinalium ab Urbano VIII. in Brevi ad Archi-Epiſcopum Colonienſem authoritate Apoſtolica confirmato: quod declarat de incolis loci, ubi viget Concilium Tridentinum, diſcedentibus in locum, ubi non fuit publicatum, ſolo animo matrimonium clandeſtinum contrahendi, ſine mutatione domicilii, *non eſſe legitimum matrimonium inter ſic contrahentes cum fraude.* Ergo tales adhuc tenentur Lege Tridentini irritante matrimonium clandeſtinum, & diſceſſerunt cum fraude. Ergo &c.

Hinc peccant contra Legem, qui aliò diſcedunt, præcisè ut carnibus veſcantur, vel operibus ſervilibus vacent, cùm hæc in ſua Diœceſi vetita ſunt.

Quæſt. VI. *An qui è ſuo domicilio, ubi Lex obligat, abit in locum, ubi non obligat, tenetur illam implere, antequam exeat?*

Reſp. Tenetur, ſi prævideat illam impleri non poſſe in alio loco. *Eſt communis ſententia.* Quia 1. Hæc eſt praxis, & perſuaſio fidelium timoratorum. 2. Lex illa talem obligat, & tempus, quo adhuc verſatur in ſuo

domicilio, unicum est ei aptum ad illam observandam: quare perinde est, ac si eo solo tempore obligaretur. At quisque tenetur servare præceptum eo tempore, quo obligatur. 3. Ut ait *Suarez*, præceptum affirmativum debet impleri, quando potest, & prævidetur postea non implendum. Neque enim requirit, aut concedit certum temporis spatium, pro quo possit semper ejus observatio differri: sed obligat, ut, quamprimùm potest, impleatur, si postea non possit impleri: alioqui non esset satis efficax, & sæpè eludi posset. Et verò respectu talis, non est aliud tempus ad implendum præceptum. Ergo tunc tenetur illud implere; alioqui nullo tempore tenetur.

Hinc, qui abit die festo ad locum, ubi non est festus, tenetur audire Sacrum, priusquam exeat, si possit absque gravi incommodo, & nequeat alibi audire: sicut si non exiret, teneretur audire primam Missam, si prævideret postea impeditum iri. Quia præceptum obligat simpliciter illo die, & non potest impleri nisi audiendo Missam primam; nam hìc & nunc, & respectu talis hominis, illa est unica, & præsens hora est ultima ipsi apta ad implendum præceptum. Alioqui omissio meritò imputatur ad culpam.

Nota. Si in loco domicilii tui sit Lex jejunii, non potes ibi jentaculum sumere manè, eò quod scias, te vespere fore in loco, ubi illa non obligat. Quia obligaris jejunio, quamdiu existis in loco, ubi obligat. Nec spes dispensationis, nec dispensatio, quæ nondum est, nec privilegium loci, in quo non es, obligationem præcepti, quo hìc & nunc obligaris, tollit.

Quæst. VII. *An Peregrini teneantur Legibus specialibus loci, in quo versantur?*

Nota. Certum est 1. eos, qui accedunt ad aliquem locum animo ibi perpetuò manendi, teneri statim Legibus illius loci; cùm jam verè sint illius incolæ. Nam domicilium hoc ipso acquiritur, quòd quis incipit in loco habitare animo ibi perpetuò manendi, ex L. *Cives.* cod. *de incolis.* 2. Statim teneri Legibus loci eos, qui in illum veniunt animo ibi manendi per majorem anni partem: ùt faciunt scholastici, famuli, operarii, &c. *Constat ex usu, & communi Doctorum sententia.* Nam tales consequuntur ibi quasi domicilium sufficiens, ut statim quis fiat Parochianus idoneus ad ibi Sacramenta omnia præter Ordinem recipienda. 3. Peregrinos teneri servare Leges loci, per quem transeunt, quando alias esset periculum scandali; cùm hoc vetet Lex naturalis: vel quando illæ Leges sunt juris communis: quamvis ex consuetudine, vel privilegio non serventur in loco domicilii sui: *ùt docent communiter Theologi;* quia Legislatori juris communis subditi sunt, nec habent causam excusantem; cùm consuetudo, vel privilegium extra territorium vim non habeat. 4. Peregrinos teneri servare in contractibus Leges, ac consuetudines loci, in quo contrahunt; nam quisque sortitur forum in loco contractus. cap. ult. *de foro compet.*

Resp. Peregrini, & à fortiori vagi, tenentur servare Leges, & consuetudines etiam speciales loci, in quo morantur etiam ad breve tempus, & secluso scandalo. *Ita Covar. Suarez, Lessius, & alii communiùs.* Prob. 1. ex S. August. lib. 3. Confess. cap. 8. ibi. *Quæ contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis, aut gentis consuetudine, vel Lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens.* Item, ex Epist. ad Januar. 2. Quia pax, ordo, recta gubernatio, bonum commune territorii postulant, ut Leges locales serventur ab omnibus, qui sunt in illo loco, quamdiu in eo morantur: ac proinde Legislator habet potestatem obligandi etiam peregrinos ad illas Leges servandas; nam Superior habet omnem potestatem necessariam ad bonum commune, & rectum ordinem tuendum in suo territorio. 3. Lex generatim fertur pro tali territorio. Ergo obligat omnes ibi morantes, etiam peregrinos, qui ratione suæ præsentiæ in illo loco, licèt brevis, subjiciuntur regimini, & jurisdictioni territorii; cùm *juxta omnes*, teneantur quibusdam Legibus, v. g. ne quis noctu arma

ferat,

ferat, ne triticum efferat, ne peregrinus ultra triduum commoretur, &c. Ergo peregrini tenentur, titulo subjectionis, servare Leges alieni territorii, suntque verè subditi Principis illius loci ratione suæ præsentiæ in illo, non quidem permanenter, & habitu, sed solùm transeunter, & actu: quippe ad transeuntem, & brevem subjectionem sufficit brevis præsentia, sicut ad transeuntem exemptionem à jurisdictione, & Legibus sui territorii sufficit brevis absentia. 4. Peregrini, eò ipso, quòd exeunt è proprio territorio, solvuntur Legibus illius. Ergo eò ipso, quòd ingrediuntur territorium alienum, subjacent Legibus illius, præsertim cùm gaudeant ejus privilegiis. Nam qui sentit commodum, & onus sentire debet, *ex reg. jur. 55. in 6.*

Obj. Nemo fit alteri subditus, nisi ratione originis, vel domicilii, vel delicti.

Resp. dist. Permanenter, & habitu, *conc.* Transeunter, & actu, *neg.* Peregrini autem fiunt subditi Principis alicujus loci ratione suæ præsentiæ in illo loco, sed transeunter tantùm, non permanenter, & habitu.

Nota. Peregrinus tenetur solùm iis Legibus loci, quarum observatio non requirit tempus longius, quàm illud, quo ipse ibi moratur. Nam quoad alias non censetur esse in loco moraliter: nec ad eas implendas tenetur diutiùs morari, quàm statuerat; quia non obligatur ad ibi permanendum, sed solùm supposita præsentia ad implendam Legem, quæ tunc impleri potest. Hinc tenetur servare omnia præcepta localia negativa, v. gr. abstinere ab esu carnium; nam hæc non requirunt moram. Sed qui transit per locum, ubi est dies festus, in alium, ubi non est, non tenetur cessare ab itinere ad audiendum Sacrum, nec secluso scandalo, illud audire, si ibi moretur solùm ad sumendum cibum; quia mora non est proportionata impletioni præcepti. Econtrà tenetur audire Sacrum, si sufficienti tempore moretur, vel si festum servetur in loco, ubi pernoctavit, aut in toto illo territorio, per quod usque ad meridiem acturus est iter.

CAPUT V.

De Interpretatione, & Epikija.

Quæst. I. *Quid, & quotuplex est interpretatio Legis?*

Resp. Interpretatio Legis est explicatio sensus Legis. Triplex est: authentica, usualis, & doctrinalis. Interpretatio authentica, seu cum authoritate prolata est ea, quæ fit per ipsum Legislatorem, vel ejus Superiorem, vel Successorem, vel per Ministros ab ipso constitutos: habetque vim Legis; cùm procedat à Superiore habente potestatem Legem condendi, & explicandi in sensu, in quo vult illam servari. Usualis est, quæ petitur ex communi usu; nam *consuetudo est optima Legum interpres.* cap. 8. *de consuetud.* Doctrinalis est ea, quæ fit per homines doctos, ac peritos. Quamvis hæc non habeat vim Legis; cùm non procedat à potestate jurisdictionis, sed à judicio peritorum: tamen imprudenter, & contra rectam rationem rejiceretur, si in eam Doctores omnes consentiant. Si verò Doctores inter se dissentiant de sensu, & obligatione Legis, tunc tenemur sequi opinionem tutiorem, & probabiliorem: licebit tamen sequi minùs tutam, si sit certò, & notabiliter probabilior tutiore, juxta dicta de opinione probabili.

Interpretatio iterùm duplex est; una simplex, qua explicatur ambiguitas verborum Legis: & altera per æquitatem, qua interpretamur, casum aliquem particularem non comprehendi in Lege, quamvis verba Legis clara sint, & generalia. Hæc dicitur Epikija.

Quæst. II. *Quænam sunt Regulæ aptæ ad rectè faciendam interpretationem doctrinalem?*

Resp. Hæ à Doctoribus traduntur. 1. Accipienda sunt verba Legis secundùm eorum proprietatem, & usitatam acceptationem, nisi sic accepta injustitiam, vel absurditatem continerent, aut Legem inutilem redderent. Quia Legislator debet Legem clarè, ideoque verbis, secundùm eorum proprietatem, & communem significationem intellectis ex-

primere: alioquin nihil firmum ſtabiliret, & errandi occaſionem daret. In dubio autem, uſus, & acceptio communis verborum præferri debet eorum proprietati.

2. Correctio Legum vitanda, quoad fieri poteſt, ex cap. 29. *de elect. in* 6. Nam ordinariè Legum mutatio noxia, aut incommoda eſt communitati.

3. Si Legis verba ſint æquivoca, vel ambigua, eorum ſignificatio ſpectanda eſt ex antecedentibus, & conſequentibus, ex materia, & circumſtantiis Legis, atque etiam ex aliis Legibus, in quibus eadem verba, vel ſimilia in tali & tali ſenſu accipiuntur, ſed præſertim ex fine Legis, ex cap. 6. *de verb. ſignif.* ibi: *Intelligentia dictorum ex cauſis eſt aſſumenda dicendi, quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubjectus.* Et ex S. *Thoma* in 3. diſt. 35. art. 3. *Sicut Lex lata eſt menſura ſubditorum in ſuis actibus, ita hoc, ad quod reſpicit Legislator, quod eſt Legis intentio, & finis, eſt menſura Legis poſitivæ.*

4. Lex pœnalis, & omnis alia oneroſa, ſtrictè interpretanda eſt, *ex reg. Jur.* 49. *in* 6. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* In favorabilibus verò latè eſt facienda, *ex reg.* 15. *Jur. in* 6. *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari.* Hinc pœnæ non extenduntur ad caſum in Lege non expreſſum. Nec in Legibus pœnalibus valet argumentum à pari, imò nec à minori ad majus; nam Legislator poteſt velle punire minus crimen, non majus, eò quòd illud ſæpiùs patretur, vel ſit periculoſiùs bono communi.

5. Lex generaliter, vel indefinitè loquens omnia ſignificata propria comprehendit. Nam verba generalia generaliter accipienda ſunt, *& ubi Jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus,* ait Bartolus in L. *de pretio ff. de Publiciana.*

6. Lex intelligenda eſt, & ſervanda ſecundùm receptam conſuetudinem: *Optima enim eſt Legum interpres conſuetudo,* l. 37. ff. *de Legibus,* & cap. 8. *de conſuet.*

7. Aliquando Legislator loquitur de ſingulari caſu, vel perſona, non quòd velit Legem ad hunc caſum, vel perſonam reſtringere, ſed iis utitur exempli gratia; nam exemplum non limitat diſpoſitionem, ſed declarat. Quare valet hæc regula: Cùm Lex frequentioris uſus cauſa aliquid decernit, caſum minùs frequentem non excludit, ſed comprehendit.

8. Lex poſitiva non ſemper ob paritatem rationis extendi debet ad caſus ſublata verborum forma non comprehenſos. Quia non ratio Legis, ſed voluntas Legislatoris ſignificata ſubditis eſt Lex, & obligat. Hic autem potuit velle ad unum obligare, & non ad aliud: unum crimen punire, non aliud: quamvis eſſet eadem ratio pro utroque. Legis enim poſitivæ diſpoſitio omnino pendet à libera voluntate Legislatoris, qui non obligat, niſi ad id, ad quod ſufficienter declarat ſe velle obligare.

Dixi, *non ſemper.* Nam Lex extenditur ob identitatem rationis in his caſibus. 1. Si aliqua iniquitas, vel abſurditas ſequeretur ex eo, quòd Lex non extendatur ad alios caſus non expreſſos. 2. In correlativis; nam diſpoſitum in uno correlativo, cenſetur eſſe diſpoſitum in alio, *ex l. ult. Cod. de indicta viduit.* Sic Lex ſtatuens de uxore, cenſetur idem ſtatuere de marito: quando eſt par ratio pro utroque: ùt cùm agitur de debito conjugali. 3. In æquiparatis, & connexis. 4. Cùm Lex exprimit rationem, ob quam fertur, *ſecundùm multos* extenditur ad caſus, in quibus clarè occurrit eadem ratio Legis; quia ubi ratio exprimitur, cenſetur eadem eſſe diſpoſitio pro caſibus, ubi clarè reperitur: neque tunc eſt interpretatio extenſiva, ſed declaratio comprehenſiva. 5. In judiciis, ex l. 12. *ff. de Legib.* Nam prudentia, & recta ratio dictat, ut cùm pro aliquo caſu decidendo non eſt certa Lex, deciſio illius petatur à ſimilis caſus deciſione.

Nota. Particulæ, *aut, vel,* aliquando accipiuntur copulativè, ex l. *Sæpe. ff. de verb. ſignif.* ùt cùm inter illas ponuntur ea, quæ non ſeparantur. Particulæ *ſeu, ſive,* plerumque ſumuntur copulativè: aliquando tamen disjunctivè.

Quæſt.

Quæſt. III. *Quandonam licet uti Epikija?*

Nota. Epikija eſt benigna, & rationabilis interpretatio, caſum aliquem particularem ob ſuas circumſtantias non comprehendi Lege, quamvis per verba generalia lata: ideoque Legem non obligare in tali caſu. Hinc ſola Lex poſitiva admittit Epikijam, non naturalis; quia ſola Lex poſitiva ſtatuit per verba generalia, quæ reſtringenda ſunt ex æquitate in certis caſibus. At Lex naturalis excipit omnes caſus excipiendos; eſt enim ordinatio divina per dictamen rationis intimata de omnibus, & ſingulis, quæ ex natura rei agenda, vel omittenda ſunt, ad honeſtè, ac rectè vivendum.

Reſp. 1. Aliquando neceſſe eſt uti Epikija: quoties nempe ſecundùm verba generalia Legis agendo, fieret aliquid contra rectam rationem, vel bonum commune. Nam Lex nunquam obligat ad aliquid irrationabile, vel noxium bono communi: ùt ſi v. g. Lex generatim ferretur, ne aperirentur noctu portæ civitatis, eſſet contra rectam rationem, & intentionem Legislatoris eas non aperire in eventu, quo copiæ auxiliares admittendæ eſſent in urbem: alioquin interficiendæ ab hoſtibus illam obſidentibus.

Reſp. 2. Uti licet Epikija, quando evidens eſt, non poſſe ſervari legem ſine gravi damno, cum quo conſtet legem non obligare: ſaltem ſi adiri nequit Superior. Nam tunc certò, & prudenter judicamus, legem non obligare in tali caſu.

Reſp. 3. In dubio, num aliquis caſus comprehendatur in lege, debet conſuli Superior, ex cap. 31. *de ſent. excomm.* & *L.* 1. *& ult. Cod. de Legibus.* Si non poſſit conſuli, non licet uti Epikija, ſed ſervanda eſt lex. *Azor*, *& alii*, poſt *S. Thomam* 2. 2. qu. 120. art. 1. ad 3. ubi ait: *Interpretatio locum habet in dubiis, in quibus non licet abſque determinatione Principis à verbis Legis recedere. Sed in manifeſtis non eſt opus interpretatione, ſed executione. Ratio eſt.* Quia in dubiis tutior pars ſemper eligi debet. Nec tunc abſque determinatione Superioris formari poteſt judicium prudens, & moraliter certum, legem non obligare.

CAPUT VI.

De Diſpenſatione.

Nota. Diſpenſatio eſt relaxatio Legis ad tempus, ſeu exemptio à Legis obligatione in aliquo caſu particulari, ubi Lex cæteroquin obligaret. Hinc differt 1. Ab interpretatione, qua non relaxatur obligatio, ſed ſolùm declaratur Legem non obligare in certis caſibus. 2. A privilegio, quod eſt facultas permanens conceſſa in perpetuum, & per modum Legis, & ſæpe non eſt contra, ſed præter Legem. 3. A licentia, ſeu permiſſione; qua non relaxatur obligatio Legis, ſed ſolùm apponitur conditio, ſub qua Lex non obligat.

Quæſt. I. *Quinam habent poteſtatem diſpenſandi?*

Nota. Poteſtas diſpenſandi eſt poteſtas jurisdictionis, & duplex eſt: nempe ordinaria, & delegata. Ordinaria eſt ea, quæ alicui competit ratione officii, ſeu ex vi ſui muneris. Delegata eſt ea, quæ habetur ex conceſſione illius, qui habet ordinariam. Hæc conceditur vel ab homine, vel à jure. Si à jure datur, tranſit in ordinariam, vel ei æquiparatur. Si datur ab homine per privilegium, non expirat morte concedentis. Si verò datur per ſimplicem commiſſionem, ceſſat mortuo, vel amoto delegante, ſi res eſt integra.

Reſp. 1. *Ex communi ſententia* Theologorum, nullus homo habet poteſtatem diſpenſandi in Legibus divinis, etiam merè poſitivis. Quia nemo habet poteſtatem relaxandi obligationem à Deo impoſitam, niſi ſpecialem ad hoc poteſtatem à Deo acceperit. Nam inferior non poteſt propria authoritate relaxare obligationem impoſitam à Superiore; authoritas enim inferior non poteſt ſuperiori prævalere, nec derogare. At nemo accepit à Deo poteſtatem relaxandi obligationem Legum divinarum; nam talis poteſtas neque ex Scriptura, neque ex Traditione probari poteſt: & aliunde non expedit bono Eccleſiæ, quæ non poſſet ſuam unitatem, uniformitatem, & conſtantiam

in

in fide, & in cultu divino ſervare, niſi Leges divinæ eſſent prorſus hominibus indiſpenſabiles. Præterea Leges merè poſitivæ à Chriſto latæ ad fidem, & Sacramenta, ac Sacrificium Euchariſtiæ, quæ ſunt Religionis noſtræ fundamenta, pertinent: ideoque ſunt fundamentales: ac proinde debent eſſe immutabiles reſpectu omnium: alioqui ſi mutarentur, mutaretur Religio ſubſtantialiter. Unde Concil. Trident. ſeſſ. 21. c. 2. clarè indicat, Eccleſiam non poſſe mutare ſubſtantiam Sacramentorum. Itaque circa Leges divinas etiam merè poſitivas, Deus ſolùm conceſſit Eccleſiæ poteſtatem illas interpretandi, & declarandi caſus, ad quos Lex divina non extenditur.

Reſp. 2. Poteſtatem ordinariam diſpenſandi in Lege humana habet 1. Is, qui eam tulit; nam ejusdem poteſtatis eſt ferre Legem, & in ea diſpenſare. 2. Succeſſor Legislatoris cum pari poteſtate. Nam ſi Legislator habet, ergo & is, qui habet æqualem, imò eandem poteſtatem, ex cap. 20. *de electione*, ubi Innocentius III. de prædeceſſore ſuo Legislatore ait: *Qui ſucceſſoribus ſuis nullum potuit in hac parte præjudicium generare, pari poſt eum, imo eadem poteſtate functuris; cùm non habeat imperium par in parem.* 3. Qui habet poteſtatem Legislatore ſuperiorem circa eosdem ſubditos. Nam ſi inferior habet poteſtatem ordinariam diſpenſandi, à fortiori habet eius Superior, qui etiam poteſt Legem inferioris abrogare.

Hinc Papa habet poteſtatem ordinariam diſpenſandi in omnibus Legibus Eccleſiaſticis, etiam ab Apoſtolis latis; quia parem habet jurisdictionem cum Petro Apoſtolorum Principe, cujus eſt Succeſſor.

Reſp. 3. Inferior non habet poteſtatem diſpenſandi in Lege Superioris, niſi ex ejus conceſſione. Quia 1. Ex Clemen. 2. *de elect. Lex Superioris per inferiorem tolli non poteſt.* 2. inferior non poteſt tollere obligationem impoſitam à Superiore ſine ejus conſenſu. Nam inferior non poteſt derogare, nec prævalere authoritati Superioris: alioqui inferior eſſet ipſo Superiore ſuperior.

Poteſt tamen inferior habere poteſtatem diſpenſandi delegatam. Quia Superior poteſtatem diſpenſandi exercere poteſt per alium, & ſic eam alteri concedere; nam *poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum. Reg. Jur.* 68. *in* 6.

Hinc 1. Epiſcopi, & omnes alii Prælati Papa inferiores, non habent poteſtatem ordinariam diſpenſandi in jure communi, & Legibus Papæ, ex cap. 15. *de tempor. ordin.* ubi damnatur Epiſcopus, quòd uno die plures ordines, licèt de mandato Metropolitani, contuliſſet, eò quòd diſpenſatio in hoc non fuerit à Canone conceſſa. Habent tamen delegatam in certis caſibus; nam diſpenſare poſſunt in Lege communi ex conceſſione Concilii, vel Papæ expreſſa, vel tacita, aut legitimè præſumpta. Unde poſſunt non ſolùm, quando in Lege expreſsè dicitur, Epiſcopos poſſe diſpenſare in ea, ùt patet; ſed etiam, quando eſt conſuetudo diſpenſandi, ex cap. 13. *de foro compet.* vel quando neceſſitas diſpenſandi in aliqua Lege ſæpè occurrit, ùt in feſtis, & jejuniis: vel quando dubium eſt, an res egeat diſpenſatione: vel quando occurrit gravis, ac urgens neceſſitas diſpenſandi, nec poteſt recurri ad Papam, aut periculum eſt in mora, ob ſcandalum, aut graviſſimum detrimentum imminens. Nam in his caſibus *ex communi ſententia* cenſetur poteſtas diſpenſandi Epiſcopo conceſſa; cùm hoc poſtulet bonum commune, ſitque neceſſarium ad ordinarium, & rectum regimen animarum.

2. Epiſcopus, vel Archi-Epiſcopus non habet poteſtatem diſpenſandi in Legibus Concilii Provincialis, aut Nationalis, niſi ex conceſſione ejusdem Concilii, vel Papæ. Quia ſunt Leges conditæ authoritate ſuperiori; nam Concilium Provinciale eſt unum corpus myſticum habens propriam, & diſtinctam jurisdictionem, majorem jurisdictione ſingulorum Epiſcoporum: qui proinde ſubjiciuntur ejus Legibus. Aliud eſt de Legibus latis ab Epiſcopo in Synodo Diœceſana, vel de conſenſu Capituli. Nam Epiſcopus habet poteſtatem ordinariam in iis diſpenſandi; quia ſive in Synodo, ſive in

Capitu-

Capitulo, tota potestas condendi Leges penes Episcopum est: neque ex Episcopo, & Parochis, aut Canonicis fit corpus mysticum, quod jurisdictionem habeat majorem jurisdictione Episcopali.

3. Archi-Episcopus non habet potestatem ordinariam dispensandi in Legibus Episcoporum suæ Provinciæ. Quia non est superior Episcopi, neque ejus Diœcesanorum, nisi cùm actu visitat Diœcesim, aut in casu appellationis.

Nota. Prælati, qui habent potestatem dispensandi quoad Leges, vota, & juramenta, possunt etiam secum dispensare saltem indirectè, committendo scilicet alteri potestatem dispensandi secum. Quia Prælati non sunt deterioris conditionis, quàm subditi, qui in promptu habent, à quo possint dispensationem accipere. Imò id possunt etiam directè, & immediatè per se; quia hoc nullo jure prohibetur. Nec repugnat, quòd quis in se exerceat jurisdictionem omninò voluntariam, quæ non sit condemnativa, nec absolutiva; nam ad hoc per se non requiritur distinctio personarum.

Quæst. II. *An peccat, qui dispensat etiam in propria Lege sine justa causa?*

Resp. Affirm. Ita communiter. Quia 1. Irrationabiliter ab onere liberat eum, qui non est eximendus: quod est peccatum acceptionis personarum, & contra justitiam distributivam. 2. Superior ex officio tenetur procurare bonum commune per Legum observationem, & fideliter, ac prudenter uti sua potestate, in ædificationem, non in destructionem: quod non facit dispensans sine justa causa, sed potiùs dissipat crudeliter, ùt ait *S. Bernardus lib. 3. de consid.* 3. Unicuique aperit aditum ad transgrediendas Leges, ùt ait Conc. Trid. sess. 25. cap. 18. Enimverò subditi facilè putant idem sibi licere quod aliis, qui nullam specialem causam habent, & quorum exemplo ad violationem Legum incitantur.

Hinc sine causa dispensans peccat mortaliter; si materia gravis est. Ita *Covarr. Suarez, Sanchez, Valent. & alii.* Nam peccat in re gravi contra officium proprium, contra bonum commune, item contra charitatem, præbendo multis occasionem peccandi. Peccat verò venialiter, per se loquendo, si materia levis est, nempe si obligatio Legis sit tantùm sub veniali.

Hinc peccat etiam subditus, qui dispensationem petit sinè justa causa; nam inducit Superiorem ad peccandum: imò qui ultrò oblatam acceptat; quia cooperatur peccato Superioris.

Nota 1. Non requiritur talis causa dispensandi, propter quam Superior teneatur dispensare: sed ea sufficit, quæ apta sit ad movendum rationabiliter Superiorem, ùt benigniùs agat cum inferiore, illum liberando ab obligatione legis, quæ alioqui non desineret: & tunc dispensatio data vocatur gratia.

2. Si causa talis sit, ut Superior saltem ex charitate teneatur dispensare, non idcirco subditus liber est ab obligatione, si negetur dispensatio. Quia per hanc causam sine authoritate Superioris non tollitur obligatio legis.

3. Ex Jure Canonico, triplex est generatim causa justa dispensandi, scilicèt: pietas, necessitas, & utilitas communis, vel etiam privata petentis, quæ redundet in bonum commune; nam dispensatio debet semper saltem mediatè & ultimatè cedere in bonum commune; alioquì est illicita & infidelis, ùt docet *Suarez* post *S. Thom.* Sufficit tamen, quòd detur propter bonum rationabile personæ privatæ, quod in aliorum damnum non cedat; hoc ipso enim redundat in bonum commune, postulans, ut Superior singulorum etiam bonum procuret, quantum fieri potest absque jactura boni communis: Quare *Sanctus Thomas* docet, dispensationem rectè dari, quando Lex, quæ communitati expedit, huic personæ non expedit propter periculum mali, vel impedimentum majoris boni.

Quæst. III. *An dispensatio sine justa causa scienter data valida est?*

Resp. 1. *Ex communi Theologorum sententia* est valida, quamvis illicita, si detur à Legislatore, vel ab eius Successore, aut Superiore. Quia obligatio legis positivæ, si-

cut ipsa lex, ut sit & perseveret, pendet à libera voluntate Legislatoris, & à libera applicatione juris, quod habet ad obligandum. Ergo etiam pendet à libera voluntate Succedentis cum æquali potestate, & à fortiori Superioris. Ergo si Legislator, vel ejus successor, aut Superior non vult subditum lege obligari, revera is non obligatur. Et verò Legislator potest sine justa causa tollere obligationem legis respectu omnium, ipsam legem abrogando. Ergo à fortiori potest illam tollere respectu aliquorum in certis casibus, dispensando cum illis, licèt remaneat respectu aliorum.

Equidem Legislator non potest ferre legem sine justa causa; quia non potest sine justa causa obligare subditos. At potest, etiam sine justa causa, non obligare; nam ad hoc sufficit, quòd obligare nolit. Ergo cùm Legislator possit sine justa causa nolle obligare, potest etiam sine justa causa non obligare.

Resp. 2. Invalida est dispensatio sine justa causa data ab inferiore & delegato. *Ita omnes, teste Suarez.* Quia inferior & delegatus non habet potestatem dispensandi sine justa causa; nam Superior non censetur talem potestatem ei concedere, cùm id non possit licitè; non enim censetur velle peccare. Non minùs autem peccaret superior, si inferiori concederet potestatem dispensandi sine justa causa, quàm si ipse sine ea dispensaret. Porro hoc est discrimen inter Superiorem & delegatum, quòd superior habeat ex vi muneris sui potestatem dispensandi, & lex pendeat ab ejus voluntate: at delegatus non habet potestatem nisi eam, quam Superior ei concedit.

Hinc Episcopus, justa causa deficiente, invalidè dispensat in lege jejunii, abstinentiæ, &c. *Covarr. Navarr. Sylvest. & alii.*

Quæst. IV. *An licet uti dispensatione valida sine justa causa obtenta?*

Resp. Non licet, sed subditus ea utens peccat eadem specie peccati, cujus est violatio illius legis. Quia quamvis non ampliùs obligetur ex vi legis humanæ ad actionem vel omissionem per illam præscriptam, cùm talis obligatio sublata sit per dispensationem: obligatur tamen ad illam ex vi legis naturalis præcipientis uniformitatem membrorum in servanda lege propter bonum commune, & vetantis, ne quis ab onere communi se subtrahat sine justa causa, & ne pars absque ratione discrepet à suo toto; nam (ut ait S. August. lib. 3. Confess. cap. 8.) *Turpis omnis pars est suo universo non congruens*, scilicet sine rationabili causa: qualis non est dispensatio injusta & repugnans bono communi. Enimverò legislator ipse peccat, si sine rationabili causa legem suam non servet. Ergo etiam & ipse subditus. Ob eandem rationem, cessante causa dispensationis, cessat usus ejus esse licitus.

Qui tamen tali dispensatione utitur, non incurrit Censuras & pœnas lege humana impositas; quia per dispensationem validam tollitur obligatio orta à lege humana: quare solùm peccat contra legem naturalem præcipientem idem, ad quod alii tenentur. Cujus quidem peccati gravitas, & species petenda videtur à gravitate materiæ, & specie actus per legem humanam præscripti, in quo lex naturalis præcipit conformitatem. Nam legis naturalis obligatio accommodatur materiæ gravitati, & eam præscribit ex eodem motivo, quo lex humana. Unde videtur peccare mortaliter contra temperantiam, qui non servat legem jejunii ex dispensatione sine justa causa obtenta. Alii tamen censent, talem tantùm obligari ex justitia legali aut distributiva, & legem naturalem tunc non tam severè obligare.

Obj. 1. Subditus utens dispensatione sibi concessa, quamvis sine justa causa utitur jure suo. Ergo non peccat.

Resp. Neg. ant. Quia tenetur adhuc servare Legem. Nam quamvis non obligetur ampliùs ex vi Legis humanæ, tamen adhuc ad actum, in quo dispensatus est, obligatur ex vi Legis naturalis, præcipientis uniformitatem, & vetantis, ne quis ab onere communi se subtrahat sine justa causa, qualis non est dispensatio injusta, & irrationabilis.

Obj.

Obj. 2. Ergo nullum eſt diſcrimen inter diſpenſatum ſine juſta cauſa, & non diſpenſatum.

Reſp. Neg. Hoc enim inter utrumque intercedit diſcrimen, quòd ſic diſpenſatus obligetur tantùm *vi* Legis *naturalis*, nec contrahat pœnas, ac cenſuras per Legem inflictas. At non diſpenſatus obligatur non ſolùm *vi* Legis *naturalis*, *uniformitatem* inter membra eiusdem communitatis præcipientis, ſed etiam *vi* Legis humanæ. Unde non ſervando Legem, incurrit pœnas per Legem inflictas, & graviùs peccat; quia peccat contra duplicem obligationem; alter verò contra unicam.

Nota. Quamvis inferior dubitet, utrùm ratio petendi diſpenſationem ſit ſufficiens, non tamen peccat illam ſincerè proponendo Superiori, aut utendo diſpenſatione, ſi detur: modò dubium deponat, conformando judicium ſuum judicio Superioris, qui prudenter judicaſſe, cauſam diſpenſandi ſufficientem fuiſſe, præſumendus eſt, niſi oppoſitum conſtet, aut ſit multò probabiliùs.

Quæſt. V. *Quandonam diſpenſatio invalida eſt ex parte petitionis?*

Reſp. Nulla eſt diſpenſatio, ſi ſit ſubreptitia, vel obreptitia. Quia tunc Superior non intendit diſpenſare, nec diſpenſat, niſi ſub hac tacita conditione: *Si res ita ſit, & nihil occultetur*, propter quod diſpenſaturus non eſſet, aut ſaltem niſi cum certo onere, vel limitatione: nec voluntarium eſt, ſi ignoretur, quod agitur, ex cap. 7. *de fide inſtrumentorum*, ubi Innocentius III. ait: *Si tales per ſuppreſſionem veritatis, aut falſitatis expreſſionem, litteras noſtras etiam certas conſtitexit impetraſſe, carere volumus impetratis, & eis non obſtantibus, ad voti executionem compelli.*

Diſpenſatio autem *ſubreptitia* eſt ea, quæ obtinetur per reticentiam veritatis exprimendæ, ſeu eorum, quæ exponi debent in petitione juxta jus, & ſtylum. *Obreptitia* eſt, quæ obtinetur per expreſſionem falſitatis, qua cognita, non fuiſſet data diſpenſatio. Hæc vocatur etiam aliquando ſubreptitia, & utraque ſæpe in jure confunditur, eò quòd utraque nullas vires habeat.

Itaque invalida eſt diſpenſatio. 1. *Si* reticeatur, licèt inculpatè, aliquid ad rem petitam ſpectans, vel aliquid eorum, quæ ſecundùm *jura*, & *ſtylum* exprimi debent, ex cap. 2. *de filiis Presbyt. in* 6. Quia Superior non intendit dare diſpenſationem, niſi adſint conditiones, quæ ad ipſam intrinſecè ſpectant, & quæ jus, ſtylus, conſuetudo, & Leges, ſeu regulæ Cancellariæ exigunt, ut cognoſcatur, qualis ſit gratia, quæ poſtulatur: & ſine horum omnium cognitione Superior non vult dare gratiam, qualis petitur; cùm eam ùt talem ignoret. 2. Nulla eſt, ſi obtineatur ex cauſa finali falſa, cap. 20. *de reſcript.* Quia Superior non vult diſpenſare ſine juſta, & vera cauſa, nec poteſt cenſeri velle peccare. Idem dic, ſi duæ cauſæ allatæ ſint, una vera, & altera falſa, & vera per ſe non ſufficiat ad diſpenſationem æquam, & rationabilem: ſecùs, ſi ſola cauſa impulſiva ſit falſa, *ex eod. cap.* Cauſa autem finalis eſt ea, quæ immediatè pertinet ad rem petitam, & ob quam conceditur gratia, ita ut ea non exiſtente, aut nullo modo, aut non niſi cum quibusdam conditionibus, & limitationibus conceſſa fuiſſet. Cauſa verò impulſiva dicitur ea, propter quam diſpenſans faciliùs diſpenſat, ita tamen, ut ſine illa ſecundùm rectam rationem, & cauſæ meritum diſpenſaturus eſſet eodem modo.

Quæſt. VI. *An valet diſpenſatio, ſi poſt petitionem cauſa ceſſet?*

Reſp. 1. Nulla eſt diſpenſatio, ſi ejus cauſa finalis non ſubſiſtat tempore, quo conceditur à Papa, vel Pœnitentiario, cap. 9. *de reſcript. in* 6. Quia non volunt concedere diſpenſationem, niſi ob cauſam, quæ tunc ſubſiſtat: alioqui eſſent iniqui diſſipatores, & ſine cauſa diſpenſarent. Idem eſt, ſi cauſa non perſtet eo tempore, quo Commiſſarius, nempe Epiſcopus, vel Confeſſarius diſpenſat; quia ceſſante cauſa finali mandati ceſſat mandatum, ſi res integra ſit, ex c. 3. *de præb. in* 6. At hìc, antequam Commiſſarius diſpenſat, res eſt adhuc integra.

tegra. Præterea Commissarius non potest dispensare, nisi sub hac conditione apponi solita, aut saltem subintellecta : *si preces veritate nitantur* : quæ exigit, ut causa finalis verè perstet tempore, quo datur dispensatio, & quo examinata precum veritate, executioni mandatur à Commissario : alioquin delegaretur potestas dispensandi sine causa existente : quod illicitum est. Hinc si ob causam legitimandæ prolis ex consanguinea susceptæ petatur dispensatio in impedimento, sed ante obtentam, vel à Commissario datam dispensationem proles moriatur, non valet, nec potest executioni mandari.

Resp. 2. Si post dispensationem obtentam, examinatam, & datam à Commissario cesset causa finalis ante illius usum, *v. gr.* proles moriatur ante contractum matrimonium, controversia est. Alii putant, tunc etiam valere dispensationem super impedimento ; quia in litteris dispensatoriis conceditur dispensatio sub hac sola conditione jam posita : *si preces veritate nitantur*, cùm nempe à Commissario examinatur petitio dispensationis. *Sanchez* verò *cum multis* docet generatim, tunc cessare dispensationem. Quia Superior non vult eam valere in casu, quo cessat ejus causa legitima : alioqui peccaret, esset que iniquus dispensator, concedendo facultatem agendi contra Legem non subsistente justa causa. Unde in omni dispensatione subintelligitur hæc conditio : *Modò causa permaneat tempore executionis.* Idque videtur certum, dum dispensatio non est super impedimento, sed super observantia alicujus præcepti, *v. g.* officii, jejunii, &c. Tunc enim si ante illius usum causa cesset, manet obligatio servandi præceptum ; quia non est mens Superioris ab ea liberare sine causa subsistente tempore, quo urget ipsa obligatio : cùm hoc non possit licitè velle : & quia Lege naturali, à qua nemo potest dispensari, pars tenetur se toti conformare, cessante causa exemptionis.

Item, si initio usus subsistebat causa, sed postea cesset, & dispensatio habeat effectum successivum, sitque virtualiter multiplex, tunc hæc quoque cessat cessante ejus causa. Sic siquis propter infirmitatem, quæ perpetua fore videbatur, à Lege jejunii dispensationem sine limitatione obtinuisset, si postea convalescat, rursus tenetur jejunare. Quia cùm obligatio jejunii sit successiva, & multiplex, sive cum tot sint obligationes jejunandi, quot sunt dies Quadragesimæ, non possunt tolli, nisi per totidem dispensationes ; nam pro singulis diebus opus est dispensatione virtualiter nova, ac proinde requiritur justa causa, quæ singulis illis diebus subsistat. Nec debet præsumi, esse mens fidelis dispensatoris, velle liberare ab aliqua obligatione sine justa causa subsistente tempore obligationis ; cùm id licitè non possit.

Si verò dispensatio sit super impedimento matrimonii, vel irregularitate, seu inhabilitate, & jam executioni mandata fuerit, non cessat dispensatio cessante causa : ùt si qùis ob parentum inopiam dispensationem ad Ordines obtinuit, sed post susceptos Ordines cessat paupertas, non ideo cessat dispensatio super irregularitate, sed talis licitè exercet Ordines ; quia non redit impedimentum semel absolutè sublatum per dispensationem ; & quia *factum legitimè retractari non debet, licèt casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari. Reg.* 73. *Jur. in* 6.

CAPUT VII.

De Abrogatione, & Cessatione Legis.

Nota. LEgis abrogatio, derogatio, & cessatio inter se differunt. Nam abrogatio est totius Legis abolitio. Derogatio est Legis adhuc vigentis imminutio secundùm aliquam sui partem, seu abolitio partis Legis : *Derogatur Legi, cùm pars detrahitur : abrogatur Legi, cùm prorsus tollitur*, l. 102. *ff. de verbor. signif.* Cessatio verò est simplex, & pura desitio Legis per se ipsam.

Quæst. I. *An Lex potest validè, & licitè abrogari?*

Resp. 1. Princeps potest validè, etiam sine justa causa, abrogare Legem à se, vel à

suo

ſuo prædeceſſore, aut inferiore latam. *Probatur* 1. *pars.* Quia Lex poſitiva, ut ſit, & ut conſervetur, pendet à libera voluntate Legislatoris; nam Lex eſt actus, & applicatio poteſtatis præcipiendi, & obligandi ſubditos. Hæc autem applicatio eſt actus liber voluntatis Legislatoris. 2. Quia qui ſuccedit Legislatori cum pari poteſtate, poteſt id totum, quod Legislator poterat. 3. Quia jus, & voluntas Superioris prævalet juri, & voluntati inferioris.

Reſp. 2. Inferiores non poſſunt abrogare Leges Superiorum ſine eorum conceſſione, ex *Clement. de elect.* Quia poteſtas, & voluntas inferioris non poteſt prævalere poteſtati, & voluntati Superioris: alioqui inferior eſſet ipſo Superiore Superior.

Reſp. 3. Legem ſine juſta cauſa abrogans peccat. Nam bono communi nocet, & parit contemptum Legum, ac inconſtantiam regiminis. Non peccant tamen ſubditi non ſervando Legem ſic abrogatam; quia ejus obligatio ſublata eſt reſpectu omnium, cùm validè ſit abrogata.

Nota. Lex abrogatur tripliciter. 1. Per ſimplicem revocationem. 2. Per deſuetudinem, vel contrariam conſuetudinem expreſsè, aut tacitè à Superiore approbatam, vel legitimè præſcriptam. 3. Per aliam Legem, qua vel declaretur revocatio prioris, vel contrarium priori Legi ſtatuatur; nam ſi Lex poſterior ſtare nequeat cum priori, illam revocat, cùm ei opponatur. Leges tamen ſpeciales per poſteriores generales non abrogantur, ſine expreſſa mentione, vel clauſula ſaltem generali expreſsè derogatoria. Quia, *ùt docent communiter Canoniſtæ*, Princeps cenſetur ignorare Legem ſpecialem, cujus expreſſam mentionem non facit, vel cui non derogat expreſsè. Unde cùm voluntas non feratur in incognitum, non cenſetur, velle illi derogare per Legem generalem carentem clauſula derogatoria Legis ſpecialis; ex cap. 1. *de conſtit. in 6.*

Quæſt. II. *Quandonam Lex ceſſat per ſe ipſam?*

Reſp. Ex communi ſententia ceſſat. 1. Quando elapſum eſt tempus, ad quod lata eſt. 2. Quando propter mutationem materiæ, vel circumſtantiarum, facta eſt injuſta, aut inutilis bono communi; nam Lex omnis eſt eſſentialiter honeſta, & utilis communitati. 3. Quando ceſſat reſpectu communitatis tota, & adæquata ratio, ſeu cauſa finalis, propter quam lata eſt. Nam Lex non obligat, niſi quamdiu Legislator vult, ut obliget; imò Lex ipſa ſaltem ex parte eſt ipſa Legislatoris jus ſuum ad obligandum ſubditos applicantis voluntas moraliter perſeverans: unde Lex non perſeverat, niſi eadem voluntate moraliter perſeverante. At voluntas obligandi non perſeverat moraliter ceſſante tota, & adæquata cauſa, propter quam Lex lata eſt; nam ceſſat volitio ceſſante motivo volendi, ſeu cauſa finali, propter quam volumus; actus enim volendi nec eſſe, nec perſeverare poteſt ſublato ejus objecto formali, nempe motivo.

Si tamen ratio, ſeu cauſa Legis ceſſet ſolùm reſpectu aliquorum privatorum, Lex non ceſſat, ſed ſemper obligat etiam illos privatos. *Ita Suarez, Azor, Layman, & alii commun.* quia Legislator vult, ut omnes Lege teneantur, quamdiu illa Lex utilis eſt bono communi, & honeſtè ſervari poteſt. Nam Legis obſervatio in tali caſu confert ad illius vigorem, ac robur, & ad bonum commune, exigens membrorum conformitatem: alioquin daretur ſubditis occaſio ſæpè eludendi Leges: nam ſibi quisque facilè fingeret, finem Legis reſpectu ſui ceſſare. Quare bonum commune exigit, ut tunc Lex obliget.

CAPUT VIII.

De Lege pœnali, & irritante.

Nota. LEx pœnalis eſt ea, quæ pœnam expreſsè apponit trasngreſſoribus. Alia eſt purè pœnalis, & alia mixta.

Quæſt. I. *An extant Leges pœnales?*

Reſp. 1. *Ex communi ſententia* extant Leges pœnales mixtæ, quæ obligant in conſcientia abſolutè ſub culpa, & pœna. Nam Lex pœnalis mixta eſt ea, quæ præcipit aliquid

quid faciendum, vel omittendum, & simul pœnam transgressoribus imponit; ideoque duo præcepta continet: unum faciendi, vel omittendi aliquid: aliud subeundi pœnam appositam, si secùs fiat. At omne præceptum Legitimum obligat in conscientia. Ergo. Et verò impositio obligationis ad utrumque bono communi expedit, & sæpè necessaria est; nam sæpè una obligatio sine altera non esset satis efficax ad consequendum finem Lege intentum; utraque autem simul valdè urget observationem Legis.

Porrò Leges, in quibus apponitur pœna cum verbis præcipiendi, vel prohibendi, sunt pœnales mixtæ: nisi Legislator, vel consuetudo declaret esse purè pœnales. Nam Lex aliquid præcipiens, vel vetans, non apponendo pœnam, obligat absolutè sub culpa. Ergo etiam sic obligat apponendo pœnam; nam pœna præcepto apposita, non tollit ejus obligationem, sed potiùs confirmat.

Resp. 2. Extant etiam Leges purè pœnales. Nam Lex purè pœnalis est ea, quæ præcipit tantùm disjunctivè, ut vel fiat id, quod statuitur, vel certa pœna subeatur: unde unicum continet præceptum, illudque disjunctivum, scilicet: faciendi, omittendive aliquid, vel subeundi pœnam aliquam, si illud fiat, aut omittatur. At extant ejusmodi Leges aliquæ; nam tales sunt Constitutiones, seu Leges quarumdam Religionum, ût de sua testatur S. *Thom.* 2. 2. quæst. 186. art. 8. ad 1. Et verò quidni darentur tales Leges, cùm sæpè magis expediant saluti, ac bono spirituali subditorum; sæpè enim per illas subditi sufficienter impelluntur timore pœnæ ad actum præscriptum, & tollitur periculum peccandi, quòd aliàs esset.

Observa. 1. Duplex est pœna: una propriè dicta, quæ est malum, seu incommodum aliquod naturæ, vel voluntati contrarium, ad vindicandam culpam aliquam inflictum. Et altera impropriè dicta, quæ est onus quoddam, vel incommodum impositum non propter culpam, sed propter aliam causam; putà, ut illius metu impellamur ad aliquid faciendum, vel omittendum. De hac intelligi debet *Regula 23. Jur. in 6. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.*

2. Lex purè pœnalis obligat quidem in conscientia, & sub culpa, sed solùm disjunctivè, vel ad actum præscriptum, vel ad pœnam, impropriè dictam subeundam; quia alterutrum tantùm præcipitur. Hinc subditus omittendo actum, peccat, nisi paratus sit ad pœnam illam subeundam; nam semper est contra rectam rationem, & Legem divinam, non obedire Superiori præcipienti, eo modo scilicet, quo & quatenus præcipit.

3. Lex certam pœnam apponens, cognoscitur esse purè pœnalis, vel ex verbis Legislatoris, quibus declarat, se velle obligare disjunctivè tantùm ad actum, aut ad pœnam: vel ex ipsa forma Legis; ût si disjunctivè præcipiatur, vel prohibeatur aliquid, v. gr. *Nullus tales merces evehat, vel solvat 50. nummos:* tunc enim datur optio ad alterutrum: vel si Lex non feratur per modum præcepti prohibitionis, ût: *Qui venaturus est, centum libras solvet:* nisi pœna sit gravissima, vel Censura; aut ex circumstantiis, aut materia verosimiliùs appareat contrarium. Item Lex purè pœnalis cognoscitur ex communi Sapientum interpretatione, vel ex consuetudine, quæ est optima Legum interpres.

Quæst. II. *An, & quando Lex pœnalis obligat ad subeundam pœnam ante omnem sententiam Judicis?*

Nota. Pœna alia est lata, quæ ipso facto, seu sola culpæ admissione infligitur per Legem: & altera ferenda, quæ statuitur infligenda per Judicem. Item, duplex est sententia Judicis: una condemnatoria, per quam reus à Judice condemnatur ad certam pœnam: altera criminis declaratoria, per quam Judex declarat, aliquem incidisse in crimen, propter quod pœna ipso facto contrahitur, & eam subeundam esse. Hic non agitur de pœna sententiæ ferendæ; nam patet, reum non obligari ad eam persolvendam, donec Judex eum condemnaverit. Lex enim statuit solùm, eam à Judice esse infligendam.

Resp. 1. *Ex communi sententia* reus tenetur ante sententiam Judicis, etiam declaratoriam,

riam, ſubire pœnas ipſo facto latas, ſive illæ pœnæ ſint paſſivæ, quæ nullam rei actionem requirant: ùt ſunt Cenſuræ, irregularitas, privatio vocis paſſivæ, & activæ, irritationes contractuum, inhabilitas: ſive ſint privatæ, quæ irritent actum vetitum, & reum inhabilem reddant, licèt executioni mandari nequeant ſine rei actione: ſive ſint activæ, ſed moderatæ: ùt ſunt recitatio aliquarum precum, jejunium, moderata corporis caſtigatio, mulcta pecuniaria, & ſimiles. *Conſtat* 1. Ex communi Eccleſiæ ſenſu, & uſu. 2. Quia Legislator poteſt per ſuam Legem infligere, & exequi pœnas ejusmodi, quoties hic modus infligendi, & obligandi, ad illas neceſſarius eſt, aut valdè expedit bono communi, ſicut reipſa ſæpè expedit. Nam Legislator habet poteſtatem ad ea omnia, quæ expediunt bono communi. 3. Non minor eſt poteſtas obligativa in Lege, quàm in ſententia Judicis; cùm Lex ſit actus immediatè procedens à Principis poteſtate, ſcientia verò ſit à poteſtate delegata Principis: & Legislator poteſt per ſuam Legem infligere, & exequi pœnam, quam poteſt per Judicem, qui ab eo totam ſuam poteſtatem accipit, quando per talem modum exequendi pœnam, pœna non redditur nimis acerba, & moraliter impoſſibilis. Ergo ſi reus tenetur ſubire, & exequi pœnam per ſententiam Judicis inflictam, tenetur etiam ſubire, & exequi pœnam per Legem inflictam, ſi illa pœna, ùt ſtatim, & ante omnem ſententiam à reo perſolvenda, non ſit nimis acerba, & moraliter impoſſibilis. Quod addo: quia Lex humana debet eſſe tolerabilis, & accommodata imbecillitati, ac conditioni humanæ: alioquin eſſet occaſio multarum transgreſſionum, & ideo magis obeſſet, quàm prodeſſet.

Reſp. 2. *Ex communi ſententia* reus non tenetur ante ſententiam declaratoriam ſubire pœnam ipſo facto latam, quæ executioni mandari nequit ſine actione rei, ſi illius executio ſit admodùm acerba, & difficilis: ùt confiſcatio omnium bonorum, privatio beneficii juſtè poſſeſſi, &c. niſi addantur aliæ voces plùs ſignificantes, v. gr. *Ut nullo alio præmiſſa monitione, & ante omnem declarationem, & promulgationem ſententiæ ſic privatus beneficio, &c.* Quia 1. communis uſus tales Leges ſic interpretatur: & aliunde voces, *ipſo facto, ipſo jure*, in illis Legibus poſitæ, ſufficientem effectum habent; nam ſignificant, ad pœnam ſtatutam contrahendam non requiri ſententiam condemnatoriam, ſed ſufficere declaratoriam, faciuntque, ut pœna illa extendatur, ac retrotrahatur uſque ad diem commiſſi criminis: ita ut alienatio, v. gr. bonorum à die commiſſi criminis *facta, reſcindi* queat. 2. cap. 19. *de Hæretic. in* 6. cùm ſtatutum eſſet, bona Hæreticorum eſſe ipſo jure confiſcata, mox additur, ne executio confiſcationis fiat ab ullo Principe ſæculari, donec à Judice competente ſententia ſuper eodem crimine fuerit promulgata.

Quæſt. III. *An ignorantia excuſat à reatu pœnæ?*

Reſp. 1. Omnis ignorantia, quæ excuſat à culpa, excuſat etiam à reatu, ſeu debito pœnæ propriè dictæ, ex cap. 9. *de Cler. excomm.* Quia pœna propriè dicta ſtatuta eſt ob culpam, & hanc neceſſariò ſupponit. Ergo quod tollit culpam, tollit meritum, ac reatum pœnæ.

Hinc 1. Qui Legem aliquam non ſervavit ex ignorantia inculpabili, non tenetur in conſcientia ad pœnam ſubeundam, quamvis Lex eam imponat ipſo facto. Quòd ſi condemnetur à Judice, quia non poteſt probare ſuam inculpabilem ignorantiam, de qua certus eſt, poteſt pœnam vitare, modò id ſine publica reſiſtentia, & ſcandalo fiat. 2. Ignorantia excuſans à culpa, excuſat etiam ab irregularitate ex delicto. Quia hæc eſt propriè pœna, aut ſaltem eam ùt cauſam ſupponit: ſecùs de irregularitate ex defectu; quia non eſt propriè pœna, nec ſupponit culpam, ſed ſolùm factum aliquod, quod non impedit ignorantia.

Reſp. 2. Ignorantia excuſans à culpa mortali, licèt non excuſet à veniali, excuſat à pœna gravi Legis. Quia gravis pœna non imponitur per Legem humanam, niſi propter gravem culpam; nam Lex humana debet eſſe tolerabilis, & accommodata condi-

ditioni humanæ, nec moderationem rationabilem, & æquitatem excedere debet. Quòd si pœna sit levis, & talis, quæ cadere possit in culpam venialem, tunc ignorantia non excusans à veniali, non excusabit ab illa,

Resp. 3. Ignorantia, quæ non excusat à culpa gravi, non excusat à pœna, nisi in Lege addatur verbum, quod dolum, aut scientiam requirat. Quia cum tali ignorantia ponitur culpa, propter quam pœna statuitur.

Dixi, *nisi in Lege*, &c. propter quasdam Leges, in quibus additur: *Qui scienter, vel temerè hoc fecerit: si quis præsumpserit*, aut aliud æquivalens, quod scientiam requirit. Tunc enim pœna non contrahitur, nisi culpa fiat ex scientia, vel ex ignorantia affectata, quæ æquiparatur scientiæ; quia Legislator (ùt verba Legis indicant) non vult punire transgressionem Legis, licèt mortalem, nisi habeat talem modum gravitatis: ut nempe fiat ex certa scientia, & temeritate, quæ circumstantia multùm auget culpam. Hinc ignorantia affectata nunquam excusat à pœna gravi; quia meritò æquiparatur scientiæ; cùm includat scientiam periculi directè voliti, contemptum Legis, temeritatem, ac præsumptionem: & auget culpam propter majorem affectum peccandi.

Resp 4. Ignorantia, licèt invincibilis, solius pœnæ non excusat à pœna, quæ saltem non sit Censura. Quia 1. ignorantia solius pœnæ non excusat à culpa, propter quam est obligatio ad pœnam Lege statutam. Et ideo Deus infideles pœna æterna ob peccata mortalia punit, quamvis invincibiliter ignorent, talem pœnam illis debitam esse. Item, homines mortis pœna multant fures, quamvis eam ignorantes. 2. Pœna non debet esse voluntaria sicut culpa. Imò magis est est pœna, dum est involuntaria.

Sed an, qui ponit actum aliquem Lege divina, & humana prohibitum, excusatur à pœna Legis humanæ, si ignoret inculpabiliter talem Legem humanam?

Resp. Non videtur excusari, *regulariter* loquendo. Quia talis ignorantia non tollit omnem causam pœnæ, nempe culpam. Nam in hoc casu violatur culpabiliter Lex divina; & Lex humana non solùm intendit punire transgressionem sui voluntariam, sed etiam culpam contra Legem Dei commissam: & aliunde notitia pœnæ non est necessaria ad contrahendam ipsam pœnam. Hinc rebaptizans sit irregularis ex delicto, licèt ignoret invincibiliter Legem Ecclesiasticam de hoc latam, si norit divinam.

Dixi *regulariter*. Nam 1. Excipiuntur Censuræ, à quibus excusat semper ignorantia invincibilis Legis Ecclesiasticæ: eò quòd requirant contumaciam contra Legem Ecclesiasticam: qua caret is, qui ignorat invincibiliter talem Legem. 2. Si pœna extraordinaria sit, minui debet; quia minor est contemptus, ideoque culpa minorem pœnam meretur.

Quæst. IV. *Qui sit Lex irritans, & quinam ejus effectus?*

Resp. 1. Lex irritans est ea, quæ statuit actum aliquem esse invalidum. Constat autem actum, qui fit contra talem Legem, esse nullum, etiam in foro conscientiæ. Quia in Ecclesia, & in Republica est potestas legitima irritandi actus; sive præscribendo certam formam actui, cujus defectus impediat actuum valorem, & obligationem: sive subditos reddendo inhabiles ad certos actus. Nam talis potestas ad bonum commune, & rectam, ac efficacem gubernationem requiritur; cùm sine tali potestate, fraudes, pericula, aliaque gravia incommoda impediri sæpè nequeant.

Resp. 2. Invincibilis ignorantia Legis irritantis non impedit irritationem actus factam immediatè propter bonum commune. *Indubitatum est apud omnes* ait *Suarez*. Quia irritatio non supponit culpam; cùm imposita sit non propter illam, sed propter bonum commune, quod postulat, ut Lex irritans habeat effectum suum pro isto, & omni alio casu. Ergo à fortiori nec metus gravis impedit irritationem actus, alioquin homines sumerent occasionem incutiendi metum ad eludendam Legem: quod bono communi

multùm

multùm obesset, & in grave Reipublicæ detrimentum redundaret. Nec potest quis derogare bono communi, cedendo proprio.

Resp. 3. Lex irritans simul & prohibens actum, obligat in conscientia ad vitandum illum actum. Quia Lex illa continet præceptum prohibens. Lex verò purè irritans actum, non obligat ad illum vitandum. Quia Lex illa non continet præceptum omittendi actum, quem irritat: & ad finem talis Legis sufficit irritatio actus absque obligatione abstinendi ab illo. Hinc Lex irritans renunciationem hæreditatis paternæ factam à filia dote contenta, dum nuptui collocatur, non obligat illam ad non renunciandum.

Lex autem censetur purè irritans, quando ejus verba nullam continent prohibitionem, sed præcisè actum irritant: nisi contrarium ex materia, fine, vel circumstantiis, aut usu colligatur: ùt contingit in Legibus Ecclesiasticis irritantibus: & quoties inhonestum est velle facere actum, qui non potest fieri validè, v. gr. matrimonii contractum.

Resp. 4. Lex ipso facto irritans obligat in conscientia ad ea omnia, quæ per se ex irritatione sequuntur. Nam talis Lex actum, quem irritat, privat omni usu, ac utilitate morali; ad hoc enim ipso facto irritatur, ut omni utilitate morali careat. Ergo omnis moralis usus illius illicitus, ac vetitus est vi Legis irritantis, & non tantùm vi Legis naturalis: alioqui talis actus non privaretur per Legem irritantem omni morali utilitate, si adhuc licitus esset illius usus in ordine ad effectus morales. Ergo etiam vi Legis irritantis obligamur ad omnia, ad quæ tenemur ex natura rei, ac proinde Lege naturali ex hypothesi nullitatis actus.

Hinc, v. gr. Lex ipso facto irritans acquisitionem fructuum beneficii, hoc ipso privat illam omni utilitate morali: & sic reddit omnem illius usum moralem illicitum: ac proinde non solùm vi Legis naturalis, supposita nullitate actus, sed etiam vi Legis humanæ actum illum irritantis, tenetur subditus in conscientia fructus illos restituere.

Resp. 5. Lex non irritans ipso facto actum, sed solùm præcipiens ejus irritationem, non obligat privatas personas ante sententiam Judicis ad irritandum actum; nam irritatio est actus proprius potestatis publicæ, & ita si non fit per Legem, fieri debet per Judicem, cui soli illam Lex præcipit. Neque etiam obligat ad ea, quæ ex actus irritatione per se consequuntur; quia nondum est irritatio actus ante sententiam Judicis.

CAPUT IX.

De Privilegio, & Consuetudine.

Quæst. I. *Quid, & quotuplex est Privilegium?*

Resp. Privilegium est facultas constans, ac permanens, à Superiore concessa, agendi, vel non præstandi aliquid contra, vel præter Legem. Hinc differt à dispensatione, quæ solùm est ad actum, vel casum particularem, nec est permanens, sed transiens, & semper est relaxatio Legis. Dividitur præcipuè, 1. In reale, quod conceditur ratione rei, muneris, conditionis, vel status: & in personale, quod directè conceditur ratione, seu intuitu personæ. Hoc affixum est personæ, & cum ea extinguitur. *Regul.* 7. *Jur. in* 6. Reale verò affixum est rei, & cum ea perseverat, & perit. 2. In Privilegium contra Legem, quo datur exemptio ab oneribus communibus: & in Privilegium præter Legem, quo conceditur aliqua facultas iis, quibus de jure non competit. Sed sine ullius damno, nec contra Legem aliquam. Prius est odiosum, & strictæ interpretationis; cùm gravet alios: nisi datum sit in favorem causæ piæ, vel publicæ, aut communitatis Religiosæ. Posterius est amplæ interpretationis; quia nullos gravat.

Quæst. II. *Quis Privilegium concedere potest?*

Resp. Is omnis, & solus, qui potest Legem ferre: & iisdem, quibus potest Legem ferre, nempe subditis: potest tamen & aliis non sibi subditis aliquid circa se, suaque concedere, quod jure communi non haberent.

Nota. Juxta Canoniſtas in generali conceſſione, ſpecialiſſima non comprehenduntur, niſi ſufficienter exprimantur, ex *Reg.* 81. *Jur. in* 6. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.*

Quæſt. III. *Quot modis Privilegium amittitur?*

Reſp. His. 1. Per illius abuſum, accedente ſententia Judicis: *Quia Privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate, cap.* 24. *de Privileg.* 2. Per non uſum ſpatio ſufficienti ad præſcribendum, ſi gravet alios, ex cap. 15. *de Privileg.* Quòd ſi non gravet, non amittitur per præſcriptionem; nam alii contra Privilegiatum præſcribere nequeunt; cùm ipſorum nihil interſit. 3. Per revocationem Concedentis, aut Succeſſoris expreſſam, & Privilegiato ſignificatam, vel per Legem revocatoriam promulgatam. Quæ tamen conceſſa ſunt in remunerationem ſervitiorum, vel ex pacto, & cum onere adjuncto, ac præſtito, non poſſunt revocari, niſi ex gravi cauſa pertinente ad bonum commune, & quidem cum juris ablati compenſatione.

Porro Privilegium non ceſſat morte concedentis; nam *decet conceſſum à Principe beneficium eſſe manſurum, Reg.* 16. *Jur. in* 6. At ceſſat per ſe ceſſante cauſa, ob quam datum eſt, quando verſatur circa obligationem dividuam, ac ſucceſſivam, quam tollit: ùt dixi de diſpenſatione. Quia Superior non intendit concedere exemptionem, quæ duret contra Legem, ceſſante cauſa; cùm id licitè non poſſit; ſic Privilegium alicui datum non recitandi Horas ob gravem cauſam, hac ceſſante, ceſſat.

Nota. Alexander VII. damnavit hanc propoſitionem 36. *Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti Privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſsè revocata per Concilium Tridentinum.*

Quæſt. IV. *Quid eſt Conſuetudo?*

Reſp. Hic ſumitur pro frequentia actuum externorum ſimilium liberè factorum à majore ſaltem parte communitatis. Nomine actuum intellige etiam omiſſiones. Duplex eſt: nempe facti, & juris. Conſuetudo facti eſt ejusmodi frequentia, ſed non habens vim Legis, defectu conditionum ad hoc requiſitarum. Conſuetudo juris eſt talis frequentia habens vim Legis, ſive eſt jus ex illa frequentia ortum. Unde Can. 5. diſt. 1. definitur: *Jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro Lege ſuſcipitur, cùm deficit Lex.*

Quæſt. V. *An, & quæ Conſuetudo habet vim Legis?*

Reſp. 1. Conſuetudo honeſta, & bono communi utilis, inducta liberè, & publicè à communitate, cum animo inducendæ obligationis, accedente conſenſu Principis perſonali, vel legali, habet vim Legis, & obligat in conſcientia. Quia 1. *Ita docent omnes Theologi, & Canoniſtæ, eſtque communis Eccleſiæ ſenſus.* 2. Ex S. Auguſt. Epiſt. 86. *In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura divina, mos populi Dei, vel inſtituta Majorum pro Lege tenenda ſunt.* 3. Ex L. 32. & 33. *ff. de Legibus.* 4. Quia tali conſuetudini nihil deeſt, ut vim Legis non habeat. Nam eſt materia proportionata, poteſtas, & voluntas obligandi communitatem ſufficienter exteriùs declarata.

Eſt autem duplex conſuetudo vim Legis habens: nempe præſcripta, & non præſcripta. Prior eſt ea, quæ longi temporis diuturnitate vim Legis obtinet per conſenſum legalem Principis. Tempus autem longum in Jure dicitur tempus ſaltem 10. annorum, quod debet eſſe continuum, nec interruptum per actus contrarios Superioris reſiſtentis, vel populi eam interrumpentis. Conſuetudo non præſcripta, & tamen vim Legis habens, eſt ea, quæ ſine diuturnitate longi temporis vim Legis obtinet per conſenſum Principis perſonalem, ſaltem tacitum, Principe videlicet ſciente, & non impediente: id, quod fit, cùm poſſet facilè impedire, deberetque, niſi tacitè conſentiret.

Reſp. 2. Ut conſuetudo vim Legis habeat, & obliget, hæ conditiones *ex communi ſententia* requiruntur. 1. Ut ſit honeſta, & utilis bono communi. Nam talis debet eſſe Lex eſſentialiter. Hinc conſuetudo non poteſt habere rationem Legis, ſi

si sit noxia, vel inutilis, vel contra bonos mores: sed est mera corruptela.

2. Ut inducatur à communitate perfecta per actus voluntarios, & publicos. Nam actus iterati non inducunt consuetudinem, nisi ratione consensus communitatis, qui per tales actus declaretur, & cui Princeps se accommodat. Porro censetur fieri à tota communitate, quod fit à majore illius parte, *ex L. 19. ff. ad municip.*

3. Ut actus, ex quibus oritur consuetudo, fiant cum animo inducendæ obligationis; quia consuetudo non habet vim obligandi, nisi voluntate populi, cui Princeps consentit. Hinc consuetudines inductæ tantùm devotionis causa, & sine animo se obligandi, non obligant: ùt consuetudo ter quotidie recitandi Salutationem Angelicam ad pulsum campanæ.

Consuetudo autem censetur esse inducta animo obligandi se, & revera obligare. 1. Si ita Doctores communiter sentiant. Nam communis sensus prudentum, & peritorum evidentiam moralem parit in rebus ab hominum opinione, & usu pendentibus: in quibus se habent ùt multitudo testium omni exceptione majorum. 2. Si consuetudo sit rei gravis, ac difficilis, & tamen diu, constanter, & communiter servetur à majore parte communitatis; plurimi enim non solent, citra motivum obligationis ita convenire in ejusmodi actibus. 3. Si viri prudentes, & timorati malè sentiant de non servantibus consuetudinem, aut populus inde scandalizetur. 4. Si Prælati, vel Magistratus puniant, vel graviter reprehendant eos, qui non servant consuetudinem; id enim non fit, nisi violetur aliqua obligatio.

4. Ut adsit Principis consensus vel personalis, vel saltem legalis. Quia Lex, & vis Legis non potest esse nisi ab habente potestatem Legislativam, ideoque nec sine illius consensu. Princeps autem consentit personaliter, cùm per se immediatè consentit, vel dando licentiam, ut inducatur consuetudo obligans, vel approbando consuetudinem expressè, aut tacitè. Consentit legaliter, quando ipse, vel Prædecessores ejus tulerunt, aut receperunt Legem, qua approbantur consuetudines rationabiles, & legitimè præscriptæ.

Quæst. VI. *An Consuetudo possit abrogare Legem?*

Resp. 1. Nulla consuetudo potest abrogare Legem naturalem. *Ita omnes.* Quia hæc statuit solùm ea, quæ necessariò, & ex natura rei agenda, vel omittenda sunt ad vivendum honestè. Hinc, cap. ult. *de consuetud.* Greg. IX. ait: *Cùm tantò sint graviora peccata, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam, nemo sanæ mentis intelligit naturali juri (cujus transgressio periculum salutis inducit) quacunque consuetudine, quæ dicenda est veriùs in hac parte corruptela, posse aliquatenus derogari.* Neque etiam potest abrogare Legem Evangelicam. Quia Deus vult illam integram servari usque ad consummationem sæculi. Præterea cùm utraque Lex lata sit à Deo, nullus homo potest eam abrogare; nam potestas, & voluntas inferioris non potest prævalere potestati, & voluntati Superioris.

Resp. 2. Consuetudo, si sit rationabilis, & legitimè præscripta, habet vim abrogandi Legem humanam. *Ita omnes. Constat* 1. ex Jure, tum Civili, L. 32. *ff.* de Legib. *Rectissimè illud receptum est, ut Leges non solùm suffragio Legislatoris, sed etiam tacito consensu omnium per desuetudinem abrogentur.* Tum Canonico, cap. ult. cit. *de consuetud. Licèt longævæ consuetudinis non sit vilis authoritas, non tamen est usque adeò valitura, ut vel juri positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitimè sit præscripta.* 2. Quia posita tali consuetudine, Princeps consentit, saltem legaliter, ut Lex non ampliùs obliget. Obligationis autem perseverantia, sicut ejus impositio, pende. à libera voluntate Principis.

Dixi, *si sit rationabilis, &c.* Nam ex cap. cit. &*ex consensu Doctorum* hæc duo requiruntur. Jam verò ut consuetudo sit rationabilis, non debet Legi naturali, aut Evangelicæ, aut debito ordini, aut immunitati Ecclesiasticæ adversari: nec à Jure Canoni-

co reprobari: nec peccandi licentiam, aut occasionem præbere: vel alia ratione communitati nocere: nec aliquam indecentiam continere: & præterea debet reipsa expedire, Legem tunc jam non obligare: ne scilicet peccata multiplicentur, neve subditi ad observantiam rei difficilis tamdiu ad stringantur.

Ut autem sit legitimè præscripta, debet esse continuata toto tempore requisito ad præscribendum, non contradicente Superiore. Sed cùm hoc tempus non sit in jure definitum quoad Leges, secundùm multos requiritur idem tempus, quod ad præscriptionem bonorum, ac jurium statutum est. Quare Leges Civiles 10. annis præscribuntur: Ecclesiasticæ verò, cùm sint jura Ecclesiastica, 40. annis præscribuntur, si non resistat Superior. Ita *S. Antoninus*, *Navarr. Azor*, *Fagnanus*, *Suarez*, asserunt, hanc esse communem sententiam. *Nec obstat*, quòd requirantur 100. anni ad præscribendum bona propria Ecclesiæ Romanæ; quia Leges Pontificiæ sunt Leges communes toti Ecclesiæ. Sed alii volunt, Leges etiam Ecclesiasticas præscribi decennio; quia, inquiunt, ad hanc præscriptionem requiritur, & sufficit longum tempus, quod in jure civili censetur spatium 10. annorum: & jus civile valet in rebus Ecclesiasticis, quando jure Canonico præter illud nil constitutum est. Non est autem constitutum jure Canonico, ut ad abrogandam Legem Ecclesiasticam tempus longius, quàm 10. annorum requiratur.

Obj. 1. Illud, cap. 3. *de consuetudine: Consuetudo, quæ Canonicis obviat institutis, nullius debet esse momenti.* Et illud, cap. 8. *de sententia, & re judicata: Licèt usus, vel consuetudinis non minima sit authoritas, nunquam tamen veritati, aut Legi præjudicat.*

Resp. In illis Capitulis agitur de consuetudine, quæ sit contra rectam rationem, & debitum ordinem: vel de consuetudine reprobata: aut cui Superior contradicit: non verò de consuetudine rationabili, & legitimè præscripta.

Obj. 2. Consuetudo contra Legem non est rationabilis, nam fit per actus pravos, & prohibitos, ideoque contra rationem. Ergo non potest abrogare Legem.

Resp. Consuetudo contra Legem humanam non est quidem rationabilis, quando incipit, donec completa sit per longum tempus ad præscriptionem requisitum: unde tunc non excusat à transgressione Legis. At consuetudo, quæ non adversatur Legi divinæ, nec bono communi, nec debito ordini, & cui per longum tempus Legislator non resistit, censetur sufficienter rationabilis ad abrogandam Legem humanam.

Obj. 3. Ad præscriptionem validam bonorum requiritur bona fides continua præscribentis. Ergo cùm major pars populi agentis contra Legem sine consensu Principis non sit bonæ fidei, saltem prioribus annis, non potest præscribere contra Legem.

Resp. Bona fides continua requiritur ad præscriptionem bonorum, non verò ad præscriptionem Legum. *Ratio disparitatis est*, quia per præscriptionem bonorum transfertur eorum dominium invito domino, ad lites, aliaque incommoda vitanda: quare si valeret in bonis præscriptio malæ fidei, aperiretur via fraudibus, & rapinis, majoribusque incommodis, quàm sint ea, quæ Lex præscriptionis vitare intendit. At præscriptio contra Legem non fit invito Legislatore, sed eo consentiente legaliter, & habente potestatem abrogandi consuetudinem Legi contrariam.

Observa 1. *Juxta communem sententiam* consuetudo contra Legem præscribit, licèt ignoretur à Principe; quia ad hoc sufficit consensus legalis, qui habetur in jure Canonico, & civili suprà cit. Hoc est, sufficit, quòd consuetudo sit rationabilis, & certo tempore duraverit, Superiore non contradicente: quippe Princeps generatim consensit, ut omnis ejusmodi consuetudo Legem abrogaret, hoc ipso, quòd ipse, vel ejus Prædecessor Legem de hoc tulit, vel recepit, vel id usu receptum non improbavit. Neque Leges requirunt, ut Princeps

norit

norit consuetudinem, sed solùm, ut consuetudo sit rationabilis, & legitimè præscripta. Imò si hanc norit, & personaliter consentiat, ut Lex non ampliùs obliget, hoc ipso Lex non obligat. Nam (*ùt passim docent Theologi, & Canonistæ, teste Lessio*) ut consuetudo tollat Legem, solùm requiritur, ut passim non servetur, quando occurrit servanda, sciente Principe, & non se opponente: dum enim scit, Legem suam non servari, & silet, censetur consentire, ut non servetur, ne Respublica perturbetur, peccata multiplicentur, &c.

2. Ut Lex toti Ecclesiæ communis abrogetur in aliqua tantùm Provincia per desuetudinem, vel consuetudinem contrariam, satis est, ut non servetur à majore parte Provinciæ, non contradicentibus Superioribus toto tempore ad præscriptionem requisito. Sic in quibusdam Diœcesibus consuetudo abrogavit Legem communem jejunandi in Vigilia S. Thomæ, & S. Bartholomæi, & servandi eorum Festum. Item, consuetudo vescendi carnibus diebus Sabbati à Festo Nativitatis Christi usque ad Festum Purificationis inclusivè, abrogavit in variis Diœcesibus Legem communem abstinendi à carnibus singulis Sabbatis totius anni. Nam consuetudo specialis legitimè præscripta abrogat Legem specialiter, ubi viget ipsa consuetudo: abrogat autem generaliter, si sit generalis.

3. In dubio, an Lex abrogata sit, ipsa obligat. Nam Lex lata obligat, quamdiu non constat, eam non vigere. Quia Lex est semper in possessione obligandi, & in dubio non amittitur possessio. Deinde in dubio tutior pars semper eligi debet.

4. Cùm Lex tota possit consuetudine abrogari, à *fortiori* Lex pœnalis potest consuetudine fieri non pœnalis, & Lex mixta fieri purè pœnalis. Item, consuetudo potest derogare Legi, seu tollere partem Legis remanente alia.

5. Per consuetudinem hìc intelligitur etiam desuetudo, seu non usus. Porro consuetudo Legem abrogans inchoatur, saltem plerumque, per actus peccaminosos priorum, qui Legem non servant: deinde continuatur plerisque bona fide agentibus, & putantibus, Legem jam non vigere: demùm exacto decennio, vel quadragesimo anno, desinit obligatio Legis.

Quæst. VII. *An Consuetudo etiam immemorialis potest abrogari per Legem contrariam subsequentem?*

Resp. Affirm. ex cap. 1. *de constitut. in 6.* Quia consuetudo non habet vim, nisi authoritate Principis illam approbantis, qui eadem authoritate potest eam reprobare. Præterea consuetudo præcedens non habet majorem vim, quàm Lex præcedens, quæ tamen potest abrogari per consuetudinem contrariam subsequentem.

Non abrogatur tamen consuetudo particularis per Legem contrariam, nisi rectè præsumatur Princeps illam nosse saltem confusè, & voluisse eam abrogare, ex cap. 1. *de constitut. in 6.* Hinc consuetudo particularis unius Provinciæ non abrogatur per Legem generalem totius Ecclesiæ, vel Regni, nisi in Lege fiat ejus mentio specialim, vel per clausulam generalem dicatur: *Non obstante quacunque consuetudine contraria.* Imò, si sit immemorialis, cujus nempe initii memoria non exstet: nisi dicatur: *Non obstante quacunque consuetudine etiam immemoriali.* Quia alioquin Princeps præsumitur ignorare consuetudinem particularem, ideo non voluisse illam abrogare, & jus statuit, ut aliter talis consuetudo non abrogetur. Econtrà quia consuetudines universales præsumuntur esse notæ Principi, abrogantur eo ipso, quòd Princeps ferat Legem contrariam, etiam sine clausula universali derogatoria; quia videlicet statuit contrarium consuetudini sibi satis notæ.

TRACTATUS DE PECCATIS.

HIC ea solùm tractabuntur, quæ ad speculationem, & Theologiam scholasticam magìs spectant: quæstiones enim ad praxim pertinentes continentur omnes in mea Theologia morali.

CAPUT I.

De Peccato generatim spectato.

ARTICULUS I.

Quid sit peccatum propriè, ac strictè sumptum?

Dico. Peccatum est libera violatio Legis divinæ: sive est actus liberè factus, vel omissus contra Legem Dei.

Prob. Nam 1. Est divinæ Legis violatio. Ex S. Ambrosio, lib. de Paradiso, cap. 8. *Quid est peccatum, nisi prævaricatio Legis divinæ, & cœlestium inobedientia præceptorum?* Et ex S. Augustino, l. 22. contra Faustum, c. 27. *Peccatum est factum, vel dictum, vel concupitum aliquid contra æternam Legem.* Ubi sub facto, dicto, concupito comprehenditur omissio; nam nomine actus in moralibus intelligitur etiam omissio; quia hæc habetur ùt actio in ordine ad mores, & culpam.

Ratio est. Quia peccatum est offensa Dei; atqui omnis, & sola violatio libera Legis divinæ est offensa Dei. Ergo est peccatum.

2. Peccatum est violatio libera: scilicet vel in se, vel sua causa, aut periculo morali, ita ut non sit ex ulla necessitate physica intrinseca, antecedente, & verè potuerit vitari. Nam (ùt in Tract. de Actib. hum. ostensum est) ad demeritum, seu peccatum imputabile requiritur libertas ab omni necessitate simplici. *Ratio est.* Quia peccatum propriè dictum, seu imputabile est actio, vel omissio, propter quam agens, vel omittens est dignus vituperio, & pœna. Nemo autem potest esse dignus vituperio, & pœna propter actionem, vel omissionem ei non liberam, sed planè necessariam: ùt per se patet, & docet S. Augustinus, l. de duabus animabus c. 11. ubi ait: *Nec hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui aut id velit, quod justitia velle non prohibet: aut id non faciat, quod facere non potest.* (Et consequenter, qui non omittit, quod omittere non potest; cùm eadem sit ratio.) *Nonne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis: & docti in Bibliothecis, & Magistri in scholis, & Antistites in sacratis locis, &c.* Præterea obligantur omnes ad vitandum peccatum: nemo autem obligari potest ad impossibile. Hinc illud S. Augustini, loc. cit. cap. 12. *Peccati reum tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est, & insaniæ.*

Obj. contra 1. *partem.* Multa sunt peccata, quæ non sunt offensa Dei: nam 1. datur peccatum merè philosophicum: quod scilicet soli rationi, non Legi divinæ adversatur.

2. Peccatum veniale non est contra, sed præter Legem divinam.

3. Multi peccant contra Leges humanas. Ergo allata peccati definitio non convenit omni peccato, proindeque vitiosa est.

Resp.

Resp. Neg. anteced. & ejus probationem; nam

1. Peccatum merè philosophicum repugnat; quia qui peccat contra rectam rationem, simul & indivisibiliter peccat contra Legem Dei: & sic Deum offendit. Nam dictamen rectæ rationis est intimatio Legis divinæ æternæ, necessariò vetantis, quidquid naturam rationalem dedecet, & præcipientis, quidquid necessarium est ad vivendum decenter, ac conformiter naturæ rationali ùt rationali. Et aliunde nemo ignorare potest, saltem invincibiliter, quidquid disconvenit naturæ rationali ùt rationali, esse prohibitum à Deo supremo Authore, ac Rectore naturæ rationalis. Quoties enim recta ratio dictat, aliquid disconvenire naturæ rationali ùt rationali, simul, saltem confusè, dictat, illud idem displicere Supremo Enti, naturæ rationalis Authori, & Rectori, cujus est eam convenienter sapientiæ, ac sanctitati suæ regere. Hinc Alexander VIII. ùt erroneam damnavit hanc propositionem 2. *Peccatum Philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum verò, & mortale est transgressio libera Legis divinæ. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum: sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.*

Porro peccatum Philosophicum est actio, vel omissio mala, considerata solùm, ùt est difformis rectæ rationi, & disconvenit naturæ rationali. Sic dicitur; quia Philosophorum est actus morales considerare relatè ad rationem, & naturam rationalem. Peccatum verò Theologicum est actio, vel omissio mala considerata, ùt disconvenit, seu adversatur Legi divinæ, & est offensa Dei; quia Theologorum est res relatè ad Deum considerare: Tamen omne peccatum Philosophicum est simul revera Theologicum; nam omne peccatum simul rectæ rationi, & Legi divinæ disconvenit: & est revera offensa Dei.

2. Peccatum veniale est verè contra Legem Dei; nam est actio, vel omissio mala; si enim esset bona, vel indifferens, jam non esset peccatum. Atqui omnis actio, vel omissio mala adversatur Legi divinæ naturali, & per eam prohibetur; nam adversatur rectæ rationis dictamini, quod est intimatio Legis divinæ naturalis: & omne malum prohibetur à Deo. Ergo peccatum veniale est contra Legem Dei, & ejus offensa: sed *levis*, & compossibilis cum charitate.

3. Qui legem humanam violat, simul violat etiam legem divinam, quæ omnis præcepti humani legitimi observationem præcipit.

Obj. contra 2. partem. Ex Concil. Trid. sess. 6. can. 23. Homo, etiam justificatus, non potest omnia peccata venialia vitare toto *vitæ suæ curriculo*, nisi ex speciali Dei privilegio. Ergo qui hoc privilegio carent, ùt plerique etiam Sancti, necessariò peccant venialiter. Ergo, &c.

Resp. Concil. Trid. loquitur de potentia reducenda ad actum: non verò de potentia reducibili tantùm. Et sensus est: hominem, etiam justificatum, sine speciali Dei privilegio non posse potentia, quæ reducatur ad actum, vitare toto vitæ tempore omnia peccata venialia, ita ut omnia re ipsa vitet. Hæc est doctrina S. Augustini, quam sanè damnare noluit Conc. Trident. nam S. Doctor, l. de peccatorum meritis, & remissione, c. 15. ait: *Non nunc quæritur, utrùm fieri possit, ut sine ullo sit quisque peccato, cùm hanc agit vitam; jam enim supra respondimus, posse fieri: sed utrùm aliquis faciat, hoc nunc quærimus. Neminem autem esse, qui tantum velit, quantum res exigit, ante præcognitum est.*

Nota. Legis divinæ violatio necessariò, seu sine libertate facta, quæ peccatum materiale dicitur, displicet Deo; quia moralem turpitudinem habet: sed ob defectum libertatis non imputatur ad culpam, & pœnam: unde non est peccatum formale, & propriè dictum; nam peccatum formale, & propriè dictum est legis divinæ violatio, im-

imputabilis ad vituperium, & pœnam: ideo que libera.

ARTICULUS II.

Quomodo dividatur peccatum?

PEccatum dividitur in Originale: quod in ipsa origine ab Adamo contrahimus: & Personale: quod peccantis voluntate physicè propria committitur.

Peccatum Personale subdividitur in Actuale, & Habituale. Peccatum Actuale est peccatum spectatum, ùt actu existens, seu ùt actu committitur. Hæc vox sæpè etiam sumitur pro peccato Personali, sive actu existente, sive præterito, & habituali. Peccatum Habituale est peccatum spectatum, ùt jam actu commissum est, & physicè præteritum: sed permanens moraliter, seu in æstimatione prudenti, quamdiu non remittitur.

Peccatum Actuale subdividitur 1. In Mortale, & Veniale. 2. In peccatum Commissionis, & peccatum Omissionis. 3. In peccata Ignorantiæ, Infirmitatis, & Malitiæ. 4. In Carnale, quod habet pro objecto aliquam delectationem carnalem: & in Spirituale, quod non habet pro objecto delectationem carnalem. 5. In peccata contra Deum, contra Proximum, contra Ipsum peccantem: ratione scilicet virtutum, contra quas peccatur, & quæ habent pro objecto immediato Deum, vel Proximum, vel Ipsum peccantem: unde peccata, quæ illis adversantur, sunt specialiter contra Deum, contra Proximum, contra Ipsum peccantem. 6. In peccata Cordis, Oris, & Operis: quæ scilicet in corde, ore, opere consummantur: ùt odium Dei, blasphemia, furtum. 7. In Septem Capitalia.

CAPUT II.

De Peccato Personali, Actuali, & Habituali.

ARTICULUS I.

Utrùm detur peccatum Mortale: & per quid constituatur?

Dico 1. Extat peccatum Mortale. Est de fide.

Prob. Peccatum mortale dicitur illud, quod mortem animæ affert, privando illam vita supernaturali, & pœnam æternam per se meretur. Atqui extant hujusmodi peccata. Ergo. *Prob. min.* 1. Ex Script. Rom. cap. 6. *Stipendia peccati mors.* Et cap. 8. *Si secundùm carnem vixeritis, moriemini.* Et Gal. c. 5. *Qui talia agunt, Regnum Dei non consequentur.* 2. Quia multi Justi Gratia Sanctificante, & charitate justè à Deo privantur, & suppliciis æternis mulctantur ob certa peccata: quæ proinde sunt mortalia.

Dico 2. Peccatum mortale, tale est ex eo potissimùm, quòd sit gravis offensa Dei, & ejus contemptus saltem virtualis, & interpretativus.

Nam peccatum mortale dicitur, & est mortale; quia tum privationem Gratiæ Sanctificantis, quæ est supernaturalis vita animæ, tum pœnam æternam per se meretur. Atqui hoc utrumque per se non meretur præcisè, quia naturam rationalem graviter dedecet, sed potissimùm, quia est gravis offensa Dei, & quidem divinæ Majestatis contemptus saltem virtualis, & interpretativus. Ergo.

ARTICULUS II.

Utrùm peccatum mortale in ratione offensæ habeat malitiam, seu gravitatem simpliciter infinitam?

§. I.

Dico. Peccatum mortale, ùt est gravis offensa Dei, & ejus contemptus, habet malitiam simpliciter infinitam. Ita S. Auselmus, l. 1. Cur Deus Homo. Richard. Valentia, Hurtado, & plerique Thomistæ contra Scotum, & alios, docentes, peccatum mortale habere solùm malitiam infinitam secundùm quid.

Prob. 1. Ex S. Thom. qui, in 2. 2. dist. 42. qu. 1. art. 5. sic ait: *Ratio, quare mortale peccatum ad æternam pœnam obligat, potest sumi ex tribus. Primò ex parte ejus, in quem peccatur, qui est infinitè magnus, scilicet Deus: unde & offensa illius infinita pœna di-*

gna

gna est; quia quantò est dignior, in quem peccatur, tantò magis peccatum punitur. Et in solutione ad 2. *Ex hoc, quòd contra infinitum peccat, debetur sibi pœna infinita: non autem potest esse infinita in acerbitate, quia in creatura finita non potest esse qualitas infinita, sed compensatur per durationem infinitam.*

Unde sic argumentor: Tanta est gravitas offensæ, quanta est vis ejus demeritoria; nam peccati vis demeritoria petitur ex ratione offensæ, quam involvit: & gravitas culpæ est mensura ejus demeriti. Atqui ex S. Thoma peccati vis demeritoria est infinita simpliciter, ùt patet ex his ejus verbis: *Unde & offensa illius infinita pœna digna est.* Et ex istis: *debetur sibi pœna infinita:* cujus dicit incapacem esse creaturam; quia finita est: ac proinde loquitur de pœna infinita simpliciter. Ergo ex S. Thoma gravitas peccati est infinita simpliciter. Enim verò sicut causa physica effectum infinitum habere non potest, quin eum præcontineat: nec eum præcontinere potest, quin sit infinita: ita causa moralis non potest habere effectum moraliter infinitum, nisi illa sit moraliter infinita; alioqui effectus causam suam superaret: quod dici nequit.

Item Sanctus Doctor hoc expressè docet; nam, in 4. dist. 14. q. 2. art. 1. ad 4. ait: *Dicendum, quòd offensa infinita est ex parte aversionis* à Deo: *sed non ex parte conversionis* (ad creaturam.)

Prob. 2. *Ratione.* Gravitas, seu malitia offensæ, qua persona contemnitur, secundùm prudentem æstimationem crescit, & quidem ad æqualitatem, pro dignitate personæ offensæ, juxta illud effatum morale: *Injuria est in injuriato: & honor in honorante:* id est, mensura injuriæ gravis personalis est ipsa persona offensa: sicut mensura honoris est potissimùm dignitas personæ honorantis. Ergo si persona offensa, & contempta sit dignitatis infinitæ simpliciter, gravitas ejus offensæ est etiam infinita simpliciter; cùm in æstimatione prudenti dignitas personæ totam se refundat in offensam, tanquam forma moraliter intrinsecè constituens ejus gravitatem. Atqui Deus est dignitatis infinitæ simpliciter. Ergo offensa, qua contemnitur Deus, nempe quodlibet peccatum mortale, est gravitatis, seu malitiæ infinitæ simpliciter in æstimatione prudenti. *Prob. maj.* Nam eadem injuria ex parte actus, & objecti gravior est, si inferatur viro nobili, quàm si plebejo inferatur: & major, si Regi inferatur, quàm Optimati: & sic ad æqualitatem crescit pro dignitatis excellentia; quia nempe vir nobilis plebejum, & Rex quoslibet Optimates dignitate superat. Item, sicut Persona Christi operans in obsequium Dei dignificabat actus suos secundùm totam suam dignitatem, iisque infinitum simpliciter valorem tribuebat: ita infinita Dei Majestas infinitam simpliciter malitiam moraliter communicat offensæ, qua secundùm se totam contemnitur; nam tam dignitas personæ offensæ est mensura gravitatis injuriæ, quàm dignitas personæ honorantis est mensura honoris.

Dices: Persona infinita non communicatur peccato mortali, nisi ùt limitata per cognitionem finitam. Et malitia offensæ non commensuratur dignitati personæ graviter offensæ, quando illa dignitas non perfectè, & adæquatè cognoscitur.

Resp. Nego. Quia 1. Cognitio illa finita non impedit, ne persona infinita secundùm se totam contemnatur per peccatum mortale. Offensa autem, qua persona infinita secundùm se totam contemnitur, in æstimatione morali tantæ est gravitatis, quanta est dignitas ipsius personæ contemptæ: quæ dignitas se totam moraliter infundit in actum, quo contemnitur. Unde cognitio, quamvis finita, modò sufficiat ad peccatum mortale, quo Deo tollitur ratio finis ultimi, ideoque secundùm se totum contemnitur, sufficit ad malitiam infinitam peccati: relatè ad quam cognitio se habet solùm ùt conditio sine qua non.

2. Actus meritorii, & satisfactorii Christi erant valoris infiniti simpliciter, licèt ejus personæ dignitas non communicaretur actibus humanitatis, nisi mediante unione hypostatica, quæ est entitatis finitæ: & illi actus

actus procederent ab anima, ac potentiis humanitatis finitis, & cognitione finita. Ergo similiter finita, ac limitata Dei cognitio non impedit, quin infinita Dei dignitas secundùm totam suam excellentiam moraliter refundatur in malitiam offensæ, qua secundùm se totam contemnitur: & quin gravi offensæ tribuat malitiam infinitam simpliciter; cùm illa cognitio sit duntaxat conditio sine qua non, relatè ad infinitudinem offensæ, & refusionem moralem dignitatis infinitæ Dei in malitiam offensæ: non autem ejus causa efficiens, vel constitutiva. Itaque non obstante cognitione finita, dignitas Dei graviter offensi se habet per modum formæ moralis refundentis gravitatem in actum secundùm se totam.

Confirmatur assertio nostra. Quia per eam facillimè, imò evidenter intelligitur 1. Creaturam puram non posse satisfacere de condigno pro peccato mortali: sed ad hoc requiri satisfactionem Personæ divinæ in natura intellectuali assumpta; nam condigna satisfactio pro offensa malitiæ infinitæ simpliciter exigit valorem infinitum simpliciter: cujus incapax est pura creatura.

2. Peccatum mortale æterno supplicio justissimè mulctari; nam cùm infinitam simpliciter malitiam habeat, meretur pœnam infinitam simpliciter: cùm autem creatura non sit capax pœnæ simpliciter infinitæ in acerbitate, debet saltem luere pœnam infinitam in duratione, seu carentem fine.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. S. Thomas, 3. p. q. 1. art. 2. ad 2. dicit, peccatum habere quandam infinitatem ex infinitate divinæ Majestatis. Ergo sensit, illud non habere malitiam infinitam simpliciter.

Resp. Nego conseq. Quia S. Doctor hanc vocem *quandam* solùm addit, ut significaret, peccatum non esse infinitum sub omni ratione, nec physicè, neque in quantum est malum hominis: sed esse infinitum sub una tantùm ratione: nempe in quantùm est Dei contemptus. Nam illo modo loquendi sæpe utitur ad significandam infinitatem sub una tantùm ratione: ùt dum dicit, in 4. dist. 14. q. 2. art. 1. ad 4. Passionem Christi esse infiniti valoris *quodam modo*: & tamen constat, S. Thomam sensisse, Christi meritum fuisse valoris simpliciter infiniti. Præterea ex loco objecto patet, hanc fuisse ejus mentem; nam ibi sic ait: *Peccatum contra Deum commissum quandam infinitatem habet ex infinitate divinæ Majestatis; tantò enim offensa est gravior, quantò major est ille, in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam satisfactionem, ut actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam: utpote Dei, & hominis.* Certè si peccatum non haberet infinitam simpliciter malitiam in ratione offensæ, malè ex ejus infinitate inferret necessitatem satisfactionis, quæ habeat efficaciam infinitam simpliciter.

Dices: S. Thomas in 4. dist. 17. q. 1. art. 3. ad 1. comparat infinitatem peccati cum infinitate visionis beatificæ: quæ sanè est tantùm infinita secundùm quid, & ext. insecè.

Resp. Hæc comparatio est inadæquata, & à S. Thoma non instituitur secundùm modum, quo visio, & peccatum habent infinitatem: sed solùm intendit, quòd sicut beatitudo verè infinitatem suam habet ex objecto, ita offensa Dei verè suam infinitatem habet ex Deo offenso: quamvis cum hoc discrimine, quòd infinitas beatitudinis sit extrinseca, & secundùm quid: infinitas verò offensæ sit propria, & stricta: non quidem omnimoda, seu ex omni parte, sed duntaxat ex parte Dei, & sub una ratione offensæ divinæ.

Obj. 2. Si peccatum mortale habet malitiam infinitam simpliciter, omnia peccata mortalia sunt æqualia inter se, seu habent æqualem malitiam, & gravitatem; nam non datur infinitum infinito majus. *Falsum consequens;* Nam Deus per peccatum odii in se magis offenditur, quàm per furtum, v. g. Ergo.

Resp. Disting. sequel. maj. Omnia mortalia erunt æqualia inter se quoad malitiam peri-

petitam à perſona offenſa, *conc. ſeq.* Quoad malitiam petitam ab objecto, intenſione actus, & aliis capitibus, ex quibus ſumitur moralis malitia actus, *nego ſeq. maj.* Duplex diſtingui debet malitia peccati: una, quæ ſumitur ab objecto, intenſione actus, majore libertate, ac cognitione, & aliis circumſtantiis. Hæc malitia dicitur malitia moralis: & eſt inæqualis in peccatis mortalibus pro inæqualitate objectorum, & circumſtantiarum. Sed præter hanc malitiam eſt alia, quæ dici poteſt perſonalis, & quæ petitur à perſona graviter offenſa: quæ cùm per quodlibet mortale peccatum ſecundùm ſe totam contemnatur, ſe totam etiam refundit in malitiam peccati per modum formæ moralis. Quemadmodum enim merita Chriſti duplicem habent valorem: unum objectivum, qui ſumitur ex objecto, & circumſtantiis actus, ac proinde inæqualis eſt in variis ejus actibus pro majore, vel minore excellentia objecti: & alterum perſonalem, qui ſumitur ex dignitate perſonæ operantis, quique eſt infinitus ſimpliciter, & æqualis in omnibus actibus Chriſti: ita peccatum mortale duplicem habet gravitatem, ſeu malitiam: unam, quæ ſumitur ex objecto, circumſtantiis actus, & aliis capitibus diſtinctis à dignitate perſonæ offenſæ, quæque inæqualis eſt: & alterum perſonalem peccato competentem ex infinita Dei Majeſtate graviter offenſa: quæ cùm per quodlibet peccatum mortale ſecundùm ſe totam contemnatur, ſe totam etiam per modum formæ moralis refundit in actum peccati in ordine ad ei tribuendam malitiam infinitam.

Dices 1. Deus magis offenditur per unum mortale, v. g. odium ſui, quàm per aliud, v. gr. furtum. Ergo peccata mortalia ſunt inæqualia in ratione offenſæ.

Reſp. Diſting. antec. Magis offenditur ex parte, ſeu ratione objecti, & circumſtantiarum actus, *conced. antec.* Magis offenditur ratione dignitatis perſonæ offenſæ, ſeu moralis refuſionis dignitatis perſonæ offenſæ, *nego antec.* Nam infinita Dei Majeſtas eſt ſemper eadem, & cuilibet peccato, quo ſimpliciter, ideoque ſecundùm ſe totam contemnitur, tribuit malitiam infinitam, ſe totam in illum actum refundendo in ordine ad conſtituendam malitiam illius infinitam. Per quodlibet autem peccatum mortale Deus ſecundùm ſe totum contemnitur; nam homo per quodlibet mortale peccatum præfert creaturam Deo, & quantùm eſt in ſe, ſuoque facto, aufert Deo rationem finis ultimi, & ſic Deum contemnit.

Quare *diſting.* etiam *conſeq.* Peccata ſunt inæqualia etiam in ratione offenſæ, ſpectatæ ex parte objecti, & circumſtantiarum actus, *conc. conſeq.* Spectatæ ex parte dignitatis perſonæ offenſæ, *neg. conſe.*

Dices 2. Contemptus formalis, quo Deus expreſsè contemnitur, eſt major contemptus quàm contemptus virtualis, & interpretativus.

Reſp. Eſt major ratione actus, & malitiæ voluntatis, *conc.* Ratione dignitatis perſonæ, quæ contemnitur, *nego.* Nam dignitas divina, cùm per quodlibet mortale peccatum ſimpliciter, ideoque ſecundùm ſe totam contemnatur, ſe totam moraliter refundit in quodlibet mortale in ordine ad ei tribuendam malitiam infinitam: hoc eſt, infinita Dei Majeſtas ſimpliciter contempta facit, ut actus, quo contemnitur, jure merito cenſeatur habere malitiam, ac gravitatem infinitam; quia in æſtimatione prudenti tanta eſt malitia contemptus perſonæ, quanta eſt dignitas ipſius perſonæ contemptæ.

Obj. 3. Si peccatum mortale eſt infinitum ſimpliciter in malitia, quodlibet peccatum mortale habet omnes gradus malitiæ poſſibiles; nam infinitum involvit omne poſſibile in ea ratione, in qua eſt infinitum. *Falſum conſeq.* Nam quocunque peccato dari poteſt majus in ratione malitiæ. Ergo.

Reſp. Diſt. ſequel. maj. Habet omnes gradus poſſibiles malitiæ petitæ ex parte objecti, circumſtantiarum actus, & aliis capitibus, diſtinctis à dignitate perſonæ offenſæ, *nego ſequel.* Malitiæ petitæ ex parte perſonæ offenſæ, *ſubdiſting.* Intenſivæ, *conced.* Extenſivæ, *nego ſequel. maj.* Nam plura peccata mortalia habent malitiam infinitam, petiram ex dignitate Dei offenſi extenſivè majorem, quàm habeat unum mortale, ùt

patet. Peccatum autem mortale non eſt infinitæ malitiæ, niſi ratione dignitatis perſonæ offenſæ: quæ per modum cauſæ formalis ſe totam communicat actui ſui contemptivo ad ejus malitiam gravificandam.

Obj. 4. Influxus perſonæ infinitæ in peccatum non eſt infinitus; nam talis eſt, qualis eſt modus tendendi in perſonam offenſam: qui modus infinitus eſſe nequit. Ergo.

Reſp. Nego anteced. & ejus probationem. Itaque Dei Majeſtas ùt infinita ſecundùm ſe totam per modum formæ moraliter influit in quemlibet actum ſui contemptivum eo modo, quo forma influere poteſt: quamvis ille actus ſecundùm ſe, & modum tendendi finitus ſit; nam injuria perſonalis ſuam gravitatem à dignitate injuriati accipit: ſicut honor ſuam æſtimabilitatem à dignitate honorantis potiſſimùm ſumit.

Obj. 5. Si mortale peccatum ſit malitiæ ſimpliciter infinitæ, Chriſtus non potuit ſatisfacere pro omnibus omninò peccatis hominum præteritis, & futuris; nam hæc plura ſunt, quàm actus meritorii Chriſti. *Falſum conſeq.* Ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Quia infinitus valor, quem habet quodlibet obſequium Chriſti in ordine ad merendum, & ſatisfaciendum, eſt in ſupremo ordine infinitudinis, & infinita malitia peccati eſt in inferiori ordine infinitudinis relatè ad infinitudinem meritorum Chriſti. Nam cùm meritum, & ſatisfactio Chriſti valorem ſuum infinitum accipiat à Perſona Chriſti infinita, ſe offerente, ac ſubmittente Deo, eumque honorante, & ùt principio operante, contrahit ab illa infinitudinem modo longè excellentiori, quàm malitia peccati, quæ infinitatem contrahit à dignitate Dei, ùt objecti tantùm moraliter refuſi. Infinitum autem, quod eſt in ſuperiori ordine infinitudinis, adæquari non poteſt per alia infinita plura, & plura in infinitum, quæ ſunt in ordine inferiori. Quare valor unius obſequii Chriſti adæquari non poteſt per peccata mortalia plura & plura, graviora & graviora in infinitum: & ſic Chriſtus per unum obſequium condignè ſatisfecit pro peccatis mortalibus pluribus & pluribus, gravioribus & gravioribus in infinitum: uno verbo, pro peccatis omnibus poſſibilibus.

Dices 1. Infinita Dei dignitas refunditur in peccatum mortale perinde, ac in ſatisfactionem Chriſti, & utrumque dignificat in ſua ratione. Ergo infinitas malitiæ peccati, & infinitas valoris ſatisfactionis Chriſti ſunt in eodem ordine.

Reſp. Infinita Dei dignitas refunditur quidem in peccatum mortale, & meritum Chriſti: ſed diverſo modo; nam refunditur modo longè excellentiori in actus Chriſti meritorios, & ſatisfactorios, quàm in peccatum; refunditur enim in actiones Chriſti liberas ùt principium operans, ſeque per illas offerens, ac ſubmittens Deo: in peccatum verò refunditur duntaxat ùt obbjectum moraliter refuſum in malitiam actus. In prudenti autem æſtimatione longè plus eſt, Deum ſe offerre, & ſubmittere ad ſatisfaciendum pro offenſa, quàm Deum offendi à creatura: & obſequium à Perſona Divina exhibitum Deo in compenſationem offenſæ longè plus valet in æſtimatione prudenti ad honorandum Deum, quàm valeant ad eum inhonorandum offenſæ creaturarum plures & plures in infinitum. Et verò ex eo, quòd perſona infinita ſatisfaciat Deo, & honoret Deum, ſequitur, Deum infinito honore dignum eſſe: at ex peccatis hominum non ſequitur, Deum eſſe vilem, aut contemnendum.

Dices 2. Infinitum alteri infinito commenſuratum exhauritur.

Reſp. Hoc verum eſt, ſi utrumque ſit ejusdem ordinis: non verò, ſi ſint diverſi ordinis. Merita autem Chriſti, cùm valorem ſuum infinitum accipiant à principio operante infinito moraliter refuſo, & ſe ipſum offerente, longè excellentiori modo infinitudinem habent, quàm malitia peccati, quæ tantùm infinitatem habet ab objecto offenſo dignitatem ſuam refundente.

Obj. 6. Infinita perfectio objecti, v. gr. Dei, non reddit viſionem ejus intuitivam infinitè perfectam intrinſecè. Ergo nec dignitas

tas perſonæ infinitæ reddit offenſam ejus infinitè gravem.

Reſp. Nego conſeq. Diſparitas eſt. Quia objectum non conſtituit intrinſecè cognitionem, ſed eſt duntaxat terminus illius extrinſecus. At dignitas perſonæ intrinſecè moraliter conſtituit gravitatem malitiæ offenſæ, qua contemnitur: & ſe habet per modum formæ moralis; cùm ei ſe totam communicet in ordine ad offenſam aggravandam. Præterea hoc argumentum retorqueri poteſt contra infinitum valorem actionum Chriſti.

Obj. 7. Ex noſtra doctrina ſequitur, peccatum veniale habere malitiam infinitam, ſicut mortale; nam eadem perſona per utrumque offenditur. *Falſùm conſeq.* Ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Diſparitas eſt. Quia peccatum veniale non eſt gravis offenſa Dei, qua Deus ſecundùm ſe totum contemnatur, ſicut eſt mortale. Nam peccatum veniale non eſt propriè contemptus Dei, nec virtualis quidem, & interpretativus, nec per illud Deus poſtponitur creaturæ. Unde ſecundùm prudentem æſtimationem Deus non ſe habet ad illud, ut forma ei communicans gravitatem ſecundùm totam ſuam dignitatem, ſed ſe habet duntaxat, ùt merum objectum. At per quodlibet peccatum mortale Deus ſecundùm ſe totum contemnitur, & poſtponitur creaturæ: unde ſecundùm ſe totum ei communicat gravitatem per modum formæ moralis.

Obj. 8. Talis eſt gravitas peccati, quale eſt bonum, quo privat. Sed nullum bonum, quo privat peccatum mortale, eſt infinitum; nam bona illa ſunt Gratia Sanctificans, dona ſupernaturalia, viſio beatifica: quæ ſunt entitativè finita. Ergo.

Reſp. Nego maj. Nam peccatum, ùt eſt Dei contemptivum, non ſe habet ùt privatio: ſed ùt injuria poſitiva facta Deo, & ùt actus moralis poſitivus. Præterea peccatum mortale privat bono infinito, nempe Deo, licèt ejus poſſeſſio ſit finita, & per ſe eſt privativum cujuslibet boni etiam infiniti, & gratiæ infinitæ in intenſione, ſi daretur, habetque effectum infinitum, nempe pœnam carentem fine.

Obj. 9. Actus charitatis in Deum eſt valoris finiti. Ergo peccatum contra Deum eſt malitiæ finitæ.

Reſp. Nego conſeq. Quia Deus ad actum charitatis ſe habet duntaxat ùt objectum terminans, non, ùt forma moralis eum ſecundùm totam ſuam dignitatem dignificans. At in peccato mortali Deus non eſt tantùm objectum terminans, ſed eſt etiam forma moralis, ejus malitiam ſecundùm totam tuam dignitatem conſtituens. *Ratio eſt.* Quia in æſtimatione prudenti menſura magnitudinis honoris non à perſona honorata, ſed ab honorante petitur: offenſæ verò gravitas potiſſimùm petitur à perſona, quæ graviter offenditur, & eſt tanta, quanta dignitas perſonæ, quæ contemnitur.

Obj. 10. Ex noſtra doctrina ſequitur, peccatum eſſe infinitum phyſicè, & non moraliter tantùm. *Falſum conſeq.* Ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Quia ut aliquid ſit phyſicè infinitum, non ſufficit, quòd conſtituatur per formam phyſicè infinitam, ſed inſuper requiritur, ut talis forma ei phyſicè uniatur ùt forma. Deus autem non unitur phyſicè peccato, quaſi ſit forma per entitatem ſuam realiter componens unum totum cum illo: ſed unitur ſolùm moraliter, in quantum præbet fundamentum judicandi prudenter, Deum præſtare effectus morales reſpectu peccati, perinde ac ſi ei phyſicè uniretur.

ARTICULUS III.

Utrùm detur peccatum veniale ex natura ſua?

§. I.

NOta 1. Peccatum dici poteſt veniale vel ex eventu, vel ex natura ſua. Peccatum veniale ex eventu dicitur illud, quod condonatur: veniale ex natura ſua eſt illud, quod per ſe non affert mortem animæ, nec dignum eſt pœna æterna.

Nota 2. Circa hoc varii fuerunt errores; nam 1. Jovinianus docuit, omnia peccata esse paria, & supplicio æterno digna. 2. Pelagius quolibet peccato Gratiam Sanctificantem amitti asseruit: unde contendebat, hominem in hac vita omni peccato immunem esse posse, & reipsa esse quemlibet justum, quamdiu justus est. 3. Wicleffus docuit, omnia peccata per se esse mortalia hoc sensu, quòd omnia mortem æternam afferre possint: sed sola reproborum peccata reipsa mortem inducere, electorum verò peccata omnia non inducere: & hoc sensu esse venialia. 4. Lutherus sensit, omnia peccata esse natura sua mortalia: venialia verò ex sola misericordia Dei ea non imputantis credentibus, sed omnia ad æternam damnationem imputantis non credentibus: hominem quippe sola fide justificari contendit. Calvinus verò docuit, omnia peccata ex natura sua esse mortalia: nulla tamen electis, sed omnia reprobis ad damnationem æternam imputari.

Dico. Dantur peccata, quæ ex natura sua sunt venialia.

Prob. 1. Ex Script. Luc c. 6. *Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?* Ubi Christus peccatum mortale comparans cum trabe, quæ per se oculum destruit, & totum corpus opprimit: veniale verò cum festuca, quæ per se oculum non destruit, sed leviter tantùm lædit, nec corpus opprimit, sed leviter portatur, ostendit, esse ex natura rei discrimen inter peccatum mortale, & veniale, & quidem cum proportione aliqua tantum, quantum est ex natura rei inter trabem, & festucam. Et, Jacobi, c. 3. *In multis offendimus omnes.* Et, Prov. c. 24. *Septies cadet justus.* Ergo sunt peccata, quæ per se non privant Gratia sanctificante: nec proinde sunt æterna pœna digna. Ergo dantur peccata per se venialia.

Prob. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Augustinus, l. de natura, & gratia, c. 38. *Quia sæpè in levissimis, & aliquando incautis obrepit peccatum, & justi fuerunt, & sine peccato non fuerunt.* Ubi admittit peccata levissima, quæ justis imputantur: ac proinde quæ non sunt venialia, eò quòd non imputentur. Et, Enchirid. c. 71. *De quotidianis, brevibus, levibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana fidelium oratio satisfacit. Eorum enim est dicere: Pater noster, qui es in Cœlis, qui jam Patri tali regenerati sunt ex aqua, & Spiritu Sancto. Delet omninò hæc oratio minima, & quotidiana peccata.* Et in Psalm. 6. *Duo sunt omninò genera mendaciorum, in quibus non magna culpa est: cùm aut jocamur, aut, ut prosimus, mentimur.*

Prob. 3. Ex hac Baji propositione 20. à Pio V. & Gregorio XIII. damnata: *Nullum est peccatum ex natura sua veniale: sed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

Accedit Ratio. Nam lumine naturali satis patet, aliqua peccata esse ex natura sua gravem Dei offensam: ùt odium Dei, homicidium: & aliqua per se esse duntaxat levem offensam: ùt verbum otiosum. Enimverò quis sapiens dicat, verbum otiosum, vel mendacium merè officiosum ex natura sua mereri dissolutionem amicitiæ divinæ, & pœnam æternam? Certè levis offensa non potest per se ullius personæ sapientis amicitiam dissolvere: multò minùs Dei infinitè sapientis, & boni.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Aliquos textus Scripturæ.

1. Deut. cap. 27. *Maledictus, qui non permanet in sermonibus legis hujus.*

Resp. Per sermones legis intelliguntur præcepta in illo capite tradita: quæ ex genere suo gravia sunt: ac proinde eorum violatio ex genere suo mortale peccatum est. Nam ibi vetantur idololatria, homicidium, adulterium, & alia similia peccata, quæ ex se sunt gravia: utpote contra religionem, charitatem, & justitiam.

2. Ezech. c. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.*

Resp. Hìc agitur de peccatis ex natura sua gravibus: ùt idololatria, homicidio, &c.

3. Matth.

3. Matth. cap. 5. *Qui solverit unum de mandatis istis minimis .... minimus vocabitur in regno Cœlorum.*

Resp. Hic Christus loquitur, non de minimis peccatis, sed de minimis Decalogi præceptis, quorum tamen materia est secundùm se gravis, & quæ Scribæ, & Pharisæi falsò existimabant parva, ac exigua: ùt præceptum iram internam, & contumelias vetans.

4. Rom. c. 6. *Stipendia peccati mors.*

Resp. Loquitur Apostolus de peccatis ex natura sua gravibus: nempe de peccatis, de quibus erubescebant Ethnici ad fidem conversi.

5. Jacob. c. 2. *Quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.*

Resp. Ibi agitur de peccatis ex natura sua gravibus: cujusmodi sunt adulterium, & homicidium: ùt patet ex verbis immediatè sequentibus: *Qui enim dixit, non mœchaberis, dixit &, non occides. Quòd si non mœchaberis, occides autem, factus es transgressor legis.*

Obj. 2. Aliquos textus S. Augustini.

1. L. 9. Conf. c. ult. *Væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam.*

Resp. Ibi loquitur de pœna Purgatorii, quæ acerbissima est: & solùm vult, vix ullum hominem ita sanctum esse, ut pœnam illam sine magna Dei misericordia vitare possit. Quod patet; quia his verbis (*væ etiam laudabili vitæ &c.*) rationem reddit, cùr oraturus sit pro Matre sua, quàm ibi plurimùm laudat. Igitur S. Doctor significare solùm vult, homines etiam sanctos non carere peccatis venialibus, ob quæ, nisi iis misericorditer condonentur, gravissimas pœnas in Purgatorio persoluturi sunt.

Eodem sensu explicabis hunc locum Epist. 29. ubi ait: *Cùm Rex justus sederit in Throno, quis gloriabitur, castum se habere cor? aut quis gloriabitur, mundum se esse à peccato? Quæ igitur spes est, nisi superexaltet misericordia judicium.* Nam ibi loquitur de judicio cujusque hominis: & dicit, neminem posse gloriari, se purum esse ab omni labe, & reatu culpæ venialis, & sine magna Dei misericordia nullam spem esse beatitudinis statim post mortem fruendi.

2. L. 2. de peccat. merit. & remiss. c. 3. ait: *Quis cum aliqua spe adipiscendæ salutis æternæ de hac vita migraret, manente illa sententia, quòd quicunque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus, nisi post paulatùm sequeretur... Superexaltat autem misericordia judicium.*

Resp. Sensus est, neminem cum spe beatitudinis assequendæ mori posse, nisi sciret, Deum esse maximè misericordem, & ab eo peccatorum veniam speraret; quia ad damnationem æternam sufficit unum grave peccatum, & nemo certò scit, se nullum unquam tale admisisse, aut si admiserit, illud sibi à Deo condonatum esse.

3. Tract. 1. in epist. Joan. *Ista levia, quæ dicimus, noli contemnere: si contemnis, quando appendis: expaveſce, quando numeras. Levia multa faciunt unum grande. Multæ guttæ implent flumen. Multa grana faciunt massam.*

Resp. Sensus est, quòd multa venialia, si negligantur, nec emendentur, sensim ad mortale admittendum disponant. Unde multa levia non faciunt formaliter, sed tantùm dispositivè unum grave peccatum.

Obj. 3. Minima opera bona supernaturalia justi merentur beatitudinem æternam. Ergo à contrario levissima peccata merentur pœnam æternam.

Resp. Minima illa opera per se, ex natura sua, & sine gratuita Dei promissione, & sine motivo, vel imperio charitatis non merentur beatitudinem æternam. Neque etiam levia peccata per se, & ex natura sua merentur pœnam æternam.

Obj. 4. Quodlibet peccatum est offensa personæ infinitæ. Ergo meretur pœnam infinitam in duratione.

Resp. Dising. anteced. Quodlibet peccatum est personæ infinitæ offensa vel gravis, vel levis, *conc. antec.* Est semper gravis offensa, *nego antec. & conseq.*

Obj. 5. Non licet ullum peccatum committere propter ullum bonum etiam infinitum: non nisi, quia omne peccatum habet mali-

malitiam infinitam, ſicque meretur pœnam æternam. Ergo.

Reſp. Neg. min. Itaque nullum peccatum vel leviſſimum unquam licitum eſſe poteſt etiam ob bonum infinitum; quia omne peccatum, ùt peccatum, eſt eſſentialiter illicitum, ideoque nunquam ob ullum bonum poteſt eſſe licitum; nam eſſentiæ rerum mutari abſolutè non poſſunt.

Obj. 6. Omne peccatum eſt contra legem Dei. Ergo eſt per ſe mortale.

Reſp. Omne peccatum eſt contra legem Dei graviter, vel leviter aliquid præcipientem, aut vetantem: unde eſt per ſe mortale, vel leve. At non omne peccatum eſt contra legem Dei graviter præcipientem, vel prohibentem. Sunt enim peccata contra legem aliquam leviter præcipientem, aut vetantem, ùt leve furtum. Imò non omne peccatum contra legem graviter præcipientem, aut vetantem, eſt plenè voluntarium: nec proinde imputabile ad gravem culpam, & pœnam.

Obj. 7. Peccatum quodlibet eſt majus malum, quàm ſit pœna æterna. Ergo hanc per ſe meretur.

Reſp. Nego conſeq. Quamvis enim culpa vel leviſſima ſit majus malum, magisque vitandum, quàm quælibet pœna vel graviſſima: non ideò culpæ leviſſimæ debetur pœna maxima: ſed ſolùm malo culpæ debetur malum pœnæ ei proportionatum, ita ut gravi culpæ gravis pœna, graviori gravior, è contra minùs gravi minùs gravis, levi levis pœna reſpondeat.

Obj. 8. Omne peccatum eſt violatio hujus maximi præcepti: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* Ergo omne peccatum opponitur charitati, eamque expellit.

Reſp. Nego anteced. univerſaliter ſumptum, ſaltem ſi intelligatur de gravi violatione hujus præcepti. Equidem peccata levia ſunt contra perfectionem charitatis, & ejus fervorem remittunt: ſed non opponuntur eſſentiæ, ſeu ſubſtantiæ hujus præcepti, & charitatis. Nam hoc præceptum ſecundùm eſſentiam, ac ſubſtantiam ſumptum nos obligat ad amandum Deum ſuper omnia propter ſe, ita ut efficaciter parati ſimus, potiùs carere omni bono, & omne malum pati, quàm Deum graviter offendere.

Obj. 9. Peccatum veniale nunquam remittitur in reprobis cum eo morientibus.

Reſp. Hoc fit per accidens, non per ſe: quatenus illi reprobi non poſſunt facere actum deletivum culpæ venialis. Non ideò tamen ob peccatum veniale pœnam æternam ſubeunt; quia etſi pro eo ſatisfacere nequeant, at ſatis pati poſſunt.

Obj. 10. S. Baſilius, in quæſtionibus compendiosè explicatis dicit, nullum peccatum ſpernendum eſſe ùt parvum; quia reipſa nullum eſt parvum.

Reſp, Senſus hujus loci eſt: Nullum peccatum, quod ſpernitur, ſicque facilè, ac ſæpè committitur, eſt parvum ratione periculi, & peccati, ad quod diſponit; cùm ſenſim ad mortale diſponat, juxta illud, Eccli. c. 19. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Præterea, juxta Bellarminum non eſt certum, hoc opus eſſe ſancti Baſilii.

Quæres, in quo peccatum mortale & veniale inter ſe differant?

Reſp. In hoc differunt, quòd peccatum mortale ſit legis divinæ violatio gravis, proindeque gravis offenſa Dei, ejusque contemptus ſaltem virtualis & interpretativus, & conſequenter per ſe mortem animæ inducat, atque pœnam æternam mereatur: veniale verò ſit tantùm legis divinæ violatio levis, proindeque levis offenſa Dei: quæ non eſt digna amicitiæ divinæ privatione, nec æterna pœna.

ARTICULUS IV.

Quid ſit peccatum habituale?

§. I.

NOta 1. Peccatum perſonale ratione diverſorum ſtatuum dividitur in actuale, & habituale. Nam peccatum voluntate phyſicè propria commiſſum, ſi ſpectetur, ùt actu exiſtit, ſeu committitur, dicitur actuale: ſi verò conſideretur, ùt jam actu commiſſum,

missum, dicitur habituale, quamdiu non remittitur; nam tamdiu manet moraliter, seu secundùm prudentem æstimationem in ordine ad reddendum hominem odio Dei, vituperio, & pœna dignum. Quare peccatum mortale habituale est peccatum jam actu commissum, quod in æstimatione prudenti permanet in ordine ad jus, quod habet Deus, ad odio habendum, & puniendum hominem, perinde ac si illud physicè existeret.

Nota 2. Dari peccatum habituale, quo scilicet post actum peccati transactum, homo permanenter constituitur peccator, fide constat ex Luc. c. 7. *Remittuntur ei peccata multa.* Et, Joan. c. 8. *In peccato vestro moriemini.* Et c. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.*

Nota 3. Per actum peccati physicè præteritum relinqui maculam in anima, constat ex Jerem. cap. 2. *Maculata es in iniquitate tua coram me.* Et ex Matth. c. 15. *Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem.* Duplex autem est in peccatore macula: alia est privativa: quæ nil aliud est, quàm privatio Gratiæ Sanctificantis, quatenus est privatio pulchritudinis, & nitoris debiti animæ ad finem supernaturalem destinatæ: alia est positiva, animam positivè, ac per se reddens Deo abominabilem, & exosam: quæ quidem nil aliud est, quam peccatum præteritum ùt moraliter perseverans; nam cùm peccatum actuale sit actualis macula, reddens animam Deo exosam, & abominabilem, habituale est macula habitualis.

Dico. Peccatum mortale habituale consistit tum in actu graviter culpabili physicè præterito, sed moraliter permanente: tum in privatione Gratiæ Sanctificantis: ita ut habeat duo constitutiva partialia: unum tanquam materiale: quod est privatio Gratiæ Sanctificantis. Et aliud tanquam formale: quod est actus peccati physicè præteritus, sed moraliter permanens in ordine ad jus odio habendi, & puniendi, Deo competens, donec remittatur.

R. P. Antoine Tract. Theol. de Peccatis.

Prob. 1. Peccatum habituale consistit in eo, propter quod homo, postquam mortaliter peccavit, est habitualiter, seu permanenter inimicus, ac odiosus Deo, & pœnæ æternæ obnoxius; nam per peccatorem nil aliud intelligitur, quàm homo Deo invisus, & pœnæ æternæ obnoxius. Atqui homo, postquam mortaliter peccavit, est habitualiter, seu permanenter invisus, ac odiosus Deo, atque æternæ pœnæ obnoxius propter gravem culpam moraliter permanentem, & privationem Gratiæ Sanctificantis gravi culpa inductam. Ergo peccatum habituale consistit, tum in actu graviter culpabili physicè præterito, sed moraliter permanente: tum in privatione Gratiæ Sanctificantis. *Minor patet.* Nam Deus post mortale peccatum admissum, odit animam, quia turpis, ac fœda est, & ei jure vult pœnam æternam, donec hoc peccatum per Gratiæ infusionem remittatur: anima autem turpis, ac fœda est, & æterno supplicio digna propter gravem culpam admissam, moraliter permanentem, & voluntariam pulchritudinis sibi debitæ, nempe Gratiæ Sanctificantis, privationem.

2. Peccatum habituale idem est, ac status injustitiæ; nam homo per illud constituitur habitualiter injustus. Atqui status injustitiæ & gravem culpam præteritam, & privationem Gratiæ Sanctificantis includit; nam homo, cùm justificatur, transit à statu injustitiæ ad statum justitiæ per condonationem culpæ præteritæ, & infusionem Gratiæ Sanctificantis. Ergo.

3. Homo habitualiter peccator nil aliud est, quàm homo privatus Gratia Sanctificante, & obnoxius odio Dei, ac pœnæ æternæ, ob culpam mortalem præteritam non condonatam. Ergo peccatum habituale, quod hominem habitualiter peccatorem constituit, nil aliud est, quàm culpa mortalis præterita, sed moraliter perseverans, donec condonetur, & privatio Gratiæ Sanctificantis.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Si peccatum habituale consistit partialiter in culpa præterita moraliter per-

manente, Deus vult peccatum habituale, non remittendo illud. *Falsum conseq.* Ergo. *nego seq. maj. probabis.* Deus non remittendo peccatum, vult moralem illius permanentiam. Ergo vult habituale peccatum.

Resp. Nego anteced. Itaque Deus nolendo peccatum præteritum remittere, non vult moralem illius perseverantiam, nec Gratiæ privationem: sed solùm vult retinere jus, quod propter peccatum præteritum habet, ad odio habendum, & puniendum peccatorem: qua stante retentione, peccatum præteritum se ipso moraliter perseverat; quia homo per culpam mortalem admissam dignus fit odio Dei, & supplicio æterno. Quæ dignitas ex natura rei tamdiu manet, quamdiu Deus retinet jus, quod habet ad odio habendum, & supplicio æterno puniendum peccatorem. Igitur quamvis Deus jus sibi acquisitum contra peccatorem retineat: non vult tamen, imò detestatur peccatum præteritum, & Gratiæ Sanctificantis privationem per illud inductam.

Inst. 1. Si Deus peccatum præteritum verè detestaretur, deberet condonare jus, quod habet ad odio habendum, & puniendum peccatorem.

Resp. Nego sequel. Quia Deus jus illud sibi acquisitum retinet ex affectu justitiæ vindicativæ: non ex affectu moralis perseverantiæ peccati: quæ proinde non debet adscribi Deo, sed homini peccanti, qui vi culpæ à se liberè admissæ se in perpetuum odio Dei, & supplicio æterno dignum reddit.

Inst. 2. Deus non condonando peccatum, est causa, cur perseveret moraliter in ordine ad justum odium. Ergo Deus vult, & causat peccatum habituale.

Resp. Nego antec. Nam hæc est natura peccati, ut ubi semel admissum est, per se ipsum sine influxu ullius causæ moraliter permaneat in ordine ad justum in peccatorem odium, donec condonetur, aut condigna satisfactione deleatur.

Inst. 3. Si Deus condonaret peccatum, jam desineret permanere. Ergo.

Resp. Nego conseq. Nam inde sequitur tantùm, negationem condonationis esse conditionem, sine qua peccatum physicè præteritum non potest perseverare moraliter. At Deus hanc conditionem non vult ex affectu moralis perseverantiæ peccati, sed ex affectu justitiæ vindicativæ. Quare illa moralis perseverantia nullatenus Deo imputari potest.

Obj. 2 Peccatum habituale est aliquid adæquatè intrinsecum peccatori; nam denominatio peccatoris est adæquatè intrinseca. At actus malus, postquam admissus est, non est ampliùs in peccatore. Ergo.

Resp. Peccatum habituale est aliquid peccatori adæquatè intrinsecum partim physicè, partim moraliter. Nam actus peccati, postquam physicè præteriit, & sic non est ampliùs physicè in peccatore, quamdiu non remittitur, remanet in peccatore virtualiter, æquivalenter, & moraliter in ordine ad reddendum illum obnoxium odio Dei, & supplicio æterno: privatio verò Gratiæ Sanctificantis remanet physicè in peccatore.

Porro denominatio peccatoris est aliquid morale, fundatum in physico, nempe in actu malo physicè præterito, & privatione Gratiæ Sanctificantis: ac proinde sufficit, quòd hæc denominatio sit intrinseca moraliter saltem inadæquatè.

Obj. 3. Peccatum actuale, postquam commissum est, non remanet ampliùs. Ergo non potest constituere hominem permanenter peccatorem.

Resp. Disting. anteced. Non remanet ampliùs physicè, *conc. ant.* Moraliter, & in ordine ad constituendum hominem permanenter peccatorem, *nego ant. & conseq.* Peccatum actuale, licèt physicè præterierit, tamen donec remittatur, remanet moraliter, & in ordine ad constituendum hominem permanenter peccatorem. Nam ex natura rei, donec remittatur, in ordine ad maculandum hominem, eumque odio Dei, & supplicio æterno dignum reddendum, perinde se habet secundùm prudentem æstimationem, ac si physicè existeret. Unde in ordine ad tales effectus morales præstandos dicitur moraliter permanere, donec remittatur. Ita docet S. Augustinus, l. 1. de nuptiis, c. 16. ubi ait: *Hoc est non habere peccatum: reum*

non

non esse peccati. Nam si quisquam, verbi gratia, fecerit adulterium, etiamsi nunquam deinceps faciat, reus est adulterii, donec reatus ipsius indulgentia remittatur. Habet ergo peccatum: quamvis illud, quod admisit, jam non sit; quia cùm tempore, quo factum est, præteriit. Nam si à peccando desistere, hoc esset non habere peccata, sufficeret, ut hoc nos moneret Scriptura: Fili, peccasti: non adjicias iterum. Non autem sufficit, sed addidit: & de pristinis deprecare, ut tibi remittantur. Manent ergo, nisi remittantur. Sed quomodo manent si præterita sunt: nisi quia præterierunt actu, manent reatu.

Nota. Duplex est reatus: nempe culpæ, & pœnæ. Reatus culpæ in peccato mortali est dignitas ad odium Dei: quæ dat Deo jus odio habendi peccatorem. Reatus pœnæ est dignitas ad pœnam, nempe ad supplicium æternum, & ad pœnas temporales: quæ dat Deo jus puniendi peccatorem supplicio æterno, & pœnis temporalibus propter peccatum mortale præteritum. Uterque hic reatus est formalis effectus peccati habitualis adæquatè sumpti. Nam homo, postquam mortaliter peccavit, quamdiu peccatum ei non remittitur, odio Dei, & supplicio æterno dignus est formaliter: tum quia mortaliter peccavit: tum quia sic peccando se ipse culpabiliter privavit Gratia Sanctificante. Unde peccatum habituale se ipso formaliter est uterque reatus.

Obj. 4. Deus non potest facere, ut commissa non fuerit culpa mortalis, quæ commissa fuit. Ergo non potest tollere peccatum habituale, si hoc consistat in culpa præterita, &c.

Resp. Nego conseq. Quia licèt Deus facere non possit, ut admissa non fuerit culpa, quæ admissa est: potest tamen, illam condonando, facere, ut jam non perseveret moraliter; nam illam condonando, facit, ut perinde se habeat in æstimatione morali, ac si nunquam fuisset admissa. Facere autem, ut culpa perinde se habeat in æstimatione prudenti, ac si nunquam fuisset, est eam tollere, ac destruere in æstimatione morali.

Ita Deus remittendo peccatum, & infundendo Gratiam Sanctificantem, verè tollit peccatum habituale. Nam tollit illius constitutivum: nempe tum ipsum peccatum præteritum, quod moraliter permanebat: tum privationem Gratiæ; condonando enim peccatum, cedit jus, quod habet ad peccatorem odio habendum, & supplicio æterno mulctandum. Per hanc autem cessionem juris, peccatum, quod physicè præteritum erat, sed adhuc moraliter permanebat in ordine ad justum Dei odium, & jus puniendi peccatorem pœna æterna, jam in ordine ad hoc utrumque incipit perinde se habere secundùm æstimationem prudentem ac si commissum non fuisset. Nam hac cessione facta, Deus non magis habet jus hominem odio habendi, & æterno supplicio mulctandi propter peccatum commissum, quàm si nunquam perpetratum fuisset. Igitur tollitur peccatum præteritum; quia jam nec physicè, nec moraliter existit. Tollitur quoque reatus culpæ, ac pœnæ æternæ; quia jam homo propter peccatum admissum non magis odio Dei, & supplicio æterno obnoxius esse justè potest, quàm si peccatum non commisisset.

Porro Deus remittit peccatum hoc ipso, quòd cedit jus, quod propter illud habebat ad odio habendum, & æterno supplicio puniendum peccatorem, & ei Gratiam Sanctificantem infundit.

Obj. 5. Peccatum habituale est culpa. Sed privatio Gratiæ Sanctificantis non est culpa Ergo.

Resp. Disting. maj. Peccatum habituale inadæquatè sumptum est culpa, *conc. maj.* Adæquatè sumptum, *nego maj. & conseq.* Peccatum habituale est quidem culpa, si sumatur inadæquatè: nempe secundùm sui constitutivum formale, ac præcipuum. At sumptum secundùm suum materiale constitutivum non est culpa strictè dicta. Potest tamen adhuc dici culpa in aliquo sensu lato, per culpam intelligendo id omne, quod est culpabile sive ratione sui, sive ratione alterius, cujus est effectus; nam privatio Gratiæ Sanctificantis est culpabilis ratione liberæ violationis legis divinæ.

Nota. Actus peccati physicè præteritus,

nec condonatus, est constitutivum formale peccati habitualis: privatio verò Gratiæ Sanctificantis est materiale ejus constitutivum. Quia in toto, quod peccatum habituale constituit, illud se habet ùt constitutivum formale, quod est per se, & ratione sui culpabile, ac imputabile, & quod determinat in illo toto: illud verò se habet ùt constitutivum materiale, quod est culpabile, ac imputabile tantùm ratione alterius, & determinatur per aliud ad esse peccati habitualis. Atqui in peccato habituali actus peccati physicè præteritus nec condonatus, est per se, & ratione sui culpabilis, ac imputabilis, & determinat privationem Gratiæ ad esse peccati habitualis partialiter: privatio verò Gratiæ Sanctificantis est tantùm culpabilis, ac imputabilis ratione actus præteriti, & ab eo determinatur ad esse peccati habitualis. Nam quòd totum illud, in quo consistit peccatum habituale, sit aliquid verè, ac propriè culpabile, ac imputabile, ideoque sit peccatum habituale, procedit ab actu peccati commissi non condonato; privatio enim Gratiæ non est culpabilis, nec imputatur homini, nisi quia illam sua culpa contrahit.

Obj. 6. Si peccatum habituale consistit etiam in privatione Gratiæ, illud erit à Deo; nam hæc privatio est pœna inflicta à Deo. *Falsum conseq.* Ergo.

Resp. Disting. seq. maj. Peccatum habituale erit à Deo secundùm suum constitutivum formale, & præcipuum, *nego sequel maj.* Secundùm suum materiale constitutivum, *subdisting.* Erit à Deo, quatenus præcisè est pœna, *conc. conseq.* Quatenus est quid culpabile, & imputabile ad vituperium, ac pœnam, *nego sequel. maj.* Privatio Gratiæ Sanctificantis est quidem quasi efficienter à Deo, sed solùm, quatenus est pœna justa: non autem quatenus est culpabilis, ac imputabilis ad odium, vituperium, ac pœnam; nam sub hac consideratione est à solo homine, à quo demeritoriè ponitur.

Obj. 7. Privatio Gratiæ Sanctificantis est effectus peccati habitualis. Ergo nullatenus est peccatum habituale.

Resp. Disting. anteced. Est effectus peccati habitualis inadæquatè sumpti, nempe sumpti secundùm suum formale constitutivum, *conc. ant.* Adæquatè sumpti *nego ant. & conseq.* Materiale autem constitutivum peccati habitualis potest esse effectus formalis constitutivi ejusdem peccati.

Obj. 8. Peccatum propriè est aliquid adæquatè imputabile ad vituperium, & pœnam.

Resp. Peccatum est aliquid adæquatè imputabile sive per se, & ratione sui, sive ratione alterius, cujus est effectus: non autem semper ratione sui. Nam ex S. Augustino, peccatum etiam propriè sumptum dupliciter accipitur. 1. Pro eo, quod est per se, & ratione sui imputabile ad vituperium & pœnam. Hoc modo peccatum est omnis, & sola legis divinæ violatio libera. 2. Pro eo, quod ad vituperium, & pœnam imputabile est ratione alterius, cujus est effectus. Isto modo peccatum est privatio Gratiæ Sanctificantis in adulto, qui mortaliter peccavit; nam hæc privatio non solùm illum maculat, sed etiam illi ad vituperium, odium Dei, & pœnam æternam imputabilis est propter gravem transgressionem liberam legis divinæ, cujus est effectus: quamdiu scilicet transgressio illa non remittitur; quia tamdiu ex natura rei anima odio Dei, & supplicio æterno digna est, quòd sua culpa careat nitore, & ornatu debito in statu elevationis, in quo est.

ARTICULUS V.

Utrùm peccatum mortale non condonatum puniatur suppliciis æternis: sive (quod idem est) utrùm pœnæ damnatorum in æternum duraturæ sint?

§. I.

Nota 1. Quodlibet peccatum mortale duplici pœna præcipua mulctatur: nempe pœna damni, & pœna sensus. Pœna damni consistit in privatione beatitudinis, nempe fruitionis Dei summi boni: pœna verò sensus in dolore, quem efficit ignis

gnis infernalis. Utraque pœna exprimitur, Matth. cap. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Hanc utriusque pœnæ rationem affert S. Thomas, 1. 2. q. 87. art. 4. Quia peccatum mortale est aversio à Deo, & conversio ad creaturam. Æquum est autem, ut qui se avertit à Deo, ejus fruitione privetur: & qui se convertit ad creaturam cum gravi injuria Creatoris, supplicium patiatur à creatura.

Nota 2. Origenes docuit, pœnas damnatorum non fore æternas: sed dæmones, & homines reprobos post aliquod tempus libetum iri: ùt testatur S. Augustinus, l. de hæresibus, hæresi 43. Hanc hæresim sectantur Sociniani.

Dico. Damnatorum pœnæ sunt æternæ. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura. Isai. c. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et c. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Matth. c. 3. *Paleas autem comburet igni inextinguibili.* Et c. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.... Et ibunt hi in supplicium æternum, Justi autem in vitam æternam.* Marc. 9. *Mitti in gehennam ignis inextinguibilis; ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* 2. Thess. cap. 1. *Pœnas dabunt in interitu æternas.* Apoc. 14. *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Et cap. 20. *Cruciabuntur die, ac nocte in sæcula sæculorum.* Certè æternitatem in illis locis sumi pro durationè finem nunquam habitura, ùt sæpissimè in Scriptura sumitur, constat tum ex Traditione, & perpetuo Ecclesiæ sensu, tum ex his Scripturæ verbis: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Paleas comburet igni inextinguibili. Ibunt hi in supplicium æternum, Justi autem in vitam æternam.* Ubi voces, *æternum*, *æternam* sumuntur sanè in eodem sensu. Item ex istis: *Cruciabuntur in sæcula sæculorum.*

Prob. 2. Ex omnibus Patribus, pro quibus hìc sufficiant S. Justinus Martyr Apolog. 2. *Injustos in perpetuo sensu unà cum malis geniis in ignem mittet sempiternum.* S. Irenæus, l. 4. c 47. *Pœna eorum, qui non credunt verbo Dei, & contemnunt ejus adventum, & convertuntur retrorsum, adampliata est, non solùm temporalis, sed & æterna facta.* Tertullianus, Apologet. c. 45. *Nos, qui sub Deo omnium speculatore disponimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, meritò soli innocenti occurrimus.... Et pro magnitudine cruciatus non diuturni, verùm sempiterni eum* (Deum) *timentes.* S. Chrysostomus, Homil 9. in 1. ad Cor. *Non est hæc parva, quæ proponitur, quæstio.... An finem habeat ignis gehennæ? Nam quòd non habeat, Christus pronuntiavit, dicens: ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non desinet... Et Paulus quoque id dicit, ostendens immortale supplicium, & quòd peccatores dabunt pœnas exitiosas, & æternas.* S. Augustinus, l. 21. de Civit. c. 9. *Quod de sempiterno supplicio damnatorum, per suum Prophetam Deus dixit, fiet omnino, & vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur,* Et, c. 17. dicit, ab Ecclesia meritò reprobatam fuisse oppositam Origenis sententiam. S. Leo, serm. 4. de collectis. *Quis istam sortem æternorum cruciatuum non pavescat? Quis mala nunquam finienda non timeat?*

Prob. 3. Ex Conciliis Generalibus. Nam 1. Concilium quintum (ùt scribit Nicephorus Callisti, l. 17. c. 27.) damnavit Origenem, quòd doceret, *Omnium impiorum hominum, ipsorumque etiam dæmonum tormenta finem habitura.* 2. Concilium Lateranense IV. c. *Firmiter.* docet, reprobos *cum diabolo pœnam perpetuam* recepturos esse. 3. Conc. Trident. sess. 6. can. 25. damnatorum pœnas vocat æternas, &, sess. 14. can. 5. dicit, per peccatum contrahi *amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum.* Certum est autem, Patres, & Concilia per æternitatem intelligere durationem nunquam finem habituram, ùt intelligitur secundùm communem usum in Ecclesia receptum.

Prob. 4. Ex sensu, & perpetua Traditione orali Ecclesiæ.

Ratio est. Quia mortale peccatum habet malitiam infinitam simpliciter. Ergo meretur pœnam acerbissimam, & infinitam saltem in duratione; nam creatura non est capax pœnæ infinitæ in acerbitate.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Multos Textus Scripturæ.

1. Illud, Psalm. 102. *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.*

Resp. Hic textus spectat præsentem vitam, in qua Deus præcipuè misericordiam exercet, & peccatoribus pœnitentiam agentibus condonat peccata.

2. Illud, Isai. c. 24. *Congregabuntur in lacum, & claudentur ibi in carcere: & post multos dies visitabuntur.*

Resp. Hæc ultima verba significant impios in æternum puniendos; nam verbum *visitare* ibi, sicut in multis aliis Scripturæ locis sumitur in malam partem: nempe pro punire, cruciare, ut Isa. c. 26. *Visitasti, & contrivisti eos.*

3. Illud, Jacob. c. 2. *Superexaltat autem misericordia judicium.*

Resp. Equidem Deus in hac vita magis misericordiam, quàm justitiam exercet. In inferno autem suam justitiam præcipuè, non tamen in toto rigore exercet, infligendo quidem pœnam æternam, sed minùs acerbam, quàm in rigore mereatur peccatum.

4. Illud, Apoc. c. 20. *Beatus, & Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem.*

Resp. Per secundam mortem intelligitur mors æterna: quæ in suppliciis inferni consistit.

5. Illud, Marc. c. 12. de Scribis: *Hi accipient prolixius judicium.*

Resp. Vox *prolixius* significat severius, & acerbius: unde erit prolixius in acerbitate, non in duratione; nam damnatorum supplicia sunt æqualia in duratione, non in acerbitate.

Obj. 2. S. Irenæus, l. 2. adversus hæreses, c. 64. ait: *Omnia, quæ facta sunt, initium quidem facturæ suæ habent: perseverant autem, quoad usque ea Deus & esse & perseverare voluerit.* Quibus verbis indicat, animas non esse immortales. Quod etiam insinuat de impiorum animabus S. Justinus, in Dialogo cum Tryphone, ubi ait: *Quæ dignæ sunt, ut coram Deo appareant: non moriuntur amplius: illæ autem* (impiorum animæ) *excruciantur, quoad eas & esse, & excruciari vult Deus.*

Resp. Hi Patres locis illis neque negant, neque affirmant immortalitatem animarum impiorum: sed illam locis in probatione allatis sufficienter agnoscunt hoc ipso, quòd in damnatis admittunt pœnarum æternitatem, quæ sine animarum immortalitate esse nequit.

Dices: S. Irenæus, eodem cap. 64. ait: *Qui servaverit datum vitæ, & gratias egerit ei, qui præstitit, accipiet & in sæculum sæculi longitudinem dierum. Qui autem ... ingratus extiterit factori .... & non cognoverit eum, qui præstat, ipse se privat in sæculum sæculi perseverantia.*

Resp. Solùm vult, peccatores vita æterna se propter sua crimina privare, & æternam mortem in inferni suppliciis positam subire.

Obj. 3. S. Gregorium Nyssenum.

Resp. Cum S. Germano, & Photio, Gregorii Nysseni Opera hac in parte ab Origenistis corrupta fuisse. Nec obstat stili similitudo; nam hæretici facilè possunt Authoris Catholici stilum, & dicendi rationem imitari.

Obj. 4. S. Basilius, in cap. 4. Isaiæ ait: *Qui post acceptam Dei notitiam, consultò, ac studio se ipsos reddunt obnoxios sanguini, utique tales opus est purgari per ignem.*

Resp. Solùm vult, tales graviùs puniendos per ignem; quia graviùs peccarunt. Et verò, Homil. in Psalm. 33. asserit, reprobos passuros esse *probrum, & verecundiam sempiternam.*

Obj. 5. S. Ambrosium, in Psalm. 118. serm. 20.

Resp. Ibi quidem obscurus est: sed alibi

pœna-

pœnarum æternitatem clarè docet, nempe l. de lapsu Virginis, c. 8. ubi ait: *Ego tamen, qui scio graviora facinorosis servari tormenta, & sine fine impias animas cruciatus manere, non temporales utique, sed æternos: aliis te volo cruciatibus affici, profuturis utique, non animam perdituris,*

Obj. 6. S. Augustinus, in Ench. cap. 110. asserit, Missas, & eleemosynas prodesse damnatis.

Resp. Neg. Imò expressè dicit, eas nulla esse adjumenta reproborum. Cùm autem addit, per eas tolerabiliorem fieri damnationem, loquitur, non absolutè, sed ex hypothesi, quòd iis prosint. Itaque ibi docet, Sacrificia, & pietatis opera non posse reprobos à pœnis omnino liberare: quòd si tamen iis prosint, non prodesse, nisi ut aliquid levamenti afferant. Nam ibi sic ait: *Cùm ergo Sacrificia sive Altaris, sive quarumcunque eleemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarum actiones sunt: pro non valdè malis propitiationes sunt: pro valdè malis, etiamsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescunque vivorum consolationes sunt. Quibus autem prosunt, aut ad hoc prosunt, ut fiat plena remissio, aut certè tolerabilior fiat ipsa damnatio.*

Obj. 7. S. Hieronymum, in 1. Dialogo contra Pelagianos, ubi in persona Attici hæc ait: *Illud verò, quod in sequenti ponis capitulo, in die judicii iniquis, & peccatoribus non parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos, ferre quis potest, & interdicere te misericordiam Dei, & ante diem judicii judicare? ... Denique Isaias, de quo ponis testimonium (comburentur peccatores, & iniqui simul,) non addidit: in æternum, &c..... Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, & diabolo tribuit pœnitentiam, quid ad nos, qui & diabolum, & satellites ejus, omnesque impios, & prævaricatores dicimus perire perpetuò, & Christianos, si peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas?* Ubi docet, Christianos etsi in peccato mortuos post supplicia aliquamdiu tolerata, salutem consecuturos esse.

Resp. 1. Etiamsi S. Hieronymus in hunc errorem ex infirmitate humana impegisset, ùt fatentur aliqui Catholici, hæc ejus opinio nil Catholicæ veritati officere potest. Nam quamvis unanimis Patrum consensus sit infallibilis, tamen singuli Patres seorsim sumpti errare possunt: & non pauci aliquando errarunt.

Resp. 2. Multi alii Doctores Catholici S. Hieronymum ab hoc errore jure merito vindicant. Itaque S. Doctor verbis objectis solùm intendit, non omnes iniquos, & peccatores æternis ignibus exurendos: per iniquos, & peccatores intelligendo cujuscunque peccati reos; quia non omnia peccata mortalia sunt, nec omnia damnationem æternam inducunt, ùt docebat Pelagius, quem ibi refellit, & arguit, quòd diceret generaliter, *in die judicii iniquis, & peccatoribus* (hoc est, cujuscunque iniquitatis & peccati reis) *non parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos.* Quod rectè colligitur ex his verbis ejusdem loci: *Si peccatores, & iniqui æternis ignibus exuruntur, non times sententiam tuam, qui iniquum, & peccatorem te esse dicis? & argumentaris, hominem non esse sine peccato, sed esse posse. Ergo solus ille salvetur, qui nunquam fuit, nec est, sed futurus est, aut forsitan nec futurus: & pereant omnes, quos retro fuisse legimus.... Si justus es, & humilitate simulas peccatorem, mirabimur, atque gaudebimus, habere te solum, & possidere cum sociis, quod nec Patriarcharum, nec Apostolorum quispiam habuit. Si autem Origenes, &c.* per justum autem intelligebat Pelagius eum solùm, qui omni omnino peccato immunis esset. Igitur hæc est Hieronymi contra Pelagium argumentatio: Si generaliter verum est, iniquos, & peccatores, id est, cujuscunque peccati reos, æternis ignibus exurendos, omnes homines, qui hactenus extiterunt, ne Patriarchis quidem, & Apostolis exceptis, æternis suppliciis cruciari necesse est; nam nullus hominum omni omnino peccato etiam personali hactenus caruit

caruit: excipe tamen Beatam Virginem. Unde satis patet, S. Doctorem reprehendere Pelagium, non quòd omnes omnino etiam Fideles in gravi, seu mortali peccato decedentes æternis suppliciis addiceret: sed quia indefinitè, ideoque generaliter æternis ignibus exurendos diceret quoscunque peccatores, ideoque etiam solorum venialium reos.

Confirmatur hæc nostra responsio. Quia S. Hieronymus expressè docet, omnes peccatores, gravium scilicet peccatorum reos, cum diabolo, & angelis ejus æterno igne cruciatum iri. Nam in cap. 3. Jonæ, ubi Origenis errorem confutat, sic ait: *Hoc quia Scriptura sancta non dicit, & evertit penitus timorem Dei, dum facilè homines labuntur in vitia, putantes, etiam diabolum, qui author malorum est, & omnium peccatorum fons, acta pœnitentia posse salvari, de nostris mentibus abjiciamus: & sciamus, peccatorem in Evangelio mitti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis ejus, & de his dici: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Et infra. *Si . . . . longo post circuitu, atque infinitis sæculis omnium rerum restitutio fiet, & una dignitas militantium: quæ distantia erit inter Virginem, & postribulum? . . . . . Finge quod libet, annos, & tempora duplica, & infinitas ætates congere cruciatibus: si finis omnium similis est, præteritum omne pro nihilo est; quia non quærimus, quid ali quando fuerimus, sed quid semper futuri simus,*

Inst. 1. S. Hieronymus loco citato textus Scripturæ, quibus exprimitur supplicium damnatorum, in alium sensum detorquet, vel de solis infidelibus explicat.

Resp. Solùm vult, loca aliqua à Pelagio citata non probare ignem æternum: aut generaliter intelligenda non esse de omnibus peccatoribus, seu de cujusvis peccati reis.

Inst. 2. S. Hieronymus ibidem ait: *Aliud est gloriam perdere resurgendi: aliud perire perpetuò.*

Resp. Ibi per gloriam resurgendi intelligit specialem, ac eximiam gloriam, quacum resurgent homines eximia sanctitate præditi, & sensus est: Aliud est perdere eximiam gloriam viris eximiè sanctis destinatam, quam revera perdunt homines multorum venialium rei: & aliud perire in perpetuum. Nam ibi per peccatores non intelligit graves peccatores, quos potiùs significat nomine impiorum, & adversariorum Dei, sicut per justos intelligit viros eximia sanctitate ornatos. Hoc patet ex toto loco objectionis, ubi S. Doctor ait: *Scriptum est: multa flagella peccatoris: & non, interitus sempiternus, & per omnia flagella, atque cruciatus emendatur Israël. Quem enim diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Aliud est, cædere magistri, & parentis affectu: aliud contra adversarios crudeli animo desævire. Quam ob causam & in primo Psalmo canitur: Quoniam non resurgent impii in judicio; jam enim in perditionem sunt præjudicati: Neque peccatores in Concilio Justorum: aliud enim est gloriam perdere resurgendi; aliud perire perpetuò.* Ubi de peccatoribus, quos dicit non resurgere in Concilio Justorum, id est, cum gloria eximia Sanctorum propria, intelligit hæc verba: *Quem enim diligit Dominus, corripit. Flagellat autem omnem filium, quem recipit. Aliud est cædere, &c.* Ergo per peccatores ibi non intelligit gravium peccatorum, sed duntaxat venialium reos.

Nota. Nomine peccatoris & iniqui non intelligebat Hieronymus, sicut nos intelligimus, eum, qui mortalis peccati reus est: sed præcisè intelligebat eum hominem, qui alicujus peccati reus, & propterea aliqua indignatione Dei, & pœna dignus erat. Unde peccatores in duas classes dividebat: in prima constituebat eos, qui gravium peccatorum rei essent: quales sunt infideles omnes: in secunda verò eos, qui venialiter tantùm peccarant: & sic solis pœnis temporalibus digni erant, quales sunt multi, & soli Fideles.

Inst. 3. S. Hieronymus loco objecto dicit: *Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse post pœnas.*

Resp.

Resp. Loquitur de solis Christianis, qui cum solis peccatis venialibus moriuntur. Nam Christianos, de quibus loquitur, distinguit à prævaricatoribus, id est, gravium peccatorum reis: quos asserit perire perpetuò. Pelagium autem reprehendit, quòd Fideles cum infidelibus confunderet; quia non omnes Fideles in peccato mortali moriuntur, sicut omnes infideles; nam multi ex Fidelibus cum solis culpis venialibus decedunt, ideoque non suppliciis æternis mulctandi sunt, sicut infideles omnes.

Porro S. Hieronymus, in cap. ult. Isaiæ errorem Origenis refert, non ùt suam sententiam, sed ùt alienam: ùt patet ex ejus verbis. Cùm autem hæc subjicit: *Sicut diaboli, & omnium peccatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde suo: Non est Deus, credimus æterna tormenta: sic peccatorum, atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, moderatam arbitramur, & mixtam clementiæ sententiam Judicis.* Vel loquitur de Christianis, quos supponit, pœnitentiam ante mortem egisse, ideoque in Purgatorii igne pœnas luere: vel solùm vult, Christianos impios in inferno infra condignum puniendos; quia in Fide Christiana usque ad mortem perseverarunt.

Obj. 8. Ecclesia sic orat in Missa pro defunctis: *Libera, Domine, animas omnium Fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus.*

Resp. His verbis Ecclesia solùm intendit petere à Deo, ut animæ Fidelium in gratia defunctorum à pœnis Purgatorii liberentur. Et verò Ecclesia in Officio Defunctorum dicit: *In inferno nulla redemptio.*

Obj. 9. Pœna æterna repugnat infinitæ Dei bonitati, & clementiæ. Ergo.

Resp. Nego anteced. Nam divina justitia pœnam æternam ùt mortali peccato debitam exigit. Divina autem attributa minimè inter se pugnant. Porro solius justitiæ divinæ est pœnas injuriis in Deum illatis debitas infligere.

CAPUT III.

De Peccato Originali.

ARTICULUS I.

Utrùm existat Peccatum Originale?

Nota 1. PEccatum originale est peccatum mortale ab Adamo ùt totius generis humani capite morali admissum, & per naturalem generationem transfusum in omnes ejus posteros, via naturali ab eo descendentes: excepta B. Virgine per speciale privilegium ab hac transfusione præservata. Differt à peccato personali, quòd personale voluntate physicè propria committatur: originale verò voluntate physicè aliena, sed moraliter propria admissum fuerit. Dicitur originale; quia ab omnibus Adami posteris, secluso speciali privilegio, ab origine, id est, à primo animationis instanti contrahitur, eos efficiendo verè peccatores, odibiles Deo, & damnatione æterna dignos, tanquam mortalis culpæ reos, quam peccante Adamo ùt morali omnium capite admiserunt.

Nota 2. Pelagius originalis peccati existentiam negavit: fatebatur tamen, necessarium esse parvulis baptismum, ut Regnum Cœlorum assequantur: non autem, ut ab ullo peccato abluantur. Idem peccatum postea negarunt Albigenses, Anabaptistæ, Zuinglius. His omnibus in Cilicia præiverat Theodorus Mopsuestenus multorum errorum Magister.

§. I.

Dico. Existit peccatum originale, hoc est, peccatum mortale verè, ac propriè dictum, ab Adamo per generationem naturalem in omnes ejus posteros, secluso speciali privilegio, transfusum: quo peccato constituuntur in se verè, ac propriè peccatores, Deo odibiles, & æternæ damnationis obnoxii. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura, Job. c. 14. *Quis*

poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? Nonne tu, qui ſolus es? Ubi ſignificatur immunditia animæ: quippe quæ dicitur à ſolo Deo tolli poſſe: & hujus immunditiæ cauſa affertur ſemen immundum, id eſt, immunditia ex ipſa origine contracta. Ergo exiſtit peccatum in ipſa origine contractum. Quare Septuaginta Interpretes ſic hoc expreſſerunt. *Nemo mundus erit à ſorde, nec infans, cujus eſt unius diei vita.* Pſalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* In Hebræo legitur: In iniquitate & peccato: Septuaginta autem verterunt in numero plurali: tum quia illud unum peccatum originale eſt in omnibus, & ſingulis hominibus, ideoque multiplex transfuſione, & imputatione: tum quia unum illud peccatum eſt fons, & origo omnium aliorum peccatorum perſonalium: maximè propter concupiſcentiam ex eo contractam, quæ ad omnia peccata impellit: unde eſt cauſaliter multiplex. Rom. cap. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Ergo per unum hominem omnes homines conſtituti ſunt rei peccati, obnoxii morti, quia verè omnes Adamo peccante peccaverunt.

Dices: Peccatum ibi ſumitur impropriè, & metaphoricè. Vel peccatum intravit in mundum imitatione tantùm, non propagatione. Vel peccatum in mundum intravit per Adamum; quia Adamo peccante peccatum cœpit eſſe in mundo.

Reſp. Nego. Nam 1. Apoſtolus ibi loquitur de peccato, propter quod omnes ſunt morti obnoxii. Solum autem peccatum propriè dictum parit mortem, juxta illud ejusdem Apoſtoli: *Stipendia peccati mors.* 2. Si peccatum imitatione tantùm intraſſet in mundum, Apoſtolus debuiſſet dicere: *Per duos homines*: non autem: *Per unum hominem*; nam homines peccando, non ſolùm Adamum, ſed etiam Evam, quæ prior peccavit, imitantur. Item debuiſſet dicere: *Per diabolum*; non: *Per unum hominem*: ſiquidem diabolus prior peccavit, & alios ad peccatum induxit ab initio. 3. Antequam peccaret Adamus, peccatum jam erat in mundo; nam ante Adamum peccavit Eva, & ante Evam diabolus.

Prob. 2. Ex Traditione, quæ clarè patet tum ex Patribus apud Bellarminum, & alios, & præſertim apud S. Auguſtinum, lib. 2. contra Julianum: tum ex uſu Eccleſiæ in Baptiſmo, & ejus ceremoniis: tum ex ſummis Pontificibus, & Conciliis, à quibus Pelagii errores, ubi primum innotuere, damnati ſunt: ſcilicet Innocentio I. in epiſt. ad Conc. Milevitanum, Zozimo, in epiſt. ad totius orbis Epiſcopos, Cœleſtino, in Epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ: Conciliis verò, ùt Palæſtino, Milevitano, Carthaginenſibus duobus, Arauſicano II. can. 2. & aliis pluribus particularibus: ſed præſertim Generalibus, ùt Epheſino in ſua Synodica ad Cœleſtinum epiſtola: Florentino, in ſua definitione: demum Trid. ſeſſ. 5. can. 2. ubi ait: *Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe: & acceptam à Deo ſanctitatem, & juſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli, & non nobis etiam eum perdidiſſe: aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod eſt mors animæ; anathema ſit; cùm contradicat Apoſtolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.*

Prob. 3. *Ratione Theologica. Prima.* Chriſtus mortuus eſt pro omnibus omnino hominibus, etiam parvulis. Ergo omnes omnino homines etiam parvuli, mortui ſunt per peccatum: niſi quis per Chriſti gratiam ab hac morte præſervatus ſit; nam Chriſtus non eſt mortuus, niſi pro iis, qui mortui ſunt in ſe, & actu, vel ſaltem in Adamo, & ex debito, ſi quis ex ſpeciali privilegio in ſe mortuus non fuerit: ùt conſtat ex Apoſtolo, 2. Cor. c. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt. Et pro omnibus mortuus eſt Chriſtus.* Quibus verbis

bis probat, omnes mortuos esse actu, vel saltem ex debito: & nisi quis ejus gratia à morte animæ præservatus sit; quia pro omnibus mortuus est Christus. Quæ probatio non valeret, si Christus mortuus esset pro aliquibus, qui non essent mortui per peccatum actu, vel saltem ex debito: & nisi per ejus gratiam quis ex speciali privilegio præservaretur. Ita differit S. Augustinus, l. 1. de peccatorum meritis, & remissione cap. 23. *Quis audeat dicere, non esse Christum infantium Salvatorem? nec Redemptorem? Unde autem salvos facit, si nulla in eis est originalis ægritudo peccati? Unde redimit, si non sunt per originem primi hominis venundati sub peccato?*

Secunda Ratio. Baptismus ad salutem necessarius est omnibus omnino hominibus, non solum adultis, sed etiam infantibus, ùt constat tum ex illo Christi, Joan. cap. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*: tum ex perpetuo sensu, & usu Ecclesiæ, quæ semper summa sollicitudine curavit, ut infantes de vita periclitantes baptizarentur. Unde & ipsi Pelagiani hanc Baptismi necessitatem non negarunt. Ergo omnes etiam infantes indigent effectu Baptismi; nam Baptismus non est necessarius, nisi propter ejus effectum. Atqui effectus Baptismi est ablatio, & remissio peccati: ùt patet ex illo, Ephes. c. 5. *Mundans lavacro aquæ in Verbo vitæ*: Et ex ipsa forma Baptismi: *Ego te baptizo*, &c. Hoc est, Ego te abluo. Ergo omnes homines, etiam infantes, indigent ablutione, & remissione peccati. Ergo contraxerunt verè peccatum: quod scilicet ab Adamo in eos per generationem naturalem transfusum est.

Respondebant Pelagiani, necessarium esse Baptismum parvulis, non, ut remissionem alicujus peccati, vel vitam æternam consequantur, sed ut in Regnum Cœlorum admittantur. *Sed contra est.* Quia non est alia salus, & vita æterna, nisi Regnum Cœlorum, Regnum Dei: & juxta sensum, & usum tum Scripturæ, tum Ecclesiæ hæ voces idem planè sonant. Hocque patet ex illo Christi, c. 25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi.* Et paulò post sententiæ executionem significat his verbis: *Ibunt hi in supplicium æternum, Justi autem in vitam æternam.* Ubi Regnum Cœlorum paratum electis dicitur vita æterna. Unde illud S. Augustini, ser. 14. de verbis Apostoli: *Ergo est æterna vita extra Regnum Cœlorum? Primus hic error aversandus ab auribus, extirpandus à mentibus. Hoc novum in Ecclesia priùs inauditum est, esse vitam æternam præter Regnum Cœlorum, esse salutem æternam præter Regnum Dei.* Præterea in præsenti statu nihil impedit Regnum Cœlorum, nisi peccatum.

Confirmatur ex exorcismo, & exsufflatione, quæ in Baptismo etiam infantium adhibentur, & in Ecclesia universa semper usurpata sunt, & quibus spiritus immundus ab infantibus baptizandis expellitur. Ergo juxta perpetuum Ecclesiæ sensum infantes ante Baptismum sunt sub potestate dæmonis: & consequenter ante Baptismum inquinati sunt peccato aliquo, propter quod sunt sub potestate dæmonis; nam nemo servus dæmonis efficitur, nisi per peccatum. Atqui peccatum illud, quo secundùm perpetuum Ecclesiæ sensum inquinati sunt infantes ante Baptismum, non potest esse nisi peccatum originale, id est, peccatum ex origine contractum; nam infantes non sunt peccati personalis capaces. Ergo juxta perpetuum Ecclesiæ sensum infantes nascuntur cum peccato originali: & consequenter extat peccatum originale.

Porro has cæremonias nunquam negare ausi sunt Pelagiani ipsi, ùt constat ex S. Augustino, l. 6. contra Julianum, cap. 5. ubi eum sic exagitat: *Id tu commemorate timuisti, tanquam ipse ab orbe toto exsufflandus esses, si huic exsufflationi, qua Princeps mundi à parvulis ejicitur foras, contradicere voluisses.* Neque etiam negare potuerunt, illas adhiberi ad dæmonem abigendum. Nam (ùt ait S. Augustinus, l. 2. operis imperfecti, Num. 181.) *Propter hoc & infantes, cùm baptizantur, eruuntur de potestate tenebrarum: alioquin cum magna injuria Dei,*

ſicut jam diximus, & ſæpe dicendum eſt, exorcizatur, & exſufflatur imago Dei, ſi non ibi ille exorcizatur, & exſufflatur Princeps mundi, qui mittitur foras, ut ſit illic habitatio Spiritus Sancti.

Accedit Ratio naturalis, petita à miſeriis tum animæ, tum corporis, quas unusquisque à nativitate experitur. Nam tam multæ, ac tantæ ſunt, nec omnino connaturales naturæ humanæ ſecundùm ſe, & præciſa culpa ſpectatæ, ut bruta cum proportione favorabiliùs condita ſint, nec tot miſeriis obnoxia: habeantque inſtinctum ſibi meliorem. Quod ſanè non fuiſſet, niſi natura humana alicujus gravis peccati rea eſſet. Unde illud S. Auguſtini, l. 4. contra Julianum, c. ult. *Quid igitur reſtat, niſi ut cauſa iſtorum malorum ſit aut iniquitas, vel impotentia Dei, aut pœna primi, veterisque peccati? Sed quia nec injuſtus, nec impotens eſt Deus: reſtat, quod non vis, ſed cogeris confiteri: quòd grave jugum ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum uſque in diem ſepulturæ in matrem omnium non fuiſſet, niſi delicti originalis meritum præceſſiſſet.*

§. II.

Solvuntur Objectiones ex Scriptura petitæ.

Obj. 1. Illud, Ezech. c. 18. *Filius non portabit iniquitatem Patris.*

Reſp. Cum homines ob peccatum originale puniuntur, portant iniquitatem propriam. Nam peccatum originale, licèt ab Adamo ſit, eſt tamen unicuique hominum proprium, ac intrinſecum: & totuplex eſt, quot ſunt homines, qui per viam naturalem ab Adamo deſcendunt, niſi quis ex ſpeciali privilegio ab eo præſervetur. Porro textus ille intelligi debet de peccato perſonali parentum, aliorum à primo omnium parente, cujus ſolius ùt capitis moralis peccatum cenſetur proprium omnium ab eo via naturali deſcendentium. Senſus igitur loci objecti eſt: Filius non portabit iniquitatem patris, quæ non ſit etiam iniquitas filii.

Obj. 2. Scriptura paſſim dicit, quòd Deus reddet unicuique ſecundùm opera ejus.

Reſp. Ibi agitur de adultis. Præterea peccatum originale, quo habitualiter maculantur infantes, eſt opus illorum moraliter: quatenus eſt violatio præcepti facta voluntate Adami, quæ moraliter erat omnium poſterorum via naturali ab eo deſcendentium voluntas in ordine ad obſervationem, vel violationem præcepti de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni, & mali. Unde peccatum Adæ, quod origine unum eſt, & propagatione transfuſum omnibus, ineſt unicuique proprium, ùt habet Conc. Trident. ſeſſ. 5. can. 3.

Obj. 3. Illud, Rom. c. 4. *Lex iram operatur; ubi enim non eſt lex, nec prævaricatio.* Sed infantes non ſunt capaces legis. Ergo nec prævaricationis.

Reſp. Infantes non ſunt capaces Legis, quam voluntate phyſicè propria violare poſſint: nec proinde capaces ſunt prævaricationis voluntate phyſicè propria commiſſæ. At ſunt capaces legis, quàm violare poſſint, & reipſa violarunt voluntate primi parentis, quæ moraliter erat illorum propria. Quare infantes ſunt capaces, imò & rei prævaricationis voluntate primi parentis, quæ moraliter erat illorum propria, commiſſæ: qua quidem prævaricatione conſtituuntur peccatores à primo inſtanti animationis.

Obj. 4. Illud, Rom. c. 5. *Regnavit mors ab Adamo uſque ad Moyſen, etiam in eos, qui non peccaverunt in ſimilitudinem prævaricationis Adæ.* Ergo omnes ſolam mortem corporalem ab Adamo contrahunt.

Reſp. Nego conſeq. Nam ſenſus eſt: Mors ab Adamo uſque ad Moyſen communis fuit etiam iis, putà infantibus, qui non peccaverunt voluntate phyſicè propria, ſeu peccato perſonali, ſicut peccavit Adam, præceptum divinum voluntate phyſicè propria violando. Unde ſequitur, peccatum originale regnaſſe etiam ante legem ſcriptam in omnibus etiam infantibus. Cur enim infantes æquè ante legem, ac poſt legem ſcriptam mortui ſunt: niſi ob peccatum, non perſonale, cujus incapaces ſunt, ſed originale,

nale, quod ab Adamo, primo conceptionis instanti contraxerunt? Ita Chrysost. Augustin. Theodoret. &c.

Obj. 5. illud, Rom. c. 5. *Non sicut delictum, ita & donum: si enim unius delicto multi mortui sunt: multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.*

Resp. Ibi vox *plures* significat multos, nec sumitur comparativè, ut constat ex textu græco, ubi legitur, ἐις πολλὰς, in multos. Sensus autem est: Redemptio Christi per se majus, ac utilius beneficium est, quàm peccatum Adami fuerit pernicio sum. Nam si Adami peccato omnes mortui sunt, hoc est, incurrerunt reatum mortis tum animæ, tum corporis, longè tamen majora bona, & dona nobis contulit Christi redemptio, quàm Adam abstulit: nec sicut Adam uno peccato omnes perdidit, ita & redemptio, ac gratia Christi omnes, quibus fuerit applicata, ab uno solo peccato liberat, sed à multis, & variis peccatorum generibus, quæ Adami posteri addiderunt, & addent ejus peccato. Et insuper Christi redemptio maximam gratiarum, ac meritorum copiam nobis confert.

Obj. 6. Illud, Rom, c. 5. *Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.* Ergo homines sola imitatione constituti sunt peccatores per peccatum Adami; nam si propagatione, omnes, non tantùm multi, dicerentur constituti peccatores.

Resp. Nego conseq. Quia vox *multi* non excludit omnes: & Apostolus eodem hoc capite dicit, & omnes, & multos, eò quòd omnes homines per inobedientiam Adami constituti sunt peccatores: & illi omnes revera sunt multi. *Igitur*, inquit, *sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem*, &c. sicut Scriptura dicit, Christum mortuum esse pro omnibus, & pro multis: quia revera illi omnes, pro quibus Christus mortuus est, multi sunt, & multi omnes sunt. Item Scriptura dicit, omnes gentes in semine Abrahæ benedicendas esse, & Abrahamum multarum gentium patrem constitutum esse; quia revera & omnes gentes benedicendæ erant in semine Abrahæ, nempe Christo, & omnes illæ gentes benedicendæ in Christo sunt multæ. Quippe aliqua sunt omnia, quæ tamen non sunt multa: & viciſſim aliqua sunt multa, quæ non sunt omnia: Sic Evangelia quatuor sunt omnia: non multa: è contra multi Christiani sunt justi, & tamen non omnes Christiani sunt justi. Igitur rectè, ac verè dicuntur & omnes & multi per peccatum Adæ constituti esse peccatores.

Obj. 7. Illud, 2. Cor. c. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Ergo solùm peccatum personale punietur. Ergo nullum est originale.

Resp. Nego conseq. Nam Apostolus hìc loquitur de adultis baptizatis, ùt patet ex verbis immediatè præcedentibus: *Ideo contendimus sive absentes, sive præsentes placere illi; Omnes enim nos manifestari oportet*, &c. Præterea hæc verba (*ut referat unusquisque propria corporis*) non sunt exclusiva; nec enim dicitur, ut referat unusquisque tantùm propria corporis.

Obj. 8. Illud, 1. Cor. cap. 7. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem, & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem: alioquin filii vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt.* Ergo saltem infantes fidelium sunt à reatu peccati originalis per non imputationem: ùt docent Calviniſtæ.

Resp. Nego conseq. Quia vox *immundi* ibi significat idem, quod illegitimi: & vox *sancti* idem, ac legitimi. Vel ad summum ibi significatur sanctitas quædam moralis propter fidem unius parentis Deo per Baptismum consecrati, & sanctificati. Nam filii ibi dicuntur sancti in eo sensu, in quo dicitur vir infidelis esse sanctificatus per mulierem fidelem: nempe morali quadam denominatione per conjunctionem cum uxore sancta: similiter filii parentum Christianorum sunt sancti denominatione quadam morali, & intrinseca: quatenus oriuntur à parentibus Deo consecratis, & vi sui status sanctis,

ctis, quique per fidem disponuntur ad procurandam veram sanctitatem liberis suis per Baptismum. Nam ibi Apostolus rationem affert, cur conjuges fideles non debeant deserere conjuges infideles pacificè cohabitare volentes: quia scilicet matrimonium non fit illegitimum per conversionem unius conjugis; nec polluitur per infidelitatem alterius: sed potiùs conjux infidelis per alterius conjugis fidem, & sanctitatem morali quadam sanctitate consecratur: sicut res prophana per contactum rei sacræ sanctificatur: alioquin liberi ex ejusmodi matrimoniis nati, essent illegitimi: quod certè falsum est; nam legitimi sunt, & per parentis fidelis fidem morali quadam sanctitate consecrati.

Porro hic Calviniſtarum error evidenter refellitur 1. Ex Script. Nam, Psalm. 50. David, qui ex parentibus fidelibus natus erat, testatur, se conceptum fuisse in peccato originali: *Ecce*, inquit, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ubi pluralis numerus pro singulari ponitur per Synecdochen Hebræis familiarem. Et Apostolus, Ephes. cap. 2. de se, & aliis fidelium parentum filiis dicit: *Eramus natura filii iræ, sicut & cæteri*: hoc est, eramus origine rei peccati, & digni odio Dei, & vindicta.

2. Ex perpetuo usu, & sensu Ecclesiæ, quæ semper judicavit, Baptismum necessarium esse omnibus omnino infantibus etiam parentum Christianorum. Item ex unanimi Patrum consensu.

3. Ex Concil. Trident. sess. 5. can. 4. ubi ait: *Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint à baptizatis parentibus orti: aut dicit, in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam ..., Anathema sit.*

Ratio est. Quia illi omnes nascuntur rei peccati originalis, qui peccaverunt in Adamo, nisi primo instanti conceptionis Gratia Sanctificante ex speciali privilegio præveniantur: quod soli B. Virgini contigit. At qui omnes omnino homines, etiam infantes ex parentibus fidelibus orti, peccaverunt in Adamo, ùt testatur Apostolus, Rom. cap. 5. *In quo omnes peccaverunt*; nam peccatum Adami fuit secundùm moralem æstimationem peccatum actuale omnium, quorum erat caput morale.

Dices. Nemo potest transfundere id, quod non habet. Sed parentes fideles non habent peccatum originale. Ergo.

Resp. Disting. maj. Nemo potest transfundere per modum causæ id, quod non habet, *conc. maj.* Per modum conditionis, qua posita, fit transfusio, & qua non posita, non fieret transfusio, *nego maj.* Parentes solùm transmittunt peccatum originale, ponendo conditionem, quam merè per accidens sequitur transmissio peccati originalis. Hæc autem conditio est generatio naturalis.

§. III.

Solvuntur Objectiones ex Patribus petitæ.

Obj. 1. Justinus Martyr, quæst. 88. dicit illud Job. *Nemo mundus à sorde*: non pertinere ad infantes.

Resp. Librum illum non esse fœtum Justini; nam quæst. 88. citatur Origenes, & quæst. 115. citatur Irenæus, uterque Justino posterior. Præterea illius author ideo negat hæc verba ad infantes pertinere, quia illa intelligit de sorde peccati personalis.

Obj. 2. Tertullianus, lib. de anima c. 36. ait: *Sic & omnibus genii deputantur, quod dæmonum nomen est. Adeo nulla ferme nativitas munda est, utique Ethnicorum. Hinc enim & Apostolus ex sanctificato alterutro sexu sanctos procreari ait, tam ex seminis prærogativa, quàm ex institutionis disciplina.* Ergo ex Tertulliano Fidelium infantes carent peccato originali.

Resp. Nego conseq. Quia Tertullianus ibi solùm vult, nativitatem infantium Ethnicorum esse propter superstitiones in ea usitatas immundam speciali immunditia; qua caret nativitas infantium apud Christianos. Nam Fidelium infantes procreantur sancti, hoc

sensu,

ſenſu, quòd ex intentione, & uſu fidelium procreantur, ùt poſtea ſanctificentur per baptiſmum: & eorum nativitas ſancta eſt: quatenus Ethnicorum ſuperſtitionibus caret, & per cæremonias ſacras ii ad cultum Dei deputantur: Quod patet ex verbis objecta ſequentibus. Præterea Tertullianus eodem libro agnoſcit, omnes omnino infantes ante Baptiſmum inquinatos eſſe peccato originali; nam, cap. ſequenti ſic ait: *Ita omnis anima eo uſque in Adam cenſetur, donec in Chriſto recenſeatur: tam iu immunda, quamdiu recenſeatur: peccatrix autem, quia immunda.*

Dices. Tertullianus, lib. de Baptiſmo, c. 18. ait: *Veniant ergo, dum adoleſcunt, veniant, dum diſcunt, dum, quo veniant, docentur, fiant Chriſtiani, cùm Chriſtum noſſe potuerint. Quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?*

Reſp. Solùm vult, magis expedire, ut citra mortis periculum Baptiſmus non niſi adultis conferatur; quo illum majore cum fructu recipiant. Infantiam autem ætatem innocentem appellat: non, quia omni peccato immunis eſt, ſed quia peccatis perſonalibus caret.

Obj. 3. Clemens Alexandrinus, lib. 3. ſtromatum ſic ait: *Dicant ergo nobis, ubi fornicatus eſt infans natus: vel quomodo ſub Adæ cecidit execrationem, qui nihil operatus eſt?*

Reſp. Vel hæc verba non continent ſententiam Clementis, ſed Hæreticorum objectionem, contra quos in hoc ſtromate diſputat, quique generationem malam eſſe dicebant, & idcirco nuptias damnabant, ùt videtur Bellarmino. Vel, ſi ſunt Clementis, ibi non vult, infantes ſub Adæ execrationem non cadere propter aliquod opus malum voluntate eorum phyſicè propria quaſi per ſe mala commiſſum.

Ut ùt ſit, certum eſt, Clementem alibi peccatum originale agnoviſſe, ùt, lib. 1. Pædagogi, c. 6. ubi ait: *Multis autem modis vocatur hoc opus* (Baptiſmus) *gratia, illuminatio, perfectum lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abſtergimus*, &c. Ubi dicit, Baptiſmum eſſe lavacrum, per quod peccata abſterguntur: ac proinde agnoſcit, infantes, pro quibus inſtitutus, & neceſſarius eſt baptiſmus, peccato inquinari.

Obj. 4 Origenem multis locis in lib. 5. comment. in Epiſt. ad Rom.

Reſp. 1. Origenis authoritas parvi eſt momenti; cùm conſtet, eum plures graves errores docuiſſe, & teſte Hieronymo Pelagii doctrina Origenis ramuſculus fuerit.

Reſp. 2. Textus illi explicari poſſunt in bono ſenſu: & ipſe re ipſa peccatum originale agnovit. Itaque 1. Cùm dicit, mundum, in quem Apoſtolus ait peccatum intraſſe, eſſe homines carnales: item mortem, quæ in omnes homines pertranſiit, non eſſe mortem corporis, ſed eſſe mortem peccati, quæ per imitationem, non per propagationem in omnibus hominibus graſſata eſt: non litteraliter hos Apoſtoli textus exponit, ſed allegoricè: ùt ferè ſolet Scripturam interpretari.

2. Cùm dicit, Chriſtum ad vitam plures reduxiſſe, quàm Adamus ad mortem: ſolùm intendit, quòd Adamus peccato ſuo mortem inferat iis tantùm, qui ab eo per generationem naturalem deſcendunt: Chriſtus verò, quantùm eſt ex ſe, ſanctificet, & ſalvet non ſolùm eos, quos Adamus perdidit, ſed etiam ipſum Adamum, poſtquam peccavit, juſtificavit, & ſalvavit: ùt ipſe ſe explicat. *Sic ergo*, inquit, *plures Chriſtus reducit ad vitam, quàm Adam ducit ad mortem, quia etiam ipſum Adam, qui cæteris cauſa extitit mortis, Chriſtus revocavit ad vitam.*

3. Cùm dicit, Adamum eſſe formam futuri; quia homines inobedientiæ Adami formam ſequentes, effecti ſunt peccatores: non idcirco negat, omnes homines in Adamo ipſius Adami voluntate peccaſſe. Imò utrumque expreſsè docet, in reſponſione ad 3. ubi ſic ait: *Aut magis ſimpliciter accipiendum videtur, & ſimilitudo prævaricationis Adæ abſque aliqua diſcuſſione recipienda: ut hoc ſermone omnes, qui ex Adam prævaricatore nati ſunt, judicari videantur, & habere in ſemetipſis ſimilitudinem prævaricationis*

tionis ejus, non solùm ex semine, sed ex institutione susceptæ. Ubi duplicem admisit similitudinem prævaricationis Adæ: unam, quæ contrahitur ex semine, seu per naturalem generationem, quæque proinde contrahitur ab omnibus, qui via naturali generantur: & est peccatum originale: alteram verò, quæ ex institutione susceptæ, id est, ex propria electione, & actione contrahitur ab adultis: scilicet, qui abutendo libertate sua prævaricationem Adami imitantur.

4. Cùm dicit, non omnes homines, sed solùm multos unius delicto peccatores effectos esse: per peccatores intelligit eos solos, qui voluntate physicè propria peccarunt. Nec negat, omnes homines in Adamo peccasse ipsius Adami voluntate, imò id eodem lib. fatetur: sed vult, aliud esse peccasse: & aliud peccatorem esse; nam ibi sic loquitur: *Peccatores quomodo multi, & non omnes videantur: cùm idem Apostolus dicat, quòd omnes peccaverunt? Debemus ostendere, aliud esse peccasse: aliud peccatorem esse.... Omnes enim potest fieri ut peccaverint, etiamsi sancti fuerint; quia nemo mundus à sorde, nesi unius diei fuerit vita ejus.... Peccatores autem facti non omnes, sed multi.* Ubi per peccatores eos solos intelligit, qui voluntate physicè propria peccarunt.

Obj. 5. S. Gregorium Nyssenum, in orat. de infantibus præmatura morte abreptis, ubi ita exclamat: *O altitudo! puellulus infans simplex, omnis malitiæ expers, sanitate, quæ per purgationem contingit, non indigens.*

Resp. Hìc loquitur de infantibus baptizatis, & de purgatione pœnitentiæ à personalibus peccatis.

Obj. 6. S. Ambrosium, in suo commentario in c. 5. Epist. ad Rom.

Resp. cum Bellarmino, ille commentarius non est Ambrosii. Præterea illius author nil aliud ibi dicit, nisi pœnam peccato originali debitam non esse ignis gehennam, hoc est, cruciatum ignis: sed cœlestis beatitudinis privationem, seu pœnam damni: quod etiam docent communiter Theologi.

Obj. 7. S. Chrysostomum multis locis. 1. Homil. 10. in Epist. ad Rom. ait: *Videtur, quæstionem non parvam habere, quod dictum est* (nempe multos ob unius inobedientiam peccatores constitutos.) *Illo enim peccante, ac mortali effecto, & qui ex eo orti sunt, eos tales esse, nihil absurdum est. At ex illius inobedientia alterum peccatorem extitisse id, quam, obsecro, congruentiam, & consequentiam habet? ... Quid igitur hoc loco verbum hoc* (peccatores) *significat? Mihi videtur tantundem significare, quantum illud* (*supplicio obnoxii, ac mortis rei,*) *quod Adam mortuo omnes sunt mortales effecti.*

Resp. S. Doctor solùm significare vult, quòd per unius personalem inobedientiam non possint alii constitui actu, & personaliter peccatores. Nec negat, imò quoad sensum asserit, per unius peccatum posse alios constitui peccatores originaliter, & habitualiter; nam ibi asserit, per unius inobedientiam multos constitui supplicio, ideoque odio Dei obnoxios, ac mortis reos. Per unius autem peccatum multos constitui peccatores originaliter, & habitualiter nil aliud est, quàm propter unius peccatum multos ex eo descendentes constitui obnoxios odio Dei, supplicio æterno, & mortis reos. Unde solùm negat, propter personalem Adami inobedientiam ejus posteros constitui actu, & personaliter peccatores. Præterea eadem Homilia clarè docet peccatum originale: ut infra videbitur.

2. Hom. 17. in 1. ad Cor. ait: *Quid igitur faciam, inquis, propter illum* (Adamum) *pereo? Minimè propter illum; neque enim tu sinè peccato permansisti: quod si non idem peccatum, tamen aliud commisisti.*

Resp. Hìc alloquitur homines baptizatos: ac proinde rectè dicit, illos non posse perire propter Adami peccatum; cùm jam originale peccatum iis per Baptismum condonatum esset: sed perire tantùm propter peccata voluntate physicè propria admissa.

3. Hom. 39 in eandem Epist. *Quid igitur, dic mihi: num omnes in Adam morte*

peccati

peccati mortui sunt? Quomodo ergo Noë vir justus sæculo suo fuit? Quomodo Abraham? Quomodo Job?

Resp. Ibi loquitur de morte peccati irreparabili: & solùm negat, omnes in Adam irreparabili morte peccati esse: ùt patet exemplis, quæ affert; alioqui malè ratiocinaretur. Nam ex eo, quòd omnes in Adam peccaverint, non sequitur, aliquos ejus posteros non potuisse esse justos ac sanctos: siquidem hoc peccatum aliquo remedio à DEO instituto condonari potest, & reipsa condonatur iis, quibus applicatur Baptismus.

4. Homil. 24. in Ep. ad Ephes. *Corruptibile nobis corpus, sed incorruptibilis anima. Ne igitur & ipsam corrumpamus. Hoc primum primi hominis peccatum fecit: quod autem post lavacrum fit, etiam animam corrumpere potest.*

Resp. Ibi loquitur de baptizatis, & sensus est: In nobis baptizatis est quidem corpus corruptibile, id est, necessariò corrumpendum ob moriendi necessitatem, quam Adami peccatum fecit, & quam Baptismus relinquit. At anima est incorruptibilis, id est, non necessariò corrumpenda morte peccati: sed potest manere incorrupta, si velimus gratiam baptismalem diligenter conservare, vitando quamlibet mortalem culpam: sicut potest corrumpi per peccatum mortale; nam Baptismus minimè impeccabiles nos reddit.

5. Homil. ad Neophitos. *Vides, quot sunt baptismatis largitates? Sed multis quidem videtur, Baptismi gratiam in peccatorum tantùm remissione consistere. Nos autem Baptismi honores jam computavimus decem. Hac de causa & infantulos baptizamus, quamvis non sint inquinati peccato: nempe ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas & fraternitas Christi.*

Resp. Ibi solùm dicit, infantes non esse inquinatos peccatis personalibus; nam in Græco vox *peccatum* ponitur in plurali, & legitur: *non habentes peccata.* Ita respondet S. Augustinus, l. 1. contra Julianum, c. 6. Præterea, S. Chrysostomus eadem Homil. clarè docet peccatum originale. Imò verbis objectis illud supponit & agnoscit in infantibus; nam agnoscit, parvulos ante Baptismum esse in statu, quo carent sanctitate, justitia & adoptione: ac proinde agnoscit, eos esse in statu peccati, & damnationis æternæ; cùm non detur medium inter statum peccati & statum sanctitatis ac adoptionis, in quo constituuntur infantes per Baptismum.

Porro verbum *addatur* ibi sumitur pro verbo conferatur. Quibus verbis S. Doctor exemplo infantium, qui baptizantur, refellit quosdam, qui dicebant, in Baptismo solùm condonari peccata personalia per condonationem extrinsecam sine infusione Gratiæ Sanctificantis.

Harum responsionum omnium veritas confirmatur ex eo, quòd S. Chrysostomus peccatum originale clarè docuerit pluribus locis, ùt, 1. Homil. 10. in Epist. ad Rom. ubi ait: *Quod Christo crux & sepulchrum, hoc nobis baptisma fuit, quamvis non iisdem in rebus. Ille enim carni & mortuus & sepultus est, nos autem peccato utrumque.* Ubi disertè dicit, eos, qui baptizantur, mori & sepeliri peccato per Baptismum: ac proinde agnoscit, infantes, qui baptizantur, mori & sepeliri peccato; ideoque habere peccatum: non certè personale, cujus sunt incapaces. Ergo originale. 2. Eadem Homil. ait: *Liquet, quòd non ipsum peccatum, quod à legis transgressione ortum est, sed illud, quod ab Adam inobedientia, ipsum illud, inquam, peccatum erat, quod omnia perdebat.* Ubi præter peccatum personale agnoscit peccatum ab Adæ inobedientia ortum, quod omnes perdit: eos scilicet efficiendo obnoxios odio Dei & damnationi æternæ. 3. Homil. ad Neophytos. *Venit semel Christus, invenit nostrum chirographum paternum, quod scripsit Adam.* Sanè chirographum illud paternum, quod scripsit Adam & quod nostrum est, nil aliud esse potest, quàm peccatum ab Adamo ùt morali nostro capite admissum: quod etiam nostrum est, eo quòd ejus voluntas esset moraliter nostra: & sic nos habitualiter à primo existentiæ nostræ instanti maculat, ac

ac reddit debitores mortis. 4. Epist. ad Olympiad. *Cùm Adamus grave illud peccatum admisisset, atque commune hominum omnium genus condemnasset, labore tum mulctatus est.*

Quare S. Augustinus meritò Chrysostomum ab errore hoc Pelagiano vindicat, l. 1. contra Julianum, & antequam textus allatos proferat, sic Julianum, c. 6. alloquitur: *Itane est? verba Sancti Joannis Episcopi audes tanquam è contrario tot taliumque sententiis collegarum ejus opponere, eumque ab illorum concordissima societate sejungere, & eis adversarium constituere? Absit, absit hoc malum de tanto viro credere aut dicere. Absit, inquam, ut Constantinopolitanus Joannes de baptismate parvulorum, eorumque à paterno chirographo liberatione per Christum, tot ac tantis Coëpiscopis suis maximè Romano Innocentio, Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Nazianzeno Gregorio, Gallo Hilario, Mediolanensi resistat Ambrosio.... Hoc* (dogma peccati originalis) *credidit, didicit, hoc docuit & Joannes.*

Obj. 8. S. Augustinus asserit infantes non habere peccatum propriè dictum; nam lib. 16. de Civit. c. 27. sic ait: *Sic parvuli, quod vera fides habet, nascuntur non propriè, sed originaliter peccatores, &c.*

Resp. Sic loquitur; quia per peccatum propriè dictum intelligit peccatum personale, & per pœnitentiam retractabile. Quare sensus est, infantes nasci dignos odio DEI & damnatione æterna, non quidem propter peccatum voluntate physicè propria ab iis commissum, sed propter peccatum à primo Parente commissum: quod est illorum non physicè, sed moraliter proprium. Tamen peccatum originale absolutè est peccatum propriè dictum; nam est præcepti divini violatio libera libertate voluntatis Adami, quæ erat moraliter voluntas omnium ejus posterorum, ab eo per naturalem generationem descendentium, illos verè ac propriè maculans, & reddens dignos odio DEI, & æterna damnatione.

Obj. 9. Theodoretum, qui textus Scripturæ peccatum originale significantes interpretatur, ùt Pelagiani explicabant: & in libris Hæreticarum fabularum omisit eam, quæ peccatum originale negat.

Resp. Non omnes Scripturæ textus, quibus probatur peccatum originale, expositi, ùt Pelagiani exponebant. Quocumque autem ex motivo prætermiserit hæresim negantium peccatum originale, certè hujus peccati existentiam agnovit; nam in expositione, cap. 5. Epist. ad Romanos sic ait: *Dicit itaque Divinus Apostolus, quòd cùm Adam peccavisset, & mortalis propter peccatum factus esset, utrumque ad genus pervenit* (id est, peccatum & mors) *ad omnes enim mors pervasit, quatenus omnes peccaverunt: non enim propter primi hominis peccatum, sed propter suum unusquisque mortis decretum suscipit.*

§. IV.

Solvuntur Objectiones à ratione petitæ.

Obj. 1. Si peccatum originale existeret, matrimonium & ejus usus essent mala; nam essent causa peccati. *Falsum conseq.* Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. & prob. Nam peccati, quod per generationem naturalem transfunditur, causa sola est voluntas Adami, ùt moralis capitis omnium hominum ab eo per viam naturalem descendentium: quæ proinde voluntas in æstimatione morali fuit voluntas omnium hominum per viam naturalem ab Adamo descendentium.

Inst. 1. Peccatum originale sequitur ex usu matrimonii. Ergo talis usus est causa illius.

Resp. Dist. ant. Sequitur per accidens, *conc. ant.* Per se, *nego ant. & conseq.* Peccatum originale non sequitur per se ex usu conjugii; nam in statu innocentiæ fuisset illius usus, nec tamen fuisset peccatum originale. Sed sequitur tantùm per accidens; nam respectu conjugii & usus illius per accidens est, quòd peccatum ab Adamo, ùt morali generis humani capite commissum, fuerit moraliter peccatum eorum, qui per usum conjugii generandi erant, & hoc pacto per viam naturalem ab Adamo descen-

descensuri, & sic peccato illius à primo animationis instanti inquinandi: supple semper: Nisi quis Gratia Sanctificante ex speciali privilegio præveniatur, propter DEI-param Virginem.

Inst. 2. Sine usu conjugii non contraheretur peccatum originale. Ergo.

Resp. Nego conseq. Quia inde sequitur tantùm, quòd usus conjugii sit per accidens conditio sine qua non respectu peccati originalis: quatenus Adamus relatè ad præceptum de non comedendo certo fructu, illos solùm repræsentavit, & sic pro illis tantùm peccavit, qui ab eo per generationem naturalem descensuri, ideoque per usum conjugii generandi erant. Non idcirco autem privantur homines jure naturali, quod habent, matrimonium contrahendi.

Obj. 2. Peccatum est actio vel omissio libera contra legem DEI. Sed infantes nil possunt facere liberè vel omittere. Ergo nec peccare.

Resp. Dist. min. Nil possunt liberè facere vel omittere voluntate physicè propria, *conc. min.* Voluntate physicè aliena, sed quæ moraliter sit ipsorum voluntas, *nego min. & conseq.* Equidem infantes voluntate physicè propria legem DEI violare non possunt, cùm careant usu rationis, ac proinde non possunt habere peccatum actuale seu personale. At, etiam antequam essent, potuerunt violare, & reipsa violarunt præceptum DEI, voluntate alterius, nempe primi parentis, ùt capitis moralis omnium ab eo per generationem naturalem descensurorum, quæ voluntas moraliter seu secundùm æstimationem prudentem erat eorum voluntas: ita ut illo violante præceptum de non comedendo certo fructu, illi secundùm prudentem æstimationem censeantur idem præceptum violasse: ac proinde habent peccatum voluntate alterius commissum, quo à primo conceptionis instanti maculantur, sicque habent peccatum originale.

Porro (ùt notat Bellarminus) in infantibus non est actus peccati; sed reatus & macula peccati iis inest: & sic habitualiter inest peccatum originale, quod est verè ac propriè peccatum habituale.

Inst. 1. Infantes nullum habent usum libertatis. Ergo nullum habere possunt peccatum.

Resp. Nullum habere possunt peccatum voluntate physicè propria commissum & personale. At possunt habere, & reipsa habent peccatum voluntate physicè aliena, quæ tamen sit moraliter eorum propria, commissum & originale. Nam voluntas & libertas Adami fuit secundùm moralem æstimationem voluntas ac libertas infantium & omnium posterorum ab eo via naturali descendentium, in ordine ad violationem, sicut & ad observationem præcepti de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali. Unde Adamo liberè tale præceptum violante, omnes ab eo per generationem naturalem descensuri censentur illud violasse, & graviter peccasse: & reipsa à primo conceptionis instanti, gravi peccato inficiuntur, nisi quis Gratia Sanctificante eodem instanti donetur.

Inst. 2. Quando Adamus peccavit, nondum erant posteri ejus. Ergo illo peccante non potuerunt peccare.

Resp. Dist. ant. Ejus posteri nondum erant physicè & in se, seu secundùm entitatem suam, *conc. ant.* Nondum erant moraliter, seu secundùm prudentem æstimationem in ipso Adamo relatè ad præceptum de non comedendo certo fructu, *nego ant. & conseq.* Adamus licèt esset unus in se, tamen omnes homines erat æquivalenter & secundùm prudentem æstimationem in ordine ad præceptum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali; nam omnes homines repræsentabat in ordine ad ejus observationem & violationem. Unde illo uno hoc præceptum observante vel violante, omnes censebantur illud observare vel violare.

Obj. 3. Nullum peccatum trahitur ab Eva prima omnium matre, & priùs peccante. Ergo nec ab Adamo primo omnium parente; nam nulla potior ratio affersi potest pro peccato Adami

Resp. Neg. conseq. Ratio autem, cur peccatum originale à solo Adamo trahatur, non ab Eva, est, quia solus Adamus, non Eva, constitutus est à DEO caput morale generis humani: & solus generis humani personam repræsentavit ac sustinuit in ordine ad præcepum de non comedendo certo fructu. Hinc solo Adamo non peccante, non fuisset, & eo solo peccante, fuisset peccatum originale. Et verò præceptum Adamo impositum fuit ante formationem Evæ.

Dices 1. Eccli. c. 25. dicitur: *A muliere initium factum est peccati & per illam omnes morimur.*

Resp. Id dicitur, quia mulier fuit causa impulsiva peccati Adami; nam Eva Adamum induxit ad peccandum, quo peccante, omnes peccavimus, & peccando facti sumus rei mortis animæ, & corporis.

Dices 2. Peccatum aliorum parentum non imputatur suis liberis. Ergo nec peccatum Adami, &c.

Resp. Neg. conseq. Disparitas est, quòd voluntas solius Adami, non autem aliorum parentum, sit moraliter voluntas posterorum suorum relatè ad violationem, & observationem præcepti de non comedendo certo fructu; quia solus Adamus à Deo constitutus fuit caput morale posterorum suorum relatè ad hoc præceptum & quidem solum: unde nullum fuisset peccatum originale, si Adamus hoc præceptum servasset, quamvis omnia alia præcepta violasset.

Dices 3. Non est potior ratio, cur violatio præcepti de non comedendo certo fructu fuerit peccatum posterorum: & non fuisset violatio aliorum præceptorum. Ergo.

Resp. Neg. ant. Ratio est. Quia solum illud præceptum in persona Adami impositum fuit iis, qui ab eo per generationem naturalem descensuri erant: & sic voluntas Adami non fuit moraliter voluntas posterorum, nisi relatè ad violationem & observationem præcepti de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali: ac proinde sola hujus præcepti violatio secundùm moralem æstimationem fuit & esse potuit omnium Adami posterorum ab eo via naturali descendentium transgressio. DEUS autem illud præceptum, non aliud generi humano in persona Adami imposuit; quia ita voluit, & quidem sapientissimè; nam in hoc magis elucet hominis dependentia à DEO.

Obj. 4. Si peccatum aliquod per generationem traheretur, illud esset vitium naturale. *Falsum conseq.* Nam alioqui adscribendum esset DEO, utpote omnium naturalium authori. Ergo.

Resp. Dist. sequel. maj. Esset vitium naturale: id est, esset vitium, quod omni homini ab Adamo per generationem naturalem descendenti inest, secluso speciali præservatione, *conc. sequel. maj.* Id est, esset vitium, quod esset pars vel proprietas naturæ humanæ, *nego sequel. maj.* Peccatum originale non est vitium naturale, nisi in hoc sensu, quòd secluso privilegio, omnes Adami posteri à primo conceptionis instanti eo inquinentur, & cum eo nascantur, quia Adamo peccante, omnes ejus posteri secundùm moralem æstimationem peccarunt eodem illo actu, quo peccavit; cùm ejus voluntas esset secundùm moralem æstimationem voluntas omnium ejus posterorum: supple semper (ab eo per viam naturalem descensurorum) propter Christum. Ac proinde peccato illo omnes Adami posteri, ubi primùm possunt, hoc est, à primo instanti conceptionis suæ inquinantur; & eo inquinati nascuntur: nisi quis eorum ex speciali privilegio per Gratiam Sanctificantem præservetur: quod semper subintelligi debet. Quare peccatum originale non DEO, sed Adamo tanquam authori adscribendum est.

Obj. 5. Peccatum ab Adamo commissum comedendo fructum vetitum, fuit ei condonatum, antequam filios gigneret. Ergo transfundi non potest in posteros.

Resp. Dist. ant. Fuit condonatum Adamo, quatenus erat peccatum ipsius, *conc. ant.* Quatenus erat peccatum posterorum ejus, *nego ant. & conseq.* Peccatum autem illud condonari potuit, ùt erat peccatum

Adami

Adami, quamvis non condonaretur, ùt erat peccatum posterorum ejus: sicut nunc condonari potest, & reipsa condonatur, prout est peccatum unius hominis, licèt non condonetur, prout est peccatum alterius. *Ratio* est. Quia peccatum illud, quod Adamus, ùt caput morale generis humani commisit, ita fuit unicum physicè, ut fuerit moraliter & æquivalenter multiplex, & totuplex, quot erant homines ab Adamo per generationem naturalem descensuri; siquidem ii omnes Adamo peccante, secundùm moralem æstimationem singuli peccarunt, & peccatum contrahunt ipso animationis instanti: excipe semper B. Virginem, ab eo per Gratiam Sanctificantem præservatam.

Obj. 6. Posteri Adami non potuerunt verè ac propriè peccare in Adamo peccante. Ergo.

Resp. Nego ant. Itaque omnes posteri Adami per viam naturalem ab eo descendentes, verè ac propriè peccarunt *in ipso* violante præceptum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali; nam id expressè significatur his verbis Apostoli, Rom. c. 5. *In quo omnes peccarunt.* Et, c. 3. *Omnes peccaverunt, & egent gloria DEI.* Omnes igitur, etiam infantes, peccaverunt, & egent Christo Redemptore. *Ratio* est. Quia voluntas ac libertas Adami relatè ad violationem sicut & ad observationem præcepti de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali fuit secundùm moralem æstimationem voluntas ac libertas omnium hominum ab eo per generationem naturalem descensurorum. Unde Adamo præceptum hoc violante, omnes ejus posteri secundùm moralem æstimationem illud violarunt, sicque verè ac propriè peccarunt in primo parente, ùt capite morali, & persona illos repræsentante.

Id docet S. Augustinus pluribus locis, & præsertim l. 3. de peccat. merit. & remiss. c. 7. his verbis: *Unde nec illud liquidè dici potest, quòd peccatum Adæ etiam non peccantibus nocuit, cùm scriptura dicat:* in quo omnes peccarunt. *Nec sic dicuntur ista aliena peccata, tanquam omnino ad parvulos non pertineant: siquidem in Adam omnes tunc peccaverunt, quando in ejus natura illa insita vi, qua eos gignere poterat, adhuc omnes illi unus fuerunt: sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant vitas proprias, sed quidquid erat in futura propagine, vita unius hominis continebat.*

Nota. Homines non peccarunt in Adamo, ùt in capite physico generis humani, quatenus præcisè ab eo per viam naturalem descensuri erant: alioqui enim peccassent omnibus ejus peccatis etiam venialibus; cùm non esset potior ratio pro uno Adami peccato, quàm pro aliis. Igitur omnes in Adamo peccante peccaverunt; quia in eo continebantur, ùt in capite morali & persona illos repræsentante vi decreti divini quoad violationem & observationem solius præcepti de non comedendo fructu arboris scientiæ boni & mali.

Dices 1. Gratis dicitur, voluntas ac libertas Adami fuisse voluntas moraliter propria posterorum ejus.

Resp. Neg. Ratio est. Quia DEUS in ordine ad observationem & violationem præcepti de non comedendo certo fructu inclusit in voluntate Adami voluntates posterorum ejus, qui ab eo per generationem naturalem descensuri erant: ita ut si præceptum observaret, censerentur observare: si verò violaret, censerentur violare. DEUS autem id justè potuit; nam si Principes justè possunt includere voluntates subditorum suorum in voluntate unius, in ordine ad aliquos actus & effectus morales jurisdictionem suam non excedentes: ùt patet in pupillis, quorum voluntas in Tutorum voluntate jure civili inclusa est in ordine ad certos effectus. A fortiori DEUS, qui supremum & illimitatum in res omnes dominium habet, potuit in voluntate Adami includere voluntates posterorum ejus, in ordine ad quoslibet effectus, ac proinde in ordine ad observationem & transgressionem præcepti de non comedendo fructu.

Dices 2. Gratis dicitur, DEUS inclusisse in voluntate Adami voluntates posterorum ejus,

ejus, in ordine ad obſervationem & violationem præcepti de non comedendo fructu.

Reſp. Neg. Nam hoc ipſo incluſit, quòd abſolutè & efficaciter voluit, ut Adamus poſteros ſuos relatè ad tale præceptum apud ſe repræſentaret, ut ſive obſervaret, ſive violaret, nomine omnium & pro omnibus obſervare, vel violare cenſeretur, & verè per eum poſteri ejus illud obſervare, vel violare cenſerentur. DEUS autem hoc voluiſſe, ſufficienter nobis declaravit hoc ipſo, quòd revelavit, in Adamo peccante omnes ejus poſteros peccaſſe: ſiquidem aliter explicari ac intelligi nequit hæc veritas revelata.

Dices 3. Si DEUS incluſit in voluntate Adami voluntates poſterorum, id fecit dependenter à conſenſu Adami. *Falſum conſeq.* Ergo.

Reſp. Nego ſequel. maj. Itaque DEUS independenter à conſenſu Adami voluit, ut ipſe eſſet caput morale generis humani, & omnes ſuos poſteros apud ſe repræſentaret relatè ad præceptum de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali. Nam hic modus volendi magis decet ſupremam DEI majeſtatem, & ſupremum ejus in omnes creaturas dominium.

Porro quamvis ad hujus decreti divini efficaciam neceſſarium non fuerit, ut Adamo innoteſceret, cùm DEUS ratione ſupremi ſui in omnes creaturas dominii potuerit in voluntate Adami etiam neſcientis & renitentis poſterorum voluntates includere: reipſa tamen videtur DEUS hanc ſuam voluntatem Adamo revelaſſe, quo efficaciùs ad obſervandum præceptum excitaretur, eamque ſignificaſſe his verbis, Geneſ. capite 2. *In quacunque die comederis ex eo, morte morieris*: quibus Adamo & poſteris ejus tùm animæ tùm corporis mortem intentavit.

Dices 4. Si ita eſt, peccatum originale meritò imputabitur DEO, ût authori.

Reſp. Neg. Quia DEUS in Adami voluntate voluntates poſterorum ejus non incluſit ea intentione, ut eo peccante peccarent: ſed ex ſincera voluntate, ut Adamus non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro poſteris præceptum obſervans, illis mereretur juſtitiam originalem.

Dices. 5. DEUS injuſtè incluſit in voluntate Adami voluntates poſterorum.

Reſp. Neg. Nam cùm DEUS ſupremum habeat in omnes creaturas dominium, potuit juſtiſſimè omnium hominum voluntates includere in voluntate unius relatè ad actum, à quo pendere volebat juſtitiæ originalis transfuſionem. Neque injuſtum eſt, ut unius, qui ſit aliorum caput morale, culpa etiam aliis tribuatur relatè tùm ad carentiam bonorum aliàs indebitorum, quæ fuerant præparata in alio cum conditione, ut ille alius non peccaret: tùm etiam ad alios effectus morales. Et verò ſi inter homines non eſt iniquum, ut bonum, vel malum, virtus, vel culpa unius ad alios, quibuſcum conjunctus eſt, quodam modo pertineat relatè ad honores, beneficia, privilegia, vel ad infamiam, privationem bonorum, exilium, pericula, & alios effectus morales. A fortiori non eſt iniquum, ut &c.

Dices. 6. DEUS Adami peccatum prævidens, non debebat illum conſtituere caput morale poſterorum.

Reſp. Neg. Nam ejus & totius poſteritatis lapſum juſto, licèt occulto, judicio permittere potuit & voluit, ut ex hoc malo majus bonum eliceret, & ex ejus occaſione plures perfectiones ſuas illuſtriùs commendaret.

Dices 7. Saltem hæc incluſio non decebat bonitatem DEI.

Reſp. Neg. Nam id per ſe, & ex intentione DEI maximè hominibus utile erat; per hoc enim inſtituebat viam facilem, ut omnes homines juſtitia originali donarentur, eorum voluntates in voluntate unius, quem maximis donis cumulaverat, includendo relatè ad præceptum obſervatu tam facile, & ad quod implendum maximis eum auxiliis præmunivit, adjuvitque, propoſito tanto ſibi & poſteris obedientiæ præmio. Quòd ſi in Adamo peccarunt omnes poſteri, id non evenit ex intentione DEI, qui hoc peccatum duntaxat permiſit.

Dices

Dices 8. Ergo DEUS iniit pactum aliquod cum Adamo & ejus posteritate.

Resp. DEUS non necessariò iniit pactum propriè ac strictè dictum, quod consistit in consensu duorum vel plurium in idem. Nam independenter à consensu Adami & posterorum ejus includere potuit voluntates omnium hominum in ejus voluntate. Unde sufficere poterat pactum quoddam virtuale, consistens in voluntate efficaci DEI, æquivalente pacto propriè dicto, quo, independenter à consensu Adami, absolutè & efficaciter vellet, ut Adamus esset caput morale posterorum suorum, eosque repræsentaret in observatione vel violatione præcepti de non comedendo fructu, ea lege, ut ipso præceptum observante, infunderetur illis justitia originalis propter observationem præcepti, quæ secundùm æstimationem moralem esset illorum: eo verò præceptum violante, omnes censerentur violare, & ideo conciperentur sine justitia originali, & obnoxii odio DEI ac damnationi æternæ propter transgressionem primi Parentis, quæ secundùm moralem æstimationem esset illorum transgressio. De hoc pacto virtuali intelligi debet S. Augustinus, lib. 16. de Civit. cap. 27. In hæc verba Genes. c. 17. *Pactum meum irritum fecit.* Ubi ait: *Omnes in illo uno testamentum DEI dissipaverunt, in quo omnes peccaverunt.*

Dices 9. Ergo Christus debuit contrahere peccatum originale; nam est ex Adami posteris.

Resp. Neg. sequel. Quia Christus non descendit ex Adamo per generationem naturalem, sed supernaturali Sancti Spiritus operatione conceptus est. At illi soli peccatum originale contrahunt, qui ab Adamo, non qualicunque modo, sed per generationem naturalem descendunt: ùt constat ex Conc. Trident. sess. 6. c. 3. dicente: *Homines nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur injusti. Ratio* est. Quia illorum duntaxat, non aliorum voluntates in Adami voluntate inclusæ erant.

Obj. 7. Non nascimur ex Adamo secundùm animam, cui peccatum inest. Ergo ab eo non contrahimus peccatum.

Resp. Neg. conseq. Nam ad peccatum illud contrahendum sufficit, quòd homo, cujus pars est anima, oriatur ab Adamo. Nam DEUS voluit, ut voluntates omnium hominum, qui ex Adamo per viam generationis orirentur, includerentur in voluntate Adami, tanquam capitis moralis generis humani in ordine ad observationem, vel violationem præcepti de non comedendo certo fructu.

Obj. 8. Dici non potest, quomodo peccatum originale ad posteros Adæ transfundatur. Ergo.

Resp. Neg. ant. Et dico, transfundi propagatione per generationem naturalem, seu propagari per generationem naturalem: nempe per hoc, quòd homines ab Adamo, ùt morali posterorum capite per generationem naturalem descendant: non autem transfundi per libidinem: ùt docet Calvinus, Lutherus, & Jansenius.

Prob. 1. Ex Scriptura, Rom. c. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccavêrunt.* Quibus verbis Apostolus docet, omnes homines per unum hominem nasci peccatores, & reos mortis corporis & animæ; quia omnes peccaverunt in illo uno homine. Omnes autem peccaverunt in uno homine, nempe Adamo; quia Adamus, relatè ad observationem & transgressionem præcepti de non comedendo fructu, erat morale caput omnium hominum ab eo per generationem naturalem descensurorum: ac proinde, quia Adamus moraliter erat omnes homines ab eo per generationem naturalem descensuri in ordine ad violationem præcepti de non comedendo fructu. Et consequenter, Adamo præceptum illud violante, omnes homines ab eo per generationem naturalem descensuri, secundùm moralem æstimationem verè peccaverunt: sicque hoc ipso, quòd existunt, seclusa speciali præservatione, revera sunt peccatores & obnoxii odio DEI ac damnationi æternæ

pro-

propter Adami peccatum, quòd ſecundùm moralem æſtimationem verè fuit illorum omnium peccatum.

2. Ex Conc. Trident. ſeſſ. 6. c. 3. dicente: *Revera homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur injuſti; cùm propagatione per ipſum, dum concipiuntur, propriam injuſtitiam contrahant.* Ergo ex Conc. Trident. propagatione per ipſum Adamum, dum concipiuntur, homines injuſtitiam, ideoque peccatum originale contrahunt. Ergo peccatum originale ab hominibus contrahitur, ideoque in ipſos tranſfunditur, propagatione per ipſum Adamum ex ejus ſemine.

3. Quia ſi duo conjuges ex ſpeciali DEI gratia ſine ardore libidinis generarent, nihilominus peccatum originale in prolem tranſfunderetur; quia proles nihilominus ex ſemine Adæ via naturali conciperetur. Ergo non per libidinem, ſed per ſolam propagationem ex Adami ſemine tranſfunditur peccatum originale.

Dices. S. Auguſtinus docet, per ſolam libidinem tranſmitti peccatum originale.

Reſp. Neg. Sed S. Doctor ſolùm vult, peccatum originale traduci, non præcisè per generationem naturalem; nam in ſtatu innocentiæ fuiſſet generatio naturalis, nec tamen tunc fuiſſet peccatum originale: ſed per generationem naturalem ex natura corrupta, cujus certiſſimum indicium eſt ardor libidinis, ſine quo etiam ſanctiſſimi conjuges generare non ſolent. Ita Bellarminus.

Cæterum S. Auguſtinus ſemper ſuſpenſum habuit animum circa cauſam ac modum tranſfuſionis peccati originalis: ùt conſtat ex l. 5. contra Julianum, c. 2. ubi ait: *Aut utrumque vitiatum ex homine trahitur: aut alterum in altero tanquam in vaſe vitiato corrumpitur: ubi occulta juſtitia divinæ legis includitur. Quid autem horum ſit verum, libentiùs diſco, quam dico: ne audeam docere, quod neſcio.* Senſus eſt: Aut utrumque, nempe corpus & anima, vitiatum trahitur ex homine ſecundùm opinionem eorum, qui putant non ſolùm corpus, ſed etiam animam ex Adamo per generationem traduci: aut alterum in altero, nempe anima in corpore, tanquam in vaſe vitiato, corrumpitur. Primum autem nunc certò falſum eſt: imo à S. Thoma judicatur hæreticum; cùm nunc planè conſtet, animas à DEO creari, ſingulas in ſingulis corporibus. Secundum igitur verum eſt: nec ideo recurrendum ad libidinem; nam anima peccato inquinatur hoc ipſo, quòd unitur corpori ex ſemine Adæ naturaliter producto; quia tunc fit homo, qui eſt filius Adæ per generationem naturalem: qui proinde peccatum in Adamo ab ejus poſteris commiſſum contrahit.

Nota. Hominum animæ, quæ ſunt ſubſtantiæ purè ſpirituales, à DEO ſolo ex nihilo creantur, & ſingulæ ſingulis corporibus infunduntur tùm primùm, cùm in matrum uteris corpora ſunt ad animationem proximè diſpoſita. Ita Theologi omnes poſt multos Patres tum Latinos, tum Græcos. Et hæc ſententia, quæ certa eſt, ſemper S. Auguſtino, licèt hac in re fluctuanti, placuit; nam de hac, l. 1. de origine animæ c. 19. ſic ait: *Hanc ſententiam ſuam non ſolùm me non vetante, ſed etiam favente, & gratias agente, defendant.*

ARTICULUS II.

Utrùm B. Virgo peccaverit in Adamo, & peccatum originale contraxerit?

§. I.

DIco 1. B. Virgo verè peccavit in Adamo, quamvis peccatum originale nunquam in ſe contraxerit, neque ab eo unquam fuerit maculata. Ita Bellarminus, addens, oppoſitam ſententiam eſſe periculoſam.

Prob. 1. Ex Scriptura, quæ aſſerit, omnes omninò puros homines, qui ſcilicet per generationem naturalem ab Adamo deſcendunt, in ipſo Adamo peccaſſe: ùt Rom. c. 5. *In quo omnes peccaverunt.* Et cap. 3. *Omnes peccaverunt, & egent gloria DEI:*

id

id est, Redemptore. Item, 2. Cor. c. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt.* Ergo omnes omninò, pro quibus mortuus est Christus, mortui sunt, nullo excepto. Sed Christus mortuus est pro omnibus, nullo excepto, ùt fide constat, ideoque etiam pro B Virgine. Ergo omnes omnino mortui sunt, ideoque etiam B. Virgo mortua est saltem in Adamo : quando scilicet in ipso peccavit. Hæc autem in Adamo peccavit, quatenus ipso peccante peccavit ; quia voluntas Adami relatè ad violationem præcepti de non comedendo fructu erat moraliter voluntas B. Virginis, sicut & cæterorum omnium, qui ab eo per generationem naturalem descensuri erant.

2. *Ratione.* B. Virgo verè, & propriè à Christo redempta fuit ; nam Christus verè, ac propriè Redemptor fuit B. Virginis. Atqui B. Virgo non fuit propriè redempta à Christo, nisi quia Christus ei meruit remissionem peccati, & pro eo satisfecit ; nam Christus propriè redemit homines, quatenus eis meruit remissionem peccatorum, & pro eis satisfecit. Ergo Christus meruit B. Virgini remissionem peccati alicujus : nempe peccati ab ea in Adamo commissi, quamvis illud in se non contraxerit, præventa per Gratiam Sanctificantem primo conceptionis suæ instanti.

§. II.

Dico 2. B. Virgo non contraxit peccatum originale, sed ab eo per Gratiam Sanctificantem ejus animæ primo suæ existentiæ instanti infusam præservata fuit per merita Christi. Ita Catholici ferè omnes. Imò celeberrimæ orbis Christiani Academiæ se se hujus piæ sententiæ defensioni voto addixerunt.

Prob. 1. Ex Script. Genes. c. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem .... Ipsa conteret caput tuum.* Ubi per mulierem ex communi interpretatione intelligitur B. Virgo, inter quam & dæmonem perpetuum fore bellum, & quam dæmonis potestati nunquam subjectam fore, testatur Deus. Sed si B. Virgo peccato originali vel uno instanti inquinata fuit, aliquando potestati dæmonis subjecta fuit, & dæmonis serva. Ergo. Item Luc. c. 1. *Ave gratia plena : Dominus tecum : Benedicta tu in mulieribus.* Quæ verba ex communi Doctorum sensu significant, B. Virginem à Deo accepisse omnia privilegia, & gratiæ dona, quæ Dei Matrem decebant. At certè immunitas à peccato originali Dei Matrem maximè decebat : & alioqui subsistantia, ex qua Filii Dei Corpus formatum est, fuisset aliquando peccato inquinata.

Item ex S. Thoma, 3. p. q. 27. art. 1. *Rationabiliter creditur, quòd illa, quæ genuit Unigenitum à Patre, plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus aliis majora privilegia gratiæ acceperit. Unde, ùt legitur*, Luc. 1. *Angelus ei dixit : Ave gratia plena.* Sed aliqui, ùt Jeremias, & Joannes Baptista hoc privilegio donati sunt, ut in utero materno post animationem sanctificarentur. Ergo rationabiliter creditur, B. Virginem, quæ majora privilegia gratiæ præ omnibus servis Dei accepit, sanctificatam fuisse ipso animationis, seu primo existentiæ suæ instanti.

Prob. 2. Ex Patribus apud Authores. Pro omnibus sint Origenes, Homil. de variis, ubi pluries B. Virginem vocat immaculatam. S. Ambrosius, serm. 22. in Psalm. 118. ubi de B. Virgine dicit, quòd sit *Virgo per gratiam ab omni integra labe peccati.* S. Hieronymus, in hæc verba Psal. 77. *Deduxit eos in nube diei*, dicit nubem illam esse B. Virginem, addens : *Pulchrè dixit, diei ; quia nubes illa non fuit in tenebris, sed semper in luce.* S. Sophronius, Epist. ad Sergium ait, B. Virginem *Sanctam fuisse, & ab omni contagione liberatam & Corporis, & animæ.* Certè verba illa Patrum sunt generalia, & excludunt à B. Virgine omne peccatum, ideoque etiam originale. S. Damascenus, orat. 1. de Natali B. Virginis dicit, quòd in ea *natura gratiæ fœtum antevertere ausa non est.* Ergo B. Virgo à primo suæ existentiæ puncto per Gratiam sanctificata fuit. S. Anselmus, l. de conceptu virginali, c. 18. sic ait : *Decens erat, ut ea puritate, qua major sub Deo nequit intelligi, Virgo illa niteret, cui Deus Pater unicum Filium suum.....*

ita dare disponebat, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris, & Virginis Filius. At si B. Virgo inquinata fuit peccato originali, certè excogitari facilè posset major puritas eâ, quam habuisset: nempe puritas, ab omni labe peccati tum personalis, tum originalis.

Prob. 3. Ex S. Augustino, l. de natura, & gratia, c. 36. ubi postquam docuit, ex peccato originali factum esse, ut nemo vel sanctissimus possit esse sine peccato actuali, ab hac sorte communi eximit B. Virginem his verbis: *Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Unde enim scimus, quòd ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat, nullum habuisse peccatum?* Igitur S. Doctor, in quæstione, ubi de peccatis, ideoque de peccato tam originali, quàm actuali agitur, B. Virginem non vult comprehendere, idque propter honorem Domini: qui certè honor postulat, ut ejus Mater tam caruerit peccato originali, quàm peccatis personalibus venialibus, quibus juxta Ecclesiæ sensum immunis fuit. Item ex S. Doctore B. Virgo accepit gratiam ad vincendum ex omni parte peccatum. Ergo vicit peccatum ex omni parte, ideoque peccatum tam ex origine, quàm ex propria, & personali electione. Ideo autem gratiam ad vincendum omne peccatum accepit, quia fuit Mater illius, qui nullum habuit peccatum. Ergo accepit gratiam, ut immunis esset omni peccato, quo caruit Christus. Sed Christus caruit peccato tum actuali, seu personali, tum originali. Ergo & B. Virgo utroque caruit.

Præterea S. Augustinus, l. 5. contra Julianum, c. 15. ait: *Profectò peccatum etiam major feciſſet* (Christus) *si parvus habuisset; nam propterea nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, quia nullus est hominum præter ipsum, qui peccatum non habuerit infantilis ætatis exortu.* Ubi S. Doctor asserit, Christum habiturum fuisse peccata personalia, si habuisset originale: & idcircò illum unum caruisse peccatis personalibus; quia ille unus ex omnibus caruit peccato originali. Ergo ex S. Doctore omnes, qui carent peccato personali, carent etiam peccato originali. At qui B. Virgo caret omni peccato personali etiam veniali, ùt constat ex sensu Ecclesiæ; nam Conc. Trident. sess. 6. can. 23. declarat, hoc Ecclesiam tenere. Ergo. Cùm autem S. Augustinus dicit: *Nam propterea nullus est hominum, qui peccatum non fecerit grandioris ætatis accessu, &c.* Semper excipi vult B. Virginem, ùt patet ex alio textu modò allato, ubi illam excipit: asserendo, se nullam de illa habere velle quæstionem, cùm de peccatis agitur.

Prob. 4. Ex Conc. Trident. sess. 5. in fine decreti, ubi ita loquitur: *Declarat hæc ipsa sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem: sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papæ IV. sub pœnis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.* Si Concilium Generale B. Virginem non comprehendit in decreto suo doctrinali de peccato originali, certè hoc ipso eam tacitè excipit, aut saltem meritò excipiendam judicat. Quis ergo Fidelium eam in universali numero hominum peccato originali inquinatorum comprehendat? Ergo B. Virgo meritò ab universali peccati originalis macula excipienda est.

Item, Conc. Trident. Indulgentias Fidelibus Festum Conceptionis Immaculatæ B. Virginis celebrantibus à Sixto IV. concessas approbat, & confirmat, & approbando, ac confirmando, inducit Fideles ad hoc Festum devotè celebrandum. At si B. Virgo inquinata fuisset peccato originali, Conc. induceret ad cultum objecti falsi: aut saltem approbaret, & confirmaret gratias, quæ ad cultum objecti falsi inducunt: quod est moraliter inducere ad illum. Quod sanè repugnat infallibilitati absolutæ Ecclesiæ in rebus ad fidem, mores, & cultum divinum pertinentibus.

His

His adde, quòd Patres omnes Concilii Tridentini, exceptis pauciſſimis, iisque, præter unum aut alterum, Dominicanis, ſuffragium dederunt, ut ederetur decretum de Immaculata B. Virginis Conceptione: quod tamen non fuit vulgatum ob inſtantiſſimas preces paucorum Epiſcoporum, & Theologorum Dominicanorum dilationem rogantium. Hoc conſtat ex actis originalibus Concilii, quæ in Caſtro S. Angeli aſſervantur. Quare Concilium hanc quæſtionem non definivit, & pro hac vice contentum fuit declaratione ſupra allata.

Prob. 5. Ex Decretis Summorum Pontificum: Quibus tum à quibuscunque actibus publicis, tum etiam à privatis colloquiis proſcripta eſt opinio, negans B Virginis immunitatem à peccato originali. Interea dum ubique, approbantibus totius orbis Epiſcopis Catholicis, ſententia Immaculatam B. Virginis Conceptionem affirmans proponitur, defenditur, & probatur voce, ſcripto, in ſcholis, & ſacris pulpitis, magno cum gaudio, ac fructu totius populi Chriſtiani: propoſitis Indulgentiis in gratiam eorum, qui Feſtum Immaculatæ B. Virginis Conceptionis devotè celebraturi ſunt. Certè fierine poteſt, ut error ita approbetur in Eccleſia, & ut ad illum amplectendum tantis beneficiis à ſummis Pontificibus invitentur Fideles omnes, conſentientibus totius orbis Epiſcopis: atque ut veritatis oppoſitæ prædicatio prohibeatur?

Prob. ant. Nam 1. Sixtus IV. ann. 1476. Conſtit. *Cùm præexcelſa.* Immaculatam B. Virginis Conceptionem devotè celebrantibus conceſſit eaſdem Indulgentias, quas Urbanus IV. conceſſerat devotè celebrantibus Feſtum Corporis Chriſti. Quam conſtitutionem approbavit, & innovavit Conc. Trid.

2. Paulus V. ann. 1617. graviſſimis pœnis vetuit quibuscunque perſonis, ne in quibuscunque actibus publicis aſſererent, B. Virginem conceptam fuiſſe cum peccato originali.

3. Gregorius XV. hanc Pauli V. prohibitionem ſub iisdem pœnis extendit etiam ad privata colloquia, ſolis Dominicanis conceſſa de contraria opinione privatim, & inter ſe tantùm differendi, & conferendi facultate.

4. Alexander VII. ſub graviſſimis pœnis quibuscunque perſonis nulla exceptione facta, prohibuit, ne ſub quovis prætextu, quovis excogitabili modo, directè, vel indirectè, ſive ſcripto, ſive voce, ſive publicè, ſive privatim ſententiam de Immaculata B Virginis Conceptione, aut Feſtum, ſeu cultum ſecundùm hanc piam ſententiam exhibitum impugnent.

Prob. 6. Ex Alexandri VII. decreto ann. 1662. edito: quod ſic habet: *Sanè vetus Fidelium erga B. Virginem Mariam pietas, ſentientium, ejus animam in primo inſtanti creationis, atque infuſionis in corpus fuiſſe ſpeciali Dei gratia, intuitu meritorum Chriſti, à macula peccati originalis præſervatam, atque in hoc ſenſu ejus conceptionis feſtivitatem ſolemni ritu colentium, & celebrantium: crevitque horum numerus, atque hujusmodi cultus poſt editas à Sixto IV. in ejus commendationem Apoſtolicas Conſtitutiones, quas ſacrum Concil. Trident. innovavit, atque obſervari mandavit. Aucta rurſus, & propagata fuit pietas hæc, & cultus erga Deiparam, poſt erectum hoc nomine, approbantibus Romanis Pontificibus, Religioſum Ordinem, & Confraternitates, ac conceſſas ab iisdem Indulgentias, ita, ut accedentibus quoque Academiis ad hanc ſententiam, jam ferè omnes Catholici eam amplectantur. Quia ex occaſione contrariæ aſſertionis oriebantur ſcandala, Paulus V. vetuit, opinionem præfatæ ſententiæ contrariam publicè doceri, aut publicari. Quam prohibitionem Gregorius XV. ad privata etiam colloquia extendit, mandans inſuper in favorem ejusdem ſententiæ, ut in Miſſæ Sacrificio, ac divino Officio, non alio quàm Conceptionis nomine uti quicunque debeant.*

Nihilominus, prout Epiſcopi ferè omnes Hiſpaniarum ad nos litteris expoſuerunt, pergunt aliqui contrariæ illius opinionis aſſertores contra præfatas prohibitiones, tum privatim, tum publicè præfatam ſententiam aut impugnare, aut vellicare, & favorem à Romanis Pontificibus cultui, & Feſto ſecundùm illam præſtitum, ita interpretari, ut fruſtentur:

imò Ecclesiam Romanam huic sententiæ, & cultui, juxta illam B. Virgini exhibito, favere negant, pios Christi Fideles è sua pacifica quasi possessione deturbare conando: unde offensiones, & scandala, quibus obviare voluerunt Paulus V. & Gregorius XV. perdurant adhuc, & ex occasione eorundem adversantium majora his incommoda in posterum prudenter & meritò timentur. Quapropter super his tam præfati Episcopi, quàm Phillippus Rex Catholicus nobis pro remedio supplicari fecerunt.

Nos considerantes, quòd Sancta Romana Ecclesia de Mariæ Virginis Conceptione Festum celebrat, & speciale super hoc officium olim ordinavit, juxta piam, devotam, & laudabilem institutionem, quæ à Sixto IV. emanavit: volentesque laudabili huic pietati, & Festo, ac cultui secundùm illam exhibito in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum exemplo favere, nec non tueri devotionem hanc colendi Beatam Virginem, præveniente scilicet Spiritus Sancti gratia, à peccato originali præservatam: Decreta à Sixto IV. & Gregorio XV. edita in favorem sententiæ asserentis, animam B. Virginis Mariæ in sui creatione, & in corpus infusione Spiritus Sancti gratia donatam, & peccato originali præservatam fuisse, nec non in favorem Festi, & cultus Conceptionis ejusdem Virginis secundùm piam sententiam exhibiti, innovamus, & sub censuris, & pœnis in iisdem Constitutionibus contentis observari mandamus.

Insuper omnes, & singulos, qui præfatas Constitutiones ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ sententiæ, & Festo, seu cultui secundùm illam exhibito frustrentur, vel qui hanc sententiam, Festum, seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo, directè, vel indirectè, aut sub quovis prætextu ejus definibilitatis examinandæ, sive sacram Scripturam, aut SS. Patres, sive Doctores glossandi, vel interpretandi, scripto, seu voce, loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea asserendo, & insoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo differendo ausi fuerint: præter pœnas, & censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subjacere volumus, & per præsentes subjicimus, etiam concionandi, publicè docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & passiva in quibuscunque electionibus eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus, nec non ad concionandum, publicè docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pœnas ipso facto incurrere, à quibus pœnis non nisi à nobis ipsis, vel à Successoribus nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint: nec non eosdem aliis pœnis nostro, & Pontificum Successorum nostrorum arbitrio infligendis pariter subjacere volumus, prout subjicimus per præsentes.

Innovantes Pauli V. & Gregorii XV. Constitutiones, ac libros, in quibus præfata sententia, Festum, seu cultus secundùm illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocunque aliquid scribitur, aut legitur, seu locutiones, conciones, tractatus, & disputationes contra eadem continentur, post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda prohibemus sub pœnis, & censuris in indice librorum prohibitorum contentis, & ipso facto absque alia declaratione pro expressè prohibitis haberi volumus, & mandamus. Vetamus autem, Sixti IV. Constitutionibus inhærentes, quempiam asserere, quòd propter hoc contrariam opinionem tenentes, hæresis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cùm ab Ecclesia, & ab Apostolica sede nondum fuerit hoc decisum, prout nunc nos minimè decidere volumus: quin potiùs contrariam illam opinionem hæresis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes præter pœnas, quibus eos subjecit Sixtus IV. gravioribus aliis pœnis subjicimus, quas in contra facientes huic nostræ conclusioni superiùs infliximus.

Ex hoc decreto patet 1. Sixti IV. Pauli V. & Gregorii XV. Constitutiones editas esse in favorem sententiæ, asserentis, B. Virginem à peccato originali præservatam fuisse. 2. Piam ac laudabilem esse hanc sententiam,

&

& pium, ac laudabile ſecundùm illam B. Virginem colere. 3. In Romana Eccleſia olim ſolemniter celebratum fuiſſe, & etiamnum celebrari Feſtum Immaculatæ Conceptionis, per illam intelligendo ſanctificationem B. Virginis primo inſtanti creationis animæ, & ejus infuſionis in corpus: ideoque ſanctificationem B. Virginis pro primo illo ſuæ exiſtentiæ inſtanti eſſe objectum cultus, ad quem Eccleſia Fideles omnes præcepto celebrandi Feſtum Conceptionis B. Virginis obligat. Quæ omnia rectè perpenſa veritatem Immaculatæ Conceptionis B. Virginis efficaciter probant.

Porro Alexander VII. clauſulam à Paulo V. & Gregorio XV. de non inferendo præjudicio contrariæ opinioni (directè ſcilicet, & præcisè vi ſuæ prohibitionis) prætermiſit.

Prob. 7. Ex facto Eccleſiæ. Eccleſia non ſolùm Fideles omnes ad cultum B. Virginis, ùt primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti ſanctificatæ, & à peccato originali præſervatæ, Indulgentiis invitat, ſed etiam cultum illum præcipit, Feſto ad hunc finem inſtituto, & præcepto: ùt patet ex Decreto Alexandri VII. citato. Ergo cultus ille eſt cultus objecti veri, ideoque verum, B. Virginem primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti ſanctificatam, & à peccato originali præſervatam fuiſſe. *Prob. conſeq.* Si cultus ille eſt cultus objecti non veri, ſed falſi, Eccleſia non ſolùm ad cultum objecti falſi invitaret, ſed etiam illum præciperet. *Falſum conſeq.* Ergo. *Minor conſtat.* Nam cultus objecti falſi eſt cultus falſus, vanus, & ſuperſtitioſus. At Eccleſia non poteſt conſulere, & multò minùs præcipere cultum falſum, vanum, & ſuperſtitioſum; cùm ſit ſancta, & infallibilis in rebus fidei, & morum, ad quos pertinet virtus Religionis, & cultus Dei per preces, & Sacrificium, &c.

Quare hæc pia ſententia eſt proximè definibilis ab Eccleſia: eſtque concluſio deducta ex præmiſſis, quarum una eſt de fide, nempe iſta: *Eccleſia eſt infallibilis in rebus fidei, & morum: nec poteſt conſulere, & multò minus præcipere cultum falſum, & ſuperſtitioſum*: altera eſt evidens, & certa ex Decretis ſummorum Pontificum, nempe: *Eccleſiam Indulgentiis Fideles invitare ad cultum B. Virginis, ùt primò ſuæ exiſtentiæ inſtanti ſanctificatæ, & à peccato originali præſervatæ: & hunc cultum præcipere, præcipiendo celebrationem Feſti Conceptionis B. Virginis, intellectæ de primo inſtanti creationis animæ, & ejus infuſionis in corpus.*

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Eccleſia non habuit fundamentum inſtituendi Feſtum Immaculatæ Conceptionis B. Virginis. Ergo.

Reſp. Nego anteced. Imò habuit multiplex: nimirum Scripturam à nobis ſuprà laudatam, & aſſerentem, B. Virginem eſſe gratia plenam: Dignitatem Matris Dei: & antiquorum Patrum de Mariæ eximia, ac ſingulari Sanctitate ſententiam.

Obj. 2. Illud, Rom. c. 3. *Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei.* Et, c. 5. *In quo* (Adamo) *omnes peccaverunt.*

Reſp. B. Virgo verè peccavit in Adamo: quando nempe Adamus peccavit; nam voluntas Adami in ordine ad violationem præcepti de non comedendo fructu erat moraliter voluntas B. Virginis, ſicut & cæterorum omnium, qui ab Adamo per generationem naturalem deſcenſuri erant. Quare B. Virgo habuit debitum proximum contrahendi peccatum originale, ita ut illud reipſa in ſe contraxiſſet, niſi intuitu meritorum Chriſti ex ſpeciali privilegio ſanctificata fuiſſet primo ſuæ exiſtentiæ inſtanti, & ſic à peccato illo præſervata fuiſſet.

Obj. 3. Illud, 1. ad Cor. c. 15. *In Adam omnes moriuntur.* Et, 2. Cor. c. 5. *Si unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt.*

Reſp. B. Virgo revera mortua eſt in Adamo: quatenus in Adamo peccavit: & propter peccatum in Adamo commiſſum contraxit reatum mortis corporalis, & aliquarum aliarum pœnarum temporalium: imò propter idem peccatum ab Adamo commiſſum, quod ſecundùm moralem æſtimationem fuit etiam

etiam peccatum B. Virginis, ipsa habuit debitum contrahendi mortem animæ, & damnationem æternam: & reipsa utramque cum macula culpæ contraxisset, nisi ex speciali privilegio Gratiam Sanctificantem primo suæ existentiæ instanti accepisset, per quam ei condonata fuit culpa ab ea in Adamo commissa. Non tamen contraxit reatum culpæ, & mortem animæ, ac damnationem æternam; quia illo eodem instanti per Gratiam Sanctificantem ejus animæ infusam, ei remissum est quoad culpam, & reatum damnationis æternæ peccatum, quod in Adamo admiserat, antequam esset.

Dices. Ex textibus illis objectis probatur, omnes homines fuisse peccato originali inquinatos.

Resp. Ibi intelligi debet, nisi quis intuitu meritorum Christi ex speciali privilegio à peccato illo per Gratiam Sanctificantem præservatus fuerit: ùt verè B. Virgo sic præservata fuit: quod satis constat ex probationibus allatis.

Obj. 4. Illud, Heb. c. 7. *Talis decebat, ut nobis esset Pontifex, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Ergo solus Christus caruit omni peccato.

Resp. Nego conseq. Quia textus ille non est exclusivus; nam Christus non dicitur solus caruisse omni peccato. Præterea etiam circa hoc magnum inter Christum, & ejus Matrem intercedit discrimen; nam Christus non solùm vi unionis hypostaticæ, sed etiam vi generationis suæ supernaturalis, & quidem solus caruit peccato originali; quia solus non per viam ordinariam, sed per supernaturalem Spiritus Sancti operationem conceptus est, sicque solus in Adamo non peccavit, nec proinde contraxit debitum contrahendi peccati originalis. At B. Virgo peccato originali non caruit vi generationis suæ, utpote naturalis: unde verè peccavit in Adamo, habuitque debitum contrahendi culpam originalem, à qua immunis non fuit, nisi ex meritis Christi, & ex speciali privilegio.

Nota. B. Virgo nunquam habuit quidem in se debitum contrahendi peccatum originale. Nam cùm primo suæ existentiæ instanti sanctificata fuerit, eodem illo instanti ei remissum fuit peccatum in Adamo ab ea commissum, ac proinde etiam debitum contrahendi peccati originalis. At debitum contrahendi peccati originalis habuit in Adamo, quia in Adamo peccavit sicut cæteri homines puri: & sic nisi à macula, & reatu culpæ originalis per Gratiam Sanctificantem præservata fuisset, illam culpam, & maculam reipsa contraxisset, sicut cæteri contrahunt.

Obj. 5. Si B. Virgo caruit peccato originali, non fuit redempta à Christo; nam nunquam fuit sub captivitate peccati. *Falsum conseq.* Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam B. Virgo per merita Christi redempta fuit à captivitate, in quam ex debito lapsura erat, nisi ab ea præservata fuisset per gratiam Christi Redemptoris: quamvis non fuerit redempta à captivitate, in quam reipsa incidisset.

Dices 1. Ad veram redemptionem requiritur captivitatis actualis liberatio.

Resp. Nego. Duplex quippe redemptionis genus est: unum per modum liberationis: quo nempe quis liberatur à captivitate, in quam incidit: alterum verò per modum præservationis: quo nempe quis eximitur à captivitate, in quam necessariò lapsurus erat, nisi ab ea præservetur. Hoc redemptionis genus est vera redemptio, & altero perfectius. Sic si Princeps Christianus magnam auri vim Turcarum Imperatori præberet, ut Christianos aliquos à captivitate, in quam certò lapsuri erant, eximeret, quamvis in eam nondum inciderint, num illi Christiani à tali Principe verè redimerentur, & quidem perfectiùs, quàm si redempti fuissent, postquam jam in captivitatem incidissent? Hoc autem redemptionis modo perfectiore redempta est B. Virgo.

Dices 2. Zosimus Papa apud S. Augustinum, Epist. 157. sic ait: *Nullus, nisi qui peccati servus est, liber efficitur: nec redemptus dici potest, nisi qui verè per peccatum fuerit ante captivus.*

Resp. Sensus est, nullum redemptum di-

ci

ei posse, nisi qui verè per peccatum antea captivus fuerit vel reipsa, vel debito certo. Nam qui debet esse, & certò futurus fuisset captivus, nisi liberatoris beneficio à captivitate exemptus fuisset, is verè, ac propriè redemptus dici potest: ùt rectè docet S. Augustinus, enarr. in Psalm. 85. ubi ad hæc verba: *Eruisti animam meam de inferno inferiori*, sic ait: *Nescio, quis habens causam molestam mittendus erat in carcerem. Venit alius, defendit eum, gratias agens, quid dicit? Eruisti animam meam de carcere. Suspendendus erat debitor, solutum est pro eo, liberatus dicitur de suspendio. In his omnibus non erant: sed quia talibus meritis agebantur, ut nisi subventum esset, ibi essent, inde se rectè dicunt liberari, quo per liberatores suos non sunt permissi perduci.*

Obj. 6. S. Ambrosius, l. 2. comment. in Lucam ait: *Solus per omnia ex natis de fœmina Sanctus Dominus JEsus est, qui terrena contagia corruptelæ immaculati partus novitate non senserit, & cœlesti majestate deputerit.*

Resp. Solùm vult, unum Christum vi generationis suæ, quæ supernaturalis fuit, caruisse peccato originali: cæteros verò omnes vi generationis suæ naturalis, qua ab Adamo descendunt, illud contrahere: vel si quis non contrahat, vi generationis suæ contrahere debere, nec nisi per gratiam ab eo præservari posse.

Sic etiam intelligi debet Eusebius Emissenus, vel Gallicanus, cùm Hom. 2. de Natali Domini dicit: *A peccati veteris nexu per se non est immunis, nec ipsa Genitrix Redemptoris.* Nam B. Virgo per se, & vi generationis suæ, utpote naturalis, non est immunis à macula culpæ originalis, sed per merum gratiæ beneficium. Vel illi, & aliqui alii Patres, cùm asserunt, omnes præter Christum fuisse obnoxios peccato originali, loquuntur de peccato originali spectato etiam quoad debitum: vel intendunt, omnes ei obnoxios fuisse vi generationis suæ, ita ut nullus ab eo eximatur, nisi ex speciali privilegio per gratiam Christi ab eo præservatus fuerit.

Obj. 7. Aliqui Patres agnoscunt in DEI Matre purgationem, liberationem, solutionem à peccato factam per Dei gratiam.

Resp. Hoc intelligunt de purgatione, liberatione, & solutione à peccato originali quoad debitum, non quoad se, contracto: sive à peccato in Adamo commisso, quod in se contrahere debebat, & à quo liberata fuit in se, seu præservata per Gratiam Sanctificantem. Nam hoc unum Patres intendunt, omnes eguisse Christi gratia, sine qua omnes peccato inquinati sunt.

Nota. Generales Patrum de peccato originali locutiones exceptionem respectu B. Virginis continere, patet ex S. Augustino, qui, l. 5. contra Julianum, cap. 15. asserit, neminem præter Christum fuisse immunem à peccato actuali, seu personali; quia nemo præter illum immunis fuit à peccato originali: & tamen, l. de natura, & gratia, c. 36. suprà cit. excipit B. Virginem in quæstionibus, ubi agitur de peccato. Ergo cùm S. August. (idem dic de aliis Patribus) docet generaliter, neminem præter Christum immunem esse à culpa originali, non intendit, B. Virginem in sua propositione generali comprehendere. Quare locutiones generales semper intelligi debent: seclusso privilegio erga Dei Matrem propter suam singularem dignitatem, & honorem Filii Dei.

Obj. 8. S. Augustinus, l. 5. contra Julian, c. 5. ait: *Si sine dubio caro Christi non est caro peccati, sed similis carni peccati: quid restat, ut intelligamus, nisi ea excepta, omnem reliquam humanam carnem esse peccati?* Et l. de perfectione justitiæ sub fin. *Quisquis fuisse, vel esse in hac vita aliquem hominem, vel aliquos homines putat, excepto uno Mediatore Dei & hominum, quibus necessaria non fuerit remissio peccatorum, contrarius est divinæ Scripturæ.*

Resp. Ad 1. Caro B. Virginis fuit caro peccati, non, quia peccato originali inquinata fuit: sed, quia via naturali concepta fuit, sicque peccati debitum contraxit, & peccatum ipsum sine gratia præservante contraxisset.

Resp.

Resp. Ad 2. Peccati remissio verè necessaria fuit B. Virgini: quippe quæ in Adamo peccaverit: unde peccati hujus macula fuisset polluta, nisi primo suæ existentiæ puncto illud ex meritis Christi per Gratiam Sanctificantem remissum fuisset.

Obj. 9. S. Fulgentius, l. de fide ad Petrum, c. 26. ait: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri, & mulieris concipitur, cum peccato originali nasci.*

Resp. Hoc intelligi debet, seclusò speciali aliquo gratiæ beneficio. Et sensus loci est, omnes homines, qui ab Adamo per generationem naturalem descendunt, vi suæ generationis peccatum originale contrahere, & cum illo nasci: seclusò scilicet speciali privilegio, quo per Gratiam Sanctificantem ab illo præserventur, vel liberentur, antequam nascantur. Nam certum est, aliquam exceptionem in illo textu subintelligendam esse; cùm constet, Joannem Baptistam in utero materno sanctificatum fuisse, ideoque sine peccato natum fuisse: quod etiam constat de B. Virgine.

Obj. 10. S. Bernardus, in Epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses, eos reprehendit, quòd Festum Conceptionis in sua Ecclesia instituerint.

Resp. Non eos reprehendit simpliciter, quòd hoc Festum instituerint: sed quòd instituerint inconsulta Sede Apostolica: ut patet ex his ejus verbis: *Nam si sic videbatur, consulenda erat priùs Apostolicæ Sedis authoritas: & non ita præcipitanter, atque in consultè paucorum sequenda simplicitas imperitorum.* Addo, S. Bernardum, Si nunc viveret, & videret à Sede Apostolica institutum fuisse sub præcepto Festum Immaculatæ Virginis Conceptionis, & ab omnibus Fidelibus, & Episcopis celebrari, hanc que Conceptionem à summis Pontificibus coli, & commendari, ab omnibus concionatoribus publicè prædicari, consentientibus, & approbantibus Ecclesiæ Prælatis, certissimè veritati hujus immaculatæ Conceptionis toto animo adhæsurum esse: ut patet ex fine Epistolæ suæ, ubi hæc ait: *Romanæ præsertim Ecclesiæ authoritati, atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ ejusmodi sunt, universa reservo: ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare.*

Porro sententia nostra de Immaculata B. Virginis Conceptione ante Scotum in Ecclesia tradita est. Nam jam medio sæculo duodecimo in toto Orientis Imperio celebrabatur ejus Festum, & in Ecclesia Latina, præsertim per Galliam, & Angliam, incipiebat celebrari.

Obj. 11. S. Thomam, 3. p. q. 27. a. 2. in o. & ad 4.

Resp. Si S. Doctor nunc viveret, & videret Conceptionem B. Virginis ab Ecclesia celebrari, hanc certissimè teneret, & coleret. Nam a. 1. sic dicit: *Sed contra est, quòd Ecclesia celebrat Nativitatem B. Virginis. Non autem celebratur Festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto. Ergo B. Virgo in ipsa sua nativitate fuit sancta. Fuit ergo in utero sanctificata.* Quare eodem modo differeret pro sanctificatione B. Virginis primo suæ Conceptionis instanti: Ecclesia celebrat Conceptionem B. Virginis: non autem celebratur Festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto. Ergo B. Virgo in ipsa sua Conceptione fuit Sancta. Ergo primo suæ Conceptionis puncto sanctificata fuit.

Obj. 12. Si B. Virgo immunis fuit à peccato originis, non indiguit Redemptore, & Salvatore Christo. *Falsum conseq.* Ergo.

Resp. Nego sequel. maj. Nam necessariò contraxisset peccatum originale, nisi ab eo ex meritis Christi Redemptoris & Salvatoris præservata fuisset per Gratiam Sanctificantem, misericorditer ei primo suæ existentiæ puncto infusam, per quam ei condonatum fuit peccatum ab ea in Adamo commissum.

ARTICULUS III.

In quo consistat peccatum originale: seu quodnam sit illius constitutivum?

NOta. Circa constitutivum peccati originalis variæ sunt opiniones. Lutherani & Calviniste communiter docent, peccatum origi-

originale per se, & ex natura sua esse naturæ corruptionem : consistentem in ignorantia, difficultate ad bonum, & præsertim in concupiscentia, seu propensione ad bona sensibilia contra rectam rationem : qualis etiam reperitur in baptizatis, & justificatis: licèt credentibus non imputetur ad damnationem.

Ex Catholicis alii peccatum originale adæquatè constituunt in peccato illo, quod Adamus, ùt personam generis humani gerens, admisit violando præceptum de non comedendo fructu arboris scientiæ boni, & mali : alii in privatione justitiæ originalis : alii cum S. Thoma in complexo ex concupiscentia, velut constitutivo materiali : & privatione justitiæ originalis, velut constitutivo formali.

S. Augustinus verò peccatum originale constituit in concupiscentia, ùt nobis à primo instanti animationis ad odium, & damnationem æternam imputabili, non per se præcisè, sed per reatum peccati Adami ab ea distinctum, & separabilem : unde peccatum illud tollitur per Baptismum, manente concupiscentia, quæ tunc definit esse nobis imputabilis, sicque definit esse peccatum propriè.

§. I.

Dico 1. Concupiscentia non est per se, & ex natura sua peccatum originale.

Prob. 1. Si concupiscentia esset per se, & ex natura sua peccatum originale, existente concupiscentia, semper existeret peccatum originale. *Falsum conseq.* Ergo. *Major patet.* Nam quod est per se, & ex natura sua tale, semper est tale ; cùm natura rerum mutari non possit : ac proinde non potest existere, quin sit tale. Ergo si concupiscentia sit per se, & ex natura sua peccatum, non potest ipsa existere, quin existat peccatum.

Minor quoque *certa est.* Nam in regeneratis per Baptismum remanet concupiscentia, ùt constat ex Apostolo, Rom. c. 7. & ex Concil. Trident. & ipsa experientia : & tamen in justificatis, ac regeneratis per Baptismum non remanet peccatum originale: ùt etiam constat ex Apostolo, Rom. c. 8. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo JEsu, qui non secundùm carnem ambulant*: id est, nihil est damnatione dignum in justificatis, qui inordinatos concupiscentiæ motus non sequuntur, quamvis eos experiantur.

Prob. 2. Ex Conc. Trident. sess. 5. can. 5. *Si quis per JEsu Christi Domini nostri gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet : sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari : anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus; quia nihil est damnationis iis, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptisma in mortem : qui non secundùm carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & novum, qui secundùm Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu Cœli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit : quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per JEsu Christi gratiam repugnantibus non valet : quin imò qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quòd verè, & propriè in renatis peccatum sit : sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit : anathema sit.*

Confirm. Ex S. Augustino, qui l. 6. contra Julianum, c. 16. sic eum alloquitur : *Tu autem, qui putas, quòd si malum esset concupiscentia, careret ea, qui baptizatur, multùm erras. Omni enim peccato caret, non omni malo.* Et l. 1. contra duas Epist. Pelagianorum, c. 3. *Diximus Baptisma dare omnium*

omnium Indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere.

Obj. 1. Concupiſcentia prohibetur hac lege: *Non concupiſces.* Ergo eſt peccatum.

Reſp. Nego anteced. Nam non prohibetur id, quod non poſſumus vitare, nec eſt in noſtra poteſtate, ut eo careamus. Sed per hanc legem prohibetur liber conſenſus motibus inordinatis concupiſcentiæ, & quodlibet liberum deſiderium malum. *Fruſtra dictum eſt: poſt concupiſcentias tuas non eas, ſi jam quisque reus eſt, quòd tumultuantes, & ad mala trahere nitentes ſentit eas*, ait S. Auguſtinus, l. 5. contra Julianum, c. 3.

Inſt. Id, quod per ſe impellit ad peccatum, prohibetur eodem præcepto, quo prohibetur peccatum. At concupiſcentia per ſe impellit ad peccatum. Ergo prohibetur, &c.

Reſp. Diſting. maj. Si illud, quod ad peccatum impellit, ſit in noſtra poteſtate, ut eo careamus, *conc. maj.* Secùs, *nego maj.* Non eſt autem in noſtra poteſtate, ut careamus concupiſcentia, ſeu propenſione habituali, & actuali ad malum; nam etiam inviti experimur motus inordinatos, nos ad peccatum impellentes.

Obj. 2. Concupiſcentia ab Apoſtolo, Rom. c. 7. vocatur peccatum: item debemus illam odiſſe: & repugnat legi mentis. Ergo eſt peccatum.

Reſp. ad 1. Concupiſcentia impropriè tantùm, & metaphoricè vocatur peccatum: quia nempe eſt à peccato Adami, quod moraliter noſtrum eſt: & ad peccatum inclinat: ſicque eſt effectus peccati, & ſimul cauſa impulſiva peccati. Sæpe autem in Scriptura nomen effectus pro cauſa, & viciſſim ponitur per metonimiam.

Reſp. ad 2. Debemus odiſſe concupiſcentiam: non, quia eſt propriè peccatum: ſed quia eſt quid inordinatum, & ad peccatum impellit, ſicque Deus illam odit. Quare ob nullum bonum finem expeti poteſt.

Reſp. ad 3. Concupiſcentia repugnat legi mentis: non, ùt peccatum propriè dictum, ſeu culpa: ſed ùt impulſio ad malum: quæ non eſt culpabilis, quamdiu non eſt voluntaria.

Obj. 3. Deus non fecit concupiſcentiam: nec Chriſtus eam aſſumpſit. Ergo eſt propriè peccatum.

Reſp. ad 1. Deus non fecit concupiſcentiam poſitivè: quatenus nempe non fuit author peccati, cujus eſt effectus. At fecit quaſi negativè: nempe hoc ſenſu, quòd propter peccatum hominem ſpoliaverit juſtitia originali, qua caro ſpiritui perfectè ſubjiciebatur, & in homine ſic ſpoliato rebellavit caro adversùs ſpiritum.

Reſp. ad 2. Ideo Chriſtus concupiſcentiam non aſſumpſit, quia repugnabat plenitudini gratiarum, ac donorum, quæ ei debebatur, & ad redemptionem noſtram per ſe nihil proderat: ſed potiùs oberat. Sic Chriſtus non aſſumpſit ignorantiam, quamvis non ſit peccatum, quamdiu eſt involuntaria.

Obj. 4. S. Auguſtinus docet, concupiſcentiam eſſe peccatum, ſaltem ante Baptiſmum. Ergo.

Reſp. S. Doctor docet, concupiſcentiam ante Baptiſmum imputari in peccatum, non quidem per ſe, & ratione ſui, ſed ratione alterius: nempe ratione reatus, quo facta eſt, & quocum ante Baptiſmum conjuncta eſt. Unde juxta illum concupiſcentia non eſt peccatum ante Baptiſmum, niſi per reatum, quo facta eſt, & ſine quo exiſtere poteſt, & ſine quo reipſa exiſtit poſt Baptiſmum: ùt conſtat ex textibus ejus ſuprà allatis. Nam concupiſcentia per ſe, & ratione ſui eſt duntaxat malum quoddam, languor, infirmitas.

Inſt. 1. S. Auguſtinus, l. 1. de nuptiis, cap. 32. ait: *Hæc itaque remiſſio peccatorum quamdiu non fit in prole, ſic ibi eſt Lex iſta peccati, ut etiam in peccatum imputetur, id eſt, ut etiam reatus ejus cum illa ſit, qui eum teneat æterni ſupplicii debitorem.* Et l. 6. contra Julian. c. 17. *Nos ... eam* (concupiſcentiam) *malam dicimus, & manere tamen in baptizatis, quamvis reatus ejus, non quo ipſa erat rea; neque enim aliqua perſona eſt: ſed quo reum hominem originaliter faciebat, fuerit remiſſus, atque vacuatus.* Ergo concupiſcentia in non baptizatis habet reatum, quo reum facit hominem, & debitorem

rem æterni ſupplicii, ideoque eſt propriè peccatum.

Reſp. Diſting. conſeq. Ex S. Auguſtino concupiſcentia habet reatum, qui ab ipſa non oritur, nec in ipſa fundatur: ſed quo ipſa facta eſt, & à quo ſeparari poteſt, *conc. conſeq.* Habet reatum, qui ab ipſa oritur, & in ipſa fundatur, ita ut qui eam habet, reus ſit, & debitor æterni ſupplicii, præcisè quia eam habet, *nego conſeq.* Ex S. Auguſtino concupiſcentia reum facit hominem, non per reatum, qui ab ipſa oritur, & in ipſa fundatur, ita ut habere concupiſcentiam præcisè, ſit reum eſſe: ſed reum facit hominem per reatum, quo facta eſt, id eſt, per reatum peccati à nobis voluntate Adami commiſſi, in nobis à primo inſtanti conceptionis moraliter permanentem in ordine ad imputabilitatem ad vituperium, juſtum Dei odium, & pœnam, donec nobis condonetur per Baptiſmum. Nam juxta S. Doctorem concupiſcentia, & peccatum à nobis voluntate Adami commiſſum moraliter perſeverans quamdiu non remittitur, faciunt unum quoddam totum, quo homo maculatur, & vituperio, odio Dei, & pœna æterna dignus efficitur. Quod totum eſt peccatum originale, id eſt, peccatum habituale hominem ab origine, ſeu à primo animationis inſtanti maculans: cujus quidem pars materialis eſt concupiſcentia, pars verò formalis eſt peccatum à nobis in Adamo commiſſum, quo concupiſcentia procurata eſt, & quo per Baptiſmum condonato deſinit ſimpliciter illud totum, quod ab origine in peccatum imputatur.

Inſt. 2. S. Auguſtinus, l. 1. de nuptiis, c. 23. ait: *Hæc concupiſcentia, quæ ſolo Sacramento regenerationis expiatur, profecto peccati vinculum trajicit in poſteros, niſi ab illo & ipſi regeneratione ſolvantur.*

Reſp. Solùm vult, concupiſcentiam remitti in Baptiſmo per condonationem reatus, quo facta eſt, & ſine quo eſſe poteſt. Nam ex S. Doctore concupiſcentia remittitur in Baptiſmo, quoad imputabilitatem ſcilicet, quatenus per Baptiſmum deſinit eſſe imputabilis ad vituperium, ac pœnam æternam, & reddere hominem Deo odioſum. Deſinit autem per Baptiſmum eſſe imputabilis ad vituperium, ac pœnam, & reddere hominem Deo odioſum, quatenus per Baptiſmum tollitur reatus, quo facta eſt, id eſt, quatenus per Baptiſmum remittitur homini culpa, cujus eſt effectus & pœna.

Inſt. 3. S. Auguſtinus concupiſcentiam etiam poſt Baptiſmum vocat peccatum.

Reſp. Vocat peccatum, ſed impropriè, & metaphoricè dictum: quia nempe concupiſcentia eſt pœna peccati in Adamo commiſſi, & cauſa impulſiva peccatorum perſonalium; nam l. 1. de nuptiis, c. 23. ſic ait: *Ipſa quidem concupiſcentia jam non eſt peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non conſentitur .... ſic autem vocatur peccatum, quia peccato facta eſt, cùm jam in regeneratis non ſit ipſa peccatum: ſicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua.*

Nota igitur. Secundùm S. Auguſtinum concupiſcentia non eſt peccatum per ſe, & ratione ſui: quia propenſionem habitualem ad malum habere præcisè, & ſublata omni culpa, cujus ſit effectus, non eſt aliquid homini imputabile ad vituperium, odium Dei, & pœnam: ſed eſt tantùm peccatum ratione alterius, nempe peccati à nobis voluntate Adami, quæ moraliter noſtra erat, admiſſi, & idcirco nobis à primo inſtanti conceptionis proprii, & intrinſeci moraliter; nam ſumus digni odio Dei, & pœna æterna, eò quòd noſtra gravi culpa, quamdiu ſcilicet non remittitur, habeamus propenſionem habitualem ad malum. Hinc ex Sancto Doctore concupiſcentia, quæ per ſe, & ratione ſui eſt duntaxat malum, languor, infirmitas, impulſio ad peccatum, eſt in nobis peccatum, quamdiu non remittitur nobis peccatum voluntate Adami à nobis commiſſum, quo ipſa procurata eſt, & quo moraliter conſtituitur in eſſe peccati; quia concupiſcentia ad vituperium, odium Dei, & pœnam æternam tamdiu nobis jure imputatur à Deo, quamdiu in nobis moraliter permanet gravis culpa, cujus eſt effectus. Sed hac gravi culpa per Baptiſmum condonata, concupiſcentia jam ſolam rationem mali,

languoris, & infirmitatis habet, non peccati, quamvis eadem omnino quoad ſubſtantiam remaneat; quia per condonationem illam ſublata eſt ejus imputabilitas ad vituperium, odium Dei, & pœnam æternam.

§. II.

Dico 2. Peccatum originale rectè conſtituitur in complexo ex peccato à nobis voluntate Adami, quæ fuit moraliter noſtra, commiſſo: & ex privatione juſtitiæ originalis.

Prob. Peccatum originale eſt id omne, quo primo inſtanti conceptionis intrinſecè & permanenter maculamur, nobisque ad vituperium, odium Dei, & ſupplicium æternum imputabile eſt. Atqui tale eſt complexum ex peccato à nobis voluntate Adami commiſſo: & ex privatione juſtitiæ originalis. Ergo ejusmodi complexum eſt peccatum originale.

Prob. 1. *pars minoris.* Nam cùm peccatum actuale ab Adamo, ùt capite generis humani commiſſum, fuerit moraliter peccatum actuale omnium ejus poſterorum, ab eo per generationem naturalem deſcenſurorum; quia voluntas Adami quoad præceptum de non comedendo fructu fuit moraliter eorum voluntas: certè ejus poſteri, ubi primùm exiſtunt, eo maculantur, & illud, utpote gravis offenſa Dei, ad vituperium, odium Dei, & ſupplicium æternum meritò imputatur, donec eis remittatur per Gratiam Sanctificantem.

Prob. 2. *pars minoris.* Nam privatio juſtitiæ originalis, cùm ſit privatio pulchritudinis debitæ in ſtatu elevationis, eſt macula intrinſeca, quæ proinde nos maculat: & hæc privatio eſt etiam imputabilis ad vituperium, odium Dei, & ſupplicium æternum; nam Deus meritò poteſt hominem vituperare, & odiſſe, ideoque etiam æterno ſupplicio mulctare, quòd graviſſimam deformitatem, & maculam gravi ſua culpa contraxerit, quamdiu culpa illa non remittitur.

Nota. In illo complexo ſeu toto, in quo conſiſtit peccatum originale, peccatum à nobis voluntate Adami commiſſum, nec condonatum, eſt conſtitutivum formale peccati originalis: privatio verò juſtitiæ originalis eſt ejusdem conſtitutivum materiale. Quia nempe peccatum à nobis voluntate Adami commiſſum eſt per ſe, & ratione ſui culpabile, & determinat aliud ad eſſe partiale peccati originalis: privatio verò juſtitiæ originalis eſt tantùm culpabilis, & imputabilis ratione talis peccati, & ab eo determinatur ad eſſe peccati originalis.

Obj. 1. Sanctus Auguſtinus conſtituit partialiter peccatum originale in concupiſcentia, ùt parte materiali: in concupiſcentia, inquam, ùt nobis à primo exiſtentiæ noſtræ inſtanti ad odium, & pœnam æternam imputabili, non per ſe, ſed per reatum ab ea diſtinctum, & ſeparabilem: nempe per reatum peccati Adami, quod moraliter noſtrum fuit, & eſt, donec condonetur.

Reſp. Propter auctoritatem S. Doctoris in complexo ſuo, in quo conſtituimus peccatum originale, addi poteſt concupiſcentia, ùt ad odium Dei & pœnam æternam imputabilis per reatum à ſe diſtinctum: nempe per culpam à nobis in Adamo commiſſam: quia nempe illa concupiſcentia eſt quædam deformitas, quæ eſt nobis culpabilis ratione peccati à nobis voluntate Adami commiſſi, & conſequenter nobis imputabilis ad odium & pœnam. Unde tunc peccatum originale tria complectetur, ſeu tria habebit conſtitutiva: ſcilicet peccatum à nobis voluntate Adami commiſſum, ùt conſtitutivum formale: privationem juſtitiæ originalis, & concupiſcentiam, ùt conſtitutiva materialia. Sed tunc dici debet, quòd per Baptiſmum tollatur tota culpabilitas, & imputabilitas concupiſcentiæ, ſicque poſt Baptiſmum concupiſcentia non habeat ampliùs veram, ac propriam peccati rationem.

Quamvis autem poſt Baptiſmum remaneat id, quod fuit pars materialis peccati originalis, tamen dici debet, quòd non remaneat pars materialis peccati originalis; quia concupiſcentia jam non manet in ratione partis materialis peccati originalis.

Nam

Nam concupiſcentia ideo ſolùm ante Baptiſmum erat pars materialis peccati originalis, quia culpabilis erat, & imputabilis ratione peccati Adami in nobis moraliter exiſtentis: unde remiſſo per Baptiſmum peccato Adami nobis moraliter intrinſeco, ac proprio, concupiſcentia deſinit eſſe culpabilis, & imputabilis, ideoque deſinit eſſe pars materialis peccati originalis. Enim verò cùm concupiſcentia per ſe, ac ratione ſui non ſit peccatum, nec habeat imputabilitatem, ſed ſolùm ratione peccati Adami in nobis moraliter exiſtentis, donec condonetur, eo condonato, concupiſcentia non habet rationem peccati, nec ullam imputabilitatem.

Obj. 2. Peccatum actuale à nobis in Adamo commiſſum non eſt nobis intrinſecum. Ergo in eo non conſiſtit partialiter peccatum originale.

Reſp. Diſting. anteced. Non eſt nobis intrinſecum phyſicè, *conc. anteced.* Moraliter, *nego antec. & conſeq.* Peccatum originale eſt nobis adæquatè intrinſecum, ſed partim phyſicè, partim moraliter tantùm. Nam peccatum à nobis voluntate Adæ commiſſum eſt nobis moraliter intrinſecum; nobis enim à primo inſtanti animationis ſecundùm moralem æſtimationem ineſt, donec remittatur: ac proinde, donec remittatur, nos conſtituit intrinſecè peccatores, dignos odio Dei, & ſupplicio æterno.

Obj. 3. Peccatum originale eſt ſingulis Adæ poſteris proprium. At peccatum in Adamo commiſſum, non eſt ſingulis proprium; nam eſt omnibus commune. Ergo.

Reſp. Nego min. Nam quamvis peccatum in Adamo commiſſum commune ſit omnibus Adæ poſteris; quia relatè ad præceptum de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali voluntas Adami fuit æqualiter voluntas omnium ejus poſterorum, via naturali ab eo deſcenſurorum, ideoque omnes æqualiter illud voluntate Adami violarunt: eſt tamen ſimul ſingulis proprium, quia unumquemque perinde maculat, & peccatorem conſtituit, ac ſi ab eo ſolo commiſſum fuiſſet. Unde tot remiſſionibus indiget, quot ſunt homines ab Adamo per generationem naturalem deſcendentes.

Aliæ objectiones, quæ fieri poſſunt, jam ſolutæ ſunt, cap. 2. art. 4. de peccato habituali.

ARTICULUS IV.

De pœnis peccati originalis in hac vita.

§. I.

HÆ luculenter enumerantur à Bellarmino, l. 6. de ſtatu peccati, c. 9. & ſequ. ſub nomine morborum, ſeu vulnerum. Quare juvat ejus doctrinam hìc tradere.

Dico 1. Decem ſunt mentis vulnera: 1. Ignorantia rerum neceſſariarum in infantibus tanta, quanta ne in beſtiis quidem cernitur. 2. Fatuitas, quacum naſcuntur aliqui. 3. Difficultas diſcendi. 4. Ignoratio finis ultimi, in cujus aſſecutione beatitudo hominis conſiſtit. 5. Ignorantia mediorum ad finem ultimum, hoc eſt, earum rerum, per quas ad bonam beatamque vitam pervenìri poteſt. 6. Difficultas intelligendi rerum naturas. 7. Ignoratio propriæ mentis. 8. Mens humana ab ipſo corpore, quod ei datum eſt pro inſtrumento ad ſcientias comparandas, impeditur, ne facilè, perfectéque intelligat. 9. Curioſitas quædam. Nam pauci ſunt, qui non libentiùs, ac diligentiùs aliena facta, ac præſertim errata inquirant, quàm ſua. 10. Multa inania, levia, inepta volvimus animo vel inviti, etiam alieniſſimo tempore.

§. II.

Dico. 2. Voluntatis vulnera ſunt octo. 1. Amor proprius, ſeu inordinatus ſui amor. Omnes enim, quæ ſua ſunt, quærunt, niſi per gratiam impediantur. 2. Difficultas ſuperandi vitia, & virtutes colendi. 3. Incredibilis quædam negligentia in iis, quæ ad beatè vivendum tum in hac vita, tum etiam poſt mortem pertinent. 4. Immoderata ſollicitudo in temporalibus lucris captandis. 5. Mira quædam perverſitas voluntatis humanæ, quæ ad verum Deum colendum tardiſſima,

sima, & ad falsos Deos colendos promptissima est. 6. Voluntatis inconstantia, & instabilitas. 7. Fastidium proprii status. 8. Nullus, nisi per Gratiam Sanctificantem renovetur, peccata omnia mortalia vitare potest, potentia ad actum reducenda: venialia verò omnia ne renovati quidem possunt sine singulari privilegio.

§. III.

Dico 3. Quinque sunt vulnera partis inferioris animæ. 1. Multi nascuntur cæci, aut surdi, aut claudi, aut alio modo in sensibus læsi. 2. Somniorum illusio, quæ ne partem quidem illam temporis nobis ad quietem à natura concessam, relinquit liberam. 3. Sensus interior sæpe mirum in modum intelligentiam impedit, & confundit, animo varia figmenta suggerendo, & à rerum cœlestium contemplatione ad suas nugas pene violenter avertendo. 4. Infirmitas in appetitu irascibili, qui plerumque imperium animæ sponte invadens, hominem in feram convertit. 5. Concupiscentia, quæ post amissam originalem justitiam soluta, pugnat contra spiritum: unde nascitur intestinum illud bellum usque ad mortem duraturum.

§. IV.

Dico 4. Corporales miseriæ in hac lacrymarum valle planè innumerabiles sunt. 1. Tot sunt morborum genera, ut nec libris Medicorum omnia comprehensa sint. 2. Curationum difficultas. 3. Cibi, & potus inopia, qua interdum homines ad rabiem adducuntur. 4. Labor tantus ad arcendam inopiam necessarius. 5. Vitæ brevitas. 6. Continuus mortis imminentis timor, & ipsa mors.

His omnibus **corporalibus** miseriis cumulum addunt miseriæ, quæ extrinsecùs accedunt: quarum *Prima*, & summa est, quòd homines post peccatum primi Parentis Deum iratum, & inimicum habent; nascimur enim filii iræ. Quid mirum igitur, si contra hominem armatur orbis terræ, cùm inimicus homini sit ipse Cœli, & Terræ Conditor? *Secunda*, quòd traditi sumus in potestatem Principis tenebrarum, *Tertia*, quòd homo homini hostis crudelissimus omni loco, & tempore insidietur. *Quarta*, quòd bruta animantia homini resistant, imò aliquando in Dominum suum invadant, nec nisi magna industria, & cura subjiciantur. *Quinta*, est calamitas, quæ à Cœlo, Terra, Marique non rarò accidit. *Sexta* demum consistit in casuum fortuitorum ærumna, quæ nulla ratione provideri potest. Vide ipsum Bellarminum.

ARTICULUS V.

De pœnis peccati originalis post mortem.

§. I.

Exponuntur variæ opiniones de ejusmodi pœnis.

POenas omnes, quæ propter peccatum originale à Deo infliguntur in altera vita, patiuntur infantes sine Baptismo morientes, non alias; cùm solùm peccati originalis reatum habeant. Unde pœnæ illæ ex eorum statu intelliguntur.

Circa statum autem infantium sine Baptismo morientium quinque sunt opiniones, quas refert Bellarminus, lib. 6. de statu peccati.

Prima Regnum Cœlorum illis promittit, contra illud Christi, Joan. c. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Ita sensit quidam Vincentius, quem refellit S. Augustinus, l. 1. de anima & ejus origine, cap. 9. & lib. 3. cap. 13. Hanc opinionem sequitur Zuinglius ùt probabilem de Infidelium liberis: & ùt certam de infantibus Fidelium: quod secundum tenent Calvinus, Bucerus, & multi alii Hæretici.

Secunda fuit Pelagianorum, qui parvulos non baptizatos excludebant à Regno Cœlorum, & Beatitudine Sanctis promissa: tamen eis concedebant vitam æternam, & natura-

turalem beatitudinem sine ulla molestia, & dolore extra Regnum Cœlorum, & procul à carcere damnatorum. Sic Pelagianos sensisse, scribit S. Augustinus de hæresibus, c. 88. ubi de illis ita loquitur: *Nam etiamsi non baptizentur* (infantes) *promittunt eis extra Regnum quidem Dei, sed tamen æternam, & beatam quandam vitam suam.* Per hanc æternam vitam intelligebant Pelagiani tantùm beatitudinem naturalem, *non* supernaturalem; nam infantibus illis non promittebant vitam æternam simpliciter: sed solùm *quandam suam vitam æternam.* Hanc tamen opinionem S. Augustinus Pelagianam hæresim vocat, l. 1. de anima, & ejus origine, c. 9.

Tertia sententia asserit, infantes sine Baptismo mortuos damnari apud inferos æterna morte: sed tamen sic puniri carentia visionis Dei, quæ dicitur pœna damni, ut nullum patiantur dolorem, neque internum neque externum. Ita S. Thomas, q. 5. de malo, art. 1. 2. & 3. ubi de illis infantibus ait: *Et ideo aliis videtur, & melius, quòd nullam afflictionem etiam interiorem sentiant. Et ideo se privari tali bono animæ puerorum non cognoscunt. Et propter hoc non dolent.*

Quarta docet, infantes sine Baptismo decedentes non solùm privandos beatitudine, sed etiam internum animi dolorem ex privatione beatitudinis passuros: immunes tamen fore à cruciatu ignis, & vermis: quæ dicitur pœna sensus. Ita Magister sententiarum, & alii pauci.

Quinta sententia docet, infantes propter peccatum originale utraque pœna: damni scilicet, & sensus, perpetuò cruciandos. Ita Gregorius Ariminensis, & alii.

§. II.

Dico 1. Peccatum originale punitur in altera vita privatione cujuscunque beatitudinis tum supernaturalis, tum naturalis. Sive (quod in idem recidit) infantes propter peccatum originale in perpetuum privabuntur beatitudine tum supernaturali, tum etiam naturali. Est de fide quoad beatitudinem supernaturalem: & ita constat de privatione beatitudinis naturalis, ut oppositum sit saltem erroneum.

Prob. 1. Ex Script. Ephes. c. 2. *Eramus natura filii iræ, sicut & cæteri.* Ergo infantes omnes, etiam Fidelium, ab origine sua sunt propter peccatum originale filii iræ, hoc est, obnoxii Dei odio, & vindictæ, quam evadere non possunt, nisi per hujus peccati remissionem. Sed qui sunt obnoxii pœnis, privantur omni beatitudine. Ergo. Item, Apoc. 20. *Qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Ergo infantes sine Baptismo mortui, qui proinde non sunt scripti in libro vitæ, detinentur in stagno ignis: & consequenter non sunt ullatenus beati.

2. Ex Concil. Carthagin. in Epist. apud S. Augustinum 90. dicente: *Quicunque negat, parvulos per Baptismum Christi à perditione liberari, & salutem percipere sempiternam: anathema sit.* Et præsertim ex Conc. Florentino, in definitione declarante: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Sed animæ, quæ sunt in perditione, & quæ in inferno puniuntur pœnis, carent sanè beatitudine non solùm supernaturali, sed etiam naturali; nam beatitudo generatim sumpta, & prout præscindit à supernaturali, & naturali, excludit omne malum.

3. Ex Sancto Augustino, l. 1. de anima, & ejus origine, c. 9. *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem, Regnumque Cœlorum quietis, vel felicitatis cujuslibet, atque ubilibet quasi medium locum; hoc enim eis hæresis Pelagiana promisit.* Vide alios Patres apud Bellarminum.

§. III.

Dico 2. Infantes sine Baptismo mortui passuri sunt internum animi dolorem propter privationem beatitudinis cœlestis, & quia intelligent se in tenebricoso inferni carcere in æternum futuros.

Prob. 1. Ex Script. Rom. c. 5. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem*

Certè

Certè condemnatio significat inflictionem pœnæ, quæ sine dolore esse non potest. Item, ex Apoc. c. 20. Qui non sunt scripti in libro vitæ, missi sunt in stagnum ignis. Nemo autem potest detineri in igne tartareo, quin inde dolorem saltem internum percipiat.

Prob. 2. Ex Patribus. S. Augustinus, lib. 1. de anima, & ejus orig. c. 9. citato, ubi docet, parvulos sine Baptismo decedentes nullum habere locum cujuslibet quietis. At si nullum dolorem, ne internum quidem paterentur, magna quiete in æternum fruerentur. Et lib. 6. contra Julian. c. 10 de parvulis illis hæc ait: *Si hoc eis non erit malum* (quòd in æternum excludantur à Regno cœlesti) *non ergo amabunt Regnum Dei tot innocentes imagines Dei? Si autem amabunt, & tantum amabunt, quantum innocentes amare debent Regnum ejus, à quo ad ipsius imaginem creantur, nihil ne mali de hac ipsa separatione patientur?* Infantes illos vocat innocentes: vel quia carent omni peccato personali: vel quia ex Juliani doctrina argumentatur.

Sanctus Fulgentius, l. de fide ad Petrum, cap. 3. dicit, infantes sine Baptismo mortuos interminabilia gehennæ sustinere supplicia, Et c. 27. ait: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non solùm homines jam ratione utentes, verùm etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt, & ibi moriuntur, sive jam de matribus nati sine Sacramento sancti Baptismatis... de hoc sæculo tranſeunt, ignis æterni sempiterno supplicio puniendos: quia etsi peccatum propriæ actionis nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione, & nativitate traxerunt.* At nemo supplicium sustinere potest, nisi dolorem patiatur.

Sanctus Gregorius Magnus, l. 9. moral. cap. 12. de parvulis illis hæc ait: *Perpetua quippe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt.* Sanctus Anselmus, lib. de conceptu Virginali, & peccato originali, cap. 22. ait: *In hoc similis est & personalis & originalis peccati damnatio, quia nullus admittitur ad Regnum Dei, ad quod factus est homo, nisi per mortem Christi, sine qua non redditur, quod pro Adæ peccato detur, quamvis non omnes pariter in inferno torqueri mereantur. Nam post diem judicii nullus erit Angelus, aut homo, nisi aut in Regno Dei, aut in inferno.* Ergo ob solum peccatum originale homines torquebuntur in inferno. Ergo aliquem saltem animi dolorem patientur.

Prob. 3. *Ratione.* Quia dolor internus per se, ac naturali ex sequitur ex beatitudinis privatione, & ex detentione perpetua in carcere infernali. Nec ulla solida ratio est asserendi, illum miraculosè impeditum iri in infantibus peccato originali inquinatis.

Obj. 1. Parvuli sine Baptismo decedentes non patientur pœnam sensus. Ergo nec dolorem internum.

Resp. Nego conseq. Disparitatis ratio est. Quia nulla post hanc vitam esse poterit sensus pœna, nisi à Deo directè infligatur. Non convenit autem justitiæ, & bonitati divinæ, ut directè infligatur pœna ei, qui non peccavit voluntate physicè propria, sed tantùm voluntate aliena, quæ independenter ab eo fuit ei moraliter propria, nec ullam habuit voluptatem, juxta illud, Apoc. 18. *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* At dolor animi ex beatitudinis privatione ortus, non propriè, ac directè infligitur, sed per se, & naturaliter ex ea sequitur.

Obj. 2. Parvuli post hanc vitam intelligent, justa Dei ordinatione se privari beatitudine cælesti. Ergo non dolebunt de ejus privatione: alioqui perversæ essent voluntatis: & de divinis judiciis obmurmurarent.

Resp. Nego conseq. & ejus *probationem.* Nam necesse non est, ut qui justum Dei judicium in sua afflictione cognoscunt, aut non doleant, aut de eo obmurmurent; potest enim fieri, ut verè patiantur, sed patienter, & sine querimonia. Enimverò num animæ in Purgatorio cognoscunt se justo Dei judicio pœnas acerbissimas, quas sentiunt, luere? Nec tamen inordinatè agunt patiendo dolorem ex retardatione beatitudinis, nec de Deo conqueruntur.

Obj.

Obj. 3. Infantium pœna post hanc vitam mitissima erit: ùt docet Sanctus Augustinus, Enchirid. c. 93. At dolor de amissa beatitudine gravissimus est. Ergo.

Resp. Pœna infantium erit mitissima, non absolutè, & secundùm se: sed comparatè ad pœnam adultorum, qui peccato originali peccata personalia addiderunt. Pœna autem infantium comparatè ad pœnam adultorum reproborum mitissima erit triplici de causa. 1. Quia adulti reprobi punientur pœna tum damni, tum sensûs: infantes pœna solius damni. 2. Adulti pœnæ damni annexum habebunt vermem conscientiæ, quo parvuli carebunt. 3. Adulti dolorem ex jactura beatitudinis gravissimum percipient: infantes verò levissimum. Tantò enim dolor de re amissa gravior est, aut levior, quantò quis majorem, aut minorem ad eam rem consequendam dispositionem, seu potestatem habuit. Nulli autem damnatorum minorem potestatem ad cœlestem beatitudinem habuerunt, quàm ii, qui ante usum rationis de vita migrarunt. Ita Bellarminus.

Obj. 4. Sanctus Augustinus, lib. 3. de libero arbitrio, c. 23. ait: *Non enim metuendum est, ne vita esse potuerit media quædam inter rectè factum, & peccatum, & sententia Judicis media esse non possit inter præmium, atque supplicium.*

Resp. S. Doctor ibi solùm vult, possibilem esse hypothesim, in qua parvuli, antequam mererì, & demereri possint, ex hac vita decedentes nec præmio, nec supplicio afficiantur. Tunc autem de pœnis infantium tractare noluit; quia hoc necessarium non erat ad refellendum errorem Manichæorum de duarum naturarum permixtione, ùt ipsemet testatur, l. de dono persever. cap. 12. his verbis: *Cùm verò rectiùs possit intelligi, non me propterea de hac re dubitasse credi oportere, quia contra quos mea dirigebatur intentio, sic mihi visi sunt refellendi, ut sive pœna esset peccati originalis in parvulis, quod veritas habet: sive non esset, quod errantes nonnulli opinantur: nullo modo tamen, quam Manichæorum error inducit, duarum naturarum, boni scilicet & mali, permixtio crederetur.*

§. IV.

Dico 3. Infantes sine Baptismo decedentes immunes sunt pœna sensus, seu cruciatu ignis sensibilis. Ita Theologi communiter à sæculo XIII.

Prob. 1. Ex SS. Patribus, & Doctoribus. S. Gregorius Nazianz. orat. 40. de infantibus sine Baptismo decedentibus ait: *Futurum existimo, ut postremi nec cœlesti gloria, nec suppliciis à justo Judice afficiantur: utpote licet Baptismo consignati non fuerint, improbitate tamen* (personali) *carent* Ibi tamen non negat, eos plecti pœna damni: sed potiùs id agnoscit, cùm ait, eos cœlesti gloria privari: quam privationem per se, & naturaliter sequitur dolor animi.

S. Gregorius Nyssenus, orat. de iis, qui præmaturè abripiuntur, in fine ait: *Immatura mors infantium neque in doloribus, ac mœstitia esse eum, qui sic vivere desiit, intelligendum esse nobis suggerit.* Ibi non excludit mœstitiam, ac dolorem internum, qui per se, & naturaliter ex beatitudinis privatione sequitur: sed dolores inflictos à Deo per cruciatum ignis, & mœstitiam inde ortam.

S. Thom. qu. 5. de malo, art. 2. *Dicendum, quòd, sicut communiter dicitur, peccato originali non debetur pœna sensus, sed solùm pœna damni, scilicet carentia visionis beatificæ.*

S. Bonaventura, in 2. dist. 33. art. 3. q. 1. ubi expositâ oppositâ sententia, quam paucorum esse dicit, sic ait: *Sed cùm valde durum illud dicere videatur, quòd Deus tam durè, & tam asperè agat cum parvulis sic decedentibus, qui omnino non potuerunt vitare nec mortem culpæ, nec mortem naturæ: præsertim cùm videamus Deum cum impiissimis, & sceleratissimis peccatoribus in multis misericorditer agere: ideo est alia positio mitior, quæ magis concordat pietati fidei, & judicio rationis, quòd, quia parvuli decedentes cum originali, carent justitia, & Spiritus Sancti gratia, quæ est pignus hæreditatis æternæ, privantur in æternum Dei visione; quia verè*

verò in carne fuit fœditas, ideo ponentur in loco vili, utpote infernali: sed quia non habuerunt in se actualem delectationem peccati nec in spiritu, nec in carne, ideo non sentiunt pœnæ ignis acerbitatem. Hunc modum dicendi magis approbant Magistri communiter.

2. Ex cap. *Majores.* de Baptismo, ubi Innocentius Pontifex doctissimus sic ait: *Pœna originalis peccati est carentia visionis Dei: actualis verò peccati est gehennæ perpetuæ cruciatus*, supple: insuper. Ubi discrimen statuit inter species pœnarum peccati originalis & actualis, seu personalis: & dicit, pœnam peccati originalis esse carentiam visionis Dei, & consequenter dolorem, qui per se ex ea naturaliter sequitur: pœnam verò peccati personalis esse insuper cruciatum ignis.

3. Ex Concil. Florentino in litteris unionis definiente: *Illorum animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Dicendo pœnas *dispares*, non autem *inæquales*, satis significat, utriusque peccati pœnas esse specie, & non tantùm intensione diversas.

4. Ex Isai. c. ult. & Marc. 9. conjungitur ignis cum verme: *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* At infantes nullam patientur pœnam ex morsu vermis, hoc est, ex conscientia mali operis animam pungente, atque affligente. Igitur infantes nullam etiam passuri sunt ignis materialis pœnam.

Obj. 1. Matth. c. 3. de Christo dicitur: *Permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* At parvuli sine Baptismo morientes, non sunt triticum in horreum inferendum. Ergo sunt Paleæ ignis æterni pabulum futuræ.

Resp. Cum Bellarmino, hic textus non spectat infantes non baptizatos; quia nomine areæ intelligitur Ecclesia Catholica, in qua sunt boni malis admixti, ùt grana paleis: & in qua nunquam fuerunt infantes non baptizati.

Obj. 2. Illud, Matth. c. 13. *Sic erit in consummatione sæculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus, & stridor dentium.*

Resp. Hic locus non spectat infantes sine Baptismo mortuos. Sed ibi Scriptura loquitur de judicio extremo, prout spectabit eos, qui fuerint in Ecclesia. Nam verba citata, sunt conclusio parabolæ sagenæ missæ in mare, bonos & malos pisces congregantis: quæ sagena non mundum universum, sed Ecclesiam solùm significat, in qua sunt boni & mali, & in qua nusquam fuerunt infantes sine Baptismo mortui.

Obj. 3. Illud, Matth. c. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum..... Ibunt hi in supplicium æternum.* Et, Apoc. 20. *Qui non inventus est in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.*

Resp. Infantes Baptismo carentes mittendi sunt in stagnum ignis, in ignem æternum, non ut comburantur, sicut adulti reprobi, sed ut captivi detineantur in æternum.

Obj. 4. Multos Patres.

Resp. Generatim: Illi sumunt nomen supplicii, gehennæ, cruciatus pro generali aliqua pœna: sive sit pœna damni, sive pœna sensus, sive utraque, ita ut ponatur species pro genere. Ita respondet S. Thomas, qu. 5. de malo, a. 2. ad 1. his verbis: *Dicendum, quòd nomen tormenti, supplicii, gehennæ, & cruciatus, vel si quid simile in dictis Sanctorum inveniatur, est largè accipiendum pro pœna, ut ponatur species pro genere. Ideo autem Sancti tali modo loquendi usi sunt, ut detestabilem redderent errorem Pelagianorum, qui asserebant, in parvulis nullum peccatum esse, nec eis aliquam pœnam deberi.*

Obj. 5. S. Augustinus, & alii Patres asserunt, infantes sine Baptismo mortuos igne æterno cruciandos.

Resp. Illi revera igne æterno cruciabuntur per detentionem, non per ustionem. Nam id unum tanquam certum S. Augustinus, & multi alii Patres docent: nempe infantes sine Baptismo mortuos, captivos detinendos esse in eo loco, ubi est ignis æternus

nus cum dæmonibus, & dolorem, qui per ſe, & naturaliter ex ea detentione ſequitur, percepturos. Quæ autem, qualis & quanta pœna illorum futura ſit, definire ſe non poſſe, clarè profitetur S. Auguſtinus, lib. 5. contra Julian. cap. 11.

Inſt. S. Auguſtinus, ſerm. 14. de verbis Apoſtoli ſic ait: *Nullus relictus eſt medius locus, ubi ponere queas infantes. De vivis, & mortuis judicabitur: alii erunt ad dexteram, alii ad ſiniſtram, non novi aliud..... Si ergo dextera erit & ſiniſtra, & nullum medium locum in Evangelio novimus, ecce in dextera Regnum Cœlorum eſt. Percipite, inquit, Regnum. Qui ibi non eſt, in ſiniſtra eſt. Quid erit in ſiniſtra? Ite in ignem æternum. In dextera, ad Regnum utique æternum: In ſiniſtra, in ignem æternum. Qui non in dextera, procul dubio in ſiniſtra. Ergo qui non in Regno, procul dubio in igne æterno. Certè habere non poteſt vitam æternam, qui non baptizatur: non erit in dextera, id eſt, in Regno non erit.... Extrema autem ſententia, ut doceret, quid ſit Regnum, & quid ſit ignis æternus, tunc, inquit, abibunt iſti in combuſtionem æternam, juſti autem in vitam æternam. Ecce, expoſuit tibi, quid ſit Regnum, & quid ignis æternus, ut quando confiteris, parvulum non futurum in Regno, fatearis futurum in igne æterno.* Ergo ex S. Auguſtino infantes ſine Baptiſmo mortui ibunt in combuſtionem æternam.

Reſp. Ibi quidem id docere videtur: ſed non tradit ùt certum. Hoc unum docet ùt certum: nempe eos futuros in igne æterno, & inde aliquem dolorem paſſuros, ſive per detentionem tantùm, ſive etiam per combuſtionem. Nam, lib. 5. contra Julianum, c. 11. ſic ait: *Ego autem non dico, parvulos ſine Chriſti Baptiſmate morientes, tanta pœna eſſe plectendos, ut eis non naſci potiùs expediret .... Quis dubitaverit, parvulos non baptizatos, qui ſolùm habent originale peccatum, nec ullis propriis aggravantur, in damnatione omnium leviſſima futuros? Qua qualis, & quanta erit, quamvis definire non poſſim, non tamen audeo dicere, quòd eis, ut nulli eſſent, quàm ut ibi eſſent, potiùs expediret.* Certè ſi S. Doctor ùt certum exiſtimaſſet, infantes illos combuſtione æterna cruciandos, facillimè definire potuiſſet, quæ & qualis eſſet illorum damnatio: & debuiſſet ùt certum aſſerere, eis non naſci potiùs expedire, cùm per ſe evidens ſit, potiùs expedire non eſſe, quàm in æternum ignis tartarei combuſtione cruciari.

Porro S. Bonaventura, in 2. diſt. 33. a. 3. q. 1. ſic reſpondet: *Dicendum, quod Auguſtinus in verbis illis non intendit dicere, quòd parvuli ſenſibiliter crucientur: ſed intendit eorum pœnam manifeſtare, quantùm ad carentiam viſionis Dei, & quantùm etiam ad vilitatem loci. Et hoc valde abundanter exprimit, plus dicens, & minus volens intelligi. Nec ſine cauſa loquitur ſic: hoc enim facit ad extirpandam illam hæreſim, quæ dicebat, parvulos nulla pœna puniri. Unde ſicut in moribus documentum eſt, quòd qui vult ab uno extremorum pervenire ad medium, quaſi debet declinare ad aliud extremum: ſic etiam B. Auguſtinus, ut illam hæreſim extirparet, quæ dicebat parvulos ab omni pœna immunes, & ad medium reduceret, videlicet ad pœnam carentiæ viſionis Dei, ſimpliciter aſſeruit, eos cum aliis peccatoribus æternaliter damnari. Iſtum autem ſuum intellectum explanavit in Enchiridio, ubi dixit, pœnam eorum eſſe mitiſſimam.*

Obj. 6. S. Fulgentius, lib. de fide ad Petrum, c. 27 ait: *Firmiſſimè tene, parvulos, qui moriuntur ſine Sacramento ſancti Baptiſmatis, ignis æterni ſempiterno ſupplicio cruciandos.* Item quindecim Epiſcopi Africani, in Sardinia exules, & quorum unus erat ipſe Fulgentius, in lib. de Incarnatione, & Gratia apud eundem Fulgentium, c. 3. aſſerunt, parvulos *ſine Baptiſmate mortuos æternis cruciatibus damnari, eosque interminabili deputatos incendio.* S. Gregorius, lib. 9. moral. c. 12. ait: *Perpetua quippe tormenta percipiunt, qui nihil ex propria voluntate peccaverunt.* S. Iſidorus Hiſpalenſis de illis dicit: *Et pari judicio damnabuntur in ignem æternum.* S. Anſelmus aſſerit, eos fore in inferno.

Resp. Illi Patres solùm intendunt, infantes sine Baptismo mortuos igne æterno cruciatum iri sive per detentionem, sive etiam per combustionem: quod non definiunt. Nec obstat, quòd S. Gregorius dicat in plurali tormenta; nam revera tormenta passuri sunt tum ex privatione cœlestis beatitudinis, tum ex sua in igne æterno detentione cum dæmonibus, & aliis reprobis.

Obj. 7. Pelagiani docebant, infantes sine Baptismo mortuos excludi à Regno Cœlesti: & per vitam æternam, quam eis tribuebant, intelligebant solam immunitatem ab omni pœna sensibili. Ergo nostra doctrina est Pelagiana.

Resp. Nego 2. part. anteced. Nam Pelagiani per vitam illam æternam, quam infantibus illis tribuebant, intelligebant naturalem quandam beatitudinem: quæ sanè non potest consistere in sola immunitate ab omni pœna sensibili, nec stare cum interno animi dolore orto ex privatione beatitudinis cœlestis, & ex detentione in tenebricoso inferni carcere, quo dolore dicimus eos in æternum cruciatum iri in vindictam originalis peccati.

Obj. 8. Infantes sine Baptismo mortui habebunt corpora passibilia, non glorioſa. Ergo in inferno ignis actionem patientur.

Resp. Nego conseq. Quia licèt damnatorum omnium corpora futura sint passibilia, tamen non patientur, nisi secundùm ordinationem divinæ justitiæ, & supernaturaliter. Nam cùm post judicium extremum cessabit ortus, & interitus rerum naturalium, tollitur à corporibus naturalibus vis agendi in alia corpora: unde si agent, agent tantùm ùt divinæ justitiæ instrumenta. Quare cùm divinæ justitiæ ratio non exigat, ut infantium corpora ignem patiantur, immunia erunt à cruciatu ignis, quamvis alioqui non glorioſa, sed cæterorum damnatorum corporibus similia futura sunt. Ita Bellarminus.

Dices. S. Augustinus, Epist. 146. de damnatis loquens ait: *Isti verò perpetua corruptione cruciabuntur; quia ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur.*

Resp. Ibi S. Doctor loquitur de corporibus damnatorum, qui supplicio ignis, & vermis cruciabuntur. Unde his verbis non intendit comprehendere parvulos, quos constat, fore vermis cruciatu immunes; nam vermis hic nil aliud est, quàm conscientia mali operis à se voluntate physicè propria patrati, animum pungens, & affligens: quam habere non possunt infantes solius originalis peccati rei.

Obj. 9. Infantes in hac vita puniuntur pœna sensus propter originalem culpam; nam ideo sunt obnoxii fami, siti, morbis, aliisque miseriis. Ergo etiam in altera vita sic punientur.

Resp. Nego conseq. Quia quamvis in tempore multis pœnis sensibilibus justè puniantur, tamen divinam bonitatem, æquitatem, ac benignitatem non decet, eos in æternum punire cruciatibus à Deo ipso directè inflictis. Ita respondet S. Bonaventura, quæst. citata his verbis: *Ad illud, quòd parvuli multas pœnalitates sustinent in hac vita, dicendum, quòd etsi temporaliter puniri pro peccato originali sit justum, non tamen sequitur, quòd æternaliter.* Adde, quòd dolor, quem ex detentione in igneo, & tenebricoso inferni carcere patientur, sit æquivalenter quædam pœna sensus.

Obj. 10. Infantes baptizati fruuntur non solùm possessione Dei, sed etiam bonis corporis, quæ Beatorum dotes vocantur. Ergo à contrario infantes non baptizati non solùm privatione Dei, sed etiam pœnis sensibilibus corporis cruciabuntur.

Resp. Nego conseq. Disparitas est. Quia infans per Gratiam Sanctificantem in Baptismo acceptam constituitur Filius Dei adoptivus, hæres Regni cœlestis, & cohæres Christi: unde jus habet non solùm ad possessionem fruitivam Dei, sed etiam ad dotes omnes corporum Beatorum, quæ connaturaliter illis debentur. At infans non baptizatus, propter peccatum originale sufficienter punitur privatione possessionis Dei, & detentione in igne tartareo, nec insuper ei debetur cruciatus sensibilis ignis æterni.

Dices.

Dices. S. Augustinus, lib. 6. contra Julian. c. 10. ait: *Vide ergo, quàm importunè nolis, parvulum de alieno peccato reportare malum, & velis, eum de alieno rectè facto reportare bonum, non qualecunque, sed Dei Regnum. Alienum quippe opus est, cùm credit per alterum, sicut alienum opus fuit, cùm peccavit in altero.*

Resp. Quamvis infans non baptizatus sensibili ignis pœna immunis sit, tamen ab alieno physicè opere magnum malum reportat, quippe qui pœna damni, & detentione in tenebricoso inferni carcere, & animi dolore, utramque pœnam per se consequente, punitur.

APPENDIX.

De Facto Zosimi.

Utrùm Zosimus Papa approbaverit hæresim Pelagii, & Cœlestii de non existentia peccati originalis?

Dico. Zosimus Cœlestii, & Pelagii errores nunquam approbavit.

Prob. 1. Nam Zosimus existimavit tantùm, Cœlestium Catholicam mentem gerere, eò quòd ipse Innocentii Decretis assentiri se professus fuisset, & suam sententiam Sedis Apostolicæ judicio corrigendam subjecisset his verbis: *Non ego quasi author alicujus dogmatis, definita hac auctoritate statui: sed ea, quæ de Prophetarum, & Apostolorum fonte suscepi, vestri Apostolatus offerimus probanda judicio: ut si fortè, ùt hominibus, quispiam ignorantiæ error obrepserit, vestra sententia corrigatur.*

Pelagium quoque Zosimus Catholicum reddidum putavit; quia in litteris ejus ad Innocentium scriptis, & libello fidei ab ipso edito suam summo Pontifici subjectionem profitebatur his verbis: *In qua* (fidei professione) *si minus peritè, & parum cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem, & Sedem tenes.*

Imò Zosimus Pelagium, & Cœlestium non restituit Communioni Ecclesiæ, nec à nota hæreseos absolvit, causæ judicium differendum ratus, donec Episcoporum Africanorum rescriptis de totius causæ statu certior fieret: ùt constat ex S. Augustino, & ex ipsius Zosimi ad Episcopos Africanos litteris, quibus solùm significat, eorum de Cœlestio, & Pelagio judicium præceps nimium fuisse, & invehitur in Herodem, & Lazarum accusatores. Unde sequitur tantùm, Zosimum Cœlestii, & Pelagii fraudibus, ac mendaciis delusum errasse aliquamdiu in facto merè personali, in quo ipsa Concilia Generalia errare possunt: nempe in facto, ubi agitur de sensu interno, & personali Authorum, non de eorum textu.

Prob. 2. Ex S Augustino, lib. contra duas Epist. Pelagianorum, c. 3. ubi ait: *Pelagiani spe falsa putaverunt, novum, & execrabile dogma Pelagianum, vel Cœlestianum persuaderi quorumdam Romanorum Catholicis mentibus posse: quando illa ingenia, quamvis nefando errore perversa, non tamen contemptibilia, cùm studiosè corrigenda potiùs, quàm facilè damnanda viderentur, aliquantò leniùs, quàm severior postulabat Ecclesiæ disciplina, tractata sunt. Toz enim, & tantis inter Apostolicam Sedem, & alios Episcopos currentibus, & recurrentibus scriptis Ecclesiasticis, etiam gestis de hac causa apud illam Sedem Cœlestino præsente, & respondente confectis: quænam tandem epistola venerandæ memoriæ Papæ Zosimi, quæ interlocutio reperitur, ubi præceperit credi oportere, sine ullo vitio peccati originalis hominem nasci? Nusquam prorsus hoc dixit, nusquam omnino conscripsit. Sed cùm hoc Cœlestius in suo libello posuisset, inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare, & instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenii, qui profectò, si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est.* Et infrà: *Nunc verò cùm primitus Beatissimi Papæ Innocentii litteræ Episcoporum respondentis Afrorum, pariter hunc errorem, quem conantur isti persuadere, damnaverint: Successor quoque ejus Sanctus Papa Zosimus hoc tenendum esse, quod isti de parvulis sentiunt, nunquam dixerit, nunquam*

scripserit : insuper etiam Cœlestium se purgare molientem ad consentiendum suprad.ctis Sedis Apostolicæ litteris crebra interlocutione constrinxerit : profectò quidquid interea leniùs actum est cum Cœlestio, servata duntaxat antiquissima, & robustissima fidei firmitate, correctionis fuit clementissima suasio, non approbatio exitiosissima pravitatis. Et quod ab eodem Sacerdote postea Cœlestius, & Pelagius repetita auctoritate damnati sunt, paululùm intermissa, jam necessariò proferenda ratio severitatis fuit, non prævaricatio priùs cognitæ, vel nova cognitio veritatis.

Prob. 3. Ex Mario Mercatore commonitorii, cap. 1. ubi testatur, Cœlestium epistolam humanitatis plenam à Zosimo ad Africanos Episcopos scriptam meruisse, eò quòd professus fuerit, se condemnare ea, de quibus fuerat Carthagine accusatus. Idem testatur etiam Facundus Hermianensis, l. 9. cap. 3. infrà citando.

Obj. 1. Zosimus libellum Cœlestii, quo negabatur peccatum originale, pronuntiavit Catholicum : ùt scribit S. Augustin. lib. 2. contra duas epist. Pelagian. c. 3. ubi ait : *Et propterea libellus ejus Catholicus dictus est.* Ergo Zosimus approbavit hæresim Cœlestii.

Resp. Disting. anteced. Zosimus fidei libellum à Cœlestio oblatum pronunciavit Catholicum, secundùm maximam sui partem Symboli articulos continentem, & secundùm declarationem subjectionis animi judicio Sedis Apostolicæ, *conc. ant.* Pronuntiavit Catholicum, secundùm omnes propositiones in eo contentas, *nego ant.* Cœlestii libellus dictus est Catholicus : non ratione omnium propositionum, & dogmatum, quæ in illo continebantur : sed ratione articulorum Symboli in eo expositorum : & ratione animi, & affectus, quem in illo præseferebat Cœlestius, asserendo, se doctrinam, ac sententiam suam Sedis Apostolicæ judicio corrigendam subjicere, & Innocentii Decretis adhærere : ùt explicat S. Augustinus loco citato : nempe, lib. 2. contra duas epist Pelagian. c. 3. his verbis : *Cùm hoc Cœlestius in suo libello posuisset, inter illa duntaxat, de quibus se adhuc dubitare, & instrui velle confessus est, in homine acerrimi ingenii, qui profectò, si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est. Et propterea libellus ejus Catholicus dictus est ; quia & hoc Catholicæ mentis est, si qua fortè aliter sapit, quàm veritas exigit, non ea certissimè definire, sed detecta, ac demonstrata respuere. Non enim Hæreticis, sed Catholicis Apostolus loquebatur, ubi ait : quotquot ergo perfecti hoc sapiamus, ut si quid aliter sapitis, id quoque Deus vobis revelavit. Hoc in illo factum esse putabatur, quando se litteris beatæ memoriæ Innocentii, quibus de hac re dubitatio tota sublata est, consentire respondit. Et hoc, ut pleniùs, & manifestiùs in illo fieret, expectabatur venturis ex Africa litteris.* Et infrà : *Dictum erat, eum libellum esse Catholicum, propter illud, quòd se Papæ Innocentii litteris consentire ipse responderet.*

Dices 1. Ille libellus exprimebat errorem negantem peccatum originale. Ergo.

Resp. Disting. anteced. Exprimebat errorem per modum dubii : de quo Sedem Apostolicam consuleret Cœlestius asserens, se velle instrui, & emendari, seque adhærere Decretis Innocentii, *conc. ant.* Per modum doctrinæ, cui adhæreret, *nego anteced.* Hujus solutionis veritas patet ex S. Augustino, loco citato,

Dices 2. Zosimus approbavit libellum Cœlestii etiam quoad dogma negans peccatum originale.

Resp. Hoc falsum esse constat 1. Ex dictis. 2. Quia Zosimus semper peccatum originale credidit, & professus est. 3. Voluit, ut Cœlestius Innocentii Decretis de peccato originali consentiret : nec Cœlestium judicavit Catholicum, nisi quia eis se assentiri, & sententias suas subjicere Sedis Apostolicæ judicio professus est. 4. Ubi primùm Cœlestii fraudes, mendacia, & sensum cognovit, eum ùt Hæreticum damnavit. Imò Zosimus non eò usque à Pelagio, & Cœlestio deceptus est, ut ipsos in Communionem receperit, multò minùs eorum hæresim approbaverit : ùt testatur S. Augustinus, lib. 2. de

Grat.

Grat. & peccato originali, cap. 7. ubi ait: *Hanc ejus* (Cœlestii) *prælocutionem venerabilis Papa Zosimus tenens, egit cum homine, quem falsæ doctrinæ ventus inflaverat, ut ea, quæ illi à Diacono Paulino fuerant objecta, damnaret: atque ut Sedis Apostolicæ litteris, quæ à sanctæ memoriæ suo Prædecessore manaverant, præberet assensum. At ille noluit quidem Diaconi objecta damnare: sed Beati Papæ Innocentii litteris non est ausus obsistere: imò se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit. Atque ita velut Phreneticus, ut requiesceret, tanquam leniter fotus, à vinculis tamen excommunicationis nondum est creditus esse solvendus, &c.*

Dices 3. Zosimus sciebat, Pelagium, & Cœlestium jam damnatos fuisse ab Innocentio. Ergo non debuit eos audire.

Resp. Ideo eos benignè excepit, quia asserebant, se litteris Innocentii consentire: & Innocentius jusserat, utrumque Ecclesiæ restitui, si errorem suum deponeret.

Obj. 2. Zosimus ùt Catholicum approbavit fidei libellum à Pelagio Innocentio oblatum. Ergo hæresim Pelagianam approbavit.

Resp. Nego conseq. Nam libellus ille Pelagii in sensu obvio, & litterali Catholicus est: quamvis ipse multa in alieno, & pravo sensu intelligeret: hunc que libellum animo Catholico à se conscriptum fuisse, declarabat Pelagius hac clausula: *In qua* (fidei professione) *si minus peritè, aut parùm cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri & fidem, & Sedem tenes.*

Obj. 3. Facundus Hermianensis, lib. 7. c. 3. ait: *Invenient Beatum Zosimum Apostolicæ Sedis Antistitem, contra sancti Innocentii Decessoris sententiam, qui primus Pelagianam hæresim condemnavit, Fidem ipsius Pelagii, ejusque complicis Cœlestii, tanquam veram, & Catholicam laudantem.*

Resp. Facundus solùm vult, Zosimum ex errore facti, non juris, existimasse, Pelagium, & Cœlestium tenere in mente fidem Catholicam, eò quòd affirmarent se in omnibus doctrinam suam judicio Sedis Apostolicæ subjicere, & damnare, quid quid illa damnaret. Nam ipse Facundus ibidem asserit, Zosimum hæresim non approbasse: quamvis Pelagii, & Cœlestii fidem, non intellecta eorum versutia, existimarit Catholicam. Nam loco objecto Facundus ait: *Neque Palæstinos Episcopos, neque Zosimum Hæreticos ab Ecclesia credi; quia de Hæreticis bene senserunt: sed potiùs pro merito suæ fidei Catholicos judicari, & honorari; quoniam non debet crimini deputari simplicium, non intellecta versutia malignorum.*

Errores præcipui.	*Pagina.*	*Columna.*	*Linea.*	*Lege.*
Catholicum	11	1	42	catholicam
ſanctitatis	31	2	36	*ſanitatis*
&	41	2	25	ùt
habet	64	2	15	habeat
quia	78	1	7	qua
ſufficienter,	115	1	43	ſufficienter apparet,
ſed ſuper omnia	131	2	20	ſed non ſuper omnia
injuſtificationis	142	2	40	juſtificationis
die	159	2	28	*in die*
illam	ibid.	2	43	illa
opere	198	2	10	alio opere
ſublata	206	2	9	ſub lata
prohibitionis	214	2	22	aut prohibitionis
privatæ,	215	1	5	privativæ,
cientia	ibid.	1	22	ſententia
ideo	221	2	35	ideoque
tuam	229	2	13	ſuam
damnationis	241	2	40	damnationi
ſunt	245	2	33	immunes ſunt

TRACTATUS THEOLOGICUS DE ANGELIS, ACTIBUS HUMANIS, ET CONSCIENTIA.

AUTHORE

R.P. PAULO GABRIELE ANTOINE
Societatis JESU Presbytero,
Sacræ Theologiæ Doctore, & Professore.

Accessit

TRACTATUS DE BEATITUDINE.

CASSOVIÆ,
Typis Academicis Societatis JESU, Anno 1756.

INDEX
TRACTATUS
DE
ANGELIS.

CAPUT I

De Existentia, Essentia, Numero, & Distinctione Angelorum. pagina 1.

ART. I. *Utrùm existant Angeli, & à quo, ubi, quando creati sunt?* ibid.
ART. II. *Utrùm Angeli sint incorporei?* 2.
ART. III. *Utrùm Angeli sint superiores hominibus?* 5.
ART. IV. *De Numero, Distinctione, & Ordinibus Angelorum.* ibid.

CAPUT II.

De Angelorum Cognitione, Locutione, Loco, Motu, & Virtute agendi 6.
ART. I. *De Angelorum Cognitione.* ibid.
ART. II. *De Locutione Angelorum* 7.
ART. III. *De Angelorum Loco, Motu, & Virtute agendi.* ibid.

CAPUT III.

De Angelorum Gratia, Gloria, & Officiis erga homines. 8.
ART. I. *Utrùm Angeli Prædestinati acceperint Gratiam, & Gloriam in sui creatione?* ibid.
ART. II. *De Custodia Angelorum.* 9.

CAPUT IV.

De Angelorum malorum peccato, & pœnis. 11.
ART. I. *Utrùm Angeli peccaverint, & quis primus ex illis peccaverit?* ibid.
ART. II. *Quodnam fuerit primum peccatum Angelorum reproborum?* 12.
ART. III. *De pœnis malorum Angelorum.* 13.
Quæres, quomodo dæmones igne corporeo crucientur? 14.

TRACTATUS
De Actibus Humanis.

CAPUT I.

De Voluntario, & Involuntario. 15.
ART. I. *Quid sit voluntarium, & quotuplex?* ibid.
ART. II. *Quid, & quotuplex sit involuntarium?* 17.
ART. III. *Utrùm ea, quæ fiunt ex metu, sint voluntaria?* ibid.
ART. IV. *Utrùm ea, quæ fiunt ex concupiscentia, sint voluntaria.* 18.
ART. V. *De ignorantia, & ejus pec.catis.* ibid.

)(Quæst.

Quæst. I. *Quid est ignorantia, & quotuplex?* ibid.
Quæst. II. *An ignorantia vincibilis est secundùm se peccatum?* 19
Quæst. III. *An quæ fiunt contra Legem ex ignorantia vincibili, sunt peccata imputabilia?* 20.
Quæst. IV. *Quænam ignorantia minuit, vel auget peccatum?* 21.
Quæst. V. *An ignorantia invincibilis cujusvis Legis etiam naturalis excusat à peccato formali, seu imputabili?* 22.
Quæst. VI. *An datur ignorantia invincibilis juris naturalis?* 23.
Quæst. VII. *Quid dicendum de inadvertentia, inconsideratione, & oblivione?* 24.

CAPUT II.

De Libero, seu de Libertate. ibid.

ART. I. *In quo consistat essentia Liberi Arbitrii, seu libertas strictè sumpta?* ibid.
Quæres, utrùm potentia peccandi sit de ratione liberi arbitrii? 31.
ART. II. *Utrùm ad merendum, & demerendum in præsenti statu requiratur libertas ab omni necessitate simplici?* 32.
ART. III. *Utrùm homo in statu naturæ lapsæ habeat libertatem ab omni necessitate simplici intrinseca?* 35.
ART. IV. *Exponitur mens & doctrina S. Augustini circa liberum arbitrium in statu naturæ lapsæ.* 39.
ART. V. *De subjecto, objecto, & exercitio libertatis.* 49.
Quæres I. *Quodnam sit subjectum libertatis?* ibid.
Quæres II. *Quodnam sit objectum libertatis, sive quodnam sit illud, circa quod voluntas versari potest per suam electionem, illud volendo, vel respuendo?* 50.
Quæres III. *Utrùm possit dari omissio pura libera?* ibid.

CAPUT III.

De *Bonitate & Malitia Actuum Humanorum.* ibid.

ART. I. *Quid requiratur, ut actus sit bonus?* ibid.
ART. II. *Utrùm actus internus sumat bonitatem à fine extrinseco & circumstantiis?* 53.
ART. III. *Unde actus internus sumat malitiam: & quid ad hoc requiratur* 54.
ART. IV. *Utrùm idem actus voluntatis possit esse simul bonus & malus?* 56.
Quæres, in quo consistat malitia materialis: an scilicet in positivo, an in negativo, seu privatione rectitudinis debitæ. ibid.
ART. V. *Utrùm dentur actus indifferentes in individuo: hoc est, qui neque boni, neque mali sint spectatis omnibus circumstantiis, & præsertim fine?* ibid.
ART. VI. *Utrùm actus externi habeant bonitatem, vel malitiam objectivam?* 62.
ART. VII. *Utrùm actus externus augeat bonitatem, vel malitiam formalem actus interni?* ibid.

TRA-

TRACTATUS

De Conſcientia.

CAPUT I.

De Conſcientia vera ſeu recta, erronea, & perplexa. 64.

Quæſt. I. *An tenemur ſequi Conſcientiam veram & rectam, dictantem aliquid præceptum, vel vetitum eſſe?* ibid.

Quæſt. II. *An, & quale peccatum eſt agere contra Conſcientiam erroneam?* ibid.

Quæſt. III. *An licet agere ſecundùm Conſcientiam erroneam?* 65.

Quæſt. IV. *Quid eſt Conſcientia perplexa?* 66.

CAPUT II.

De Conſcientia certa & dubia. ibid.

Quæſt. I. *An ad non peccandum requiritur judicium certum de honeſtate ſeu liceitate actus vel omiſſionis?* 67.

Quæſt. II. *Quid eſt dubium; & quotuplex?* ibid.

Quæſt. III. *An eſt peccatum agere vel omittere aliquid in dubio de malitia talis actus hic & nunc faciendi, vel ejus omiſſionis?* 68.

Quæſt. IV. *Quomodo formanda eſt Conſcientia in dubiis?* ibid.

CAPUT III.

De Conſcientia ſcrupuloſa. ibid.

Quæſt. I. *Quid eſt ſcrupulus.* ibid.

Quæſt. II. *Quænam ſunt cauſæ ſcrupulorum?* ibid.

Quæſt. III. *Quænam ſunt remedia contra ſcrupulos?* 69.

Quæſt. IV. *Quomodo ſe gerere debet Confeſſor cum ſcrupuloſo?* ibid.

CAPUT IV.

De Conſcientia, & Opinione probabili. 70.

Quæſt. I. *An licet ſequi Conſcientiam probabilem & minùs tutam?* 71.

Quæſt. II. *An licet ſequi opinionem minùs probabilem ſtantem pro libertate, in concurſu probabilioris ſtantis pro præcepto?* ibid.

Quæſt. III. *An licet ſequi opinionem minùs tutam, ſeu ſtantem pro libertate, in concurſu opinionis æquè probabilis tutioris, ſeu ſtantis pro præcepto?* 75.

Quæſt. IV. *An licet ſequi opinionem minùs tutam, ſed probabiliorem?* 79.

Quæſt. V. *Ad quid tenemur, quando opinio eſt probabilis extra concurſum?* 80.

TRACTATUS

De Beatitudine

Quæſtiones Præliminares de Fine. 83.

CAPUT I.

De eſſentia Beatitudinis 85.

ART. I. *Quid ſit Beatitudo in genere: & Quotuplex?* ibid.

ART. II. *In quo consistat Beatitudo objectiva creaturæ rationalis?* 86.
ART. III. *Utrùm DEUS necessariò secundùm omnia prædicata: an tantùm secundùm aliqua sit nostra beatitudo objectiva?* 89.
ART. IV. *In quo consistat beatitudo formalis creaturæ rationalis?* 93.

CAPUT II.

De Proprietatibus Beatitudinis. 102.

ART. I. *Utrùm visio DEI necessitet ad amorem?* ibid.
ART. II. *Utrùm videns intuitivè DEUM possit peccare?* 105.
ART. III. *Utrùm Beati comprehendant DEUM per visionem?* 113.
ART. IV. *Utrùm animæ à corporibus separatæ & à vitiis purgatæ illico videant DEUM?* 119.
ART. V. *Resolvuntur quædam quæsita ad Beatitudinem pertinentia.* 121.

Quæst. I. *Utrùm animæ Beatorum intensiore visione visuræ sint DEUM post unionem cum corpore, quàm antè viderint?* ibid.
Quæst. II. *Quænam pertineant ad beatitudinem accidentalem?* ibid.
Quæst. III. *An appetitus, quem habent homines ad beatitudinem, sit innatus, vel elicitus? An item homo habeat appetitum naturalem erga beatitudinem supernaturalem?* 122.
Quæst. IV. *An voluntas necessitetur ad amandam beatitudinem in hac vita?* ibid.
Quæst. V. *Utrùm præter beatitudinem supernaturalem possibilis sit alia naturalis, conveniens homini secundùm naturam spectato?* 123.

TRACTA-



TRACTATUS DE ANGELIS.

ANGELI nomine intelligitur *ſubſtantia creata, intellectualis, completa, incorporea*, & homine ſuperior. Angelus tamen ſecundùm vim nominis idem eſt ac nuntius: unde ex ſe eſt nomen officii, non naturæ: ſed naturæ ſignificandæ ex uſu inſervit.

CAPUT I.

De Exiſtentia, Eſſentia, Numero, & Diſtinctione Angelorum.

ARTICULUS I.

Utrùm Exiſtant Angeli, & à quo, ubi, quando creati ſunt?

Reſp. 1. EXiſtunt Angeli. Eſt de fide, ut conſtat ex plurimis Scripturæ locis id clarè ſignificantibus, & ex Patribus omnibus. Hoc exigebat etiam perfectio Univerſi. Nam in hac rerum univerſitate exiſtunt ſubſtantiæ corporeæ completæ exiſtit etiam ſubſtantia partim corporea, partim ſpiritalis, nempe homo. Ergo ut perfectum ſit opus DEI, nullumque perfectionis genus huic Univerſo deſit, debet quoquè eſſe ſubſtantia purè ſpiritualis completa, nempe Angelus.

Reſp. 2. Angeli omnes à DEO per creationem producti fuerunt. Fide conſtat 1. Ex Apoſtolo, Col. c. 1. *In ipſo* (Chriſto) *condita ſunt univerſa in Cælis & in Terra, viſibilia & inviſibilia, ſive Throni, ſive Dominationes, ſive Principatus, ſive Poteſtates: omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt: & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.* 2. Ex Symbolo Nicæno: *Credimus in* DEUM, *Patrem omnipotentem, factorem Cœli & Terræ viſibilium omnium & inviſibilium.* Et ex Conc. Lateranenſi IV. cap. *Firmiter.*

Reſp. 3. Angeli non ſunt producti ab æterno. Eſt de fide. Conſtat 1. ex Scriptura docente Verbum productum fuiſſe & exiſtere antequam produceretur & exiſteret ulla creatura. Ex Prov. c. 8. ubi de Verbo ſeu Sapientia increata dicitur: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio.* Et, Eccli. c. 24. *Ego ex ore altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* 2. Ex Conc. Later. c. *Firmiter.*

Resp. 4. Angeli à DEO cum mundo corporeo, non ante vel post, creati sunt. Ita communiter Theologi.

Prob. 1. Ex Script. Genes. c. 1. *In principio creavit DEUS Cœlum & Terram.* In principio, id est: Antequam quidquam creavisset; ùt explicant SS. Epiphanius, Augustinus, & alii Patres.

2. Ex Conc. Lateranensi IV. c. *Firmiter*, ubi de DEO dicitur: *Qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet & mundanam: ac deinde humanam.* Ubi hæ voces (*simul ab initio temporis*) significant simultatem durationis: & particula *simul* opponitur particulæ *deinde*, quæ ibi significat *postea*. Quare aliqui Theologi nostram assertionem ad fidem pertinere, & ab Ecclesia definitam esse putant: alii verò ut certam, nec sine temeritate negabilem tenent.

Obj. Aliqui Patres putarunt Angelos productos fuisse ante mundum corporeum.

Resp. In hoc lapsi sunt, & nunc aliter sentirent post expositionem Concilii Generalis.

Resp. 5. De loco in quo creati sunt Angeli, non constat. Non improbabile est, eos in aliqua superiore mundi parte creatos fuisse. S. Thomas, 1. p. q. 61. art. 4. docet Angelos in Cœlo Empireo, quod supremum est, creatos fuisse; quia *conveniens fuit quòd Angeli in supremo corpore crearentur, tanquam toti naturæ corporeæ præsidentes.* Ad illud autem Isai. cap. 14. *In Cœlum conscendam, super astra DEI exaltabo solium meum.* dici potest, his verbis metaphoricè exprimi Luciferi superbiam. Et S. Thomas hunc locum exponit de Cœlo SS. Trinitatis, non de Cœlo aliquo corporeo.

ARTICULUS II.

Utrùm Angeli sint incorporei.

NOta. Ab aliquibus Patribus, ùt à S. Augustino, epist. 28. corporeum impropriè sumitur in duplici sensu, nempe 1. Pro eo omni, quod veram ac realem entitatem habet: quo sensu omne omnino ens existens, est aliquid corporeum. 2. Pro eo omni, quod loco determinato & finito circumscribitur, & mutationi obnoxium est: quo sensu omnis & sola creatura corporea est. Corporeum verò propriè sumptum, ùt hic sumitur, est illud, quod habet molem, id est, partes extra partes, diversis loci partibus respondentes.

Dico. Angeli sunt omnino incorporei, & purè spirituales. Ita nunc omnes Catholici: & ita certum est, ut saltem sine temeritate negari non possit. Multi tamen negant hoc esse de fide; quia putant Concilium Lateranense definire solùm voluisse DEUM esse rerum omnium Creatorem: cætera verò adjicere secundùm communiorem sententiam, nihil absolutè definiendo circa illa. Sed unde hoc habent? Concilium enim potuit hoc definire ex Scriptura & Traditione, & ejus verba sunt absoluta, atque clarè Angelorum incorporeitatem exprimunt. Verùm non meum est hanc certitudinem definire, sed assertionis momenta exponere.

Prob. 1. Ex Scriptura, in qua passim Angeli vocantur spiritus, ut Luc. 10. *Spiritus vobis subjiciuntur.* Heb. c. 1. *Omnes sunt administratorii spiritus*, Apoc. 4. *Septem lampades ardentes ante Thronum, qui sunt septem spiritus DEI.* Nomen autem *spiritus*, dum in Scriptura enti intelligenti tribuitur, significat substantiam incorpoream, ut patet ex Luc. 24. *Spiritus carnem & ossa non habet.* Et Joann. 4. *Spiritus est DEUS.*

Prob. 2. Ex Patribus. S. Gregorius Thaumat. serm. de S. Theophania ait: *Rex Cœlestis ad Joannem præcursorem suum accurrit, non Angelorum movens castra, neque præcursores sibi præmittens incorporeas potestates.* S. Athanasius, in collectione testimoniorum sacræ Scripturæ, de naturali communione. &c. *Angelus animal est rationale, expers materiæ, hymnis dicendis aptum, immortale.* Per animal intelligit duntaxat substantiam cognoscitivam. Eusebius Cæsarienſis, l. 4. demonstrationis Evangelicæ

c.

c. 1. *Cùm DEUS ... esset jam jam omnem rationalem creaturam in lucem productarus, incorporeas videlicet quasdam atque intelligentes & divinas Potestates, Angelosque atque Archangelos, materiæque expertes, & ab omni parte puros spiritus.* &c. S. Gregorius Nyssen. Hom. 4. de orat. Dominica. *Omnis creatura rationalis partim in incorpoream, partim in corpoream naturam divisa est: est autem angelica quidem incorporea: altera verò species, nos homines sumus.* S. Chrysostomus, Hom. 22. in c. 6. Genes. *Quomodo rationi consonum est, Angelum incorporeum .... homini invidere corpore circumamicto? .... Quanta enim dementia plenum fuerit dicere Angelos dejectos, ut cum mulieribus rem habeant, & incorporea illa natura copuletur corporibus.* S. Cyrillus Alexandrin. l. 2. in Genes. negat Angelos concupiviſſe mulieres; quia Angeli incorporei ſunt. S. Hilarius, tract. in Pſal. 137. *Oratio ejus* (Eliſæi) *ad Dominum, visum incorporalium* (Angelorum) *etiam puero suo meruit. In horum igitur assistentium humanis auxiliis Angelorum conspectu psallet Propheta, spiritalis spiritalium operum contemplatione placituras.* S. Damaſcenus, l. 3. Orthodox. fidei, c. 3. *Angelus est essentia intelligens perpetuo motu, atque arbitrii libertate prædita, corporis expers.* &c. S. Leo Magnus, epiſt. ad Turibium c. 6. contra aſſerentes diaboli naturam eſſe per ſe malam ait: *Fidem veram, quæ est Catholica, omnium creaturarum sive spiritualium, sive corporalium bonam confiteri substantiam, & mali nullam esse naturam.* Ubi per creaturas ſpirituales intelligit dæmones. S. Gregorius, l. 4. dialog. ad hanc quæſtionem: utrùm dæmones corporei ſint, an incorporei? inducit Petrum ſic reſpondentem: *Quis sapiens, esse spiritus corporeos dixerit?* Ergo ex S. Gregorio Angeli mali, ideoque etiam boni ſunt ſpiritus, & quia ſunt ſpiritus, non ſunt corporei.

His omnibus adde Lactantium. lib. 7. inſtit. divin. cap. 21. Theodoretum, quæſt. 20. in Geneſim.

Prob. 3. Ex Conc. Generali Lateranenſi IV. c. *Firmiter*, ubi ſic definit: *Firmiter credimus & simpliciter confitemur, quòd unus solus est verus DEUS. .... Creator omnium invisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium: Qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, Angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem, ex spiritu & corpore constitutam.* Ubi Concilium declarat DEUM condidiſſe triplicem naturam: corpoream ſcilicet, quæ eſt mundana: ſpiritualem, quæ eſt angelica: & mixtam ex corpore & ſpiritu, quæ eſt humana: & manifeſtè naturam angelicam opponit naturæ corporali ſeu mundanæ, & humanæ ex ſpiritu & corpore conſtitutæ. Ergo ex Concilio natura angelica diverſa eſt à ſubſtantia purè corporea, & à mixta ex corpore & ſpiritu: ideoque omninò incorporea eſt. Item ex Concilio natura humana medium tenet inter creaturam ſpiritualem nempe angelicam, & corporalem nempe mundanam ſeu purè corpoream. Ergo ex Concilio creatura ſpiritualis nempe angelica ſpiritu tantùm, corporalis verò ſeu mundana corpore tantùm conſtat.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Ex Script. Geneſ. c. 6. juxta antiquam verſionem Angeli genuerunt gigantes. Ergo ſunt corporei.

Reſp. Per Angelos ibi intelligi debent filii DEI, qui in vulgata leguntur pro Angelis in hunc modum: *Gigantes autem erant super terram in diebus illis; postquam enim ingressi sunt Filii DEI ad filias hominum, illæque genuerunt, isti sunt potentes à sæculo viri famosi.* Illi autem filii DEI, de quibus hic loquitur Scriptura, ſunt filii Seth, dicti filii DEI à pietate paterna & recta inſtitutione: & filiæ hominum, quas acceperunt uxores, ſunt filiæ Cain ſeu Cainitarum, ex quibus gigantes procreati ſunt. Ita S. Auguſtinus, & alii Patres communiter. Idque ſatis patet ex Scriptura, quæ

poſt verba citata ſubdit: *Videns autem DEUS quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quod hominem feciſſet in terra.*

Obj. 2. Aliquos Patres, nempe Juſtinum, Origenem, Ambroſium, qui docent Angelos eſſe ex parte corporeos, ſeu eſſe compoſitos ex corpore & ſpiritu.

Reſp. Illi hanc ſuam ſententiam, non ex Scriptura nec Traditione, ſed ex Philoſophia Platonica hauſerunt: & illis oppono longè plures alios Patres, imò Scripturam & Concilium Generale.

Obj. 3. S. Baſilium, in lib. de Spiritu Sancto, c. 16.

Reſp. Ibi quidem dicit Angelorum ſubſtantiam ſpiritum eſſe aereum, aut ignem immaterialem. Sed in Homil. quòd Deus non ſit auctor malorum, oppoſitum clarè docet; nam de dæmone loquens hæc ait: *Natura ipſius incorporea eſt ſecundùm Apoſtolum dicentem: non eſt nobis colluctatio adverſùs carnem & ſanguinem, ſed adverſùs ſpiritalia nequitiæ.*

Obj. 4. S. Hilarius, in c. 5. commentarii in Matthæum ſic ait: *Nihil eſt quod non in ſubſtantia ſua & creatione corporeum ſit .... Nam & animarum ſpecies, ſive obtinentium corpora, ſive corporibus exulantium, corpoream tamen naturæ ſuæ ſubſtantiam ſortiuntur, quia omne quod creatum eſt, in aliquo ſit, neceſſe eſt.*

Reſp. Ibi ſumit corporeum impropriè, nempe pro eo, quòd finitam ac limitatam extenſionem habet: ſive formalem habeat, ut naturæ corporeæ habent: ſive virtualem tantùm, ut habent ſubſtantiæ ſpiritales. Quod patet tùm ex his verbis: *Quia omne quod creatum eſt, in aliquo ſit, neceſſe eſt*: tum quia apertè docet animæ humanæ incorporeitatem; nam, tract. in Pſalm. 118. ait: *Eſt ergo in hac rationali & incorporali animæ noſtræ ſubſtantia primùm, quod ad imaginem DEI factum ſit.* Et, tract. in Pſalm. 130. *Anima humana .... nihil in ſe habet corporale.* Præterea, tract. in Pſalm. 137. vocat Angelos incorporales.

Inſt. S. Hilarius negat Angelum & animam hominis eſſe ſpiritum, quamvis fateatur eſſe ſpiritales.

Reſp. Sumit ſpiritum impropriè, per illum intelligendo ens immenſum & incommutabile, ut patet ex l. 2. de Trinit. ubi ait: *Spiritus nec circumſcribitur, nec tenetur, qui per naturæ ſuæ virtutem ubique eſt, neque usquam abeſt, in omnibus omnis exuberans.*

Obj. 5. S. Auguſtinus, in Pſalm. 85. ait: *Adhuc habet vitam utique corpus noſtrum, & tamen comparatum corpori illi, quod futurum eſt, qualia ſunt Angelorum corpora, invenitur corpus hominis mortuum, quamvis adhuc habens vitam.* Idem docet, l. 2. de Trinit. c. 7. nempe Angelos habere corpora.

Reſp. Si S. Doctor nunc viveret, aliter ſentiret.

Obj. 6. Conc. Nicænum II. act. 5. approbavit Joannis Theſſalonicenſis dialogum, in quo negat Angelos eſſe incorporeos.

Reſp. Nego. Nam approbavit tantùm ejus ſententiam de pingendis Angelis, & acclamavit tantùm Tharaſio Epiſcopo Conſtantinopolitano referenti ſententiam Joannis Theſſalonicenſis de pingendis Angelis, quia ſunt certo loco definiti, & cum humana forma apparuerunt, ut patet ex actis Concilii; recitatis enim verbis Joannis Theſſalonicenſis, Tharaſius, prætermiſſo prudenter Joannis errore, dixi: *Oſtendit Pater quod & Angelos pingere oporteat, quando circumſcribi poſſunt, & ut homines apparuerunt. Sacra Synodus dixit: etiam, Domine*, nempe quod & Angelos pingere oporteat.

COROLLARIUM.

Ex dictis licet intelligere 1. Angelum rectè definiri: ſubſtantiam creatam ſpiritualem, adæquate completam per ſe ipſam. Hæ voces (*ſubſtantia creata ſpiritualis*) habent locum generis; in hoc enim Angelus convenit cum anima hominis: iſtæ verò voces (*adæquate completa per ſe ipſam*) conti-

continent differentiam; nam per hoc differt Angelus ab anima hominis, quæ non est substantia completa per se ipsam, cum ordinetur ad hominem cum corpore constituendum, & saltem secundùm quid completur per corpus in ordine ad hominem constituendum.

2. Angelos esse substantias intellectuales; cùm sint spiritus.

3. Angelos non esse compositos ex materia & forma; cùm sint substantiæ incorporeæ & purè spirituales, ideoque simplices, & expertes partium tùm essentialium, tum integrantium.

4. Angelos in aliquo vero sensu esse naturaliter immortales & incorruptibiles: nempe in eo sensu, quod nullum habeant corruptionis principium, nec ab ullo agente creato corrumpi possint, cum careant partibus, ideoque dissolubilitate partium, nec pendeant à subjecto sustentante.

In aliquo tamen etiam vero sensu non sunt naturaliter immortales; quia cùm sint creaturæ, per se & ex natura sua non exigunt infrustrabiliter existere, sed possunt annihilari à DEO seclusò scilicet præsenti libero decreto divino eos in æternum conservandi: quare Angeli sicut animæ humanæ sunt prorsùs incorruptibiles respectu potentiæ cujuslibet creatæ; nam destrui nequeunt nisi per annihilationem, & nulla creatura annihilare potest; cùm annihilari nil aliud sit, quam desinere conservari à DEO.

ARTICULUS III.

Utrùm Angeli sint superiores hominibus?

Dico. Angeli sunt substantiæ naturâ superiores hominibus.

Prob. 1. Ex Script. Psalm. 8. *Minuisti eum paulo minùs ab Angelis.* Ex quo loco Apostolus, Heb. c. 2. ostendit Christum secundùm naturam humanam Angelis inferiorem esse, quamvis gloria & honore sit superior. Et, 2. Petri, c. 2. *Angeli* (reprobi) *fortitudine & virtute cum sint majores, non portant adversùm se execrabile judicium.*

2. Ex Patribus. Pro omnibus sit S. Augustinus, l. 11. de Civit. c. 15. ubi ait: *Angelica creatura omnia cætera, quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcedit.* Et tract. 110. in Joann. *Hoc itaque nobis magnum bonum confert, qui dilexit nos sicut dilexit Christum, ut propter ipsum, cujus membra nos esse voluit, æquales* (adoptione divina) *Angelis sanctis simus, qui & natura inferiores conditi sumus, &c.*

Hinc in Angelo intellectus, & voluntas excellentiores sunt, quam in homine, ut docet S. Thomas 1. p. q. 59. art. 3.

Obj. S. Augustinus, l. 3. de libero arbit. c. 11. dicit animas hominum esse quidem Angelis officio impares *sed naturâ pares*: Et lib. 3. contra Maximum, cap. 25. dicit: *Naturâ verò hominis . . . . . DEUS solus est major.*

Resp. S. Doctor postea sententiam mutavit. Nam locis in probatione allatis docet naturam angelicam humana excellentiorem esse. Et quod lib. 83. q. 54. dixerat, nempe nihil melius esse anima nisi DEUM, corrigit, l. 1. retract. c. 26. his verbis: *Ubi quod dixi, quod autem est omni anima melius, id DEUM dicimus: magis dici debuit, omni creato spiritu melius.*

ARTICULUS IV.

De Numero, Distinctione, & Ordinibus Angelorum.

Dico 1. Angelorum numerum esse maximum. Constat ex illo Daniel. c. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* At quantus sit hic numerus, incertum est; quia nulla de hoc extat divina revelatio, sine qua id sciri nequit.

Dico 2. Utrùm Angeli solo numero, an etiam specie differant, neque ex Scriptura, neque ex Traditione, neque ratione naturali certò constat. Eos solo numero inter se differre censent Basilius lib. 3. con-

tra Eunomium. Gregorius Nyſſenus orat. 6. contra eundem Eunom. Gregorius Nazianz. in carmine de virginitate. Maximus Martyr, dialog. 1. de Trin. Nam illis locis docent Angelos ejusdem eſſe naturæ ac eſſentiæ. Sanctus verò Auguſtinus fatetur ſe neſcire in quo inter ſe Angeli differant.

S. Thomas, 1. p. q. 50. ar. 4. ad 1. docet omnes Angelos inter ſe differre ſpecie ſecundùm diverſos gradus naturæ intellectivæ.

Dico. 3. Novem ſunt Angelorum Ordines, & tres Hierarchiæ, quarum unaquæque tres Ordines ſeu Choros continet. *Prima* & ſuprema Hierarchia continet Seraphim, Cherubim, & Thronos: *Secunda* ſeu media Dominationes, Virtutes, & Poteſtates: *Tertia* ſeu infima Principatus, Archangelos, & Angelos. Hos novem Ordines enumerat, & ex Scriptura probat S. Gregorius Magn. Hom. 34.

Eosdem in tres Hierarchias primus diviſit S. Dionyſius ſeu author l. 1. de Cœleſti Hierarchia.

Hierarchia autem latinè eſt ſacer Principatus.

Porrò S. Thomas admittit in dæmonibus proportionatam ſubordinationem, qua ſe Lucifero Principi voluntariè ſubjecerunt, quam indicat Chriſtus, Matth. c. 25. *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Et Luc. 11. *Si autem & ſatanas in ſe ipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus?*

CAPUT II.

De Angelorum Cognitione, Locutione, Loco, Motu, & Virtute agendi.

ARTICULUS I.

De Angelorum Cognitione.

Dico 1. Angelus cum ſolo DEI concurſu naturali cognoſcit intuitivè non ſolùm propriam ſubſtantiam, & omnes actus ſuos naturales, ſed etiam omnes alias ſubſtantias tum materiales, tum ſpiritales, quibus eſt intimè præſens, imò & alias omnes, quibuscum intentionalem unionem habet per ſpeciem intelligibilem; quantumvis illæ res ab eo diſtent. Nam hæc omnia objecta ſunt intelligibilia, proportionata intellectui angelico, eique ſufficienter applicata ad cognitionem intuitivam.

Angelus autem alia entia cognoſcit vel in ſe, vel in ſpecie intelligibili.

Dico. 2. Angelus naturaliter cognoſcit & quidem evidenter, ſed abſtractivè DEI exiſtentiam. Nam naturaliter ſuam ſubſtantiam comprehendit. Ergo naturaliter cognoſcit evidenter eſſentialem ſubſtantiæ ſuæ dependentiam à DEO Creatore, ideoque eſſentialem exiſtentiæ ſuæ cum DEI Creatoris exiſtentia connexionem. At Angelus non poteſt naturaliter cognoſcere DEUM intuitivè. Nam DEUS videri non poteſt intuitivè à creatura ſine lumine gloriæ. Quod lumen, utpote ſupernaturale, nulli creaturæ connaturale eſt: alioqui creatura intellectiva eſſet naturaliter impeccabilis & beata.

Porrò Angelus ſe ipſum cognoſcit intuitivè abſque ſpecie intelligibili. Quia cum objectum intelligibile per ſe ipſum eſt intimè præſens, & conjunctum intellectui, tunc intellectus non indiget ſpecie intelligibili ad cognoſcendum intuitivè objectum; nam ſpecies intelligibilis requiritur tantùm ad ſupplendam vicem objecti abſentis, aut non intimè præſentis intellectui.

Dico 3. Angelus non poteſt naturaliter certò cognoſcere ſecreta cordium, id eſt, liberos actus intellectus & voluntatis hominis vel Angeli ſine ejus conſenſu. Eſt de Fide.

Prob. 1. Quia Scriptura DEO ſoli tribuit certam cognitionem ſecretorum cordis independenter à conſenſu cogitantis: ut l. 3. Regum, c. 8. *Tu noſti ſolus cor omnium filiorum hominum.* Jerem. c. 17. *Pravum eſt cor omnium & inſcrutabile: quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor, & probans renes.*

2. Ex Patribus, Pro omnibus ſint Sanctus Chry-

Chryſoſtomus, Hom. 24. in Joann. *Humanorum cordium cognitio ſolius Dei eſt, qui ea formavit.* S. Hieronymus, in verba Jeremiæ citata. *Melius eſt ut ſimpliciter accipiamus, quòd nullus cognitionum ſecreta cognoſcat, niſi ſolus DEUS.* S. Auguſtinus, ſerm. 6. de diverſis. *Cogitationes, quas modò non videt niſi DEUS, omnes invicem videbunt in illa ſocietate Sanctorum .... Cor videre DEI eſt.*

Ratio eſt, quia creatura intellectualis, utpote nata conſtituere cum aliis ſocietatem, atque ob dignitatem & excellentiam propriam naturaliter exigit & jus habet, ut cogitationes & volitiones ſuæ alteri non innoteſcant ſine proprio conſenſu. Unde DEUS ſecundùm hanc exigentiam tamdiu uni Angelo denegat concurſum ſuum ad clarè cognoſcendum cogitationes alterius Angeli vel hominis, quamdiu hic non vult cogitationes ſuas ei patere.

DEUS tamen, utpote Supremus rerum omnium Dominus exigentiam illam ſuperare & fruſtrare poteſt & non niſi irrationabiliter invita creatura intellectuali revelare cogitationes ejus, non expectato ejus conſenſu.

Dixi: non poteſt certò cognoſcere ſecreta cordium. Nam Angelus ea cognoſcere poteſt conjecturaliter ex quibusdam ſignis, ſeu effectibus, quibuscum probabilem tantùm connexionem habent.

Dico 4. Angelus non poteſt naturaliter certò cognoſcere futura libera. Eſt de fide. Nam Scriptura & Patres certam actuum futurorum liberorum prædictionem, proindeque cognitionem DEO ſoli convenire docent.

Quare cum Angeli boni futura libera certò prænunciarunt, ea per revelationem divinam certò cognoverunt.

ARTICULUS II.

De Locutione Angelorum.

Dico 1. Unus Angelus poteſt loqui alteri Angelo. Nam loqui nil aliud eſt, quàm manifeſtare alteri conceptum mentis, vel affectum voluntatis. Sed unus Angelus manifeſtare poteſt alteri conceptus mentis & affectus voluntatis ſuæ. Alioqui Angeli non poſſunt inter ſe ſocietatem, & ſpiritualem quamdam Rempublicam conſtituere. Ergo unus Angelus poteſt loqui alteri.

Præterea Angelos inter ſe locutos fuiſſe, conſtat ex Scriptura, Zachar. cap. 2. & ex epiſt. Judæ; *Cùm Michaël Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur ..... dixit: imperet tibi Dominus.*

Dico 2. Angelus alteri Angelo loquitur manifeſtando illi ſuam intellectionem vel volitionem. Nam loqui alteri eſt manifeſtare illi ſuam cogitationem vel volitionem.

Dico 3. Angelus alteri Angelo intellectionem vel volitionem ſuam manifeſtat per conſenſum, nempe liberè volendo ut illi pateat intellectio vel volitio ſua. Nam hoc ipſo intellectio vel volitio Angeli loquentis definit eſſe naturaliter ſecreta alteri Angelo cui loquitur: & ſic alter Angelus determinatur à DEO illi præbente ſuum concurſum ad intuitivè cognoſcendam intellectionem vel volitionem Angeli loquentis.

Hinc locutio Angeli eſt productio *intellectionis vel volitionis*, quàm liberè dirigit ad alterum Angelum per actum, quo vult ut alterutra vel utraque illi pateat.

Dico 4. Angelus non poteſt loqui alteri Angelo niſi intrà ſphæram viſibilitatis ſuæ. Nam alter Angelus non poteſt intellectionem vel volitionem ab eo ad ſe directam cognoſcere intuitivè niſi intrà ſphæram viſibilitatis ſuæ, hoc eſt, intrà quoddam ſpatium ultra quod nil poſſit videre.

ARTICULUS III.

De Angelorum Loco, Motu, & Virtute agendi.

Dico 1. Angelus eſt in loco. Nam eſt alicubi; quidquid enim exiſtit, eſt alicubi: alioqui aliquid exiſtens eſſet nullibi, quod apertè falſum eſt.

Præ-

Præterea illud est in loco, quod ita occupat spatium aliquod finitum, ut extra illud nec sit, nec esse possit naturaliter. Sed Angelus sic occupat spatium finitum; nam finitam & limitatam extensionem virtualem habet, cùm extensio virtualis illimitata soli DEO convenire possit. Sunt tamen qui docent, Angelum pro libitu posse constituere se in loco minori quàm sit locus ejus adæquatus, imò in minori & minori in infinitum, & contrahere se ad punctum locale, quia cum ejus substantia sit realiter indivisibilis, potest esse tota in puncto. Aliud est de DEO, qui est essentialiter immensus.

Dico 2. Angelus ita est in loco, ut sit totus in toto loco, & totus in qualibet parte loci. 1. Est totus in toto loco; nam sic correspondet loco sibi adæquato, ut nullatenus illum excedat. 2. Est totus in qualibet parte loci; nam cùm sit simplex, non habet partes realiter distinctas, quarum singulæ singulis partibus loci correspondeant: & nil ejus entitatis est, quod non sit in singulis partibus loci.

Dico 3. Plures Angeli possunt esse naturaliter in eodem loco. Nam non sese excludunt naturaliter ab eodem loco; illa enim tantùm sese naturaliter excludunt ab eodem loco, quæ habent extensionem formalem impenetrabilem, ut habent corpora. Unde anima nostra est naturaliter in eodem loco cum corpore.

Dico 4. Angelus moveri potest localiter. Nam moveri localiter est transire de loco in locum fluxu continuo. Hoc autem potest Angelus; id enim non repugnat, imò hoc factum fuisse docet Scriptura, Luc. 1. ubi dicitur: *Missus est Angelus Gabriel à DEO in Civitatem Galilææ ..... ad Virginem. .... & ingressus Angelus ad eam dixit .... & discessit ab illa Angelus.*

Porrò Angelus non potest moveri de loco in locum nisi transeundo per medium. Quia moveri de loco in locum est transire de loco in locum fluxu continuo: hic autem fluxus non potest esse sine transitu per medium. Item cum hic fluxus aliquam temporis durationem exigat, Angelus non potest in instanti moveri localiter.

Dico 5. Angelus potest movere corpus localiter. Nam (ut constat ex Daniel. cap. 14.) Angelus portavit Prophetam Habacuc ex Judæa Babilonem. *Apprehendit eum Angelus Domini in vertice ejus: & portavit eum capillo capitis sui, posuitque eum Babylone supra lacum in impetu spiritus sui.* Et ex Matth. cap. 4. *Assumpsit eum diabolus in sanctam Civitatem, & statuit eum super pinnaculum Templi.*

Dico 6. Angelus DEO permittente potest multos mirabiles effectus hominum industriam & vires superantes producere: putà ventos & tempestates excitare, terram intestinis motibus concutere, somnia & morbos efficere, ægritudines, & vulnera sanare, &c. Ista autem potest per motum localem, & applicando activa passivis.

CAPUT III.

De Angelorum Gratia, Gloria, & Officiis erga homines.

ARTICULUS I.

Utrùm Angeli Prædestinati acceperint Gratiam & Gloriam in sui creatione?

Dico 1. Non solùm Angeli prædestinati, sed etiam reprobi omnes gratiam habitualem cum virtutibus ei annexis acceperunt primo creationis suæ instanti. Ita Theologi communiter cum S. Thoma, 1. p. q. 62. art. 3.

Prob. 1. Ex Script. Ezechiel. c. 28. ubi ex Patribus & communi Interpretum sensu de Lucifero sub Typo & nomine Regis Tyri dicitur: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientia, & perfectus decore . . . Omnis lapis pretiosus operimentum tuum . . . Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.*

2. Ex Patribus. Pro omnibus sufficiat S. Augustinus, qui l. 12. de Civit. c. 9. ait: *Eos (Angelos) cum bona voluntate, id est*

eſt cum amore caſto, quo illi adhærerent, creavit ſimul eis & condens naturam & largiens gratiam. Et l. de corrept. & gratia, c. 10. *Diabolus verò & Angeli ejus, etſi beati erant antequam caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent, id eſt, ut magna per Spiritum Sanctum data abundantia charitatis DEI, cadere ulteriùs omninò non poſſent.* Ratio eſt quia Angeli omnes etiam reprobi, à primo creationis ſuæ inſtanti fuerunt perfectè ordinati ad beatitudinem ſupernaturalem per bonos actus promerendam, ſicut Adamus fuit.

Dico. 2. Angeli prædeſtinati non acceperunt gloriam primo creationis ſuæ inſtanti. Nam fuerunt viatores, & meruerunt gloriam, potueruntque peccare ſicut Angeli mali.

Non major autem mora interceſſit inter creationem & glorificationem Angelorum, quàm interceſſit inter creationem hujus Mundi corporei & peccatum Adami. Nam Angeli omnes creati ſunt cum hoc Mundo corporeo, ut probatum eſt: & omnes fuerunt in termino ante lapſum Adami, nam mali Angeli, jam peccaverunt & damnati erant, ideoque jam boni Angeli glorificati erant ante lapſum Adami.

Nota. Cùm Ezechiel. c. 28. de Lucifero dicitur, quod ante lapſum fuerit in deliciis Paradiſi: per delicias illas hic intelliguntur dona naturæ & gratiæ, quibus præſtabat Lucifer ante lapſum. Item cùm S. Auguſtinus dicit Angelos ante lapſum fuiſſe beatos, per beatitudinem intelligit, non beatitudinem perfectam conſiſtentem in DEI viſione intuitiva & amore fruitivo, ſed felicem ſtatum in quo creati ſunt Angeli omnes, conſiſtentem in magnitudine & multitudine donorum naturæ & gratiæ, & immunitate ab ignorantia & infirmitate.

ARTICULUS II.

De Cuſtodia Angelorum.

Dico 1. Angelos aliquo modo deputari ad cuſtodiam hominum ſaltem aliquorum, eſt de fide; nam hoc expreſsè docet Scriptura, ut, Heb. c. 1. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis.* Accedit unanimis Patrum conſenſus

Dico 2. Singuli Fideles habent Angelum Cuſtodem. Hoc ita certum eſt, ut oppoſitum ſit ſaltem erroneum, quamvis juxta Doctores communius non ſit de fide.

Prob. 1. Quia id ſatis clarè indicat & ſupponit Scriptura, Pſal. 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Et, Pſalm. 90. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.* Matth. c. 18. *Videte, ne contemnatis unum ex his puſillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum in Cœlis ſemper vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt.* Act. c. 12. Scriptura refert, Petro è carcere educto & oſtium pulſante, multos Fideles qui domi tunc erant, dixiſſe: *Angelus ejus eſt.* Ergo primis Chriſtianis perſuaſum erat, unicuique fidelium deputatum eſſe Angelum Cuſtodem.

Prob. 2. Ex communi Patrum conſenſu. Origenes, Hom. 11. in c. 18. Numerorum ait: *Sic dicebatur in Actibus Apoſtolorum quia Angelus Petri eſſet, qui pulſaret ad oſtium. Similiter ergo intelligitur eſſe & alius Pauli Angelus, ſicut eſt Petri, & alius alterius Apoſtoli & ſingulorum per ordinem.* S. Gregorius Thaumaturg. orat. panegyrica in Origenem. *Quiſquis eſt privatim Pædagogus noſter* (Angelus) ..... *qui cùm in cæteris omnibus ſemper nutritor & curator meus fuerit .... ut olim me, ita nunc quoque alios, erudit, ac manu ducit.* S. Baſilius, l. 3. contra Eunomium. *Quod ſingulis Fidelium adſit Angelus, ut Pædagogus, quidam & Paſtor ad vitam dirigendam, nemo contradicet, qui verborum Domini recordatur dicentis: ne contemnatis unum ex his*

his pusillis &c. S. Chrysostomus, Hom. 3. in cap. 1. epist. ad Colost. *Unusquisque Fidelis habet Angelum. Nam etiam ab initio unusquisque vir probus habebat Angelum, sicut dicit Jacob: Angelus qui pascit me, & liberat me à juventute mea. Si ergo habemus Angelos, modestè nos geramus, tanquam nobis adsint quidam Pædagogi.* S. Hieronymus, in c. 18. Matth. *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* S. Damascenus, l. 2. Orthodoxæ fidei, c. 3. *Cuique hominum sigillatim designatus est Angelus Custos, Director, & Dux, ad bonum incitans, à malo præservans, & ad felicitatis æternæ gloriam instimulans.* S. Bernardus lib. 4. de considerat. *Singulis hominibus dari creduntur* (Angeli) *missi in ministerium secundùm Pauli Doctrinam, &c.* His adde Justinum, Theodoretum, & alios.

Prob. 3. Ex Catholicorum omnium, ideoque veræ Ecclesiæ consensu contra Calvinum.

Dico. 3. Quilibet homo etiam reprobus & infidelis habet Angelum Custodem.

Prob. 1. Ex multis Patribus apud Petavium.

2. Ex communi Theologorum consensu, & ex S. Thoma, 1. p. q. 113. art. 4.

3. Denique ratione. Quia nemo ex reprobis & infidelibus viatoribus excluditur à mediis salutis generalibus, inter quæ est Angelorum custodia nam Deus vult sincerè omnium etiam reproborum salutem.

Dico 4. Singula Regna habent Angelos Custodes.

Prob. 1. Ex Script. Daniel. cap. 10. *Princeps autem Regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus: & ecce Michaël unus de Principibus primis venit in adjutorium meum.* Per Principem Regni Persarum certò intelligitur Angelus Persidis Præses & Custos. Eadem autem est ratio pro quovis alio Regno etiam Infidelium quales erant Persæ.

2. Ex Patribus. Pro omnibus sufficiat S. Basilius, l. 3. contra Eunomium, ubi ait: *Angeli omnes, ut appellationis unius, sic ejusdem sunt naturæ inter se: attamen alii ipsorum gentibus præpositi sunt: alii verò fidelium singulos consequuntur. Quanto autem gens uni viro præponenda est, tantò majorem necesse est Angeli, qui gentis principatum habeat, esse dignitatem, dignitate eorum, quibus singulorum tutela commissa est &c.*

Imò juxta Origenem, Hom. 20. in Numeros. S. Ambrosium, l. 2. in Lucam & S. Gregorium Naz. orat. 32. singulæ Diœceses suos habent Angelos Tutelares. Ex communi autem consensu Ecclesia universalis suum habet Angelum Tutelarem, nempe Michaëlem Archangelum, qui olim Synagogæ præfuit, ut constat ex veteri Scriptura.

Dico 5. Variæ sunt functiones custodiæ angelicæ, quas exponit Platellius.

Prima est excitare intellectum & voluntatem ad prosecutionem boni & fugam mali, non quidem immediatè & per impressionem specierum aut actuum vitalium in intellectu & voluntate, quod soliùs DEI proprium est, sed mediatè, videlicet partim signis externis & sensibilibus, v. g. vocibus in aëre formatis, quorum exempla extant in Scriptura & Historiis Sacris: partim & communiùs agendo in sensum internum, immutando phantasiam, aut moderando, sedando, immutando passiones per variam commotionem humorum & spirituum.

Secunda est, pericula avertere: causas scilicet sive necessarias, sive liberas amoliendo, ex quarum actione sequeretur aliquod periculum corporis aut animæ: vel monendo ut vitetur.

Tertia, compescere dæmones, ne nimium tentent aut aliter noceant.

Quarta, offerre DEO suorum clientum preces, ut constat ex Scriptura, Apoc. 8. & alibi. Hoc autem non faciunt, DEO illas exhibendo, cùm per se pateant, sed sua precatione efficaciores reddendo.

Quinta est pro nobis orare, etiam cùm non oramus, nec bonum agimus, imò

etiam

etiam cùm peccamus, ut nobis conversionis gratias impetrent.

Sexta, suos clientes pœna medicinali corripere.

Septima denique, est suorum clientum animas in Purgatorio consolari, easque plenè purgatas inde ad Cœlum deducere, ut colligitur ex Luc. 16.

Nota. Non pauci Scholastici post S. Gregorium Nyssenum in l. de vita Moysis docent singulis hominibus dæmonem tentatorem esse assignatum, non quidem à DEO, sed à Lucifero DEI operum imitatore, DEO id ei permittente ob bonos fines.

CAPUT IV.

De Angelorum malorum peccato & pœnis.

ARTICULUS I.

Utrùm Angeli peccaverint, & quis primus ex illis peccaverit?

Dico 1. Multi Angeli peccarunt. Constat 1. ex Script. Job c. 4. *In Angelis suis reperit pravitatem.* Et 2. Petri cap. 2. *DEUS Angelis peccantibus non pepercit.* 2. Ex Traditione nobis certò per unanimem Patrum consensum declarata. 3. Quia constat multos Angelos esse malos: at non sunt mali per naturam. Ergo mali sunt per liberam determinationem suæ voluntatis.

Porro longè plures steterunt fideles DEO, quàm lapsi sunt, ut colligitur ex Apoc. c. 12.

Dico 2. Unus, qui Lucifer, Satan & diabolus vocatur, primus inter alios peccavit, & posteà alios ad peccandum induxit.

Prob. 1. Ex Apoc. 12. *Ecce draco magnus.... & cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum Cœli, & misit eas in terram.... Michaël & Angeli ejus prœliabantur cum dracone, & draco pugnabat, & angeli ejus: & non valuerunt, neque locus inventus est eorum amplius in Cœlo. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & satanas, qui seducit universum orbem: & projectus est in terram, & angeli ejus cum illo missi sunt.* Ibi unus magnus Angelus tanquam dux & suasor aliorum, & qui seducit omnes, qui peccaverunt, describitur. Item, ex Matth. c. 12. Satan vocatur princeps dæmoniorum. Et Job. c. 41. de illo dicitur: *Ipse est Rex super universos filios superbiæ.* Quia nempe illos ad rebellionem contra DEUM inducendo fecit suos, illosque DEUS ei voluit subjectos esse in pœnam suæ defectionis.

2. Ex communi Patrum & Doctorum consensu.

Hinc homines peccatores dicuntur filii diaboli, quia cùm ipse prior peccandi exemplum præbuerit, est veluti primus peccantium parens. Sic Joann. c. 8. Christus Pharisæis dixit: *Vos ex Patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit.* Et 1. Joann. c. 3. *Qui facit peccatum, ex diabolo est: quoniam ab initio diabolus peccat.*

Porro Angeli, qui cum Lucifero peccarunt, probabiliter fuerunt ex omnibus ordinibus, & non tantùm ex infimo, ut colligitur ex Ephes. c. 6. *Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs Principes & Potestates.* Circa quod hæc ait S. Thomas, 1. p. q. 63. art. 9. ad 3. *Secundùm illos, qui ponunt majorem diabolum de supremo fuisse ordine probabile est, quòd de quolibet ordine aliqui ceciderunt: sicut in quemlibet ordinem homines assumuntur in supplementum ruinæ angelicæ. In quo etiam magis comprobatur libertas liberi arbitrii, quæ secundùm quemlibet gradum creaturæ in malum flecti potest. In Sacra Scriptura tamen nomina quorumdam Ordinum, ut Seraphim & Thronorum, dæmonibus non attribuuntur, quia hæc nomina sumuntur ab ardore charitatis, & ab inhabitatione DEI, quæ non possunt esse cum peccato mortali. Attribuuntur autem*

eis nomina Cherubim, Poteſtatum & Principatuum, quia hæc nomina ſumuntur à ſcientia & potentia, quæ bonis malisque poſſunt eſſe communia.

Dico. 3. Qui primus inter Angelos peccavit, & alios ad peccandum induxit, fuit inter omnes Angelos ſupremus in perfectione naturali.

Prob. 1. Ex Script. Iſai. c. 14. de diabolo ſub nomine Regis Babylonis dicitur: *Quomodo cecidiſti de Cœlo, Lucifer, qui manè oriebaris?* Ubi comparatur Lucifer angelus cum ſtella quæ cæteris antecellit. Ezech. c. 31. Diabolo excellentia naturalis ſub nomine Regis Aſſyriorum allegoricè ſignificatur his verbis: *Omne lignum Paradiſi DEI non eſt aſſimilatum illi, & pulchritudini ejus.* Et Job. c. 40. *Ipſi eſt principium viarum DEI.* Quæ verba ſic exponit S. Gregorius l. 32. moral. c. 17. *Principium viarum DEI Behemoth dicitur; quia nimirum cùm cuncta creans (DEUS) ageret, hunc primum condidit, quem reliquis Angelis eminentiorem fecit.*

2. Ex Patribus multis: Tertulliano, l. 2. contra Marcion. c. 10. Gregorio Naz. in carmine. Cyrillo Hieroſol. Catecheſi 2. Gregorio Magno, loco citato. S. Bernardo, ſerm. 1. de adventu. Quibus adde S. Thomam, qui hoc ut probabilius tenet, 1. p. qu. 63. art. 7.

ARTICULUS II.

Quodnam fuerit primum peccatum Angelorum reproborum?

Dico 1. Primum Luciferi peccatum fuit ſuperbiæ peccatum.

Prob 1. Ex Script. Tob. c. 4. *Superbiam nunquam in tuo ſenſu aut in tuo verbo dominari permittas: in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditio.* Iſai. c. 14. de diabolo ſub nomine Regis Babyloniorum dicitur: *detracta eſt ad inferos ſuperbia tua.... Quomodo cecidiſti de Cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? Qui dicebas in corde tuo: in Cœlum conſcendam, ſuper aſtra DEI exaltabo ſolium meum.... Similis ero Altiſſimo.*

2. Ex Patribus ferè omnibus. Hic ſufficiat S. Athanaſius, in orat. de virginitate. *Ingens remedium eſt ad ſalutem animi humilitas; cùm ſatanas non ob ſcortationem, aut adulterium, aut furtum dejectus ſit à Cœlo, ſed ſuperbia illum inde præcipitavit infra ipſam abyſſum, cujus hæc verba fuere aſcendam, & ponam ſolium è regione DEI, & ero æqualis Altiſſimo.*

Dico 2. Primæ diaboli ſuperbiæ malitia ſita non fuit in eo, quòd unionem hypoſtaticam ambiverit, & inviderit humanitati Chriſti, eique noluerit ſe ſubjicere, ut docent aliqui Theologi.

Prob. 1. Quia hoc neque ex Scriptura, neque ex Traditione Patrum probari poteſt.

2. Ex Apoſtolo, Epheſ. c. 3. Incarnationis Myſterium non innotuit Angelis niſi per Eccleſiam ſeu occaſione Eccleſiæ; ſic enim ait de Incarnatione: *Illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in DEO, qui omnia creavit, ut innoteſcat Principibus & poteſtatibus in cœleſtibus per Eccleſiam multiformis ſapientia DEI, ſecundùm præfinitionem ſæculorum, quam fecit in Chriſto JESU Domino noſtro.*

3. Quia Incarnatio decreta fuit in remedium peccati Adami, quod fuit moraliter peccatum generis humani. Ergo eſt natura poſterior peccato Adami, & conſequenter etiam peccato Angeli, cujus proinde occaſio eſſe non potuit.

Dico 3. Primum peccatum ſuperbiæ diaboli videtur in eo conſiſtere, quòd ex inordinato affectu erga naturalem ſuam perfectionem ac pulchritudinem, atque ex nimia ſui complacentia neglexerit beatitudinem ſupernaturalem ex gratiæ auxilio per actus obedientiæ ſuo Creatori exhibendæ obtinendam, ſuis naturalibus contentus: & dominatum in cæteras creaturas ambiverit, ſubeſſe noluerit DEO per actuale imperium eum gubernanti, atque hac ratione affectaverit ſibi ſubjicere: ſuum finem ultimum in ſe conſtituerit, ſicque ſupremam quam-

dam

dam & maximè inordinatam celsitudinem appetiverit, & Altissimo similis esse voluerit.

Prob 1. Ex illo Isai. c. 12. *Similis ero Altissimo.* Et illo Ezechiel. c. 28. *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Quæ omnia allegoricè de diabolo à Patribus communiter intelliguntur.

2. Ex Patribus. S. August. l. 14. de Civit. cap. 11. *Superbus ille Angelus.... per superbiam à DEO ad semetipsum conversus, quodam quasi tyrannico fastu gaudere subditis, quàm esse subditus eligens de spiritali Paradiso cecidit.* Et S. Greg. l. 34. moral. c. 17. *Ei à quo conditus fuerat subesse despexit. Ita enim DEUS super omnia est, ut ipse sub nullo sit. Leviathan verò iste ejus celsitudinis culmen aspiciens, jus perversæ libertatis appetiit, ut & præesset cæteris, & nulli subesset, dicens: ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo. Cujus eo ipso similitudinem perdidit, quò esse ei superbè similis in celsitudine concupivit.*

Dico 4. Primum peccatum Angelorum, qui ex suasione Luciferi peccarunt, fuit etiam peccatum superbiæ.

Prob. 1. Ex Script. Job. c. 41. de Lucifero dicitur: *Ipse est Rex super universos filios superbiæ.*

2. Ex Patribus. Hìc sufficiat S. Augustinus, qui, l. 22. de Civitate DEI, c. 1. sic ait: *Cùm præsciret* (DEUS) *Angelos quosdam per elationem, qua sibi ipsi ad beatam vitam sufficere vellent, tanti boni desertores futuros, non eis ademit hanc potestatem, potentius & melius esse judicans etiam de malis benefacere, quàm mala esse non sinere.*

3. Ratione. Nam Angeli mali peccarunt, vel quia naturali sua perfectione ac pulchritudine contenti, neglexerunt beatitudinem supernaturalem obtinendam: vel quia DEO quo ad imperium & ministeria actualia subesse noluerunt; sed ex affectu excellentiæ alicujus sub dominatione Luciferi consequendæ, Luciferum ipsum ut summum & absolutum Principem habere maluerunt, ei soli quoad ministeria actualia obedire volendo.

ARTICULUS III.

De pœnis malorum Angelorum.

Dico 1. Omnes Angeli, qui peccarunt, damnati sunt in æternum. Est de fide.

Prob. 1. Ex Script. 2. Pet. c. 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, &c.* Et ex epistola Judæ. *Angelos, qui non servaverunt suum Principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.*

2. Ex unanimi Patrum consensu. Ratio est, quia DEUS iis denegavit tempus & gratiam ad pœnitentiam agendam.

Porrò si habuissent tempus & gratiam, potuissent agere pœnitentiam. Nam cùm Angelus in iis in quibus liber est, apprehendat objectum partim ut amabile, partim ut non amabile sub diverso respectu, potest etiam idem objectum prosequi vel aversari: & sic non ita immobiliter adhæret ei quod semel elegit, ut electionem suam semel factam mutare non possit.

Nota. Omnes dæmones seu Angelos malos statim post peccatum suum punitos fuisse pœna damni posita in privatione visionis & fruitionis DEI, consentiunt omnes Patres & Doctores. Sed aliqui antiqui Patres docent dæmones omnes in hoc nostro aëre degere usque ad ultimi judicii diem, quo in inferni carcerem detrudentur, in eo in æternum detinendi, & igne torquendi.

Dico 2. Dæmones in inferni carcerem detrusi sunt, ita tamen ut inde aliqui identidem ad breve tempus, alii ad longius exeant.

Prob. Ex 2. Petri, c. 2. *DEUS Angelis peccantibus non pepercit; sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.* Quod autem aliqui ex inferni carcere ad tempus breve vel diuturnum exeant, ita ut semper aliqui in hoc nostro aëre degant, ad

hominum exercitationem, probatur etiam ex Scriptura, nempe, Ephes. c. 6. *Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs Principes & Potestates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, id est, in aëre nostro. Quem textum interpretans S. Hieronymus ait: *Hæc omnium Doctorum opinio est, quòd aër iste, qui Cælum & terram medius dividens, inane appellatur, plenus est contrariis fortitudinibus.* Quare Suarez cum Sancto Bonaventura & aliis docet nullos dæmones nec perpetuò esse in inferno, nec perpetuò in hoc aëre, sed quasi per vices mutare locum ex præscripto Luciferi, DEO ita permittente: ipse verò Lucifer in inferno detinetur usque ad tempus Antichristi.

Dico 3 Dæmones in inferni carcere degentes torquentur vero igne corporeo. Hanc esse veritatem Catholicam asserit Suarez.

Prob 1. Ex Scriptura, dæmones in inferno cruciantur eodem igne, quo cruciantur homines reprobi, juxta illud Christi, Matth. c. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Atqui homines reprobi in inferno cruciabuntur vero & corporeo igne. Ergo dæmones vero igne corporeo cruciantur in inferno. Minor quoque constat ex Script. Isai. c. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et c. ult. *Ignis eorum non extinguetur.* Matth. c. 3. *Paleas comburet igni inextinguibili.* Et c. 13. *Mittent eos in caminum ignis.* Marci. c. 9. *Bonum est tibi luscum introire in Regnum DEI, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis: ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Omnis enim igne salietur.* Et Apoc. cap. 14. *Cruciabitur igne.* Nomen autem ignis toties repetitum sumi debet in sensu proprio, cùm nulla sit necessitas illud in sensu metaphorico accipiendi: & hæc omnia Scripturæ loca secundùm proprietatem verborum accipienda esse communis est Patrum & Ecclesiæ consensus. Igitur reprobos vero & corporeo igne in inferno cruciari, communis est Patrum & Ecclesiæ consensus. Quare S. Hieronymus, epist. ad Avitum inter Origenis errores numerat, quod inferni ignem, quo cruciantur reproborum animæ, metaphoricè accipiat, & de conscientiæ remorsibus exponat.

Quæres, quomodo dæmones igne corporeo crucientur?

Resp. 1. Super hac re difficili variæ sunt sententiæ. Multi cum S. Thoma docent dæmones torqueri igne corporeo per solam alligationem ad ignem infernalem tanquam carcerem eos detinentem. Quæ alligatio spiritibus superbis & libertatis suæ amantissimis molestissima est. Addunt dæmones, qui in nostro aëre degunt, non minùs infernali igne cruciari, quàm eos qui sunt in inferno; quia sciunt & perpetuò advertunt alligationem illam sibi deberi, eamque in æternum passuros in inferno.

Alii cum Suarez docent ignem corporeum tanquam instrumentum divinæ justitiæ à DEO elevatum torquere dæmones, præcipuè in illis physicè producendo qualitatem spiritualem, ipsorum naturæ ita disconvenientem, ut sit objectum causativum doloris in eorum voluntate acerbissimi.

Alii censent dæmones torqueri ab igne per realem sui cum igne, quantùm ad pœnam, adhæsionem seu unionem. Si enim (inquiunt) anima nostra quamvis incorporea pati potest à corpore suo combusto, & quasi ipsam comburente propter suam cum eo unionem: quidni dæmones divinitùs possint ita uniri igni, ut ab eo pariter patiantur & comburantur?

Resp. 2. Nihil in hac re certum est, nisi quòd dæmones veris sed miris modis ab igne infernali torqueantur. *Cur non dicamus quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi?* Inquit S. Augustinus, l. 21. de Civit. c. 10.

TRACTATUS DE ACTIBUS HUMANIS.

ACTUS, qui ab homine fiunt, alii dicuntur actus hominis, alii actus naturales, & alii actus humani. Actus hominis dicuntur ii, qui procedunt ab homine, ſine deliberatione, advertentia & libertate; ut motus indeliberati concupiſcentiæ, ſeu motus primò primi. Actus naturales ſunt actus merè corporei, qui neceſſariò fiunt nec ad mores pertinent, ut reſpiratio, circulatio ſanguinis, &c.

Actus verò humani, de quibus hic agitur, dicuntur ii, qui fiunt ab homine humano modo agente, nempe liberè & cum aliqua ad regulam morum advertentia vel formali, vel virtuali; nam hic modus agendi eſt hominis proprius, nec brutis convenit. Propriè enim loquendo, ea omnis & ſola actio dicitur humana, quæ procedit ab homine, in quantum homo eſt, id eſt, in quantum differt ab aliis creaturis irrationabilibus: ab his autem differt in quantùm eſt Dominus ſuorum actuum, ita ut poſſit illos pro arbitrio ponere vel non ponere ex electione. Ita docet S. Thomas, 1. 2. q. 1. a. 1. *actionum*, inquit, *quæ ab homine aguntur, illæ ſolæ propriè dicuntur humanæ, quæ ſunt propriæ hominis in quantum eſt homo: differt autem homo ab aliis irrationabilibus creaturis in hoc: quod eſt ſuorum actuum Dominus. Unde illæ ſolæ actiones vocantur propriè humanæ, quarum homo eſt Dominus. Eſt autem homo Dominus ſuorum actuum per rationem & voluntatem: unde & liberum arbitrium eſſe dicitur facultas voluntatis & rationis: Illæ ergo actiones propriè humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt.*

Igitur actus humani ſunt actus ab homine liberè facti cum advertentia ad regulam morum vel formali, vel virtuali, aut interpretativa ſeu debita & poſſibili. Quare actus humanus idem eſt realiter, ac actus moralis, ſeu actus pertinens ad mores, ideoque laude vel vituperio dignus. Nam actus moralis eſt actus liber bonus vel malus moraliter: omnis autem actus, qui fit ab homine liberè & cum advertentia ſuprà dicta, eſt bonus vel malus moraliter, cùm nullus actus liber in individuo ſpectatus, ſit indifferens.

CAPUT I.

De Voluntario, & Involuntario.

ARTICULUS I.

Quid ſit Voluntarium, & quotuplex?

Dico 1. Voluntarium propriè eſt id, quod fit, vel quaſi fit ſeu omittitur à voluntate ex prævia cognitione intellectuali: ſupple, vel actuali, vel virtuali, aut interpretativa, quæ ſcilicet potuit & debuit haberi. Unde duo ad voluntarium requiruntur, 1. Ut fiat vel omittatur à voluntate ejus, reſpectu cujus dicitur voluntarium. 2. Ut fiat vel omittatur ex prævia cognitione intellectuali eorum, quæ dicuntur voluntaria. Non tamen ad quodlibet voluntarium requiritur cognitio actualis. Nam ad voluntarium indirectum & interpretativum, quod eſt verum voluntarium in ordine ad mores, utpote imputabile ad culpam & pœnam, ſi ſit liberum, ſufficit cognitio virtualis, & interpretativa, hoc eſt, cognitio, quæ quidem non exiſtit, ſed quæ potuit & debuit haberi.

Por-

Porrò voluntas definitur appetitus rationalis, ſive potentia volendi & nolendi ex prævia cognitione ſpirituali.

Aliquid autem fieri poteſt tripliciter à voluntate, 1. Ut actus elicitus: ſic fiunt à voluntate omnes actus ejus immediati, qui dicuntur eliciti; ut volitio, nolitio, amor, odium, &c. 2. Ut actus imperatus: hoc modo fiunt à voluntate actus aliarum potentiarum ei ſubjectarum, quoties ſcilicet ex ejus imperio ſeu impulſu & applicatione agunt. Cùm autem voluntas ſibi ipſi per unum actum poſſit imperare alium, idem actus voluntatis poteſt ſimul eſſe elicitus, quatenus nempe immediatè fit à voluntate, & imperatus, quatenus fit ex impulſu per alium priorem actum facto. 3. Aliquid fit à voluntate ut effectus ſecutus ex aliquo actu voluntatis elicito vel imperato. Sic fit à voluntate homicidium, quod ſequitur ex percuſſione imperata à voluntate.

Dico 2. Voluntarium multiplex eſt; nam dividitur, 1. In elicitum ſeu immediatum: & imperatum ſeu mediatum.

2. In neceſſarium, quod ſcilicet fit à voluntate ad unum antecedenter determinata: & in liberum, quod fit à voluntate ſine antecedenti & intrinſeca ad unum determinatione.

3. In perfectum, & imperfectum. Voluntarium perfectum eſt illud, quod eſt à voluntate cum perfecta cognitione, hoc eſt, cum cognitione qua rationes boni & mali cognoſcuntur ſufficienter ad perfectum uſum libertatis: cognitione inquam, vel quæ actu habeatur, vel haberi poſſit & debeat. Unde voluntarium perfectum eſt illud, quod eſt à voluntate cum ſufficienti uſu rationis & libertatis ad hoc, ut ad laudem vel vituperium, ad meritum vel demeritum imputetur, integrè ſcilicet. Voluntarium verò imperfectum eſt illud, quod eſt à voluntate cum imperfecta tantùm cognitione, hoc eſt, cum cognitione, qua non cognoſcuntur nec cognoſci poſſunt rationes boni & mali ſufficienter ad uſum perfectum rationis & libertatis.

4. In voluntarium in ſe, & voluntarium in alio. Voluntarium in ſe eſt tum actus elicitus voluntatis, tum id quod immediatè & ſecundum ſe intendit voluntas. Voluntarium in alio eſt illud, quod virtualiter ſeu moraliter continetur in alio immediatè & ſecundùm ſe intento à voluntate, velut effectus in cauſa. Sic v. g. cùm quis ob ſolam voluptatem nimiùm bibit, & nimiùm bibendo ſe inebriat, actus elicitus quo vult bibere & ipſa actio bibendi ſunt voluntaria in ſe: ebrietas verò, quæ ex nimia potatione ſequitur, eſt tantùm voluntaria in alio, nempe in ipſa nimia potatione; quia voluntas bibendi non fertur directè & immediatè in ebrietatem, ſed in nimiam potationem, in qua virtualiter continetur ebrietas velut effectus in cauſa.

5. Denique in formale, & virtuale, ac interpretativum.

Voluntarium formale eſt illud quod eſt à voluntate poſitivè volente & agente. Quod ſi voluntas poſitivè vult illud immediatè ac in ſe, eſt formale voluntarium in ſe: ſi verò voluntas poſitivè illud intendit mediatè tantùm & in alio, eſt formale voluntarium in alio.

Voluntarium virtuale & interpretativum eſt illud, quod eſt à voluntate liberè non volente & omittente agere, ac proinde virtualiter & interpretativè nolente agere. Sic ſi quis liberè non velit facere eleemoſynam, nec faciat, unde alii meritò ſcandalizëntur: libera omiſſio poſitivæ volitionis faciendi eleemoſynam, & libera omiſſio dationis eleemoſynæ ſunt ei virtualiter & interpretativè voluntariæ in ſe; ſcandalum verò ex illa omiſſione ſecutum, quod præviſum eſt vel prævideri potuit, eſt ei virtualiter & interpretativè voluntarium in alio, nempe in libera omiſſione eleemoſynæ.

Nota. Ut aliquid ſit voluntarium in alio, duo requiruntur: nempe, 1. Ut ſit aliquo modo ſaltem confusè cognitum ut ſecuturum ex alio, quocum connexionem habet, & quod eſt immediatè ac in ſe volitum: vel ut ſic cognoſci potuerit ac debuerit, hoc enim ſufficit; nam tunc perinde ſe habet

in

in ordine ad imputabilitatem, licèt fortasse non tantam, ac si re ipsa actu cognosceretur. 2. Ut sit vel per se connexum cum illo alio directè & immediatè volito: est autem per se connexum cum illo alio, si ponitur reipsa hoc ipso, quòd illud aliud ponitur: sic ebrietas cum nimia potatione connexa est. Vel si sit tantùm per accidens cum illo alio connexum, ita ut vi illius non sequatur, sed propter alia adjuncta requiritur in voluntate obligatio illud impediendi, & ad illud impediendum abstinendi ab actione; nam alioqui non censetur voluntarium.

ARTICULUS II.

Quid & quotuplex sit Involuntarium?

Dico. Involuntarium propriè est illud, quod est contra actualem inclinationem voluntatis, ita ut sit aliquo actu voluntatis nolitum.

Duplex est autem: nempe involuntarium simpliciter, & involuntarium secundùm quid. Involuntarium simpliciter est illud, quod est contra inclinationem voluntatis, quantùm est ex se, efficacem ad illud impediendum: ut mors quæ homini planè invito & pro viribus reluctanti infertur: item motus concupiscentiæ, qui voluntate toto affectu renitente insurgit.

Involuntarium secundùm quid est illud, quod displicet quidem secundùm aliquam considerationem, sed magis & efficaciter placet secundùm aliam: unde est aliquo actu inefficaci nolitum, & simul alio actu efficaciter volitum. Sic cum viator metu mortis dat latroni crumenam, quam retinere vellet, datio illa est secundùm quid involuntaria; nam secundùm se displicet: sed spectata ut necessaria ad vitam servandam, magis & efficaciter placet: unde sub hac consideratione re ipsa acceptatur, & adhibetur ut medium ad hunc finem necessarium.

Hinc involuntarium secundùm quid non est involuntarium nisi cum addito diminuente, imò destruente rationem involuntarii; nam est simpliciter & absolutè voluntarium, cùm voluntas illud efficaciter velit & agat. Quare meliùs vocatur voluntarium mixtum cum involuntario; quia voluntas illud vult, sed cum aliqua repugnantia.

ARTICULUS III.

Utrùm ea, quæ fiunt ex metu, sint voluntaria?

Nota. Fieri aliquid ex metu, non idem est ac fieri cum metu. Nam aliquid fit ex metu, quando metus est causa illud faciendi. Sic datio crumenæ facta latroni ad mortem vitandam fit ex metu; nam mortis metus viatorem movet ad dandam crumenam: & sic est causa dationis crumenæ. Aliquid fit cum metu tantùm, quando metus non est causa actionis, nec ad illam movet, sed solùm eam comitatur. Clarè autem patet, ea quæ fiunt duntaxat cum metu, voluntaria esse. Sic latro cùm furatur timens ne deprehendatur, agit cum metu, non ex metu; quia non metus, sed divitiarum cupiditas eum ad furandum movet: quod furtum est ei maximè voluntarium.

Dico 1. Ea quæ fiunt ex metu, sunt absolutè simpliciter voluntaria.

Prob. Illud est simpliciter voluntarium, quod est à voluntate agente ex perfecta cognitione. Sed quod fit ex metu, est à voluntate agente ex perfecta cognitione. Ergo est simpliciter voluntarium.

Dico 2. Ea quæ fiunt ex metu, aliquando sunt involuntaria secundùm quid, aliquando non.

Prob. Quæ fiunt ex metu, aliquando fiunt cum aliqua repugnantia, aliquando non; nam aliquando fiunt contra aliquem affectum voluntatis, aliquando non. Atqui quando fiunt cum repugnantia, sunt involuntaria secundùm quid: quando verò fiunt absque omni repugnantia, nullo modo sunt involuntaria. Ergo.

ARTICULUS IV.

Utrùm ea, quæ fiunt ex concupiſcentia, ſint voluntaria?

Nota. Concupiſcentia hic ſumitur pro quolibet motu appetitus ſenſitivi in bonum ſenſibile. Alia eſt antecedens, alia conſequens. Concupiſcentia antecedens eſt ea, quæ à voluntate non imperatur, ſed ab objecto ſenſibili excitatur, voluntate nil planè conferente. Conſequens eſt ea, quæ à voluntate imperatur ſeu excitatur. Unde patet ea eſſe voluntaria, quæ fiunt ex concupiſcentia conſequente.

Dico 1. Quæ fiunt ex concupiſcentia antecedente, & à fortiori conſequente, ſunt voluntaria.

Prob. Illud eſt voluntarium, quod fit à voluntate ex prævia cognitione intellectuali. Sed quod fit ex concupiſcentia etiam antecedente, fit à voluntate, ex prævia cognitione intellectuali; nam intellectus apprehendit bonum ſenſibile, à quo eſt commotio ſenſus interni, illudque ut bonum ſenſibile voluntati proponit. Ergo.

Dico 2. Concupiſcentia etiam antecedens non minuit voluntarium.

Prob. Nil poteſt imminuere voluntarium, niſi vel ex parte intellectus, vel ex parte voluntatis. Sed concupiſcentia non minuit voluntarium, 1. Ex parte intellectus; nam concupiſcentia non impedit claram perceptionem intellectus circa objectum ſenſibile. 2. Non etiam minuit ex parte voluntatis; ſiquidem inclinat voluntatem, ad volendum: unde voluntas agens ex concupiſcentia, ardentiùs fertur in objectum ſenſibile.

Imò concupiſcentia etiam antecedens auget voluntarium. Nam quod fit ex illa, fit cum majore inclinatione voluntatis, & ex clariore apprehenſione ac propoſitione objecti ſaltem ut boni ſenſibilis.

Obj. Concupiſcentia antecedens tollit aut minuit liberum. Ergo & voluntarium.

Reſp. 1. Concupiſcentia antecedens ſolùm tollit liberum, quando ita vehemens eſt, ut totaliter auferat uſum rationis, ita ut intellectus nequeat conſiderare rationes boni & mali. Quando autem concupiſcentia antecedens non eſt adeò vehemens, minuit duntaxat liberum; quia minuit cognitionem requiſitam ad libertatem, nempe conſiderationem finis & eorum quæ ſunt ad finem.

Reſp. 2. *Nego conſeq.* Quia voluntarium ſtrictè ſumptum differt à libero, & poteſt eſſe neceſſarium, ut revera eſt in amore beatifico, qui eſt maximè voluntarius & ſimul neceſſarius.

ARTICULUS V.

De Ignorantia, & ejus Peccatis.

Quæſt. I. *Quid eſt ignorantia & quotuplex?*

Reſp. Ignorantia latè eſt carentia cognitionis veræ in ſubjecto capaci. Strictè, ut hìc ſumitur, eſt carentia cognitionis debitæ, ſeu cognitionis eorum, quæ quis ſcire debet. Nam qui ignorat ea, quæ ſcire non tenetur, non eſt in eo ignorantia, ſtrictè loquendo, ſed mera neſcientia.

Dividitur 1. In invincibilem, & vincibilem. Ignorantia invincibilis, quæ etiam inculpabilis vocatur, eſt ea, quæ morali diligentia adhibita depelli non poteſt. Vincibilis eſt ea, quæ morali diligentia adhibita depelli poteſt.

2. In antecedentem, concomitantem & conſequentem. Antecedens eſt ea, quæ nullo modo fuit volita, & eſt cauſa actionis, quatenus ea ſublata non fieret actio: ut cùm venator adhibita ſufficienti diligentia ne hominem occideret, occidit amicum, putans eſſe feram. Concomitans eſt ea, quæ non eſt volita, nec eſt cauſa actionis, in quantum ea ſublata adhuc fieret actio; quæ proinde non fit ex ignorantia, ſed præcisè cum ignorantia: talis eſt in eo, qui, adhibita ſufficienti diligentia ne hominem occideret, inimicum latentem occidit, quem æque occidiſſet, ſi ſciviſſet ibi latere. Conſequens eſt

ea,

ea, quæ volita est directè vel indirectè: ut cùm quis nescit talem diem esse festivum; quia aut expressè noluit, aut neglexit inquirere. Unde est semper vincibilis: & quandoque est causa actionis, quandoque non; quia ea sublata quandoque adhuc fieret actio, quandoque non fieret.

3. In ignorantiam juris, & facti. Prior est, qua ignoratur jus aut præceptum aliquod. Posterior est, qua ignoratur id, quod sit, esse juxta vel contra præceptum: & potest esse de opere vel aliqua ejus circumstantia: ut cùm quis nescit esse diem Veneris, quo comedit carnes.

4. In negativam, & positivam. Negativa est mera privatio debitæ cognitionis alicujus rei absque judicio erroneo de illa re. Positiva est error, seu judicium falsum de aliqua re.

5. In habitualem, & actualem. Habitualis est privatio cognitionis habitualis: & dicitur simpliciter ignorantia. Actualis est privatio debitæ cognitionis actualis: & meliùs dicitur inadvertentia, inconsideratio, vel oblivio.

Quæst. II. *An ignorantia vincibilis est secundùm se peccatum?*

Nota. Ignorantia vincibilis, alia est affectata, seu directè volita: & est ea, quam quis directè & expressè vult, ut liberiùs peccet, juxta illud Job 21. *Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus.* Alia non affectata: & est ea, quæ non est directè & expressè volita, sed est solùm volita indirectè, nempe in negligentia addiscendi. Hæc subdividitur in crassam seu supinam, & non crassam. Crassa est, cùm aut nulla adhibetur diligentia ad sciendum, aut non nisi pro rei gravitate valde exigua adhibetur: unde semper oritur ex gravi negligentia discendi. Non crassa est, cùm ad sciendum adhibetur quidem aliqua diligentia, sed non adhibetur sufficiens.

Resp. Ignorantia vincibilis eorum, quæ quis scire tenetur, etsi non affectata, est secundùm se peccatum imputabile. *Est communis sententia.* Prob. 1. ex Psalm. 24. *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.* Et Eccli. 23. *Ne adcrescant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea.*

2. Quia talis ignorantia est libera transgressio præcepti, seu omissio rei præceptæ. Nam omnia & singula præcepta obligant ad id, sine quo observari nequeunt, ideoque ad sui cognitionem comparandam, sine qua servari non possunt: præcipiens quippe finem, præcipit media per se necessaria ad illum. Igitur cùm cognitio obligationum, tum omnibus communium, tum specialium, quæ ad cujusque statum, officium, & munus spectant, præcepta sit, talis cognitionis privatio vincibilis est transgressio præcepti: & quidem libera ac voluntaria saltem indirectè, nempe, in negligentia discendi, ideoque est peccatum. Unde ignorantia est peccatum, & mala imputabiliter ob negligentiam voluntatis, à qua manat.

3. Qui ignorat ea, quæ scire potest & debet, se exponit voluntariè morali periculo violandi præcepta quoties urgent, ideoque multoties peccandi. Ergo peccat gravissimè.

Observa 1. Gravitas peccati ignorantiæ æstimanda est ex gravitate præcepti ignorati, & ex negligentia discendi.

2. Ut aliquid sit voluntarium interpretativè, sufficit ut tenearis illud vitare: nec facias, cùm possis, id quod est necessarium ad illud vitandum; hoc enim ipso tibi meritò imputatur, quòd non vitaveris.

3. Ignorantia eorum, quorum cognitio ratione sui præcipitur: ut sunt mysteria fidei, est peccatum speciale oppositum virtuti fidei, quamvis fidei habitum non destruat. Ignorantia verò eorum, quorum cognitio requiritur solùm in ordine ad opus, est peccatum ejusdem speciei, cujus est transgressio præcepti ignorati; nam eidem præcepto ac virtuti opponitur; cùm omne præceptum, utpote efficaciter obligans ad sui observationem, obliget etiam ad sui cognitionem & considerationem.

4. Peccatum ignorantiæ continuatur &

multiplicatur, ſicut peccatum omiſſionis reſtitutionis debitæ.

Quæſt. III. *An quæ fiunt contra Legem ex ignorantia vincibili, ſunt peccata imputabilia?*

Reſp. 1. Actio vel omiſſio omnis contra Legem poſita ex ignorantia vincibili, etiam non affectata, vel cum ea, eſt peccatum imputabile, etiam ſecundùm malitiam ignoratam, etiamſi putetur bona: ac proinde quælibet ignorantia vincibilis non excuſat à peccato. *Ita omnes.* Prob. 1. ex Num. 15 *Si anima neſciens peccaverit, offeret agnam anniculam pro peccato ſuo: & deprecabitur pro ea Sacerdos, quòd inſcia peccaverit coram Domino: impetrabitque ei veniam, & dimittetur illi.* Certè quæ non ſunt peccata imputabilia, non indigent expiatione & venia, nec ſunt ſimpliciter peccata coram Deo. Et ex Luc. 12. ſervus ignorans voluntatem Domini ſui, & faciens digna plagis, *vapulabit.* Et ex Act. 3 *Fratres, ſcio quia per ignorantiam feciſtis, ſicut & Principes veſtri.* Et 1. Cor. 2. *Si enim cognoviſſent, numquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Ubi mors Chriſto à Judæis ex ignorantia illata eſſe dicitur: & tamen illis ad graviſſimum peccatum imputata eſt, ut pater ex excidio urbis, & everſione ac reprobatione totius gentis. Item ex Luc. 23. *Pater, dimitte illis; non enim ſciunt, quid faciunt.* Certè ibi eſt locus ignoſcendi, ubi eſt peccatum imputabile.

2. Ex SS. Patribus, & ſpeciatim Hieronymo & Auguſtino, qui hanc veritatem ut fidei dogma contra Pelagianos propugnarunt: & S. Auguſtinus Ep 154. ſic ait: *Si quis bonum putaverit eſſe, quod malum eſt, & fecerit hoc putando, utique peccat: & ea ſunt omnia peccata ignorantiæ, quando quiſque bene fieri putat quod malè fit.*

3. Ex Can. 16. diſt. 37. & cap. 2. *de ſortil.*

4. Quia ea, quæ cum vel ex ignorantia vincibili fiunt contra præceptum, ſunt ſufficienter libera ac voluntaria ſaltem indirectè & in cauſa, nempe in voluntaria negligentia addiſcendi: & ſic meritò ad culpam imputantur voluntati, quæ potuit & debuit præceptum cognoſcere & ſervare; tunc enim nullam habet juſtam excuſationem. Nam culpabilis negligentia diſcendi, quæ cognoſci debent, non poteſt eſſe juſta excuſatio, cùm ſit culpa: & qui vult cauſam, vult conſequenter effectum, qui ex ea neceſſario ſequitur, & quem ſcit vel ſcire poteſt ex ea ſecuturum. Imò quæ contra Legem fiunt ex vel cum ignorantia vincibili etiam non affectata, ſunt moraliter & æquivalenter voluntaria in ſe, etiam quoad malitiam moralem in ordine ad veram & gravem quamvis non tantam imputabilitatem: quatenus qui culpabiliter ignorat, perinde ſe habet in æſtimatione prudenti in ordine ad veram & gravem, etſi non tantam, imputabilitatem, ac ſi actu ſciret.

5. Si ignorantia vincibilis excuſaret à peccato, melior eſſet conditio negligentis addiſcere ea, quæ poteſt & tenetur ſcire, quam adhibentis debitam ad ea diſcenda diligentiam: quod eſt abſurdum.

Obſerva 1. Ignorantia præcepti eſt vincibilis, cùm venit in mentem dubitatio de illo, vel aliquid, quo poſſit homo excitari ad inquirendam talis præcepti cognitionem, & omiſit inquirere; nam tunc debuit & potuit illud cognoſcere inquirendo.

2. Ut quis ſit reus mortalis culpæ, non requiritur maxima negligentia, ſed ſufficit, ſi omittatur diligentia moralis pro rei qualitate & gravitate neceſſaria. *Ita omnes teſte Sanchez.* Quia tunc culpa mortalis ei meritò imputatur, cùm potuerit & debuerit vitare id, quod eſt graviter malum.

3. Quoties ex vel cum ignorantia vincibili actio vel omiſſio mala deliberatè ponitur, toties fit novum peccatum diſtinctum numero à priori ignorantia & negligentia diſcendi. Quia tunc liberè fit denuò aliquod malum, cujus malitia imputatur voluntati ad culpam, cùm illam potuerit ac debuerit cognoſcere & vitare, & voluntas perſeveret velle ſaltem interpretativè ignorantiam. Hinc homo ignorans ea, quæ neceſſaria ſunt ad Judicis munus rectè obeundum, peccat graviter contra juſtiti-

ſtitiam, tunc ſuſcipiendo tale munus, & poſtea toties peccat actu mortaliter, quoties fert ſententiam injuſtam. Nam liberè fert ſententiam injuſtam, quamvis putans eſſe juſtam, & ejus injuſtitiam potuit & debuit cognoſcere, & ſic ea ipſi meritò imputatur: imò cognoſcit ſaltem confusè ex ſua imperitia ſecuturas multas ſententias injuſtas, & ob eam adire periculum eas ferendi: aut ſaltem poteſt ac debet id cognoſcere & conſiderare, & non judicare, ne ſe exponat periculo faciendi injuriam. Idem dic de Advocato, Medico, Superiore, Confeſſario, Opifice, &c.

Obj. Malitia actus ignorati non fuit volita, cùm non fuerit cognita. *Reſp.* Fuit volita ſaltem indirectè in negligentia diſcendi & interpretativè, quatenus liberè factus eſt actus malus, cujus malitia potuit & debuit cognoſci ut vitaretur: quod ſufficit, ut imputetur voluntati ad culpam. Præterea malitia actus cognoſcitur ſaltem confusè ab ignorante. Nam hoc ipſo quòd ſcit ſe ignorare, cognoſcit multa peccata ex ſua ignorantia ſecutura, & ſe exponere periculo peccandi, cùm ſit ineptus ad cognoſcendum, quid ſit illicitum vel licitum: idque identidem conſiderat: vel ſaltem conſiderare poteſt ac debet. Quare non depellendo ignorantiam, vult ſaltem indirectè & interpretativè omnia iſta peccata confusè cognita, ut ex illa ſecutura.

Dices. Negligentia addiſcendi non fuit poſitivè volita. *Reſp.* Fuit volita ſaltem interpretativè; nam potuit & debuit vitari: unde meritò imputatur voluntati, quòd illam non vitaverit, adhibendo diligentiam debitam & poſſibilem ad diſcendum ea, quæ homo ſcire tenetur. Ignorantia autem vincibilis eſt voluntaria & culpabilis in negligentia diſcendi; nam propter illam negligentiam meritò imputatur voluntati.

Reſp. 2. Peccata ex ignorantia qualibet vincibili vel cum ea admiſſa, ejuſdem ſunt ſpeciei cum peccatis ſcienter admiſſis circa idem objectum. *Eſt communis ſententia.* Quia 1. ignorantia & negligentia, & peccatum, quod ex illa fit, adverſantur eidem præcepto & virtuti. Nam quodlibet præceptum cognitionem & diligentiam in ſua materia ex ſuo motivo injungit, cùm utraque per ſe ſit neceſſaria ad illud obſervandum.

2. Actus ſumit malitiam ſpecificam ex objecto. Ergo actus ignoranter & actus ſcienter factus, ſi ſint circa idem objectum malum, ſumunt ab eo eandem malitiam ſpecificam.

Hinc qui ex ignorantia vel inconſideratione vincibili juris aut facti facit contractum injuſtum, peccat peccato injuſtitiæ: ſi omittat Sacrum præceptum, peccat contra Religionem, &c.

Quæſt. IV. *Quænam ignorantia minuit, vel auget peccatum?*

Reſp. 1. Ignorantia vincibilis non affectata minuit malitiam peccati. *Eſt communis ſententia.* Prob. 1. ex Luc. 12. *Ille ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*, hoc eſt minùs punietur. Et Luc. 23. *Pater dimitte illis; non enim ſciunt quid faciunt.*

2. Quia talis ignorantia minuit voluntarium; nam impedit, ne mens peccatum in ſe apprehendat, & illud in ſe voluntas velit: & ſic facit, ut peccans minùs afficiatur ad malum.

Quando tamen negligentia diſcendi gravis eſt, ignorantia nunquam eò uſque minuit peccatum, ut ex mortali fiat veniale; quia non tollit ſufficiens voluntarium ad mortale. Enim verò Judæi, qui ex ignorantia Chriſtum crucifixerunt, & Apoſtolos perſecuti ſunt, profectò peccarunt mortaliter. Hinc S. Auguſtinus Lib. de grat. & lib. arbitr. c. 3. ait: *Sed illa ignorantia, quæ non eſt eorum qui ſcire nolunt, ſed eorum qui tanquam ſimpliciter neſciunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat ..... ſed fortaſſis ut mitiùs ardeat.*

Reſp. 2. Ignorantia affectata auget malitiam peccati: *Ita communiter, cum S. Thom.* 1. 2. *q* 76. *art.* 4. Nam illud auget malitiam peccati, quod reddit illud

magis voluntarium. At ignorantia affectata hoc præstat ; quia per illam directè & expressè volitum est periculum peccandi, nempe ipsa ignorantia, ex affectu liberiùs peccandi. Imò expressè volitum est quodvis peccatum ex ignorantia sequi natum ; nam per illam homo vult ignorare, ut liberiùs peccet. Et aliunde peccatum sufficienter cognitum est saltem confusè, nempe in ejus periculo directè volito. Hinc homo ob talem ignorantiam ut peccatum aggravantem arguitur Psalm. 35. *Noluit intelligere, ut benè ageret.* Præterea talis ignorantia in ordine ad imputabilitatem in æstimatione prudenti æquivalet certæ scientiæ.

Quæst. V. *An ignorantia invincibilis cujusvis Legis etiam naturalis, excusat à peccato formali seu imputabili?*

Resp. Affirm. Constat. 1. ex S. Augustino Lib. 3. de lib. arbitr. c. 19. *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quòd negligis quærere, quod ignoras.* Hinc paulò post docet ea, quæ malè fiunt ex tali ignorantia juris naturalis, non esse nisi impropriè & metaphoricè peccata : sicut lingua græca vel latina non dicitur nisi impropriè lingua.

2. Ex S. Thom. 1. 2. q. 76. art. 3. *Si sit ignorantia, quæ omnino sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus, quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omnino excusat à peccato.*

3. Alexander VIII. damnavit hanc propositionem : 2. *Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.*

4. Quia omne peccatum imputabile ut peccatum, est essentialiter voluntarium ut peccatum seu in ratione peccati, ita ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium, ut docet S. August. Nam quod non est voluntarium, non potest imputari voluntati, cum nullatenus sit à voluntate. At actus ex ignorantia invincibili factus contra Legem, nullatenus est voluntarius prout oppositus Legi, & ut peccatum ; cùm ejus malitia non cognoscatur, nec cognosci potuerit vel in se vel in ejus periculo : voluntarium enim est id, quod est à voluntate cum cognitione vel actuali, vel virtuali & interpretativa.

5. Quia alioquin homo teneretur ad impossibile, & damnari posset, quòd non servaverit præceptum, quod omnino non potuit servare ; cùm illud non potuerit cognoscere, nec proinde velle servare.

Obj. 1. Ignorantia juris naturalis fuit voluntaria in causa sua, nempe in peccato originali, & voluntate Adami. *Resp.* Hoc non sufficit ad peccatum personale. Quia 1. Alexander VIII. damnavit hanc propositionem : 1. *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.* 2. Cùm ad omne peccatum requiratur voluntarietas & libertas, ad omne peccatum personale requiritur voluntarietas & libertas personalis. 3. Alioqui ea, quæ malè fiunt in phreneſi & amentia, imputarentur ad culpam ; cùm utraque sit effectus peccati originalis sicut ignorantia.

Obj. 2. Ex Reg. jur. 13. in 6. *Ignorantia facti, non juris excusat. Resp.* Hoc intelligi debet quoad præsumptionem fori externi, in quo non præsumitur quis ignorasse inculpabiliter, quod debuit scire : non autem quoad forum internum.

Obj. 3. Conc. Palœstinum damnavit hanc propositionem Pelagii : *Oblivionem & ignorantiam non subjacere peccato : quoniam non secundùm voluntatem, sed secundùm necessitatem eveniunt. Resp.* Ibi agitur de oblivione & ignorantia vincibili, sed quæ non esset affectata, & directè, procurata. Nam Pelagius docebat omnem ignorantiam, quæ non esset affectata, seu directè volita, vacare culpa ; quia ex necessitate seu ex conditione naturæ, & innata infirmitate evenit : quod falsum est ; nam ignorantia non affectata, nec directè volita, sed quæ adhibita morali diligentia vinci potest & debet, culpabilis est, cùm sit indirectè, ideoque sufficienter voluntaria in negligentia addiscendi. Et quamvis non oriatur à voluntate eam procurante, sed ex

necessi-

neceſſitate, tamen ejus perſeverantia volita eſt indirectè in omiſſione voluntaria diſcendi: nec hæc *ignorantia* tunc neceſſariò manet niſi neceſſitate conſequente.

Obj. 4. S. Auguſtinum variis locis. *Reſp.* In iis locis quæ objici ſolent, loquitur de ignorantia vincibili, ſaltem cum ordinariis gratiæ auxiliis, & quæ oratione ac diligentia morali expelli poteſt. Similiter explicabis textus, qui ex S. Hieronymo & aliis Patribus objici poſſunt.

Ex dictis collige, non excuſari in actu niſi malitiam invincibiliter ignoratam: non autem quæ fuit cognita, vel vincibiliter ſolùm ignorata. Hinc occidens hominem, quem invincibiliter ignorat eſſe Clericum, reus eſt homicidii, non ſacrilegii.

Nota. Moralis malitia actus voluntatis duplex eſt: nempe materialis, & formalis. Malitia materialis conſiſtit in difformitate ac diſconvenientia actus cum natura rationali & Lege divina. Formalis eſt materialis malitiæ imputabilitas ad vituperium, & pœnam. Quòd ſi actus diſconveniens naturæ rationali & Legi, fiat liberè & cum cognitione, vel ſaltem cum ignorantia aut inadvertentia culpabili malitiæ, hoc ipſo *malitia actus interni imputabilis* eſt ad vituperium & pœnam: & ſic actus eſt completè ac ſimpliciter moralis. Si autem non ſic fiat, *malitia materialis non* poteſt imputari ad vituperium & pœnam: & ſic actus non eſt niſi incheatè & ſecundùm quid moralis. Nam actus malus adæquatè moralis, eſt actus diſconveniens naturæ rationali, & Legi, imputabilis ad vituperium & pœnam. Porrò præter utramque actus interni malitiam eſt etiam malitia objectiva, quæ eſt ſpecialis difformitas ac diſconvenientia, quam habet objectum cum natura rationali ut rationali, & Lege divina.

Quæſt. VI. *An datur ignorantia invincibilis juris naturalis?*

Reſp. 1. Non datur neque circa prima principia morum; quippe quæ ſunt per ſe nota, & cuilibet rationis compoti per ſe obvia: qualia ſunt iſta: *Bonum eſt faciendum: malum fugiendum. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. DEUS eſt colendus & amandus, &c.* Neque etiam circa præcepta, quæ vel per ſe nota ſunt, vel facilè ex per ſe notis intelliguntur: cujusmodi ſunt præcepta Decalogi, ac ſimilia: tum quia & facili diligentia cognoſci poſſunt: & natura ipſa ac conſcientia, *inquit Suarez*, ita pulſat in actibus eorum, ut non permittat ea inculpabiliter ignorari; tum quia Apoſtolus ad *Rom.* 1. & 2. ait: Gentiles contra iſta peccantes eſſe dignos morte, & inexcuſabiles, & perituros, habereque opus Legis ſcriptum in cordibus ſuis.

Reſp. 2. Datur in aliquibus ignorantia invincibilis circa quædam præcepta particularia juris naturalis valde abſtruſa & remota à principiis. *Eſt communis ſententia.* Prob. 1. Experientia. Nam Theologi etiam Sanctiſſimi & Doctiſſimi, veritatisque ſtudioſiſſimi, paſſim in re ad jus naturale pertinente inter ſe diſſident, alii affirmando, alii negando aliquid eſſe contra jus naturale: quorum proinde aliqui errant, cùm ex duabus opinionibus contradictoriis unam eſſe falſam neceſſe ſit. At hi non errant niſi invincibiliter, cùm orationem, diligentiam debitam, & alia media ad aſſequendam veritatem neceſſaria adhibuerint.

2. S. Thomas, & S. Bonaventura de multis ad legem naturalem pertinentibus inter ſe diſſident. Ergo alteruter erravit in materia legis naturalis: & tamen neuter ullam opinionem ante mortem retractavit. Ergo ſi non datur ignorantia invincibilis legis naturalis in aliquibus, alteruter in gravi peccato mortuus eſt, cùm ſit gravis culpa docere culpabiliter errorem circa præcepta divina, ſicque damnatus eſt.

3. Quia cùm aliqua præcepta ſint valde abſtruſa, & remota à primis principiis, à quibus ſine longo ac difficili diſcurſu deduci nequeunt, facile ignorari poſſunt invincibiliter, præſertim à rudioribus, & hominibus tardioris ingenii, qui non ſunt moraliter capaces longioris diſcurſus, & quibus etiam ſine illorum culpa poſſunt deeſſe occaſiones & opportunitates ad comparandam notitiam veritatis.

4. Quia inter varios articulos hic ordine tertius, teste P. la Croix, confixus est Romæ, ann. 1685. die 8. Aug. *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem juris naturæ in ullo homine, dum hic & nunc contra jus naturæ agit.*

Quæst. VII. *Quid dicendum de inadvertentia, inconsideratione, & oblivione?*

Nota. Inadvertentia est privatio actualis attentionis. Inconsideratio est privatio debitæ inspectionis. Oblivio est privatio recordationis rei alias notæ. Unde differunt ab ignorantia habituali, quæ est privatio scientiæ habitualis. Possunt tamen comprehendi sub nomine communi ignorantiæ actualis, quatenus sunt privatio debitæ cognitionis actualis.

Resp. Illæ eodem modo se habent ad peccatum, quo ipsa ignorantia habitualis; ita ut harum quælibet vincibilis, sit peccatum secundùm se: & actio vel omissio mala, quæ ex illa sequitur, deputetur ad culpam: secùs, si invincibilis sit. Quia ad voluntarium & involuntarium se habent inadvertentia, inconsideratio, & oblivio perinde ac ignorantia habitualis. Nam sicut cognitio habitualis non dirigit immediatè actum voluntatis, sed solùm mediante cognitione actuali proponente objecta: ita nec quidquam facit ignorantia habitualis, nisi ratione ignorantiæ actualis, seu privationis cognitionis actualis.

Quare inadvertentia & inconsideratio vincibilis, quæ scilicet potuit & debuit vitari, est peccatum. Nam homo tenetur consideratè & prudenter procedere in actibus suis: & quodlibet præceptum obligat ad adhibendam advertentiam ac considerationem, utpote necessariam ad sui observationem. Ea verò quæ ex illa fiunt contra Legem, sunt peccata imputabilia; quia non tollit voluntarium indirectum & interpretativum: quippe sunt voluntaria etiam ut peccata in ipsa inadvertentia seu inconsideratione, quæ potuit & debuit vitari. E contra si sit invincibilis in homine habente cognitionem habitualem debitam, est prorsus inculpabilis, & excusat à peccato ea, quæ ex illa fiunt contra Legem; quia malitia actus tunc nullatenus, nec interpretativè quidem, est voluntaria; nam sine potestate cognoscendi non potest esse volitio.

Porrò inadvertentia seu inconsideratio culpabilis potest esse voluntaria. 1. In se ipsa, quando adest illa reflexio intellectus advertentis esse ampliùs considerandum, aut inquirendum, & voluntas vult agere sine majore consideratione. 2. In alio, nempe vel in actu positivo, quo quis vult aliud quod advertentiam impediat, v. gr. sequi passionem: vel in omissione diligentiæ, quæ posset & deberet adhiberi: vel in aliquo defectu habituali non ignoto, v. gr. in nimia præcipitatione in agendo, in negligentia ordinaria in attendendo, in prava consuetudine, quam quis emendare non curat.

CAPUT II.

De Libero seu de Libertate.

ARTICULUS I.

In quo consistat essentia Liberi Arbitrii, seu libertas strictè sumpta?

§. I.

Prænotanda.

I. Liberum, voluntarium, & spontaneum, licèt aliquando confundantur, tamen si strictè sumantur, inter se differunt. Nam spontaneum strictè est id, quod est à principio intrinseco juxta inclinationem agentis cum cognitione materiali seu purè sensitiva: ac proinde solis brutis convenit. Si minùs strictè sumatur, præscindit à cognitione spiritali & materiali: & tunc convenit hominibus ac brutis; nam est id, quod est à principio intrinseco cum aliqua cognitione sive spiritali, sive materiali.

Liberum est id, quod est à principio intrinseco, seipsum per electionem determinante,

nante, & valente non agere. Unde liberum minùs late patet quàm voluntarium. Nam *omne liberum est voluntarium*; quia omne liberum est à voluntate agente ex prævia cognitione spiritali: at non omne voluntarium est liberum, quia non omne voluntarium est à voluntate, se ipsam per electionem determinante, & valente non agere. Sic amor beatificus est maximè voluntarius, quatenus à Beatis maxima cum inclinatione voluntatis elicitur ex prævia cognitione spiritali: sed simul est necessarius; quatenus eorum voluntas ex visione beatifica summi boni clare cogniti omni ex parte summè amabilis determinatur necessariò ad amorem DEI eliciendum, ita ut ab illo amore nequeat abstinere. Igitur liberum superaddit voluntario immunitatem ab omni necessitate antecedente intrinseca, seu potentiam se determinandi per electionem ad utrumlibet ex oppositis, ideoque potentiam omittendi id, quod fit, & potentiam agendi id, quod omittitur.

Porro morale dicitur illud, quod est conforme vel difforme regulæ morum: vel quod consideratur relatè ad regulam eorum: sive quod est laude vel vituperio dignum. Naturale verò dicitur id, quod est à principio intrinseco sine cognitione.

II. Necessarium, violentum, & coactum licet sæpe confundantur, tamen strictè & proprie sumpta differunt inter se. Nam necessarium est id, quod est à principio sive intrinseco, sive extrinseco ad unum determinante. Violentum propriè est illud, quod est à *principio extrinseco contra inclinationem patientis*, carentis omni cognitione; ut ascensus lapidis: unde soli naturali directè opponitur: sæpe tamen pro coacto sumitur. Coactum dicitur illud, quod est à principio extrinseco contra *inclinationem patientis cognoscitivi*. Quare coactio est motus ab extrinseco procedens contra inclinationem patientis: sive est vis illata ab agente extrinseco determinante ad unum contra inclinationem patientis cognoscitivi. Violentia verò late sumpta est vis illata ab agente extrinseco ad unum determinante contra inclinationem patientis sive cognoscitivi, sive non cognoscitivi.

III. Libertas generatim idem est ac immunitas. Quare totuplex est libertas, quotuplex immunitas. Sextuplex autem assignatur immunitas: scilicet immunitas à servitute, ab impedimento, à miseria, à peccato, à coactione, & à necessitate. Agitur hic solùm de duabus ultimis, quæ dicuntur libertas naturæ, importans potentiam agendi.

IV. Necessitas est determinatio ad unum. Duplex est, nempe violenta, & non violenta. Necessitas violenta est determinatio ad unum cum violentia: breviùs, est coactio. Necessitas non violenta est determinatio ad unum absque violentia, & dicitur necessitas simplex. Necessitas autem simplex seu voluntaria, non violenta, duplex est intrinseca scilicet & extrinseca. Necessitas extrinseca est determinatio ad unum orta à principio extrinseco. Intrinseca est determinatio ad unum orta à principio intrinseco.

Necessitas intrinseca subdividitur in antecedentem, & consequentem. Necessitas antecedens intrinseca, est intrinseca ad unum determinatio antecedens omnem liberam voluntatis determinationem, & ab illa independens. *Necessitas intrinseca consequens*, est intrinseca ad unum determinatio orta ex libera voluntatis electione.

Porro libertas à necessitate, de qua hic agitur, est libertas à necessitate simplici intrinseca antecedente: quæ vocatur *liberum arbitrium*, libertas *indifferentiæ*, & indifferentia activa. Dicitur indifferentia; quia secundùm se est expers determinationis ad unum: & activa; quia est potentia se ipsam determinandi.

V. Libertas à necessitate simplici, seu libertas indifferentiæ activæ, quæ est libertas simpliciter & propriè dicta, definitur à S. Thoma vis electiva, hoc est, potentia eligendi. Eligere autem est è pluribus oppositis, quæ sint in potestate eligentis, unum assumere seu ponere, altero recusato. Unde libertas, seu vis electiva est po-

tentia è pluribus oppositis, quæ sint in potestate, unum assumendi, alio recusato.

Libertas propriè dicta rectè etiam definitur: facultas suorum actuum domina: potentia, suorum actuum per electionem determinativa: potentia completa & expedita se determinandi per electionem ad utrumlibet ex oppositis seu incompossibilibus: potentia agendi & non agendi positis omnibus ad agendum prærequisitis.

VI. Cùm libertas sit completa & expedita potentia agendi & non agendi, ad libertatem requiritur duplex potentia, nempe potentia agendi, & potentia non agendi, vel ponendi aliud incompossibile, quamvis non requiratur potentia ponendi simul duo opposita, quod repugnat. Hinc ad libertatem dicitur requiri simultas potestatis, non autem potestas simultatis: id est, potestas ponendi simul duo opposita. Per opposita intelliguntur incompossibilia, quæ scilicet non possunt simul poni.

VII. Libertas propriè dicta, seu libertas à necessitate simplici antecedente dividitur in libertatem contradictionis, contrarietatis, & specificationis. Libertas contradictionis seu exercitii est potentia se determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus contradictoriis; qualia sunt amor, & non amor. Libertas contrarietatis est potentia se determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus contrariis; qualia sunt amor & odium. Libertas specificationis est potentia se determinandi per electionem ad utrumlibet ex specie diversis incompossibilibus; qualia sunt oratio & studium. Libertas verò genericè sumpta, quæ in has tres species dividitur, est potentia se determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus oppositis seu incompossibilibus, quorum alia sunt contradictoria, alia contraria, alia specie tantùm diversa, unde oritur divisio in tres supradictas species libertatis.

VIII. Duplex potentia, & impotentia distinguitur, nempe physica & moralis. Potentia physica est facultas seu virtus agendi proportionata operi faciendo. Potentia moralis est facultas agendi, nullis gravibus difficultatibus implicata, quæ ab agendo avocent. Impotentia physica est carentia facultatis agendi. Impotentia moralis consistit in maxima difficultate agendi vel omittendi.

IX. Bucerus, Bajus, Jansenius docuerunt ad essentiam liberi arbitrii sufficere libertatem à coactione, quæ etiam libertas spontaneitatis & voluntarietas dicitur, consistitque in carentia absolutæ & inevitabilis ad unum determinationis, ab extrinseco ortæ contra inclinationem voluntatis: è contra omnes Catholici contendunt ad liberum arbitrium essentialiter requiri libertatem ab omni necessitate simplici intrinseca antecedente, etiam voluntaria seu non violenta. Cum quibus

§. II.

Dico. Essentia liberi arbitrii consistit in potentia agendi vel non agendi, immuni ab omni necessitate simplici antecedente & intrinseca. Unde ad liberum arbitrium non sufficit libertas à coactione, sed essentialiter requiritur libertas ab omni necessitate simplici antecedente & intrinseca.

Prob. 1. Constitutionibus S. Pii V. & Gregorii XIII. ab Ecclesia Catholica receptis, quibus damnatæ sunt hæ Baji propositiones 39. *Quod voluntariè fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.* 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

Prob. 2. Ex Patribus. Pro omnibus sint Gregorius Naz. in apoleg. ubi ait: *Arbitrii libertas parem in utramque partem motum habet.* S. Ambrosius, l. 2. de Fide, c. 3. *Pro voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.* Ubi liberum arbitrium opponitur necessitati. S. Augustinus infra citand. & S. Damascenus, l. 2. orthod. Fidei, c. 26. *Arbitraria ac nobis libera sunt, quæ in utramque partem æque contingere possunt, velut moveri & non moveri, appetere & non appetere &c.* His adde S. Thomam, l. 1. contra Gentes cap. 68. *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle vel non velle,*

velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam cauſæ exteriùs agentis.

Prob. 3. Ratione duplici. 1. Si quod datur liberum arbitrium, eſt illud, quod requiritur ad meritum & demeritum. Atqui liberum arbitrium requiſitum ad meritum & demeritum, eſt libertas ab omni neceſſitate ſimplici intrinſeca antecedente, ut fide conſtat & mox oſtendetur. Ergo. 2. Liberum arbitrium ex S. Thoma eſt vis electiva. Sed vis electiva, ſeu potentia ſe determinandi per electionem excludit omnem neceſſitatem intrinſecam antecedentem, ut ex communi hominum intelligentia conſtat, ſecundùm quam non dicitur propriè eligi, niſi quod poteſt fieri & poteſt omitti. Ergo liberum arbitrium excludit omnem neceſſitatem, &c.

Confirm. Ex eo, quod ante Buceri, Baji & Janſenii tempora, omnes omninò non ſolùm Catholici, ſed etiam Hæretici & Ethnici per liberum arbitrium intellexerunt libertatem ab omni neceſſitate ſimplici. Et verò omnes Hæretici, qui negarunt in homine liberum arbitrium, ideo negarunt, quia cum Catholicis per illud intelligebant facultatem agendi & non agendi abſque omni neceſſitate antecedente, etiam non violenta. Nam nemo, niſi prorſus inſaniat, negare ſeriò poteſt contra evidentem rationem & experientiam, voluntatem eſſe liberam à coactione.

Prætereà liberum arbitrium & voluntarium ſtrictè differunt. Sed non differunt, niſi quòd liberum ſuperaddat voluntario immunitatem ab omni neceſſitate ſimplici. Ergo.

§. III.

Solvuntur objectiones petitæ ab auctoritate.

Obj. 1. S. Damaſcenus, l. 2. orthodoxæ Fidei multa docet, ex quibus colligitur ad eſſentiam liberi arbitrii ſufficere immunitatem à coactione. Nam in

1. Cor. 12. dicit: *neque virtutis nomen obtinere poteſt, quod quis per vim atque invitus facit.*

Reſp. Ibi vim & invitum latè ſumit, per *vim* intelligendo quamcunque neceſſitatem, & per vocem *invitus* intelligendo neceſſitatum quacumque neceſſitate. Unde non opponit libero ſolum coactum ſtrictè dictum, ſed coactum latè ſumptum, nempe pro neceſſitato quacunque neceſſitate antecedente. Nam ibi loquitur de libertate arbitrii, quacum Adam conditus fuit, & quam proinde in ſtatu innocentiæ habuit: quæ ſanè libertas erat immunis ab omni neceſſitate antecedente intrinſeca, etiam non violenta.

2. Ibidem docet hominem liberum eſſe eò quòd rationalis eſt.

Reſp. Hoc dicit, quia libertas neceſſariò ſupponit rationem, & radix libertatis reſidet in intellectu: & quia natura rationalis exigit libertatem naturalem.

3. Idem, c. 26. dicit id eſſe in noſtra poteſtate quod ultro & ſponte fit.

Reſp. Per tò *ſponte* intelligit libere. Nam (ut ex c. 24. conſtat) ſpontaneum duplex admittit: unum imperfectum, quod nullam ſupponit deliberationem, nec proinde eſt ex electione, vocatur tamen ſpontaneum, quia voluptatem affert: & alterum perfectum, quod ſupponit deliberationem, & eſt ex electione, ac proinde à principio ſe determinante per electionem, & conſequenter quod eſt liberum libertate ab omni neceſſitate antecedente.

4. C. 27. dicit libertatem nil aliud eſſe quàm voluntatem.

Reſp. Voluntatem ibi ſumit pro facultate agendi & non agendi, ſeu pro potentia ſui ipſius per electionem determinativa. Voluntas quippe apud Patres & Theologos ſumitur dupliciter: nempe prout natura eſt ideóque potentia ad unum determinata, & prout eſt facultas ſui ipſius per electionem determinativa. Et ipſe S. Thomas voluntatis nomen in hoc duplici ſenſu accepit, nam, quæſt. 2. *de potentia*, art. 3. ſic ait: *Voluntas in quantùm voluntas, cùm ſit libera, ad utrumlibet ſe habet: poteſt enim voluntas agere vel non agere, ſic vel ſic non facere,*

velle & non velle. Et si respectu alicujus hoc voluntati non conveniat, hoc accidit voluntati, non in quantum voluntas est, sed ex inclinatione naturali, ideóque in quantùm natura est.

Confirmantur hæ nostræ responsiones ex eo, quòd S. Damascenus doctrinam nostram clarè tradat in eodem libro objecto, nam postquàm, c. 25. probavit hominem habere in suo arbitrio & in sua potestate actiones suas, explicat c. 26. quid sit hominem habere aliquid in potestate & arbitrio suo. *In nostra potestate*, inquit, *sunt ea, quæ liberum est, nobis vel facere vel non facere.* Et infrà. *Propriè autem in nostra potestate consistunt omnia ea, de quibus deliberamus. Consilium porrò ac deliberatio de iis rebus suscipitur, quæ peræquè in utramque partem contingere possunt. Peræquè autem contingens id est, quod & ipsum possumus, & quod ipsi adversatur, Hujus verò electio penes mentem nostram est.*

Obj. 2. S. Anselmus, l. 2. *Cur* DEUS *homo.* c. 10. sic ait: *Impropriè dicitur necessitas, ubi nec coactio ulla est, nec prohibitio.* Ergo ex S. Doctore necessitas simplex seu non violenta non est propriè necessitas, nec proinde tollit libertatem arbitrii.

Resp. Nego conseq. Quia per coactionem & prohibitionem intelligit omnem necessitatem antecedentem, ut patet ex lib. de concordia. q. 1. ubi dicit actus imperatos voluntatis esse necessarios; quia voluntas cogit potentias, à quibus eliciuntur. Sanè per to *cogere* intelligit necessitare necessitate non violenta. Præterea S. Anselmus eadem quæst. hæc ait: *Potest* (voluntas) *non velle antequam velit, quia libera est: & cùm vult, non potest non velle, sed eam velle necesse est, quoniam impossibile illi est id ipsum simul & velle & non velle. Opus verò voluntatis, cui datum est, ut, quod vult, fit, & quod non vult, non fit, voluntarium sive spontaneum est, quoniam spontanea voluntate fit, & bifarium est necessarium, quia & voluntate cogitur fieri, & quod fit, non potest simul non fieri. Sed has necessitates facit voluntatis libertas, quæ priùs quam sint, eas cavere potest.*

Inst. S. Anselmus ibidem dicit Christum viatorem, Angelos beatos, & DEUM ipsum liberè justos esse, quamvis peccare non possint.

Resp. Dicit eos liberè esse justos, quatenus, quamvis impeccabiles sint, possunt hoc opus bonum in particulari facere vel non facere, & ex plúribus actibus bonis seorsim sumptis possunt hoc vel illud eligere.

Obj. 3. S. Bernardum, l. de gratia & libero arbitrio.

Resp. S. Doctor eodem libro apertè nobiscum sentit. Nam postquàm triplicem distinxit libertatem, nimirum à peccato, miseria, & à necessitate, quam asserit esse libertatem arbitrii, hæc subjicit: *Sola remansit ad pœnam libertas arbitrii, per quam utique cæteras amisit, ipsam tamen amittere non potuit... de tribus ergo libertatibus, quas acceperat, abutendo illa, quæ dicitur arbitrii, reliquis se privavit* Ergo ex S. Bernardo libertas, qua Adamus in statu innocentiæ abusus est, & qua abutendo se ipsum & posteros suos privavit duabus libertatibus, nempe à peccato & à miseria, est libertas arbitrii. Secundùm autem omnes etiam hæreticos ejusmodi libertas est libertas ab omni necessitate simplici.

Jam respondeo ad ea, quæ ex S. Bernardo objiciuntur.

Cùm de libertate loquens ait: *Est enim habitus animi liber sui; siquidem non cogitur, non extorquetur: est quippe voluntatis, non necessitatis.* Per has voces (*non cogitur, non extorquetur*) intelligit, non necessitatur ulla necessitate etiam non violenta. Nam etiam secundùm communem loquendi modum, cùm aliquid dicitur non cogi, non extorqueri, significatur nulla necessitate fieri. Et quod hic sit ejus sensus, patet etiam ex his verbis immediatè præcedentibus verba objecta: *Aliud est*, inquit, *voluntarius consensus, aliud naturalis appetitus.... hunc communem habentes cum bestiis, consensus voluntarius nos discernit: est enim habitus animi liber sui, &c.*

Ergo

Ergo ex S. Bernardo ſolus voluntarius conſenſus nos diſcernit à beſtiis per libertatem ſibi propriam, & quam non habet appetitus naturalis, ſeu ſenſitivus. Atqui libertas illa non eſt libertas à coactione, quam beſtiæ etiam habent. Ergo eſt libertas à ſimplici neceſſitate.

Cùm autem dicit voluntatem hoc ipſo, quòd voluntas eſt, liberam eſſe libertate arbitrii. Per voluntatem intelligit facultatem ſui ipſius determinativam per electionem, facultatem activè indifferentem ad oppoſita.

Nota. Multi Patres, atque etiam Theologi, qui ante exortos Baji & Janſenii errores ſcripſere, has voces (*neceſſitatem & coactionem*, *voluntarium ac ſpontaneum & liberum*, *cogi & neceſſitari*, *liberum*, & *non coactum*) ſæpe confundunt, & pro eodem ſumunt; quia eas in ſenſu latiore & etiam vulgari ſumunt. Sed tunc per coactionem intelligunt quamcunque neceſſitatem etiam non violentam: per tò *cogi* intelligunt neceſſitari ſive violentè ſive non violentè: per voluntarium & ſpontaneum intelligunt liberum, ſeu id quod eſt à voluntate ſui ipſius determinativa per electionem. Item per voluntatem intelligunt potentiam ſui ipſius determinativam per electionem, proindeque libertatem indifferentiæ. Unde has voces non acceperunt in ſignificatione ſtricta, quam nunc in ſcholis habent, ſed in ſignificatione latiori & quam etiam habent in uſu communi. Imò interdum ſumunt liberum latè, nempe pro voluntario neceſſario. Quare voces illæ pro ſubjecta materia ad illorum mentem exponendæ ſunt. Nunc autem Theologi eaſdem voces accuratiùs diſtinxerunt, & ſtrictiùs ſumunt, ut recentiorum novatorum cavillationes confutent.

Obj. 4. S. Thomam variis locis. Nam 1. Quæſt. 10. de potentia, art. 2. & 5. ſic ait. *Naturalis neceſſitas, ſecundùm quam voluntas aliquid ex neceſſitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat. Libertas enim voluntatis violentiæ vel coactioni opponitur.*

Reſp. S. Doctor hic loquitur de libertate ſpontaneitatis & latè dicta, quæ eſt facultas agendi juxta inclinationem: non autem de libertate arbitrii & propriè dicta, quam clarè multis locis docet eſſe immunem ab omni neceſſitate etiam non violenta. Nam, 1. p. quæſt. 19. art. 10. ait: *Liberum arbitrium habemus reſpectu eorum, quæ non neceſſario volumus, vel naturali inſtinctu. Non enim ad liberum arbitrium pertinet, quod volumus eſſe felices, ſed ad naturalem inſtinctum. Unde & alia animalia, quæ naturali inſtinctu moventur ad aliquid, non dicuntur libero arbitrio moveri. Cùm igitur DEUS ex neceſſitate ſuam bonitatem velit, alia verò non ex neceſſitate, reſpectu illorum, quæ non ex neceſſitate vult, liberum arbitrium habet.*

2. S. Thomas, in 2. diſt. 25. quæſt. un. art. 4. ait: *Liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non poteſt.*

Reſp. Per tò *cogi* intelligit neceſſitari quacumque neceſſitate antecedente intrinſeca tum voluntaria, tum involuntaria. Sic, art. 2. dicit, quod *intellectus demonſtrationis vi cogitur.* Et verò S. Doctor, 1. p. qu. 83. art. 4. ait: *Liberum arbitrium nihil aliud eſt quam vis electiva.* Et, art. 3. *Proprium liberi arbitrii eſt electio. Ex hoc enim liberi arbitrii eſſe dicimur, quod unum poſſumus recipere, alio recuſato, quod eſt eligere.* Per verbum *recipere* intelligit aſſumere.

3. S. Thomas, eadem diſt. art. 1. ad 4. dicit: *Quædam ordinata ſunt ad finem ultimum beatitudinis, quæ ipſi fini conjungunt, ut videre, amare, & hujusmodi: & reſpectu horum erit* (in beatis) *ſempiterna & libera electio.*

Reſp. Solum vult, beatos ſemper habituros eſſe liberum arbitrium circa aliquos actus, quales ſunt actus viſionis & amoris circa multa objecta alia à DEO, quæ videndi & amandi nullam neceſſitatem habent.

Et verò, 1. 2. q. 13. a. 2. ſic ait: *Cum electio ſit præacceptio unius reſpectu alterius, neceſſe eſt, quod electio ſit reſpectu plurium*

quæ eligi poſſunt: & ideo in his quæ ſunt penitus determinata ad unum, electio locum non habet.

§. IV.

Solvuntur objectiones ex ratione petitæ.

Obj. 1. Voluntarium omne quamvis neceſſarium, eſt liberum. Ergo ad eſſentiam liberi arbitrii non requiritur libertas ab omni neceſſitate ſimplici. *Nego antecedens. Probabis.* Illud eſt liberum, quod eſt in noſtra poteſtate. Sed omne voluntarium etſi neceſſarium, eſt in noſtra poteſtate. Ergo eſt liberum.

Reſp. 1. *Nego min.* Nam (ut lumine naturali patet) illud ſolum eſt in noſtra poteſtate, de quo poſſumus pro arbitrio diſponere: ac proinde illi ſoli actus ſunt in noſtra poteſtate, quos poſſumus pro arbitrio elicere vel non elicere.

Reſp. 2. *Diſting. maj.* Illud eſt liberum quod eſt in noſtra poteſtate electiva, ſeu activè indifferente, *conc. maj.* In noſtra poteſtate non electiva, *nego maj.* Poteſtas electiva eſt potentia ſe determinandi per electionem: quæ potentia includit ſimul potentiam ponendi actum, & potentiam illum non ponendi. Poteſtas non electiva eſt potentia producendi actum antecedenter ad illum determinata, ideóque excludens potentiam illum omittendi.

Inſt. 1. Illud eſt liberum, quod fit, cùm volumus, quod non fit, cùm nolumus, nec fit, niſi quia volumus. At quod eſt in noſtra poteſtate non electiva, fit, cum volumus, non fit, cum nolumus, nec fit, niſi quia volumus. Ergo illud eſt liberum.

Reſp. Diſtinc. maj. Quod fit cùm volumus ſine neceſſitate antecedente intrinſeca volendi, & non fit cùm nolumus ſine antecedente neceſſitate non volendi, *conc. maj.* Secùs, *nego major. & diſtincta ſimiliter minore, nego conſeq.* Ut aliquid ſit liberum, non ſufficit, ut illud fiat cum volumus, nec fiat niſi quia volumus, nec fieret ſi nollemus; alioqui DEI amor beatificus eſſet propriè liber: ſed inſuper requiritur, ut habeamus potentiam illud non volendi cùm volumus, & potentiam volendi cùm nolumus.

Inſt. 2. Amor DEI beatificus eſt liber Beatis; quia fit ex eo quòd voluntas velit amare. Ergo. *Nego anteced. Probabis.* Si Beatus non vellet amare DEUM, revera non amaret. Ergo DEUM liberè amat.

Reſp. Nego antec. Nam ex communi uſu ad veritatem hujus & cujusvis ſimilis propoſitionis, non ſufficit connexio conſequentis cum antecedente, ſed inſuper requiritur poſſibilitas antecedentis, alioqui propoſitio eſt falſa & nugatoria. Nam ejuſmodi propoſitiones juxta communem uſum enuntiant non ſolum *antecedentis* cum *conſequente connexionem*, ſed etiam *antecedentis poſſibilitatem:* Beatus autem non poteſt non velle DEUM amare. Et verò eodem argumento probaretur Beatum poſſe odiſſe DEUM, & libere non odiſſe; ſi enim vellet DEUM odiſſe, DEUM odiſſet. Item probaretur DEUM poſſe peccare; quia ſi vellet peccare, revera peccaret. Ergo libere non peccat. Ergo poteſt peccare.

Inſt. 3. Voluntas Beati DEUM amando ſeipſam movet. Ergo amat ex propria determinatione.

Reſp. Nego anteced. Nam (ut docet S. Thomas) voluntas, propriè ac ſtrictè loquendo, non movet ſeipſam, niſi cum eſt actus ſui domina: non eſt autem actus ſui domina, niſi cum poteſt pro arbitrio illum elicere vel omittere.

Obj. 2. Si libertas arbitrii conſiſteret in indifferentia agendi, habitus boni vel mali tollerent libertatem; nam tollunt indifferentiam. *Falſum conſeq.* Ergo.

Reſp. Diſting. maj. Si libertas arbitrii conſiſteret in indifferentia propenſionis, *conc. maj.* Si libertas conſiſtit in indifferentia activa, quæ eſt facultas ſe determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus oppoſitis, ut reipſa conſiſtit, habitus tollerent libertatem, *nego ſequel. maj.* Nam habitus ita voluntatem in alterutram partem impel-

impellunt, ut eam non neceſſitent, ſeu determinent ad unum.

Nota. Triplex diſtinguitur indifferentia: nimirùm activa, paſſiva, & propenſionis. Indifferentia activa eſt facultas ſe determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus oppoſitis ſeu incompoſſibilibus. Indifferentia paſſiva eſt capacitas recipiendi vel non recipiendi aliquid, quod nondum habetur. Hæc duplex eſt: alia merè paſſiva, quæ eſt capacitas recipiendi vel non recipiendi aliquid neceſſariò, non ex propria determinatione: & alia non merè paſſiva, quæ eſt capacitas recipiendi vel non recipiendi aliquid, ſed ex propria determinatione: ſic homo neque amans, neque odio habens DEUM, eſt indifferens ad amandum vel odio habendum DEUM; quia poteſt ex propria determinatione in ſe recipere amorem vel odium DEI. Quare indifferentia non merè paſſiva eſt indifferentia ſimul active & paſſiva. Indifferentia propenſionis eſt æqualitas propenſionis ad plura: ut ſi quis æqualiter propendeat ad amorem & odium: ſive conſiſtit in æquilibrio voluntatis non magis in unam partem quam in aliam propendentis: quæ indifferentia non requiritur ad eſſentiam liberi arbitrii, ſed illi accidentalis eſt.

Obj. 3. Si eſſentia libertatis conſiſtit in immunitate ab omni neceſſitate ſimplici, tota eſſentia libertatis eſt in libertate contradictionis. *Falſum conſeq.* Ergo.

Reſp. Nego min. Revera tota eſſentia liberi arbitrii eſt in libertate contradictionis. Nam tota eſſentia liberi arbitrii conſiſtit in eo præcisè, quod ſit facultas eligendi hoc vel illud, aut neutrum volendi: quod ſit facultas agendi vel non agendi: quod ſit facultas, quæ poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poteſt agere & poteſt non agere.

Porro libertas contrarietatis includit libertatem contradictionis, & ei ſuperaddit potentiam faciendi actum poſitivum contrarium. Nam actus malus eſt tum negatio actus boni, tum actus poſitivus ei contrarius.

Quæres, utrùm potentia peccandi ſit de ratione liberi arbitrii?

Reſp. Negat. Prob. 1. Ex S. Auguſtino, l. de correptione & gratia, c. 11. ubi ait: *Quid erit liberius libero arbitrio, quando non poterit ſervire peccato, quæ futura erat & homini, ſicut facta eſt & Angelis ſanctis merces meriti? ... Prima libertas voluntatis erat, poſſe non peccare: noviſſima erit multo major, non poſſe peccare.*

2. Ex aliis Patribus docentibus liberum arbitrium eſſe eximiam illam perfectionem, ſecundùm quam homo ad imaginem DEI conditus eſt. Sed homo non eſt ſecundùm potentiam peccandi conditus ad imaginem DEI. Ergo.

3. Quia DEUS habet totam eſſentiam liberi arbitrii; cum liberum arbitrium perfectiſſimum habeat: & tamen peccandi poteſtate caret.

4. Quia tota eſſentia liberi arbitrii conſiſtit in completa & expedita facultate agendi & non agendi.

Obj. 1. Patres aliquando deſcribunt liberum arbitrium per indifferentiam activam ad bonum vel malum.

Reſp. Tunc liberum arbitrium deſcribunt, non per id quod ei eſſentiale eſt, ſed per merum ſtatum ei accidentarium, quem habet in hominibus viatoribus.

Obj. 2. Potentia peccandi eſt aliqua perfectio; nam eſt aliqua virtus.

Reſp. Nego. Itaque potentia peccandi neque eſt perfectio, neque virtus aliqua: ſed eſt ſolùm defectibilitas alicujus virtutis, nempe liberi arbitrii, ejus perfectioni eſſentiali accidentalis. Quæ quidem defectibilitas eſt aliquid purè negativum: unde ea poſita vel ſublata liberum arbitrium ſemper manet idem quoad totum poſitivum quo conſtituitur: nec augetur, aut minuitur ſecundùm ſuum conſtitutivum eſſentiale. Igitur potentia peccandi non competit libero arbitrio niſi accidentaliter ratione ſtatus contingentis, quem habet in puris viatoribus.

Poteſt etiam dici potentia peccandi eſſe virtus aliqua, non præcisè ſumpta, ſed

quate

quatenus defectibilis, nempe liberum arbitrium quatenus defectibile: unde supra liberum arbitrium dicit aliquid merè negativum.

ARTICULUS II.

Utrùm ad merendum & demerendum in præsenti statu requiratur libertas ab omni necessitate simplici.

Nota. Libertas à coactione est immunitas à violentia extrinsecùs illata: sive est potentia agendi secundùm propriam inclinationem Coactio autem est determinatio ad unum orta à principio extrinseco contra inclinationem coacti.

§. I.

Dico. Ad merendum & demerendum in præsenti statu naturæ lapsæ non sufficit libertas à coactione, sed requiritur libertas ab omni necessitate intrinseca antecedente, etiam voluntaria & variabili. Est de fide contra Jansenium & Sectatores.

Prob. 1. Ex Script. Eccli. cap. 31. *Beatus .... qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino*, &c. Ergo laudabilitas & ratio meriti repetitur ex eo, quòd quis non violet mandata, cùm possit violare; ideóque quòd mandata servet sine ulla necessitate antecedenti.

Prob. 2. Ex terria Jansenii propositione damnata ab Ecclesia ut hæretica, quæ sic habet: *Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Ergo nostra assertio huic propositioni in sensu doctrinæ Jansenii, in quo damnata est, contradictoria, est de fide. Adde quòd Pius V. & Gregorius XIII. & Urbanus VIII. hanc Baji propositionem 67. damnarunt: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quòd necessariò facit.*

Prob. 3. Ex Patribus. Pro omnibus sint 1. S. Irenæus, l. 4. contra hæreses, cap. 71. *Dedit DEUS bonum .... & qui operantur quidem illud, gloriam & honorem percipient, quoniam operati sunt bonum, cùm possint non operari illud. Hi autem qui illud non operantur, judicium justum recipient DEI, quoniam non sunt operati bonum, cùm possent operari illud.*

2. Sanctus Justinus, in apologia ad Senatum. *Nihil esset in illis laude dignum, nisi facultatem haberent, qua se in utramque partem converterent.*

3. Clemens Alexandrinus, l. 1. stromatum. *Quoniam libera electio peccata primùm inchoat, jure infliguntur supplicia.*

4. Sanctus Chrysostomus, Homil. 22. in Genesim. *Nonne manifestum est, sua quemvis voluntate vel malitiam vel virtutem eligere? Nam nisi ita esset, & naturæ nostræ potestas insita esset, neque illos puniri, neque istos virtutum retributiones accipere oportebat. Verùm quia in nostra voluntate totum post gratiam DEI relictum est, ideò & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus retributiones.*

5. Sanctus Hieronymus, l. 2. contra Jovinianum. *Liberi arbitrii nos condidit DEUS, nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est.*

6. S. Damascenus. l. 2. de Fide, c. 26. *In nobis sunt ea, quorum liberam adepti potestatem sumus & facere & non facere ..... quæ sequitur laus aut vituperatio.*

Patribus addo Sanctum Thomam, qui qu. 6. de malo, art. un. sic ait: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant quod voluntas cogeretur: non enim omne necessarium est violentum, sed solùm id, cujus principium est extra .... Hæc autem opinio est hæretica: tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium vel demeritorium, quod aliquis ex necessitate agit, quòd vitare non possit*, &c.

Prob. Denique ratione. 1. Pro *merito*. Ut actio sit merito ia, debet esse nostra sic, ut illam dare possimus velut pretium pro præ-

præmio. Atqui ut actio sit nostra, & illam dare possimus velut pretium pro præmio, requiritur libertas ab omni necessitate simplici antecedente; nam ad hoc requiritur, ut actio sit in dominio nostro, ita ut possimus de illa pro arbitrio disponere, & illam dare vel non dare pro arbitrio. Ergo ut actio sit meritoria, requiritur libertas ab omni necessitate simplici.

2. Pro *demerito*. Omne demeritum est essentialiter peccatum imputabile, ad culpam scilicet & pœnam. Sed ad peccatum imputabile requiritur libertas à necessitate. Ergo & ad demeritum. *Prob. min.* Omne peccatum debet posse vitari. Ergo ad peccatum imputabile requiritur libertas à necessitate. *Prob. antec.* Obligamur ad vitandum peccatum. Ergo peccatum potest vitari: alioquin obligaremur ad impossibile; nam obligaremur ad vitandum id, quod non posset à nobis vitari. Nemo autem obligari potest ad impossibile, ut lumine naturali patet: & DEUS impossibilia non jubet, ut docet Conc. Trid. sess. 6. cap. 11.

Confirmatur ex communi omnium hominum, partium studiis non excœcatorum, assensu: & solo lumine naturali patet, neminem laudem ac præmium, vel vituperium & pœnam mereri, quòd egerit id, quod non potuit omittere: vel omiserit id, quod non potuit facere.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. S. Thomas, in 3. dist. 18. qu. un. art. 2. ad 5. ait: *Vel dicendum, quòd etiamsi* (liberum arbitrium Christi) *esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum DEUM, quod non facere non potest; tamen ex hoc non amitteret liberta.em, neque rationem laudis sive meriti, quia in illud non coactè, sed sponte tendit: & ita est actus sui Dominus.* Ergo ex Sancto Thoma ad meritum sufficit libertas à coactione.

Resp. Nego conseq. Quia ibi S. Doctor per voces (*non coactè, sed sponte*) intelligit non necessariò quacumque necessitate sed liberè libertate à quavis necessitate simplici, ut patet ex his verbis: *& ita est actus sui Dominus.* Nam ad dominium actuum requirit multis in locis libertatem à necessitate simplici, ut eodem a. in O. ubi postquam dixit tria ad merendum requiri, sic prosequitur: *Secundùm, ut sit Dominus suæ actionis ..... & ideo ea, quæ agunt per necessitatem naturæ non merentur.* Item, 1. p. q. 82. art. 1. ad 3. ait: *Sumus Domini nostrorum actuum, secundùm quod possumus hoc vel illud eligere. Electio autem non est de fine, sed de his quæ sunt ad finem. Unde appetitus ultimi finis non est de his quorum Domini sumus.* Item, 3. p. q. 18. art. 4. ad 3. *Voluntas Christi licèt sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc vel illud bonum. Et ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium.*

Dices. S. Thomas, 1. 2. q. 6. art. 2. ad 3. sic ait: *Laus & vituperium consequuntur actum voluntarium secundùm perfectam voluntarii rationem.* Ergo ad vituperium & laudem sufficit libertas à coactione.

Resp. Nego conseq. Quia ex S. Thoma voluntarium quod fit secundùm perfectam rationem voluntarii, est illud, quod fit à voluntate sine antecedenti necessitate. Nam juxta illum voluntarium secundùm perfectam rationem voluntarii est illud, quod fit ex prævia deliberatione; sic enim eodem articulo ait: *Perfectam cognitionem finis sequitur voluntarium secundùm rationem perfectam, prout scilicet apprehenso fine, aliquis potest deliberans de fine, & de his quæ sunt ad finem, moveri in finem vel non moveri.* Sed ex Sancto Thoma, quod fit ex prævia deliberatione, fit sine antecedenti necessitate etiam voluntaria; nam ad 2. ita loquitur: *Ex hoc contingit, quòd homo est Dominus sui actus, quòd habet deliberationem de suis actibus: ex hoc enim quòd ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas in utrumque potest.* Enim verò cùm ratio deliberans se habet ad opposita, voluntas agens ex præ-

via deliberatione agit cum activa indifferentia ad oppoſita, & ſic agit ſine ulla neceſſitate antecedenti.

Obj. 2. Qui agit voluntariè licèt neceſſariò, habet potentiam faciendi oppoſitum; nam voluntas eſt facultas volendi & nolendi, quæ ſemper remanet. Ergo.

Reſp. Diſting. anteced. Habet potentiam faciendi oppoſitum ligatam & impeditam, *ſto.* Completam & expeditam, *nego antec.* Ad meritum autem & demeritum requiritur potentia completa & expedita agendi id, quod omittitur, & omittendi id, quod fit. Sic militi ſano ac robuſto, ſed manus pedesque vinculis conſtricto imputari non poteſt ad culpam, quòd non pugnet; quia habet quidem potentiam pugnandi, ſed ligatam & impeditam.

Jam verò ſi (ut docet Janſenius) voluntas noſtra bonum & malum neceſſariò agit prout determinatur à gratia vel à concupiſcentia intenſiore: certè cùm vult bonum, non habet potentiam illud non volendi niſi ligatam per gratiam; ſiquidem ſtante majore gratiæ delectatione non poteſt non velle bonum. Similiter quando vult malum, etiamſi tunc habeat aliquam gratiam ad oppoſitum ſed minùs intenſam, non habet potentiam omittendi malum niſi ligatam & impeditam per majorem concupiſcentiæ delectationem, neceſſitantem voluntatem ad malum. Ergo in ſyſtemate Janſenii voluntati neque actus bonus ad meritum, neque malus ad demeritum imputari poteſt.

Inſt. Voluntas etiam cùm neceſſariò agit, poneret oppoſitum, ſi vellet. Ergo ei imputari poteſt actus ejus bonus vel malus.

Reſp. Nego antecedens, quod falſum ſupponit; nam cum dicitur, voluntas poneret oppoſitum, ſi vellet: ſupponitur ex communi hominum intelligentia, quòd poſſit velle oppoſitum. Sic dici non poteſt: DEUS peccaret, ſi vellet; quia DEUS non habet peccandi potentiam, quamvis voluntas peccandi ſit peccatum. Voluntas autem non poteſt ſupponi poſſe velle oppoſitum illius, quod neceſſariò vult.

Obj. 3. Belluæ pœna & præmio afficiuntur, & tamen non habent libertatem à neceſſitate ſimplici. Ergo hæc libertas non requiritur ad merendum & demerendum.

Reſp. Nego 1. partem antecedentis. Nam belluæ propriè loquendo, nec pœna, nec præmio afficiuntur: ſed bonis vel malis quibusdam afficiuntur, ut ad aliquas actiones alliciantur, vel ab iis deterreantur.

Dolores autem belluarum non ſunt pœnæ propriè dictæ, ſed duntaxat mala ipſis connaturalia; pœna enim propriè dicta eſt malum ſeu incommodum aliquod naturæ vel voluntati contrarium ad culpam aliquam vindicandam inflictum. Neque canes propriè loquendo fuſte percutiuntur ob carnem comeſtam, niſi ut abſterreantur à comedenda in poſterum, alioqui irrationabiliter percuterentur.

Obj. 4. Ad meritum & demeritum requiritur quidem libertas à neceſſitate etiam voluntaria, ſed abſoluta & invariabili: non autem à neceſſitate relativa & variabili, quæ nempe modò ad bonum, modò ad malum ſit, prout motus indeliberatus gratiæ vel concupiſcentiæ intenſior eſt.

Reſp. Nego. Et dico eſſe de fide, requiri libertatem ab omni neceſſitate etiam voluntaria tum abſoluta & invariabili, tum etiam relativa & variabili.

Nam 1. Scriptura & Patres ad meritum & demeritum exigunt immunitatem à qualibet neceſſitate etiam voluntaria ſine ulla reſtrictione, & completam ac expeditam potentiam agendi id, quod omittitur, & omittendi id, quod fit.

2. Tertia propoſitio Janſenii damnata eſt ab Eccleſia ut hæretica in ſenſu doctrinæ Libri Janſenii, ut conſtat ex Bullis Alexandri VII. & Clementis XI. ab Eccleſia receptis. Senſus autem hujus propoſitionis Janſenii (*Ad merendum & demerendum injtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate*) eſt, quòd non requiratur libertas à neceſſitate relativa & variabili voluntaria, ut patet cuilibet librum Janſenii legenti: & ipſe Janſenius admittit in præſenti ſtatu naturæ lapſæ immunitatem à

neceſ-

neceſſitate abſoluta & invariabili; nam diſertè docet eumdem hominem modo ad bonum à gratia intenſiore, modò ad malum à concupiſcentia intenſiore phyſicè determinari.

3. Omnia argumenta allata militant pro libertate à qualibet neceſſitate etiam voluntaria tam relativa & variabili, quàm abſoluta & invariabili. Nam utraque neceſſitas tam inſuperabilis eſt, & æquè tollit potentiam ad oppoſitum eo inſtanti quo fit bonum vel malum.

Obj. 5. Licèt homo neceſſitetur à concupiſcentia, tamen verè imputabiliter peccat; quia id, quod fit à concupiſcentia neceſſitante, eſt ſufficienter liberum in peccato Adami.

Reſp. Nego. Quia, 1. Alexander VIII. damnavit hanc propoſitionem 1. *In ſtatu naturæ lapſæ ad peccatum formale & demeritum ſufficit illa libertas, qua voluntarium fuit in cauſa ſua, peccato originali & libertate Adami peccantis.*

2. Quia peccata perſonalia debent procedere à libertate propria voluntatis, quæ ſit phyſicè noſtra. Nam cùm omne peccatum ſit eſſentialiter liberum, peccatum perſonale eſt eſſentialiter liberum libertate perſonali.

3. Quia ſi ea, quæ *contra* legem fiunt, non ſunt libera niſi libertate peccati originalis, ſublato peccato originali, jam non ſunt libera, nec proinde peccata imputabilia. Unde baptizati jam non poſſunt peccare imputabiliter.

ARTICULUS III.

Utrùm homo in ſtatu naturæ lapſæ habeat libertatem ab omni neceſſitate ſimplici intrinſeca?

§. I.

OLim Manichæi negarunt, & nunc Lutherani & Calviniſtæ negant ineſſe homini in præſenti ſtatu liberum arbitrium ſeu libertatem ab omni neceſſitate intrinſeca antecedente, quamvis in eo admittant libertatem à coactione. Idem docet Janſenius in ſuo opere, quod inſcribitur *Auguſtinus*, ab Eccleſia damnato, ex quo quinque famoſæ hæreſes quoad ſenſum excerptæ ſunt, ut videre eſt, tom. 2. lib. 6. de gratia, c. 6. Ex tom. 3. l. 6. c. 38. *Ex alibi.* Idem etiam nunc docent Janſeniſtæ, qui idem quoad hoc cum Luthero & Calvino ſentientes, ut errorem ſuum à Concilio Tridentino jam damnatum occultent, dicunt dari etiam in hoc ſtatu naturæ lapſæ liberum arbitrium: per illud intelligentes ſolam libertatem à coactione, vel à neceſſitate invariabili. Sed pertinaciter negant nunc homini ineſſe libertatem ab omni neceſſitate antecedente intrinſeca voluntaria etiam relativa & variabili: quam aſſerunt amiſſam eſſe per Adami peccatum quoad actus virtutis & vitii. Hinc quod à nobis fit ſive bonum ſive malum, cenſent fieri ex neceſſitate intrinſeca, antecedente, inſuperabili; quia gratiæ delectatio major ſeu intenſior voluntatem ad bonum: concupiſcentiæ verò delectatio major ad malum inſuperabiliter determinat.

Equidem eorum plerique jam non ita durè loquuntur, licèt non minùs hæreticè ſentiant: ſed ſuam hæreſim, mutatis antiquis liberi arbitrii notionibus & uſitatis vocum ſignificationibus, ſub verbis in ſpeciem Catholicis velant. Quare ut ſimpliciores decipiant, ac fucum faciant, admittunt nomen indifferentiæ ad bonum & malum: ſed per illud intelligunt indifferentiam paſſivam, quæ juxta illos eſt capacitas, quam habet voluntas, ut à gratia intenſiore ad bonum, vel à motu concupiſcentiæ intenſiore ad malum inſuperabiliter determinetur. Quin etiam quidam eorum hanc indifferentiam vocant activam; quia voluntas licèt antecedenter & inſuperabiliter determinata à gratia vel à concupiſcentia, verè agit, quamvis non ex propria determinatione & electione: & in hoc ſenſu dicunt ſe admittere libertatem indifferentiæ activæ.

Sed omnes illi novatores conſtanter negant voluntatem noſtram immunem eſſe ab

omni neceſſitate intrinſeca antecedente etiam voluntaria, & variabili: hoc eſt, quæ modò eſt ad bonum, modò ad malum, prout gratiæ vel concupiſcentiæ motus eſt intenſior: ſed volunt voluntatem noſtram ſemper neceſſariò agere id, quod agit.

§. II.

Dico. Ineſt homini etiam in præſenti ſtatu naturæ lapſæ libertas à qualibet neceſſitate intrinſeca, antecedente, etiam voluntaria & variabili ad bonum & peccatum. Eſt de fide.

Prob. 1. Ex Script. Deuter. c. 30. Moyſes Iſraelitas homines exiſtentes in ſtatu naturæ lapſæ ſic alloquitur: *Teſtes invoco hodie Cœlum & Terram, quòd propoſuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut & tu vivas, & ſemen tuum, & diligas Dominum DEUM tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhæreas.* Et lib. Joſue c. 24. ſic eoſdem Iſraelitas exhortatur Joſue Spiritu Sancto afflatus: *Nunc ergo timete Dominum, & ſervite ei perfecto corde atque veriſſimo .... ſin autem malum vobis videtur ut Domino ſerviatis, optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui ſervire potiſſimùm debeatis, utrùm diis, quibus ſerviverunt Patres veſtri in Meſopotamia, an diis Amorrhæorum .... Ego autem & domus mea ſerviemus Domino.* Ergo Iſraelitæ habebant optionem & poteſtatem eligendi bonum vel malum, cultum veri DEI vel idololatriam. Ergo habebant libertatem ab omni neceſſitate etiam voluntaria. Enim verò ſi hac libertate caruiſſent, exhortatio illis facta inſtinctu Spiritus Sancti, fuiſſet inanis & planè nugatoria. Nam inutilis eſt exhortatio ad aliquid, ad quod faciendum quis neceſſitatur: & nugatoria ac jocoſa eſt, ſi ſit ad faciendum id, ad quod omittendum quis inſuperabiliter neceſſitatur.

Item, Eccli. c. 15. *DEUS ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua: ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te .... Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Quæ verba evidenter diriguntur ad homines præſentes, ideoque lapſos.

Prob. 2. Ex Patribus apud Bellarminum & alios. Hic ſufficiant Patres, art. 2. citati, & hi pauci. Sanctus Irenæus, lib. 4. c. 9. *Homo rationabilis, & ſecundùm hoc ſimilis DEO, liber in arbitrio factus, & ſuæ poteſtatis, ipſe ſibi cauſa eſt, ut aliquando quidem frumentum, aliquando autem palea fiat.* Si homo ſuæ poteſtatis eſt & ſibi ipſi cauſa eſt, ut frumentum vel palea fiat, certè bonum vel malum agit ſine ulla antecedenti neceſſitate. Sanctus Athanaſius in orat. contra idola. *Anima libera eſt & ſui arbitrii; poteſt enim ut ad bona ſe inclinare, ita bona quoque averſari.*

Prob. 3. Ex Concil. Tridentino, quod, ſeſſ. 6. c. 1. declarat in hominibus lapſis *liberum arbitrium minimè extinctum fuiſſe, viribus licèt attenuatum & inclinatum.* Et can. 5. ſic habet: *Si quis liberum hominis arbitrium poſt Adæ peccatum amiſſum & extinctum eſſe dixerit .... anathema ſit.* Ex quo ſic argumentor. Liberum illud hominis arbitrium, quod Concilium definit non eſſe amiſſum, eſt libertas ab omni neceſſitate ſimplici antecedente, intrinſeca, etiam voluntaria, non autem ſola libertas à coactione. Ergo Concilium definit libertatem ab omni neceſſitate ſimplici remanere in homine poſt Adæ peccatum. *Prob. ant.* Illud liberum a birrium, quod Concilium definit non eſſe amiſſum, eſt illa libertas, quam amiſſam eſſe aſſerebant Hæretici hoc canone damnati, nempe Lutherus & Calvinus: non autem illa libertas, quâ fatebantur non eſſe amiſſam, ut nemo ſanæ mentis dubitat: alioqui Concilium nil ageret, & inutilis prorſus eſſet illius definitio. Atqui liberum arbitrium, quod amiſſum eſſe aſſerebant Lutherus & Calvinus, eſt libertas ab omni neceſſitate ſimplici, ſeu voluntaria & variabili, non

autem

autem libertas à coactione. Ergo liberum arbitrium, quod Concilium definit non esse amissum post Adæ peccatum, est libertas ab omni necessitate simplici etiam voluntaria & variabili. *Minor constat;* nam illi Hæretici asserebant amissam esse libertatem à necessitate simplici, nec unquam negarunt inesse homini lapso libertatem à coactione; ut patet ex illorum scriptis. Lutherus, in libro de servo arbitrio, fol. 434. Vittemb. ann. 1562. de voluntate nostra ait: *Mera lubentia, pronitate, ac sponte sua vult & facit.* Calvinus verò, lib. 2. instit. c. 3. Imò Calvinus expressè admittit liberum arbitrium intellectum in sensu Jansenii, nempe de sola libertate à coactione; sic enim, lib. 2. contra Phigium ait: *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium & fateor, & constanter assevero: ac pro Hæretico habeo, quisquis secus sentiat. Si hoc, inquam, sensu liberum vocetur, quia non cogatur, & violenter trahatur externo motu, sed sponte agatur sua, nihil moror.* Et verò dari libertatem à coactione, nemo unquam negavit, nec negare quis potest nisi insaniat. Nam per se patet voluntatem cogi non posse quoad actus suos; cùm omnis actus voluntatis sit ipsa inclinatio voluntatis: & evidenter repugnet voluntatem posse velle nolendo, & nolle volendo: quod tamen fieret, si cogeretur quoad suos actus.

Accedit Concil. Arausicanum II. can. 25. ubi ait: *Hoc secundùm fidem catholicam credimus, quòd accepta per Baptismum Gratia, omnes, quæ ad salutem pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, implere.* Et Concilium Constantiense, quod, sess. 8. damnavit articulum 27. VVicleffi, quo asserebat omnia de necessitate evenire. Per necessitatem autem intelligebat simplicem seu voluntariam, quam à præscientia DEI repetebat, in quo solo à Jansenio & Calvino discrepat.

Prob. 4. Ratione Theologica. Homo in statu naturæ lapsæ meretur, & demeretur, ut fide constat: ac proinde habet id omne, quod requiritur ad merendum & demerendum. Atqui ad merendum & demerendum requiritur libertas ab omni necessitate intrinseca antecedente, nec sufficit libertas à coactione, ut etiam fide constat, & ostensum est, art. 2. Ergo homo in statu naturæ lapsæ habet libertatem à necessitate simplici, & non tantùm à coactione.

Prob. 5. Alia duplici ratione. *Prima.* Si homo lapsus careret libertate ab omni necessitate etiam voluntaria, teneretur ad impossibile; nam teneretur observare præcepta divina, quæ tamen necessariò violaret, quoties ea non servaret.

Secunda ratio. Si non daretur libertas ab omni necessitate simplici, homines scelerati justam haberent excusationem suorum criminum, nempe necessitatem antecedentem insuperabilem peccandi. *Falsum consequens*: alioqui injustè sive à DEO sive ab hominibus punirentur. Ergo & *antecedens.* Item viri probi frustra curam ac conatum adhiberent, ad virtutem colendam; siquidem ad illam exercendam necessitarentur, & quidem ex majore delectatione. Nec magis laude ac præmio digni forent quàm improbi; siquidem utrique facerent, quod non possent non facere: quare hæresis illa negans libertatem ab omni necessitate simplici est principium omnis morum corruptelæ: sceleribus ac vitiis omnibus frena laxat, & omnem virtutis curam ac studium penitùs tollit.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Multos textus Scripturæ.

1. Christus, Matth. c. 7. dicit: *Non potest arbor bona malos fructus facere: neque arbor mala bonos fructus facere.*

Resp. Per arborem hic intelligitur voluntas efficax, ut docet S. Augustinus: & sensus est. homo habens bonam voluntatem efficacem, quamdiu illam habet, non potest malum agere. Sed bonam illam voluntatem liberè habuit ex auxilio Gratiæ, & potest illam amittere dissentiendo Gratiæ. Similiter habens malam voluntatem, quam-

diu illam habet, non poteſt bonum agere: ſed illam liberè habet, & poteſt cum auxilio Gratiæ habere aliam bonam, & haberet ſi conſentiret Gratiæ. Præterea ſi per arborem intelligitur homo ipſe, ſenſus eſt: homo bonus quatenus bonus non poteſt malum agere, neque homo malus quatenus malus poteſt bonum agere. Sed homo bonus poteſt fieri malus diſſentiendo Gratiæ, & homo malus poteſt fieri bonus conſentiendo Gratiæ.

2. Illud, Joann. c. 8. *Omnis, qui facit peccatum, ſervus eſt peccati.*

Reſp. Senſus eſt, quòd peccator neceſſariò ſubjectus ſit pœnis peccati, nec poſſit ſe ſine Gratia à peccato & pœnis peccati liberare, & juſtificationem conſequi.

3. Illud Rom. c. 7. *Non quod volo bonum, hoc ago: ſed quod odi malum, illud facio.*

Reſp. Apoſtolus loquitur de indeliberatis concupiſcentiæ motibus ad peccatum inclinantibus: quos quidem neceſſariò experimur, ſed quibus poſſumus ex auxilio Gratiæ non conſentire, & qui diſſentientibus non imputantur ad culpam. Quare ſubjicit: *Si autem quod nolo, illud facio, conſentio legi, quoniam bona eſt. Nunc autem jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum*, id eſt, concupiſcentia. Senſus igitur textus objecti eſt: non ſentio inclinationem ad bonum, quam vellem habere: ſed è contra experior inclinationem ſeu propenſionem indeliberatam ad malum, quam nollem ſentire.

4. Eodem cap. dicitur: *Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis.*

Reſp. Homo captivatur in lege peccati impropriè dicti, non autem propriè dicti. Peccatum propriè dictum eſt actus liberè factus vel omiſſus contra legem DEI. Peccatum impropriè dictum eſt concupiſcentia, quæ ideò dicitur peccatum, quia oritur à peccato (Adami ſcilicet) & ad peccatum inclinat. Per peccatum autem in cujus lege captivamur, intelligit Apoſtolus concupiſcentiam, quæ eſt habitualis propenſio ad malum: cujus quidem motus neceſſariò experimur, & ſic ea captivamur, ſed iis non neceſſariò obſequimur, & ſic non neceſſariò peccamus. Unde quamvis non ſimus liberi circa motus concupiſcentiæ quoad ſenſum, ſumus tamen quoad conſenſum.

5. Illud, 2. Tim. c. 2. de impiis & incredulis: *Ut reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.*

Reſp. Impii & increduli dicuntur captivi teneri ad voluntatem diaboli, non quia ab illo neceſſitantur ad peccatum, ſed quia propter voluntariam ſuam cœcitatem & pravos habitus poſſunt difficiliùs reſipiſcere & ejus tentationibus reſiſtere, & dæmon à DEO permittitur in illos magis ſævire quàm in pios & fideles.

6. Illud, Prov. c. 21. *Cor Regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud.*

Reſp. DEUS inclinat & movet voluntates hominum quocumque vult efficaciter, non eas neceſſitando, ſed (ut ait Sanctus Auguſtinus) eas vocando & movendo quomodò ſcit congruere ut vocantem non reſpuant, ſed DEO plane conſentiant.

7. Illud, Iſai. c. 26. *Domine . . . . omnia opera noſtra operatus es nobis.*

Reſp. DEUS operatur quidem opera noſtra nobis, ſed non ſine nobis ex propria determinatione & electione operantibus.

8. Illud, Jerem. cap. 10. *Scio, Domine, quia non eſt hominis via ejus, nec viri eſt ut ambulet, & dirigat greſſus ſuos.*

Reſp. Hic agitur de ſucceſſu conſiliorum & actionum hominis, non de productione ſuarum volitionum. Et ſenſus eſt, quod ſucceſſus ſeu executio eorum, quæ homo liberè vult, non ſit ſemper in poteſtate hominis, ſed ſemper pendeat à divina Providentia. Quòd ſi ageretur de actibus voluntatis humanæ, ſenſus eſſet, quod homo ex ſuis ſolis naturæ viribus & ſine auxilio divino non poteſt rectè vitam ſuam inſtituere, & actus ſalutares elicere.

Obj. 2. Ex Cæleſtino Papa I. Naturalis poſſibilitas Adami amiſſa eſt per peccatum.

Reſp.

Resp. Per possibilitatem intelligit, non potentiam agendi ex propria determinatione & electione, sed potentiam agendi salutariter: quæ quidem per peccatum Adami amissa est, sed per Christum reparata fuit. Hanc autem potentiam vocat naturalem; quia Adamus eam simul cum natura accepit, eamque si non peccasset, cum natura ad posteros transmisisset.

Obj. 3. Concil. Arausicanum II. can. 13. ait: *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi non potest reparari. Quod amissum, nisi à quo potuit dari, non potest reddi.*

Resp. Loquitur de libero arbitrio tantùm, ut est potentia instructa habitibus supernaturalibus, qui necessarii sunt ad merendam & consequendam vitam æternam. Quæ quidem potentia per peccatum originale amissa est, nec reparari potest, nisi per Baptismum in re vel in voto susceptum. At Concilium non loquitur de libero arbitrio præcisè ut est facultas naturalis, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere & simul potest non agere: quod quidem liberum arbitrium per peccatum originale infirmatum & extenuatum est, non tamen amissum.

Obj. 4. Si voluntas est indifferens, debet determinari ab alia causa. Ergo non est libera.

Resp. Nego sequel. anteced. Quia voluntas nostra est indifferens indifferentia activa: & sic potest se ipsam determinare, & revera se ipsam determinat efficienter seu activè per se ipsam seu per suam virtutem agendi: formaliter verò per suam actionem, quæ est formalis ejus determinatio. Cùm autem voluntas agit, non potest non agere: sed impotentia consequente ejus liberam determinationem.

Obj. 5. Voluntas non potest habere potentiam ad oppositа; nam non potest opposita ponere. Ergo non est libera.

Resp. Voluntas nostra habet potentiam ad opposita, non simul, sed divisim ponenda. Nam non habet potentiam ponendi simul duo opposita, cùm illorum positio repugnet: sed habet simul potentiam agendi & potentiam non agendi reducibilem ad actum divisim tantùm. Unde voluntas cùm amat, potest producere odium, vel non amare, non conjunctim cum amore, sed divisim ab amore: id est, loco amoris potest producere odium.

Obj. 6. Voluntas non potest eligere minus bonum. Ergo à fortiori non potest eligere malum.

Resp. Nego anteced. Itaque voluntas potest eligere minus bonum, non quidem ut minus bonum; sed ut bonum sufficiens, vel comparatu faciliùs: & respuere majus bonum ut non necessarium, vel ut difficiliùs comparabile, vel ut sensibus minùs gratum.

Nota. Per Adami peccatum liberum hominis arbitrium non fuit quidem extinctum: sed tamen læsum, & viribus attenuatum fuit, non solùm quia per hoc peccatum voluntas hominis spoliata est Justitiæ originalis dono, & speciali illa Providentia, quæ sic regebat hominem, ut in potestate sua haberet omnes corporis & animi motus, sed maximè quia propter ignorantiam, vitiatum corporis temperamentum, & effrænatam concupiscentiam continuò ad malum impellentem, voluntas nostra bonum honestum adeò fastidit, & ita propendet in malum, ut nihil salutare velle & agere possit sine auxilio Gratiæ potentioris, quam indiguerit Adamus in statu Innocentiæ: imò sine Gratia non possit actus honestos merè naturales arduos exercere, quos tamen cum ordinario DEI concursu naturali potuisset in statu Innocentiæ, vel etiam in statu naturæ puræ elicere.

ARTICULUS IV.

Exponitur mens & doctrina S. Augustini circa liberum arbitrium in statu naturæ lapsæ.

§. I.

SAnctus Augustinus per liberum arbitrium hominis etiam lapsi intellexit libertatem

ab

ab omni neceſſitate intrinſeca etiam voluntaria. Eſt contra Janſenium.

Prob. Nam 1. L. 2. contra Fauſtum c. 5. ſic ait: *Et nos quidem ſub fato ſtellarum nullius hominis geneſim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo benè vel malè vivitur, propter juſtum judicium DEI ab omni neceſſitatis vinculo vindicemus.*

2. Lib. de Gratia & libero arbitrio, cap. 2. poſtquam retulit verba Eccleſiaſtici, c. 15. quibus deſcribitur liberum arbitrium hominis lapſi ut immune ab omni neceſſitate, nempe hæc. *Ipſe ab initio fecit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui. Si volueris, conſervabis mandata, & fidem bonam placiti. Apponit tibi ignem & aquam, ad quodcumque volueris, extende manum tuam. In conſpectu hominis vita & mors, & quodcunque placuerit, dabitur ei.* Sic proſequitur S. Doctor: *Ecce apertiſſimè videmus expreſſum liberum humanæ voluntatis arbitrium.* Ergo S. Auguſtinus per liberum arbitrium intellexit eam facultatem, quam Eccleſiaſticus attribuit homini viatori lapſo; atqui Eccleſiaſticus attribuit homini lapſo facultatem agendi bonum vel malum pro arbitrio, & abſque ulla neceſſitate antecedenti intrinſeca, ut patet ex ejus verbis, quæ diriguntur ad hominem, qui ea legit, ideoque ad hominem lapſum. Ergo S. Auguſtinus per liberum arbitrium intellexit facultatem agendi bonum vel malum pro arbitrio & ſine ulla neceſſitate antecedenti intrinſeca.

3. Lib. 2. de nuptiis & concupiſcentia, cap. 3. infra citando teſtatur ſe admittere ſecundùm fidem Catholicam liberum arbitrium in hominibus lapſis ſicut ipſi Pelagiani, idque eſſe commune Catholicis & Pelagianis dogma. Atqui Pellagiani per liberum arbitrium intelligebant facultatem agendi completam, & expeditam, ac immunem ab omni neceſſitate ſimplici, ut conſtat apud omnes. Ergo.

4. Lib. de ſpiritu & littera, nu. 54. ait: *Cum poteſtas datur, non neceſſitas utique imponitur.*

Obj. 1. S. Auguſtinus, lib. 5. de civitate DEI, c. 10. ait: *Si autem illa definitur eſſe neceſſitas, ſecundùm quam dicimus neceſſe eſſe ut ita ſit aliquid, vel ita fiat, neſcio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis.* Ergo ex S. Doctore libertas non excludit omnem neceſſitatem.

Reſp. Nego conſeq. Quia S. Auguſtinus ibi loquitur de neceſſitate non intrinſeca, ſed extrinſeca & reſultante ex aliqua hypotheſi, quæ ſit aliquo modo in noſtra poteſtate. Nam ibi agit contra Stoicos, qui ut libertatem humanam tuerentur, omnem indiſcriminatim neceſſitatem ab ea removebant: & idcirco in DEO negabant præſcientiam omnium liberè futurorum, ex eo quod inde ſequeretur, neceſſe eſſe ut illa futura eveniant. Contra hos Sanctus Doctor docet libertati non officere neceſſitatem extrinſecam, reſultantem ex hypotheſi, quæ ſit aliquo modo in noſtra poteſtate, ut fuerit vel non fuerit: qualis eſt neceſſitas ſecundùm quam dicimus neceſſe eſſe, ut actus à DEO abſolutè præſciti & futuri, revera futuri ſint. Nam hypotheſis præſcientiæ divinæ eſt aliquo modo in noſtra poteſtate ut fuerit vel non fuerit; quia DEUS non præſcit actus noſtros eſſe futuros, niſi quia futuri ſunt, ut docet Sanctus Auguſtinus, cap. citato: ac proinde non eſſet præſcientia DEI circa actus noſtros futuros, ſi illi futuri non eſſent: ut autem ſint futuri, pendent à voluntate noſtra. Jam verò neceſſitas reſultans ex aliqua hypotheſi, quæ in poteſtate noſtra eſt, ut fuerit vel non fuerit, eſt etiam in noſtra poteſtate ut fuerit vel non fuerit: ac proinde non tollit libertatem, imò ſupponit aliquod ejus exercitium ut quid ratione prius.

Igitur neceſſitas, ſecundùm quam dicimus neceſſe eſſe, ut actus quibus benè vel malè vivimus, aliquando ſint, quia DEUS eos præſcivit, non officit libertati noſtræ; cùm hæc neceſſitas, ut fuerit vel non fuerit, ſit in noſtra poteſtate perinde ac hypotheſis ex qua reſultat. Quare S. Doctor non ibi loquitur de neceſſitate antecedente, quæ nullatenùs ſit in noſtra poteſtate, imò talem

neceſ-

sitatem expressè removet à voluntate, eodem c. *Si necessitas*, inquit, *illa dicenda est, quæ non est in nostra potestate, sed etiamsi nolumus efficit quod potest, sicut est necessitas mortis, manifestum est voluntates nostras, quibus rectè vel perperàm vivitur, sub tali necessitate non esse.* Ergo ex S. Augustino actus voluntatis nostræ boni & mali non subjacent necessitati quæ non est in nostra potestate, nec proinde necessitati intrinsecæ antecedenti.

Inst. S. Augustinus in exemplum necessitatis, quam dicit non nocere libertati, adducit necessitatem, qua necesse est DEUM semper vivere; sic enim, cap. citato ait: *Neque enim & vitam DEI & præscientiam DEI sub necessitate ponimus, si dicamus necesse esse, DEUM semper vivere & cuncta præscire.* Sed talis necessitas est absoluta. Ergo.

Resp. Disting. maj. Adducit necessitatem, qua necesse est DEUM semper vivere vita contingenti, hoc est, semper habere actus liberos & contingentes voluntatis & intellectus, *conc. maj.* Vivere vita necessaria, hoc est, habere actus necessarios voluntatis & intellectus, *nego maj. & distincta pariter minore, nego conseq.* S. Doctor in exemplum necessitatis non tollentis libertatem adducit necessitatem, qua necesse est DEUM semper vivere vita contingenti: id est semper habere actus liberos ac contingentes voluntatis & intellectus, quibus vivit DEUS in actu secundo; nam velle & intelligere est vivere, cùm sit agere immanenter. Hæc autem necessitas est hypothetica, quatenùs ex hypothesi quòd DEUS liberè aliquid extra se velit, aliquid contingens cognoscat, necesse est, ut illud semper & immutabiliter velit & præsciat, licèt illud non necessariò velit & præsciat necessitate antecedente & independenter à libertate DEI vel creaturæ.

Quare sensus loci objecti est: quamvis dicamus necesse esse, ut DEUS semper & immutabiliter velit, quidquid vult extra se, non idcirco tamen dicimus DEUM necessariò velle id, quod vult extra se. Sic ex hypothesi quòd DEUS velit mundum, necesse est ut semper nempe ab æterno & pro æterno illum velit, licèt non necessariò velit mundum. Similiter licèt dicamus necesse esse, ut DEUS præsciat omnia futura, quæ futura sunt, non idcircò dicimus præscientiam illam divinam esse absolutè necessariam; quia nempe quamvis ex hypothesi quod sint aliqua futura, DEUS non possit non illa præscire, DEUS tamen sic illa necessariò præscit ex hypothesi, ut potuerit non præscire; quia illa sic futura sunt, ut potuerint non esse futura, & sic potuerint non præsciri ut futura; cùm repugnet Deum præscire ut futura, quæ non sunt futura.

Confirmatur. Responsio nostra. Quia S. Augustinus in exemplum necessitatis, quam dicit non nocere libertati voluntatis nostræ, ibidem immediatè post verba instantiæ adducit aliam necessitatem hypotheticam, & quæ est in nostra potestate; sic enim post verba objecta prosequitur: *Sicut etiam cùm dicimus necesse esse, ut, cùm volumus, libero velimus arbitrio: & verum procul dubio dicimus, & non ideo ipsum arbitrium necessitati subjicimus, quæ adimit libertatem.* Deinde sic caput illud conficit: *Neque enim ideò peccat homo, quia DEUS illum peccaturum præscit... Qui si nolit, omnino non peccat: sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.*

Obj. 2. Ex S. Augustino, l. 3. de libero arbitrio, c. 3. Illud est in nostra potestate, quod fit cùm volumus. Sed actus voluntatis necessarius fit cùm volumus. Ergo est in nostra potestate, ideoque est liber.

Resp. Ibi per potestatem intelligit potestatem electivam: & sensus est, illud esse in nostra potestate electiva, quod fit cùm volumus pro arbitrio nostro & ex electione, ita ut possimus illud non velle. Præterea *minor est falsa*; nam ex communi sensu & usitato loquendi modo, illud solum dicitur fieri cùm volumus, quod possumus velle & non velle, agere & non agere pro arbitrio, & absque ulla necessitate antecedenti. Sic DEUS non dicitur se ipsum amare quia vult: è contra dicitur DEUS nos amare, nos conservare, quia vult.

Obj. 3. S. Auguſtinus, ibid. nempe l. 3. de lib. arb. c. 3. ait: *Voluntas noſtra nec voluntas eſſet, niſi eſſet in noſtra poteſtate. Porro quia eſt in poteſtate, libera eſt nobis.* Ergo ex S. Auguſtino volitio hoc ipſo eſt libera, quòd volitio eſt: & ſic volitio neceſſaria eſt libera.

Reſp. Nego conſeq. Quia ibi ſumit volitionem in ſenſu ſtrictiore, & per eam intelligit, non quamlibet volitionem, ſed eam tantùm volitionem, quæ eſt à voluntate ut eſt facultas ſui ipſius determinativa per electionem, & immunis ab omni neceſſitate antecedenti. Nam, eodem cap. volitionem opponit neceſſitati antecedenti etiam voluntariæ; ſic enim ait: *Miraris quomodo non ſint contraria & repugnantia, ut DEUS præſcius ſit omnium futurorum, & nos non neceſſitate ſed voluntate peccemus. Si enim præſcius eſt DEUS, inquis, peccaturum eſſe hominem, neceſſe eſt ut peccet: ſi autem neceſſe eſt, non ergo eſt in peccando voluntatis arbitrium, ſed potiùs inevitabilis & fixa neceſſitas. Qua ratiocinatione hoc videlicet ne conficiatur timeo, ne aut DEUS futurorum omnium præſcius impiè negetur, aut ſi hoc negare non poſſumus, fateamur non voluntate ſed neceſſitate peccari.*

Obj. 4. S. Aug. lib. 1. operis imperfecti n. 100. ait: *Si liberum non eſt, niſi quod duo poteſt velle, id eſt, bonum & malum, liber DEUS non eſt, qui malum non poteſt velle, de quo etiam ipſe dixiſti: Deus eſſe, niſi juſtus, non poteſt. Siccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem?*

Reſp. Hic ſolum reprehendit Julianum, quod libertatem arbitrii gene aliter ſumptam diceret eſſe facultatem agendi bonum & malum pro arbitrio. Quod falſum eſt; nam hæc eſt tantùm ſpecies libertatis propria hominis viatoris, qui poteſt mereri & demereri. At libertas generatim & ſecundùm eſſentiam ſuam ſumpta, eſt præcisè facultas agendi & non agendi pro arbitrio, & abſque ulla neceſſitate intrinſeca antecedenti: eſt facultas eligendi hoc vel illud: eſt completa & expedita facultas ſe determinandi per electionem ad utrumlibet ex duobus incompoſſibilibus, ſeu oppoſitis, ſive illa ſint oppoſita contradictoriè, ſive contrariè.

§. II.

S. Auguſtinus ſenſit ad merendum & demerendum in hoc ſtatu naturæ lapſæ requiri libertatem ab omni neceſſitate antecedente intrinſeca, nec ſufficere libertatem à coactione. Eſt contra Janſenium.

Prob. Nam 1. L. de duabus animabus, c. 11. ſic ait: *Etiamne hi libri obſcuri mihi ſcrutandi erant, unde diſcerem, neminem vituperatione ſuppliciove dignum, qui aut id velit quod juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non poteſt? Nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & Docti in bibliothecis, & Magiſtri in ſcholis, & Antiſtites in ſacratis locis, & in orbe terrarum genus humanum? Quòd ſi nemo vituperatione vel damnatione dignus eſt, aut non contra vetitum juſtitiæ faciens, aut quod non poteſt non faciens; quis dubitet tunc eſſe peccatum, cùm & velle injuſtum eſt, & liberum nolle; & ideo definitionem illam veram eſſe. Peccatum eſt voluntas retinendi vel conſequendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere?* Et c. 12. *Peccati enim tenere quemquam, quia non fecit quod facere non potuit, ſummæ iniquitatis eſt & inſaniæ. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, ſi natura non voluntate faciunt, id eſt, ſi libero & ad faciendum & ad non faciendum motu animi carent; ſi denique his abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non poſſumus.*

2. L. 3. de libero arbitrio, c. 18. *Hoc breviſſimum tene: quæcunque iſta cauſa eſt voluntatis (malæ) ſi ei non poteſt reſiſti, ſine peccato ei cedituv. Si autem poteſt, non ei cedetur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tota fallacia eſt, ut caveri omnino non poſſit? Si ita eſt, nulla peccata ſunt;*

quis

quis enim peccat in eo, quod nullo modo cavere potest?

3. L. de Natura & Gratia, c. 65. postquam hæc S. Hieronymi verba retulit, (*Liberi arbitrii nos condidit DEUS, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur: alioquin ubi necessitas est, nec corona, nec damnatio est.*) Sic exclamat: *Quis non agnoscat? Quis non toto corde suscipiat?* Ubi agitur de omni necessitate antecedenti etiam voluntaria, nempe de necessitate, qua trahamur.

4. L. de Gratia & libero arbitrio, c. 2. *Ubi ad aliquid faciendum vel non faciendum opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium. Nemo ergo DEUM causetur in corde suo: sed sibi imputet quisque, cùm peccat.*

Nota. S. Augustinus, l. 1. retractationum refert textus pro libertate expressos, quos contra Manichæos tradiderat, & illos confirmat, nedùm retractat: volens tantum intelligi, illam libertatem quoad opus salutare supponere Gratiam Christi, & illos textus non adversari peccato originali.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. S. Augustinus, l. 1. contra duas epistolas Pelagianorum, c. 3. ait: *Voluntas* (peccatorum) *libera est in malis, quia delectatur malis.* Ergo ad demerendum sufficit libertas à coactione.

Resp. Nego conseq. Quia per tò *delectatur* intelligit deliberatam ac liberam delectationem, quæ in amore libero consistit. Unde sensus est, quòd peccatores liberè malum agunt; quia libere illud amant, & amando, liberè illo delectantur; nam omnis amor est delectatio, ut docet S. Thomas, & experientia patet.

Obj. 2. S. Augustinus, eod. libro, c. 2. ait: *Liberum arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent, maximè omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati hoc eis placet, quod eis lubet.*

Resp. Ita loquitur, ut significet peccatores ultro & liberè seu ex propria determinatione peccare; loquitur enim juxta communem & ordinarium loquendi modum, secundùm quem ex eo, quòd quis non cogitur ad aliquid faciendum, illud absque omni antecedenti necessitate, atque ex propria electione ab eo fieri infertur.

Obj. 3. S. Augustinus, l. 1. operis imperfecti, n. 105. ait: *Cogitare te existimo, quid appetendum, quid vitandum sit in agenda vita, quanto labore discatur. Qui autem hoc nesciunt, ipsa boni appetendi malique vitandi ignorantia patiuntur peccandi necessitatem. Necesse est enim, ut peccet, qui nesciendo quid facere debeat, quod non debet, facit. De quo genere malorum DEUS rogatur, ubi dicitur: delicta juventutis & ignorantiæ meæ ne memineris. Quod genus delictorum si non imputaret DEUS justus, non ea sibi dimitti posceret homo fidelis.* Ergo homo necessario peccando demeretur.

Resp. Nego conf. Quia hic agitur de necessitate consequenti, non antecedenti. Libertas autem non excludit necessitatem consequentem, quæ supponit libertatis exercitium, & ex eo oritur. Nam ibi S. Doctor loquitur de peccatis ignorantiæ, hoc est, de peccatis, quæ fiunt ex ignorantia culpabili, quæ scilicet potuit ac debuit depelli, nec tamen depulsa est; quia homo neglexit discere quantum poterat & debebat. Hæc autem ignorantia est libera in causa, nempe in libera negligentia addiscendi: ac proinde ipsa peccatum est, & ea, quæ ex illa male fiunt, sunt peccata imputabilia, quæ vitari potuerunt.

Inst. 1. S. Augustinus ibi agit de ignorantia invincibili. Ergo.

Resp. Nego antec. Nam agit de ignorantia, qua ex magna difficultate addiscendi laborat homo, qui ad illam depellendam non adhibet tantam diligentiam, quantam posset & deberet. Nec obstat, quod loquatur de ignorantia, quæ est pœna peccati originalis; nam juxta illum ignorantia vincibilis est etiam pœna peccati, quamvis sit simul peccatum & causa peccati.

Inst. 2. S. Augustinus, ibidem, n. 106.

sic concludit: *Non est igitur impunitatis securitas in necessitate peccandi. Sed ut non obsit ista necessitas, donat ille: cui dicitur: De necessitatibus meis erue me. Donat autem duobus modis, & præteritam dimittendo iniquitatem, & opitulando ne intremus in tentationem. Unusquisque vero tentatur à concupiscentia sua.*

Resp. Ibi loquitur de morali necessitate peccandi, orta tum ex ignorantia culpabili eorum, quæ ad rectè vivendum pertinent, tum ex concupiscentia Sed cum morali illa necessitate peccandi, quæ nil aliud est, quam magna difficultas vitandi peccatum, remanet in peccatore indifferentia activa, & potentia non peccandi. Vel loquitur de necessitate consequente, non antecedente.

Obj. 4. S. Augustinus docet hominem lapsum habere necessitatem ignorandi aliqua præcepta juris naturalis, quæ scire tenetur, & quorum tamen ignorantia ei imputatur. Ergo sensit necessitatem non impedire imputabilitatem peccati. Ergo, &c.

Resp. Loquitur de necessitate morali, non physica. Nam hæc necessitas ignorandi aliqua præcepta, quorum tamen ignorantia ad culpam imputatur, non oritur ex absoluta impossibilitate, sed solum ex magna difficultate addiscendi omnia, quæ fieri vel vitari debent ad bene vivendum. Quæ magna difficultas potest & debet superari ab homine.

§. III.

S. Augustinus sensit inesse homini etiam in præsenti statu naturæ lapsæ libertatem ab omni necessitate simplici antecedente. Est contra Lutherum, Calvinum & Jansenium.

Prob. 1. Ex ejus textibus in duobus prioribus paragraphis allatis.

Prob. 2. Ex l. 2. de nuptiis & concupiscentia, c. 3. ubi sic Julianum Pelagianum alloquens ait. *Non itaque, sicut te aut alios fallens loqueris, si quis aut liberum in hominibus arbitrium aut DEUM esse nascentium Conditorem dixerit, Cœlestianus & Pelagianus vocatur, ista quippe Catholica Fides dicit.... Liberum itaque in hominibus esse arbitrium, & DEUM esse nascentium Conditorem utrique dicimus: non hinc estis Cœlestiani & Pelagiani. Liberum autem quemquam esse ad agendum bonum sine adjutorio DEI, & non erui à potestate tenebrarum, & sic transferri in Regnum DEI, hoc vos dicitis, hinc estis Cœlestiani & Pelagiani. Quid obtendis, ad fallendum, communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen?* Ubi S. Doctor testatur se secundùm Fidem Catholicam admittere liberum arbitrium in hominibus lapsis sicut ipsi Pelagiani admittebant, hocque esse commune Catholicis & Pelagianis dogma, & Pelagianos solum arguit, quod dicerent, illud liberum arbitrium sine Gratia valere ad bonum salutare agendum: non autem eos arguit, quod per liberum arbitrium intelligerent libertatem à necessitate Atqui S. Doctor liberum arbitrium in homine lapso admittere non potuit cum Pelagianis, & asserere dogma liberi arbitrii, quale nunc inest homini lapso, esse Catholicis & Pelagianis commune, nec aliud in Pelagianis circa libertatem reprehendere, quam quòd Gratiæ necessitatem negarent, nisi idem nomine liberi arbitrii cum Pelagianis intellexisset, nempe libertatem ab omni necessitate simplici, illudque sic intellectum admisisset. Ergo S. Augustinus admisit in homine lapso libertatem ab omni necessitate simplici.

Porro probe sciebat Pelagianos constituere libertatem hominis lapsi in indifferentia activa, & immunitate ab omni necessitate simplici Nam, l. 2. de peccatorum meritis & remissione, c. 18. dicit liberum arbitrium, quale nunc habemus, tale esse secundùm Pelagium, *quod huc atque illuc liberum flectitur.* Et, l. de Gratia Christi, c. 31. refert hæc Pelagii verba ex ejus ad Innocentium epistola: *Ecce ad beatitudinem tuam epistola ista me purget, in qua purè atque simpliciter ad peccandum & ad non peccandum integrum liberum arbitrium habere nos dicimus, quod in omnibus honis operibus divino semper adjuvatur auxilio* In

quo

quo Pelagii textu nihil reprehendit, ſed tantum quærit ſenſum hujus vocis *auxilii divini*. Nam hæc ſubjicit S. Doctor: *Cernitis itaque pro intellectu, quem vobis Dominus dedit, hæc ejus verba ſolvendæ non ſufficere quæſtioni. Quærimus enim adhuc, quo auxilio liberum adjuvari dicat arbitrium, ne fortè, ſicut ſolet, velit intelligi legem atque doctrinam.*

Prob. 3. Ex lib. 1. operis imperfecti, n. 98. ubi ait: *Ex quo homo incipit uti voluntatis arbitrio, & peccare & non peccare poteſt: ſed alterum horum non facit, niſi adjutus ab eo, qui dixit: ſine me nihil poteſtis facere: alterum verò propria voluntate.* Ergo ex S. Auguſtino homo lapſus poteſt peccare & non peccare, benè & malè agere, cum hoc tamen diſcrimine, quod cum bonum ſalutare agit, illud non agat nec agere poſſit ſine Gratia, peccet verò propria voluntate: hoc eſt, ſolis viribus naturalibus liberi arbitrii, & ex ſola propria determinatione, DEO nullatenus impellente.

Prob. 4. Ex lib. 2. contra Felicem Manichæum, c. 4. *Habet unuſquiſque in voluntate aut eligere, quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona: aut eligere, quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala.*

Denique S. Auguſtinus docet nos habere eandem ſpecie libertatem, quam Adamus habuit in ſtatu Innocentiæ, cum hoc ſolo diſcrimine accidentali, quod libertas ſtatus Innocentiæ eſſet immunis ab ignorantia & concupiſcentia, & facilitatem ad bonum complecteretur: noſtra autem difficultatem adjunctam habeat propter reluctationem concupiſcentiæ, & nobis per Gratiam Chriſti reſtituatur quoad bonum ſalutare. Nam, lib. 6. operis imperfecti, n. 11. aſſerit libertatem per Gratiam in priſtinum ſtatum reſtitui. Poſtquam enim citavit textum Innocentii I. ſic ait: *Audis reſtitui libertatem: & non periiſſe contendis: atque humana voluntate contentus, divinam non petis Gratiam, quam libertas noſtra etiam in ſtatum priſtinum reſtituta, ſibi eſſe intelligit neceſſariam.* Idem docet, lib. 3. n. 114.

§. IV.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. S. Auguſt. Enchirid. c. 30. ait: *Libero arbitrio male utens homo, & ſe perdidit & ipſum .. cum libero peccaretur arbitrio victore peccato, amiſſum eſt liberum arbitrium.* Ergo amiſſum eſt liberum arbitrium.

Reſp. Diſting. conſ. Amiſſum eſt liberum arbitrium, quale erat in ſtatu Innocentiæ. *conc. conſeq.* Amiſſum liberum arbitrium ſumptum præcisè pro facultate, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis poteſt agere & non agere, *nego conſeq.* Per peccatum originale amiſimus liberum arbitrium ſumptum quoad potentiam agendi utiliter ad ſalutem, ſed illud per Chriſtum recuperavimus. Item amiſimus irrecuperabiliter liberum arbitrium quoad potentiam bonum agendi promptè, facilè, & ſine reluctatione concupiſcentiæ. At ex S. Auguſtino per peccatum originale minimè amiſſum eſt liberum arbitrium quoad eſſentiam, ſumptum nempe pro facultate agendi & non agendi, poſitis omnibus ad agendum requiſitis; nam, lib. 1. contra duas epiſt. Pelagian. cap. 2. ſic ait: *Quis noſtrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, ſedilla, quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam.* Illa autem plena juſtitia conſiſtebat in habitibus ſupernaturalibus, in dono integritatis, in immunitate à concupiſcentia inordinata & ignorantia, & in magna facilitate agendi bonum ſalutare. Porro per merita Chriſti nobis applicata recuperamus habitus ſupernaturales cum auxiliis eis annexis: non tamen donum integritatis, & immunitatem à concupiſcentia, quæ nobis relicta eſt ad humilitatis cæterarumque virtutum exercitium: ita ut ad bonum ſalutare agendum & peccatum vitandum indigeamus Gratiæ auxilio potentiore quam fuerit auxilium neceſſarium in ſtatu Innocentiæ.

Obj. 2. Sanctus Augustinus, lib. contra Fortunatum, disp. 2. ait: *Liberum voluntatis arbitrium in illo homine fuisse dico, qui primus formatus est. Ille sic factus est, ut nihil omnino voluntati ejus resisteret, si vellet DEI præcepta servare. Postquam autem libera ipse voluntate peccavit, nos in necessitatem præcipitati sumus, qui ab ejus stirpe descendimus.*

Resp. Hic per liberum arbitrium intelligit libertatem sanam ac robustam, sive facultatem se ad bonum determinandi promptè, facilè & hilariter, quacum primus homo conditus fuit, & quam dicit nos amisisse per ejus peccatum. Per necessitatem verò, in quam præcipitati sumus, intelligit necessitatem moralem peccandi, propter concupiscentiæ motus vehementes, fere continuò nos in malum impellentes. Nam necessitatem illam opponit facilitati, & comparat cum necessitate quam affert inveterata consuetudo peccandi: ac proinde non est nisi necessitas moralis, quæ consistit in magna quadam difficultate agendi vel omittendi aliquid. Potest etiam per necessitatem illam intelligi necessitas patiendi motus inordinatos concupiscentiæ ad peccatum inclinantes, item necessitas nascendi in peccato, & manendi sub captivitate dæmonis, donec per Baptismum in re vel in voto susceptum justificemur.

Obj. 3. S. Doctor, l. 8. Confessionum, cap. 8. ait: *Dum servitur libidini, facta est consuetudo. Dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.*

Resp. Loquitur de necessitate morali peccandi, quæ est magna difficultas virandi peccatum: prava quippe consuetudo non affert necessitatem physicam & insuperabilem; nam Gratiæ auxilio emendari ipsa potest: & non semper fit id, ad quod inclinat.

Obj. 4. S. Augustinus, lib. 83. quæstionum, quæst. 66. ait: *An e Legem actio est, cùm peccatum ignoramus, & sequimur carnales concupiscentias. Sub Lege est actio, cùm jam prohibemur à peccato, & tamen consuetudine ejus victi peccamus, quoniam nos nondum adjuvat Fides.*

Resp. Loquitur de fide viva & per charitatem formata: & distinguit plures status, in quorum *primo* homo sine pugna vincitur à concupiscentia, id est, obsequitur ejus motibus; quia non habet boni & mali cognitionem nisi valdè imperfectam & confusam: in *secundo* verò statu non vincitur sine pugna, id est, non obsequitur concupiscentiæ sine repugnantia aliqua propter distinctam ac perfectam boni & mali notitiam, quam habet. Homo autem in hoc duplici statu sic liberè peccat, qui tamen non peccaret, si adjuvaretur per fidem vivam & charitate formatam, & acciperet maiora illa & frequentiora auxilia, quæ solis justis & amicis DEI reservantur, & quibus coercetur concupiscentia.

Obj. 5. S. Aug. l. 1. operis imperfecti, n. 47. ad solum Adami peccatum restringit definitionem hanc peccati, quam, lib. de duabus animabus tradiderat: videlicet peccatum esse voluntatem retinendi vel consequendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Ergo posteà agnovit libertatem status naturæ lapsæ non esse immunem à necessitate simplici.

Resp. Nego conseq. Nam ibidem sic ait: *Multa sunt, quæ agunt homines, mala à quibus eis liberum est abstinere: sed nulli tam liberum est, quàm illi fuit, qui DEO suo, à quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio depravatus adstabat.* Ubi manifestè docet homines etiam nunc mala agere, à quibus possent abstinere, ideóque peccare sine ulla necessitate, quamvis non habeant libertatem tam expeditam, quàm habuit Adamus; quia agitantur inordinatis concupiscentiæ motibus ad malum impellentibus, quibus caruit Adamus in statu Innocentiæ.

Itaque S. Augustinus (ut ex eodem loco objecto patet) definitionem suam restringit ad peccatum Adami, quod tantummodo peccatum fuit, non etiam pœna peccati; quia in statu naturæ lapsæ liberum nobis non est aliquibus carere, quæ sunt peccata

&

& simul pœna peccati ab Adamo commissi, à quo ei liberrimum fuit abstinere.

Peccatorum autem, quæ simul peccata & pœna peccati sunt, exemplum affert S. Doctor, 1. In motibus inordinatis concupiscentiæ, quibus carere nobis liberum non est, quique peccata dicuntur quamvis impropriè; quia sunt effectus peccati & ad peccatum inclinant, imò verè & propriè peccata sunt, si accedat voluntatis consensus, quamvis iis carere non potuerimus. 2. In iis, quæ contra Legem fiunt ex ignorantia vincibili etiam non affectata; nam ea peccata sunt etiam propriè, quamvis licita & bona putentur; quia ignorantia vincibilis non excusat à peccato propriè dicto: & sunt pœna peccati; quia sunt effectus ignorantiæ, quæ est pœna peccati originalis: & ab iis non est liberum abstinere ob necessitatem etiam physicam sed consequentem peccandi; quia impossibile est agentem non peccare ex hypothesi, quòd aliquis malum liberè agat, quamvis licitum & bonum esse putet ex ignorantia vincibili. 3. In peccato originali, quo infantes nascuntur infecti, & quo nobis liberum non est carere, & tamen verè ac propriè peccatum est: & simul juxta S. Augustinum est pœna peccati; nam S. Doctor constituit peccatum originale in concupiscentia velut materiali, & in ipsomet actu Adami moraliter perseverante velut formali: unde sequitur peccatum originale esse etiam pœnam peccati secundùm suum materiale constitutivum; cùm concupiscentia sit pœna peccati originalis.

Hæc autem omnia dicit contra Pelagianos abutentes definitione illa, & docentes involuntarios concupiscentiæ motus nullo sensu peccata dici posse, nulla dari peccata ignorantiæ, sed solùm ignorantiam affectatam esse culpabilem, & infantes sine ullo peccato nasci.

Hic referre juvat ipsa Augustini verba in loco objecto: *Si tria ista discernas, & scias aliud esse peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque: id est, ita peccatum, ut ipsum sit etiam pœna peccati: intelligis, quid horum trium pertineat ad illam definitionem, ubi voluntas est agendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere. Peccatum namque isto modo definitum est, non peccati pœna, non utrumque. Habent autem tria ista genera etiam species suas . . . . Tertium genus, ubi peccatum ipsum est & pœna peccati, potest intelligi in eo, qui dicit: quod nolo malum, hoc ago. Ad hoc pertinent etiam omnia, quæ per ignorantiam cùm aguntur mala, non putantur mala, vel etiam putantur bona . . . . Pertinet originale peccatum ad hoc genus tertium, ubi sic peccatum est, ut ipsum sit & pœna peccati.*

Inst. Eod. lib. n. 104. Sic de eadem definitione loquitur: *Ista definitio peccati ejus est, quòd peccatum tantummodò est, non quod etiam pœna peccati, qua periit libertas non peccandi: à quo malo non liberat nisi ille, cui non tantùm dicimus: dimitte nobis debita nostra; verùm etiam: & ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Multùm erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quod nulla necessitate commissum est.*

Resp. S. Doctor per libertatem non peccandi, quæ periit, intelligit, non libertatem simpliciter, sed libertatem non peccandi qualis fuit in statu Innocentiæ, quæ fuit facultas abstinendi ab omni peccato cum summa facilitate. Et per necessitatem peccandi ex peccato Adami ortam non intelligit physicam & antecedentem necessitatem peccandi propriè, sed intelligit tum necessitatem peccandi impropriè per indeliberatos concupiscentiæ motus, tum necessitatem physicam sed consequentem peccandi propriè per ignorantiam culpabilem, tum etiam necessitatem moralem peccandi ortam ex concupiscentia effrænata, donec ab ejus motuum vehementia liberemur per justificationem & auxilia ei annexa, quæ majora & frequentiora sunt iis, quæ injustis dantur. Hæc autem triplex necessitas est effectus & pœna peccati originalis, & ea carebat Adamus in statu Innocentiæ ob integri-

tegritatis donum, quo caro ſpiritui perfectè ſubjecta erat.

Obj. 6. Ex Sancto Auguſtino, epiſt. 107. Liberum arbitrium ad diligendum DEUM primi peccati granditate perdidimus.

Reſp. Per peccatum originale amiſimus quidem liberum arbitrium ad amandum DEUM perfectè & ſuper omnia, ſed illud per Chriſtum recuperavimus.

Obj. 7. S. Auguſtinus, l. de perfectione juſtitiæ dicit, ex libero Adami peccato ſubſecutam eſſe pœnalem vitioſitatem, quæ ex libertate fecit neceſſitatem.

Reſp. Hic per neceſſitatem intelligit, non neceſſitatem peccandi phyſicam & antecedentem, ſed neceſſitatem etiam phyſicam patiendi motus inordinatos concupiſcentiæ, ignorantiam, mortem, aliaſve miſerias, & neceſſitatem moralem peccandi, ortam ex concupiſcentia.

Obj. 8. Ex S. Auguſtino homo in præſenti ſtatu non eſt liber niſi per gratiam Chriſti.

Reſp. Senſus eſt, hominem ſine gratia Chriſti non eſſe liberum à peccato, ſeu juſtificatum, nec etiam liberum ad agendum ſalutariter ſeu faciendum actus utiles ad ſalutem, neque ad agendum ullum bonum arduum etiam ordinis naturalis, neque poſſe ſuperare gravem tentationem.

Obj. 9. Ex S. Auguſtino homo non fit liber ad vitandum peccatum niſi per gratiam liberantem. Ergo peccatores carent libertate ad non peccandum.

Reſp. Per gratiam liberantem vel intelligit gratiam actualem Chriſti Redemptoris corroborantem voluntatem adversùs concupiſcentiam. Vel per eam intelligit gratiam habitualem juſtificantem: & ſolùm vult hominem non eſſe niſi per gratiam juſtificantem liberum ad vitandum peccatum libertate quadam majore & potentiore, quacum facilè concupiſcentiam vincit. At non loquitur de libertate merè ſufficienti ad vincendam concupiſcentiam, & ſic vitandum peccatum. Nam ſine gratia juſtificante homo habet libertatem per alia minora auxilia, quibuscum concupiſcentiam vincere poteſt, & vinceret ſi vellet, quamvis cum tali libertate id non poſſit niſi difficile.

Obj. 10. Ex S. Auguſtino homines peccatores ſunt ſub ſervitute dæmonis, & ſub dominatu concupiſcentiæ.

Reſp. Ex S. Doctore peccator eſt ſub ſervitute & tyrannide dæmonis, quatenus peccator privatus ſpeciali DEI protectione qua dæmon cohibetur, graviores & crebriores patitur tentationes, eiſque ſaltem ut plurimum cedit, & à dæmone regi ſe ſinit; utpote deſtitutus majoribus illis gratiæ auxiliis, quæ juſtis & amicis DEI reſervantur.

Item ex S. Auguſt. peccator ſubjicitur dominatui concupiſcentiæ, quatenus homo quamdiu eſt in ſtatu peccati, vehementiores & frequentiores concupiſcentiæ motus experitur, eiſque ut plurimum obſequitur; utpote deſtitutus auxiliis illis gratiæ potentioribus & frequentioribus, quæ ſolis juſtis & amicis DEI conferuntur. Homo tamen ſub illa dæmonis & concupiſcentiæ ſervitute non habet neceſſitatem peccandi niſi moralem, quæ liberum arbitrium adimit: nec caret gratia ſaltem remote ſufficiente ad vitandum peccatum.

Obj. 11. S. Auguſtinus pluries aſſerit liberum arbitrium per peccatum Adami factum eſſe ſervum & captivum peccati.

Reſp. Per ſervitutem illam & captivitatem intelligit magnam propenſionem ad malum propter concupiſcentiam effœnatam ex peccato Adami ortam, vi cujus homo in peccata ſæpiſſimè labitur, donec liberetur per gratiam ſanctificantem & adjuvetur per auxilia gratiæ ſanctificanti annexa. Sed hæc illa magna propenſio ad malum facit tantum moralem peccandi neceſſitatem, ſeu magnam difficultatem abſtinendi à peccato, quæ nunquam ſuperatur ſine ſpeciali gratiæ auxilio, ſed tamen ſuperari poteſt cum gratiis ordinariis.

Cæteræ objectiones diluuntur in Tractatu de Gratia.

Nota. 1. Cùm libertas generatim ſit immunitas, per libertatem S. Auguſtinus in

variis

variis locis intelligit immunitatem vel à peccato, vel servitute dæmonis, vel à concupiscentia, vel à miseriis sive corporalibus sive spiritualibus, vel difficultate in bono agendo & malo vitando, vel etiam à coactione sive perfecta sive imperfecta; nam utramque pati possunt homines à concupiscentia.

Duplex quippe est coactio: nempe perfecta, & imperfecta. Coactio perfecta est ea, qua aliquid patimur omnino inviti & reluctantes; ut cum quis planè invitus & reluctans detruditur in carcerem. Coactio imperfecta & secundùm quid est ea, qua aliquid facimus vel patimur consentientes quidem, sed cum aliqua repugnantia: sic naufragii metus mercatorem cogit ad projiciendas merces. Itaque homines possunt utramque coactionem pati à concupiscentia. Sic quando homo voluntate nil omnino conferente, sed quantùm potest reluctante patitur inordinatos concupiscentiæ motus, coactione perfecta cogitur ad sentiendam motionem ad malum: & dicitur captivari à concupiscentia. E contra cùm concupiscentia ad consensum pertrahit hominem, qui consentit cum aliqua repugnantia, tunc is à concupiscentia cogi dicitur coactione imperfecta & secundùm quid. At præter has libertates aliam, nempe libertatem ab omni necessitate physica antecedente & intrinseca pluribus locis admittit S. Augustinus.

Nota 2 A S. Augustino *coactio* & *cogo* sæpe sumuntur pro verbo *necessito* quacumque necessitate sive violenta sive non violenta, imò pro minis, vel vehementi suasione; ut constat ex variis locis; ut lib. 1. retract. c. 15. ubi de primis Parentibus loquens ait: *Qui primi in Paradiso fuerunt humano generi origo mali, nullo cogente, peccando, hoc est, libera voluntate peccando: quia & scientes contra præceptum fecerunt, & ille tentator suasit, ut hoc faceret, non coegit.* Ubi verbum *cogo* sumitur latè pro inferre quamcumque necessitatem etiam voluntariam. Nam adversarii in Adamo Innocente admittunt libertatem non solùm à coactione propriè dicta, sed etiam ab omni necessitate simplici. Et verò verbum *cogo* latine significat idem ac gallice vox *presser*: sic Horatius, epist. 9. ait: *Cum rogat, & preces cogit.* Sic etiam extra scholas quotidiano usu dicimus: tu me coegisti ad hoc faciendum, id est, vehementer impulisti.

Nota. 3. Ex S. Augustino duplex est libertatis species: alia immutabilis, remanens in Cælo, cujus objectum est bonum & beatitudo ipsa, quæ libertas est ipsamet voluntas seu volendi facultas, & ipsa libertas spontaneitatis, voluntati essentialis & idendificata. Altera consistit in potentia eligendi, seu volendi & non volendi, requisita ad meritum & demeritum, viatorum propria, cujus objectum sunt media.

Item juxta S. Doctorem duplex est virtutis species: prima est virtus propria libertatis spontaneitatis & Beatorum, nempe impeccabilitas, & immobilitas in bono: alia est propria hujus status, & sola meritoria.

Nota. 4. Cùm S. Augustinus tribuit laudem actibus necessariis, v. g. amori beatifico Angelorum, sumit laudem in sensu latiori, nempe pro honore, non autem propriè & strictè, nempe pro testificatione de excellentia alicujus propter actum virtutis quem omittere poterat, & qui per se dignus est præmio, si subjectum sit illius capax.

ARTICULUS V.

De subjecto, objecto, & exercitio libertatis.

Quæres 1. *Quodnam sit subjectum libertatis? Nota.* Subjectum libertatis aliud est immediatum: & est facultas illa, quæ dicitur libe a. Aliud mediatum seu denominationis: & est natura seu suppositum, cui libertas convenit.

Resp. 1. Subjectum libertatis immediatum est sola voluntas; quia in sola voluntate residet formaliter libertas. Nam libertas est vis elective. Sed vis elective est in sola voluntate; nam sola voluntas potest eligere;

eligere enim est unum velle præ alio, vel unum & idem potiùs velle, quam non velle. Ergo.

Libertas tamen arbitrii sic est formaliter in sola voluntate, cùm sola sit facultas electiva, facultas sui ipsius determinativa & actuum suorum domina, ut tamen sit etiam aliquo modo in intellectu nempe radicaliter, quatenus voluntas non est libera nisi dependenter ab intellectu; nam voluntas non potest unum præ alio eligere, nisi dependenter ab intellectu proponente objectum partim sub ratione boni, partim sub ratione mali, vel boni limitati aut ardui.

Porro ad usum libertatis sufficit apprehensio composita, repræsentans objectum partim ut bonum, partim ut malum, vel ut bonum limitatum aut arduum.

Resp. 2. Subjectum denominationis libertatis est omnis & sola natura intellectualis; nam omnis & sola natura intellectualis cognoscit finem ut finem, & media ut media, & sic omnis & sola potest unum præ alio eligere.

Quæres 2. *Quodnam sit objectum libertatis, sive quodnam sit illud, circa quod voluntas versari potest per suam electionem, illud volendo vel respuendo?*

Resp. 1. Finis ultimus consideratus secundùm communem beatitudinis rationem, seu beatitudo generatim & indeterminate sumpta: hoc est, non determinata ad aliquod objectum particulare: item bonum in communi, non potest esse objectum libertatis.

Prob. Quia ad utrumque voluntas necessariam habet inclinationem, à natura insitam. Nam non ex propria electione, sed ex instinctu naturali volumus esse felices: nec quisquam verè velle potest esse infelix. Unde nemo unquam verè deliberavit utrùm Beatus esse vellet: sed duntaxat de mediis, quibus Beatus esse vellet.

Hinc summum bonum clare & in se visum non est objectum libertatis. Hinc etiam voluntas non potest non appetere beatitudinem actu cogitatam, licèt possit de illa non cogitare.

Liberum tamen arbitrium, quale est in homine viatore, versari potest circa finem ultimum sumptum materialiter, ut ajunt: hoc est, circa objectum, quod est reipsa finis ultimus & beatitudo objectiva, nempe DEUM. Nam sæpe homines deliberant, utrum beatitudinem suam in DEO, an in creaturis constituere ac quærere debeant seu velint: & reipsa cum summa DEI injuria & summo suo malo in creaturis constituunt & quærunt. Sed hoc est per accidens respectu libertatis nostræ, quatenus in hac vita DEUS obscurè cognoscitur.

Resp. 2. Objectum libertatis nostræ sunt omnia bona particularia sive vera, sive apparentia tantum. Nam cùm ista nobis exhibeantur cum admixtione alicujus mali veri vel apparentis tantùm, aut saltem ut finita, insufficientia & defectibilia, possunt à nobis eligi vel respui pro arbitrio.

Quæres 3. *Utrùm possit dari omissio pura libera?*

Resp. Hæc quæstio est merè philosophica. Id unum ad Theologum pertinet, scilicet quod ex hypothesi quod detur respectu actus præcepti, sit verum peccatum imputabile. Quia omissio illa est virtute & interpretativum libertatis exercitium. Nam si positis omnibus ad agendum requisitis voluntas abstinet ab omni actu, tunc liberè non vult, liberè non agit, & perinde se habet in æstimatione prudenti & in ordine ad imputabilitatem, ac si positive nollet, positivè vellet non agere: ac proinde tunc virtualiter & interpretativè libertatem suam exercet, virtualiter & interpretativè volendo non agere, ideóque peccat.

CAPUT III.

De Bonitate & Malitia Actuum Humanorum.

ARTICULUS I.

Quid requiratur, ut actus sit bonus.

Nota 1. ACtio humana tum interna tum externa considerari potest duplici.

pliciter, nempe in genere naturæ, & in genere moris. Spectatur in genere naturæ, cùm spectatur secundùm suum esse physicum seu entitatem suam. Spectatur in genere moris, cùm spectatur secundùm libertatem, & honestatem, vel malitiam moralem, & capacitatem laudis vel vituperii, meriti vel demeriti. Hic autem spectatur tantum hoc ultimo modo.

Nota 2. Actus humani duplex distinguitur bonitas, nempe transcendentalis, & moralis. Bonitas moralis, de qua sola agitur, est bonitas in ordine ad mores, & subdividitur in materialem & formalem. Bonitas materialis consistit in speciali conformitate seu convenientia actus cum natura rationali seu intellectuali ut intellectuali: malitia verò materialis consistit in difformitate & disconvenientia cum natura intellectuali ut intellectuali. Ideo enim actus aliquis est bonus moraliter, quia convenit naturæ intellectuali, ita ut hanc deceat illum facere, & ideò malus est, quia disconvenit naturæ intellectuali, ita ut hanc dedeceat illum facere. Quare bonitas moralis idem est ac honestas: & malitia moralis idem est ac inhonestas seu turpitudo.

Bonitas formalis est materialis bonitatis imputabilitas ad laudem & meritum: quæ adest, cùm actus honestus seu conformis naturæ intellectuali ut intellectuali fit liberè. Tunc enim bonitas ejus in laudem & meritum imputabilis est: & ipse actus est completè ac simpliciter moralis, seu formaliter moralis. Hæc autem imputabilitas nihil aliud est, quam denominatio extrinseca, petita à voluntate scienter ac liberè actum suum exercente modo decenti naturam rationalem.

Porro bonitas actus dicitur moralis, quia pertinet ad virtutes, à quibus homines denominantur boni moraliter: & quia imputabilis est ad laudem & meritum, si actus liberè fiat.

Nota 3. Præter moralem bonitatem actus interni tum materialem, tum formalem, datur bonitas objectiva moralis, quæ est id, vi cujus res aliqua appeti potest modo decenti naturam intellectualem: & consistit in speciali conformitate ac convenientia, quam objectum habet cum natura intellectuali ut intellectuali: nihilque aliud est realiter, quam objectum ipsum conforme seu conveniens naturæ intellectuali ut intellectuali. Bonitas autem objectiva ratione prior est, quam moralis bonitas actus; nam objectum aliquod non habet specialem conformitatem ac convenientiam cum natura intellectuali, quia appetitur modo decenti naturam rationalem: sed è contra appetitur modo decenti naturam rationalem, quia specialem habet conformitatem cum natura rationali quatenus rationalis est. Hæc bonitas dicitur objectiva, quia apta est esse objectum tum terminativum tum motivum actus interni. Dicitur etiam moralis, quia pertinet ad mores, & per modum objecti facit actum internum bonum moraliter.

Nota 4. Objectum voluntatis duplex est, nempe materiale, & formale. Objectum materiale est id, quod voluntas appetit vel refugit. Objectum formale est id, propter quod voluntas apperit vel refugit aliquid: unde dicitur etiam motivum & finis actus. Actus autem internus bonus speciem sumit non ab objecto materiali, sed à formali, à quo solo accipit ultimam suam differentiam essentialem. Hinc actus habentes idem objectum formale, licet habeant diversa objecta materialia, sunt ejusdem speciei: sic actus, quo amatur DEUS propter suam bonitatem absolutam: & actus quo amatur proximus propter eandem bonitatem divinam, sunt ejusdem speciei: nempe sunt actus charitatis. E contra actus habentes diversa objecta formalia, licet habeant idem objectum materiale, sunt diversæ speciei: ut actus quo amatur DEUS quia in se bonus est: & actus quo amatur DEUS quia est summum nostrum bonum; nam prior est actus charitatis: alter vero actus amoris concupiscentiæ seu spei.

Nota 5. Agitur hic solum de bonitate materiali; nam supponitur actus liberè fieri, ideóque habere bonitatem formalem, si habeat materialem.

Dico 1. Ut actus sit bonus, bonitate scilicet materiali, necesse est, ut habeat tum objectum bonum, vel de se indifferens, sed conducibile ad finem bonum seu honestum: tum finem honestum: tum circumstantias objecto debitas.

Prob. Quia si unum ex his desit, actus hoc ipso non habet specialem conformitatem seu convenientiam cum natura intellectuali ut intellectuali. Nam non tendit decenter & conformiter naturæ intellectuali in objectum, finem & circumstantias: unde non approbatur à recta ratione, sed improbatur. Enim vero recta ratio dictat eum solum actum esse bonum & laudabilem, qui habet objectum legitimum, finem honestum, & circumstantias objecto debitas. Hinc illud axioma ab omnibus receptum: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu.*

Dico 2. Ut Actus internus prosecutivus sumat bonitatem ab objecto habente bonitatem objectivam, non sufficit quòd hæc bonitas sit cognita, sed debet esse formaliter, directè & secundùm se volita: & esse aliqua ratione motivum prosequendi objectum.

Prob. 1. Ex S. August. in Psal. 41. *Bonum opus intentio facit: non valdè attendas quid homo facit, sed quid, cùm facit, aspiciat.*

2. Ex S. Thoma, 1. 2. q. 19. art. 7 ad 3. *Malum contingit ex singularibus defectibus, bonum autem ex tota & integra causa. Unde sive voluntas sit ejus, quod est secundùm se malum, & sub ratione boni, sive sit boni sub ratione mali, semper voluntas erit mala. Sed ad hoc quod sit voluntas bona, requiritur quod sit boni sub ratione boni: id est, quod velit bonum & propter bonum.*

3. Ex Aristotele 2. Ethic. c. 4. *Ut ali quis sit temperans & justus temperatèque ac justè agere dicatur, non satis est, ut justa agat & temperata, sed oportet, ut sit eligens propter ipsa*, hoc est, ut eligat justa quia justa sunt, & temperata quia temperata.

4. Ratione. Quia ut actus prosecutivus sit bonus, debet appetere objectum modo decenti naturam rationalem: alioqui actus non convenit naturæ rationali, nec illam decet. Atqui actus non appetit objectum modo decenti naturam rationalem, nisi illud appetat propter motivum conveniens naturæ rationali ut rationali, ideóque propter honestatem; nam si appetat propter motivum inferius, jam non appetit modo decenti naturam rationalem. Ergo ut actus prosecutivus sit bonus, debet appetere objectum propter honestatem seu bonitatem moralem.

Obj. Ut actus sit malus, sufficit quòd malitia objecti sit indirectè volita: id est, ut cognoscatur conjuncta cum eo, quod appetitur, licèt ipsa secundùm se displiceat. Ergo ut actus sit bonus, sufficit ut cognoscatur bonitas moralis.

Resp. Nego conseq. Disparitas est, quòd bonitas moralis seu honestas sit appetibilis propter se directè & secundùm se, exigatque sic appeti: quare ut quis secundùm rectam rationem agat, debet velle bonitatem directè ac secundùm se. At malitia actus exigit quovis modo fugi. Quare contra rectam rationem agit, qui eam quovis modo etiam indirecto & interpretativo appetit. Hinc qui se inebriat, quamvis non velit directè privationem usus rationis & malitiam ebrietatis, sed solum delectationem quæ in potando percipitur, turpiter agit & peccat.

Dico 3. Ut actus internus aversativus objecti mali sit bonus, debet illud aversari propter finem honestum.

Prob. Ut actus aversativus objecti mali sit bonus, debet illud aversari modo decenti naturam rationalem ut rationalem. Atqui non aversatur illud tali modo, nisi aversetur illud propter motivum aliquod honestum. Ergo ut ejusmodi actus sit bonus, debet aversari objectum malum propter motivum aliquod honestum. *Minor patet*; nam aversari objectum malum modo decenti naturam rationalem, est illud aversari propter motivum decens naturam rationalem, ideoque illi conveniens & conforme, proindeque honestum.

Obj.

Obj. Actus quo voluntas aversatur objectum malum propter solam ejus malitiam, & nullatenus propter bonitatem aliquam, est bonus moraliter. Ergo.

Resp. Antecedens supponit falsum. Nam voluntas aversari non potest objectum malum propter solam ejus malitiam tanquam unicum motivum; quia odium malitiæ vitii necessario fundatur in amore objectivæ bonitatis virtutis oppositæ, illumque necessario supponit. Unde nemo odit malitiam alicujus vitii propter se, nisi amet, & quia amat bonitatem ac pulchritudinem virtutis oppositæ.

Porro objectiva bonitas seu pulchritudo virtutis est ejus conformitas ac convenientia specialis cum natura rationali ut rationali: sicut malitia seu turpitudo objectiva vitii est ejus difformitas & disconvenientia specialis cum natura rationali ut rationali.

ARTICULUS II.

Utrùm actus internus sumat bonitatem à fine extrinseco & circumstantiis?

Nota 1. Agitur hic de fine extrinseco ex se bono; nam actus internus nullam potest sumere bonitatem ab objecto indifferenti. Objectum enim eatenus bonitatem actui interno dare potest, quatenus ex se habet id, vi cujus voluntas in illud tendere potest decenter ac conformiter naturæ rationali: siquidem materialis bonitas actus nil aliud est, quàm actus conformitas cum natura rationali. Objectum autem de se indifferens non habet id, vi cujus voluntas in illud tendere potest decenter naturæ rationali: alioqui jam esset bonum, non indifferens.

Nota 2. Circumstantia moralis est affectio accidentalis actui spectato in genere moris, aliquid tamen ad bonitatem vel malitiam illius conferens. Circumstantiæ aliæ augent vel minuunt tantùm bonitatem aut malitiam moralem intra eandem speciem: aliæ verò mutant speciem: hoc est, novam speciem bonitatis vel malitiæ dant vel adduntspeciei actus humani.

Porro circumstantia speciem mutans est quidem essentialis actui humano adæquatè sumpto secundùm omnes bonitates vel malitias specie diversas, quas habet: at est accidentalis eidem actui inadæquatè sumpto, nempe secundùm speciem bonitatis vel malitiæ, cui altera bonitatis vel malitiæ species supervenit.

Nota 3. Circumstantiæ septem vulgò assignantur, hoc versu contentæ: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

Tamen motivum actus significatum voce *cur*, non est propriè circumstantia; quia finis seu motivum dat speciem actui humano.

Nota 4. Agitur hic solùm de circumstantiis se tenentibus ex parte objecti, & aliquam bonitatem moralem habentibus: non verò de circumstantiis se tenentibus ex parte actus: ut sunt intensio, duratio, &c. Nam certum est, actum ab his aliquam bonitatem moralem sumere.

Nota 5. Actus alio melior esse potest tripliciter: nempe essentialiter, intensivè, & extensivè. Melior est essentialiter, dum fit ex perfectiori motivo. Melior est intensivè, dum fit cum majore conatu potentiæ, seu ardore & vehementia. Denique est melior extensivè, cùm se extendit ad plura objecta bona seu honesta quatenus honesta.

Dico 1. Actus voluntatis sumit bonitatem in aliqua specie virtutis à fine extrinseco, quando voluntas propter ejus bonitatem tanquam motivum prosequitur objectum aliquod de se indifferens, vel etiam bonum.

Prob. Quia tunc actus est moraliter bonus in aliqua specie virtutis propter bonitatem finis extrinseci. Nam in objectum suum tendit modo naturam rationalem specialiter decenti; objectum enim illud seu finis extrinsecus specialem habet conformitatem & convenientiam cum natura rationali; ideoque specialem bonitatem objectivam.

Quod si objectum materiale, seu objectum, quod voluntas propter finem extrinsecum appetit, sit bonum, & voluntas illud non solùm propter bonitatem objectivam finis extrinseci, sed etiam propter specialem illius objectivam bonitatem appetat; tunc actus voluntatis moraliter bonus est in duplici specie virtutis: nempe in specie virtutis ad quam pertinet bonitas finis, & in specie alterius virtutis ad quam pertinet bonitas objecti materialis, sicque actus voluntatis est duplicis virtutis. Si verò voluntas non appetat objectum bonum nisi propter bonitatem finis extrinseci, tunc actus voluntatis est tantùm in unica specie virtutis: illius nempe cujus est bonitas finis extrinseci, sicque est actus unius tantùm virtutis. Ratio est: quia in primo casu actus duplicem habet modum tendendi in objectum specialiter naturam rationalem decens: in secundo verò unicum habet.

Hinc qui vult esse temperans, ut sit castus, si tum temperantiæ tum castitatis bonitate objectiva afficitur, actus ille est simul actus interius temperantiæ & castitatis. Si autem sola bonitate objectiva castitatis afficitur, actus ille est solius castitatis actus.

Dico 2. Actus volutatis sumit etiam bonitatem à fine extrinseco bono, quando voluntas propter bonitatem illius aversatur objectum aliquod ex se malum, vel indifferens.

Prob. Quia tunc voluntatis actus tendit in objectum suum modo naturam rationalem specialiter decente propter specialem conformitatem & convenientiam, quam finis extrinsecus habet cum natura rationali ut rationali; ac proinde specialem habet bonitatem propter illam specialem conformitatem: & consequenter est in aliqua specie virtutis; cum omnis specialis bonitas seu honestas sit in aliqua specie virtutis.

Dico 3. Actus voluntatis à circumstantiis bonis seu convenientibus naturæ rationali bonitatem sumit, etiam specie diversam à bonitate objecti, si illarum bonitas sit specie diversa a bonitate objecti, & propter se appetatur.

Prob. Quia tunc actus voluntatis tendit in objectum modo naturam rationalem specialiter decente, non solùm propter bonitatem objecti propriam, sed etiam ob bonitatem circumstantiarum propriam. Ergo actus voluntatis præter bonitatem objecti propriam, habet etiam bonitatem circumstantiarum propriam, cùm voluntas utramque propter se velit. Hinc volitio sublevandi miseriam Patris pauperis, & quia pauper, & quia Pater est, duplicem habet bonitatem seu honestatem in duplici specie virtutis, nempe misericordiæ & pietatis.

Quòd si circumstantia habet bonitatem eandem specie cum bonitate objecti, tunc auget solùm bonitatem actus interni intra eandem speciem; & actus melior est extensivè.

ARTICULUS III.

Unde actus internus sumat malitiam: & quid ad hoc requiratur?

Nota 1. Moralis malitia actus duplex est, nempe materialis, & formalis. Malitia materialis consistit in difformitate & disconvenientia actus cum natura rationali ut rationali. Nam hoc ipso actus intelligitur malus, quod disconvenit naturæ rationali ut rationali, seu illam dedecet. Malum enim relativum est aliquid disconveniens, sicut bonum relativum est aliquid conveniens. Hæc autem difformitas seu disconvenientia cum natura rationali, proindeque cum Lege divina, dicitur malitia moralis, quia facit malos mores & repugnat regulæ morum.

Malitia formalis est materialis malitiæ imputabilitas ad vituperium & pœnam. Nam si actus disconveniens naturæ rationali fiat liberè, & cum cognitione, vel cum ignorantia aut inadvertentia culpabili malitiæ, hoc ipso malitia actus interni imputabilis est, & imputatur ad vituperium, culpam & pœnam: atque ita actus internus est completè & simpliciter moralis. Si autem non sic fiat, malitia materialis imputari non

potest

poteſt ad culpam & pœnam: & ſic actus non eſt mali inchoatè & ſecundùm quid moralis.

Itaque actus malus adæquatè moralis eſt actus diſconveniens naturæ rationali, imputabilis ad vituperium, culpam & pœnam. Hæc autem malitiæ imputabilitas eſt denominatio extrinſeca, petita à voluntate dedecenter ac diſconvenienter naturæ rationali agente liberè, & ſcienter, vel ſaltem cum ignorantia aut inadvertentia vincibili diſconvenientiæ actus cum natura rationali & Lege divina.

Nota 2. Præter actus interni malitiam materialem & formalem, eſt etiam malitia objectiva *moralis*: quæ eſt ſpecialis difformitas ac diſconvenientia, quam habet objectum cum natura rationali ut rationali. Hæc autem ratione prior eſt malitiâ actus interni. Nam res non habet malitiam objectivam, quia appetitur dedecenter ac diſconvenienter naturæ rationali; ſed è contra appetitur dedecenter & diſconvenienter naturæ rationali, quia habet malitiam objectivam.

Dico 1. Actus internus ſumit malitiam ab objecto, fine, & circumſtantiis moralibus: ita ut ſit malus hoc ipſo, quòd habeat objectum malum, ſeu diſconveniens naturæ rationali, vel finem malum, vel circumſtantiam malam, ſeu diſconvenientem naturæ rationali.

Prob. Quia actus, quo quis vult objectum malum, vel vult objectum bonum propter *finem malum, vel vult objectum bonum* propter finem bonum, ſed in circumſtantia mala ſeu diſconvenienti, hoc ipſo malus eſt moraliter. Nam hoc ipſo actus dedecet naturam rationalem, ei diſconvenit, & improbatur à recta ratione: & ſi liberè fiat, imputatur ad vituperium & pœnam. Unde illud axioma Theologicum: *Bonum ex integra cauſa, malum ex quolibet defectu.*
Sic 1. Volitio furandi ad ſolvenda debita eſt mala; quia habet objectum malum. 2. Volitio dandi eleemoſynam propter vanam gloriam eſt mala; quia habet finem malum. 3. Volitio celebrandi Sacrum propter fines bonos, ſed in loco indecenti vel interdicto, aut tempore vetito, eſt mala ob circumſtantiam malam.

Dico 2. Actus voluntatis ſumit malitiam materialem ab objecto, fine & circumſtantiis, quamvis malitia ignoretur etiam invincibiliter.

Prob. Quia actus voluntatis hoc ipſo habet malitiam materialem, quòd dedecet naturam rationalem ut rationalem. Sed actus naturam rationalem dedecet hoc ipſo, quòd vult objectum de ſe malum, vel objectum bonum ob finem malum, vel vult objectum bonum ob finem bonum, ſed in circumſtantia mala. Ergo.

Dico 3. Ut malitia objectiva tribuat actui voluntatis malitiam formalem, ſufficit, quòd ſit cognita, nec requiritur, ut ſit ſecundùm ſe volita.

Prob. Nam hoc ipſo actus voluntatis habet malitiam formalem, quòd habet malitiam materialem imputabilem ad vituperium & pœnam. Sed hoc ipſo habet malitiam materialem imputabilem ad vituperium & pœnam, quòd voluntas objectum malum, vel objectum bonum propter malum finem, vel objectum bonum propter finem bonum ſed in circumſtantia mala vult cum libertate & cognitione malitiæ objecti, vel finis, vel circumſtantiæ; nam hoc ipſo malitia objectiva imputatur ad vituperium & pœnam. Ergo.

Imò ad malitiam formalem non requiritur actualis cognitio malitiæ objectivæ, ſed *ſufficit, quòd hæc potuerit & debuerit cognoſci.* Quia ignorantia vel inadvertentia vincibilis non excuſat ab imputabilitate malitiæ actus: & in æſtimatione prudenti æquivalet actuali cognitioni in ordine ad imputabilitatem actus ad vituperium & pœnam, licèt non tantam, ſi ignorantia non ſit affectata.

Ex dictis inferes, unum & eundem actum poſſe habere triplicem malitiam ſpecie diverſam non ſolùm objectivam, ſed etiam formalem. Quia objectum, finis, & circumſtantia actus habere poſſunt malitiam objectivam ſpecie inter ſe diverſam cognitam, vel non niſi culpabiliter ignoratam. Talis

eſt

est actus, quo quis furari vult in loco sacro ad fornicandum; nam hic actus tres malitias specie diversas habet: scilicet injustitiæ, sacrilegii, & luxuriæ.

ARTICULUS IV.

Utrùm idem actus voluntatis possit esse simul bonus & malus?

Dico. Idem actus voluntatis non potest esse simul bonus & malus.

Prob. Quia actus est simpliciter malus, non bonus, hoc ipso quòd habet vel objectum malum, vel finem malum, vel circumstantiam malam; nam hoc ipso tendit in objectum modo dedecente naturam rationalem; ideóque simpliciter dedecet naturam rationalem, eique disconvenit. Et verò actus, qui sub aliqua ratione naturam rationalem dedecet, hoc ipso malus est, minimè bonus: & solus actus, qui sic naturam rationalem decet, ut sub nulla ratione illam dedeceat, bonus est.

Obj. 1. Actus, quo quis vult idem objectum ob duo motiva non subordinata, unum bonum, & alterum malum: ut actus, quo quis vult dare eleemosynam propter motivum misericordiæ, & simul propter vanam gloriam, est bonus ex parte boni motivi, & malus ex parte mali. Ergo.

Resp. Nego anteced. Nam hic actus est simpliciter malus, & nullatenus bonus, quamvis malitiam suam ex unico motivo sumat. Quia per talem actum voluntas tendit in objectum modo naturam rationalem dedecente, & actus ille simpliciter dedecet naturam rationalem; nam simpliciter dedecet naturam rationalem appetere bonum propter malum, & sic velle malum.

Inst. Per hujusmodi actum voluntas vult objectum bonum in circumstantiis debitis propter finem bonum. Ergo actus ille bonus est.

Resp. Nego conseq. Quia voluntas per hunc actum vult simul & indivisibiliter bonum objectum propter aliud motivum malum: & sic malus est simpliciter; nam bonum ex integra causa, malum verò ex quolibet defectu.

Obj. 2. Actus, quo quis celebrare vult Sacrum in loco indecenti vel tempore vetito, bonus est ex objecto, & malus ex circumstantia.

Resp. Nullatenus bonus est, sed est simpliciter malus. Nam ut actus sit bonus ex objecto, necesse est, ut reipsa hic & nunc objectum possit honestè appeti propter bonitatem suam objectivam: unde voluntas celebrandi Sacrum non potest sumere bonitatem ab objecto suo, nisi hic & nunc honestum sit velle celebrare Sacrum. At hic & nunc non est honestum velle celebrare, quia non est honestum hìc & nunc celebrare. Ergo.

Obj. 3. Actus, quo quis eligit medium malum ad finem bonum, v. g. furatur ad dandam eleemosynam, est partim bonus, & partim malus.

Resp. Nego. Nam est simpliciter malus, & nullatenus bonus; quia volitio finis honesti ut per medium illicitum obtinendi est mala; nam tendit in objectum modo naturam rationalem dedecente; naturam enim rationalem dedecet versari circa malum illud appetendo.

Quæres, in quo consistat malitia materialis: an scilicet in positivo, an in negativo seu privatione rectitudinis debitæ?

Resp. Hæc quæstio est merè philosophica: & in qualibet sententia rectè explicantur omnia quæ ad Theologiam pertinent.

ARTICULUS V.

Utrùm dentur actus indifferentes in individuo: hoc est, qui neque boni, neque mali sint spectatis omnibus circumstantiis, & præsertim fine?

§. I.

Dico. Nullus est actus indifferens in individuo: sive nullus datur actus deliberatus, qui neque bonus, neque malus sit ex objecto, circumstantiis, & fine. Ita

Sua-

Suarez, Bellarminus, & alii Theologi communius contra Scotum & alios.

Prob. 1. Ex Script. Matth. c. 12. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die Judicii.* Ex quo sic argumentor. Omne verbum otiosum est peccatum; siquidem de eo reddetur ratio in die Judicii, utique tanquam de peccato. Ergo actio otiosa est etiam peccatum, cùm par sit utriusque ratio. Atqui actio, quæ honesto fine caret, seu quæ non est bona moraliter, est otiosa moraliter; nam nil confert ad bonos mores. Ergo est paccatum. Ergo, &c.

Prob. 2. Ex S. Augustino, lib. 4. contra Julian. c. 3. ubi ait: *Cum facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Et infrà. *Quiquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera Sapientia præcipit, etsi officio* (id est, ex objecto materiali) *videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.*

Prob. 3. Authoritate & ratione S. Thomæ, 1. 2. quæst. 18. art. 9. *Oportet quòd quilibet individualis actus habeat aliquam circumstantiam, per quam trahatur ad bonum vel malum, ad minus ex parte intentionis finis. Cùm enim rationis sit ordinare, actus à ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali. Si verò ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet rationem boni. Necesse est autem quòd vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem. Unde necesse est omnem actum hominis à deliberativa ratione procedentem in individuo consideratum, bonum esse vel malum.*

Hæc est igitur ratio S. Thomæ. Quilibet actus deliberatus vel ordinatur in finem debitum rationis, vel non ordinatur. Si ordinatur, congruit cum ordine rationis, & à recta ratione approbatur. Ergo bonus est. Si non ordinatur, repugnat ordini debito rationis, & à recta ratione improbatur. Ergo malus est. Et consequenter omnis actus deliberatus bonus vel malus est.

Prob. 4. Ratione. Omnis actus deliberatus vel fit propter finem honestum, vel non fit. Si fit propter finem honestum, bonus est, modò aliunde non vitietur; tunc enim naturam rationalem decet. Si non fit propter finem honestum, eo ipso malus est. Ergo omnis actus deliberatus est bonus vel malus, proindeque nullus est indifferens. *Prob.* 2. *pars min.* Homo deliberatè agens tenetur semper agere propter finem honestum. Ergo actus deliberatus, qui non fit propter finem honestum, eo ipso malus est. *Prob. ant.* Homo deliberatè agens tenetur semper agere propter finem proportionatum seu consentaneum naturæ suæ rationali quatenus rationalis est. Atqui finis consentaneus naturæ rationali ut rationali est finis honestus; nam honestum est id, quod est consentaneum naturæ rationali & rectæ rationi. Ergo homo deliberatè agens tenetur semper agere propter finem honestum. *Major satis per se patet.* Enim verò homo deliberatè agens agit modo humano & hominis proprio. Atqui homo agens humano modo & hominis proprio, debet agere ut homo, ideóque ut rationalis: & non agit ut homo & ut rationalis, nisi agendo propter finem naturæ rationali ut rationali consentaneum. Ergo.

Dices. Homo licitè agit propter finem conformem legi permittenti.

Resp. Contrà est. Nam 1. fine fundamento asseritur lex permittens finem non honestum. Imò videmus in omni agente sive naturali sive artificiali exigi bonitatem sibi propriam. Ergo etiam natura rationalis exigit, ut agens rationale agat propter bonitatem sibi propriam, nempe honestatem. 2. Lex permittens non potest esse motivum actionis: sed est duntaxat conditio removens impedimentum agendi; nam motivum seu finis actionis debet esse aliquod bonum. Sed id quod est præcisè conforme legi permittenti, non est bonum. Ergo non potest esse finis actionis.

Resp. Adhuc alia ratione. Actus spectatus in individuo est actus consideratus præ-

ſertim ſecundùm finem. At nullus actus ſpectatus ſecundùm finem eſt indifferens. Ergo nullus actus in individuo ſpectatus eſt indifferens. *Prob. min.* Finis cujuslibet actus deliberati vel eſt bonum honeſtum, vel jucundum; nam bonum utile nunquam appetitur propter ſe ſed ſolùm propter aliud ad quod conducit, proindeque non poteſt eſſe finis. At ſi finis actus ſit bonum honeſtum, actus eſt bonus, modo aliunde non vitietur: ſi finis ſit bonum jucundum, actus eſt malus. Ergo quilibet actus conſideratus ſecundùm finem eſt bonus vel malus; ac proinde nullus eſt indifferens. *Prob. 2. pars. min.* Qui agit duntaxat propter bonum jucundum ſeu propter delectationem, agit inordinatè. Ergo actus factus propter bonum jucundum eſt inordinatus, ideóque malus. *Prob. ant.* Ille inordinatè agit, qui rerum ordinem ab Auctore naturæ inſtitutum pervertit. Sed homo propter ſolam delectationem agens, pervertit rerum ordinem ab Auctore naturæ inſtitutum. Ergo homo agens propter ſolam delectationem agit inordinatè. *Prob. min.* Nam juxta rerum ordinem ab Auctore naturæ inſtitutum delectatio eſt propter operationem: non autem operatio propter delectationem. Sed homo propter ſolam delectationem, agens pervertit hunc ordinem, faciendo operationem propter delectationem. Ergo pervertit ordinem ab Auctore naturæ inſtitutum: *Major conſtat*, & expreſsè traditur à S. Thoma, 1 2. quæſt. 4. art. 2. ad 2. ubi ait: *Divinus intellectus, qui eſt Inſtitutor naturæ, delectationes appoſuit propter operationes.* Et (ut docet Ariſtoteles) bonum delectabile, cùm ſit inferius honeſto, ordinatur per ſe ad illud.

Confirm. ex hac propoſitione 8. ab Innocentio XI. damnata; *Comedere & bibere uſque ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non eſt peccatum, modo non obſit valetudini; quia licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui.* Id eſt, conquieſcere in actibus ſuis, non illos referendo ad finem honeſtum.

Hinc collige delectationem à natura rebus penam eſſe veluti ſal & condimentum quoddam, quod non propter ſe quæreretur ab agente rationali, ſed quo duntaxat alliceretur ad actiones quaſdam ſuæ conſervationi ac perfectioni neceſſarias & utiles, quas faceret ex fine naturæ rationali ut rationali conſentaneo, ideoque honeſto. Igitur delectatio per ſe eſt duntaxat medium ad actiones faciliùs, meliùs & conſtantiùs efficiendas: non autem finis actionis. Hinc lex benè agendi non vetat moderatum uſum delectabilium in certis circumſtantiis: ſed eum regulat jubendo, ut ad finem honeſtum referatur.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. S. Hieronymus, epiſt. 89. ait: *Bonum eſt continentia, malum eſt luxuria: inter utrumque indifferens ambulare, &c.*

Reſp. Solùm vult dari actus indifferentes in ſpecie, hoc eſt, actus qui neque ſunt boni neque mali ratione objecti materialis. Eodem ſenſu intelligi debent alii Patres, qui objici poſſunt: nempe ſolum intendunt dari actus indifferentes ex objecto.

Inſt. S. Hieronymus addit: *Sive enim feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam habebis nec injuſtitiam.*

Reſp. Loquitur tantùm de actu ſecundùm objectum ſpectato. Nam agit de natura objecti, & dicit aliud eſt bonum, ùt continentia; aliud malum, ùt luxuria: aliud indifferens, ùt deambulatio. Quare ſenſus eſt. ſive feceris, ſive non feceris, nec juſtitiam nec injuſtitiam habebis ratione objecti. Quod non impedit, quominus actus ſit bonus vel malus ratione finis.

Obj. 2. Dantur actus indifferentes in ſpecie. Ergo & in individuo.

Reſp. Nego conſeq. Ratio diſparitatis eſt, quia actus indifferentes in ſpecie ſunt actus, qui neque boni, neque mali ſunt ex objecto: actus vero indifferentes in individuo ſunt actus, qui neque boni neque mali ſunt ex omni parte, nempe ratione objecti, circumſtantiarum, & finis: At ex eo, quod

ali-

aliqui actus neque boni neque mali sint ex objecto, non sequitur eos non esse bonos vel malos ex alia parte, nempe ratione finis. Imò omnis actus necessario bonus vel malus est ratione finis; nam vel fit ob finem honestum, & tunc bonus est, modo aliunde non vitietur: vel non fit ob finem honestum, & tunc malus est; quia homo semper tenetur agere propter finem honestum, utpote solum consentaneum naturæ suæ rationali ut rationali.

Inst. 1. Nulla est species sine individuo. Ergo si dantur actus indifferentes in specie, dantur etiam in individuo.

Resp. Nego conseq. Quia non datur species actuum indifferentium. Dantur quidem actus indifferentes in specie: sed inde non sequitur dari speciem actuum indifferentium; quia dari speciem actuum indifferentium est dari naturam communem actuum liberorum, qui neque boni neque mali sunt moraliter sub ullo respectu: qualis nulla esse potest. At dari actus indifferentes in specie est dari actus, qui neque boni neque mali sunt præcisè ratione objecti licèt sint boni vel mali ratione finis.

Inst. 2. Deambulatio facta propter sanitatem in circumstantiis non vetitis, ex nullo capite est bona vel mala; nam sanitas recuperanda est *finis indifferens*. Ergo est indifferens.

Resp. Nego anteced. Nam si intendatur honestas elucens in procuranda sanitate per media ordinata, deambulatio est bona moraliter. Si verò nulla intendatur honestas, deambulatio est mala; quia caret fine debito.

Porro honestum est procurare sanitatem per media ordinata; nam est materia charitatis propriæ, sicut honestum est procurare sanitatem proximi per media ordinata; nam est materia charitatis alienæ. Charitas autem propria ordinata tam est virtus, quàm charitas aliena.

Inst. 3. Ambulare propter relaxationem moderatam est actus indifferens; nam illa relaxatio non est prohibita, nec honesta. Ergo.

Resp. Nego anteced. Nam si per relaxationem intelligitur delectatio, finis ille malus est, utpote disconveniens naturæ rationali, cujus finis proprius est bonum honestum. Si verò per relaxationem intelligatur levamen, & intendatur honestas, quæ in levando corpore vel animo elucet, tunc bonus est ille finis: & actus pertinet ad charitatem propriam, vel virtutem, cujus est proprium moderari curam corporis & animi. Quòd si nulla intendatur honestas in relaxatione illa, tunc actus est malus; quia debito fine caret.

Inst. 4. Saltem qui ambulat, præcisè quia deambulatio non est prohibita, facit actionem indifferentem etiam ex fine. Ergo datur talis actio.

Resp. Nego anteced. Quia falsum supponit. Nam assignatur pro fine id, quod revera non est finis; quod enim res non prohibeatur, sed sit licita, non potest esse finis actionis, sed duntaxat conditio removens impedimentum agendi. Sic quando quis dicit: ego ambulo, quia vacant scholæ, vel quia habeo licentiam: vacatio & licentia non est finis sed tantùm conditio removens impedimentum ambulandi. Ratio est, quia omnis finis est bonum honestum vel jucundum. Potest quidem quis agere quia lubet, quia placet: sed illud motivum est delectatio, proindeque finis illicitus.

Inst. 5. Actus, qui fiunt præcisè ob moderatam naturæ commoditatem: ut volitio accedendi ad ignem frigoris depellendi causa, volitio deambulandi ad adjuvandam digestionem, &c. Sunt actus nulla ex parte boni vel mali. Ergo.

Resp. Nego anteced. Nam illi actus sunt mali, si *non* intendatur *honestas* aliqua, saltem illa quæ relucet in moderata corporis cura; quia alioqui carent fine debito. Nam homo semper tenetur agere modo naturam suam rationalem ût rationalem decenti: & *hoc modo non* agit, nisi agat ob finem decentem naturam rationalem ût rationalem, ideóque ob finem honestum; honestum enim nil aliud est quàm consentaneum naturæ rationali ût rationali.

Inſt. 6. Delectatio moderata corporis vel animi non eſt mala moraliter. Ergo poteſt eſſe finis licitus.

Reſp. Diſting. anteced. Delectatio moderata & licita non eſt mala ùt objectum, quod appetatur, *conc. ant.* Ut finis, qui propter ſe appetatur, *nego ant.* Delectatio licita ac moderata non eſt quidem mala ùt objectum, quatenus licitè appeti & percipi poteſt: at eſt mala ùt finis, quatenus licitè ab agente rationali appeti non poteſt propter ſe, ſed tantùm propter finem honeſtum. Enim vero qui agit ſolùm propter delectationem, inordinatè agit; nam rerum ordinem ab Auctore naturæ inſtitutum pervertit, ordinando operationem ad delectationem; cùm tamen delectatio ex natura ſua ſit propter operationem.

Inſt. 7. Naturæ Auctor inſperſit rebus multis ſuavitatem & delectabilitatem, v. g. floribus ſuavem odorem, alimentis ſaporem, &c. Ergo homo non pervertit rerum ordinem, agendo propter ſolum delectationem de ſe licitam.

Reſp. Diſting. anteced. Auctor naturæ rebus multis inſperſit delectabilitatem, quam homo percipiat ùt medium, & referat ad finem honeſtum, putà ad honeſtam recreationem, qua melius diſponatur ad munera ſua rectè obeunda, *conc. ant.* Quam ſibi proponat ùt finem, & in qua ſiſtat, *nego ant. & conſeq.* Suavitas & delectabilitas rebus inſperſa, eſt quidem propter delectationem hominis: ſed qua utatur velut medio, non autem quam ſibi ùt finem proponat.

Obj. 3. Si homo tenetur agere ſemper propter finem honeſtum, non datur lex permittens. *Falſum conſeq.* Ergo.

Reſp. Diſting. ſequel. maj. Non datur lex permittens circa finem non honeſtum, *conc. ſequel.* Circa objectum actus, *nego ſequel. maj.* Igitur extat lex permittens, ſed ſolùm circa objecta quædam, quæ ex ſe neque bona, neque mala ſunt moraliter, & quæ ad finem honeſtum referri poſſunt. At non datur lex permittens finem non honeſtum, cùm detur lex præcipiens naturæ rationali finem honeſtum in omnibus ſuis actibus deliberatis.

Inſt. 1. Si datur præceptum agendi ſemper propter finem honeſtum, illud eſt naturale, vel poſitivum. Neutrum dici poteſt. Ergo.

Reſp Nego min. Et dico illud præceptum eſſe naturale. Nam lumen naturale dictat hominem teneri ſemper agere propter finem conſentaneum naturæ ſuæ rationali ùt rationali, proindeque propter finem honeſtum, qui ſolus proprius eſt hominis ùt homo eſt. Hoc præceptum eſt etiam poſitivum, nam Chriſtus vetat omnem actionem otioſam moraliter, ideoque non honeſtam; ſiquidem declarat reddendam eſſe rationem de verbo otioſo, & à fortiori de opere otioſo moraliter.

Inſt. 2. Præceptum naturale eſt notum omnibus ſaltem Piis & Eruditis. Sed hoc præceptum non eſt notum omnibus Viris Piis & Eruditis; nam S. Bonaventura, Scotus, & alii multi illud negant. Ergo tale præceptum non eſt naturale.

Reſp. Diſting. maj. Præceptum naturale debet eſſe omnibus notum, ſi ſit unum ex primis principiis, vel evidenter aut facilè deducibile ex illis, *conc. maj.* Si neque ſit unum è primis principiis, neque ita facilè deducatur ex illis, *nego maj.* Præceptum agendi ſemper ob finem honeſtum, neque eſt unum è primis principiis, neque ex illis evidenter ſaltem reſpectu omnium deducitur, quamvis ſit ſufficienter certum.

Inſt. 3. Illud præceptum ſi datur, vel eſt affirmativum, vel negativum. Neutrum dici poteſt. Ergo non datur.

Reſp. Nego min. Et dico illud præceptum eſſe affirmativum; quia obligat ad actum poſitivum: & eſt etiam æquivalenter negativum; nam æquivalet præcepto vetanti finem non honeſtum.

Inſt. 4. Illud præceptum obligat ſemper & pro ſemper. Ergo eſt negativum.

Reſp. Non obligat ſemper pro ſemper abſolutè, ſed ſolùm hypotheticè: nempe obligat ſemper quoties in ejus materia agimus. Præceptum autem negativum obligat

ſemper

ſemper & pro ſemper abſolutè. Præceptum verò affirmativum poteſt obligare ſemper & pro omni tempore, quo in ejus materia agimus. Sic quoties cum Parentibus agimus, cum illis debito cum amore & reverentia ſemper agere tenemur. Quare præceptum affirmativum agendi propter finem honeſtum obligat in ſingulis actibus deliberatis; cùm illi actus ſint ejus materia propria. Non obligat tamen omni inſtanti actionis ad illam referendam in finem honeſtum, ſed ſolùm initio actionis, modo in decurſu actionis non retractetur.

Inſt. 5. Præceptum agendi ſemper propter finem honeſtum eſt univerſaliſſimum. Ergo eſt unum è primis principiis, ac proinde debet eſſe omnibus notum.

Reſp. Eſt univerſaliſſimum ratione objecti; quatenus habet pro objecto omnes actus deliberatos: non autem ratione principii; nam ab illo alia morum præcepta non derivantur.

Obj. 4. Qui ignorant invincibiliter præceptum agendi ſemper ob finem honeſtum, non peccant præcisè non agendo aliquid licitum propter finem honeſtum. Ergo dantur actus indifferentes.

Reſp. Diſting. Dantur actus indifferentes in individuo per accidens, *conc. conſeq.* Per ſe & ex natura ſua, *nego conſeq.* Qui invincibiliter ignorant præceptum agendi propter finem poſitivè honeſtum, non peccant præcisè omiſſione finis honeſti; quia excuſantur propter ignorantiam invincibilem. Unde illorum actus eſt indifferens ſeu potiùs inculpabilis: ſed tantùm per accidens, & ratione ignorantiæ invincibilis, modò aliunde non vitietur. Imo ejusmodi actus verè malus eſt; quia caret fine debito: ejus tamen malitia, non imputatur agenti propter ejus ignorantiam invincibilem.

Hic autem agitur de actibus deliberatis ſecundùm ſe ſpectatis.

Obj. 5. Datur omiſſio deliberata indifferens in individuo. Ergo & actio. *Nego antecedens: probabis.* Omiſſio conſilii ſeu rei, quæ tantum conſulitur, neque bona eſt, neque mala moraliter. Ergo eſt indifferens.

Reſp. Diſting. anteced. Omiſſio conſilii neque bona, neque mala eſt ex objecto *conc. ant.* Ex fine, *nego anteced. & conſeq.* Omiſſio conſilii eſt indifferens ex objecto; quia objectum non præcipitur. At eſt bona vel mala ex fine. Nam ſi fit ex fine honeſto, eſt bona; ſi ex fine malo, mala eſt, non quatenus eſt omiſſio rei quæ præcisè conſulitur, ſed quatenus eſt omiſſio ex fine vetito, nempe non honeſto. Sic, *v.* gr. qui Sacrum die non feſto omittit, non peccat præcisè quia omittit Sacrum, ſed quia illud omittit ex fine non honeſto, putà ex acedia, negligentia, & ut genio indulgeat; nam ſi ex fine honeſto omittat, putà ut ægro opituletur, tunc omiſſio Sacri bona eſt.

Obj. 6. Dantur actus aliqui, qui neque meritorii, neque demeritorii ſunt. Ergo dantur actus indifferentes.

Reſp. Nego conſeq. Quia ut actio ſit meritoria vitæ æternæ, non ſuffecit quòd ſit bona moraliter ſeu honeſta: ſed inſuper fieri debet ex motivo ſupernaturali & in ſtatu gratiæ.

Obj. 7. Concilium Conſtantienſe damnavit hanc propoſitionem 16. Joannis Hus, nempe quòd omnia humana opera ſint vel virtuoſa, vel vitioſa. Ergo dantur aliqua indifferentia.

Reſp. Damnavit, quòd omnia opera ſint virtuoſa vel vitioſa ex parte ſubjecti ſeu agentis: non verò ex parte finis. Concilium Conſtantienſe hanc propoſitionem damnavit tantùm in ſenſu illius Hæretici & proper rationem ab illo allatam, petitam ſcilicet ex parte ſubjecti & agentis: quia (inquiebat) quidquid agit peccator, peccatum eſt: & quidquid agit homo virtuoſus, virtutis opus eſt: ut patet ex ipſa integra propoſitione his verbis expreſſa: *Diviſio immediata humanorum operum eſt, quòd ſint vel virtuoſa, vel vitioſa: quia ſi homo eſt vitioſus, & agit quidquam, tunc agit vitioſè: & ſi eſt virtuoſus, & agit quidquam, tunc agit virtuoſè. Quia ſicut vitium, quod crimen dicitur, ſive peccatum mortale, inficit univerſaliter actus hominis vitioſi; ſic virtus vivificat omnes actus hominis virtuoſi.*

ARTICULUS VI.

Utrùm actus externi habeant bonitatem vel malitiam objectivam?

Dico Ex actibus externis alii habent bonitatem intrinsecam: alii malitiam intrinsecam: alii demum neutram habent.

Prob. Nam alii ex se habent conformitatem & convenientiam cum natura rationali, vi cujus possunt ab ea decenter appeti & imperari; ut solutio debiti: alii ex se habent difformitatem & disconvenientiam cum natura rationali, vi cujus nec apperi, nec imperari possunt nisi dedecenter; ut furtum, blasphemia. alii demum neutram ex se habent; ut deambulatio: unde dicuntur indifferentes ex objecto.

ARTICULUS VII.

Utrùm actus externus augeat bonitatem vel malitiam formalem actus interni?

Dico 1. Actus externus per se non auget bonitatem vel malitiam formalem actus interni, à quo efficaciter imperatur.

Prob. 1. Ex Script. Genes. cap. 22. *Quia feciſti hanc rem, & non peperciſti Filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, &c.* Et Matth. cap. 5. *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo.* Ubi voluntas efficax pro facto reputatur: ac proinde totam per se habet imputabilitatem ad laudem & præmium, si sit bona, vel ad vituperium & pœnam, si sit mala.

2. Ex S. Augustino, in Psalm. 57. *Quidquid vis, & non potes, factum DEUS computat.* Et lib. 1. de lib. arbitr. c. 3. *Si cui etiam non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit id eum cupere, &, ſi poteſtas detur, facturum eſſe; non minùs eſt reus, quàm ſi in ipſo facto deprehenderetur.*

3. Ratione duplici. *Prima*, quia actus externus nullam habet imputabilitatem ad meritum & demeritum sibi propriam & distinctam ab imputabilitate actus interni; nam non habet libertatem nec rationem voluntarii distinctam à libertate actus interni, à quo imperatur, cùm à potentia necessaria immediatè procedat, & non sit liber, nisi quia imperatur ab actu interno.

Secunda ratio. Quia cum actus internus efficax est, si actus externus non ponitur, ideo non ponitur, quia deest potestas illum ponendi: ac proinde quod tunc non ponatur actus externus, est omnino involuntarium. Quod autem est prorsus involuntarium, non auget imputabilitatem sive ad laudem & præmium, sive ad vituperium & pœnam, ut docet S. Thomas, 1. 2. q. 20. a. 4. & per se patet.

Obj. 1. Qui martyrium subit, plus apud DEUM meretur, quam is, qui solùm subire vult martyrium, quantum in se est.

Resp. Neg. Si tam intensè & perseveranter velit, quàm si re ipsa subiret.

Inst. Qui martyrium reipsa subit, plus gratiæ sanctificantis, ideoque plus gloriæ consequitur, quam qui solùm vult efficaciter illud subire, nec tamen subit. Ergo plus meretur.

Resp. Nego conseq. Quia excessum gratiæ & gloriæ Martyr consequitur tantùm ex opere operato martyrii, vel saltem ex speciali privilegio actui externo martyrii concesso. Unde revera actus externus martyrii plus prodest, quàm sola illius voluntas efficax: sed hoc fit per accidens, seu ex privilegio, non ex natura rei.

Obj. 2. Actus internus & actus externus mali diversis præceptis prohibentur: nempe externus prohibetur sexto, *non mœchaberis*, & internus nono, *non concupiſces.*

Resp. Illa præcepta non sunt stricte ac propriè diversa. Nam idem ex eodem motivo vetant, cum hoc solo discrimine, quòd sextum vetet explicitè actum externum, & implicitè internum: nonum verò vetet explicitè actum internum, & implicitè externum.

Obj. 3. Si actus internus per se non augeret malitiam actus interni, non esset obli-

obligario conſtendi actum externum. *Falſum conſeq.* Ergo.

Reſp. Nego ſeq. maj. Tum quia actus externus facit cum actu interno unum actum moralem completum, & unum peccatum totale. Tum quia ſine confeſſione actus externi non ſatis declaratur actus interni efficacia, intenſio, extenſio & duratio, ac proinde tota ejus gravitas non ſatis innoteſcit. Præterea actus externus eſt obnoxius ſcandalo, cenſuris, irregularitati, reſtitutioni, & variis obligationibus, quibus immunis eſt actus merè internus. Unde ſine actus externi declaratione Confeſſarius non ſatis cognoſceret ſtatum pœnitentis, ejus obligationes, & qualitatem ſatisfactionum præſcribendarum: proindeque non poſſet, ut par eſt officio ſuo fungi.

Obj. 4. Aſſertio noſtra tollit ſtudium ac curam bonorum operum externorum, & metum ac fugam malorum operum externorum.

Reſp. Neg. Quia ſi non exerceantur bona opera externa, cùm facultas adeſt, tunc actus internus non eſt efficax: ſed eſt mera velleitas, quæ ſanè non habet meritum, quod habet voluntas efficax. Præterea bonum opus externum plerumque auget per accidens meritum, & ſæpe præcipitur à DEO: ut eleemoſynæ largitio. Opus verò externum malum prohibetur à DEO, & plerumque auget per accidens malitiam actus interni.

His adde, quòd actus externus plura affert commoda, ſi bonus eſt; nam ædificationem parit, quandoque Gratiam confert: ut Sacramentum & Martyrium. Si verò malus eſt, plura affert incommoda; nam parit ſcandalum, infamiam, reſtituendi obligationem, &c. Subjicitque pœnis ac cenſuris.

Dico 2. Actus externus ſæpiſſimè auget per accidens ſeu occaſionaliter bonitatem vel malitiam actus interni, à quo imperatur.

Prob. Quia ſæpiſſimè eſt occaſio, cur augeatur bonitas vel malitia actus interni, vel diutiùs duret, aut multiplicetur actus internus. Nam actus internus in executione intenditur propter arduitatem aut delectationem ortam ex actu externo, vel diutiùs continuatur propter longiorem temporis moram neceſſariam ad opus externum perficiendum, vel ob utramque cauſam ſæpiùs iteratur.

TRA-

TRACTATUS DE CONSCIENTIA.

NOTA. Conscientia est judicium, dictans quid in particulari sit licitum vel illicitum: agendum ut honestum, vel omittendum ut inhonestum. Sive est actus, quo intellectus judicat aliquid hìc & nunc licitum esse vel illicitum, faciendum ut bonum, vel omittendum ut malum. Quare dicitur judicium practicè practicum, seu ultimò practicum, ut distinguatur à judicio generali & non ultimò practico, quo intellectus judicat aliquid in genere, seu abstrahendo à circumstantiis particularibus, esse licitum vel illicitum, v. g. contractum usurarium esse illicitum. Nam Conscientia versatur circa actionem in individuo: hoc est, cum omnibus circumstantiis consideratam.

Hinc Conscientia differt à Synderesi, ut actus ab habitu. Nam Synderesis est habitus, seu cognitio habitualis primorum principiorum moralium, qualia sunt: *Bonum faciendum. Peccatum fugiendum. DEUS colendus & amandus. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Suum cuique reddendum. &c.* Conscientia autem est judicium applicans principium morale alicui actioni particulari, v. g. *Non debeo huic homini inferre hoc damnum, &c.*

Conscientia dividitur in veram seu rectam, & erroneam: certam & incertam: probabilem & improbabilem: scrupulosam & laxam: perplexam & dubiam: quamvis hæc non sit propriè Conscientia.

CAPUT I.

De Conscientia vera seu recta, erronea, & perplexa.

NOta. Conscientia vera seu recta est ea, quæ dictat aliquid in particulari esse licitum vel illicitum, bonum aut malum, quod revera tale est in se. Erronea seu falsa est, quæ dictat esse hìc & nunc licitum vel illicitum, bonum vel malum, quod reipsa tale non est. Hæc duplex est, alia erronea vincibiliter, seu ex errore, qui depelli potuit & debuit: alia erronea invincibiliter, seu ex errore, qui depelli non potuit, aut non debuit.

Quæst. I. *An tenemur sequi Conscientiam veram & rectam, dictantem aliquid præceptum vel vetitum esse?*

Resp. Affirm. Quia dictat esse faciendum, vel omittendum id, quod Lex æterna præscribit faciendum vel omittendum esse hìc & nunc, seu in talibus circumstantiis. Quare qui contra Conscientiam rectam agit, peccat; quia agit contra Legem divinam intimatam per dictamen rectæ rationis.

Porrò an Conscientia recta, ac vera dici debeat proxima regula actuum humanorum: an duntaxat intimatio talis regulæ, quæ sit tantùm lex, seu præceptum, non refert ad praxim.

Quæst. II. *An & quale peccatum est agere contra Conscientiam erroneam?*

Resp. 1. Actio vel omissio contra Conscien-

scientiam sive vincibiliter, sive invincibiliter erroneam, dictantem eam esse illicitam, est semper peccatum, quamvis ex se sit licita. *Ita omnes.* Constat 1. ex Rom. 14. *Qui autem discernit*, scilicet inter cibos falsò putans aliquos præ aliis adhuc esse à DEO vetitos) *si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est.* Id est, (ut interpretantur Patres & Concilium generale Lateranense. IV. patetque ex contextu) omnis actio vel omissio, quæ non est ex dictamine Conscientiæ, seu ex persuasione quòd sit licita, peccatum est. At omnis actio, vel omissio, quæ est contra Conscientiam, sive rectam, sive erroneam, non est ex persuasione, quòd sit licita. Ergo peccatum est.

2. Ex cap. 13. *de restitut. spoliat. Quidquid fit contra Conscientiam, ædificat ad gehennam.*

3. Quia agens contra Conscientiam erroneam, vult peccatum; cùm velit actionem vel omissionem, quam judicat esse peccatum. Nam esto tale objectum non sit reipsa illicitum, sed licitum: at voluntas illud amplectendo consentit in objectum sibi propositum ut malum, ideoque in objectum malum; objectum enim voluntatis est bonum vel malum, non quomodocunque, sed prout ab intellectu proponitur. *Item is reipsa*, quantùm in se est, sectatur malum, faciendo id, quod putat esse malum. Præterea qui facit aliquid de se bonum, putans esse malum, in æstimatione prudenti censetur perinde velle malitiam, ac si actio illa esset reipsa de se mala: cùm nolit ab illa abstinere, quamvis ei proponatur ut mala. Ergo peccat.

Hinc qui agit contra Conscientiam, peccat contra Legem divinam naturalem, vetantem omnem consensum & affectum ad id, quod putatur malum etiam ex errore.

Resp. 2. Peccatum, quod contra Conscientiam erroneam agendo admittitur, habet eam speciem & gravitatem, quam quis ex errore judicat inesse actioni vel omissioni suæ. *Est communis sententia* Quia is vult objectum, in quo talem speciem & gravitatem malitiæ apprehendit: & sic vult, saltem interpretativè, talem speciem & gravitatem malitiæ sibi ab intellectu propositam: habetque affectum ad peccatum talis speciei & gravitatis; cùm voluntas feratur in malum, prout concipitur. Breviùs: is vult peccatum committere, quale esse Conscientia dictat.

Hinc peccat mortaliter contra temperantiam, qui falsò putans tali die esse jejunium, non jejunat: contra justitiam, qui non restituit id, quod falsò putat non esse suum: contra charitatem, qui falsò judicans se debere mentiri ad servandam vitam proximi, non mentitur. Supple semper, nisi deponat prudenter hanc Conscientiam erroneam.

Nota. Licèt is, qui contra Conscientiam erroneam agit, perinde peccet, ac alter, qui contra rectam; non incurrit tamen easdem pœnas humanas, ac censuras; quia hæ non imponuntur nisi transgressoribus Legis veræ, non autem putatitiæ. Hinc non incurrit excommunicationem, qui facit actum quem falsò putat esse prohibitum sub tali censura: nec qui percutit laicum, putans esse Clericum.

Resp. 3. *Qui facit, quod falsò putat esse illicitum, non distinguens an veniale an mortale sit, peccat mortaliter:* tum quia vult objectum illud, etiamsi esset mortaliter malum: & sic vult saltem interpretativè peccatum mortale committere: tum quia se exponit morali periculo peccandi graviter spectata sua mente. *Ita Azor, Vasquez, Sanchez, &c.* Quod si apprehendat peccatum in genere tantùm, & non in ulla specie, peccat contra charitatem DEI, & propriam vetantem quodlibet peccatum, utpote offensam DEI, & malum peccantis.

Quæst. III. *An licet agere secundùm Conscientiam erroneam?*

Resp. 1. Si sit invincibiliter erronea, non solùm licet huic obsequi; quia ignorantia invincibilis excusat à peccato, cùm tollat omne voluntarium circa malum: sed etiam tenemur eam sequi in iis, quæ dictat esse præcepta, vel prohibita. Quia alio-

quin, cùm ipsa deponi nequeat, ageremus contra illam: quod non licet, ut dixi. Non tamen est propriè regula morum, nec propriè obligat, cùm non sit Legis veræ intimatio. Sed tenemur sequi talem Conscientiam; quia non possumus aliter peccatum vitare: cum deponi nequeat, & non liceat contra illam agere.

Dices. Hinc sequitur, quod aliquis possit necessariò peccare. v. g. in hoc casu: Mulier gerens curam infirmi die Festo, putat ex errore invincibili se peccare, si omittat Sacrum, & si deserat infirmum: nec potest tunc errorem suum deponere: unde si utrumvis agat, aget contra Conscientiam, & sic necessariò peccabit. *Resp.* In hoc casu non erit libera moraliter; ideoque non peccabit, modò eligat id, quod minus malum esse judicat. Quamvis enim possit ex duobus illis alterutrum eligere, non est tamen libera ad non agendum contra Conscientiam, cùm utravis parte electa, culpam apprehendat. Ad culpam autem imputabilem requiritur libertas, qua culpa vitari potuerit.

Resp. 2. Nunquam licet agere secundùm Conscientiam vincibiliter erroneam, dictantem aliquid esse licitum; quia fieret culpabiliter aliquid illicitum: cùm ignorantia vincibilis, utpote voluntaria, non excuset à peccato, & id, quod ex ea fit, sit saltem indirectè voluntarium. Neque etiam licet agere contra eam, ut modò dixi, sed ipsa deponi debet.

Hinc si quis ex errore vincibili judicet se debere furari, ut subveniat egeno non laboranti extrema necessitate, peccat contra justitiam, si furetur; quia furtum est vetitum, & ei voluntarium est ut malum in causa, nempè in negligentia inquirendi veritatem. Si verò non furetur, peccat contra charitatem; quia non agit id, quod lege charitatis præceptum esse existimat. Quare talis Conscientia deponi debet prudenter, rem pro eius gravitate diligenter perpendendo, Pios & Peritos consulendo, praxim timoratorum attendendo, &c.

Quòd si error jam deponi nequeat, & electio urgeat; v. gr. si non possis veritatem per te invenire, nec adsit peritior, quem consulas: tunc debes orare, & elicere actum contritionis de priori peccato ignorantiæ, & eligere eam partem, in qua putas esse minùs mali: & sic excusaberis ab ulteriori culpa; quia tunc error è vincibili fiet invincibilis & involuntarius; cùm ejus causa fuerit retractata, & facias jam quod in te est, ut non pecces. Teneris tamen resarcire damnum illatum. Nam retractatio culpæ non facit, ut non fuerit liberè posita causa damni, neque ut damnum ex ea non sit secutum: & sic non tollit obligationem illud restituendi, necessariò annexam injuriæ damnosæ.

Quæst. IV. *Quid est Conscientia perplexa?*

Resp. Est judicium practicum, dictans esse peccatum, sive actus hìc & nunc fiat, sive omittatur; v. gr. sive mentiaris ad impediendum homicidium, sive non mentiaris. Cùm hoc judicium sit erroneum, deponi debet; nam quisque tenetur adhibere medium necessarium ad vitandum illud, quo putat DEUM offendi. quod si deponi nequit, culpa vitabitur, eligendo minùs malum, putà mendacium in allata hypothesi, ex Can. *Duo mala*, dist. 13. Non enim peccat, qui facit, quod in se est ad vitandum peccatum. Quòd si eligas id, quod apparet majus malum, peccas secundùm quantitatem excessus apprehensi; nam hunc excessum liberè eligis. Si utraque pars appareat æquè mala, non peccabis alterutram eligendo; quia cares libertate sufficiente ad peccandum imputabiliter. Hinc non peccat, qui detentus in carcere, putat se peccare omissione Sacri, quod audire vellet, sed non potest; quia hæc omissio non est ei voluntaria, nec libera.

CAPUT II.

De Conscientia certa, & dubia.

Nota. Conscientia certa est actus, quo intellectus prudenter & firmiter, seu absque dubio & formidine falsitatis, saltem rationabili, judicat aliquid hìc & nunc esse

se licitum vel illicitum. Incerta verò est actus, quo intellectus sic judicat aliquid esse licitum vel illicitum, ut simul judicet rem fortè aliter se habere. Dixi, *prudenter*: nam certitudo duo dicit: nempe prudentiam, & firmitatem adhæsionis: & firmitas sine prudentia non est certitudo, sed pertinacia. Quare Conscientia certa debet excludere omnem rationabilem dubitationem & formidinem oppositi; alioqui non haberet firmitatem prudentem.

Quæst. I. *An ad non peccandum requiritur judicium certum de honestate seu licitate actus vel omissionis?*

Resp. Requiritur tale judicium certum, saltem certitudine morali, qua prudenter excludatur dubitatio, & peccati formido, saltem rationabilis. *Ita communiter: imò fortè nullus quoad rem dissentit.* Prob. 1. Ex Eccli. 37. *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Hoc est firmum & prudens judicium de honestate actus, qui eligitur. Et ex Rom. 14. *Omne quod non est ex fide, peccatum est.* Ubi per fidem intelligitur certa persuasio.

2. Quia Conscientia recta est actus prudentiæ, qui debet esse saltem moraliter certus de veritate: cùm prudentia sit virtus intellectualis, & ex Aristotele sit habitus vera cum ratione activus circa ea, quæ sunt homini bona atque mala, ut hæc scilicet respuantur, & illa eligantur.

3. Quia operans sine tali judicio moraliter certo, actionem suam committit regulæ incertæ, habetque formidinem rationabilem peccandi: ac proinde spectato suo conceptu se exponit morali periculo peccandi formaliter seu imputabiliter.

4. Sic probat Terillus Omnis operans ut excusetur à peccato, debet operari ex bona fide, quia *quod non est ex fide, peccatum est.* Rom. 14. At nulla fides potest esse bona, seu sufficiens ad excludendum peccatum, quæ non reddat operantem saltem moraliter certum se non peccare; nam si fides, seu persuasio, quòd non peccet, sit solùm probabilis, illa & reipsa falsificari, & homo non solùm reipsa, sed etiam quantùm ipsemet judicat, peccare poterit; quia quævis opinio probabilis de objecto contingenti, non solùm reipsa, sed etiam quantùm ad existimationem operantis, falsificari potest. Impossibile autem est hominem bona fide, seu fide ad honestatem actionis sufficiente operantem, aut reipsa, aut secundùm propriam existimationem peccare posse. Ergo fieri nequit ut bona fides, seu persuasio sufficiens ad honestatem actionis, sit judicium tantùm probabile. Ergo necesse est, ut saltem moraliter certò judicet actionem, quam regulat, non esse peccaminosam.

Quæst. II. *Quid est dubium, & quotuplex?*

Resp. 1. Dubium est suspensio assensus, & dissensus inter utramque partem ob motiva pro utraque parte æquè probabilia. Dico, *ob motiva*, &c. Nam dubium, quod vocant negativum, consistens in suspensione mentis inter utramque partem contradictionis, ob carentiam motivorum pro utraque parte, non est propriè dubium, sed nescientia & ignorantia. Quòd si mens in unam partem magis inclinet quàm in alteram, absque tamen assensu, tunc est suspicio. Hinc patet, 1. Dubium differre ab opinione: nam per hanc assentimur uni parti: in dubio verò mens suspensa manet inter assensum & dissensum. 2. Conscientiam dubiam non esse propriè Conscientiam, cùm dubium *non* sit dictamen seu judicium practicum, sed suspensio judicii circa bonitatem, & malitiam actus.

Resp. 2. Dubium aliud est juris, aliud facti. Dubium juris est dubium de lege: seu obligatione, aut legitima facultate agendi. Et hoc duplex est, nempe speculativum seu generale, quo dubitatur in genere, num aliquid sit licitum, an illicitum: & practicum seu particulare quo dubitatur, an actus aliquis hìc & nunc cum omnibus suis circumstantiis sit licitus necne: ut cùm quis dubitat an contractus hic, quem nunc vult inire cum talibus conditionibus, sit licitus.

Dubium facti est dubium circa aliquod

factum: ut cùm dubito, an tale debitum persolverim: item an hæc persona sit, v. g. consanguinea, an non; an cibi appositi sint caro, necne, &c. Ex dubio facti sæpe oritur dubium juris: ut cùm quis dubitans an aliquid voverit, præterea dubitat an id præstare teneatur in tali dubio.

Quæst. III. *An est peccatum agere vel omittere aliquid in dubio de malitia talis actus hìc & nunc faciendi, vel ejus omissionis?*

Resp. Est peccatum ejusdem speciei & gravitatis, cujus est peccatum, de quo dubitatur, quamvis id secundùm se sit licitum. *Ita omnes.* Constat 1. ex Rom. 14. *Omne quod non est ex fide*, hoc est, ex persuasione quòd sit licitum, *peccatum est.* At actio, (idem dic de omissione) quæ fit in dubio de ejus malitia, non est ex fide; seu ex persuasione quòd sit licita, ut patet. Ergo peccatum est.

2. Agens in dubio, vult saltem interpretativè malitiam peccati, de qua dubitat; eo ipso enim æquè vult actum, sive sit peccatum, sive non.

3. Qui se exponit morali periculo peccandi, peccat, & quidem eadem specie & gravitate peccati, cujus periculo se exponit, juxta illud *Eccl.* 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* At agens in tali dubio, exponit se periculo faciendi peccatum, de quo dubitat, & tale periculum amat ac eligit; nam id agit, quod, spectato suo conceptu, tam potest esse illicitum quàm licitum, nec habet determinatum judicium, quòd operatio sua sit licita potiùs quàm illicita. Idque Ethnici solo lumine naturali norunt. Sic enim Cicero lib. 1. de Offic. ait: *Bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum sit, an iniquum.*

Quæst. IV. *Quomodo formanda est Conscientia in dubiis?*

Resp. Tum quisque tenetur, 1. adhibere diligentiam in veritate inquirenda debitam, & possibilem pro rei gravitate, & loci ac personæ qualitate & conditione: DEUM orando: cor mundando per contritionem, ne impediatur lumen veritatis: affectum omnem pravum deponendo: cupiditates quæ mentem obcæcant cohibendo: Probos ac Peritos consulendo: praxim timoratorum ac proborum attendendo: rationes utrinque, & rem pro materiæ gravitate ex solo amore veritatis expendendo. Nam eodem præcepto, quo quisque tenetur prudenter agere, & vitare peccatum, tenetur etiam veritatem diligenter investigare, ne imprudenter agat, séque periculo peccandi exponat.

2. In dubio post diligentiam debitam adhibitam, quisque tenetur se prudenter resolvere, ideóque non per solum affectum, sed per motivum prudentiæ. Alioqui adhuc se exponet periculo peccandi; nam voluntas est potentia cæca, quæ debet dirigi per prudentiam intellectus.

3. Quòd si pro utraque parte æqualis stet probabilitas, vel nullum grave motivum occurrat, tenetur sequi partem tutiorem: hoc est, quam sequendo nullum est periculum agendi contra ullam legem juxta regulam juris: *In dubio tutior pars eligenda est:* alioqui se exponit periculo peccandi. Licet tamen sequi partem minùs tutam, modò sit longè probabilior altera, ut infrà dicam.

CAPUT III.

De Conscientia scrupulosa.

Quæst. I. *Quid est scrupulus?*

Resp. Est opinio formidolosa peccati, ubi non est peccatum, ex inani frivoloque motivo concepta, & animum plerumque angens: sive est actus, quo intellectus ob motivum parvi aut nullius momenti, judicat cum anxietate aliquid hìc & nunc esse præceptum vel prohibitum. Laxa è contra est actus, quo intellectus ob motivum leve seu insufficiens, judicat aliquid hìc & nunc licitum esse, vel etiam bonum.

Quæst. II. *Quænam sunt causæ scrupulorum?*

Resp. Hæ: nimirum melancholia: indoles timida: judicii imbecillitas: cerebri debilitas ex morbo, vel ex immoderatis jejuniis

niis ac vigiliis contracta: ignorantia: superbia: mentis inconstantia vel pertinacia: pusillanimitas & dejectio animi, ob quam quis nescit timores vanos contemnere: conversatio cum scrupulosis: suggestio dæmonis, ut bonum spirituale hominis impediat, & à perfectione vel salute tanquam nimis ardua imò & impossibili deterreat, vel ut hominem ineptum reddat ad opera DEO gloriosa, & proximo utilia, &c.

Quæst. III. *Quænam sunt remedia contra scrupulos?*

Resp. Hæc à Doctoribus passim præscribuntur.

1. Frequens oratio, & alia pietatis opera, præsertim actus humilitatis, fiduciæ & amoris in DEUM &c.

2. Sollicitudo cavendi peccata manifesta, tum mortalia, tum venialia.

3. Proborum ac Sapientum vitam ac consvetudinem intueri, ut monet Sanctus Antoninus.

4. Sequi in omnibus directionem sui Superioris, vel Confessarii, seu Directoris Probi ac Prudentis, deposita opinione propria inani: quod non solùm tutò potest, sed etiam debet scrupulosus, ob gravia damna, & pericula peccandi formaliter, quæ ei impendent, si remedia & consilia respuat. Etsi enim Directorem errare contingeret, quia tamen ei obtemperando, agit quod in se est, non peccabit, ex cap. 44. *de sent. excomm.* ibi: *Ad sui Pastoris consilium (Conscientia levis & temerariæ credulitatis explosa) licitè potest &c.*

5. Non debet ad singula Directorem adire, sed ex regulis generalibus ab ipso vel aliunde acceptis, assuescat formare Conscientiam in casibus occurrentibus.

6. Cavere otium, & vagas cogitationes, quæ mentem scrupulis vexant: & animum in ipsis scrupulorum initiis aliò avertere.

7. Scrupulos contemnere, non fovere cogitatione; sed contra illos agere, formando prudens ac rectum judicium in oppositum. Quod facile fieri potest; cùm scrupulus sit opinio levi ac contemptibili motivo nixa.

8. Destruere causas scrupulorum. Superbus prudentiæ suæ non innitatur. Pertinax frangat suum judicium. Rudis instruatur. Timidus meditetur bonitatem DEI, qui non imponit præcepta redigentia ad insaniam. Melancholicus expellat medicamentis atram bilem, &c.

Quæst. IV. *Quomodo se gerere debet Confessor cum scrupuloso?*

Resp. Confessor 1. nullum scrupulosum admittat, nisi declaret se velle ejus consilia sequi depositio proprio judicio. Quare ei persuadeat scrupulosum non posse se ipsum regere, ideóque debere regi per alium, cui obsequatur; nam DEI providentia nemini negat modum, quo regi in via salutis possit; cùm DEUS sincerè velit omnes salvare: idque esse medium ab omnibus Sanctis & Doctoribus præscriptum, & necessarium ad curandum hunc animi morbum, ex quo ni curetur, gravissima damna spiritualia, & pericula oriuntur.

2. Scrupulorum causas exploret, & remedia ex allatis aptissima præscribat.

3. Doceat principia generalia, quibus utatur ad depellendos scrupulos, nec admittat frequentes ad se recursus: & dum scit scrupulum afferendum esse, dimittat illum non auditum; nam hæ interrogationes & frequentes recursus fovent scrupulos.

4. Sollicitè moneat, ut nulli scrupulo cedat, sed contra omnes cognitos ùt tales agat.

5. Si valdè gravem anxietatem & molestiam patiatur in observando præcepto, à quo notabile nocumentum excusat, petatur pro eo dispensatio, si aliter curari nequeat.

6. Moneat, ut abstineat à nimis anxio Conscientiæ examine, doceatque, eum non teneri nisi ad mediocre examen peccatorum, quamvis aliqua fortasse hinc omitti contingeret, si videat tantam hac in re esse anxietatem, ut timeatur periculum lædendi cerebrum, vel ad insaniam aut desperationem redigendi. Nam ad materialem Confessionis integritatem non tenetur cum tanto incommodo ac periculo: nec DEUS id totum hac in re ab ægris animis exigit, quod à sanis.

7. Confessionem generalem peccatorum antea rite confessorum, impediat scrupuloso timorato, & sufficienter à peccatis purgato, si inde oriatur nimia anxietas ac molestia, vel timeatur capitis debilitas, aut corporis morbus. Sed permittat ei, qui non videtur satis purgatus à peccatis: modo ex illa repetitione non immineat periculum in ea denuò consentiendi; nam confessio generalis per se utilis est ad Conscientiam purgandam.

8. Non permittat abstinere à frequentandis ut opertet Sacramentis, ne privetur gratia Sacramentali, quæ plurimùm valet ad pacandam Conscientiam.

9. Plerumque mitem ac benignum se præbeat erga illum, ne afflicto afflictionem addat. Quandoque tamen juvabit austeritas, ut expugnetur ejus animi pertinacia.

10. Caveat, ne pœnitens ab uno extremo transeat ad aliud, Conscientiamque timoratam in ulla re deponat.

CAPUT IV.

De Conscientia, & opinione probabili.

Nota. 1. Opinio probabilis speculativè ac secundùm se, est opinio verisimilis, sed non evidenter vera: sive est opinio quæ nititur motivo gravi, sed absolutè fallibili. Opinio verò probabilis practicè, & respectivè ad operantem, est ea, quæ apparet ita verisimilis, seu niti motivo tam gravi, quamvis absolutè fallibili, ut post diligentem veritatis inquisitionem, possit meritò ac prudenter approbari ut vera. Non potest autem meritò ac prudenter ob apparentiam veritatis approbari ut verum, quod habet majorem, aut etiam æqualem apparentiam falsitatis.

Nota. 2. Opinio probabilis strictè loquendo differt à Conscientia probabili; nam hæc est actus, quo intellectus, ob motivum grave, sed fallibile, judicat actionem hìc & nunc exercendam, esse licitam vel illicitam: illa verò est actus, quo intellectus ob motivum grave, sed fallibile, judicat aliquid esse licitum vel illicitum, præscindendo à praxi actuali, seu exercitio.

Nota 3. Ut opinio censeatur probabilis etiam speculativè, necesse est. 1. Ut nec rationi evidenti, aut principio certo, nec Scripturæ, nec Traditioni, nec Patribus, nec Conciliis, nec Summorum Pontificum decretis, nec unanimi Doctorum sententiæ adversetur. 2. Ut nitatur motivo gravi, licèt absolutè fallibili. Motivum autem grave est motivum magni momenti: quod, si seorsim spectetur, nec oppugnetur motivo æquè aut magis gravi in oppositum, per se sufficit ad eliciendum pro una parte judicium prudens, quamvis inevidens & absolutè fallibile. Porrò opinio probabilis est ea, quæ nititur motivo levi, & absolutè insufficiente ad prudentem assensum.

Nota 4. Probabilitas est verisimilitudo seu apparentia veri infra evidentiam, gravi fundamento nixa: sive est motivum grave, sed absolutè fallibile, reddens opinionem verisimilem. Dividitur in intrinsecam, & extrinsecam. Probabilitas intrinseca est ea, quam facit momentum aliquod distinctum ab authoritate: seu est momentum ipsius rationis. Extrinseca est ea, quam facit momentum authoritatis Doctorum, vel testium. Doctorum tamen authoritas non movet, nisi in quantum præsumitur cum ea conjunctam esse gravem rationem, ita ut resolvatur in gravem rationem præsumptam. Quare probabilitas, quæ est ab auctoritate Doctorum, non tam ex illorum numero, quàm ex eorum merito: videlicet probitate, doctrina, studio, diligentia ac sapientia metienda est. Hinc opinio probabilis intrinsecè est ea, quæ habet pro motivo rationes ab auctoritate distinctas: probabilis verò extrinsecè est ea, quæ habet pro motivo auctoritatem aliquam magnam, sed fallibilem, quamvis hæc resolvatur in gravem rationem præsumptam.

Nota 5. Alexander VII. damnavit hanc propositionem 27. *Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probalis,*

bilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

Nota 6. Opinio tuta est ea, quæ removet à periculo peccandi: tutior, quæ magis removet: minùs tuta, quæ minùs removet à tali periculo. Item tutior stat pro præcepto: hoc est, asserit extare præceptum jubens vel vetans aliquid. Minùs tuta dicitur favere libertati; quia negat extare præceptum & obligationem circa aliquid, sed asserit hominem posse licitè pro arbitrio utrumvis eligere.

Nota 7. Agitur hìc de opinione probabili relatè ad operantem post diligentem ac debitam veritatis inquisitionem, & motiva utriusque partis diligenter & ex studio veritatis assequendæ expensa.

Quæst. I. *An licet sequi Conscientiam probabilem & minùs tutam?*

Resp. Non licet, nisi probabilitas sit tanta, ut excludat omnem formidinem rationabilem falsitatis, & pariat certitudinem moralem saltem relativam; quia, ut dixi cap. 2. quæst. 1. ad non peccandum requiritur judicium certum saltem certitudine morali, qua prudenter excludatur dubitatio, & peccati formido saltem rationabilis. Hinc non licet sequi Conscientiam minùs tutam, & minùs aut non magis probabilem, quàm sit tutior opposita, ut constabit etiam ex mox dicendis. E contrà licet sequi Conscientiam unicè probabilem, vel saltem longè probabiliorem opposita, stante pro præcepto: non quidem quatenus est præcisè probabilis, sed quatenus est tunc moraliter certa.

Quæst. II. *An licet sequi opinionem minùs probabilem stantem pro libertate, in concursu probabilioris stantis pro præcepto?*

Resp. Nunquam licet, sed semper tenemur sequi probabiliorem & tutiorem. Prob. 1. Ex *Eccl.* 37. *Ante omnia opera tua verbum verax præcedat te, & ante omnem actum consilium stabile.* Ibi traditur præceptum generale sectandi veritatem, & faciendi quod in nobis est ad sectandam veritatem de licitate seu honestate actus: quod etiam ipse Aristoteles 1. Ethic. cap. 4. docet: *Veritatem*, inquit, *debemus inquirere & sequi, quantùm possumus.* Sed qui sequitur opinionem minùs probabilem de honestate actus, relicta probabiliore de ejus malitia, non facit quod in se est ad sectandam veritatem de honestate actus; nam sequitur partem minùs verisimilem, quæ proinde à vero magis recedere ipsi videtur, relicta verisimiliore, & veritati propiore. Ergo.

2. Ille peccat, qui facit id, quod non potest judicare prudenter esse licitum; nam ad agendum vel omittendum licitè, requiritur judicium prudens de honestate actus, vel omissionis. At sequens opinionem minùs probabilem & minùs tutam, non potest judicare prudenter actionem vel omissionem suam esse licitam. Ergo. *Prob. min.* Talis non potest judicare suam actionem vel omissionem esse licitam, nisi in judicando præferat minorem verisimilitudinem majori, & motiva minùs gravia motivis gravioribus, ut patet. Sed qui in judicando præfert minorem verisimilitudinem majori, & motiva minùs gravia motivis gravioribus, imprudenter judicat. Ergo sequens opinionem minùs probabilem, &c. non potest, nisi imprudenter judicare actionem vel omissionem suam esse licitam. *Minor patet.* Et verò ut *intellectus prudenter procedat in judicando*, debet in judicando, quantùm in se est, vitare malum suum, nempe errorem. At hoc non facit, si in judicando præfert minorem verisimilitudinem majori; nam intellectus non censetur in æstimatione prudenti vitare, quantùm in se est, errorem, nisi cùm in evidentibus amplectitur id, quod verum est, & in obscuris id, quod, omnibus diligenter perpensis, apparet verisimilius. Quare extat præceptum generale prudentiæ, ut *in* evidentibus sequamur veritatem notam de honestate actus, & in obscuris verisimilitudinem majorem & magis removentem à periculo agendi contra veram legem.

3. Tenemur observare præceptum, quod sufficienter proponitur ad obligandum, ut patet: & illud præceptum sufficienter proponitur ad obligandum, quod prudenter affir-

affirmari potest, nec nisi imprudenter negari, ut etiam patet. At tale est præceptum, quod apparet probabilius; cùm pro eo stent motiva graviora; prudenter enim judicando, præferuntur motiva graviora motivis minùs gravibus, & major verisimilitudo minori, nec nisi imprudenter postponerentur.

4. Ut quis non peccet, debet habere judicium saltem moraliter certum, quòd actio sua sit licita. Nam homo semper tenetur prudenter agere, nec licet se exponere periculo peccandi; prudentia autem, cùm sit virtus mentis practica, requirit certitudinem saltem moralem. At hoc judicium habere non potest, sequendo opinionem minùs probabilem, & minùs tutam. Nam non potest illi apparere certum, quòd actus sit licitus, cùm illi appareat certum, quod verisimilius sit eum esse illicitum; hæc enim judicia virtualiter opponuntur: *Mihi apparet certum quòd actus sit licitus: & simul mihi apparet certum quòd verisimilius sit eum esse illicitum.*

5. Quia in concursu duarum opinionum æquè probabilium, tenemur sequi tutiorem, ùt modò probabo. Ergo à fortiori, &c.

Hinc collige, nemini licere consilium dare secundùm opinionem, quæ ei minùs probabilis & minùs tuta videtur; cùm nemini liceat secundùm illam operari, & nemini liceat consulere actum illicitum.

Porrò adversarii fatentur, Professores in docendo teneri sequi sententiam probabiliorem, præsertim in rebus gravibus, quales sunt quæ ad fidem vel mores pertinent; quia ideò eis tale munus commissum est, ut discipulos doceant probabiliora in rebus, quarum absoluta certitudo non est.

Obj. 1. Opinio minùs probabilis in allata hypothesi, est probabilis, habet motivum grave ac rationabile. Ergo. *Resp.* Opinio minùs probabilis, in concursu tutioris probabilioris aut æquè probabilis, est ad summum probabilis speculativè, secundùm se, & absolutè: at non est probabilis practicè, & in ordine ad hic & nunc operandum ex prudenti judicio de honestate seu licitate actus. Habet motivum grave, aptum ad obtinendum assensum Viri Prudentis, si illud spectetur seorsim & absolutè: secus, si spectetur comparatè ad motivum gravius aut æquè grave in oppositum; nam motivum grave non potest prudenter in judicando præferri motivo graviori aut æquè gravi in oppositum; nec proinde in hoc concursu potest fundare assensum prudentem de licitate actus.

Obj. 2. Opinio probabilis, hoc ipso quòd est probabilis, prudenter judicatur ut vera, etiam in tali concursu, & sic prudenter secundùm eam agimus. *Resp.* Hoc est falsum, ut constat ex dictis, & ex his propositionibus ab Innoc. XI. damnatis. 3. *Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* 4. *Ab infidelitate excusabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.* Ergo nec quivis alius excusabitur, si talem opinionem sequatur in iis, quæ pertinent ad mores. Præterea opinio probabilis non potest, saltem prudenter, judicari vera in concursu probabilioris oppositæ; cùm sit fundamentum gravius judicandi eam esse falsam. Idem dic in concursu opinionis æquè probabilis, quia non est potior ratio eam judicandi veram, quàm falsam: nec est sufficiens fundamentum attribuendi veritatem uni parti potiùs quàm alteri; cùm neutra appareat magis vera quàm falsa: unde intellectus tunc debet hærere suspensus, vel judicare rem esse dubiam.

Obj. 3. Motivum grave, hoc ipso quod grave est, dignum est assensu, & facit magnam spem assequendæ veritatis. *Resp. dist.* Quamdiu non apparet motivum gravius vel æquale in oppositum, *Concedo.* Cùm apparet motivum gravius vel æquale pro opposita parte *Nego.* Nam gravitas motivi vincitur per gravitatem majorem alterius oppositi; & non potest vincere gravitatem æqualem. Porrò motivum grave non sic dicitur, quia meretur assensum in omni casu: sed tantùm quia illum meretur, quamdiu ejus vis non superatur per majus motivũ oppositum: vel

non

non eliditur per æquale, quòd viciſſim non elidit; nulla enim gravitas prævalere poteſt alteri majori vel æquali oppoſitæ.

Obj. 4. Motivum per ſe ſufficiens ad prudentem aſſenſum, ſemper ad eum ſufficit.

Reſp. Motivum per ſe & intrinſecè ſufficiens ad prudentem aſſenſum pro quocunque caſu, ſemper ſufficit ad prudentem aſſenſum. At non ſemper ad prudentem aſſenſum ſufficit motivum, quod ad illum ſufficiens eſt pro aliquibus tantùm caſibus. Motivum autem præcisè grave non eſt motivum per ſe & intrinſecè ſufficiens ad prudentem aſſenſum pro quocunque caſu: alioqui ſufficeret etiam dum poſtea occurit motivum evidens & certum pro oppoſita parte.

Obj. 5. Sequens opinionem minùs probabilem, agit cum ratione. Ergo non peccat.

Reſp. Agit cum ratione, quæ ſuperatur per aliam majorem in oppoſitum, & quæ proinde non ſufficit ad prudentem aſſenſum: & ſic agit imprudenter & irrationabiliter. Si autem ſequatur opinionem æquè probabilem, tunc agit cum ratione, quæ eliditur per aliam æqualem, & quæ proinde non ſufficit ad prudentem aſſenſum.

Obj. 6. Lex non obligat, niſi cùm certum & evidens eſt illam exiſtere.

Reſp. Neg. quia 1. hoc continet laxitatem intolerabilem.

2. Inde ſequeretur legem naturalem, quoad maximam ſui partem, inutiliter latam eſſe à DEO. Nam, ùt patet ex diſſidiis Doctorum circa innumeros penè caſus, lex naturalis quoad maximam ſui partem, & innumeros penè caſus non cognoſcitur evidenter.

3. Sequeretur licere ſequi opinionem minùs tutam, quamdiu habet aliquid probabilitatis: quod damnatum eſt ab Innocent. XI. & repugnat cap. 44. *de ſentent. excommun.* nam tamdiu oppoſita tutior non eſt evidenter vera.

4. Lex obligat, hoc ipſo quòd eſt ſufficienter propoſita: & eſt ſufficienter propoſita, hoc ipſo quòd eſt probabilius illam exiſtere; nam hoc ipſo ejus exiſtentia prudenter affirmari poteſt, & non niſi imprudenter negari, cùm habeat motiva graviora.

Obj. 7. Poteſt quis per principia certa formare judicium prudens & certum, quòd liceat ſequi opinionem minùs probabilem & minùs tutam in concurſu tutioris magis aut æquè probabilis.

Reſp. Neg. Nam principia Probabiliſtarum non ſunt certa, ſed controverſa: imò ſunt falſa, aut ſaltem dubia, ut patet ex noſtris ſolutionibus. Unde non poſſunt fundare judicium moraliter certum de honeſtate actionis vel omiſſionis.

Obj. 8. Summi Pontifices ſæpè diſpenſarunt in caſibus, in quibus minùs probabile erat, eos poſſe diſpenſare. Ergo ſæpe ſecuti ſunt opinionem minùs probabilem, &c.

Reſp. Neg. *ant.* Nam ſi qui in concedendis diſpenſationibus aliquando à communiori ſui temporis ſententia receſſerunt, ideò ab ea diſceſſere, quia poſt ſufficientem veritatis inquiſitionem, oppoſitam ſententiam judicarunt eſſe longè probabiliorem ex motivis intrinſecis.

Obj. 9. Cap. *Si vir* 2. *de cognat. ſpirit.* dicitur. *Si vir, vel mulier ſcienter vel ignoranter filium ſuum de ſacro fonte ſuſceperit, an propter hoc ſeparari debeant? Conſultationi tuæ taliter reſpondemus, quòd quamvis generaliter ſit inſtitutum, ut debeant ſeparari, quidam tamen humaniùs ſentientes, aliter ſtatuerunt. Ideóque nobis videtur, quòd ſive ex ignorantia, ſive ex malitia id fecerint, non ſunt ab invicem ſeparandi: nec alter alteri debet debitum ſubtrahere, niſi ad continentiam ſervandam poſſint induci.* Unde ſic argumentaberis: Ibi Alexander III. caſum propoſitum decidit ſecundùm opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, utpote faventem libertati, ùt patet ex his verbis: *Quidam humaniùs ſentientes, aliter ſtatuerunt.* Ergo.

Reſp. Neg. *ant.* Et dico eum decidiſſe caſum ſecundùm opinionē faventem libertati, quia ei probabilior videbatur, ut patet ex ratione, quam ſubjicit: *Quia*, inquit, *ſi ex ignorantia id factum eſt, eos ignorantia excuſare videtur: ſi ex malitia, eis ſua fraus*

non debet patrocinari, vel dolus. Quare multi Canonistæ per tò *humaniùs*, intelligunt æquiùs, rationabiliùs. Porrò ibi non permittit parenti, qui scienter filium de sacro fonte levarat, exigere debitum: sed præcisè statuit non ideò debitum denegari debere petenti. Præterea ibi agitur de eo, quod Pontifex, utpote legislator supremus, mutare poterat, si magis expedire judicaret ad amovendum peccandi periculum.

Obj. 10. Cap. *Laudabilem. de frigidis*, ubi Cœlestinus III. triennium experientiæ concedit eis, qui matrimonium contraxerunt, si dubitent, an impotentia sit absoluta, vel temporalis. *Resp.* Ex hoc capitulo nil concludi potest contra nos; nam etiamsi minus probabile esset illos sub finem triennii non fore impotentes: tamen certum est 1. Ecclesiam, in dubio an impotentia sit absoluta, an temporalis, posse certum tempus experientiæ concedere iis, qui jam contraxerunt: alioqui si hoc non concederetur, vel matrimonium dissolveretur in dubio de ejus valore: quod non licet: vel contrahentibus prohibendum esset, ne in tali dubio uterentur conjugio, & ne aliud inirent: quod etiam fieri non potest sine injuria illorum, qui bona fide contraxerunt: & sine necessitate & culpa sua exponerentur periculo incontinentiæ. 2. Tempus illud triennii prudenter constitutum esse, ut adhibitis mediis possibilibus & licitis, conentur impotentiam tollere; nam hoc tempus nec nimis breve, nec nimis longum est, & circa finem triennii impotentia tandem cessare potest.

Obj. 11. Cap. *Litteras. de restit. spoliat.* *Resp.* In hoc capitulo Innocentius III. præcisè relinquit duabus sententiis oppositis suam probabilitatem speculativam & absolutam, quam habebant. Unde non vult damnare eum, qui alterutram eligit prudenter, ideóque putat eam esse probabiliorem. Ipse verò tertiam eligit: quia ei videbatur probabilior: nolens tamen definire veritatem aut falsitatem aliarum. Præterea, duæ illæ aliæ sententiæ priores, quas exponit, singulæ stant pro lege licèt diversa, non autem pro libertate; nam prima stat pro lege justitiæ, & jure mariti contra libertatem mulieris: altera verò pro lege matrimonium inter consanguineos vetante.

Obj. 12. Cap. *Inquisitioni. de sent. excom.* *Resp.* Ibi Pontifex respondet secundum partem tutiorem, & legi faventem; nam sic ait de conjuge, probabiliter, sed non certò credente matrimonium esse invalidum: *Cùm Conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, & quamvis non evidenti & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet: ne in alterutro vel contra legem conjugii, vel contra judicium Conscientiæ committat offensam.*

Obj. 13. Can. *Ego solis.* dist. 9. *Resp.* Ibi S. Augustinus non agit de minus probabili & tuto, sed solùm de Authoribus non Canonicis. *Alios*, inquit, *ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque polleant, non ideò verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios authores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat, persuadere potuerunt.* Ubi non dicit se admittere eorum libros ùt veros propter probabiles rationes, quæ oppugnentur rationibus æque aut magis probabilibus seu gravibus in contrarium: de quo tamen hìc agitur. Sanè licet sequi opinionem nixam rationibus probabilibus seu gravibus, quando non oppugnatur aliis rationibus magis aut æque gravibus.

Obj. 14. Can. *Sicut quædam.* dist. 14. ubi S. Leo dicit: *In iis, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis Evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum Patrum inveniatur adversum.* *Resp.* Sequi opinionem minùs probabilem & minùs tutam, est contra præcepta Evangelica, quibus præcipiuntur prudentia christiana in actibus nostris, vitatio periculi peccandi, maxima cura in servandis præceptis, & via arcta, quæ ducit ad vitam, quamque pauci ingrediuntur.

Præterea hic textus in doctrina adversariorum nimis probat; probat enim nos debere sequi simul duas opiniones contradictorias:

rias: nam juxta illos, opinio minùs probabilis & minùs tuta, & opinio probabilior & tutior ipsi contradictoria non adversantur præceptis Evangelicis, nec decretis sanctorum Patrum: & tamen S. Leo dicit: *Id noverimus sequendum*, hoc est, id sequi debemus.

Porrò cùm dicitur opinio probabilis esse ea, quæ neque Scripturæ, neque Patribus & Conciliis, neque Summorum Pontificum decretis adversatur, hoc debet intelligi de opinione probabili absolutè & secundùm se considerata; nam si consideretur relatè ad tutiorem, æque aut magis probabilem, ea jam quoad praxim adversatur Scripturæ præcipienti magnam prudentiam, & exigenti certitudinem moralem de bonitate actionis: quæ certitudo non potest stare pro opinione minùs tuta, & minùs aut æque probabili in concursu tutioris & probabilioris.

Obj. 15. Omnes ferè Doctores XVII. sæculi docuerunt licere sequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam.

Resp. 1. Illis oppono tum veteres Doctores, qui ante annum 1571. floruerunt. Nam Anton. Cordubensis in suo Quæstionario lib. 2. quæst. 3. postquam dixit tenendam esse partem tutiorem, quando probabilior est, addit: *Et in hoc omnes Doctores consentiunt.* Tum Clerum Gallicanum, & innumeros Recentiores ex omni natione & ordine, qui nunc re meliùs perpensa, oppositum docent.

2. Plurimi ex illis, qui nobis objiciuntur, docuerunt solùm licere sequi opinionem minùs tutam, quæ communiùs ab aliis haberetur minùs probabilis, quando operanti, post diligentem veritatis inquisitionem, apparet certò probabilior ex ratione.

3. In tantùm opinio aliqua censeri potest probabilior propter majorem numerum Doctorum eam tuentium, in quantùm idcircò rectè præsumitur habere pro se graviora motiva ex Scriptura, traditione, vel ratione petita. At jam hæc motiva habere pro se rectè præsumi non potest Probabilissimus; cùm oppositum jam pridem à multis ostensum sit.

4. Probabilitas extrinseca, petita scilicet ab auctoritate Probabilistarum, non plus valere debet apud eos, qui per se veritatem explorare debent, quàm valeat pondus rationum, quibus nititur Probabilismus: quæ profectò rationes certitudinem moralem nunquam fundare possunt.

5. Sicut ille imprudenter agit, qui in agendo sequitur judicium multorum & gravium virorum, quos ei aliunde evidens est errare; ita ille imprudenter agit, qui in agendo sequitur judicium multorum & gravium virorum, quos ei, omnibus maturè consideratis, verosimilius est errare.

6. Multæ enim viguerunt opiniones, quæ postea diligentiùs expensæ, omnino evanuerunt.

Observa. Nemo è Societate nostra ex professo Probabilismum, cujus auctor fuisse fertur Bartholomæus Medina ex alio Ordine, amplexus est, & pro eo scripsit, nisi postquam ita invaluerat, ut jam esset communis Scholarum omnium doctrina. Nam Vasquez, qui primus è Societate nostra hunc ex professo amplexus est, testatur tunc fuisse inter Doctores communem. Primi verò Probabilismi impugnatores è Societate nostra prodiere, videlicet Rebellus tom. 1. de Justitia, edito an. 1608. Comitolus lib. 2. respons. moral. quæst. 18. num. 6. edit. an. 1609. Et Andreas Blancus, sub nomine Candidi Philaleti, tract. de opinionum praxi, edito ann. 1642. quos secuti sunt multi alii ex eadem Societate, ut de Elizade, Estrix, R. P. Thyrsus Gonzalez Præpositus Generalis, de Camargo, Malatra: Gisbert, &c. His adde Reginal. lib. 11. cap. 3. Cardinal. Bellarminum, & plurimos Professores Theologiæ, quotidie impugnantes Probabilismum, quem Congregatio Generalis XIII. an. 1687. declaravit non esse doctrinam Societatis. Et verò S. Ignatius Societatis nostræ Institutor, hanc prudentiæ regulam omnibus Societatis Professoribus præscribit, ut *sequantur in quavis facultate securiorem & magis approbatam doctrinam*, Const. par. 4. cap. 5.

Quæst. III. *An liceat sequi opinionem minùs*

nùs tutam, ſeu ſtantem pro libertate, in-concurſu opinionis æquè probabilis tutioris, ſeu ſtantis pro præcepto?

Reſp. Nego. Quia 1. extat illud præceptum generale lumine naturali notum, & in Jure Canonico ſæpe à Summis Pontificibus traditum, ùt principium deciſionum: *In dubiis tutior pars eſt eligenda*, ùt cap. 5. *de Clerico excomm. In dubiis tutior pars eſt eligenda.* Et cap. 12. *de homicid. Cùm in dubiis ſemitam debeamus eligere tutiorem.* Et cap. 3. *de ſponſal. Quia igitur in his, quæ dubia ſunt, quod certiùs exiſtimamus, tenere debemus, &c.* Alioqui enim operans exponit ſe periculo faciendi contra legem, & peccandi. At in concurſu duarum opinionum æquè probabilium, eſt verum dubium, ut docet S. Thomas quæſt. 14. de verit. art. 1. & S. Antoninus 1. part. tit. 20. de regulis juris. Nam eſt vera ſuſpenſio judicii de veritate & falſitate, ob motiva pro utraque parte æqualia; neque enim eſt potior ratio judicandi unam opinionem eſſe veram, quàm alteram, cùm neutra plus minuſve appareat vera a veriſimilis quàm altera: & ſic intellectus neceſſariò ſuſpendit judicium. Ergo in tali concurſu eligi debet pars tutior, agendo ſecundùm opinionem ſtantem pro præcepto.

2. Ex S. Auguſt. lib. 1. de Bapt. cap. 3. *Graviter peccaret in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus, vel eo ſolo, quòd certis incerta præponeret.* Et cap. 5. *Accipere* (Baptiſmum) *in parte Donati, ſi incertum eſt eſſe peccatum: quis dubitet certum eſſe peccatum, non ibi potiùs accipere, ubi certum eſt non eſſe peccatum;* Ergo ex S. Auguſtino, cùm incertum eſt aliquid eſſe peccatum, & certum eſt aliquid non eſſe peccatum, certò peccat, qui non eligit id, quod conſtat non eſſe peccatum. At in concurſu opinionum æquè probabilium, eligens minùs tutam, non eligit id, quod certum eſt non eſſe peccatum: ſed id, quod incertum eſt non eſſe peccatum, ut patet; cùm ſit æquè probabile eſſe peccatum. Ergo talis certò peccat.

3. Peccat, qui agit ſine judicio prudenti, quòd actio ſua ſit licita. At ſequens opinionem minùs tutam in allata hypotheſi agit ſine tali judicio; nam non poteſt, ſaltem prudenter, judicare non extare præceptum prohibens actionem, cùm non poſſit ſaltem prudenter judicare veram eſſe opinionem negantem extare præceptum; non enim habet fundamentum ſufficiens judicandi illam eſſe potiùs veram quàm oppoſitam, cùm fundamenta utriuſque opinionis appareant æqualia: & apparentia veri ac falſi ſit æqualis pro utraque parte contradictionis. Quare, ut intellectus prudenter ſe gerat, debet ſuſpendere aſſenſum & diſſenſum, cùm non habeat motivum potiùs aſſentiendi quàm diſſentiendi.

4. Opinio æquè tantùm probabilis ſtans pro libertate, non poteſt afferre certitudinem moralem, quæ ſaltem requiritur ad non peccandum; nam motiva, quibus nititur, eliduntur per motiva oppoſita æquè gravia; quantam enim illa habent vim movendi ad aſſenſum, tantam alia habent movendi ad diſſenſum, & ſic intellectus nihil habet, quo poſſit, ſaltem prudenter & firmiter, determinari ad aſſenſum.

5. Qui ſe exponit probabili periculo peccandi, peccat, juxta illud Eccli. 3. *Qui amat periculum, in illo peribit.* Sed qui facit id, quod ei apparet tam probabile eſſe illicitum quàm licitum, exponit ſe probabili periculo peccandi, attento animi ſui conceptu; cùm evidenter & neceſſariò judicet eſſe æquè probabile actum prohiberi.

6. Qui facit vel omittit id, quod cognoſcit æquè probabiliter eſſe contra legem, quàm non eſſe, violat hoc præceptum generale, obligans ad maximam ſollicitudinem, & curam ſervandi legem. Pſal. 118. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodire nimis.* Item peccat contra legem charitatis, & ſubjectionis ad DEUM; nam hæc lex exigit, ut abſtineamus non ſolùm ab iis, quibus certò ſcimus Dominum ac Legislatorem offendendum, ſed etiam ab illis, quibus non conſtat non eſſe offendendum. Non enim eſt bonus amicus, bonus ac fidelis ſervus, qui

facit

facit *id*, *quod* judicat æquè probabile esse, quòd displiceat amico vel Domino.

Confirmo 1. Auctoritate Cleri Gallicani, qui in Comitiis generalibus ann. 1700. sic ait: *Absit verò, ut probemus eorum errorem, qui negant licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. Sed ad rectum usum probabilium opinionum has regulas à jure præscriptas agnoscimus: Primùm, ut in dubiis de salutis negotio, ubi æqualia utrinque animo sese offerunt rationum momenta, sequamur id quod tutiùs, sive quod est in hoc casu unicè tutum. Neque id consilii, sed præcepti loco habeamus, dicente Scriptura:* Qui amat periculum, in illo peribit. *Hæc prima regula. Altera: . . . ut nemini liceat eligere eam sententiam, quam non veritati magis consentaneam duxerit.*

2. Auctoritate Cardin. Bellarmini Ep. ad Nepotem suum Episc. Theau. ubi hæc ait: *Si quis velit in tuto salutem suam collocare, is omninò debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant. Et si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem sequi: & nulla ratione, nullius imperio, nulla utilitate temporali proposita, ad minùs tutam partem declinare. Agitur enim de summa rei, cùm de salute æterna tractatur, & facillimum est conscientiam erroneam aliorum exemplo induere, & eo modo, conscientia non remordente, ad eum locum, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur, descendere.*

Hinc non licet inire contractum, qui probabiliùs vel æquè probabiliter apparet injustus, &c.

Obj. 1. Qui sequitur opinionem minùs tutam in concursu oppositæ tutioris æquè probabilis, non agit in dubio practicè practico, sed per judicia reflexa certò judicat se licitè agere.

Resp. 1. Ex dubio speculativo seu generali, necessariò resultat dubium practicum circa actionem particularem hìc & nunc ponendam. Nam cùm propositio universalis contineat omnes particulares propositiones, & per illas verificetur dubitare, an aliquis contractus in genere sit illicitus, idem est, ac dubitare, an hic & ille contractus particularis participans illam rationem specificam, sit illicitus: sic dubitare an liceat pingere die Festo sine necessitate, idem est, ac dubitare an Petro, Paulo, &c. liceat pingere hoc die Festo sine necessitate. Ergo non possum dubitare speculativè & in universali, an illicitus sit aliquis contractus, quin simul dubitem, an sit illicitus contractus à me hìc & nunc celebrandus, si hic contineatur sub illa ratione communi, & nisi adsit aliqua circumstantia hunc contractum extrahens ab illa ratione specifica seu communi.

Resp. 2. Judicia illa reflexa Adversariorum non sunt certa. Nam nituntur principiis dubiis, controversis, imò falsis: unde non resolvunt prudenter dubium, nec certitudinem moralem de honestate actionis pariunt. Nempe hæc sunt præcipua illorum principia.

Primum. Prudenter agimus sequendo opinionem probabilem, etiam in concursu oppositæ tutioris, magis aut saltem æquè probabilis. Sed hujus falsitatem jam ostendi.

Secundum. In dubio melior est conditio possidentis: & homo est in possessione suæ libertatis circa actiones suas, quamdiu non constat extare legem eas vetantem. Sed contra est.

Nam 1. Hoc effatum (*In dubio melior est conditio possidentis*) valet solùm in materia justitiæ, seu in rebus temporalibus, quæ subsunt potestati humanæ, & in quibus solis applicatur à jure, idque docent Vasquez, Azor, Turian. & alii. At non habet *locum in actibus moralibus*, ubi agitur de licito & illicito, quod non subjicitur potestati humanæ: sed in his valet istud axioma: *In dubio tutior pars est eligenda.* Præterea priùs effatum supponit parem causam: At in dubiis de licito & illicito, non est par causa DEI & creaturæ; DEUS enim, ùt Supremus Dominus, habet jus prælationis in omnibus.

2. Falsum est hominem esse in possessio-

ne suæ libertatis, quamdiu lex non est certa. Nam agitur hìc, non de libertate facti, quæ consistit in potentia physica agendi & non agendi pro arbitrio: sed libertate juris, quæ consistit in potentia agendi & omittendi licitè. Unde cùm dubitatur, an extet lex vetans aliquid, hoc ipso dubium est, an homo id possit facere licitè, ac proinde an sit in possessione suæ libertatis. Ergo jam est petitio principii, & affertur pro principio id, de quo est quæstio. Jam verò cùm æquè verisimile est extare legem prohibentem actum, homo non potest licitè eum ponere; nam tunc non potest judicare prudenter illum non esse prohibitum, & sic privatur libertate juris; homo enim nil potest licitè agere, nisi prius prudenter judicet illud esse voluntate divina permissum vel præceptum: voluntas quippe divina est regula ac mensura actionum nostræ voluntatis, quæ illi necessariò subjici debet: regula autem est prior regulato; ac proinde prius est aliquid esse voluntate DEI permissum, quàm esse licitum voluntati nostræ: & sic voluntas nostra, ut licitè agat, debet cognoscere prius, an illud sit divinæ voluntati conforme; non enim regulari potest à voluntate DEI nisi prænognita. Præterea in dubio seu æquali probabilitate, lex generalis subjectionis ad DEUM ùt Supremum Dominum ac Legislatorem, habet possessionem anteriorem & potiorem, quàm nostra libertas, obligatque ad abstinendum ab iis, de quibus dubitamus, utrùm DEI voluntati adversentur.

Tertium. Christi jugum suave est. *Resp.* Est equidem suave, non per laxitatem doctrinæ; ait enim ipse Matth. 7. *Quàm arcta via est, quæ ducit ad vitam!* Sed tum per gratias uberiores & majores, quæ in lege Evangelica dantur: tum quia lex Evangelica est lex charitatis, efficientis suave & leve, quod grave & amarum erat, ùt explicat S. August. serm. 47. de divers. tum quia lex Christi liberat ab onere innumerorum penè præceptorum Judæis impositorum: & præter præcepta moralia, quæ sunt juris naturalis, pauca merè positiva omnes obligantia continent.

Quartum. In æquali probabilitate pro existentia & non existentia legis, lex non est sufficienter proposita, nec potest prudenter affirmari. Ergo tunc non obligat. *Resp. Neg. conseq.* Quia tenemur servare illud præceptum dubium vi alterius præcepti generalis certi, nempe: *In dubio tutior pars eligi debet. Cavendum est periculum peccandi; nam qui amat periculum, in illo peribit.* Item vi legis charitatis & subjectionis ad DEUM, præcipientis ut servetur præceptum dubium, cujus existentia prudenter negari non potest, ne nos exponamus periculo faciendi contra legem verè existentem, & agendi id, quod reipsa displicet DEO.

Obj. 2. Hoc axioma: *In dubiis tutior pars eligenda est*, continet duntaxat consilium, non præceptum, saltem pro omni casu. *Resp. Nego.* Nam Summi Pontifices locis citatis illud adhibent ùt principium morale suæ decisionis, ex se obligans pro omni casu: unde utuntur verbo *Debeo*: illudque supponunt ùt certum, & lumine naturali notum. Et verò alioqui homo in æstimatione prudenti exponeret se periculo morali agendi contra legem, & peccandi.

Nec dicas, illos loqui de dubio facti. Si enim in dubio facti pars tutior eligi debet, à fortiori etiam debet in dubio juris; nam tutior pars eligi non debet in dubio facti, nisi quia dubium facti conjunctum est cum dubio juris, in quo non potest haberi persuasio saltem prudens, nec certitudo moralis, quòd electio partis minùs tutæ sit licita.

Dices 1. Hæc regula: *In dubio tutior pars eligenda est*, intelligi debet solùm de dubio negativo. *Resp. Neg.* Nam regula generalis est, & æquè spectat positivum dubium, quod est magis propriè dubium. Nam cùm æquales occurrunt pro utraque parte rationes, intellectus non potest, salte n prudenter, non suspendere assensum; cùm non sit potior ratio assentiendi uni parti, quàm alteri. Ergo tunc est propriè verum dubium morale, ac prudens.

Præ-

Præterea in *quovis* dubio eligens partem minùs tutam, exponit se morali periculo violandi legem, & peccandi: nec intellectus potest judicare prudenter partem minùs tutam esse veram, & licere illam sequi.

Dices 2. In dubio positivo potest intellectus ex imperio voluntatis assentiri parti minùs tutæ, ùt veræ.

Resp. Id non potest, saltem prudenter, cùm pars minùs tuta non apparet ei magis vera, quàm falsa: nec id potest saltem sine gravi formidine oppositi, quæ non potest nisi imprudenter contemni. Unde talis adhæsio non potest excusare à peccato, & cum ea morale periculum est agendi contra aliquam legem, ideóque peccandi.

Obj. 3. Motivum grave non amittit gravitatem suam ex eo, quòd concurrat cum motivo æquè gravi in oppositum. Ergo motivum grave etiam in concursu æquè gravis, sufficit ad prudentem assensum.

Resp. Neg.con. Imò quia utrumque motivum retinet gravitatem suam in concursu, & sic se mutuò elidunt, neutra pars magis apparet vera quàm falsa: ac proinde intellectus neutri potest saltem prudenter assentire vel dissentire: sed debet suspendere assensum ac dissensum, & sic manere dubius. Extat autem præceptum generale certum, obligans ad sequendam partem tutiorem *in* omni dubio, ne nos exponamus periculo peccandi.

Obj. 4. Nobis obstant hæ regulæ juris: *In obscuris minimum est sequendum. Odia restringi, & favores convenit ampliari.*

Resp. Hæ & similes regulæ intelligi debent solùm de dubiis facti, & ubi agitur de pœnis infligendis: non autem de dubiis, ubi agitur de licito & illicito. Quia in dubio de admissione criminis, vel de merito culpæ, benignior pars est tutior. Nam illam sequens, exponit se solùm periculo non condemnandi reum vel puniendi infra meritum, quod non est intrinsecè ac per se malum: oppositam verò sequens, exponit se periculo damnandi innocentem, vel puniendi reum ultra meritum, quod est intrinsecè malum. Hinc illa Regula 192. *ff. de regul. juris: In re dubia benigniorem interpretationem sequi non minùs justius est, quàm tutiùs.* Et ista Reg. 11. Jur. in 6. *Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs quàm actori.* At in dubiis de licito, & illicito, sequens opinionem benigniorem seu faventem libertati, exponit se periculo faciendi contra legem, ac proinde peccat.

Quæst. IV. *An licet sequi opinionem minùs tutam, sed probabiliorem;*

Resp. 1. Tenemur sequi partem tutiorem in iis omnibus, in quibus ignorantia invincibilis, & major probabilitas non juvant ad obtinendum finem, quem procurare tenemur. Quia adhiberi debent media efficacia, si adsint.

Hinc tenemur, 1. Sequi partem tutiorem, ubi agitur de iis, quæ sunt de necessitate medii ad salutem, vel quæ requiruntur ad *validam* administrationem & susceptionem Sacramentorum; quia non obtinebitur salus, nec effectus Sacramenti, nisi reipsa ponantur ea, quæ DEUS ad hunc finem exigit.

2. Ubi agitur de procuranda sanitate corporis, de victoria sive in bello sive in judicio, de vitando damno proximi, quod cavere tenemur ex justitia vel charitate, &c. Quia in his non obtinebitur finis debitus, nisi adhibeantur media reipsa & non solùm opinione efficacia. Neque enim major probabilitas opinionis mutat naturam rerum, aut iis efficaciam tribuit, aut impedit damnum. Unde nullatenus est probabile, etiam speculativè, quòd tunc liceat oppositum.

3. Ad tutiorem partem tenetur, qui ad tutiora adhibenda ex conventione, voto, vel Superioris præcepto obligatur.

Resp. 2. Licet sequi opinionem minùs tutam de licito, quando post debitam veritatis inquisitionem apparet certò, ac valdè probabilis, & multò probabilior oppositâ, ita ut excludat dubitationem & formidinem rationabilem errandi.

Prob. Quia 1. Alexander VIII. damnavit hanc propos. 3. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.*

2. Ex Clero Gallicano supra laudato.

3. Licet sequi judicium prudens, ac moraliter certum de honestate seu licitate actus. At opinio multò probabilior de licito est seu fundat ejusmodi judicium; nam sequens opinionem multò probabiliorem de licito, licèt minùs tutam, judicat, aut saltem judicare potest prudenter, & firmiter, actionem suam esse licitam; ille enim firmiter & prudenter judicat, qui in judicando præfert motiva multò graviora motivis minùs gravibus, quæ præ illis citra culpam & affectum inordinatum levia & meritò contemnenda apparent, & sic habet prudentem & firmam persuasionem, quòd actio sua sit licita, nec ullam habet formidinem erroris: vel si quam habet, illam prudenter repellit ac contemnit ùt scrupulum: cùm habeat motiva multò graviora judicandi actionem suam esse licitam, quàm sint motiva judicandi oppositum, quæ comparatè ad longè graviora, apparent levia, & meritò præ illis contemnenda: proinde se habent perinde ac si non essent; motivum enim quod prudenter contemnitur, perinde se habet ac si non extaret. Ita docet S. Antonin. 2. p. tit. 3. c. 10. §. 10. & sub fin. hæc ait: *Non enim consurgit certitudo moralis ex evidentia demonstrationis, sed ex probabilibus conjecturis grossis & figuralibus magis ad unam partem, quàm ad aliam se habentibus.* Et ex Reg. 31. Jur. in 6. *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.* Et verò impossibile est habere dictamina metaphysicè aut physicè certa de omnibus agibilibus. DEUS autem, qui disponit omnia suaviter, non exigit ab homine, ut semper cum evidentia & certitudine metaphysica de materiali honestate suæ actionis operetur; quia est supra conditionem hominis in hoc statu semper sic operari, ait Cajet. Itaque DEUS solùm à nobis exigit, ut nunquam operemur sine firma & prudenti persuasione quòd operatio hìc & nunc exercenda sit licita.

Hinc quamvis opinio Guillelmi Parisiensis, docens hominem statim atque peccavit, teneri ad confessionem, sit tutior: nemo tamen peccati arguit eum, qui confessionem aliquantisper differt; quia opinio opposita S. Thomæ est multò probabilior, & tuta.

Dixi *multò probabilior.* Nam non licet sequi opinionem minùs tutam, quæ appareat solùm paulò probabilior tutiore. Quia in moralibus parum pro nihilo reputatur: & quia exiguus probabilitatis excessus non fundat certitudinem moralem, nec excludit formidinem rationabilem erroris, nec proinde tollit periculum probabile peccandi.

Obj. 1. Opinio tutior licèt minùs probabilis, est adhuc probabilis, habet motivum grave &c. *Resp.* Ita est, si absolutè & seorsim spectetur: non autem, si spectetur comparatè ad oppositam longè probabiliorem, & relatè ad operantem. Nam tunc ejus motivum operanti apparet leve, sic ut prudenter contemnatur præ oppositò longè graviori, ac proinde perinde se habet, ac si non esset.

Obj. 2. Formido est essentialis cuilibet opinioni, etsi probabilissimæ. Ergo nulla opinio potest esse moraliter certa. *Resp. dist. ant.* Formido logica C. moralis. N. Duplex est formido, una logica, quæ est essentialis omni assensui opinativo: & consistit in actu, quo intellectus cognoscit non repugnare præcisè ex vi motivi assensus, rem aliter se habere atque judicat: & alia moralis, quæ est accidentalis assensui opinativo, & ab eo separabilis, consistitque in actu quo intellectus dicit rem fortè aliter se habere, sive quo non leviter suspicatur rem aliter se habere atque judicat. Hæc sola formido repugnat certitudini morali, & abest ab opinione probabiliore.

Quæst. V. *Ad quid tenemur, quando opinio est probabilis extra concursum?*

Resp. 1. Tenemur servare præceptum, quando opinio affirmans illud existere, est unicè probabilis. Quia 1. tenemur servare præceptum, cujus existentia apparet æquè probabilis ac non existentia, ùt probavi: Ergo à fortiori, si ejus existentia appareat unicè probabilis. 2. Homo in hoc

casu

casu potest prudenter judicare legem existere, nec id potest nisi imprudenter negare; nam habet grave motivum id asserendi, & nullum habet negandi. At quisque tenetur servare legem, quam potest prudenter judicare existere, vel quam non potest nisi imprudenter negare.

Resp. 2. Licet sequi opinionem minùs tutam, seu negantem præceptum, quando est unicè probabilis, ita ut excludat omnem formidinem saltem rationabilem peccandi. Quia illam sequens potest judicare prudenter & firmiter actionem suam esse licitam; nam habet motivum grave id judicandi, & nullum habet aliter judicandi. Unde nec habet anxietatem, nec formidinem erroris: aut si quam habet, potest eam contemnere ut scrupulum: quippe quæ careat fundamento saltem rationabili. Sic rusticus licitè omittit Sacrum eo die, quo ejus Pastor, Vir Probus & Doctus existimatus, asserit ad illud non teneri, si nullum habeat motivum judicandi oppositum, nec suum Pastorem falli aut fallere, ex cap. 44. *de sentent. excomm.* Unde tunc talis opinio est certa practicè, & relatè ad operantem, quamvis speculativè & absolutè spectata, sit duntaxat probabilis. Quòd si contingat talem opinionem esse reipsa falsam, error est invincibilis.

TRACTATUS DE BEATITUDINE.

ADMONITIO.

TRactatui de Angelis, & Actibus Humanis is quoque, qui de Beatitudine inscribitur, recepto Scholarum more adjici consuevit. Quia verò Pater Antoine materiam hanc, agens de Visibilitate DEI in Tractatu de DEO, quatuor Articulis absolvit: in quorum *Primo* quærit: *Utrùm DEUS videri possit intuitivè?* in *Secundo: Utrùm DEUS possit comprehensivè videri, seu comprehendi ab intellectu creato?* in *Tertio: Utrùm Justi plenè purgati statim post mortem DEUM videant?* in *Quarto* denique: *Utrùm omnes Beati æqualiter DEUM videant?* adjecta Quæstione: *Quid Beati videant per Visionem Beatificam*: videbatur è majore eorum, qui Theologiæ Scholastico-Dogmaticæ dant operam, futurum utilitate, si, quæ in dicto Authore desiderantur, ea uberioris tum eruditionis, tum exercitationis etiam gratia, quæ expoliendæ humanæ menti utilissima esse à rerum peritis semper judicata est, hic adnecterentur. Et verò commodùm in manus venit Viri cujusdam ex eadem Societate nostra de vera Beatarum Mentium Felicitate commentatio: copiosorum illa quidem Discipulorum haud ita multis ab hinc annis excepta calamis & auribus, nondum tamen typis vulgata. Eam hic damus, præliminaribus duntaxat aliquot de Fine quæstionibus Tractatui ipsi præmissis.

QUÆ-

QUÆSTIONES PRÆLIMINARES

DE FINE.

Quæres 1. *Quid sit finis? Resp.* 1. Finis accipitur vel impropriè pro rei cujusque termino, tametsi is non intendatur: quo sensu mors dicitur finis vitæ: vel propriè pro bono, quod appetitur gratia sui: & cujus gratia cætera appetuntur. Finis nihilominus etiam propriè dictus non solùm habet rationem causæ ad agendum moventis, sed etiam rationem termini, quatenus obtento fine cessat motus agentis.

Resp. 2. Finis propriè sumptus definitur à Philosophis æquè ac Theologis *Id, cujus gratia aliquid fit.* Sive, *Est Bonum per se, cujus obtinendi gratia assumitur medium.* Dicitur 1. *Bonum*, verum scilicet, vel apparens; neque enim voluntas amare potest, quod bonum sibi non videtur. 2. *Bonum per se*, id est, per se, & propter se conveniens; si enim spectetur ùt conveniens propter aliud, jam medii, non verò finis rationem habet. Hinc bonum *honestum* & *jucundum* finis rationem habere potest: non item bonum *utile*, nam ùt tale non est bonum ratione sui, sed tantùm ratione finis, ad quem utile est, & propter quem amatur. 3. *Cujus obtinendi gratia assumitur medium*, idest, omne illud, quod ad finis consecutionem aptum censetur.

Quæres 2. *Quotuplex sit finis? Resp.* 1. Finis alius est *Qui*, seu *objectivus*: estque illud bonum, seu objectum, quod appetitur, & intenditur. Alius est *Cui*: estque illud subjectum, in cujus commodum finis *qui* appetitur. Alius est *Quo*: estque actus, quo finis *qui* obtinetur, & possidetur: adeoque est possessio boni intenti. Sic DEUS est finis *Qui*, seu *objectivus hominis*: Homo est finis *Cui*: Visio denique beatifica est finis *Quo* hac enim mediante ab homine possidetur DEUS. Hi tamen fines non semper re diversi sunt; nam dum DEUS se ipsum amat amore necessario, finis *Qui*, *Cui*, & *Quo* DEUS ipse est.

Resp. 2. Finis alius est *ultimus*: alius *intermedius*, seu *non-ultimus*, qui etiam *proximus* dici consuevit. Finis *ultimus* est ille, quem ita intendit voluntas, ut in eo fistat, eumque ulterius non referat. *Intermedius* est, qui refertur ulterius: adeoque sub diverso respectu habet rationem finis & medii. Sic dum per medicinas intendis sanitatem eo fine, ut hac recuperata utaris ad promovendam Gloriam DEI, Gloria DEI est finis ultimus: sanitas verò est finis intermedius.

Finis *ultimus* subdividitur in finem *ultimum operis*: & finem *ultimum operantis*. Finis *ultimus operis* dicitur ille, ad quem opus, seu medium ex se, & natura sua ordinatur: sic finis medicinæ est sanitas: finis eleemosynæ est sublevatio inopiæ. Finis *ultimus operantis* est objectum illud, ad quod operans ex intentione sua refert media, quæ adhibet: diciturque finis *simpliciter ultimus*: sic finis utentis medicinâ potest esse primo quidem recuperanda sanitas, dein verò vel promovenda Gloria DEI, vel obsequium Princ pis, &c. Finis dantis eleemosynam potest esse venia peccatorum: nonnunquam vanitas, &c.

Observa, quòd finis *ultimus operis* sit ultimus tantùm secundùm quid & respectivè, non autem simpliciter & absolutè; est enim bonum, propter quod amantur alia in certo ordine: ipsum verò non amatur propter aliud intra eundem ordinem. Sic sanitas est finis ultimus respectu omnium medicinarum: adeoque est finis ultimus in certo ordine tantùm & respectivè, non verò absolutè; potest enim & medicina, & recupe-

randa per illam ſanitas ex intentione adhibentis medicinam referri ulterius, ùt paulò ante dictum. Hinc eſt, quod finis *ultimus operis* dicatur etiam eſſe ultimus præciſivè, non autem poſitivè: præſcindit nempe ab aliis finibus, non verò eos negat & excludit poſitivè.

Rurſus finis *ultimus operantis*, ſeu ſimpliciter ultimus alius eſt ſimpliciter ultimus *ex affectu:* qui ſcilicet hic & nunc ex libero operantis arbitrio & affectu omnibus aliis finibus præfertur, licèt ipſe quoque ulterius referri deberet: talis finis reſpectu avari eſt pecunia. Alius eſt finis ſimpliciter ultimus *ex debito:* qui nempe ob ſuam bonitatem intrinſecam omnibus aliis finibus præferri meretur, ſolusque explet totum appetitum rationalem: & finis ejusmodi eſt ſolus DEUS. Aliqui finem *ultimum ex affectu* vocant etiam *ultimum negativè*: quia videlicet ità hic & nunc intenditur, ut non ordinetur ulterius, ſed in eo ſiſtatur, licèt ex natura ſua ad aliud ordinari poſſet, ac deberet: finem verò *ultimum ex debito* vocant *ultimum poſitivè;* hic enim ulterius ordinari non poteſt, ſaltem ex natura ſua, & prudenti determinatione operantis.

Reſp. 3. Finis alius eſt *principalis:* alius *ſecundarius:* ſic poteſt quis recitare horas canonicas propter cultum DEI, tanquam propter finem principalem: & ſimul propter fructus Beneficii, ùt finem ſecundarium. Eſt quoque alius finis *totalis*: alius *partialis*. Tandem *naturalis* alius: alius *ſupernaturalis.*

Quæres 3. *An neceſſe ſit dari aliquem finem hominis ſimpliciter ultimum? Reſp. affirmativè.* Conſtat ex Apocal. cap. 1. ℣. 8. *Ego ſum Alpha, & Omega, principium, & finis.* Et *ratio eſt*, quia homo nec fruſtra, nec caſu eſt in mundo, factus itaque eſt propter aliquem finem: cùm verò non detur proceſſus in infinitum, neceſſe eſt, ut ſit factus propter aliquem finem ultimum.

Rurſus implicat medium ſine terminis: atqui ſi non daretur finis ultimus, omnia, quæ appetuntur, ſive ſeorſim ſive collectivè, haberent rationem medii, eſſentque ſine termino & fine, ad quem referantur; neceſſe eſt itaque dari finem ultimum reſpectu motus appetitivi.

Quæres 4. *Quis ſit hominis finis ſimpliciter ultimus? Reſp.* Philoſophi veteres ultimum hominis finem in variis bonis creatis, vel in complexo omnium bonorum creatorum ſtatuebant. S. Auguſtinus lib. 19. de Civ. DEI. cap. 1. ducentas octoginta octo eorum opiniones refert: id inde ortum utique, quòd deſtituti lumine fidei in eo felicitatem hominis ponerent ſinguli, in quod depravatarum affectionum cæco impetu unusquisque ferebatur.

Theologi Chriſtiani communi conſenſu ſtatuunt, finem hominis ſimpliciter ultimum eſſe ſolum DEUM: idque non tantùm ex debito extrinſeco, fundato in decreto DEI, qui defacto *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt.* Prov. 16. Verùm etiam ex debito intrinſeco, fundato in ſumma DEI perfectione, atque in ipſa naturali ratione, dictante hominem debere in DEUM tendere, tanquam in ſuum centrum, quietem ultimam & felicitatem: juxta illud Auguſtini lib. 5. Confes. cap. 1. *Feciſti nos ad te: & irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.* Sed de hoc paulò poſt fuſius cap. 1. Artic. 2. ubi de objecto Beatitudinis creaturæ rationalis.

Quæres 5. *Utrùm homo poſſit ſimul habere plures fines ultimos? Reſp. negativè.* Ita S. Thomas 1. 2. q. 1. art. 5. Conſtat 1. ex illis Matt. verbis cap. 6. ℣. 24. *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* 2. Ratione Doctoris Angelici inter tres præcipua. Finis ultimus operantis debet ita implere ejus appetitum, ut nihil relinquatur extra ipſum appetendum: ſed ſi homo ſimul haberet duos fines ultimos, neuter ita impleret ejus appetitum, ut nihil extra ipſum appetendum relinquatur; quia extra quemvis alter appetendus relinqueretur. Ergo.

Accedit, quòd de ratione finis *ultimi operantis* ſit, ut ex intentione Agentis præferatur omnibus aliis finibus, ùt conſtat: hoc verò minimè fieret, ſi homo haberet duos fines ultimos; neutrum enim alteri præferret:

ret: aliàs contra ſuppoſitum alteruter non eſſet ultimus.

Denique vel ambo illi fines perfectè ſatiant appetitum rationalem: vel neuter: vel tantùm alteruter. Non poteſt dici *primum.* Quia appetitus rationalis plenè & perfectè ſatiatus ab uno, non poteſt plenius ſatiari ab altero. Non poteſt dici etiam *ſecundum.* Quia ſi neuter plenè ſatiat, neuter eſt finis ultimus propriè ſumptus. Nec poteſt dici *tertium* ut patet. Nam is, qui perfectè non ſatiat, finis ultimus dici non poteſt.

CAPUT I.

De Eſſentia Beatitudinis.

ARTICULUS I.

Quid ſit Beatitudo in genere: & Quotuplex?

DAri aliquam creaturæ rationalis beatitudinem lumine naturæ notum eſt; cùm enim illa, ab Authore naturæ ordinata ſit ad aliquem finem, & cùm peculiare ſit creaturæ rationali operari propter finem, neceſſariò dari debuit finis aliquis præcipuus, ad quem ordinaretur talis creatura, & quo adepto ultimò quieſceret: atqui talis finis eſt beatitudo ejusdem creaturæ; ſecus enim ſi in illo nondum acquieſceret, tenderet adhuc ulteriùs: quod eſt contra rationem finis ultimi. Ergo. Atque in hoc convenere Philoſophi omnes, licèt in aſſignando hoc fine ultimo, atque adeò beatitudine, hominis infinita inter ipſos exſtiterit diſſenſio: quam nobis Philoſophia Chriſtiana magno DEI beneficio ſuſtulit.

De hac beatitudine ſic generatim conſiderata quæritur: Quidnam illa ſit? Variæ ſolent adferri deſcriptiones magis, quàm definitiones illius. Boëtius lib. 3. de Conſolatione definit ipſam, quòd ſit *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.* S. Auguſtinus lib. 15. de Trinit. cap. 5. *Beatus eſt*, inquit, *qui habet omnia, quæ vult.* S. Thom. 1. 2. q. 5. ar. 3. dicit eſſe perfectum ac ſufficiens bonum, omne malum excludens, & omne deſiderium implens. Cæterum, ùt rectè obſervat Suarez hoc loco Diſp. 4. ſect. 1. dum agimus de beatitudine prout conſideranda eſt à Theologis, non debet accipi beatitudo pro tota omnium rerum collectione, quæ hominem efficiunt beatum, ſed pro ſummo & præcipuo illo bono, ad quod ordinatur appetitus creaturæ rationalis, & in quo poſtremo quieſcit, ac intuitu cujus reliqua bona ipſi obveniunt. In omni quippe aggregato bonorum, quæ aliquem beatum reddunt, debet eſſe aliquid præcipuum, quod per ſe ſit finis & beatitudo, ad quod reliqua referantur tanquam proprietates & accidentia.

Dico. Beatitudo generatim ſumpta rectè cum eodem Suario definitur, quòd ſit conſecutio ultimi ac ſupremi boni, quod ab homine deſiderari poteſt, & in quo cætera virtute continentur, ſeu ad illud referuntur. *Prob.* 1. Definitio hæc conformis eſt locutionibus Scripturæ, ùt cum dicitur Matt. 15. *Poſſidete Regnum.* Et 1. ad Cor. 4. *Sic currite, ut comprehendatis.* &c. 2. Beatitudo non poteſt conſiſtere in boni ſupremi inquiſitione, in qua animus nondum acquieſcit. Ergo debet conſiſtere in conſecutione. 3. Beatitudo ſtrictè ſumpta, ùt dictum eſt, non poteſt conſiſtere in aggregato omnium. Ergo debet conſiſtere in aliquo ſupremo bono, coque tali, quod ab homine deſiderari poſſit.

Dividitur porro beatitudo *Primo.* In Eſſentialem, & Accidentalem. Eſſentialis eſt, quàm modò definivimus. Accidentalis eſt, quæ conſiſtit in bonis ſecundariis: quæ nimirum ad præcipuum illud bonum, & finem conſequuntur.

Secundo. In Objectivam, & Formalem. Objectiva eſt ipſum illud bonum præcipuum hominem beatificans. Formalis eſt obtentio, & poſſeſſio talis finis: vi cujus nimirum bonum illud præcipuum hominem reddit felicem & quietum. Ex duplici hac beatitudine Objectiva & Formali conſurgit una adæquata beatitudo naturæ rationalis.

Tertiò. In Naturalem, & Supernaturalem. Naturalis illa eſt, quæ viribus naturæ acqui-

ri poteſt: & quam homo potuiſſet conſequi, ſi fuiſſet relictus in ſtatu puræ naturæ. Supernaturalis eſt, quæ acquiri nequit niſi per extraordinarium DEI favorem, elevantem hominem ad Statum quemdam naturæ indebitum, & per auxilia peculiaria eò promoventem.

Quartò In beatitudinem Perfectam vitæ futuræ, & in Imperfectam vitæ præſentis. Prior eſt, quæ non niſi in futura vita cum proportione ad bona opera homini obvenire poteſt. Hæc verò eſt, quæ tametſi pariter per auxilia ſupernaturalia acquiratur, nihilominus viventibus etiam obtingit; nam homini etiam in Via adhuc exiſtenti convenit aliquid cæteris melius in linea ſupernaturali: atqui hoc melius eſt quædam beatitudo licèt imperfecta; nondum enim eſt plena conſecutio ſummi boni, quod ab homine ſpecialiter deſiderari poteſt. His poſitis quæritur jam, quænam ſit illa beatitudo objectiva creaturæ rationalis: ſive quod ſit præcipuum illud objectum, in quo perfectè quietari appetitus illius poſſit?

ARTICULUS II.

In quo conſiſtat Beatitudo objectiva creaturæ rationalis?

§. I.

Refelluntur Nonnullorum Opiniones.

Propoſitio 1. Beatitudo hominis objectiva nequit conſiſtere in bono finito. *Prob.* In illo nequit conſiſtere beatitudo hominis, quo obtento nequit ita quietari intellectus & voluntas, ut nil ulterius apperat: ſed in nullo bono finito quietari ſic poteſt. Ergo hoc non poteſt eſſe objectiva ejus beatitudo. *Major* patet ex dictis. *Minor prob.* Quocumque bono finito cognito videt creatura rationalis ſupereſſe alia majora bona, quæ ipſam perfectiùs beare poſſint: ſed cognito majore bono, intellectus & voluntas non ita aquieſcunt, ut illud non ulterius appetant. Ergo.

Deinde bona iſta finita vel ſunt externa, ùt *opes*, *fama*, *voluptas*, &c. vel interna, ùt *ſcientiæ*, *virtus*, &c. Si *primum*, bona hæc ſunt incerta, & quorum poſſeſſio non pendet ab arbitrio noſtro: item eorum aliqua ſunt brutis etiam communia. Si verò ſint *interna*, finita & limitata ſunt: atque adeò appetitum rationalem ſemper ad ulteriora tendentem explere nequeunt. Atque hinc graviter errarunt veteres omnes Philoſophi, qui finem ultimum hominis in bono aliquo creato finito conſtituebant, ùt Epicuræi in voluptate animi. Ariſtippus in voluptate corporis. Diodorus in privatione doloris. Peripatetici in bonis animi, corporis & fortunæ. Stoici in ſequela virtutis. Ariſtoteles in honeſtate & veritate. Alii verò in aliis bonis creatis, quos recenſet Cicero in libris de finibus. Et Auguſtinus lib. 19. de civ. DEI.

Propoſitio 2. Beatitudo hominis nequit conſiſtere in bono aliquo creato etiam infinito. *Prob.* Obtento bono creato etiam infinito non expletur appetitus creaturæ rationalis. Ergo in hoc non poteſt conſiſtere illius beatitudo. *Antec. prob.* Obtento bono creato etiam infinito, nondum habetur omne bonum: reſtat quippe poſſeſſio ſummi boni. ſed creatura rationalis non expletur, niſi habeatur omne bonum: etenim ſi adhuc aliquid ipſi ad bona ſua deſit, illud ulterius appetet. *Ergo.* Dein creatura rationalis cognito tali bono creato infinito, cognoſceret illud eſſe ab alio, eſſeque imaginem quamdam melioris illius boni, à quo eſt: ſed eo ipſo non quieſceret in tali bono creato; appeteret enim cognoſcere majus illud bonum, à quo iſtud derivatum eſt. Ergo. Hinc Auguſt. lib. 5. confeſſ. cap. 1. ait de DEO: *Feciſti nos ad te, & irrequietum eſt cor noſtrum, donec requieſcat in te.*

Propoſitio 3. Beatitudo creaturæ rationalis objectiva & eſſentialis, de qua hic agimus, nequit conſiſtere in complexo ex bono creato & increato. *Prob.* Vel illud bonum creatum conjunctum cum bono increato appetitur propter ſe partialiter: vel propter bonum increatum tanquam ultimum finem & beatitudinem. Si propter ſe, non beatificat; cùm ſit bonum limitatum & imper-

perfectum, ùt eſt oſtenſum. Si verò expetitur propter bonum increatum, jam eo ipſo non habet rationem beatitudinis objectivæ & eſſentialis: ſiquidem non eſt id, in quo ultimò animus acquieſcat. Ergo beatitudo hominis nequit conſiſtere in complexo ex bono creato & increato.

§. II.

Statuitur Concluſio, & ſolvuntur Objectiones.

Dico. Beatitudo objectiva & eſſentialis hominis eſt ſolus DEUS. *Prob.* 1. ex Scriptur. Pſal. 143. *Beatus populus, cujus Dominus DEUS ejus.* Ioan. 17. *Hæc eſt autem vita æterna: ut cognoſcant te ſolum DEUM verum. Confirmat* id promiſſio Chriſti Matt. 5. *Beati mundo corde: quoniam ipſi DEUM videbunt.* Unde ſcitè Auguſtinus lib. 22. de civ. DEI c. 30. *Præmium virtutis erit ipſe, qui virtutem dedit.*

Prob. 2. Ratione. Beatitudo objectiva creaturæ, ùt dictum Articulo præcedente, debet eſſe aliquod bonum, in quo animus velut in adepto fine acquieſcat: ſed hoc bonum non poteſt eſſe bonum aliquod creatum, nec finitum, nec infinitum: non poteſt etiam eſſe complexum ex bono creato & increato, ùt oſtenſum eſt. Ergo hoc objectum eſt ſolus DEUS.

Obj. 1. Appetitus creaturæ rationalis eſt finitus. Ergo expleri poteſt per poſſeſſionem objecti finiti. *Conſeq.* patet. Quia inter finitum & infinitum non datur proportio.

Reſp. Diſt. anteced. Appetitus creaturæ rationalis eſt finitus ſubjectivè. *conc. antec.* eſt finitus objectivè. *neg. antec.* Etſi enim actus ille, quo creatura aliquid appetit, ſit finitus quia tamen poteſt ſemper ad ulteriora objecta & melius bonum ſe extendere, ideo eſt infinitus objectivè: nec ſatiatur, niſi obtento bono infinito, eoque omnium optimo & maximè explente appetitum.

Inſt. Licet creatura poſſideat DEUM per actum finitum, videlicet per viſionem finitam, tamen ſatiatur. Ergo etiam licèt poſſideat objectum ſolùm finitum. Ideo primum, quia talis poſſeſſio eſt proportionata capacitati illius, quæ eſt finita: ſed etiam bonum finitum eſt proportionatum appetitui finito. Ergo.

Reſp. Diſparitas eſt in eo, quòd actualis poſſeſſio, ſive actus, quo poſſidetur objectum ſummè bonum, non beatificat ratione ſui, verùm ratione objecti poſſeſſi: neque etiam actus ille appetitur propter ſe, ſed propter objectum delectabile. Unde tametſi actus ſit finitus, dummodo per illum poſſideatur objectum ſummè bonum, jam appetitus expletur, & animus redditur beatus. Contra verò, ſi objectum ſit limitatum, animus eo non contentus ad ulteriora aſpirabit. *Accedit*, quòd creatura non poſſit DEUM poſſidere per actum infinitum: adeoque contenta eſt actu finito, & quidem tali, qui ſit conformis voluntati objecti beatificantis, videlicet DEI.

Dices. Licèt poſſideatur objectum infinitum & optimum per cognitionem abſtractivam, qualem habent homines in Via, tamen non expletur appetitus, nec beatur animus: idque ideo, quia ſupereſt *alius actus* perfectior, videlicet viſio intuitiva, per quam perfectiùs ſatiatur animus. Ergo etiam non expletur animus per poſſeſſionem finitam boni infiniti, ſi ſupereſt alia poſſeſſio melior: vel certè, ſi talis poſſeſſio explet animum, explebit etiam poſſeſſio boni finiti.

Reſp. Quod ſi homo non fuiſſet elevatus ad ſtatum ſupernaturalem, verùm in ſtatu puræ naturæ relictus, tum verò appetitum illius expleviſſet bonum infinitum poſſeſſum tantummodo per cognitionem abſtractivam, & amorem naturalem: quæ tamen cognitio fuiſſet perfecta & proportionata viribus ac modo cognoſcendi humano: nos verò iſthic agimus de beatitudine ſupernaturali, ad quam defacto elevati ſumus: & ad quam requiritur viſio intuitiva, eaque finita major, vel minor, prout nimirum correſpondet meritis creaturæ.

Obj. 2. Bonum increatum non poteſt eſſe beatitudo hominis ſine conſortio boni alicujus creati. Ergo non ſolus DEUS eſt beatitudo illius objectiva. *Ant. prob.* Boni in-

increati poſſeſſio non beatificat hominem, niſi habeatur certitudo de perpetuitate hujus poſſeſſionis, ſecundùm alibi dicenda: ſed perpetuitas hujus poſſeſſionis eſt bonum creatum. Ergo DEUS non beatificat ſine conſortio boni creati.

Reſp Diſt. ant Sine conſortio boni creati quod expetatur ratione ſui, *nego ant.* quod expetatur ratione objecti beatificantis, nimirum DEI. *conc. ant.* Hæc enim ipſa perpetuitas viſionis non expetitur propter ſe, nec ratione ſui amatur, ſed ratione objecti ſummè beatificantis, quo aliquando carere foret ſumma miſeria. Sicut igitur viſio, vel actus ille, quo DEUS poſſidetur, non eſt objectum beatificans; quia non propter ſe, ſed propter objectum beatificans expetitur, ita neque ejuſdem actus perpetuitas, vel certitudo de perpetuitate.

Inſt. 1. Qui per reflexam viſionem videret DEI viſionem, talis redderetur beatus. Ergo ipſa etiam viſio DEI poteſt eſſe objectum beatificans.

Reſp. Fore quidem beatum, ſed non propter viſionem reflexè cognitam: verùm quia cognoſcendo actum illum, videret eo ipſo objectum illius, adeoque objectum beatificans.

Inſt. 2. Ad hoc, ut homo ſit beatus, neceſſe eſt, ut non ſolùm ſecundùm animum, ſed etiam ſecundùm corpus ſit beatus: ſed ſecundùm hoc non poteſt eſſe beatus ſine conſortio alicujus boni creati. Ergo. *Major* patet. Nam non poteſt quis eſſe beatus ex integro, ſi corpus excrucietur malis, doloribus: ſi non habeat bona ſibi congrua, &c.

Reſp Diſt. maj Ut ſit beatus beatitudine integrali & accidentali. *conc. maj.* Ut ſit beatus beatitudine eſſentiali. *neg. maj.* Cùm enim beatitudo integralis ſit aggregatum ex omnibus bonis, etiam bona corporis hæc inter contineri neceſſe eſt: at verò propriè dicta beatitudo & eſſentialis cùm ſit in anima ſita, & cùm poſſeſſio ſummi boni ſit ejuſmodi, ut reliqua bona corporis reſpectu illius meritò tanquam pro nihilo ducenda ſint, ideirco beatitudo eſſentialis tantùm in DEI poſſeſſione, in quo omnia eminenter continentur, conſiſtit. Unde tametſi aliquis careret omnibus bonis corporis: imo tametſi omnibus doloribus affligeretur, ſi tamen poſſideret DEUM per viſionem, foret verè beatus: patet id in Chriſto, qui fuit Viator ſimul & Comprehenſor: & tamen doloribus ſubjectus.

Obj. 3. Si DEUS foret objectum hominem beatificans, eſſet vel ſecundùm exiſtentiam ſuam realem: vel ſecundùm exiſtentiam objectivam, quam habet in intellectu: neutrum dici poteſt. Ergo. Non *primum.* Nam ſive DEUS exiſtat, ſive non, ſi tamen ſit in intellectu & cognoſcatur perinde, ac ſi exiſteret, jam appetitus creaturæ rationalis expletur: ſicut qui oblectatur in viſione alicujus pulchræ imaginis, ſeu deinde imago illa exiſtat, ſeu non, dummodo perſeveret prior viſio, adhuc pergit eodem modo animus oblectari. Ergo ſimiliter. Non etiam dici poteſt *alterum.* Quia hoc modo non tam DEUS eſſet beatitudo objectiva, quàm illius viſio. Ergo.

Reſp. conc. maj. neg. min. Ad *prob. neg. ant.* Nam ſi DEUS non exiſteret, viſio etiam DEI non eſſet; quia viſio, vel cognitio DEI ad hoc, ut beatificet, debet ſimul repræſentare neceſſitatem DEI in exiſtendo: proinde ſi DEUS non eſſet, cognitio illa foret falſa, atque eo ipſo non eſſet viſio DEI, vel cognitio beatificans; beatitudo enim hominis non poteſt eſſe in falſitate, cùm natura ſua tendat in verum. In illa igitur hypotheſi impoſſibili daretur tantùm apparens beatitudo: quin imò potiùs daretur ſimul, & non daretur; cùm hæc hypotheſis ſe ipſam deſtruat.

Dices adhuc cum Luthero & Calvino. DEI poſſeſſio ideo expetitur ab homine, quia eſt illi bona. Ergo non tam DEUS, quàm bonum proprium creaturæ eſt beatitudo hominis & finis ultimus.

Reſp. Diſt. ant. Quia eſt ipſi bona: ſic tamen, ut pluris faciat bonitatem divinam, quàm proprium bonum. *conc. ant.* Secus. *neg. ant.* Verum quidem eſt, finem, *cui* appetitur beatitudo, eſſe ipſum hominem

at

at verò finis, *Qui* appetitur, & cui ſuper omnia bona creatura adhæreſcit, eſt bonitas DEI: qui utique eſt amor amicitiæ & hominis beatitudo ſecundùm dicenda.

ARTICULUS III.

Utrùm DEUS neceſſariò ſecundùm omnia prædicata: an tantùm ſecundùm aliqua ſit noſtra beatitudo objectiva?

§. I.

Notanda.

CUm DEUS in quovis ſuo prædicato, vel attributo ſit infinitus, non immeritò quæri poteſt: An, ſi homo videret DEUM ſecundùm unum, vel alterum prædicatum abſolutum, ùt ex. g. ſecundùm omnipotentiam, vel ſapientiam, redderetur per hanc viſionem beatus? An verò neceſſarium ſit ad beatitudinem, ut videantur in DEO omnia prædicata abſoluta. Similiter quæſtio inſtituitur circa prædicata DEI abſoluta & relativa: An videlicet ſi quis videret DEUM ùt Unum, tametſi non videret ùt Trinum, adhuc redderetur beatus? Qua in re negativâ tenent Thomiſtæ cum Okamo, Granado, Marin. Affirmativam verò Suarez Diſp. 5. ſect. 3. Gormaz Diſp. 7. ſect. 1. Viva, &c.

Porro ut quæſtio hæc locum habeat, ſupponenda 1. hic eſt illa ſententia, quæ dicit dari poſſe viſionem DEI præciſivam, ſive talem, quæ repræſentet in DEO unum prædicatum & attributum, non repræſentato altero: quam examinare num vera ſit, non eſt hujus loci. Supponendum eſt 2. in DEO poſſe à Beatis videri omnia prædicata tam relativa, quàm abſoluta; hujus enim nulla eſt implicantia, quando per Lumen Gloriæ elevatur intellectus ad ſic agendum: nec ex hoc inferri poteſt talem viſionem fore infinitam, uti alibi oſtenditur. Supponendum denique 3. Eſſentiam DEI phyſicam Theologicè conſideratam conſiſtere in ſolis prædicatis abſolutis. Quia tametſi per impoſſibile DEUS non eſſet Trinus in Perſonis, ſi tamen haberet identificata ſibi omnia hæc prædicata abſoluta, quæ nunc habet, adhuc verè eſſet DEUS. His ſuppoſitis præmitto duas Propoſitiones.

Propoſitio 1. Beati defacto vident DEUM tam ſecundùm omnes perfectiones abſolutas, quàm relativas. *Prob.* 1. Ex Scriptura 1. Joann. 3. dicitur: *Similes ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt*: ſed non eſſemus ſimiles DEO, nec videremus eum ſicuti eſt, ſi non cognoſceremus ſecundùm omnia prædicata, tam abſoluta, quàm relativa, quæ DEUS in ſe ipſo cognoſcit. Ergo.

Prob. 2. Ex Decreto Eugenii IV. de Unione Latinorum & Græcorum, in quo dicitur, quòd animæ à peccatis purgatæ videant DEUM Unum & Trinum, ſicuti eſt.

Accedit, quòd Lumen Gloriæ ſuccedat in Patria habitui Fidei: ſicut ergo habitus Fidei extendit ſe ad actum Fidei de DEO Uno & Trino, ita Lumen Gloriæ ad viſionem DEI Unius & Trini.

Propoſitio 2. Tametſi Perſonalitates Divinæ admittantur eſſe perfectiones & quidem infinitæ ſingularem habentes bonitatem, Eſſentia tamen phyſica DEI Theologicè conſiderata continet illas perfectiones eminenter, licèt non formaliter. *Prob.* Quælibet Perſona eſt infinita in omni excogitabili genere perfectionis: ſed non eſſet infinita hoc modo, ſi Eſſentia Divina eminenter non contineret in ſe perfectionem Perſonalitatum. Ergo. *Major* patet ex illo S. Auguſtini Serm. 38. de Tempore. *Tantus ſolus eſt Pater, vel ſolus Filius, vel ſolus Spiritus Sanctus, quantus eſt ſimul Pater & Filius & Spiritus Sanctus. Prob. minor.* Eatenus quævis Perſona continet omnimodam perfectionem, quatenus eſt idem cum Eſſentia Divina. Ergo ſi Eſſentia Divina non contineret eminenter in ſe perfectionem Perſonalitatum, non foret quævis Perſona in omni excogitabili perfectione infinita. *Antec.* patet. Nam quævis Perſona non eſt eadem cum alia Perſona: Pater ex. g. non eſt Filius: quia tamen eſt idem cum Eſſentia Divina, in qua omnia continentur, idcirco identificat ſibi omnem excogitabilem perfectionem.

Accedit, quòd Essentia DEI physica sit radix Personalitatum, habeátque se instar naturæ: Relationes verò instar proprietatum. Ergo Essentia DEI illas eminenter continet. Denique si fingamus hypothesim impossibilem, in qua una tantùm foret Persona Divina, adhuc natura Divina esset infinita in omni genere perfectionis. Ergo. Quòd verò Essentia dicto modo considerata non contineat formaliter Personalitates, inde patet, quia Essentia identificatur cuilibet Personæ quatenus est Essentia: Personæ autem realiter inter se distinguuntur.

§. II.

Statuitur Conclusio, & solvuntur Objectiones.

Dico. Si aliqua creatura rationalis non videret totam Essentiam physicam in DEO, non beatificaretur: Si tamen videret Essentiam physicam absque Relationibus, foret beata.

Prob. 1 *pars.* Tunc creatura beatificatur, quando possidet omne bonum, quod in se reliqua eminenter continet: sed nisi DEUS videatur secundùm omnes perfectiones absolutas, non possidetur omne bonum, quod in se reliqua omnia eminenter contineat. Ergo nisi videatur hoc modo DEUS, non beatificat. *Major* patet. Nam si adhuc restet aliquod bonum, illud ulterius appetet, & non explebitur. *Minor* etiam est certa. Quia una perfectio DEI absoluta ab aliis præcisa non continet in se nec formaliter, nec eminenter reliquas perfectiones: sic Omnipotentia non continet formaliter Sapientiam. &c.

Prob. 2. *pars.* 1. Dum creatura rationalis possidet omne bonum, quod in se reliqua bona vel formaliter, vel eminenter continet, beatificatur: sed si creatura rationalis videat in DEO totam Essentiam physicam, possidet omne bonum, quod in se vel formaliter, vel eminenter continet omnia bona. Ergo redditur beata. *Major* patet ex dictis *Articulo* 1. *Minor* verò ex *Propositione* 2. Quod procedit etiam in sententia Thomistarum, in qua Relationes Divinæ non dicunt peculiarem perfectionem & bonitatem.

Prob. 2. Adepto fine ultimo creatura redditur beata: sed visa in DEO Essentia, tametsi non viderentur Personalitates, adipiscitur creatura finem ultimum. Ergo redditur beata. *Major* est certa. *Minor prob.* Finis creaturæ ultimus est idem cum Principio creaturæ: sed Prncipium creaturæ est DEUS ùt Unus, non autem ùt Trinus; creatura enim est à DEO, prout ille est Ens à se, Omnipotens, Omniscius, &c. Ergo est à DEO ùt Uno, non verò ùt Trino: hinc si per impossibile DEUS foret tantùm Unus in Persona, non Trinus, creatura videns DEUM adhuc perfectè beatificaretur.

Confirmatur. Naturalis beatitudo creaturæ consistit in cognitione DEI, ùt est Unus, non verò ùt est Trinus. Ergo etiam beatitudo supernaturalis. *Antec.* patet; cognitio enim Trinitatis naturaliter haberi nequit citra revelationem, *quæ non fit nisi creaturæ ad statum supernaturalem elevatæ. Conseq. prob.* Ideo Primum, quia cognitio DEI ùt est Unus, est suo modo possessio summi boni: sed etiam visio DEI supernaturalis ùt Unius est possessio summi boni, tametsi non videatur ùt Trinus. Ergo.

Obj. 1. Beatitudo nostra consistit in DEO, prout hic est *in se*: sed DEUS, prout est in se, non solùm est Unus, verùm etiam Trinus. Ergo beatitudo necessariò consistit in visione DEI Unius & Trini.

Confirmatur à pari. Nam beatitudo objectiva creaturæ non est DEUS secundùm aliquod tantùm prædicatum absolutum: & hoc ideo, quia DEUS visus secundùm unum prædicatum non videretur, prout est in se: sed etiam visus secundùm suam Essentiam absque Relationibus non videretur, prout est in se. Ergo.

Resp. Dist. maj. Prout est in se: hoc est, non aliter quàm in se sit. *conc. maj.* Hoc est, secundùm omnia prædicata tam absoluta, quam relativa. *neg. maj.* Est enim æquivocatio in terminis: siquidem videri potest DEUS, prout est in Essentia, quin vide-

videatur, prout est in Personalitatibus: prout hic supponitur. Sicut potest cognosci abstractivè, vel credi Fide Divina DEUS ùt Unus, quin credatur ùt est Trinus: quem admodum patet in veteri Testamento.

Ad paritatem Resp. Non ideo non beatificari creaturam viso uno prædicato absoluto & non aliis, quia non videretur illud, prout est in se: sed quia non videretur Essentia DEI physica, consistens in aggregato omnium perfectionum: atque adeo non possideretur omne bonum, quod possidere, & quo amplius reddi beata posset creatura.

Dices 1. Tametsi creatura visa Essentia videret omne bonum, non tamen videret omne simpliciter bonum, quod videre posset; non enim videret Personalitates: neque perfectè quietaretur, nisi visis illis. Quod rursus *Confirmatur* à pari. Nam licèt una perfectio, eg. Omnipotentia sit infinitum bonum, hoc tamen bono non expletur appetitus creaturæ videntis, verùm ulteriùs desiderat videre reliquas etiam perfectiones. Ergo etiam.

Resp. 1. Ex hoc sequi, quòd etiam beatitudo naturalis creaturæ rationalis dari nequeat, nisi cognoscantur in DEO Personalitates: quod tamen omnes negant.

Resp. 2. *Dist. ant.* Non videret omne bonũ, prout hoc eminenter continetur in Essentia. *neg. ant.* Prout hoc formaliter est in se. *conc. ant.* Jam verò satis est ad beatitudinem, quòd videat eminenter omne bonum. Sicut quia eminenter in DEO habetur omne bonum creatum, idcirco ad Essentiam beatitudinis non requiritur visio boni creati formaliter & in se, nec creatura redditur per hoc inquieta, quòd non videat creaturas in se. Quia is solùm ulterius aliquid desiderat, estque inquietus, qui non possidet omne bonum cum depulsione omnis miseriæ: atqui qui videret Essentiam DEI, videret omne bonum cum depulsione omnis miseriæ. Ergo. *Ad paritatem disparitas est*, quòd unum attributum vel perfectio DEI non contineat in se aliam eminenter: hanc igitur videns non videret omne bonum, nec reipsa videret DEUM, nisi secundùm aliquid sui.

Dices 2. Qui videret Essentiam Divinam, videret pariter, quòd hæc sit radix Personalitatum, per quas eadem hæc Essentia subsistit. Ergo videret dari in DEO admirabilem quemdam & insolitum subsistendi modum: proinde necessariò nasceretur in creatura desiderium videndi admirabile hoc Mysterium: sed eo ipso non foret beata, nisi illud cognosceret. Ergo.

Confirmatur à pari. Si DEUS per unicam Subsistentiam subsisteret, creatura non beatificaretur, nisi videret hanc subsistentiam. Ergo etiam non beatificatur, nisi videat DEUM subsistere per tres Divinas Subsistentias: adeoque nisi videat Trinitatem Personarum.

Resp. Conc. ant. Dist. conseq. Nascitur in creatura desiderium videndi, si non cognoscat simul visionem ejusmodi esse sibi indebitam, jamque se possidere omne bonum, quod omnia reliqua in se eminenter continet. *conc. conf.* Si cognoscat talem visionem sibi esse indebitam, seque jam possidere omne bonum. *neg. conf.* Non enim desiderat creatura, desiderio tali saltem quod inquietudinem adferat, bonum sibi indebitum: præsertim si alioquin obtineat summum bonum: sic eg. creatura habens beatitudinem naturalem non appeteret appetitu inquietudinem afferente visionem DEI intuitivam & supernaturalem, etsi illam sciret possibilem: aliàs eo ipso contra suppositum non haberet beatitudinem naturalem. Similiter Beati non appetunt Unionem Hypostaticam, aut visionem perfectiorem, quàm habeant; quia hæc ipsis sunt indebita.

Ad Confirm. Neg. ant. Nam cùm Subsistentia non pertineat ad Essentiam, & cùm hæc contineat in se omnem perfectionem, haberetur beatitudo hac non visa. Cæterùm dici potest, quòd in illa hypothesi impossibili etiam Persona pertineret ad rationem Essentiæ Divinæ, sive ad aggregatum omnium perfectionum DEO intrinsecarum; quòd enim nunc non pertineat, ratio est, quòd Personæ Divinæ inter se realiter distinguantur, & quòd sint veræ relationes, cùm includant rationem Producentis & Pro-

ducti: quod in illa hypothesi non haberetur. Atque hinc dari potest *disparitas ad paritatem.*

Dices adhuc. Cui debita est Essentia, debitæ etiam sunt Personalitates. Ergo etiam cui debita est cognitio Essentiæ Divinæ, debita etiam est cognitio Personalitatum: cùm Personalitates sint proprietates Essentiæ Divinæ: frustra proinde dictum est, creaturam non desideraturam visionem Personarum, velut sibi indebitam.

Resp. Dist. conf. Si Essentia non contineat eminenter omne bonum, adeoque de se non sit capax explere appetitum. *conc. conf.* Secus *neg. conf. Ratio distinctionis* patet ex dictis.

Obj. 2. Personalitates Divinæ pertinent ad esse intrinsecum DEI, cùm Naturæ Divinæ realiter identificentur. Ergo etiam visio earum pertinet ad substantiam beatitudinis nostræ. *Conf.* patet. Quia objectum visionis est DEUS: adeoque quidquid DEO est instrinsecum, debet esse objectum beatitudinis.

Resp. 1. Retorqueri potest argumentum à paritate beatitudinis naturalis, vel hypothesis impossibilis, in qua DEUS non esset Trinus.

Resp. 2. *Dist. ant.* Pertinent ad esse intrinsecum DEI, sic tamen, ut emanent ab Essentia DEI, tamquam radice eminenter continente perfectionem Personalitatum. *conc. ant.* Secus. *neg. ant.* Cùm igitur Essentia sit omne & summum bonum, & contineat perfectionem Personalitatum, satiatur appetitus creaturæ rationalis hac visa, etiam non visis Relationibus.

Inst. 1. Si DEUS comprehenderet suam Essentiam, & non videret Relationes, DEUS non foret beatus. Ergo neque creatura beata foret videns Essentiam DEI, & non Relationes. *Ant.* est certum. *Conf.* videtur legitimè sequi; nam idem est objectum beatitudinis creaturæ rationalis & DEI.

Resp. 1. *Retorquendo.* Si DEUS non comprehenderet creaturas, non esset beatus; quia non esset DEUS. Ergo Beatitudo DEI saltem partialiter consistit in cognitione creaturarum: cùm tamen DEUS sit sibi ad beatitudinem sufficientissimus.

Resp. 2. Quod si DEUS non cognosceret Personalitates, consequenter non foret beatus, quatenus videlicet deficeret in DEO omniscientia: & per consequens deficeret DEUS. At verò ex eo non rectè infertur, beatitudinem illius consistere in visione Personalitatum: ùt patet in paritate adducta.

Cæterùm tametsi ad beatitudinem DEI admittatur necessaria esse cognitio Personalitatum, prout hoc videtur certum, non rectè tamen infertur, esse quoque necessariam ad beatitudinem creaturæ. *Ratio est.* Quia non eodem modo DEUS est objectum suæ beatitudinis, sicut est objectum creaturæ; nam DEUS, ut beatificetur, debet se ipsum comprehendere, non item debet comprehendere DEUM creatura. Sicut non eodem modo est objectum amoris; nam objectum sui amoris est necessariò ùt Unus & Trinus: non verò sic est necessariò objectum creaturæ; DEUS enim in Veteri Testamento amabatur ab hominibus solùm ùt Unus in Essentia. Quòd autem id pertineat ad beatitudinem Divinam, *Ratio est.* Quia ad hanc non sufficit, ut cognoscat DEUS semetipsum, sed est etiam necessarium, ut cognoscat omni eo modo, quo est cognoscibilis: quod non pertinet ad beatitudinem creaturæ.

Inst. 2. Si creatura videret solam Essentiam, & non Personas Divinas, non sciret id, quod cognoscit: sicut non cognoscit eg. Petrum, qui cognoscit illius essentiam, non cognita ejusdem persona. Præterea posset errare circa Personam: atqui error officeret beatitudini perfectæ, quæ est exclusio omnis miseriæ. Ergo.

Resp. Si creatura ita cognosceret, sciret quid sit id, quod cognoscit, quoad esse physicum, reale pertinens ad Essentiam: licèt non sciret quoad id, quod est extra Essentiam physicam DEI: cùm verò illud esse physicum contineat in se eminenter omne bonum, jam beata redderetur per talem visionem. *Ad paritatem disparitas est.* Quia eo modo cognoscens Petrum cognosceret solùm

ſolùm ſub ratione pluribus communi: conſequenter non cognoſceret illum prout eſt in ſe: contra verò creatura videns DEUM videret illum in Eſſentia, prout eſt in ſe. Neque ſequitur, quod ſic videndo erraret; quia præſcindentium non eſt mendacium: nec ſuſpicaretur de una vel pluribus Perſonis; quia contenta viſione omnis boni nil ultra inquireret.

ARTICULUS IV.

In quo conſiſtat beatitudo formalis creaturæ rationalis?

§. I.

Refelluntur Nonnullorum Opiniones.

Beatitudinem formalem creaturæ rationalis eamque ſupernaturalem, de qua ſola hic agimus, conſiſtere in plena ac perfecta poſſeſſione ſummi boni ab omnibus admittitur: at verò in quo conſiſtat ipſa illa poſſeſſio vel conſecutio ſupremi boni, inter Authores non convenit.

1. Quidam antiquiores cum Henrico Gandavenſi docebant conſiſtere in quodam illapſu Divini Numinis in animam beatam: tametſi non ſatis explicuerint, quid per hunc illapſum intelligerent: an videlicet unionem quamdam animæ beatæ cum DEO: an qualitatem peculiarem animæ inditam: an quid aliud, ùt videri poteſt apud Suarium Diſp. 7. Sect. 1.

2. Doctores quidam Pariſini, ùt eſt apud Marin Diſp. 1. Sect. 3. docebant, animam reddi beatam per intellectionem increatam & amorem increatum animæ unitum.

3. Quidam cum S. Bonaventura teſte Viva quæſt. 1. docebant beatitudinem conſiſtere in habitu potiùs, quàm in actu: ſive in qualitate quadam elevante hominem, ut DEUM videre & amare poſſit.

4. Scotiſtæ plerique cum Scoto dicunt beatitudinem conſiſtere in ſolo DEI amore, qui in Patria habetur.

5. Thomiſtæ cum D. Thoma 1. 2. quæſt 3. art. 4. docent conſiſtere beatitudinem noſtram tantummodo in viſione DEI intuitiva

6. Demum Suarius loco cit. Valentia, Marin, Gormaz cum communiori Noſtrorum docent conſiſtere ſimul in viſione & amore DEI: quibus communiter adjungitur etiam perpetuitas hujus viſionis & amoris, vel potius certitudo de viſione & amore in perpetuum duraturis. Ut verò cetiora à magis controverſis ſecernantur, præmitto ſequentes Propoſitiones.

Propoſitio 1. Beatitudo formalis non conſiſtit in unione animæ cum DEO. *Prob.* Talis unio vel eſſet modus quidam connectens animam cum DEO, ſicut Verbum unitur Humanitati: vel foret quædam qualitas abſoluta. Neutrum dici poteſt. Non *primum.* Quia intelligi nequit, quomodo anima uniatur verè cum DEO, quin ab eo aſſumatur, ſicut aſſumpta eſt à Verbo Humanitas: quod tamen nemo admittere poteſt. Non etiam *ſecundum.* Quia qualitas illa abſoluta non foret actualis poſſeſſio ſummi boni, ſed tantùm compleret potentiam ad boni illius conſecutionem: ſicut defacto id præſtat Gratia Sanctificans & Lumen Gloriæ: atqui beatitudo formalis non conſiſtit tantùm in potentia conſequendi beatitudinem, verùm in actuali conſecutione; quia per hanc ſolam ſatiatur & expletur appetitus. Secus enim ſi beatitudo conſiſteret in potentia ad conſecutionem boni, anima eſſet formaliter beata ſaltem partialiter etiam per potentias ſibi identificatas intellectum & voluntatem. Atque ex hoc rejicitur etiam illa Sententia, quæ beatitudinem formalem conſtituit in habitu, & non in actu: ſiquidem habitus non aliud eſt, quàm lumen complens potentiam ad eliciendos actus, vi quorum poſſidetur DEUS.

Propoſitio 2. Beatitudo formalis nequit conſiſtere in viſione & amore increato unito creaturæ rationali. *Oſtenditur.* Tametſi viſio Divina vel amor Divinus unirentur animæ, tamen anima nec cognoſceret, nec amaret per talem viſionem & amorem: neque per tales actus viveret: ſed creatura nequit eſſe formaliter beata per actus, per quos non vivit. Ergo per talem viſionem & amorem non redderetur beata. *Prob. maj.*

maj. Actus, per quos anima denominatur cognoscens, & per quos vivit, debent procedere ab ipso principio vivente, & in eo subjectari: sed visio Divina & amor, tametsi uniretur animæ, non procederent intrinsecè ab anima, nec in ea subjectarentur. Ergo per tales actus anima nec cognosceret, nec vellet, nec viveret. *Major.* in Philosophia admittitur. Secus si nil requireretur præter unionem formæ vitalis ad denominationem viventis, lapis per unitam sibi Divinitus cognitionem cognosceret, & viveret. *Min.* etiam prioris Syllogismi videtur certa. Nam beatitudo creaturæ rationalis est vita in actu secundo: idcirco passim in Scriptura vocatur *Vita æterna*: & Beatum esse juxta multos non aliud est, quàm bene, id est conformiter suæ naturæ & fini ultimo vivere. Atque eodem hoc argumento patet, quòd creatura non possit effici beata per cognitionem etiam creatam, vel alium actum vitalem, si hunc DEUS priùs crearet, & postea uniret animæ: quia videlicet per talem actum illa non viveret.

Propositio 3. Beatitudo formalis nequit constitui in visione DEI, quæ sit temporanea. *Ostenditur.* Nequit constitui beatitudo in eo actu, qui non excludit omnem miseriam, & inquietudinem: sed visio temporanea & amor temporaneus non excludit. Ergo. *Prob. min.* Visio temporanea non excludit id, quod est carere bono obtento: sed carere bono obtento est miseria, & adfert inquietudinem. Ergo visio DEI temporanea non excludit inquietudinem & miseriam.

Propositio 4. Beatitudo formalis nequit constitui etiam partialiter in amore concupiscentiæ: vel gaudio de bono obtento. *Prob.* Amor concupiscentiæ non fertur in DEUM, ùt est in se bonus: sed in DEUM, ùt est bonus nobis: atqui in tali amore nequit constitui etiam partialiter beatitudo. Ergo. *Prob. min.* Nequit constitui beatitudo nostra objectiva in bono creato: constituetur autem, si beatitudo formalis consisteret in tali amore, qui endit in DEUM, ùt nobis bonum; quia ultimò tandem objectum hujus amoris esset bonum à DEO distinctum: commodum nempe illud nostrum, quod ex DEO percipimus. Quòd etiam non possit constitui in gaudio de bono obtento, ratio est, quia gaudium illud jam supponit obtentam beatitudinem, & ad illam consequitur: sed quod consequitur ad beatitudinem, non est beatitudo. Ergo. *Maj.* patet. Quia gaudium illud foret de beatitudine adæquata jam obtenta. Ubi observa, sermonem esse de gaudio, qui non sit simul amor amicitiæ; nam gaudium de bono prout à DEO possesso est verus amor amicitiæ.

Propositio 5. Esse beatum formaliter hominem, est possidere summum bonum, non quomodocunque, sed possessione, quæ sit propria & conveniens naturæ rationali, qua talis est. Hanc Propositionem idcirco præmitto, ut aditum præstruam æquivocationi circa vocem *possidere*, quæ frequens est in hac materia, & confusionem gignit. Neque enim possidetur summum bonum ad instar eorum, quæ homines in hac vita possident: verùm possidet per hoc creatura rationalis, quòd per actus sibi maximè proprios versetur circa finem suum ultimum, satietur, & perfectè acquiescat, ita ut nil ulterius appetat. Atque hoc intellecto multæ refelluntur fallaciæ, quas *possessionis* vocabulum parit: quòd autem ita se res habeat, *Probatur.* Possidere aliquid modo perfectissimo, & conveniente creaturæ rationali, qua talis est, est actu percipere commodum sibi maximè conveniens ex objecto possesso: sed creatura rationalis non percipit ex objecto beatificante commodum sibi maximè proprium, si non actu per suos actus sibi maximè convenientes circa illud versetur, idque in tantum, ut nil ulterius appetat. Ergo. *Maj.* patet; hæc enim est possessio in actu secundo: quæ unique perfectior est, quàm possessio in actu primo posita in potestate percipiendi commodum. *Minor* etiam est evidens: atque ex hoc patet, quòd Unio Hypostatica, tametsi sit superioris ordinis, quàm actus puræ creaturæ, per quos illa circa finem ultimum versatur, quòd, in-

quam

quam, Unio Hypoſtatica non ſit beatitudo formalis; quia tametſi per hanc poſſideatur aliquomodo ſummum bonum, non tamen poſſidetur poſſeſſione maximè propria creaturæ rationali: quæ fit per actus ejusdem naturæ convenientes, & deſiderium explentes.

§. II.

Statuitur Concluſio.

Dico. Beatitudo formalis adæquatè conſiſtit in viſione ſimul & amore amicitiæ DEI: & in certitudine de duratione utriusque perpetua.

Prob. 1. Authoritate Scripturæ; multi enim Scripturæ textus indicant beatitudinem formalem conſiſtere in viſione DEI: alii autem in amore DEI. Igitur ut hi textus cohæreant, dicendum eſt, conſiſtere in utroque. Sic Matt. 5. dicitur: *Beati mundo corde: quoniam ipſi DEUM videbunt.* 1. Joann. 3. *Similes ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Joannis 17. *Hæc eſt autem vita æterna: ut cognoſcant te ſolum DEUM verum, & quem miſiſti JESUM Chriſtum.* Item eodem cap. *Pater, quos dediſti mihi, volo, ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum: ut videant claritatem meam.* 1. verò Joann. 4. dicitur: *DEUS charitas eſt, & qui manet in charitate, in DEO manet, & DEUS in eo.* Matt. 25. *Intra in gaudium Domini.*

Prob. 2. Authoritate Patrum. Nam ſimiliter pro utroque, viſione videlicet & amore, plurimi congeruntur eorundem textus: qui ne ſibi contradixiſſe videantur, dicendum, eos fuiſſe in noſtra ſententia, & locutos fuiſſe de beatitudine inadæquata: quamvis etiam utrumque interdum copulant. Unus pro omnibus ſit S. Auguſtinus lib. 1. de Moribus Eccleſiæ cap. 3. teſte Suario loco cit. *Beatus, quantum exiſtimo, nec ille dici poteſt, qui non habet, quod amat, qualecunque ſit: nec qui habet, quod amat, ſi noxium ſit: nec qui non habet, quod amat, etſi optimum ſit: quartum reſtat, ut video, ubi beata vita inveniri queat: cùm id, quod eſt optimum homini, & amatur & habetur; quid enim eſt aliud quod dicimus frui, niſi præſto habere, quod diligis?*

Adde his authoritatem Benedicti XII. qui in Conſtitutione, quæ incipit: *Benedictus DEUS.* docet, animas in gratia defunctas & à noxis purgatas viſione & fruitione eſſe beatas. Adde Catechiſmum Roman. qui in expoſitione Symboli 12. num. 7. dicit: *Ac ſolida quidem beatitudo, quam eſſentialem communi nomine licet vocare, in eo ſita eſt, ut DEUM videamus, ejuſque pulchritudine fruamur, qui eſt omnis bonitatis ac perfectionis fons & principium.*

Prob. 3. Ratione. In illis actibus animæ rationalis conſiſtit beatitudo formalis, qui ſunt maximè convenientes naturæ illius, & quibus ſolis expletur appetitus Potentiarum animæ: ſed hoc habetur per complexum dictorum actuum: & ſine aliquo ex ipſis non habetur. Ergo in his conſiſtit beatitudo. *Major* patet; quia hoc eſt poſſidere objectum ſummè bonum, ùt conſtat ex *Propoſitione quinta.*

Minor. verò *prob. quoad* 1. *partem.* Actus nobiliſſimi creaturæ rationalis ſunt cognitio & amor: utpote potentiarum illius nobiliſſimarum Intellectus & Voluntatis: & habita perfecta cognitione ſummi boni, ejusdemque amore ac ſecuritate de duratione utriuſque perpetua, nil amplius deſiderari poteſt. His ergo poſitis, habetur beatitudo completa; neque enim alius eſt actus aſſignabilis vel perfectior, vel qui magis creaturæ rationali congruat.

Prob. eadem *minor* etiam *quoad* 2. *partem.* *Inprimis*, ſi viſio DEI non habeatur, non expletur præcipua potentia animæ, quæ natura ſua inclinat ad cognoſcendam Primam Veritatem, & quidem juxta modum ac capacitatem, quam de præſenti habet: adeoque anima lumine Divino roborata exigit videre intuitivè DEUM, nec niſi illo viſo expleri poteſt.

Secundò, ſi non habeatur amor amicitiæ, potentia volitiva non quietatur: quod ſic oſtendo: Potentia volitiva per ſe ipſam inclinatur ad amandum objectum ſummè amabile, quando illud cognoſcitur, & nil retrahit

trahit ab amore: ſed poſita viſione cognoſcitur clarè objectum, & nil eſt, quod retrahat ab amore. Ergo prævia viſione intuitiva inclinatur ſummè voluntas ad actu amandum: cùm itaque potentia volitiva non quietetur, quando non amat id, ad quod actu amandum ſummè inclinatur, conſequitur, quòd potentia volitiva non quietetur, niſi poſita viſione actu amet DEUM. Jam verò eſt inconceptibile, ut tunc detur beatitudo perfecta, quando præcipua animæ potentia non obtinet finem, & quietem ſuam.

Si dicas, ſatis eſſe, quòd poſita viſione DEI, pro libitu poſſit creatura amare DEUM, tametſi actu non amet. *Dicam* ſimiliter de viſione, quòd ſatis ſit, ut poſſit videre, etſi actu non videat. Deinde non poteſt voluntas eſſe libera ad amandum objectum quando ſuapte natura inclinatur ad illud actu amandum: ſed hoc fit objecto ſummo bono clarè viſo. Ergo quamobrem ſi DEUS negaret concurſum ad amorem, conceſſa ſui viſione, talis viſio non redderet beatam creaturam; quia nequit beatitudo componi cum violentia & privatione finis ultimi.

Tertiò demum, ſi dematur certitudo de perpetuitate durationis, viſio & amor vel erunt res temporaneæ: vel certè perinde à creatura habebuntur, ut ſi forent res temporaneæ: ſed per *Propoſitionem tertiam* viſio temporanea, uti & amor, qui aliàs tales ſint, vel etiam, quod idem eſt, tales eſſe judicantur à creatura, non poſſunt beatum reddere hominem. Ergo adempta hac certitudine non habetur completè beatitudo formalis. Hinc Auguſtinus lib. 5. de Civ. DEI cap. 3. *Beatorum*, inquit, *vita beatiſſima eſſe non poteſt, niſi de ſua fuerit æternitate certiſſima.*

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. *Cum Thomiſtis pro ſola Viſione.* Multi Scripturæ textus, & Patres, dum de beatitudine agunt, loquuntur de ſola viſione. S. verò Thomas 1. 2. quæſt. 3. toto art. 4. ex profeſſo probat beatitudinem conſiſtere in ſola viſione, additque eodem loco in Corp. hæc verba: *Dico ergo, quòd quantum ad id, quod eſt eſſentialiter ipſa beatitudo, impoſſibile eſt, quòd conſiſtat in actu voluntatis.*

Reſp. Quid de teſtimonio Scripturæ & Patrum ſentiendum ſit, dictum eſt ſupra. Divum Thomam quidam explicare volunt, ut videatur locutus eſſe ſolùm de actibus voluntatis conſequentibus ad completam beatitudinem, ùt eſt eg. gaudium de obtenta illa. Cujus rationem dant 1. Quia S. Doctor præcipuo hoc argumento nititur cur non conſiſtat beatitudo in actu voluntatis: quòd nempe hic ſit conſequens ad obtentam beatitudinem: utiturque exemplo avari, qui pecunias non poſſidet per amorem pecuniæ, utpote cùm hic conſequatur ad poſſeſſionem pecuniæ. 2. Quia aliis locis expreſsè amorem dicit pertinere ad beatitudinem formalem: ſic 1. 2. quæſt. 1. art. 8. *Homo*, inquit, *& aliæ creaturæ rationales conſequuntur finem ultimum cognoſcendo & amando DEUM.* Quæſt. verò 4. art. 8. ad 3. *Perfectio charitatis eſt eſſentialis beatitudini, quantùm ad dilectionem DEI.* Alii dicunt, mentem Divi Thomæ citato ſupra loco clariorem eſſe, quàm ut aliter exponi poſſit: judicant tamen petita venia, quod Marin facit, ab eo recedendum eſſe ob authoritatem Pontificiam, quam habemus pro noſtra Sententia ex Conſtit. Benedicti XII. & Catechiſmo Romano.

Obj. 2. Beatitudo formalis conſiſtit in poſſeſſione ſummi boni: ſed poſſeſſio habetur per ſolam viſionem. Ergo. *Prob. min.* Poſſidere aliquid eſt illud facere ſibi præſens & ſuum: eſt illud ad ſe trahere: ſed DEUS fit præſens animæ per ſolam viſionem: & per hanc trahit anima objectum ad ſe. Ergo.

Reſp. Diſt. maj. Conſiſtit in poſſeſſione ſummi boni, prout hæc eſt ſatiativa utriusque potentiæ: & poſſeſſione ſumpta pro perceptione commodi maximè convenientis naturæ rationali. *conc. maj* Poſſeſſione ſummi boni, prout poſſeſſio communiter accipitur. *neg. maj.* Ratio patet ex *Propoſitione quinta.* Nec poſſe hic poſſeſſionem acci-

accipi in ſenſu vulgari exinde liquet, quòd poſſeſſio vulgaris non importet aliquem illius actum, qui poſſidet: ſed vel ſolam præſentiam & apprehenſionem, vel jus ad utendum re pro libitu: è contra poſſeſſio finis ultimi importat actus vitales creaturæ poſſidentis, quatenus iſti explent appetitum, quem habemus erga ſummum bonum. Unde non tam eſt poſſeſſio, quàm conſecutio finis ultimi.

Inſt. 1. Creatura rationalis conſequitur & poſſidet ſummum bonum, quando conſequitur finem ſuum intelligibilem, eidemque ſe conjungit: ſed videndo intuitivè DEUM conſequitur finem ſuum intelligibilem. Ergo.

Reſp. Diſt. maj. Quando conſequitur adæquatè. *conc. maj.* Solùm inadæquatè. *neg. maj. Diſt.* etiam *min.* Videndo intuitivè DEUM conſequitur finem ſuum intelligibilem ſolùm conſecutione inadæquata. *conc. min.* Adæquata. *neg. min.* Tunc enim conſequitur adæquatè, cùm ampliùs nil reſtat, quod ipſam inquietet, & quod rationabiliter deſideret: imo naturaliter exigat, ùt dictum eſt.

Inſt. 2. Viſio intuitiva ita facit objectum ſummè bonum præſens, ut ad ipſam naturaliter conſequantur reliqua bona: videlicet amor DEI, gaudium, exaltatio corporis beati & reliquæ dotes. Ergo in illa adæquatè conſiſtit poſſeſſio ſummi boni, ita ut reliqua ſe habeant conſequenter, & tanquam proprietates quædam, quæ ex eſſentia illa beatitudinis deducuntur. Quod patet in gaudio illo conſequente ex reliquis dotibus, quæ non ſunt de eſſentia beatitudinis.

Reſp. Diſt. ant. Naturaliter conſequuntur, ſic tamen, ut ſine amore & certitudine perpetuitatis non habeatur perfecta quies & ſatietas utriusque potentiæ. *conc. ant.* Ita ut habeatur. *neg. ant.* Proinde licèt amor DEI ſit conſequens ad viſionem, non tamen eſt conſequens ad beatitudinem eſſentialem. Unde non nego, quod viſio ſit principium & velut præcipua pars beatitudinis, ad quam naturaliter ſequitur amor: cùm tamen hic ſit ſatiativus alterius potentiæ, neceſſariò eſt pars adæquatæ beatitudinis. Ad reliqua, quæ conſequuntur beatitudinem, *Diſparitas eſt*, quia etiam ſine illis quietaretur ſufficienter animus, tametſi illa impedirentur: non autem quietaretur voluntas, ſi per amorem non conjungeretur fini ſuo: quin imo ſummè foret ei violentum videre objectum maximè amabile, nec tamen amare.

Obj. 3. Si non conſiſteret beatitudo eſſentialis in ſola viſione, conſiſteret partialiter etiam in actu voluntatis: ſed hoc non. Ergo. *Prob. min.* Actus voluntatis non eſt formalis aſſecutio & poſſeſſio ſummi boni. Ergo non eſt pars beatitudinis. *Prob. ant.* Voluntas per amorem non poſſidet bonum, ſed potius ab illo poſſidetur: nec attrahit objectum, ſed potius ab illo trahitur. Ergo.

Reſp. Neg. min. Ad prob. Neg. utrumque ant. Nam per amorem & poſſidetur bonum, & animus ab illo poſſidetur: quin potius quia amor eſt unio quædam voluntatis cum objecto amato, ideo magis propriè videtur DEUS poſſideri per amorem, quàm per viſionem. Cæterùm licèt per viſionem magis poſſideatur DEUS, quatenus eſt objectum cognoſcibile, non tamen quatenus eſt ſummum bonum: quippe ſub ratione boni tendere in DEUM pertinet ad voluntatem.

Dices 1. Actus voluntatis non poteſt eſſe pars beatitudinis, quatenus eſt deſiderium; hoc enim fertur in bonum abſens. Non quatenus eſt gaudium; quia hoc ſupponit beatitudinem jam antecedenter poſſeſſam. Non quatenus præcisè eſt amor; quia amor præſcindit à præſentia, vel abſentia objecti, adeoque etiam præſcindit ab illius poſſeſſione. Ergo in actu voluntatis nec partialiter conſiſtit beatitudo.

Confirmatur à pari. Amor, quem habemus in Via, non eſt pars beatitudinis: aliàs jam nunc eſſemus ſal em partialiter beati. Ergo nec amor in Patria. Ideo primum, quia per hunc amorem nondum poſſidemus ſummum bonum: ſed neque poſſidemus per amorem in Patria; cùm ille ſit ejusdem ſpeciei cum amore, quem habemus in Via. Ergo.

Resp. Pars beatitudinis nec est desiderium, nec gaudium de obtenta jam beatitudine: sed est amor amicitiæ præferens DEUM, & adhærens DEO super omnia: qui amor, quatenus est in Patria, non præscindit à præsentia DEI; quia essentialiter præsupponit visionem intuitivam: nec supponit DEUM jam adæquatè pro priori possessum, verùm intrinsecè unit voluntatem, DEO. Sic etiam amor in Via non præscindit à præsentia intentionali objecti; quia *nil volitum, nisi præcognitum.*

Ad paritatem Resp. Amor in Via non est pars beatitudinis perfectæ: tum quia hic non præsupponit visionem beatam, sicut præsupponit amor in Patria: tum etiam quia est adhuc mutabilitati subjectus: qualiter non est subjectus amor in Patria. Cæterùm licèt admitteretur homo in Via per amorem partialiter beatus, inde nil contra nos inferretur; hæc enim foret beatitudo solùm imperfecta, qualis Viatoribus conceditur. Denique multi negant amorem in Patria esse ejusdem speciei cum amore in Via, cùm ille sit necessarius, hic verò liber: quo negato nil probat paritas.

Dices 2. Avarus non possidet pecunias per amorem, sed apprehensionem: similiter pulchritudo imaginis non possidetur per amorem, sed per visionem: nec amœnitas musicæ aliter, quàm per auditum: vel odor per olfactum. Ergo etiam.

Resp. Si possessio significet consecutionem finis ab avaro intenti, tunc avarus possidet pecunias per apprehensionem simul & amorem; quia per hunc satiare optat appetitum suum: si verò possessio sumatur in alio sensu, paritas est nulla; quia etiam dives non possidet pecunias hoc modo per cognitionem, aut visionem ocularem.

Ad ulteriores paritates dico, pulchritudinem ex. g. picturæ non possideri à creatura rationali per solam visionem; quia aliàs in hoc non differret à bruto: sed per visionem, vel auditum conjunctum cum illa oblectatione, quæ ex visione vel auditu & cognitione nascitur.

Obj. 4. *Cum Scotistis pro solo Amore.* Varii Scripturæ textus, & Patres solius amoris meminerunt, dum de hominis beatitudine loquuntur.

Resp. Ad hoc, ùt supra de visione.

Obj. 5. Beatitudo formalis creaturæ consistit in actu ejusdem nobilissimo, per quem maximè fini suo ultimo conjungitur: sed amor est actus creaturæ nobilissimus, & per hunc ultimò creatura cum DEO conjungitur. Ergo beatitudo adæquatè consistit in amore. *Major* videtur certa. Nam nisi consistat beatitudo in actu nobilissimo, & maximè conjungente animam cum DEO, tunc eadem consisteret etiam in actibus aliarum potentiarum, ex. g. potentiæ sensitivæ: vel in actibus imperfectioribus, ùt sunt amor concupiscentiæ, desiderium &c. *Prob. min.* 1. Potentia volitiva est perfectior, quàm intellectiva; cùm illa sit Domina actuum omnium creaturæ, non verò intellectus: illa libera est, hæc verò necessaria. 2. Per actus voluntatis meremur beatitudinem, non verò per actus intellectus. 3. In visione non quiescit animus, verùm eandem hanc visionem refert ulteriùs ad amorem, & propterea appetit visionem, ut visa beatitudine ultimò perfruatur.

Resp. Dist. maj. In actu nobilissimo, & utriusque potentiæ, intellectivæ nimirum & volitivæ satiativo. *conc. maj.* Non satiativo utriusque. *neg. maj.* Cùm igitur amor solummodo quietet potentiam volitivam, tametsi admittatur actus hic esse nobilior, quàm visio, quod tamen Thomistæ negant, in illo solo non consistet beatitudo formalis. Quòd verò ad beatitudinem id requiratur, *Ratio est*, quia sicut proprium est creaturæ rationali amare, quod bonum est, ita cognoscere, quod verum est: & perinde inclinatur ad utrumque: idcirco amor, qui est in Via, non reddit perfectè beatum hominem; quia licèt ametur bonum increatum super omnia, non tamen cognoscitur illud, prout est. Hinc facilis responsio ad reliqua; nam licèt mereamur per actum voluntatis, non tamen perfectè per illum solum quietamur: & licèt visio referatur ad amorem tanquam satiativum potentiæ volitivæ,

væ, tamen ipsa etiam visio explet potentiam intellectivam.

Dices. Ad essentialem beatitudinem non pertinet, ut satientur aliæ potentiæ ignobiliores: qualis est sensitiva. Ergo etiam non pertinet, ut satietur intellectus: sed satis est, quòd hoc fiat in potentia omnium præstantissima.

Resp. Conc. ant. neg. cons. Disparitas est, quòd ad beatitudinem creaturæ rationalis pertinet, ut illius appetitus, quatenus est rationalis, expleatur: non verò, quatenus non est rationalis: atqui ùt rationalis non satiatur nisi per actus utriusque potentiæ rationalis. Ergo.

Obj. 6. Per actum amoris possidetur perfectè finis ultimus. Ergo.

Prob. ant. Perfecta possessio DEI est intima conjunctio animæ cum DEO: sed hæc habetur per actum amoris. Ergo. Idque patet à pari etiam aliarum rerum inanimatarum, quæ consequuntur finem suum per conjunctionem sui cum eodem. Quòd verò amor ita conjungat, patet ex inde, quòd amans quodammodo transeat in amatum.

Resp. Dist. ant. Possidetur finis ultimus suppositа visione tanquam partiali consecutione finis. *conc. ant.* Secus. *neg. ant. Ad prob. dico*, quòd sicut amor est intima conjunctio potentiæ volitivæ cum DEO, ita visio est conjunctio intima potentiæ intellectivæ: quorum utrumque ad beatitudinem requiritur. Nec facit paritas ab inanimatis; quia modus possidendi finem suum in creaturis rationalibus est multò diversus.

Inst. Possessio adæquata summi boni est adæquata beatitudo: sed amor est possessio summi boni adæquata. Ergo. *Prob. min.* Ille actus est possessio adæquata summi boni, qui solus conjungit animam cum DEO, ùt summè bono: sed hoc facit solus amor, quia hic solus fertur in DEUM sub ratione boni. Ergo.

Confirmatur à pari. Possessio mali, ùt ex. g. peccati adæquatè habetur per actum voluntatis. Ergo etiam possessio summi boni per solum amorem.

Resp. Conc. maj. neg. min. Ad prob. Dist. maj. Qui conjungit cum DEO ùt bono vero. *conc. maj.* Ut bono solùm apparenti. *neg. maj.* Jam verò talis conjunctio habetur simul per visionem veri illius boni, & amorem. Similiter *Resp.* ad *paritatem*. Nam perinde malum non obvenit homini nisi simul etiam per cognitionem illius; peccatum enim est malum non solius voluntatis, sed etiam intellectus.

Obj. 7. *Contra Certitudinem perpetuitatis.* Antecedenter ad hanc certitudinem habetur completè beatitudo. Ergo hæc certitudo non est pars essentialis beatitudinis. *Prob. ant.* Antecedenter habetur utriusque potentiæ appetitus completus; quia intellectus satiatur per visionem, voluntas per amorem: sed visio DEI & amor habent se pro priori ad hanc certitudinem. Ergo.

Resp. Intellectum & voluntatem non satiari per qualemcumque visionem & amorem, sed per visionem & amorem prout in perpetuum duraturum: neque certitudo illa de perpetuitate præsuponit jam antecedenter visionem & amorem, verùm eadem visio, quæ reddit hominem beatum, videt simul in DEO Decretum de conservanda in perpetuum visione & amore. Ubi etiam observa, objectum hujus certitudinis non fore aliquid creatum, nisi solùm in obliquo; quia objectum est Decretum DEI de conservanda visione & amore in perpetuum.

Inst. 1. Fieri non potest, ut creatura obtinendo finem suum ultimum non sit perfectè beata: sed obtinendo DEUM per visionem & amorem, præscindendo ab eorum duratione, obtinet finem suum completè; DEUS enim ùt est in se, & præscindendo ab omni Decreto, est finis ultimus creaturæ. Ergo.

Resp. Creatura obtinendo finem ultimum quà talem est perfectè beata: at verò DEUS non habet perfectè rationem finis ultimi, si possideatur per amorem & visionem solùm temporaneam; quia finis ultimus, ut sit verè talis, debet à creatura rationali possideri inamissibiliter; aliàs enim in hac vita quomodocumque possidendo finem ultimum

foret perfectè beata: debet proinde hæc poſſeſſio eſſe perfectè ſatiativa: qualiter non eſt absque dicta certitudine.

Inſt. 2. Si homo per viſionem & amorem poſſideat DEUM, naſcitur in eo ſummum gaudium & ſumma conformitas in DEI voluntatem. Ergo tametſi præſcindat intellectus à dicta certitudine, adhuc redditur beatus. *Ant.* patet. Quia viſio DEI & amor connaturaliter iſta poſt ſe trahunt. *Conſeq.* etiam videtur certa. Nam ſummum gaudium & ſumma conformitas excludunt omnem anxietatem.

Reſp. Naſcitur quidem ſummum gaudium: attamen non tam perfectum, quàm naſcatur ex viſione & amore, quæ cognoſcerentur duratura in perpetuum. Neque etiam dicta conformitas ſufficit; nam aliàs jam in Via per illam eſſemus eſſentialiter beati. Neque iſta conformitas excludit ſufficienter timorem amittendi finis ultimi pugnantem cum beatitudine.

Inſt. 3. Ad hoc, ut videns DEUM & amans ſit beatus, utque excludat à ſe omnem anxietatem, ſatis eſt, quòd cognoſcat viſionem & amorem naturaliter in perpetuum duraturum: nec eſt neceſſe, ut cognoſcat Decretum DEI de conſervanda in perpetuum viſione, vi cujus metaphyſicam habeat certitudinem: ſed poteſt cognoſcere viſionem & amorem naturaliter in perpetuum duraturum ſine alia certitudine. Ergo. *Major* videtur certa. Quia non metuit aliquis, ne id amittat, quòd tantùm ſupernaturaliter poteſt amittere: hinc anima non metuit annihilationem ſui: nec propterea eſt anxia, quòd id non niſi ſupernaturaliter accidere poteſt. *Minor* etiam eſt vera. Quia Beatus videt viſionem & amorem non habere contrarium, ad cujus exigentiam deſtruerentur: adeoque videt naturaliter hæc in perpetuum durare.

Reſp. Objectio hæc ſupponit illam Sententiam probabiliorem utique & communiorem, quæ dicit, quòd defacto eadem omnino viſio & amor DEI in Beatis duret in perpetuum: imo quòd naturaliter ſit indeſtruibilis ob illam exigentiam, quam habet ad ſui conſervationem, & quia non habet contrarium, à quo naturaliter deſtruatur: attamen non improbabilis eſt etiam oppoſita ſententia: qua ſuppoſita, nil probat argumentum. Cæterum tametſi tantùm ſupernaturaliter ſit indeſtruibilis, adhuc requiritur ad beatitudinem certitudo abſoluta de non deſtruendis viſione & amore in perpetuum. *Ratio* eſt. Quia tametſi non metuat aliquis prudenter amittere minus quodpiam bonum, quando illud eſt naturaliter inamiſſibile: prudenter tamen metuere tunc poteſt, quando agitur de bono omnium maximo, & cujus conſervatio à ſolius DEI libero arbitrio dependet. Hinc non habebitur plena & perfecta ſatietas animæ, nec gaudium omnium maximum, quale competit beatitudini, niſi habeatur certitudo orta ex Decreto DEI de conſervanda in perpetuum ſui viſione & amore.

Inſt. 4. Tametſi quis per errorem ſolùm putaret hæc in perpetuum duratura, excluderet tamen à ſe omnem anxietatem. Ergo perpetuitas orta ex Decreto DEI, & illius cognitio non ſunt pars eſſentialis beatitudinis.

Reſp. Excluderet quidem anxietatem: verùm hæc excluſio conjungeretur cum malo: videlicet cum errore intellectus, cumquo perfecta beatitudo componi nequit; hæc enim eſt excluſiva omnis mali tum apparentis, tum etiam verè talis.

Obj. ultimò. Si Beatus per eandem viſionem, per quam videt DEUM, neceſſariò etiam videret Decretum de conſervanda in perpetuum DEI viſione, talis viſio foret creatura eſſentialiter indeſtruibilis: ſed hæc repugnat. Ergo per viſionem illam beatam non videtur ſimul Decretum de conſervanda viſione. *Prob. maj.* Illa creatura eſt eſſentialiter indeſtruibilis, quæ eſſentialiter connectitur cum ſui indeſtruibilitate: ſed viſio, quæ videret prædictum Decretum, foret ejuſmodi. Ergo. *Major* patet. Quia ſi eſſentialiter connectitur cum ſui indeſtruibilitate, repugnat ipſam exiſtere absque tali connexione: poſita verò tali connexione, repugnat ipſam deſtrui. *Prob. min.* Talis viſio con-

connecteretur essentialiter cum Decreto de conservanda illa in perpetuum: sed Decretum de conservanda in perpetuum visione est indestruibilitas visionis; repugnat enim posito illo Decreto destrui visionem. Ergo connectitur essentialiter cum sui indestruibilitate. *Major* est certa. *Quia illa visio* repræsentaret illud Decretum prout actu existens: adeoque cùm sit essentialiter repræsentativa sui objecti, & præterea essentialiter vera, utpote supernaturalis & beatificans, essentialiter quoque connectitur cum existentia *illius* Decreti.

Hæc *Objectio* causam dedit Theologis, ut fusissimè inter se concertarent: Num visio beata sit essentialiter indestruibilis: prout volunt Lugo & Esparza. Imo hujus occasione ulterius progressi, quæsiverunt: Num sit possibilis creatura essentialiter indestruibilis: talis nempe, quam semel productam non possit DEUS in nihilum redigere, & quidem impotentia orta non præcisè ex libero DEI Decreto, sed ex prædicatis intrinsecis *talis* creaturæ. Coincidit hæc *quæstio* cum aliis similibus: ùt an sit possibile peccatum irremissibile: veritas irreverabilis? quæ tamen quæstiones cùm plus apparentiæ, quàm Theologicæ eruditionis habeant, non immerito silentio ab aliis prætereuntur.

Quod attinet ad creaturam essentialiter indestruibilem communissima est sententia, talem omnino repugnare. *Ratio est.* Quia repugnat creaturam esse exemptam à perfecta potestate dominativa DEI: sed ejusmodi creatura foret ex natura sua exempta à tali potestate. Ergo. *Prob. min.* Potestas DEI dominativa non solùm est sita in eo, ut rem liberè possit pro libitu producere, vel non producere, verùm etiam, ut possit liberè conservare vel destruere: præstare concursum ad operandum, vel eundem suspendere: sed talis creatura non subjaceret huic potestati dominativæ. Ergo. *Major* patet. Nam aliàs poterimus confingere etiam talem creaturam, cui essentiale sit, ut ipsam DEUS aliquando producat. Denique conservatio est gratia & beneficium DEI, sicut est productio: sed talis creaturæ conservatio non foret gratia & beneficium; *non enim* foret DEO libera. Ergo. *Accedit*, quòd talis creatura apertè pugnet cum textibus Scripturæ & Patrum, qui passim ab Authoribus citantur. Jam ad *Objectionem.*

Resp. Neg. maj. Ad prob. *conc. maj. neg. min.* Ad hujus prob. *Dist. maj.* Connecteretur essentialiter cum Decreto de conservanda aliqua necessariò visione hac vel illa, per quam creatura beatificetur. *conc. maj.* Connecteretur necessariò cum hac determinatè visione. *neg. maj.* Cùm enim ad visionem DEI materialiter se habeat, quòd DEUS videatur per hanc potius numero visionem, quàm per aliam, Decretum DEI de conservanda visione non debet determinatè ferri in hanc numero visionem, per quam & DEUS & hoc Decretum videantur: sed indeterminatè tantùm, hoc ex. g. modo: *Semper volo existere aliquam meæ visionem, ut creatura sit beata.* Hoc autem posito, jam visio illa, qua videretur & DEUS & hoc Decretum, non est essentialiter connexa cum sui indestrubilitate; quia illud Decretum non est indestruibilitas hujus numero visionis, sed alicujus.

Dices 1. Non est ratio cur DEUS non possit sic decernere: *Volo conservare hanc numero visionem*: ita quidem, ut hoc Decretum videatur per eandem illam visionem, de qua hoc Decretum loquitur. Ergo frustra confingitur illud Decretum, quod indeterminatè fertur in aliquam visionem.

Resp. Neg. ant. Nam tale Decretum foret DEO liberum, & simul *non foret*: foret liberum, ùt supponitur, cùm hoc sit de essentia Decretorum Divinorum: & simul *non foret* liberum. *Prob.* Decretum de objecto necessario non est DEO liberum: sed hoc foret de objecto necessario; esset enim de conservanda hac visione, adeoque de illa non destruenda: quæ tamen per suam essentiam esset indestruibilis: sicut ergo non potest in DEO dari hoc Decretum, quo decernat, ut homo sit risibilis, ita nec prius illud. Solùm igitur earenus posset dari simile Decretum, quatenus haberet hanc tendentiam: *Volo producere creatu-*

ram natura ſua indeſtruibilem. Atqui tale Decretum DEUS habere nequit, cùm ſit impoſſibilis creatura indeſtruibilis; ùt ſupra probatum eſt.

Dices 2. Liberum eſt DEO, ut Beatus illum videat in perpetuum per eandem numero viſionem. Ergo poteſt DEUS habere Decretum de conſervanda in perpetuum hac numero viſione. *Anz.* patet. Quia in hoc nulla eſt repugnantia: quin imo communis eſt Sententia defacto eandem numero viſionem in perpetuum conſervatum iri, eo quòd nil ſit, quod ipſius deſtructionem exigat: nec videtur ratio, cur DEUS absque cauſa entia multiplicet: ob quod etiam dicitur communiter, eandem numero viſionem naturaliter in perpetuum duraturam.

Reſp. Conc. ant. Diſt. conſ. Poteſt habere aliud diſtinctum Decretum, quod non ſit objectum viſionis beatæ, nec pertinens ad ſubſtantiam beatitudinis. *conc. conſ.* Id ipſum Decretum, quod pertinet ad ſubſtantiam beatitudinis. *neg. cons.* Duo igitur in DEO conſtituenda ſunt Decreta: Unum, quo DEUS dicat: *Ut creatura ſit beata, volo in perpetuum dari aliquam mei viſionem*: atque hoc Decretum videtur per illam DEI viſionem, quæ pertinet ad ſubſtantiam beatitudinis: nihilominus vi hujus Decreti DEUS eſt indifferens, ut conſervet hanc vel illam numero viſionem. Alterum præterea eſt in DEO Decretum, quo dicat: *Inter omnes viſiones poſſibiles volo hanc numero viſionem in perpetuum conſervare*: & hoc Decretum, atque adeo etiam viſio hujus Decreti non pertinet ad ſubſtantiam beatitudinis; quia, ùt dixi, materialiter ſe habet ad beatitudinem, quòd DEUS videatur per hanc vel aliam numero viſionem.

Dices 3. Ex dictis infertur, quòd viſio illa beata, quæ repræſentaret Decretum de aliqua viſione indeterminata, eſſet, licèt non quoad numerum, tamen quoad ſpeciem creatura indeſtruibilis: ſed hoc admitti nequit. Ergo. *Prob. maj.* Viſio illa eſſentialiter connectitur cum Decreto, de aliqua viſione: utpote illud repræſentans, & eſſentialiter vera: ſed Decretum de conſervanda ſemper aliqua viſione eſt indeſtruibilitas viſionis illius quoad ſpeciem; quia illo ſtante licèt poſſit deſtrui illa viſio quoad numerum, non tamen quoad ſpeciem. Ergo eſſentialiter connectitur cum ſui indeſtruibilitate quoad ſpeciem.

Reſp. Conceſſo toto hoc, & admiſſa creatura quoad ſpeciem indeſtruibili, nihil infertur abſurdi, nec aliquid contra Dominium Divinum; quia tametſi DEUS poſito illo Decreto, & data viſione neceſſitetur ad producendam & conſervandam aliquam viſionem, quamlibet nihilominus viſionem habet in ſua poteſtate, ut conſervet, vel deſtruat: conſequenter habet dominium etiam in ipſam ſpeciem, prout cuivis individuo identificatam: neceſſitas verò producendi vel conſervandi aliquam viſionem reſultaret ex Decreto liberè à DEO concepto.

Dices 4. Decretum illud foret neceſſarium; haberet enim pro objecto aliquid neceſſarium: conſervationem nempe talis ſpeciei, quæ conſervatio eſſentialis eſt viſioni quoad ſpeciem.

Reſp. Tametſi DEUS conſequenter ad ſuum Decretum neceſſitetur ad aliquod individuum viſionis, adeoque ad conſervandam hanc ſpeciem, liber tamen eſt ad hoc, ut concipiat tale Decretum, adeoque ut ex illo reſultet dicta neceſſitas conſervandi. Neque objectum illius Decreti eſt neceſſarium; quia non tendit hoc modo: *Volo conſervare viſionum ſpeciem indeſtruibilem.* Sed hoc: *Volo producere aliquam viſionem.* Proinde non vellet, ut ſit indeſtruibilis quoad ſpeciem; cùm hoc ſit neceſſarium: ſed ut producatur talis ſpecies, quæ deinde non poſſit deſtrui.

CAPUT II.

De Proprietatibus Beatitudinis.

ARTICULUS I.

Utrùm viſio DEI neceſſitet ad amorem?

§. I.

Notanda.

BEatos defacto nunquam deſinere ab amando DEO, patet vel ex eo quòd amor

mor DEI actualis juxta dicta sit pars essentialis beatitudinis: proinde sicut nunquam desinunt esse Beati, qui DEI visione perfruuntur, ita nunquam cessant ab amore Divino: huc etiam accomodari potest illud 1. ad Cor. 13. *Charitas nunquam excidit.* Solùm igitur quæstio est: An amor beatificus consequatur ad visionem, ita ut simpliciter hæc duo separari inter se nequeant: quemadmodum docuerunt Ægidius, Henriquez. An verò connectantur tantùm per extrinsecum DEI Decretum: uti docet Scotus, & Scotistæ. An connectantur naturaliter: ut docet Suarez, Viva, &c. Pro qua quæstione præmitto duas Propositiones.

Propositio 1. Nullus actus intellectus habet essentialem connexionem cum aliquo actu voluntatis. *Ostenditur.* Actus intellectus & voluntatis sunt realiter inter se distincti. Ergo nisi possit assignari aliquod prædicatum in quocunque actu intellectus, vi cujus sit essentialiter determinatus ad coëxistendum actui voluntatis, dicendum est, hæc ab invicem absolutè loquendo separari posse. Atqui nullum est assignabile ejusmodi prædicatum. Ergo. *Minor subs.* patet. Nam hoc prædicatum vel esset vitalitas, vel repræsentatio objecti: neutrum est tale. Ergo. *Accedit*, quòd standum sit pro DEI Dominio, & potentia absoluta unum separandi ab alio, nisi peculiaris in oppositum ratio urgeat: sed nulla talis occurrere potest. Ergo.

Propositio 2. Voluntas non potest quidquam eligere, nisi ei proponatur sub ratione boni. *Prob.* Non potest voluntas eligere nisi moveatur ab aliquo prælucente motivo; proprium enim est creaturæ rationali operari propter finem: sed motivum electionis esse nequit nisi ratio boni. Ergo voluntas nequit eligere nisi ob rationem boni in objecto prælucentem. *Minor* est evidens. Nemo enim juxta Philosophum intendens in malum operatur: & profecto si ratio mali posset esse motivum, voluntas posset tendere in destructionem sui ipsius: cùm tamen quævis res naturaliter exigat conservari in bonum naturæ proprium.

§. II.

Statuitur Conclusio, & solvuntur Objectiones.

Dico. Videns DEUM nequit naturaliter cessare ab amore: licèt possit de absoluta DEI potentia.

Prob. 1. *pars.* 1. Videns DEUM cognoscit clarissimè summum bonum prout est in se absque admixtione ullius mali: sed sic cognoscens nequit naturaliter cessare ab amore actuali summi boni. Ergo. *Prob. min.* Ad hoc, ut sic videns summum bonum cesset ab illius amore, deberet illi hæc cessatio repræsentari sub ratione boni: sed quando cognoscitur summum bonum sine admixtione ullius mali, nequit cessatio ab amore repræsentari sub ratione boni. Ergo. *Major* patet ex *Propos.* 2. *Minor* est certa. Nulla enim ratio boni potest esse in eo, quòd quis actu non amet objectum summè amabile, sibique ùt tale repræsentatum: proinde voluntas *viso* clarè DEO, necessariò erumpit in illius amorem absque ulla electione: sicut accidit in motibus primo-primis, in quibus quia ob vehementem passionem objectum repræsentatur absque ratione ullius mali, ita rapitur voluntas, ut non eligat deliberatè; sicque excusantur homines à peccato in motibus primo-primis.

Prob. 2. Objectum summè amabile habet summam vim abripiendi ad se voluntatem: contra verò vis resistitiva ex parte voluntatis est valde debilis: igitur quoties proponitur objectum summè amabile clarè & prout est in se, ita rapiet voluntatem, ut simpliciter superet vim resistitivam: sicut evenit in motibus primo-primis.

Prob. 2. *pars Conclus.* Potest DEUS de absoluta potentia velle concurrere ad visionem sui, & nolle concurrere ad sui amorem. Ergo de absoluta potentia hæc sunt separabilia. *Ant.* patet. *Quia*, ùt ex *Propos.* 1. liquet, inter hos actus non est essentialis connexio. Quodsi autem quæras: Quid futurum esset eo casu, si DEUS elevaret quidem intellectum ad sui visionem, at verò ad amorem eliciendum non daret auxilium

super-

ſupernaturale, neque tamen concurſum ſuum ad qualemcunque amorem ſuſpenderet.

Dico cum Suario Diſp. 9. Sect. 1. In hoc caſu voluntatem neceſſariò prorupturam in amorem DEI, at naturalem tantùm, non verò ſupernaturalem. *Ratio* eſt. Quia objectum etiam per ſupernaturalem viſionem propoſitum eſt adhuc amore naturali amabile. Nihil ergo obſtaret, quo minus voluntas ad actum amoris abripiatur. *Aut.* patet. Quia qualiscunque ſit viſio, quæ repræſentat objectum ſub ratione boni, repræſentat illud amabile amore qui creaturæ eſt poſſibilis: ſed in dicto caſu poſſibilis foret amor ſolummodo naturalis. Ergo.

Obj. 1. Voluntas eſt libera & Domina ſuorum actuum. Ergo non obſtante viſione DEI poteſt liberè & naturaliter ceſſare ab amando.

Confirm. id à pari. Defacto in Via cognoſcitur DEUS ſub ratione ſummi boni abſque admixtione ullius mali: & tamen voluntas liberè amat DEUM, potens non amare. Ergo idem fit, tametſi per viſionem cognoſcatur in DEO ratio ſummi boni.

Reſp. Voluntas eſt libera, quando aliquam rationem boni in una & altera parte, inter quas facienda eſt electio, reperit: non autem, ſi una pars repræſenterur ùt purum bonum: in altera verò nulla relucear ratio boni.

Ad Confirm. Reſp. Quòd cognitio, quam habemus de DEO in Via, ita repræſentet DEUM ſub ratione boni, ut tamen apprehendat quandoque intellectus, licèt falſò, rationem mali in eodem amore: e. g. difficultatem magnam reſiſtendi ſenſualibus bonis, quæ à nobis dependenter à ſenſu omnia cognoſcentibus cum majori vivacitate apprehenduntur, quàm ſummum bonum à ſenſibus noſtris tantopere remotum.

Inſt. Tamerſi data viſione voluntas nequeat poſitivè eligere inter amorem DEI & ceſſationem ab actu amoris, poteſt tamen pro ſua libertate per puram omiſſionem omittere actum amoris. Ergo poteſt naturaliter ceſſare ab amore. *Prob. ant.* Licèt ad hoc, ut quis actu poſitivo eligat ceſſationem ab amore, requiratur, ùt in ea præluceat ratio alicujus boni: id tamen neceſſe non eſt ad hoc, ut per omiſſionem puram deſinat amare. Ergo *Prob. ant.* Ad hoc, ut quis purè liberè omittat, non debet moveri ab aliqua ratione boni in oppoſitum ad eligendam omiſſionem; quia jam eo ipſo contra ſuppoſitum non foret omiſſio pura libera; omittere enim purè liberè, eſt non moveri ad actum poſitivum.

Reſp. Tametſi omiſſio pura libera ſupponatur poſſibilis à quo hic præſcindo, non tamen eſt poſſibilis tunc, quando pro una parte repræſentatur motivum valde alliciens voluntatem ad actum poſitivum; tunc enim voluntas nequit omittere actum ſine magna reſiſtentia: quæ reſiſtentia citra actum poſitivum haberi nequit. Hinc etiam tentationes vehementes ſuperari nequeunt per omiſſionem puram: multò itaque minùs poteſt ſic omitti actus amoris, quando clariſſimè videtur objectum ſuper omnia amabile, & vi quadam infinita præditum ad trahendam voluntatem in ſui amorem.

Obj. 2. Poteſt DEUS præcipere creaturæ DEUM videnti, ut ceſſet ab amore: ſed tunc creatura naturaliter deſineret amare. Ergo. *Major* patet. Nam DEUS poteſt præcipere, quidquid non pugnat cum recta ratione: ſed deſinere ab amando non pugnat cum recta ratione, ſi præſertim id fieret ob honeſtum finem: e. g. propter ſubmiſſionem erga poteſtatem Dominativam DEI. *Minor* verò *prob.* Ideo creatura non poſſet deſinere ab amore, quia in tali ceſſatione non poſſet apprehendere ullam rationem boni: ſed in dicto caſu apprehenderet aliquam rationem boni: videlicet conformationem voluntatis ſuæ cum Divina. Ergo poſſet ceſſare ab amando. Ob hoc argumentum Viva quæſt. 5. art. 3. putat in hoc caſu Beatum naturaliter ab amando ceſſaturum, licèt extra hunc caſum non poſſit. Verùm meliùs cenſeo cum Suario loco cit. dictum caſum eſſe chymæricum Unde

Reſp. Nego ant. Nam DEUS nequit creaturæ id præcipere, quod eſt ipſi naturaliter impoſſibile. Ad *prob. Dico*, hanc ipſam

com-

conformitatem voluntatis cum Divina fore actum formalis amoris; non enim posset creatura videre in DEO rationem summi boni, quin velit se DEO conformare propter illius bonitatem: qui actus jam est formalis amor. Proinde repugnat, ut DEUS præcipiat cessationem ab amore. *Accedit*, quòd tanta sit vis Bonitatis clarè visæ, ut voluntatem abripiat ad amandum, quin ei resistere naturaliter possit: quomodo igitur præcipiet DEUS, ut desinat ab amando creatura?

Dices. Potest rationabiliter præcipi existentibus adhuc in Via, ut desinant ab actuali amore eliciendo: quemadmodum de quibusdam Sanctis legitur, qui, ne valetudini obessent, jussi sunt desinere ab illa intensione amoris Divini: præcipi igitur poterit etiam DEUM videnti.

Resp. Conc. aut. nego. cons. Disparitas est, quòd cognitio abstractiva DEI non habeat eam vim abripiendi voluntatem, quam habet visio intuitiva summi boni, præsertim cùm vivaciùs à nobis apprehendantur bona sensibus subjecta.

Obj. 3. Fieri absolutè loquendo potest, ut videns DEUM videat simul in DEO Decretum de tali videnti in perpetuum cruciando, e. g. ob peccatum habituale, vel ob peccatum postea committendum, vel etiam absque omni peccato: quod quidam Authores fieri posse dicunt: sed in hoc casu videns DEUM naturaliter desineret ab amore. Ergo. *Prob. min.* Dum creatura apprehendit in DEO rationem alicujus mali, non necessitatur ad amandum: sed in hoc casu apprehendere: repræsentaret quippe DEUM, ut bono proprio oppositum, & mali illius authorem. Ergo. Ob hanc causam Okamus & quidam alii docent, videntem DEUM in dicta circumstantia non solùm posse desinere ab amando, verùm etiam odio habere DEUM.

Resp. Transmissa maj. Nego minor. Ad prob. Conc. maj. Dist. min causalem. Repræsentaret ut mali proprii authorem: & in eo ipso cognosceret infinitam perfectionem, eamque summè amabilem. *Conc. caus. Secus. neg. caus.* DEUS enim etiam in pœna hac decernenda foret summè perfectus: adeoque etiam in hoc reluceret summa DEI bonitas, quam quia intuitivè videret creatura, non impediretur à malo proprio physico; perfectus enim DEI amor nihili pendit malum proprium, nec ab eo impeditur, quo minus amet DEUM. Denique tametsi videret se aliquando puniendum, non tamen foret aliqua ratio, cur hic & nunc ab amando cesset; neque enim in hac cessatione reluceret aliqua ratio boni. Ergo.

Observa porro, quæstionem hanc procedere de visione solùm pro alia providentia, & de illa specificativè sumpta; nam visio prout beata, & in hac providentia, cùm repræsentet existentiam amoris & durationem illius in perpetuum, cúmque sit ob supernaturalitatem suam essentialiter vera, jam eo ipso sicut repugnat talem visionem esse falsam, sic etiam repugnat eam separari ab amore. Unde quæstio solùm procedit de visione, quatenus alliciente videntem: An videlicet tantam vim habeat bonitas objecti clarè visi, ut absolutè necessitet ad amorem: prout voluerunt Authores supra citati.

ARTICULUS II.

Utrùm videns intuitivè DEUM possit peccare?

§. I.

Notanda.

CElebris est controversia inter Authores: Utrùm cum visione DEI possit componi potentia proxima ad peccandum: quin imo ipsum peccatum tam actuale, quàm habituale: quæ quidem potentia dupliciter potest intelligi. *Primò* prout est impeditiva visionis: quod contingeret tunc, quando alicui imponeretur præceptum e. g. eliciendi actum amoris DEI, ita ut si in instanti *A.* omitteret graviter præceptum actum, peccaret: si verò eliceret talem actum, haberet in præmium pro eodem instanti visionem beatam. *Secundò* potest eadem potentia peccandi intelligi prout destructiva visionis: ùt

si e. g. habenti jam visionem DEI imponeretur aliquod præceptum grave, ita ut conservatio ejusdem visionis pro sequenti instanti dependeret ab hac præcepti observatione, ita ut creatura omittendo actum amitteret sequenti instanti visionem: eliciendo verò talem actum conservaret visionem.

De utroque proinde casu est præsens quæstio: quin imo ulteriùs quæri potest, An non solùm potentia peccandi, sed etiam habituale peccatum vel actuale conjungi possit cum visione DEI. Et tametsi hæc quæstio speculativa purè non multùm ad rem facere videatur, valebit tamen ad naturam libertatis, & actus primi proximi, quæ res tanti est in Theologia momenti, meliùs penetrandam. Ut autem certiora à controversis separem, utque idonea hujus sententiæ fundamenta ponam, sequentia præmitto.

Propositio 1. Visio DEI dupliciter potest se habere: nimirum vel in signo primo ad operandum, ita ut constituat actum primum proximum: vel verò in signo sequente, ita ut non constituat actum primū proximum ad operandum. *Ostenditur* quoad 1. *partem.* Cognitio, quæ dirigit operantem in ordine ad actionem aliquam ponendam proponendo motiva & modum operandi, tenet se ex parte actus primi proximi, sed potest visio DEI ita se habere. Ergo potest visio se tenere ex parte actus primi, & prælucere in signo priori. *Major* est certa. Voluntas enim cæco modo procedere nequit, sed dirigi debet ab intellectu: sicut ergo ipsa voluntas constituit actum primum proximum, sic etiam cognitio directiva ad operandum. *Minor* etiam est certa. Nam visio DEI potest proponere præcipuum motivum ad operandum, nempe bonitatem Divinam, & proponere ipsum modum, quo se conformare debet Videns Divinæ voluntati.

Prob. quoad 2. *partem.* Cognitio, quæ se vel concomitanter, vel pro posteriori habet ad operationem, non constituit actum primum, nec est in signo priore: sed visio DEI potest se concomitanter habere ad operationem, vel consequenter. Ergo fieri potest, ut non sit in signo primo, nec constituat actum primum ad operandum. *Major* patet. Sic cognitio experimentalis, qua quis cognoscit se elicere aliquem actum, non constituit actum primum; quia se habet concomitanter, vel consequenter cum actu. *Minor* verò *prob.* Potest DEUS in præmium actus à Justo eliciti pro eodem instanti conferre visionem sui: sed talis visio se haberet consequenter ad actum à Justo elicitum; quia præmium consequitur ad meritum. Ergo. *Major* est certa.

Propositio 2. Potentiam proximam peccandi constituit cognitio indifferens, quæ proponat rationem aliquam boni in peccato: & habet hujusmodi tendentiam: *Vi eorum, quæ hic & nunc mihi repræsentantur, creatura apparet DEO præferibilis. Probatur.* Non potest voluntas eligere aliquid, nisi eidem proponatur sub ratione boni: ùt patet ex Artic. prioris *Propos.* 2. Ergo etiam non potest eligere peccatum, nisi hoc proponatur sub ratione boni, & quidem DEO præferibilis. Ergo necessarium est prædictum judicium, vel certè apprehensio, quæ judicio illi æquivaleat, ut creatura peccare, & bonum creatum præferre præcepto Divino possit.

Ubi observa, quòd sufficiat hoc judicium: *Creatura apparet præferibilis DEO.* Et non est necessarium istud: *Creatura absolutè est præferibilis DEO.* Quia ad hoc, ut quis præferat creaturam DEO, non est necessarium, ut absolutè judicet esse præferibilem; cùm sæpe homines advertant id esse falsum: & tamen judicant eligendum peccatum: satis proin est, quòd bonum delectabile apprehendatur à creatura tanquam bonum præferibile DEO, & quòd sic apparere judicetur. Id aliis etiam exemplis ostendi potest; sæpius enim homines determinantur ad aliquid eligendum per tale judicium: *Hoc vel illud apparet mihi esse bonum: Videtur mihi, quòd, si hoc elegero, bene acturus sum.* &c: quin absolutè enuntient, rem illam esse præferibilem, aut præstantiorem.

Propositio 3. Visio DEI, si se in operatione habeat priore modo, & in signo antecedente, excludit potentiam peccandi, &

ipsum

ipſum actuale peccatum. *Oſtenditur.* Potentiam proximam peccandi conſtituit ejuſmodi cognitio, quæ ſit indifferens, ut componatur cum peccato, & quæ repræſentet in peccato aliquam rationem boni, ita quidem ut hoc bonum movere poſſit voluntatem ad ſui electionem: ſed ſi viſio ſe teneat pro priori, excludit talem cognitionem indifferentem ex parte actus primi. Ergo excludit potentiam proximam ad peccandum. *Major* patet ex dictis. *Minor prob.* Viſio DEI proponit evidenter ſummum bonum prout in ſe eſt ſine admixtione ullius mali: ſed talis viſio excludit cognitionem, quæ ita proponat bonitatem in peccato, ut eam voluntas eligere poſſit. Ergo. *Minor prob.* Talis viſio neceſſitat ad amandum juxta dicta: ſed neceſſitas ad amandum excludit vim motivam in cognitione indifferente ad non amandum, adeoque etiam ad peccandum, neque enim poteſt in eodem ſigno DEUS cognoſci ùt bonum omnibus præferibile: & tamen creatura apparere DEO præferibilis. Ergo. Ex quo apparet ulteriùs quòd excludat ipſum quoque actuale peccatum, cùm hoc neceſſariò ſupponat potentiam ad peccandum.

Propoſitio 4. Viſio DEI in hac Providentia excludit ſimpliciter potentiam peccandi & peccatum. *Prob.* 1. Beatis in hac Providentia viſio DEI conſervatur independenter à meritis, quæ in ſtatu beatitudinis ponerent. Ergo viſio in Beatis defacto eſt directiva ad operandum, habetque ſe pro priori ad actum ſecundum: ſed talis viſio juxta dicta excludit potentiam peccandi. Ergo. *Ant.* eſt de Fide contra errorem Origenis, qui docebat Beatos peccare poſſe & mereri, ſicut peccarunt Angeli.

Prob. 2. Viſio DEI, qualis defacto à Beatis habetur, repræſentat etiam perpetuitatem viſionis: ſed talis viſio excludit potentiam peccandi; excludit enim potentiam amittendi viſionem; cùm ſit eſſentialiter vera, adeoque falſificari nullatenus poſſit: qualiter tamen falſificaretur, ſi per peccatum amitteretur viſio.

Prob. 3. Viſio beata excludit omnem miſeriam: ſed poſſe peccare eſt miſeria. Ergo viſio beata excludit potentiam peccandi: quin imo excludit quoque peccatum actuale veniale; quia determinat ad amorem ſummum: qui amor excludit levem etiam DEI diſplicentiam.

Propoſitio 5. Viſio tamen DEI non eſt formalis ſanctitas per ſe oppoſita peccato gravi, ſicut opponitur Gratia Sanctificans. *Prob.* Viſio DEI tametſi ſit poſſeſſio ſummi boni, non tamen eſt formale Jus ad amicitiam DEI: nec eſt Filiatio adoptiva DEI. Ergo neque eſt ſanctitas formalis; nam formalis ſanctitas oppoſita per ſe peccato fundatur in Jure ad amicitiam: prout apparet in Gratia Sanctificante. *Ant. prob.* Viſio DEI præſupponit Jus illud ad mutuam amicitiam. Ergo non eſt tale Jus. *Ant.* patet. Quia viſio DEI præſupponit Gratiam ſanctificantem, quæ eſt Jus formale & promiſſio viſionis DEI. *Conſeq* autem rectè ſequitur. Sicut enim actualis poſſeſſio in rebus humanis non dicitur Jus ad poſſidendum, verùm eſt effectus Juris illius, ſic etiam videtur dicendum de viſione. *Accedit*, quòd non ſit ratio attribuendi viſioni ejuſmodi prædicatum, ut ſit formalis ſanctificatio, filiatio, &c. Sicut nec attribuitur id ipſum amori beatifico; cùm viſio & amor ſint actus potentiarum animæ ab ea eliciti: ſanctificatio autem qualitas permanens: ùt patet in Gratia.

§. II.

Statuitur Concluſio.

Dico. Cum viſione DEI in alia Providentia, in qua ſe haberet pro ſigno ſequente, ſtare poteſt potentia proxima peccandi tam impeditiva viſionis: quàm etiam deſtructiva: non tamen ipſum peccatum actuale.

Probatur 1. *pars.* Imponat DEUS Petro præceptum eliciendi actum amoris: & promittat in eodem inſtanti, quo elicuerit amorem, daturum ſe ei in præmium viſionem ſui. In hoc caſu Petrus haberet potentiam eliciendi talem actum, vel illum omittendi. Demus jam, quòd eliciat talem

actum, & obtineat visionem in præmium: utique potentia proxima peccandi componeretur in eodem instanti cum DEI visione; nam potentia ad ponendum liberè actum amoris est potentia ad omittendum, adeoque ad peccandum: sed potentia ad peccandum componitur eodem instanti cum actu præcepto. Ergo etiam componitur cum visione DEI, quæ ad actum præceptum eodem instanti subsequitur. Nec certè video, nisi arbitrariè dici posse, cur DEUS actum præceptum præmiare eodem instanti non possit, quo actus ille elicitur.

Prob. 2. *pars.* Potest DEUS habenti jam in instanti *A.* visionem DEI, in alia Providentia imponere præceptum ad aliquem actum in instanti *B.* liberè eliciendum, ita quidem, ut ad ponendum ejusmodi actum ille non dirigeretur à visione, verùm ab alia cognitione abstractiva proponente indifferenter objectum: sed in hoc casu, si Petrus eliceret actum, daretur potentia proxima ad peccandum: & quidem peccato visionis destructivo. Ergo in eodem instanti daretur & potentia peccandi, & visio DEI. *Major prob.* Si quid obstaret, quo minùs tale præceptum posset videnti DEUM imponi liberè implendum, esset hoc, quòd videns DEUM necessitetur ad amorem, ac per consequens ad præceptum implendum: sed hoc non obstat. Ergo. *Minor. prob.* Licèt videns DEUM necessitetur antecedenter ad amandum, & ad non peccandum, si hæc visio dirigat operantem, & præluceat pro signo priori: non tamen necessitat antecedenter, si non dirigat, & simul se habeat pro signo posteriori: sed in nostro casu ita se haberet. Ergo. *Minor* patet ex hypothesi assumpta. *Major* verò *prob.* Non potest visio antecedenter necessitare ad actum secundum: hoc est, ad non peccandum, si ipsa non præluceat ante actum secundum: sed in dato casu non præluceret antecedenter ad actum secundum: nimirum ante actum præceptum, in cujus præmium conservaretur visio. Ergo. Quare visio solummodo liberè per observantiam præcepti conservata necessitaret postea consequenter ad amorem eliciendum. Ex quibus apparet, quòd, si tunc eliciat actum præceptum, potentiam amittendi visionem, adeoque etiam potentiam peccandi, conjunget cum visione DEI.

Solùm in eo restat difficultas: An habens visionem DEI in instanti *A.* possit pro instanti *B.* antecedenter præscindere ab eadem visione, & dirigi solùm à cognitione abstractiva ad actū præceptum eliciendum: quod tamen hic supponi potius debet, quàm probari, ut præsens quæstio locum habeat. Cæterùm potest etiam id congruis exemplis comprobari.

Nam 1. Probabilis est valde sententia docentium, quòd Christus liberè elicuerit amorem Æterni Patris: & quòd per hunc amorem meritus fuerit, & satisfecerit pro genere humano acceptando mortem tanquam placitam Æterno Patri. Ergo ad hunc amorem directus fuit ab alia cognitione abstractiva: non verò à visione beata, quam semper habuit: utpote simul Viator & Comprehensor. Nam si fuisset directus à visione beata, non elicuisset liberè amorem; fuisset enim ad illam necessitatus. Idem ergo fieri potest etiam in alio intellectu.

2. Quando elicimus actum aliquem liberè, consequenter ad talem actum habemus evidentem cognitionem de illius existentia: & tamen pro priori habuimus cognitionem de illius existentia indifferentem. Sicut ergo possunt componi simul hæ duæ cognitiones de eodem objecto pro diversis signis, ita non videtur ratio, cur non possint componi cognitio indifferens abstractiva dirigens ad liberè eliciendum actum, & visio DEI necessitans ad amorem. Proinde in hac hypothesi in primo signo daretur cognitio abstractiva indifferens, ut conjungatur cum actu præcepto, vel omissione illius: in secundo daretur visio DEI: in tertio amor.

Prob. 3. *pars Conclusionis.* Cum peccato actuali nequit componi visio, sive se habeat antecedenter, sive consequenter ad actum secundum; necessitat enim ad amorem DEI: sed cum necessitate ad amandum DEUM nequit componi peccatum pro eodem

dem instanti; quia oppositas tendentias voluntas eodem instanti habere nequit, ne quidem pro diversis signis: sicut nequit habere amorem & odium ejusdem objecti. *Accedit*, quòd repugnet odisse summum bonum pro eo instanti, pro quo videtur prout est in se: per peccatum autem actuale odio haberetur DEUS saltem virtualiter. Nequit ergo cum visione componi peccatum.

Quod tamen de peccato actuali intelligendum est; nam cum peccato habituali potest pro eodem instanti componi amor actualis DEI; Charitas enim perfecta non justificat, nisi tantùm vi modernæ Providentiæ, in qua DEUS amanti promisit Gratiam Sanctificantem. Præterea visio DEI non habet prædicata Metaphysicè opposita peccato habituali; ùt patet ex *Propositione quinta*. Igitur non video, cur de absoluta DEI potentia componi hæc non possint. Illud certum est, talem visionem cum peccato habituali compositam non fore beatificam; quia per illam videret se homo esse objectum odii Divini: talis autem visio nequit beatificare; non enim excluderet dolorem & anxietatem de malo proprio omnium maximo: qui dolor utique pugnat cum Statu beato.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Visio DEI necessitat ad amorem DEI: sed necessitas ad DEI amorem exclu dit potentiam ad peccandum; quia excludit *indifferentiam* ad non amandum. Ergo visio DEI excludit hanc potentiam.

Confirmatur à pari. Prædeterminatio Physica ad amandum, quia est necessitas ad amandum, excludit potentiam proximam ad peccandum. Ergo pariter visio DEI excludit.

Resp. Dist. maj. Visio DEI necessitat ad amorem DEI vel antecedenter vel consequenter ad actum secundum. *conc. maj.* semper antecedenter. *neg. maj. Dist.* etiam *min.* Sed necessitas ad amorem antecedens ad actumsecundum,excludit potentiam peccandi. *conc. min.* consequens ad actum secundum. *neg. min.* & *conseq.* Itaque si visio se habeat pro signo priore ad actum præceptum, rectè probat argumentum, quòd excludat potentiam peccandi; tunc enim est necessitas antecedens ad amorem: si verò visio consequatur ad actum liberè à creatura positum, tunc erit necessitas ad amorem consequens ad exercitium libertatis: at talis necessitas non excludit potentiam peccandi: utpote cùm eam præsupponat.

Resp. Similiter *ad paritatem.* Nam si Prædeterminatio physica ad amandum daretur alicui dependenter ab ipsius merito & observatione præcepti, non excluderet potentiam peccandi antecedentem: licèt excludat tunc, quando datur independenter ab exercitio libertatis: utpote actus primi constitutiva. Quare etiam DEUS non potest dicere: *Petre si in instanti A. elicueris actum Fidei præceptum, prædeterminabo te ad eliciendum eo instanti actum Charitatis.*

Dices. Actum primum proximum constituit etiam carentia impedimenti ad peccandum: sed necessitas amandi est impedimentum peccandi. Ergo carentia hujus necessitatis constituit actum primum. Atqui carentia necessitatis ad amandum nequit componi cum visione; hæc enim est necessitas ad amandum. Ergo.

Resp. Carentiam impedimenti inauferibilis per actum secundum constituere actum primum proximum: non verò si sit impedimentum auferibile per actum secundum. Jam verò in nostro casu necessitas ad amorem est ejusmodi impedimentum, quod per actum secundum auferri potest; si enim creatura omitteret actum præceptum, peccaret: & peccando excluderet visionem DEI, ac per consequens etiam necessitatem ad amandum.

At dices. Contradictio nequit salvari per solam diversitatem signorum: sed esse indifferentem ad amandum: & esse necessitatum ad amandum, sunt contradictoria. Ergo per solam diversitatem signorum expediri ista à contradictione non possunt: secus eodem jure dicam pro diversis signis posse dari simul in eodem instanti odium & amo-

rem ejusdem objecti: assensum & dissensum: quæ inter se oppositionem metaphysicam habent.

Resp. Conc. maj. Nego min. Indifferentia enim ad actum secundum: & determinatio ad unam partem adeò sibi non opponuntur, si sint pro diversis signis, ut ista necessariò intervenire debeant in omni exercitio libertatis. Etenim causa libera illa est, quæ habitis omnibus ad agendum requisitis potest agere, vel non agere: actus verò secundus exercitii libertatis est ipsa determinatio ad alterutram partem: quæ duo necessariò interveniunt in omni libertatis exercitio pro eodem instanti, licèt pro signis diversis. Jam in casu nostro indifferentia ad amandum est indifferentia ad ponendum actum præceptum, in cujus præmium daretur, vel conservaretur visio, quæ est necessitas ad amandum. Sicut proinde indifferentia ad actum præceptum non opponitur pro eodem instanti cum determinatione ad actum præceptum, ita neque cum visione & necessitate ad amandum. Sed de libertate indifferentiæ plura alibi.

Obj. 2. Visio DEI determinat intellectum & quidem necessariò ad judicium contradictoriè oppositum illi judicio, quod constituere debet actum primum proximum ad peccandum. Ergo visio ne quidem pro diversis signis conjungi in eodem instanti potest cum potentia ad peccandum. *Conseq.* patet. Quia signorum diversitas juxta omnes non tollit contradictionem. *Ant. prob.* Visio DEI determinat ad hoc judicium, & quidem evidens: *Nulla creatura est præferibilis DEO.* Ad peccandum verò requiritur hoc judicium: *Aliqua creatura est præferibilis DEO.* Sed hæc duo judicia opponuntur contradictoriè. Ergo. *Minor* est evidens. *Major* videtur certa; etenim videns DEUM infinities meliorem omnibus creaturis, sicut non potest non amare super omnia; ita non potest non determinari ad dictum judicium. Similiter ad peccandum necessarium est alterum judicium; quia non potest actu præferri unum bonum alteri, nisi judicetur vel formaliter, vel virtualiter ob aliquam rationem esse præferibile.

Ad hoc argumentum, quod est præcipuum fundamentum oppositæ Sententiæ, variæ sunt responsiones. Alii dicunt, non requiri prædicta judicia ad operandum: sed satis esse, quòd apprehendatur aliqua ratio boni in peccato, quæ sit apta movere voluntatem ad sui volitionem. Verùm negari nequit saltem ex parte actus primi, dum repræsentatur ratio boni in peccato, posse formari tale judicium, licèt absolutè illud non requiratur: quo habito, jam ob contradictionem non posset sequi alterum illud judicium: *Nulla creatura est præferibilis DEO*: quod tamen videtur necessariò secuturum ad DEI visionem: adeoque saltem pro illo casu potentia peccandi non poterit componi cum visione.

Alii dicunt, judicia dicta non esse opposita; quia unum sic tendit: *Nulla creatura prudenter est DEO præferibilis.* Alterum autem non restringit hoc modo enunciationem, sed simpliciter dicit: *Creatura aliqua est DEO præferibilis*: præscindendo an prudenter an verò imprudenter. Verùm nec hæc responsio videtur plenè satisfacere; quia posset contingere, ut peccator judicet se prudenter agere, adeoque ut habeat hoc judicium: *Aliqua creatura prudenter est DEO præferibilis.*

Resp. Igitur ad *Obj.* & *Dico* conformiter ad *Propositionem secundam* potentiam proximam peccandi non constitui per hoc judicium absolutum & non restrictum: *Aliqua creatura est præferibilis DEO.* Quin imo nec posse haberi tale judicium non restrictum; haberet enim hanc tendentiam: *Bonum limitatum simpliciter meretur anteferri Bono illimitato & Infinito.* Quod judicium, utpote insipiens, cadere nequit in hominem ratione utentem. Solùm igitur haberi potest hoc judicium: *Aliqua creatura vi eorum, quæ hic & nunc occurrunt, apparet DEO præferibilis.* Quod judicium non opponitur contradictoriè huic judicio: *Nulla creatura est præferibilis DEO.*

Dico 1. Visio clara DEI determinat ad hoc judicium: *Nulla creatura vi ullius moviri*

tivi eſt præferibilis DEO. Sed hoc eſt contradictoriè oppoſitum priori judicio, quod diceret, vi aliquorum motivorum apparere creaturam DEO præferibilem. Ergo.

Reſp. Conc. maj. Neg. min. Nam falſum eſt, quòd pro illo ſigno, pro quo nondum relucet viſio clara DEI, non poſſit apparere aliqua creatura vi aliquorum motivorum DEO præferibilis: nam aliàs nullus peccare poſſet: adeoque nor poteſt alterum judicium habere ſimilem tendentiam: *Nulla creatura vi ullorum motivorum, etiam prout relucentium in ſigno primo, apparet DEO præferibilis*: quod tamen neceſſarium foret ad hoc, ut dicta judicia contradictoriè opponantur.

Dices 2. Non poteſt pro eodem ſigno apparere aliqua creatura præferibilis DEO: & ſimul apprehendi DEUS tanquam omni creaturæ præferibilis: nec prædicta judicia pro eodem ſigno haberi queunt. Ergo neque pro diverſis; quia ſignorum diverſitas oppoſitionem non tollit.

Reſp. Conc. ant. Neg. conſeq. Ratio negandi eſt, quia licèt contradictionem propriè talem non tollat diverſitas ſignorum, tamen non omnia quæ conjungi poſſunt pro diverſis ſignis ejusdem inſtantis, conjungi etiam poſſunt in eodem ſigno: ſecus ad quid eſſet ſignorum diſcretio. Sic voluntas eſt indifferens in primo ſigno ad peccandum, non eſt verò indifferens in ſigno, quo jam ſe determinavit ad peccandum in eodem inſtanti: & tamen nequit eſſe indifferens ſimul & determinata pro eodem ſigno. Sic etiam in primo ſigno apparet homo ſibi ipſi eſſe indifferens ad peccandum & in ſequenti apparet, quin imo certò ſcitur eſſe determinatus ad alterutram partem contradictionis: & tamen pro eodem ſigno has duas apparentias habere nequit. Denique poteſt aliquis in primo ſigno indifferentiæ videri ſibi tanquam probabiliùs ob bonam animi diſpoſitionem, obſervaturus præceptum: & tamen liberè illud tranſgredi: quod pro eodem ſigno haberi nequit. Ergo ſimiliter in caſu noſtro dicendum.

Diſparitas proinde in eo eſt, quòd viſio exiſtens in primo ſigno elidat vim motivam cujuſque alterius rei in contrarium occurentis, quæ ad peccandum alliceret; cùm ipſa neceſſitet ad amorem. Contra verò ſi ſit in ſigno ſequente, in primo ſigno præſcinditur à viſione: conſequenter motivum tunc prælucens & alliciens ad peccatum habet adhuc vim movendi; non enim poteſt retrahere à peccando viſio, quando ipſa nondum relucet: ſed in primo ſigno nondum relucet: adeoque voluntas adhuc eſt indifferens ad peccandum, & poteſt pro illo ſigno intellectui apparere bonitas aliqua in objecto creato, etſi falsò apprehenſa, vi cujus appareat illa DEO hic & nunc præferibilis, & præferenda judicetur.

Obj. 3. Fieri nequit, ut videns DEUM intuitivè in uno inſtanti, non amet DEUM etiam pro inſtanti ſequente. Ergo potentia proxima peccandi, ſaltem viſionis deſtructiva, nequit componi cum viſione. *Ant. prob.* Viſio DEI repræſentat DEUM tanquam objectum ſummè amabile non ſolùm pro uno inſtanti, verùm etiam pro alio. Ergo ſicut determinat ad amandum DEUM pro uno inſtanti, ita etiam pro ſequente.

Accedit, quòd non videatur poſſe intellectus præſcindere in ſequenti inſtanti à viſione, quæ pro priori relucebat; quia cognitio, quamdiu exiſtit in intellectu, tamdiu intellectus non præſcindit ab illa: ſed viſio eſt cognitio, eaque exiſtit in inſtante priore, & exiſtit etiam in ſequente, ſi præceptum obſervetur. Ergo in priore ſigno hujus alterius inſtantis nequit ab ea præſcindi.

Reſp. Argumentum hoc nimium probare; nam probaret etiam, quòd viſio habita in inſtanti *A.* neceſſitaret ad amandum pro omnibus reliquis inſtantibus, tametſi ipſa non exiſtat: ùt apparebit accommodanti *Objectionem.* Viſio igitur DEI tunc ſolùm neceſſitat ad amorem, quando ipſa actu relucet & proponit bonitatem objecti: non verò, quando ſic *non* proponit. Sicut cognitio abſtractiva tunc ſolùm movet ad amorem alicujus objecti, quando ipſa eſt, & pro illo

illo instanti, non verò pro sequentibus; quia nil volitum, nisi actu cognitum.

Ad id, quod additur. *Neg. ant.* prout patet manifestè ab exemplis supra adductis: Visione nimirum Christi, & cognitione evidente experimentali, quam habemus de nostris actibus liberis: à qua præscinditur pro signo priore, tametsi illa in instanti antecedente jam exstiterit.

Cæterùm totum hoc argumentum ad summum probat, quòd videns DEUM connaturaliter non possit desinere ab amore, & peccare, eò quòd visio DEI connaturaliter habeat se pro signo primo, & quòd connaturaliter necessitet ad amandum etiam pro instanti immediatè sequenti. Interim saltem de absoluta DEI potentia fieri potest, ut visio non sic se habeat, verùm in illius locum detur à DEO cognitio abstractiva ad observantiam præcepti dirigens. Imo potest fieri, ut ad visionem non sequatur amor, negante DEO concursum ad amorem.

Si autem Dicas, non posse DEUM patrare miraculum eo fine, ut creatura habeat potentiam peccandi.

Resp. DEUM non eo fine patraturum miraculum: verùm eo fine, ut creatura habeat potentiam merendi per observantiam præcepti gravis: ut sic dependenter à proprio merito conservet visionem DEI: quæ potentia merendi erit eo ipso etiam potentia non merendi, adeoque peccandi.

Inst. 1. Ex dictis sequeretur, quòd visio DEI non magis opponatur cum potentia peccandi, quàm Gratia Sanctificans. sed hoc videtur inconveniens: ut videlicet creatura habens visionem DEI perinde sit peccato obnoxia, quàm si eam non haberet.

Accedit, quòd videatur incongruum dicere, quòd actualis amicitia & familiaritas cum DEO, quæ habetur præcipue per visionem, non magis, imo minus opponatur potentiæ peccandi & peccato, quàm jus ad amorem: quale est Gratia Sanctificans. Ergo.

Resp. Si visio perinde se habeat pro signo sequente ad liberum exercitium ac Gratia Sanctificans, nil est incongruum dicere, quòd non magis opponatur potentiæ peccandi, quàm Gratia Sanctificans: ùt patet ex rationibus adductis. Interim quia visio connaturaliter loquendo prælucet ad operationes creaturæ habentis visionem, idcirco per se magis opponitur potentiæ peccandi, quàm Gratia, quæ non præcedit hoc modo actum secundum.

Ad id, quod additur, *Dico*, in hoc nullum esse inconveniens; quia actualis possessio non est ipsum formale jus possidendi, nec visio est formalis amicitia; neque enim est ullum fundamentum attribuendi visioni DEI ejusmodi prædicatum, quod est proprium Gratiæ Sanctificanti: aliàs idem prædicatum conveniet etiam actuali amori Divino, qui amor non minùs est aliqua DEI possessio, & actus juxta quosdam nobilior, quàm ipsa visio: sed hoc de actuali amore non admittitur. Ergo nec de visione admitti debet.

Inst. 2. Possibilis est visio DEI ejusmodi, ut excludat omnem potentiam peccandi & ipsum peccatum. Ergo cùm omnis visio intuitiva DEI sit ejusdem naturæ, & differant solùm secundùm majorem vel minorem claritatem & extensionem, dicendum, quòd omnis visio DEI excludat potentiam peccandi.

Resp. Non est possibilis talis visio, quam DEUS non possit dare in præmium observati præcepti; foret enim id contra rationem Divini Dominii: haberet videlicet aliquod donum singulare, quod in præmium observati præcepti conferre non possit. Jam verò si potest illud dare in præmium observati præcepti, eo ipso hoc donum seu visio non opponitur potentiæ peccandi: sive potentiæ merendi tale præmium per observationem præcepti pro eodem instanti, quo observatur præceptum. Unde infertur denique, non esse possibilem talem visionem, quæ tenens se pro signo subsequo, & consequenter ad liberum exercitium excludat potentiam peccandi ex priore signo: sicut neque excludit talem potentiam Gratia Sanctificans, tametsi essentialiter opposita peccato.

ARTI-

ARTICULUS III.

An Beati comprehendant DEUM per Visionem?

§. I.

Notandæ.

Cùm dictum sit Beatos per visionem intuitivam videre in DEO omnia prædicata tam Relativa, quàm Absoluta, idque clarè, distinctè, & prout in se sunt, non absre movetur quæstio: An talis visio sit comprehensiva DEI. Imo an sit possibilis talis visio, quæ sit DEI comprehensiva. Nam ex una parte id videtur sequi ex natura cognitionis omnia in DEO repræsentantis: & ex quibusdam Scripturæ textibus comprehendi à Beatis DEUM affirmantibus. Ex altera verò parte videtur hoc repugnare intellectui limitato & finito, effeque proprium beatitudinis Divinæ, ut se ipsum DEUS comprehendat. Nec desunt Scripturæ textus id pluribus in locis affirmantes.

Divus Thomas p. 1. quæst. 12. art. 7. directè propugnat nec comprehendi DEUM à Beatis: nec possibilem esse visionem, vi cujus DEUS comprehendatur. Cujus Rationem hanc dat, quòd comprehendere objectum, est illud tantum cognoscere, quantum objectum est cognoscibile: sed DEUS est infinitè cognoscibilis. Ergo comprehendere DEUM foret infinitè eum cognoscere. Jam verò nulla creatura potest DEUM infinitè cognoscere.

Idem rursus ita probat. Finitus intellectus nequit producere cognitionem infinitam, nisi elevetur per Lumen infinitum ad sic cognoscendum: sed elevari per Lumen infinitum non potest intellectus Beati; quia non est possibile Lumen infinitum. Hic tamen discursus non videtur quibusdam rem planè evincere; nam saltem in sententia admittentium infinitum non repugnat absolutè loquendo Lumen infinitum. Deinde judicant quidam cognitionem illam, quæ repræsentaret in DEO tam formaliter, quàm eminenter contenta, non eo ipso debere esse infinitam. Et demum saltem hypothetice potest formari quæstio: An, si intellectus Beati cognosceret in DEO omnia tam formaliter quàm eminenter contenta, comprehenderet DEUM.

Observa autem, comprehensionem summi posse *in sensu proprio*, vel *improprio*; nam in utroque sæpius à Scriptura usurpatur. In sensu improprio comprehendi, seu teneri & possideri objectum dicitur, quando id cognoscitur quidem per cognitionem evidentem, sed quæ vel extensiva tantùm sit, vel tantùm intensiva. Comprehensio extensiva est cognitio extendens se ad omnes terminos objecti comprehensi, ad quos tale objectum refertur. Comprehensio intensiva est cognitio tanta claritate repræsentans objectum, quantam exigit ipsius cognoscibilitas, licèt non se extendat ad omnes illius terminos clarè repræsentandos. Quod si autem habeatur cognitio objecti comprehensiva tam extensiva quàm intensiva, tum verò objectum dicitur in sensu proprio comprehendi. Interim quia de comprehensione propriè tali, & de cognitione ad omnia in objecto se extendente difficilia quædam occurunt, præmitto sequentia.

Propositio 1. Potest videri DEUS intuitivè prout est secundùm sua prædicata absoluta, tametsi non cognoscantur omnes res clarè & distinctè, ad quas DEUS refertur, & quas eminenter in se continet. *Ostenditur.* Prædicata DEI absoluta habent suum esse absolutum etiam independenter à relatione ad terminos extrinsecos. Ergo etiam habent cognoscibilitatem suam diversam ab illa, quæ ipsis convenit prout dicentibus respectum ad terminos extrinsecos. *Ant.* patet. Secus enim non forent prædicata absoluta. *Consq.* etiam est certa. Quia cognoscibilitas est passio entis. Quod si autem habent cognoscibilitatem, possunt sic cognosci; si enim possunt terminare cognitionem secundùm hoc suum esse absolutum, possibilis etiam erit cognitio saltem Divinitus, quæ ita tendat in illa prædicata.

Neque hic paritas valet à cognitione abstractiva, vi cujus non aliter possumus cognoscere res, quàm cum respectu ad terminos

minos extrinsecos; per hanc enim non videmus res prout sunt in se: adeoque necessarium est apprehendere terminos, cum quibus res cognita quodammodo comparatur. Declarari id potest à pari. Nam potest objectum aliquod comprehendi, tamet si non comprehendantur termini, ad quos res illa refertur: secus Angeli non possent comprehendere creaturas se inferiores, quin comprehendant DEUM, ad quem res illæ referuntur: quem tamen non posse comprehendere docetur communiter.

Deinde cognitio evidens naturalis, uti & intuitiva, potest repræsentare objectum, quin intuitivè, aut evidenter videantur termini, ad quos res talis refertur; aliàs non posset ab Angelo naturaliter intuitivè cognosci e. g. Sol, quin cognoscatur intuitivè DEUS: cùm tamen naturaliter hoc modo cognosci ab Angelo non possit. Ergo etiam potest intuitivè videri DEUS, ejusque attributa absoluta, quin clarè omnes termini cognoscantur. Dixi: *quin clarè cognoscantur*; nam sub conceptu aliquo confuso necessarium est illos videri; vix enim potest videri e. g. Omnipotentia productiva possibilium, quin apprehendantur aliquomodo res possibiles.

Propositio 2. Cognitio repræsentans objecta infinita non eo ipso est infinita in se subjectivè: sed tantùm terminativè. *Ostenditur* 1. Cognitio abstractiva repræsentans naturam omnium hominum, in aliquo sensu terminatur ad omnes homines: nec tamen est propterea infinita subjectivè.

2. Visio intuitiva DEI licèt terminaretur tantùm ad aliquod prædicatum absolutum, e. g. Omnipotentiam, tamen repræsentaret objectum infinitum; quia Omnipotentia, etiam ùt ab aliis prædicatis præcisa, est perfectio infinita, eamque ùt est in se representat: nec tamen talis visio est infinita.

3. Perfectio cognitionis, atque adeo etiam infinita ipsius perfectio non tam desumitur ab objecto repræsentato, quàm à modo repræsentandi objectū. Ergo tametsi objecta infinita repræsententur per cognitionem etiam clarè, si tamen repræsententur claritate solùm finita, cognitio non erit infinita. *Ant.* patet tum exemplis adductis, tum etiam *Ratione.* Quia illa cognitio non est infinita subjectivè quoad entitativam suam perfectionem, cui aliquid deest ad perfectionem, & addi aliquid potest: sed cognitioni, quæ se extenderet ad infinita etiam objecta, si non repræsenter illa modo & claritate infinita, addi aliquid ad entitativam perfectionem potest: videlicet major semper claritas in repræsentando. Ergo non est ex eo præcisè infinita subjectivè, quòd se extendat ad objecta infinita. Contra verò si aliqua cognitio repræsentaret objectum etiam unum infinita claritate, talis cognitio esset subjectivè infinita; quia cognitioni illi in ratione hujus determinatæ repræsentationis nil ad perfectionem addi posset. Proinde infinitudo perfectionis in cognitione potius videtur desumenda à modo repræsentandi, quàm à numero objectorum repræsentatorum.

Difficile tamen est, quod contrà opponi potest argumentum, ùt vocant, calculatorium. Cognitio, inquiunt, clara, quæ repræsentat tria e. g. objecta specie diversa, est perfectior, quàm cognitio, quæ simili claritate repræsentat unum tantùm objectum. Similiter cognitio repræsentans objecta sex perfectior est, quàm quæ repræsentat tria: & sic semper procedendo. Ergo cognitio clara repræsentans objecta infinita, vel etiam objectum infinitum est infinitæ perfectionis. Deinde cognitio repræsentans clarè objecta infinita æquivalet cognitionibus numero infinitis, quarum quævis repræsentaret unum aut alterum objectum. Ergo sicut omnes illæ cognitiones, si darentur, facerent infinitum in numero, ita una illis æquivalens erit infinita in perfectione.

Hoc argumentum in speciem difficile manifestas patitur retorsiones. Nam Angelus e. g. vel Homo est perfectior, quàm sint infinitæ species, quas DEUS producere potest, quarum una esset altera imperfectior; sicut enim DEUS potest producere perfectiorem semper speciem, ita etiam potest imperfectiorem: nec tamen propterea Angelus vel Homo infinitæ est perfectionis. Præterea suppositā possibilitate infiniti si DEUS omnes

ilias

illas ſpecies produceret, Homo vel Angelus ſuperaret totam illam collectionem in perfectione: nec tamen eſſet infinitus. Ergo idem de cognitione repræſentante objecta infinita, vel objectum infinitum dici debet.

Directè verò *Reſp.* poteſt. *Diſt. ant.* Eſt perfectior, id eſt ſpeciei altioris ordinis. *conc. ant.* Eſt perfectior, *id eſt* tot gradus perfectionis formaliter in ſe continet, quot ſunt cognitiones poſſibiles, quas excedit. *neg. ant.* Sicut enim Angelus *non* continet in ſe formaliter illas ſpecies, quas ſuperat in perfectione, ſic nec illa cognitio alias. Et ſicut Angelus *non* eſt infinitus; quia poteſt dari alia creatura perfectior, ita nec cognitio infinita repræſentans; quia poteſt dari alia, quæ clariùs repræſentet eadem objecta. Verùm quia hoc forſan in dubium vocari poteſt, idcirco ſit

Propoſitio 3. Una cognitio poteſt alteram in claritate ſuperare, tametſi non plura objecta repræſentet quàm altera. *Oſtenditur.* Certum eſt, quòd una cognitio ejusdem objecti poſſit eſſe clarior quàm altera: ſic clariùs cognoſcit objecta Angelus quàm Homo, etiam ea, quæ homo evidenter cognoſcit: & DEUS clariùs quàm Angelus: ſed non eſt cognitio clarior ex eo præcisè, quòd una ad plura connotata & terminos objectum referat quàm altera. Ergo eſt clarior in intenſione claritatis ejusdem prorſus objecti. *Prob. min.* Præcisè repræſentare objectum illud, ad plura connotata & terminos referendo, non facit, quòd clariùs repræſentetur objectum. Ergo clariùs repræſentare dicit aliquid plus, quàm præcisè referre ad plura connotata. *Prob ant.* Qui probabili tantum cognitione repræſentat objectum, referendo illud ad plura connotata, non cognoſcit tam clarè objectum, quàm qui evidenti cognitione idem objectum repræſentat, referendo illud ad pauciora connotata. Similiter, qui cognitione evidenti, ſed abſtractiva, repræſentaret objectum, referendo illud ad plura connotata, non repræſentaret illud tam clarè, quàm qui cognitione intuitiva illud cognoſceret, referendo ad pauciora connotata Ergo clariùs cognoſcere, non eſt præcisè referre objectum ad plura connotata: licèt, cæteris paribus, verum ſit clariùs cognoſci objectum, quando illud ad plures terminos refertur.

Confirmatur ex Principiis Fidei. Certum eſt, quòd unus Beatus ſit altero magis beatus juxta proportionem meritorum: ſed non eſt magis beatus ex eo, quòd plura in DEO videat; quivis enim Beatus juxta dicta videt in DEO prædicata tam abſoluta, quàm relativa. Ergo eſt Beatus ex eo, quòd clariùs videat per intenſionem majorem claritatis.

Nec dic, quòd, qui beatior eſt, videat DEUM referendo ad plures terminos extrinſecos; Nam beatitudo eſſentialis nequit conſtitui, etiam partialiter, in cognitione creaturarum: ſed tantùm in viſione DEI. Ergo ideo videt clariùs, eſtque beatior, quia intenſiore viſione DEUM cognoſcit.

Propoſitio 4. Comprehendere objectum comprehenſione propriè tali eſt adæquare cognoſcibilitatem illius, ſive eſt tanta claritate repræſentare, & tanta extenſione, quanta ſe ipſum illud objectum cognoſceret, ſi eſſet cognoſcitivum. *Oſtenditur.* Debet aſſignari aliquod diſcrimen inter cognitionem ſtrictè comprehenſivã, & non comprehenſivã: ſed hoc diſcrimen aliud eſſe non poteſt quàm prædictũ. Ergo. *Prob.min.* Hoc diſcrimen non poteſt in eo conſtitui, quòd cognitio comprehenſiva referat objectum ad omnia connotata, ad quæ illud eſt referibile; quia hoc poteſt fieri etiam per cognitionem ſolùm obſcuram, vel probabilem, vel abſtractivam: & tunc certum eſt, quòd talis cognitio non ſit futura comprehenſiva. Nec dici poteſt diſcrimen hoc in eo poſitum, quòd cognitio comprehenſiva repreſentet objectum claritate omnium maxima; nam Angelus e. g. poteſt comprehendere objectum ſe inferius, quin tamen poſſit illud repræſentare claritate omnium maxima; nam Angelus ſuperior vel DEUS clariùs adhuc poſſunt cognoſcere. Non denique poteſt in eo conſiſtere, quòd cognoſcatur objectum ſimul & claritate maxima, & referendo ad omnes terminos; nam ex hoc ſequeretur, nullam creaturam ſed ſolum DEUM poſſe compre-

hendere quamcunque infimam speciem Ergo comprehendere est præcisè adæquare cognoscibilitatem objecti, id est tantum illud cognoscere, quantum cognosci meretur, & quantum se ipsum cognosceret, si esset cognoscitivum: sive ut cognitio tam sit perfecta in repræsentando, quàm est objectum in sua entitate.

§. II.

Statuitur Conclusio.

Dico. Beati nec comprehendunt DEUM: nec comprehenderent, tametsi viderent omnia in DEO tam formaliter, quàm eminenter contenta: hoc est tam omnes perfectiones DEI, quàm omnia possibilia, ad quæ DEUS refertur.

Prob. 1. *pars.* 1. Ex Scriptura, in qua DEUS sæpe dicitur incomprehensibilis, idque tanquam peculiare aliquid DEO tribuitur, ùt Job. 11. *Forsitan vestigia DEI comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentiam reperies?* Et cap. 35. *Ecce DEUS magnus, vincens scientiam nostram.* Jerem. 32. *Fortissime, magne, & potens, Dominus exercituum nomen tibi. Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Rom. 11. *Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* 1. ad Timoth. 6. *Lucem habitas inaccessibilem.*

2. Ex Concil. Lateran. IV. Cap. *Firmiter.* de Summa Trinitate. *Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quòd unus solus est verus DEUS, æternus, & immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus.* Ubi Concil. eodem modo & tenore verborum definit DEUM esse incomprehensibilem, quo incommutabilem, adeoque simpliciter omnino incomprehensibilem. Et Concil. Basileense. ann. 1435. proscripsit propositionem Augustini de Roma, qua dixerat, *Animam Christi videre DEUM tam clarè & intensè, quàm clarè, & intensè DEUS videt se ipsum.*

3. Ex Patribus docentibus DEUM neque in Via, neque in Patria ab ulla creatura comprehendi posse. S. Cyrillus Hierosol. Catechesi 6. *Quid igitur*, ait *dicet aliquis: Nonne scriptum est, quòd Angeli cœlorum vident semper faciem Patris mei, qui in cœlis est? At vident Angeli, non sicut DEUS est, sed quatenus ipsi capere possunt .... Vident igitur Angeli quantùm capaces sunt, & Archangeli possunt: Throni & Dominationes plus quàm illi primi: minùs tamen, quàm Majestas illa mereatur.* S. Joannes Damasc. lib. 1. orthod. fidei cap. 1. *DEUS*, inquit, *nec oratione ulla explicari, nec ullo modo comprehendi potest.* S. Augustin. epist. 112. *Non DEI plenitudinem quisquam non solùm oculis corporis, sed vel ipsa mente aliquando comprehendit.* Et Serm. 117. aliàs 38. de verbis Domini cap. 3. *Attingere*, inquit, *aliquantùm mente magna beatitudo est: comprehendere autem omnino impossibile.*

4. Ratione. DEUS non comprehenditur, nisi videantur omnia in DEO cum relatione ad omnes res possibiles: adeoque nisi videantur clarè res omnes possibiles: sed sic DEUS non videtur à Beatis; non enim est ratio ulla attribuendi Beatis talem visionem, quæ se ad omnia possibilia extendat: siquidem potest dari visio intuitiva absque eo, ut terminetur ad res possibiles clarè repræsentandas, ùt patet ex *Propositione* 1. Præterea videre res possibiles non pertinet ad ipsorum beatitudinem: estque in arbitrio DEI plura, vel pauciora objecta à se distincta iisdem communicare. Hinc Beati licèt videant ea, quæ ad accidentalem illorum beatitudinem pertinent, non tamen vident omnia, quæ DEUS facit, aut facturus est, aut facere potest, ùt passim docent Patres & Theologi.

Prob. 2. *pars concluſ.* Si Beati viderent in DEO omnia tam formaliter, quàm eminenter contenta, hæc cognitio vel foret finita, vel verò infinita: quidquid dicatur, Beati per talem cognitionem non comprehenderent DEUM. Ergo. *Minor. prob.* Si visio illa esset finita, eo ipso non foret comprehensiva; quia non adæquaret cognoscibilitatem objecti Divini, juxta *Propositionem* 4. Si verò esset infinita in intensione simul & extensione, quæro: An esset perinde

inde infinita in omni linea perfectionis ad cognitionem pertinentis prout est repræsentativa objecti, quàm est infinita cognitio DEI: vel non esset. Si *secundum (* ùt fortè dici posset in sententia eorum, qui admittunt unum infinitum materialiter majus altero possibile) rursus cognitio talis non est comprehensiva; cùm non adæquet cognoscibilitatem objecti: non enim erit tam perfecta in repræsentando, quàm DEUS in sua entitate, tametsi fortè in aliqua linea esset infinita.

Si verò *primum* dicatur, contra est, quòd repugnet creaturam habere cognitionem tam perfectam in omni genere perfectionis ad cognitionem pertinentis, quàm est cognitio Divina: 1. Quia cognoscere omnia & ipsum DEUM perfectissimè, tribuitur à Scriptura soli DEO. 2. Quia talis cognitio creata, quæ adæquaret Divinam in perfectione, quatenus est objecti repræsentativa, esset creatura in linea cognitionis perfectissima: quæ repugnat. 3. Quia cognoscere DEUM perfectissimè, est nobilissima DEI operatio: quæ proinde communicari nequit creaturæ: sicut nequit dari e. g. amor DEI creatus tam perfectus & intensus, quàm est amor, quo DEUS seipsum amat. Et sicut nequit cogitari creatura, quæ sit ex natura sua æterna, omnipotens, omnesque alias DEI perfectiones in se continens cum hoc solo discrimine, quòd in existendo dependeret à DEO, ita nequit dari talis cognitio creata, quæ perinde perfectissimè DEUM ac omnia repræsentet, sicut cognitio Divina.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. Authoritatem Scripturæ & Patrum. 1. ad Cor. 9. *Sic currite, ut comprehendatis.* Ad Ephes. 3. *Ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum.* S. Augustinus Epist. 112. *Aliud est videre: aliud est totum videndo comprehendere. Quandoquidem id videtur, quod præsens utcunque sentitur: totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut nil ejus lateat videntem, aut cujus fines circumspici possunt:* sed si videatur DEUS secundùm omnia tum formaliter, tum eminenter contenta, id verificatur. Ergo. S. Thomas p. 1. quæst. 12. art. 8. *Nullus*, inquit, *intellectus creatus videndo DEUM, potest cognoscere omnia, quæ DEUS facit, vel potest facere; hoc enim esset comprehendere ejus virtutem.* Ergo ex mente D. Thomæ si videretur DEUS secundùm omnia, comprehenderetur.

Resp. Textus Scripturæ loqui de comprehensione impropriè accepta, sive de consecutione & possessione DEI, ad quam hominibus per virtutem est connitendum. Ratio sic intelligendi sunt oppositi textus DEUM incomprehensibilem affirmantes. S. Augustinus & S. Thomas intelligi possunt de comprehensione solùm extensiva; nam ad perfectam comprehensionem juxta D. Thomam requiritur, ut tantum DEUS cognoscatur, quantum est cognoscibilis; sic enim cit. quæst. art. 7. ait: *Illud comprehenditur, quod perfectè cognoscitur: perfectè autem cognoscitur, quod tantum cognoscitur, quantum est cognoscibile.*

Obj. 2. Comprehendere objectum est adæquare illius cognoscibilitatē: sed cognitio clara DEI referens illum ad omnes terminos extrinsecos & intrinsecos est ejusmodi. Ergo. *Minor prob.* Tunc adæquatur cognoscibilitas alicujus objecti, quando nil amplius supereſt, quod cognoscatur in objecto: sed quando datur cognitio clara DEI referens illum ad omnes terminos extrinsecos & intrinsecos, nil amplius supereſt, quod cognoscatur in DEO. Ergo.

Confirmatur à pari. Si aliquod corpus ita in se contineat aliud corpus, ut nulla illius pars sit, quæ non contineatur, dicitur illud comprehendere. Ergo etiam cognitio, se extendens ad omnia in objecto, illud comprehendit.

Resp. Dist. maj. Adæquare illius cognoscibilitatem tam extensivam, quàm intensivam. *conc. maj.* Solùm extensivam. *neg. maj.* Ad *prob. min. Dist. maj.* Quando nil su-

pereſt in objecto, & neque poſſibilis eſt major claritas objecto proportionata. *conc. maj.* Quando eſt poſſibilis. *neg. maj. Diſtinctio* patet ex *Propoſitione* 2. & 3.

Ad paritat. Reſp. Non valere hic paritatem à rebus corporeis: utpote quibus comprehenſio in vulgari tantùm ſenſu convenit, eſtque alterius longe generis, quàm comprehenſio conveniens cognitioni: ùt patet ex definitione ejusdem; aliàs enim ſi ad comprehenſionem ſufficeret quomodocunque continere omnes terminos & omnia prædicata objecti, etiam cognitio probabilis, vel cognitio abſtractiva & obſcura extendens ſe ad omnes objecti terminos foret comprehenſiva.

Inſt. Si objectum ad plures terminos, ad quos eſt referibile, per cognitionem referatur, eo ipſo jam cognoſcitur clariùs, quàm ſi referatur ad pauciores terminos. Ergo ſi objectum cognoſcatur in ordine ad infinitos terminos tam intrinſecos, quàm extrinſecos, cognoſcetur infinita claritate. Sed ita cognoſcitur ab eo, qui videt in DEO omnia tam formaliter, quàm eminenter contenta. Ergo etiam cognoſcitur infinita claritate: atqui quando DEUS cognoſcitur cum relatione ad omnes terminos infinita claritate, comprehenditur. Ergo.

Confirmatur. paritate deſumpta à viſione oculari. Si oculus videat aliquas tantum objecti partes, obſcurè illud videt: quo autem plures partes, & ipſas partium particulas magis ab invicem diſcernit, eò clariùs videt. Ergo idem dicendum de cognitione.

Reſp. Diſt. maj. Cognoſcitur clariùs, id eſt majori extenſione claritatis illius, quæ prius fuerat. *conc. maj.* Cognoſcitur clariùs, id eſt majori intenſione claritatis. *neg. maj. Diſt. conſ.* Ergo ſi objectum cognoſcitur cum relatione ad infinitos terminos, cognoſcetur infinita claritate extenſivè tali *conc. conſ.* infinita claritate abſolutè tali. *neg. conſ.* Cognitionem extendentem ſe ad infinita objecta negari non poteſt eſſe extenſivè infinitam, ùt ex terminis liquet: an verò hæc eſſet infinitudo propriè talis: an verò ſolùm ſecundùm quid, & potiùs terminativè, lis eſſe poteſt. Judico ſi deforet intenſio claritatis infinita, non fore infinitam infinitudine propriè tali; quia in linea repræſentationis objecti adhuc creſcere poſſet: quod eſt contra rationem infiniti. Cæterùm parùm intereſt, quidquid de hoc dicatur; eo ipſo enim, quòd viſio DEI in aliqua adhuc ratione claritatis creſcere valeat, jam non erit comprehenſiva DEI. Quòd verò cognitio ad plures terminos referens objectum, ex hoc præciſe illud non cogneſcat majori intenſione claritatis, patet ex cognitione probabili, vel abſtractiva: ùt dictum eſt *Propoſitione* 3.

Ad parit. Reſp. Oculum humanum non præcisè ex eo clariùs videre objectum, quòd plura in eo diſcernat, licèt in aliquo ſenſu videat clariùs: verùm ex eo, quòd majori claritatis intenſione videat: quæ intenſio claritatis partim habetur ex majori lumine, quo objectum perfunditur, partim ex majori virtute viſiva in oculo. Cæterùm tametſi res aliter ſe haberet in oculo, nil facit contra nos; viſio enim mentalis & ocularis in multis differunt: oſtenſum quippe eſt, poſſe dari ejusdem prorſus objecti clariorem & clariorem cognitionem, tametſi non plura in objecto diſcernantur.

Obj. 3. Cognitio, quæ repræſentaret omnia in DEO formaliter & eminenter contenta eſt ſoli DEO propria, ita ut creaturæ convenire non poſſit: ſed cognitio ſoli DEO propria eſt comprohenſiva DEI. Ergo cognitio repræſentans omnia in DEO formaliter, & eminenter contenta, eſt comprehenſiva DEI. *Major* videtur certa; quia cognoſcere omnia tam videtur proprium DEO, quàm eſſe in omni loco, eſſe ab æterno, &c quæ communicari creaturæ nequeunt.

Reſp. Diſt. maj. Quæ repræſentat omnia, & omni poſſibili claritate. *conc. maj.* Secus. *neg. maj.* Nec videtur creaturæ repugnare, ut ſciat omnia, ſi ſciat finita ſolùm intenſione claritatis; nam hic ſciendi modus plurimùm adhuc differret à cognitione divina. Hinc non improbabiliter multi docēt, Animā Chriſti vidiſſe in DEO omnia poſſibilia: contra verò prædicatum æterni, immenſi non

ſuſci-

ſuſcipit magis & minus, ſicut claritas cognitionis: proinde ſi convenirent hæc prædicata creaturæ, convenirent illi ſub ratione propria, qualiter conveniunt DEO.

Dices. Ex hoc ſequeretur, quòd non ſit poſſibilis ulla creata cognitio comprehenſiva alicujus objecti creati: ſed hoc communiter negatur. Ergo negandum & id, ex quo ſequitur. *Sequela prob.* Nulla creatura cognoſcit tantùm objectum, quantùm hoc eſt cognoſcibile. Ergo ſi ad comprehenſionem requiritur, ut objectum cognoſcatur, quantum eſt cognoſcibile, nulla creatura comprehendet ullam creaturam.

Reſp. Neg. ſequelam. Quia ad hoc, ut objectum comprehendatur, non eſt neceſſe illud cognoſci infinita claritate, ſi objectum ſit finitum; claritas enim ad comprehenſionem requiſita debet eſſe proportionata objecto: ſive debet eſſe cognitio tam perfecta in repræſentando, quàm objectum in ſua entitate, juxta regulam datam. Hinc, quòd objectum creatum ſit cognoſcibile à DEO infinita claritate, id provenit ex infinita perfectione cognoſcibilitatis Divinæ, ob quam virtutem DEUS ſeipſum quidem dicitur comprehendere: reliqua verò objecta ſupercomprehendere. Nil igitur obſtat, quo minus creatura objectum aliquod creatum comprehendat per cognitionem in intenſione claritatis finitam.

ARTICULUS IV.

Utrùm animæ à corporibus ſeparatæ, & à vitiis purgatæ illico videant DEUM?

QUæſtio hæc multùm olim controverſa fuerat, eo quòd tunc Eccleſia rem plane non definierit: & tametſi plurimi ſemper Patres & Doctores affirmativam tenuerint, erant tamen multi, qui docerent, animas corporibus ſuis ſolutas in loco quodam aſſervari à DEO in diem judicii, ut ſuis rurſus unitæ corporibus juxta proportionem meritorum ſuorum præmia & viſionem percipiant. Id hodie docere foret Fidei contrarium: ac proin

Dico. Animæ ſolutæ corpore, & à noxis purgatæ illico vident DEUM.

Prob. 1. Ex Scriptura. 2. Cor. cap. 5. *Scimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quòd ædificationem ex DEO habemus, domum non manufactam, æternam in Cœlis.* Ubi Apoſtolus diſſolutioni animæ à corpore illico habitationem in Cœlis ait ſuccedere. Clariùs eodem cap. *Audentes igitur ſemper, ſcientes, quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino... Audemus autem & bonam voluntatem habemus magis peregrinari à corpore, & præſentes eſſe ad Dominum.* Ex quo patet animas illico poſt mortem videre DEUM; ſecus enim etiam poſt diſſolutionem peregrinarentur à Domino. Lucæ 23. dixit Salvator ad bonum latronem: *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Paradiſus autem non in alio eſt, quàm in Viſione DEI.

Prob. 2. Ex Patribus tam Græcis, quàm Latinis. S. Cyprianus in fine libri de exhortat. Martyr. ait: *Quanta eſt dignitas, & quanta eſt ſecuritas exire hinc lætum? ... claudere in momento oculos, quibus homines videbantur & mundus: aperire eoſdem ſtatim, ut DEUS videatur & Chriſtus.* S. Gregorius Nazian. orat. de S. Baſilio in fine eum ſic alloquitur: *Nos, poſteaquam ex hac vita migraverimus, illic tabernaculis tuis excipias, ut ſimul viventes, & Sanctam ac Beatam Trinitatem, cujus nunc exiguam ſpeciem & imaginem accepimus, puriùs perfectiùsque conſpicientes deſideriis noſtris finem ſtatuamus.* S. Hieronymus in Pſal. 67. de Chriſto ait: *Cœlorum excelſa conſcendens eos, qui in captivitate diaboli tenebantur, abſolvit, ac poſt ſe tanquam captivos deductos æternæ vitæ reſtituit.* S. Gregorius Magnus lib. 36. mor. c. 8. *Ante reſurrectionem Sancti ſingulas ſtolas accipiunt; quia ſola animarum beatitudine perfruuntur. In fine autem mundi binas habituri ſunt; quia cum mentis beatitudine etiam carnis Beati gloriam poſſidebunt.*

Prob. 3. Ex Eccleſiæ, & Pontificum authoritate. 1. Concilium Generale Florentinum ſeſſ. ult. in Literis Unionis conſentien-

tientibus Græcis & Latinis ſic decernit: *Definimus . . . . illorum animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt: illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eisdem exutæ corporibus (prout ſuperius dictum eſt) ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum DEUM Trinum, & Unum, ſicuti eſt, meritorum tamen diverſitate alium alio perfectiùs.* 2. Benedictus XII. Conſtit. quæ incipit: *Benedictus DEUS*, declaravit eandem veritatem. 3. Eccleſia dicit in Feſto S. Gregorii: *DEUS, qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contuliſti.* Similes loquendi modi occurrunt ſæpe in Feſtis aliorum Sanctorum. Igitur de Fide eſt animas illico viſione DEI perfrui.

Contra hanc ſententiam multa Scripturæ & Patrum teſtimonia congeri poſſunt, & congeruntur à modernis Hæreticis. 1. Matt. 20. Pater-familias dicitur reddidiſſe mercedem ad veſperam: per veſperam autem communiter intelligitur ſupremi Judicii dies. 2. 1. Joann. 3. dicitur: *Scimus, quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt:* ſed Chriſtus apparebit in noviſſimo Judicii die. Ergo. 3. In Apocalypſi cap. 6. dicitur: *Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum DEI . . . & dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum.*

Pro eadem hac ſententia citatur etiam Joannes XXII Pontifex, qui teſte Okamo non modo definivit, animas non illico poſt mortem videre DEUM, verùm etiam vetuit Pariſienſi Univerſitati, ne ulli conferretur Gradus Theologicus, niſi prius juraret ſententiam hanc ſe defenſurum.

Denique pro hac ſententia citari ſolent plurimi Patrum textus, Juſtini, Irenæi, Origenis, Athanaſii, Lactantii, Victorini, Auguſtini, Bernardi.

Reſp. tamen, Hæc omnia nil in contrarium evincere; quia textus Scripturæ commodè aliter exponi poſſunt. Ad 1. *dico*, per Veſperam intelligi debere exceſſum cujuſvis in particulari hominis, ſicut alio loco mors dicitur nox: *Venit nox, quando nemo poteſt operari.* Joann. 9. Textus 2. intelligi poteſt de ſimili udine perfecta, quam habebimus cum Chriſto ſecundùm animam & corpus: quæ ſimilitudo priùs non erit, quàm dum apparuerit Chriſtus in noviſſimo die. Simili ſenſu accipi poteſt textus 3. in quo illud: *Subtus altare*, communiter exponitur: *in Chriſto*, qui eſt altare, hoſtia & Sacerdos: dictum proinde eſt illis, ut requieſcant in Chriſto ſecundùm animam, donec corpus quoque glorificetur. Certè idem S. Joannes cap. ſequenti dicit, ſe eosdem Sanctos vidiſſe ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni, amictos ſtolis albis, & palmas in manibus habentes.

Joannem XXII. fatentur omnes valde inclinaſſe in oppoſitam ſententiam, & voluiſſe eam perſuadere: neque tamen eam unquam definiviſſe, quidquid dicat Okamus Joanni infenſiſſimus. Cujus rei teſtis eſt Benedictus XII. ejus Succeſſor immediatus, qui in cit, Conſtit. aſſerit, ſpeciali DEI providentia raptum fuiſſe Joannem, antequam ſententiam illam definire attentaret. Teſtatur etiam Marſilius, à Joanne errorem illum ante obitum retractatum fuiſſe.

Ad Patrum teſtimonia *reſponderi* poteſt, veritatem hanc nondum eo tempore ab Eccleſia definitam fuiſſe: adeoque conjecturaliter & probabiliter in oppoſitum aliquando locutos eſſe. Dici dein poteſt, Patres vel locutos eſſe de plena & adæquata beatitudine ſecundùm corpus & animam: vel certè aliquos eorum in ea fuiſſe ſententia, quòd animæ non tam plenè, & perfectè videant DEUM ante Judicii diem, ac poſt illum: quæ ſententia fuit quorumdam Catholicorum: uti ſtatim videbitur.

ARTI-

ARTICULUS V.

Resolvuntur quædam quæsita ad Beatitudinem pertinentia.

QUÆSTIO I.

Utrùm animæ Beatorum intensiore visione visuræ sint DEUM post unionem cum corpore, quàm ante viderint?

AFfirmare videntur S. Thomas, Marsilius, Richardus, &c. teste Vasquez in 1. 2. Divi Thomæ quæst. 4. art. 7. Ajebant enim animam unitam corpori habere perfectiùs esse, quàm absque hac unione: igitur etiam perfectiùs operari. Divus Bonaventura docebat, animam habere appetitum ad unionem sui cum corpore, ac ob eum retardari, quo minùs tanta intensione feratur in DEUM, ac fertur post unionem cum corpore.

Resp. Beati æquali semper intensione vident, & amant DEUM, seu animæ unitæ sint corpori, seu ab eo separatæ.

Prob. Animæ separatæ sunt æquè completæ ad præcipuas operationes easque supernaturales eliciendas, cognitionem nimirum & amorem, ùt sunt completæ, dum corpori uniuntur. Ergo nil impedit, quo minùs æquè perfectè operentur. *Ant. prob.* Esse completum etiam perfectè ad operationes prædictas, est habere potentiam intelligendi & volendi, & præterea Lumen elevans has potentias ad operandum supernaturaliter juxta proportionem meritorum: sed hæc habet perinde anima separata, ac habet unita. Ergo. *Minor* patet. Nam nec Lumen supernaturale, nec potentiam intelligendi ac volendi accipit anima à corpore, sed aliunde: quin imo anima separata à corpore naturaliter loquendo perfectiùs intelligit: utpote cùm tunc non dependeat in operando à sensibus, qui modus operandi est imperfectus: ac proin etiam in linea supernaturali si non perfectiùs, at certè tam perfectè operatur extra corpus, quàm operatur eidem unita.

Nec obstat appetitus ille innatus ad unionem cum corpore; talis enim appetitus nullam adfert inquietudinem in anima beata: secus contra suppositum non haberet beatitudinem essentialem completam. Ergo non impedit animam, quo minùs toto nisu juxta vires Luminis eam elevantis in DEUM feratur: præsertim cùm ea bona, quæ corpori conveniunt, non nisi ad accidentalem illius beatitudinem pertineant.

QUÆSTIO II.

Quænam pertineant ad beatitudinem accidentalem?

Resp. 1. PErtinent ad hanc actus interni, qui connaturaliter consequuntur ad beatitudinem essentialem: ùt gaudium de bono obtento: amor DEI, qui dicitur concupiscentiæ, & similes: qui tametsi abessent, adhuc per alios actus creatura verè possideret finem ultimum.

2. Actus interni, qui quidem connaturaliter non consequuntur, datur tamen aliqua convenientia, ut iis Beati non careant: tales actus sunt cognoscere objecta ad statum Beatorum peculiariter pertinentia: ùt Parentes, Cognatos, Familiares, eorumque statum: videre item in DEO illa, quæ per Fidem sunt credita: cognoscere res possibiles, ac etiam scientias, & veritates, circa quas præcipuè in vita erant versati; istarum enim rerum cognitio à Beatis rationabiliter expeti potest, videturque conveniens, ne ipsis à DEO negetur.

Ad eandem beatitudinem pertinent Dotes animæ beatæ & corporis: dicuntur verò Dotes ad similitudinem Dotis, quæ inter Sponsum & Sponsam datur, ea munera, quæ à DEO animæ beatæ ob speciale inter ipsam & DEUM matrimonium tribuuntur, juxta illud Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in Fide.* Porro Dos ista non consistit in actu aliquo interno à Beatis elicito; quia neque in humanis Dos est actio Sponsæ: deinde sicut in humanis Dos datur in signum amoris, ita datur à DEO Dos spiritualis.

Dotes autem animæ sunt Lumen Gloriæ, Habitus virtutum in Patria remanentes

Dotes verò corporis assignantur communiter quatuor: 1. *Impassibilitas*, quæ excludit omnem dolorem, vel quamcunque corporis molestiam etiam levissimam. 2. *Subtilitas*, cujus effectus est reddere corpus ex pers omnis terrenæ corruptionis, & concretionis, ac velut spirituale. 3. *Agilitas*, vi cujus redditur corpus ad nutus animæ facilè mobile quamcunque in partem libuerit celeritate omnium maxima. 4. *Claritas*, vi cujus corpus redditur fulgidum instar solis, juxta illud Matt. 13. *Tunc Justi fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum.*

Præter hæc admittunt Theologi Aureolas quasdam, vel, ùt alii vocant, Laureolas, quas DEUS in præmium excellentiæ quarundam peculiarium virtutum tribuit: suntque triplicis generis. 1. Aureola est *Martyrum.* 2. *Virginum.* 3. *Doctorum*: in præmium videlicet triplicis victoriæ de mundo, quam referunt Martyres ob superatam potestatem mundanam: de carne, quam reportant Virgines ob domitas carnis concupiscentias: de dæmone, cujus regnum Doctores, qui erudiunt multos ad Justitiam, evertunt.

QUÆSTIO III.

An appetitus, quem habent homines ad beatitudinem sit innatus vel elicitus? An item homo habeat appetitum naturalem erga beatitudinem supernaturalem?

Resp. ad 1. Appetitus, quem homines ad beatitudinem habent, est innatus, & per hunc determinantur ad appetitum elicitum. *Ratio* est. Quia quævis natura ex se inclinatur ad suam perfectionem: atqui beatitudo est summa perfectio. Ergo. Idcirco quemadmodum in aliis ab appetitu innato determinatur quis ad appetitum elicitum: ùt e.g. ab appetitu innato, quem habemus ad conservationem proprii individui, determinamur ad appetitum elicitum, scilicet ad actus internos cognitionis & volitionis versantes circa conservationem nostram, ita pariter ab appetitu innato erga beatitudinem determinamur ad desiderandam & quærendam beatitudinem.

Resp. ad 2. Homo non habet appetitum innatum, seu naturalem ad beatitudinem supernaturalem. *Ratio* est. Quia nequit homo ad id inclinari naturaliter, quod naturaliter consequi non potest, & quod est supra vires totius naturæ: atqui tale quid est beatitudo supernaturalis. Ergo. *Major* patet. Quia talis appetitus non modo esset frustraneus, sed etiam afflictivus. Quod tamen intelligendum est de appetitu innato. Nam appetitus elicitus dari potest: siquidem non repugnat, ut id expetatur à creatura, quod videt fieri non posse: sicut mali dæmones appetiverunt Excellentiam Divinam, vel juxta quosdam Unionem Hypostaticam. Procedit id præcipuè, si creatura cognoscat rem illam supernaturalem saltem per vires extraordinarias obtineri posse: sic potest quis desiderare gratiam per actum solummodo naturalem, quando videlicet defectu gratiæ actualis ad actum supernaturalem requisitæ non alium actum quàm naturalem elicere potest.

QUÆSTIO IV.

An voluntas necessitetur ad amandam beatitudinem in hac vita?

Resp. Affirmativè: Et quidem necessitatur non ad speciem tantùm, ut nempe non possit illam odisse, verùm etiam quoad exercitium, ita ut repræsentata per cognitionem beatitudine, non valeat suspendere amorem. Cujus *ratio* est. Quia dum aliquid proponitur voluntati etiam per cognitionem abstractivam tanquam purum bonum absque admixtione omnis mali, voluntas necessariò erumpit in amorem: atqui quando intellectus apprehendit beatitudinem qua talem, proponitur voluntati beatitudo sine admixtione omnis mali. Ergo voluntas necessitatur ad amandam beatitudinem, quam apprehendit. *Major* videtur certa. Nam dum proponitur eo modo bonum, non est ratio, cur voluntas se determinet sive ad illud odio habendum, sive ad suspen-

den-

dendum amorem talis boni. Ergo determinabit se necessariò ad amorem. Deinde voluntas se habet ad bonum purum, sicut intellectus ad evidentiam: sed intellectus in evidentibus necessariò assentitur. Ergo & voluntas necessariò amat tale bonum. *Minor* etiam patet. Quia beatitudo excludit ex suo conceptu omnem miseriam. Ergo quando apprehenditur beatitudo, eo ipso apprehenditur purum bonum.

Nec obstat, quòd homines non modò suspendant amorem à sua beatitudine, verùm etiam eandem odio habeant, eò quòd licèt cognoscant DEUM esse beatitudinem nostram, tamen non semper amant DEUM, nec ab ejus odio abstinent.

Resp. enim, quòd non repræsentetur tunc illis DEUS ùt beatitudo suprema, eo quòd apprehendant in eo amando aliquam difficultatem: nec illis DEUS repræsentatur ùt purum bonum citra admixtionem cujusvis mali; repræsentant enim sibi DEUM ùt infensum suis cupiditatibus, ùt vindicem delictorum, &c.

QUÆSTIO V.

Utrùm præter beatitudinem supernaturalem possibilis sit alia naturalis, conveniens homini secundùm naturam spectato?

Resp. Affirmativè. Prob. 1. DEUS ùt Author naturæ non minus potest beare hominem in sua natura, hoc est sine ullo dono supernaturali relictum, quàm potest beare hominem ùt Author supernaturalis elevando illum ad gratiam & dona supernaturalia: sed hoc foret beatitudo naturalis conveniens naturæ humanæ. Ergo. *Major* patet. Nam 1. Certum est, imo de Fide, quòd potuerit DEUS hominem condere absque ullo dono supernaturali, & quin illum sublevasset ad statum illum naturæ hominis indebitum; si enim status ille supernaturalis fuisset debitus naturæ humanæ, eo ipso contra suppositum jam non fuisset status supernaturalis; quia quod exigitur à natura, illud non est supernaturale. 2. Facto hoc suppositò, quòd DEUS non elevasset hominem ad illum statum, potuisset utique hominem reddere beatum, beatitudine videlicet correspondente naturæ illius; nam aliàs minùs potuisset *in ordine naturæ*, quàm *in ordine supernaturali*. *Minor* est certa. Ergo.

Prob. 2. Homo etiam in illa hypothesi habuisset appetitum ad suam beatitudinem, habuisset finem ultimum, ad quem omnia referre debuisset; neque enim DEUS citra aliquem finem condere hominem poterat: nec homo non operari propter aliquem finem ultimum: sed hæc beatitudo, vel hic finis ultimus non fuisset tunc supernaturalis, utpote indebitus. Ergo debuisset esse naturalis. Ergo homo in illa hypothesi fuisset capax beatitudinis naturalis.

Patet hoc etiam à paritate aliarum rerum ratione carentium, quarum quævis habet finem proprium, quo adepto quiescat. Ergo multò magis talem finem sibi præfixum homo habere deberet, tametsi ad statum supernaturalem non fuisset elevatus.

Confirmatur. In statu illo puræ naturæ homo per peccatum potuisset sibi demereri pœnam. Ergo etiam potuisset per observantiam præcepti mereri beatitudinem. Sed non supernaturalem, utpote illius tunc incapax. Ergo naturalem. *Conf.* patet. Nam potestas ad demerendum, est etiam potestas ad merendum; quia sicut inhonestas est digna pœna, sic honestas naturalis est digna præmio naturali: hoc verò præmium fuisset beatitudo, sicut pœna fuisset miseria perpetua.

Dices. 1. Esse hominem beatum, est possidere summum bonum: sed in statu puræ naturæ non possideretur summum bonum. Ergo homo non esset beatus. *Major* est certa. *Minor prob.* In statu illo non cognosceretur DEUS, nisi cognitione abstractiva: sed per cognitionem abstractivam: non possidetur DEUS; hæc enim cognitio est valde imperfecta, nec satiat appetitum desiderantem DEUM intueri prout est in se. Ergo.

Resp. Dist. maj. Est possidere summum bonum possessione naturæ suæ proportionata. *conc. maj.* Possessione indebita. *neg. maj.* Similiter *Distincta min. neg. cons.* Possessio enim summi boni habetur per cognitionem & amorem humanæ naturæ convenientem. Cùm igitur homini non elevato per gratiam non conveniret alia cognitio, quàm abstractiva, per hanc possideret DEUM: quæ tamen cognitio longè alterius esset indolis, quàm illa, quam Viatores de DEO habere possunt.

Dices 2. Talis possessio per cognitionem abstractivam non esset perfecta. Ergo neque beatitudo foret perfecta: sed eo ipso in illo statu homo non haberet beatitudinem, sed tantùm capacitatem objectivæ beatitudinis, quam DEUS tunc non daret, licèt dare posset.

Resp. Beatitudinem illam naturalem comparatè ad illum statum futuram fuisse perfectam; quia illud est in suo genere perfectum, quod est naturæ conveniens, & debitum velut finis præcipuus. Qua ergo perfectione fuisset perfecta natura hominis, similiter fuisset perfecta beatitudo. Neque capacitas habendi beatitudinem naturalem fuisset in illo statu sufficiens; quia creaturæ rationali non est satis, quòd in alia providentia finem suum consequi potuisset: verùm necessarium est, ut in quovis statu habeat præfixum sibi finem ultimum, quem appetat, & in quo acquiescat.

Dices 3. S. Thomas 1. p. quæst. 12. art. 1. probat DEUM à Beatis videri posse: & rationem dat: *Quia*, inquit, *si nunquam essentiam Divinam videre potest intellectus creatus, vel nunquam beatitudinem obtinebit, vel in alio ejus beatitudo consistet, quàm in DEO.* Ergo.

Resp. Divum Thomam hoc loco, ùt ex ipsa quæstione patet (quærit enim: an intellectus videre DEUM possit per essentiam) agere de homine prout jam ad statum supernaturalem elevato: qui utique si DEUM intuitivè videre non posset, frustraretur fine suo, ad quem est elevatus. Sic verò intelligendum esse, patet ex 1. 2. quæst. 1. art. 4. ubi ait, impossibile esse, quòd homo non habeat finem ultimum, ad quem tendat, & quem appetat. Jam verò homo in statu puræ naturæ non potest habere pro fine beatitudinem supernaturalem, eamque appetere: ùt patet ex dictis. Ergo haberet beatitudinem naturalem.

Dices demum. Si beatitudo naturalis possibilis foret, etiam de facto homines habere possent talem beatitudinem naturalem; possent enim cognitione abstractiva & evidenti DEUM cognoscere, eumdemque amare naturali amore: sed defacto homines beatitudinem naturalem non habent. Ergo non est possibilis talis beatitudo, quæ conveniret homini in statu puræ naturæ.

Resp. Nego. maj. Nam beatitudo naturalis non consisteret in qualicunque cognitione abstractiva & amore, sed in tali, qui excluderet omnem miseriam naturalem; homo enim non posset dici etiam in eo statu beatus, si miseriis subjaceret, præsertim autem peccato, vel periculo peccandi. Proinde beatitudo naturalis in eo statu fuisset posita in cognitione DEI abstractiva quidem, sed valde clara, ita ut hæc claritas fuisset intensior, vel remissior pro ratione meritorum naturalium antea ab homine elicitorum. Hæc autem claritas cognitionis illius necessitasset hominem ad amorem naturalem DEI: qui amor eo ipso excludisset omne peccandi periculum, & peccandi voluntatem, ac sic beatitudinem naturalem amittendi.

Ad hunc denique amorem consecuta fuissent pariter alia bona tum corporis, tum animi tanquam pertinentia ad integritatem, licèt non ad substantiam beatitudinis illius. Hinc homines illo statu contenti nil ulterius vel desiderassent, vel metuissent. An verò beatitudo illa habita fuisset in corpo-

re,

re, vel extra corpus, incertum est. Censeo tamen, vel homines in eo statu non futuros fuisse corruptioni secundùm corpus obnoxios: vel, si tales fuissent, perinde animam post certum temporis cursum reuniendam fuisse corpori, & præmia naturalium meritorum deinde percepturam, quemadmodum de facto percipit præmium supernaturale.

Ejusmodi beatitudinem naturalem futuram quidam aiunt eorum Parvulorum, qui ante Baptismum ex hac vita decesserunt. Verùm in ea re statui certi nil potest: præsertim cùm non desint, qui cum S. Augustino dicant, *ipsos non sola pœna damni*, sed etiam sensus puniri. Quin licèt à pœna sensus eos immunes esse doceant communiter Theologi à Sæculo XIII. omnem tamen beatitudinem, ac proin etiam naturalem, iis ita denegant, ut oppositum si Fidei contrarium non sit, sit saltem erroneum. Certè ad Ephes. cap. 2. habetur. *Eramus naturâ filii iræ, sicut & cæteri.* Omnes itaque infantes ab origine sua sunt propter peccatum originale filii iræ; obnoxii proin DEI odio & vindictæ, quam evadere non possunt, nisi per peccati hujus remissionem: si verò filii iræ sunt, DEI odio & vindictæ obnoxii: quomodo simul beati? Ex Patribus verò unum Augustinum adduxisse sufficiat, qui lib. 1. de anima & ejus origine. cap. 9. ita habet: *Non baptizatis parvulis nemo promittat inter damnationem Regnumque Cœlorum quietis, vel felicitatis cujuslibet atque ubilibet quasi medium locum; hoc enim hæresis Pelagiana promisit.*

Errores præcipui.	*Pagina.*	*Columna.*	*Linea.*	*Lege.*
primùm	4	1	44	*primum*
Maximum	5	2	19	Maximinum
Diabolo	12	1	14	Diaboli
Ipſi	12	1	18	*Ipſe*
Principibus.	12	2	25	*Principatibus*
ſubjicere	12	2	47	ſufficere
Ex ... Ex	35	2	7	Et ... Et
adimit :	48	2	26	non adimit :
internus	62	2	46	externus
probabilis	70	2	17	improbabilis